PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCVII.

PETRUS BLESENSIS BATHONIENSIS IN ANGLIA ARCHIDIACONUS.

PARISIIS

J. P. MIGNE, EDITOR

ET NUNC APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET SUCCESSORES

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 208

1904

SÆCULUM XII

PETRI BLESENSIS

BATHONIENSIS IN ANGLIA ARCHIDIACONI

OPERA OMNIA

JUXTA EDITIONES MELIORIS NOTÆ, PARISIENSEM SCILICET ET OXONIENSEM, INTER SE COLLATAS PRELO ITERUM MANDANTUR, AD FIDEM MANUSCRIPTORUM CODICUM EMENDATA NOTIS ET VARIIS MONUMENTIS ILLUSTRATA.

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCVII CONTINENTUR

PETRUS BLESENSIS

PROLEGOMENA
EDITIONIS PARISIENSIS

CURANTE

PETRO DE GUSSANVILLA

PRESBYTERO CARNOTENSI

(Petri Blesensis *Bathoniensis in Anglia archidiaconi Opera omnia ad fidem manuscriptorum codicum emendata*, etc. Parisiis, sumptibus Simeonis Piget, via Jacobæa, sub signo Prudentiæ, 1667, in-fol., cum privilegio regis.)

EPISTOLA DEDICATORIA

Illustrissimo ac reverendissimo D. D. Ludovico Bassumpetræo, *Santonum episcopo, Petrus* de Gussanvilla, *presbyter Carnotensis, S.*

Quod jamdiu ardentibus votis exoptabam, Præsul illustrissime, ut publicum aliquod meæ erga te gratitudinis et observantiæ monumentum exstaret, id summo ac singulari Dei beneficio tandem aliquando sum consecutus. Fecit clarissimus Petrus Blesensis, ut hujusce rei feliciter exsequendæ opportuna oriretur occasio. Ejus enim opera tertium edituro quærendus mihi fuit patronus, cujus sub præclaro nomine eamdem, quam a quadringentis et amplius annis sibi apud eruditos homines fecerunt, auctoritatem famamque retinerent. Ecquem vero Petri operum patronum quærere vel potui, vel debui alium a te, vir præstantissime, cui tot ac tantis nominibus devinctus sum, ut licet quidquid in me est (quod sentio quam sit exiguum) in res tuas atque commoda conferrem, vel minimam tuorum in me beneficiorum partem non videar assecuturus. Enimvero singularem humanitatem ac benevolentiam, quam mihi olim apud te commoranti exhibuisti, et nunc quoque quantumvis indigno exhibes, attenta animi cogitatione dum perpendo, solam mihi vocem, solumque calamum superesse agnosco, quibus naturam tuam beneficam, animumque ad demerendos homines propensissimum prædicem.

Patere igitur publicam fieri gratitudinem meam, dum sub gloriosis auspiciis tuis, me curante, publici juris fiunt Petri Blesensis Opera, quæ tali ac tanto patrocinio, quale et quantum est tuum, in hac tertia editione opus habebant. Cum enim qui ea primo edidit Jacobus Merlinus, Michaelis Lingonensis episcopi; et qui secundo, Joannes Busæus Wolfgangi archiepiscopi Moguntiacensis S. R. I. electoris et cancellarii patrocinium ambiverint, ad eadem tertium publicanda non advocandus fuit patronus, qui generis nobilitate, rebus præclare gestis, virtutibus ac dignitate Michaele atque Wolfgango foret inferior : ut suo splendori suæque integritati omnino restituta in hominum eruditorum manus devenirent; qui ea non nisi mutila et imperfecta suis in bibliothecis asservabant. Præterquam enim quod ea quæ jam semel et iterum prodierant in lucem, multis in locis accuratius emendavi, melioremque in ordinem digessi, alia quoque multa adjunxi, cum ex ipsius Petri Blesensis operibus nondum publicatis, tum ex aliis aliorum auctorum scriptionibus, quæ ad plenam atque perfectam horumce operum elucidationem aliquo pacto pertinebant.

Sed alia quoque ratio est cur in Petri Operum nuncupatione auctoritatis tuæ auxilium implorem. Nimirum effulgere in te animadverto virtutes quas Bathoniensis noster archidiaconus episcopis necessarias esse, in epistolis ac præsertim in libro De institutione episcopi *profitetur : sicque nemo est qui eum in capite libri Petri Opera tibi inscripta esse intellexerit, expressam ad vivum eorum quæ Petrus Blesensis docuit imaginem statim ab ipso limine non vident. Non enim indignis generoso homine assentationibus, non assiduis salutationibus, non importunis precibus, non vana meritorum aut doctrinæ ostentatione, sed unis virtutibus, tanquam gradibus ad pontificios apices ascendisti. Episcopatum igitur non ambitum, non petitum, ac ne optatum quidem adeptus, fidem Deo primum, deinde et regi sinceram semper sanctamque præstitisti. In episcopii reparationem, in majoris ecclesiæ tuæ jamdudum a Calvinianis dirutæ restitutionem, in egentium alimoniam, curam et operam ac pecuniam impendis. Præcipue memor Domini nostri pacem se suam dure apostolis ac discipulis suis, pacem se eis relinquere paulo ante mortem affirmantis, dissidentibus ad concordiam revocandis incumbis. Nec clerici modo, sed etiam sæculares, etiam potentes tuæ diœceseos viri, hæretici, quoque ipsi probitati tuæ confisi, mansuetudine ac humanitate invitati, ad te decurrunt : te litium suarum judicem atque arbitrum faciunt; de controversiis suis apud te disceptant, et decretis tuis libentine quam senatusconsul is acquiescunt. Hæc sunt vere episcopalia officia, quibus tu sæpissime hæreticos ad fidem Catholicam convertisti.*

Possent, vellem etiam de te alia multa hic referre, et quidem maxima, quæ ipse vidi, et quorum testis fui, nisi pro ea, qua in me vales auctoritate, perpetuum mihi silentium imposuisses. Satis erit modo, si serena atque explicata fronte Petri Blesensis Operum nuncupationem excipias, ipsamque ut immortale mei erga te cultus argumentum et observantiæ testimonium intuearis. Quod de humanitate tua illa mihi facile polliceor. Vale, antistes illustrissime.

Data Luteriæ IV *Kal. Aprilis, anno Domini* 1667.

PETRI BLESENSIS

VITA

Ex ipsius potissimum epistolis et scriptoris coætaneis concinnata.

—

Petrus noster, cujus nomen toto jamdudum orbe A clarissimum est, natione Gallus, patria Blesensis fuit. Quamvis enim epist. 20 et 46 Anglum se ipse prædicet, Gallum tamen et Blesis urbe Galliæ nobilissima ortum esse, vel ex ipsis epistolarum ejus ac tractatuum inscriptionibus manifestum est, in quibus ubique se Petrum Blesensem dicit : neque alia omnino de causa Anglum vocari, quam quod annos viginti sex in Anglia transegerit. Hinc epist. 93 Gallum se disertis verbis profitetur. *Sumus, frater, in dulci Francia*, etc. *Mihi sufficit si illic vivam et moriar, ubi natus sum et nutritus.* Hinc fratrem suum Guillelmum *Blesensem* nominat in epist 90 et 93. Hinc Petrum quemdam e conterraneis suis vocat *Blesensem*, epist. 76 et 77. Hinc denique Anglicani exsilii (se enim dicit exsulem) pertæsus, epist. 160 Odoni de Soliaco, Parisiensi episcopo, scribens ex Anglia, ardentissimo patriæ desiderio teneri se ita confitetur : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est tanto tempore, et non est qui compatiatur* B *exsuli, non est qui commoveatur super contritione Joseph. Nunquid semper ero vagus et profugus super terram? Nemo finem imponet peregrinationi meæ, ut saltem semel ante supremi spiritus exhalationem in aere nativo mihi liceat respirare.*

Parentes habuit de optimatibus Minoris Britanniæ virtute conspicuos, satis divites, quibus etiam ad pauperum usus facultates abundanter sufficerent (*epist.* 41). Quod fratres habuerit alios a Guillelmo Blesensi, quem abbatem in Sicilia fuisse ait (*epist.* 93), quique ejus hortatu dimissa abbatia ultimi ordinis monachis accenseri voluit, non possum asseverare. Illud scio, ex epist. 36, sororem habuisse sanctimonialem, Christianam nomine, et ex epist. 131 et 132, nepotem unum aut forsitan duos, sed an ex fratre aut ex sorore non declarat.

Adolescens ingenuis artibus et politioribus litteris Lutetiæ, ad quam tanquam ad celeberrimum scientiarum emporium undique concurrebatur, strenuam C navavit operam; poeticæ autem imprimis et oratoriæ maxime incubuit. Poeticæ quidem, ut epist. 76 sic innuit : *Ego siquidem nugis et cantibus venereis quandoque operam dedi : sed per gratiam illius qui me segregavit ab utero matris meæ, rejeci hæc omnia a primo limine juventutis.* Oratoriæ vero, quemadmodum aperte probant hæc verba epist. 26 : *Lex sæcularis gloriosa supellectili verborum, leporeque et orationis urbanitate lasciviens, me vehementer allexerat, et inebriaverat mentem meam.* Atque idcirco in epist. 8 scribit se, cum Bononiæ apud Italos ageret, coudiscipulorum suorum precibus frequentes oratiunculas habuisse ad studiosos jurisprudentiæ auditores. Quod eum etiam indicat jus utrumque, pontificium videlicet atque Cæsareum, non ignorasse.

In medicina quantum profecerit demonstrat epistola 43. Quantum in mathematicis, præfata epist. 8 manifeste etiam declarat.

Verum relicta Bononia, Lutetiam Parisiorum re- D versus, omnibus hisce disciplinis nuntium remisit, ut unius theologiæ studio totum se traderet (*epist.* 26). Et quemadmodum erat præstanti ingenio, tantum brevi tempore in hac divina scientia progressum fecit, ut eam devorasse potius quam didicisse creditus sit : atque inter præstantissimos ævi sui theologos, maxime ob reconditam Scripturæ sacræ scientiam, quam ipsius scripta demonstrant, merito annumerandus.

Et sane certissimum ipsius ingenii præstantiæ argumentum vel illud unicum esse potest quod in epist. 92 ait se dum unam scriberet epistolam, tres alias maxime diversas inter sese totidem viris dictasse : *Ad veritatem*, inquit, *non ad jactantiam dico : vidit quandoque dominus Cantuariensis, et vos ipsi cum eo, multique alii, me de diversis materiis tribus dictare scriptoribus, et uniuscujusque calamo festinanti satisfacere, meque quod de solo Julio Cæsare scribitur, quartam epistolam dictare et scribere. Quod si alicui res ista in dubium venit, facti quæso experientia faciat dicti fidem.*

Eximiam Blesensis nostri erga Deum charitatem quid opus est hic attingere? Hanc plurimæ ipsius epistolæ ad monachos, sanctimoniales, aliosque virtutis laude præcellentes viros scriptæ contestantur ; in quibus suavissimus quidam Christianæ pietatis odor ita legentium animos afficit, ut nescio quibus igniculis se totos penetrari atque inflammari sentiant. Neque vero ipsi soli pietas illa utilis erat atque proficua, sed et in alios, occasione data, sese diffundebat, maxime cum de ecclesiastica disciplina sanctorumque canonum observatione agebatur. Tunc enim neque laboribus parcebat neque vigiliis. Tunc sui ipsius commodi suarumque rerum oblitus, Dei causam, vel adversus principes viros et sacrorum antistites acriter defendebat. Sic enim Richardum Cantuariensem archiepiscopum, cujus familiaris erat atque domesticus, severe corripuit (*epist.* 5) : necnon et palatinos quosdam episcopos, qui, neglectis gregibus fidei suæ commissis, in Siculi regis aula diutius demorabantur, ut observat Rocchus Pyrrhus abbas Siculus in Notitia Siciliæ, his verbis : *Petrus Blesensis scripsit commentarium* De institutione episcopi *adversus Siculos antistites, qui ad obsequium regis, neglecto suo grege, versarentur in palatio. Nam ii, si vera narrat Richardus Cantuariensis archiepiscopus in litteris ad Alexandrum III per Petrum Blesensem scriptis, per septennium vel etiam per decennium a curia non recedebant.*

Quam addictus Romanæ sedi fuerit Petrus noster satis superque indicavit, cum ab Alexandri III partibus invicto animo stetit adversus Octavianum antipapam, a cujus satellitibus Romam pergens comprehensus est et spoliatus, ut ait ipse (*epist.* 48), post emensum scilicet Lutetiæ studiorum suorum curriculum, cum forte Bononiam iret, et antequam in Siciliam proficisceretur, scilicet anno Domini 1163, siquidem obiit Octavianus anno 1164. Tum etiam cum denarium S. Petri, ut appellabant, eleemosynam scilicet a regibus Angliæ pro Anglorum schola in urbe Roma ab antiquo institutam solvi curavit; idque Henrico II admodum repugnanti, demum persuasit, ne pius princeps pauperes eleemosyna ipsis a majoribus suis legata fraudasse vi-

deretur. Ea de re audiendus Petrus ipse in Invectiva contra depravatorem operum suorum his verbis : *Bonæ memoriæ rex Henricus pro denario S. Petri quandoque adversus duos priores ordinis tui inexorabiliter et irreconciliabiliter escanduerat. Nemo præsumebat se opponere ex adverso: ego steti in confractione pro eis, et in tempore iracundiæ factus sum reconciliatio.*

Unum porro præceptonem ac magistrum agnoscit Joannem Saresberiensem, postea Carnotensem episcopum, virum omni scientiarum genere excultissimum : cujus landes cedro dignas et obelisco *Polycraticus*, quem de nugis curialium edidit, ad sempiternam hominum memoriam transmittit.

Hoc igitur doctore tam illustri usus Blesensis noster, ad sublimem scientiarum apicem conscendit. Quo factum est ut plerisque principibus viris acceptissimus fuerit, atque abe iisdem summis affectus honoribus. Atenim a Rotrodo e comitum Perticensium familia Rothomagensi archiepiscopo et Siculorum reginæ avunculo circa an. Domini 1167 in Siciliam missus, Guillelmo II regi Siculo præceptor datus est, ipsiusque litteris ac diplomatibus obsignandis præpositus, et maxima valuit apud Siculos auctoritate, veluti testatur in ep. 131, ad nepotem suum monasterioli priorem his verbis : *Tu frequenter ex ore ipsius papæ qui nunc sedet, ac plerisque cardinalibus ejus, qui in diebus meis legatione functi sunt, fratris etiam mei, et abbatis S. Dionysii, aliorumque magnatum qui in terra sunt, relatione cognoscere potuisti, quod cum in Sicilia essem sigillarius et doctor regis Guillelmi II, tunc pueri atque post reginam et Panormitanum electum dispositio regni satis ad meum penderet arbitrium*, etc.

Reversum in Franciam paulo post Henricus II ad se evocavit in Angliam, atque ad regem Francorum magnis de rebus misit. In aula Henrici tandiu versatus est Petrus, donec quietioris vitæ cupiditate succensus, ad Richardum Cantuariensem archiepiscopum concessit, cujus cancellarium se in epist. 38 et 130 limine appellat. Hujus etiam archiepiscopi nomine legatus ad Henricum II missus est, de gravissimis Ecclesiæ rebus cum eo acturus. Denique, mortuo Henrico II, in aula Eleonoræ Anglorum reginæ commoratus, multas pro ea epistolas dedit ad diversos.

Præter illam vero quam auctore Richardo Cantuariensium archiepiscopo ad Henricum II suscepit legationem, duabus aliis maxime insignibus functus est. Altera anno 1176, ad Alexandrum III Rom. pont., ut coram eo Richardi ejusdem causam ageret adversum Rogerum S. Augustini Cantuariensis abbatem designatum, qui ab arhiepiscopo Cantuariensi in monasterii sui ecclesia consecrandum se contendebat, contrat quam fieri debere in matre ecclesia Cantuariensi affirmabat Richardus. Verum Rogero abbati rex ex voto cessit, uti narrat Willelmus Thorn in Chronicis Angliæ, ad ann. Christi 1176, Altera veno anno 1187, ex occasione litis quam Balduinus, itidem Cantuariensis archiepiscopus, cathedralis ecclesiæ suæ monachis intentaverat : volebat nimirum Balduinus collegiatam canonicorum sæcularium ecclesiam excitare in monachorum, qui hujus ecclesiæ canoniui erant, detrimentum. Re ad Urbanum III per Petrum nostrum delata Cantuar. archiep. causa cecidit, ut videre est apud Gervasium Dorobernensem in Henrico II, ad an. 1178.

Neque immerito sane Blesensi nostro gravissima negotia commissa sunt, magnique honorum ac dignitatum tituli ab amplissimis viris delati. Ea enim erat vitæ integritate morunmque sanctimonia, ut ad unius Dei gloriam et Ecclesiæ Catholicæ commodum se suaque omnia referre videretur. Nam quid agit aliud, cum in epist, 130 Guillelmum Siciliæ regem Ecclesiæ jura invadentem, et episcopos pro nutu et arbitrio suo deligentem severe corripit ? Quid aliud cum in ep. 123 exspectet ut vel opportuna exsilii vel martyrii occasio se offerat? Quid alind summa illa quam exhibuit in morbis et ærumnis patienta, de qua loquitur in ep. 31. Quid aliud cum Henrici II Anglorum regis aulæ valedixit, ut securius saluti suæ consuleret ? *Ductus equidem* (inquit ille initio epist. 147) *quodam spiritu ambitionis, me totum civilibus undis immerseram, et eorum quæ retro sunt oblitus, me ad anteriora, sed non more Apostoli porrigebam. Verumtamen castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Quem lecto doloris affigens, in corpus parvum, abjectum et miserum spiritum suæ indignationis effudit. Anxiabar ad mortem; jamque animæ et corporis divortium certissime imminebat; sed intelligens Pater misericordiarum quia datura esset mihi vexatio intellectum, iratus misericordiæ recordatus est, simulque spiritum iræ suæ cohibuit, et a me ambitionis spiritum exsufflavit. Sic pallium cum Joseph, cum Matthæo telonium, sindonem cum Joanne, cupiditatis hydriam cum Samaritana relinquere et abjicere decrevi. Adjuvit me Dominus, et ambitionis ardorem, quem prius in me torrentes auri et argenti temperare non poterant, ros divinæ miserationis exstinxit.* Denique quid aliud indicat Christiana illa humilitas, qua motus ad sacrum presbyteratus ordinem nisi ætate admodum provecta promoveri se non est passus (*epist.* 127 et 139) ? Neapolitanum archiepiscopatum, episcopatum, quoque his in partibus alium semel atque iterum sibi oblatum recusavit, *et honorem*, ut ipse ait epist 131, *ex onere metiens, motus ambitiosos ad sobrios mediocritatis terminos limitavit.*

Quanquam autem ex nonnullis ipsius epistolarum locis divitias ambiisse suisque commodis plus æquo serviisse videatur, nihilominus tamen quanto studio paupertatem coluerit ex ejus epist. 58 satis intelligitur. Et revera quomodonam divitias ambiisse suisque commodis studuisse putandus est, qui decanatu quodam cessit in Cisterciensium monachorum gratiam (*epist.* 152), propterea quod corruptos canonicorum suorum mores non posset in melius emendare ? Qui in epist. 5 Richardum archiepiscopum Cantuariensem, cujus erat cancellarius acrioribus verbis insectatur, quod commissum sibi gregem ea qua par erat : sollicitudine non regeret. Qui unica Carnotensis Ecclesiæ præbenda contentus, in principis Guillelmi Senonum archiepiscopi domicilium recipi exoptabat. Qui denique senio confectus, ad eam agestatem venit, ut quantumvis pluribus ab Henrico II beneficiis affectus, quantumvis duorum olim Cantuariensium archiepiscoporum cancellarias, Bathoniensi archidiaconatu invidorum quorumdam ac malivolorum hominum factione pulsus est, et postmodum Londinensi archidiaconatu donatus, cui revera honoris plurimum, emolumenti parum annexum erat, ad Innocentium III Rom. pont. scripsit (*epist.* 151), ut aliquem sibi reditum provideret, quo archidiaconi Londinensis munus digne posset sustinere.

Tandem ejus virtus (quod plerumque summis et optimis viris accidit) invidiæ telis patuit, adeo ut in Invectiva contra obtrectatorem necesse habuerit famam suam adversus cujusdam hominis malivoli calumnias tutari, et epist. 149 achidiaconi dignitatem imposturis quibusdam sibi jam seni ereptam fuisse conqueratur. Verum ad cumulum malorum omnium accessit quod, omni calamitatum ærumnarumque genere conflictatus, in alieno solo, quod exsilium in epist. 160 appelat, extremum vitæ diem clauserit, non in patria sua, quod maxime in votis habebat. Cum enim in summa senectute ad Odonem Parisiensem episcopum scriberet, cumque rogaret ut se ab exsilio liberaret, epistolam ita concludit : *Cui non licet in patria vivere, saltem liceat sepeliri.*

Obiit in Anglia, si historicis fides, anna reparatæ salutis humanæ 1200. Nam licet de ipsius mortis anno nihil certi atque explorati habeamus, quo tamen obierit tempore ex epist. 151, ad Innocent. III

data circa annum 1199, licet aliquatenus conjicere.

Quanti non a popularibus suis modo, sed etiam ab exteris, præsertim Anglis habitus sit, docet Nicolaus Harpfeldius, Anglicus auctor, qui in Historiæ Anglicanæ capite 20 de eo sic loquitur: *Petri Blesensis amplæ dotes non patiuntur ut nuda et simplici eum nomenclatura dimittam. Fuit enim vir omni genere doctrinæ pro illis temporibus excultissimus, non Anglus ille quidem, sed homo Gallus, quem propter eruditionem et prudentiam plurimi fecit Henricus II. Ejus opera usus est sæpe in legationibus apud exteros obeundis. Et Balduini ille causam Romæ a rege et Balduino missus contra monachos strenue tutatus est. Qua in re amarius eum Gervasius exagitat quasi architectum et principem omnium illarum turbarum. Videtur fuisse vir ingenui et liberalioris animi in vitiis non solum amicorum et mediocrium, sed et principum virorum reprehendendis. Nec sibi temperat quominus amicum quemdam, qui Carthusianorum, cui se dederat, disciplinam reliquerat; Richardum Saresberiensem archidiaconum, et Rof-* A *fensem episcopum, venationum et aucupii plus justo studiosos: sed et Richardum* [al. *Richardos*] *Bathoniensem et Cantuariensem episcopos efficit sui admoneat, atque apud ipsum regem queritur de injuriis quibus populum vicecomites, et ii quibus regiarum silvarum custodia credita erat, afficerent. Regem de nece D. Thomæ accurate purgat, ostenditque quantum præsidii in omnibus suis angustiis in demortui precibus et patrocinio poneret. Videtur fuisse ab epistolis Richardo Cantuariensi, et inter præcipuos amicos Joannem Carnotensem coluisse, ad quem variæ epistolæ visuntur. Quarum lectionem tanti fecit Henricus rex, ut admonuerit omnes eum suas epistolas colligere, quas magno legendi desiderio teneri se dicebat. Fuit Bathoniensis archidiaconus, et deinde Londinensis, postremo Cantuariensis. Sacerdotio ornatum tradunt. Et quantum ego hactenus legi, reperio quod se diaconum appellet, non sacerdotem. Inter alia multa quæ lucubravit, scripsit Vitam* B *Wilfridi archiepiscopi, et confessoris Guthlaci, et pervenit usque tempora Richardi regis.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

De Petro Blesensi satis superque in ejus Vita diximus, nunc de operibus ipsius paucis te monitum volo, benevole Lector. Ante annos 150, id est anno 1519, Petri Blesensis opera in unum corpus a se redacta publici juris fecera Jacobus Merlinus, doctor theologus Parisiensis, vir singularis doctrinæ et pietatis, qui et majoris ecclesiæ pœnitentiarius, et ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ in civitate archipresbyter fuit, qui etiam Concilia generalia in unum volumen collegit, et multa alia opera edidit, Hic primus (*a*) cum Petrum Blesensem, qui olim tantopere in Ecclesia refulserat, in tenebris fere delitescere ægre ferret, eum summo labore edendum curavit, licet editionem hanc minus correctam et in pluribus manearn ob exemplarium inopiam reliquerit. Hunc secutus octoginta post annos, scilicet anno 1600, Joannes Busæus, vir æque doctus ac pius, scriptisque suis satis notus, eodem studio inflammatus, Petrum Blesensem in lucem iterum C produxit. Quia tamen Merlini editionem non viderat, quædam quæ in ea edita fuerant prætermisit, nempe Sermones, tractatum *De perfidia Judæorum*, et maximam partem tractatus *De amicitia Christiana*; quos tamen tractatus duos quinque post annis, inventis novis mss. codicibus edidit in volumine quod *Paralipomena Petri Blesensis* inscripsit. Ambolus, utpote de republica Christiana litteraria bene meritis, magnam habemus gratiam; verum cum utriusque editionis exemplaria jamdudum deessent, et a viris doctis summo studio efflagitarentur, ac nemo huic operi manum admoveret, ego, studiosorum licet minimus, libentissime hunc laborem amicorum consilio suscepi, quem in utilitatem Ecclesiæ, pro qua sola laborare institui, redundaturum videbam. Quid in hac editione præstiterim, paucis aceipe, amice Lector, Ex duobus prioribus editionibus unam fecimus ita ut quæ in una deerant ex altera suppleremus. In nostra porro editione D exemplar Busæi utpote sincerius secuti sumus, quod tamen in multis ope mss. codd. undequaque conquisitorum quam accuratissime fieri potuit emendavimus. Verum epistolarum argumenta, variantes lectiones cum notis, elenchos, indices et marginales notas, ut et breves indices duos proverbiorum et vocum barbararum quales edidit, retinuimus. Sermones autem Petri Blesensis genuinos jam a Merlino editos restituimus; quos quidem emendatiores dare non licuit, cum nulla eorum exemplaria mss. quantacunque adhibita diligentia et inquisitione reperire potuerimus; notas solum marginales, et Scripturæ loca, quæ deerant, apposuimus. His addidimus sermonem eximium, scilicet 75, in duos Psalmi XCIII versiculos opera R. P. D. Simonis Guillemoti monasterii Sancti Ghisseni in Hannonia subprioris, qui eum ex codice manuscripto Camberonensis cœnobii non sine labore descriptum benigne ad nos transmisit. Plura etiam de novo adjecimus; scilicet cum multa adhuc Blesensis opera in bibliothecis delitescere didicissemus, nulli labori, nullis etiam impensis pepercimus, ut ea recuperare possemus.

Tandem post diuturnam et anxiam propter bellorum calamitates exspectationem duos insignes tractatus accepimus ex bibliotheca Oxoniensi, scilicet *De utilitate tribulationis*, et *Quales sunt*. Hoc autem beneficium acceptum referimus clarissimi viri Henrici Justelli Christaphori filii singulari humanitati, ad quem hi duo tractatus ab eruditissimo viro D. Vallis, professore Savilliano geometriæ in Academia Oxoniensi, non sine magno labore emendati missi sunt.

De utilitate operum Petri Blesensis nihil dicam: judicium enim meun proferre post tot ac tantos viros, qui a 500 prope annis cum laudibus extulerunt, magnæ temeritatis esset: cum vix ullus auctor celebris reperiatur qui honorificam de eo mentionem non fecerit, quantum ad historiam et ad mores, atque etiam ad sanam Ecclesiæ doctrinam pertinet, ut non immerito inter postremos Ecclesiæ Patres annumerandus nonnullis videatur.

Hæc sunt quæ in universum de operibus Petri Blesensis dicenda habuimus, amice Lector. Nunc per partes singula examinanda sunt. Sed prius operum omnium Catalogus texendus.

(*a*) Prodierant tamen antea Petri Blesensis *Epistolæ* absque loci et temporis nota (sed *Bruxellæ*, *ap. fratres vitæ communis*, *circa* 1480) in-fol. Epistolas septem supra centum complectitur hæc editio, quam ignoravit Petrus de Gussanvilla.

EDIT. PATR.

CATALOGI OPERUM PETRI BLESENSIS.

I,

EX IPSOMET DESUMPTUS.

A

PETRUS Blesensis in opusculo, quod *Invectivam contra depravatorem operum suorum* inscripsit, de quibusdam a se jam in lucem editis ita scribit : *Me non solere magnates palpare in vitiis suis, aut laudare peccatorem in desideriis animæ suæ, apparet:*

In Compendio meo super Job.
In Epistolis meis.
In libro Exhortationum mearum.
In Dialogo meo ad regem Henricum.
In Tractatu meo de Jerosolymitana peregrinatione.
In libro meo de præstigiis fortunæ.
Et in opere meo novello de assertione fidei.
In libro contra perfidiam Judæorum.
In libro de confessione et pœnitentia.
In eo qui Canon episcopatis inscribitur.

Et in quamplurimis aliis scriptis meis, etc. B

Hactenus ille. Quæ autem sint illa quamplurima scripta, nusquam indicavit. Tantum initio *Compendii super Job* duplex citatur tractatus :

Tractatus de transfiguratione Domini.
Tractatus de conversione sancti Pauli apostoli.

Et in fine epistolæ 14, quæ est ad sacellanos Henrici II regis Anglorum, citatur

Liber de rebus gestis Henrici II regis Anglorum.

II.

EX JOANNE TRITHEMIO, DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS

Petrus Blesensis, archidiaconus Bathoniensis, Joannis Carnotensis præsulis amicus familiaris, ad quem nonnullas dictavit epistolas, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, atque in sæcularibus litteris egregie doctus, ingenio acutus et vehemens, qui vitia principum et prælatorum non palpare, sed arguere noverat, propter eruditionem et vitæ honestatem apud reges, principes et episcopos in pretio habitus, multa scripsit opuscula, e quibus ista feruntur C

De amicitia Christiana lib. I. *Quoniam diminutæ sunt.*
De pœnitentia salutari lib. I. *Rogasti me, ut tibi.*
De accelerando passagio lib. I. *Quis dabit capiti meo.*
De qualitate pœnitentiæ lib. I. *Nimia tui rigoris.*
De studio sapientæ lib. I. *Divisus es, et cor tuum.*
Contra depravatorem lib. I. *Exhortatiunculam tuam.*
Exhortatio ad abbatem lib. I. *Electi estis a vestris.*
De officio episcopi lib. I. *Petis instantius.*
De periculo prælatorum lib. I. *Quoties recolo verba.*
De vita clericorum curialium lib. I. *Gratias ago gratiæ.*
Epistolarum num. 194 lib. I. *Rogatus a vobis.* D
De præstigiis fortunæ lib. I.

Scripsit et alia plura. Claruit sub Frederico I imperatore anno Domini 1160.

III.

EX CENTURIA XIII SCRIPTORUM BRITANNIÆ, CAP. I, ET BIBLIOTHECA C. GESNERI POSTREMO AUCTA.

De amicitia Christiana	lib. I.
De pœnitentia salutari	lib. I.
De accelerando passagio	lib. I.
De qualitate pœnitentiæ	lib. I.
Sermones de jejunio	lib. I.
De sapientiæ studio	lib. I.
Contra depravatorem	lib. I.
Exhortationes ad abbatem	lib. I.
De officio episcopi	lib. I.
De præstigiis fortunæ	lib. I.
De periculo prælatorum	lib. I.
De vita clericorum curialium	lib. I.
Epistolarum numero 194	lib. I.
De synodis celebrandis	lib. I.
Canon episcopalis	lib. I.
Vita patientis Job	lib. I.
Vita Wilfridi archiepiscopi	lib. I.
Vita Guthlaci confessoris,	lib. I.
Dialogus regis et abbatis	lib. I.
De peregrinatione Hierusalem	lib. I.
Sermones in festis diebus	lib. I.
De Conversione D. Pauli	lib. I.
De Transfiguratione Domini	lib. I.
De assertione fidei	lib. I.
Testimonia fidei Catholicæ	lib. I.
De Judæorum perfidia	lib. I.
Manipulus florum	lib. I.
Acta Henrici II	lib. I.
Piarum exhortationum	lib. I.

Gerardus Joannes Vossius lib. III *De historicis Latinis* mentionem facit cujusdam opusculi Petri Blesensis his verbis : *Idem* (Petrus Blesensis) *rogatu abbatis et conventus Croilandiensis, Ingulphæ Historiæ appendicem adjecit, qua historiam illam ad sua usque tempora perduxit, ut adnotavit Brianus Tuvinus lib.* I De antiquitate Oxoniensis academiæ, *ubi et ex appendice ea illustrem περιτομήν adducit. Locus is iisdem verbis legitur in appendice quæ tum in Anglicana, tum in Germanica editione jungitur Ingulpho. Sed inscriptio utrobique est :* Appendix incerti auctoris ad Ingulphum. *Quare quod auctoris ejus nomen scimus, id Briano debemus, quem in manuscriptis illud invenisse facile mihi persuadeo.*

IV.

EX EDITIONE NOSTRA.

Epistolæ numero 183.
Sermones 65.
Opuscula, scilicet :
Tractatus de transfiguratione Domini,
Tractatus de convertione Sancti Pauli,
Compendium in Job,
Tractatus de peregrinatione Jerosolymitana,
Instructio fidei ad Soldanum Iconii,
Liber de confessione sacramentali,
Liber de pœnitentia, vel satisfactione,
Canon episcopalis, vel tractatus de institutione episcopi,
Invectiva contra depravatorem,
Liber contra perfidiam Judæorum,
Tractatus duplex de amicitia Christiana,
Tractatus de utilitate tribulationum,
Tractatus Quales sunt,
Fragmentum epistolæ de silentio servando,
Fragmentum libri de præstigiis fortunæ,
Tractatus de divisione et scriptoribus sacrorum librorum,
Tractatus de SS. Eucharistia metrice.

De quibus omnibus pauca dicenda sunt.

Epistolæ. — Primo loco sunt Epistolæ, utpote inter opera Blesensis luculentissimæ : de quarum præstantia satis erit, si dixerimus, eas a viris doctis qui quatuor postremis sæculis floruerunt, esse laudatas, maximeque a Baronio, qui postremos suos Annales multis ex ipsius epistolis desumptis testimoniis illustravit, et multa observatione scitu-que dignissima ex ipsarum fontibus hausit. Quo minus mirum est tot ipsarum manuscripta exemplaria ubique terrarum disseminata esse, ut in sola

urbe Lutetia viginti et amplius reperiantur. De earum numero non constat, cum inter codices mss. alii plures, alii pauciores epistolas complectantur. De centum et sexaginta convenit inter omnes : cæteræ dubiæ sunt fidei, utpote quæ in plerisque mss. non reperiantur, et a Blesensis stylo plurimum discordent. Plures certe alias a Petro Blesensi scriptas vel ex ipsarum exemplarium lectione constat, in quibus multarum quæ non exstant, ipsemet Blesensis mentionem facit. Cæterum epistolarum ordo omnino præposterus est, quem facile erat Busæo in melius reformare, nec reformavit tamen. Verum quia jamdudum a viris doctis, præsertim a Baronio et aliis ecclesiasticæ historiæ scriptoribus ubique receptus est, eum immutare religioni duximus. In notis tamen quantum conjicere licuit, quoto quæque anno epistola scripta sit significavimus. Neque vero est omittendum nos exemplo Busæi plures e numero epistolarum detraxisse, et inter opuscula rejecisse, licet in omnibus fere mss. inter epistolas habeantur : ut sunt Tractatus de Transfiguratione, et de Conversione sancti Pauli ; Instructio fidei ad Soldanum Iconii : Libri de Confessione, et de Pœnitentia, Instructio episcopi, et alia, quæ verius sunt opuscula quam epistolæ.

Sermones. — Sequuntur Sermones, quos ex editione Merlini desumpsimus ; eosque genuinos et legitimos Blesensis sermones esse indubitata fide credendum est, tum quia jamdudum ab ipso Merlino, qui autographum penes se habebat, editi sunt, tum etiam quia Balæus, vir antiquitatis studiosus, in recensendis operibus Petri Blesensis centur. XIII, cap. 31 primum sermonem eodem modo quo Merlinus retulerit. Præterea Busæus ipse, qui jam ante quinquennium Sermones Petri Comestoris sub nomine Petri Blesensis ediderat in fine præfationis ad *Paralipomena* Petri Blesensis sic ait : ***Inventi ad hæc sunt nuper ab Ingolstadiensibus alii quidam Blesensis sermones, discrepantes a meis. Sed eos ad proximas nundinas cum aliis nonnullis veterum auctorum opusculis, vel Moguntiæ, vel alibi excudendos curabit clarissimus academiæ Ingolstadiensis professor Henricus Canisius.*** Hæc Busæus de Canisio, quem credibile est sermones istos, nostris procul dubio similes, morte præventum ineditos reliquisse. Denique sermones isti stylum Petri nostri omnino redolent, ut cuivis in ipsius lectione versato clarius patebit. Mitto plurimas loquendi formulas in epistolis, quæ in ipsis sermonibus repeRiuntur, ad quas brevitatis causa Lectorem remittimus. Mitto etiam frequentes et pene continuas Scripturæ sacræ allegationes, quibus respersa sunt opera Petri Blesensis, cum hoc non ipsi soli, sed cuivis ejus sæculi scriptori conveniat, ut patet ex scriptis D. Bernardi, Petri Cantoris, Lombardi, Mauritii, Petri Comestoris, et aliorum.

Quod autem Sermones a Busæo sub nomine Petri Blesensis editi, sint Petri Comestoris aut Manducatoris, luce clarius est. Sed venia danda Busæo, viro alioquin doctissimo, qui cum sciret sermones quosdam a Petro blesensi fuisse conscriptos, nullumque ipsi illorum suppeteret exemplar, tandem unicum nactus sibi Lovanio missum, in quo titulus erat *Sermones M. Petri.* suspicatus est Sermones esse Petri Blesensis. Verum non esse ipsius, sed Petri Manducatoris quamplurimi mss. qui in variis bibliothecis reperti sunt, clarissime indicant. Quinque autem aut sex mss. codices, quos vidimus et contulimus, proferemus. Primus est Mentelianus, scilicet Jacobi Mentelii, doctoris medici Paris : qui antiquus codex sermones istos legitimo auctori Petro Manducatori restituit, ac sic inscribitur : *Ordo Sermonum magistri Petri Manducatoris per anni circulum.* In fine autem codicis hæc habentur : ***Expliciunt Sermones magistri Petri Manducatoris.*** Secundus codex est Majoris Monasterii, optimæ et antiquæ notæ, utpote qui circa tempora ipsius Co-

A mestoris excriptus sit, ut apparet ex his verbis quæ ad calcem codicis habentur, eadem prorsus manu qua reliquum opus : *Liber iste est S. Martini*, etc. *Factus est liber in tempore Guillelmi Armarii, anno octavo Hervei abbatis.* Herveus autem iste [ut patet ex Elencho abbatum Majoris Monasterii qui habetur in notis ad Guibertum de Novigento) ab anno Christi 1178 ad 1186 pastorale munus protraxit. Initium codicis tale est : *Incipiunt capitula Sermonum magistri Petri Manducatoris, qui continentur in hoc volumine*, etc. Tertius est Corbeiensis codex ms., non infimæ notæ, in quo nullus habetur titulus. Sunt autem iidem sermones qui in priori. Quartus est Carthusianus, ex cœnobio Vallis Dei in Perticensi agro ; qui quidem codex, a 500 fere annis exaratus, sic habet in fronte : *Ordo Sermonum magistri Petri Manducatoris per anni circulum in synodo*, etc. Tandem vidimus tres insignes codices Sermonum istorum in bibliotheca monasterii
B Sancti Victoris Paris., cujus in ecclesia sepultus est Petrus Comestor. In quibus et idem titulus habetur, scilicet : *Sermones magistri Petri Manducatoris* ; et præter illos quos Busæus edidit, reperiuntur plures alii ejusdem Petri Manducatoris sermones, qui nondum in lucem venerunt.

Tractatus De transfiguratione. — Tractatum de transfiguratione Domini, qui in quamplurimis mss. erat inter Epistolas, methodum Busæi secuti inter Opuscula reposuimus, sicut et tractatum de conversione sancti Pauli, et quosdam alios Hunc autem de transfiguratione emendavimus ope editi exemplaris Merlini et ms. Henrici Valesii.

De conversione S. Pauli. — Tractatum item de conversione sancti Pauli contulimus cum edito Merlino et mss. Maz. et Vales.

Compendium in Job. — Compendium in Job continet vitam, ærumnas et excessum S. prophetæ Job, sicuti a Petro Blesensi petierat Henricus II rex Angliæ, ut ipsemet Petrus significat in præfatione
C istius operis. Illud autem emendatum est ad exemplaria Merl., Maz. et Vales.

De peregrinatione Jerosolymitana. — Tractatus de peregrinatione Jerosolymitana qua occasione scriptus sit, vide in notis. Ad eum corrigendum usi sumus codd. mss. Hard., Sorb. 2 Ful. Vall.

Instructio fidei. — Tractatus de instructione fidei emendatus est ope mss. For., Hard., Laun., Ful., Sorb. 1 et 2. Habetur etiam ille Tractatus apud Matthæum Parisiensem ad annum 1169. Videtur esse idem qui ab ipso Blesensi in Invectiva appellatur *Assertio fidei*, et alibi *Liber de fide*. Missa est autem hæc Instructio ad potentissimum principem soldanum Iconii nomine Alexandri PP. III. De ea videndi scriptores hujus sæculi, novissime Baronius t. XII *Annal.*

De confessione. — Liber de confessione sacramentali castigatus est ope mss. Vall., Camus., Vici, 3, et Merl. editi. Agit autem hic Blesensis de con-
D fessione, ut de tertia parte sacramenti pœnitentiæ ostenditque singula peccata lethalia etiam occultissima et fœdissima esse in confessione aperienda.

De satisfactione, sive pœnitentia. — Liber de satisfactione et pœnitentia etirm correctus est ope supradictorum codicum. In eo autem invehitur Petrus noster in abbatem quemdam, qui duriores monachis suis post confessionem, quam sibi fieri volebat, pœnitentias injungere solitus erat.

Canon episcopalis. — Canon episcopalis, sive Instructio episcopi, qui a Trithemio appellatur, *Liber de Officio episcopi*, habetur in Val., Sorb. 1, Maz. 1, Vict. 3, et Merl. quibus ad cum emendandum usi sumus. Est autem doctissimus hic tractatus et episcopis pernecessarius.

Invectiva contra Depravatorem. — Invectiva contra Depravatorem scripta est adversus canonicum quemdam regularem, qui contra Petrum nostrum scripserat, ipsiusque scripta carpserat. Hunc tracta-

tum correximus beneficio, Sorb. 1, Vall., Boer., Maz., 1 Vict. 3, et Merl.

Contra perfidiam Judæorum. — Liber contra perfidiam Judæorum scriptus est ad convincendos Judæos, maxime de adventu Messiæ, id ex variis Scripturæ locis eleganter probat. Eum contulimus eum manuscripto Camus. et Merl. edito.

De amicitia Christiana. — Tractatus de amicitia Christiana, jam a Merlino editus, a Busæo, qui editionem Merlini non viderat, imperfectus primum, deinde quinque post annis integer datus est; et eo exemplari usi sumus: ad quod emendandum nos adjuverunt manuscriptus Camus, et Merl. editus. Divisus est autem in duos libros, et libri in plura capita. Apparet autem hoc esse novissimum opusculum Petri Blesensis, cum ipsemet initio hujus operis illud a se jam sene, viribus fracto et morti proximo scriptum fuisse fateatur.

De utilitate tribulationum, et Quales sunt. — Quod attinet ad opuscula duo illa nova, scilicet *Tractatum de utilitate tribulationis, et Tractatum Quales sunt*, ut ante dictum est, accepimus ab eruditissimo viro D. Wallis, qui cum amanuensibus parum confideret, ea non sine ingenti studio et indefesso labore emandare voluit, maxime cum exemplaria quibus usus est *lectu difficillima essent, et abbreviaturis refertissima; ut qui antiquæ scriptioni et abbreviaturis antiquis non bene fuerit assuetus, in singulis prope vocabulis hæsurus sit, licet scriptio autographi sit valde antiqua, et satis pulchre pro eo tempore descripta.* Hæc sunt verba eruditi viri, quæ mihi futura sunt admonitionis ad Lectorem loco.

Ait idem se præter Oxoniensem cod., quo usus est, multa correxisse ope duorum aliorum manuscriptorum codicum ex bibliotheca Merthonensi Academiæ Oxoniensis, et ope alterius etiam codicis Bodleyani, ex quibus multa supplevit quæ vel deerant vel corrupta erant in suo exemplari.

De silentio servando. — Fragmentum epistolæ de silentio servando habuimus ex mss. bibliothecæ collegii Merthonensis Oxoniæ beneficio ejusdem D. Wallis, quod cum duobus superioribus tractatibus benigne ad nos misit, donec epistola integra inveniatur.

De præstigiis fortunæ. — Fragmentum libri de præstigiis fortunæ (a) ex bibliotheca sanctis Victoris Paris. deprompsimus, quod in volumine quodam epistolarum Petri Blesensis latebat. Illud primum a se detectum benignissime, ut multa alia, mihi communicavit vir humanissimus mihique amicissimus Franciscus le Tonnelier ejusdem bibliothecæ præfectus. Cum autem liber iste de præstigiis fortunæ sit insignis, et sapæ ab auctore in epistolis præsertim in 19 citetur, magnam habebimus gratiam litteratis Anglis, quibus jam ob supradictos Petri Blesensis tractatus nobis communicatos maxime obstricti sumus, quibusque quantas possumus grates ob id referimus, si tractatum illum cum aliis quibusdam opusculis ejusdem auctoris, in locupletissimis suis bibliothecis quærere et ad nos transmittere dignentur.

Divisio et scriptores sacrorum librorum. — Tractatum exiguum de divisione et scriptoribus sacrorum librorum adjunximus ex editione Merlini, licet eum in nullo alio exemplari invenerimus.

De Eucharistia. — Tractatum denique de Eucharistia, metro compositum, dedimus ex editione Busæi, licet ab ipso Blesensi aut ab alio auctore nulla de eo mentio habeatur.

Nunc de notis Lectorem monere operæ pretium est. Non longos tibi commentarios, benevole Lector, sed breves quantum fieri potuit, notas, easque vel ad criticen pertinentes, vel ex historia depromptas offerimus, ut si quid legentem possit impedire, aut aliquantulum demorari, procul amoveatur, viaque plana et expedita ad totius operis intelligentiam aperiatur. Notas porro illas non in ipsa opuscula, nisi obiter et rarius, sed potissimum in epistolas confecimus: tum quod epistolæ præcipuum inter opera Blesensis locum obtineant; tum quod jamdiu exoptatum ab eruditissimis viris opus nimium urgerent festinantes typographi.

Post editas a Busæo notas plures in Gallia nostra manuscriptos codices reperimus, quos ipsi Busæo videre non contigit. Adde quod hominem externum, utpote Germanum, et nostræ historiæ satis rudem plurima sane latuerunt, quæ nostro sæculo e tenebris feliciter eruta sunt et publici juris facta. Unde quanta lux Petris Blesensi historiæ locisque ejus difficilioribus conciliari possit, nullus est, opinor, qui non clarissime videat. Quod ad manuscriptos codices attinet, quibus usi sumus, eos nobis subministrarunt viri omni eruditione clarissimi, quorum laudi splendorique licet nihil ex mea possit oratione accedere; singulorum tamen hic nomina exponere juvat, ut norint posteri quorumnam ope et auxilio Petrus Blesensis, quasi deterso situ et antiquitatis squalore, comptior jam ornatiorque in lucem prodeat.

Primum quidem codicem ms., qui et antiquissimus est et optimæ notæ, benigne nobis largitus est Joannes Launoius, Theologus Parisiensis. Alius non inferioris meriti in manus nostras venit opera Raimundi Formentini, Aurelianensis Ecclesiæ canonici. Subministrati sunt et alii duo ex insigni bibliotheca eminentissimi cardinalis Mazarini. Accesserunt ex antiquissima et eruditis notissima bliblotheca Paris. monasterii Sancti Germani a Pratis tres alii codices mss., unus ex eadem Bibl. alter ex Beccensi, tertius ex Majori Monasterio, quos mihi pro antiqua necessitudine præbuit domnus Lucas Dacherius, ejusdem bibliothecæ dignissimus prælectus, vir pro sua singulari humanitate nemini non notus, nemini non charus; qui dum vult viderit ex antiquis manuscriptis, quasi aliud agens, leviores solummodo spicas colligere, uberrimam antiquitatis studiosis messem comparat. Tres usuper ex bibliotheca S. Victoris, toto orbe nominatissima, mihi liberaliter subministravit vigilantissimus bibliothecarius Carolus le Tonnelier, cui quidem dignas pro sua erga me humanitate grates rependere etsi maxime velim, non possum tamen, insuper enimaliorum etiam mess. codicum, mihi copiam fecit, ex quibus multa deprompsi hactenus inedita, ut suo loco notabitur. Accesserunt et alii ex variis bibliothecis, scilicet D. Boyer, senatoris Divionensis; D. Hardi in præfectura Parisiensi senatoris; D. Hautin, in eadem præfectura Parisiensi etiam senatorios; Fratrum Prædicatorum conventus S. Jacobi Parisiensis; Patrum Fuliensuim Paris., D. Vallin canonici Nannetensis: duo item ex bibliotheca Sorbonica. Plurimum etiam nos adjuverunt membranæ illustrissimi ac celeberrimi D. Petri de Marca, quondam archiepiscopi Parisiensis, nobis a viro docto Stephano Baluzio commodatæ, in quibus varias lectiones ex duobus mss. epistolarum Petri Blesensis a se collectas vir doctissimus adnotaverat. Ad emendanda opuscula nobis magno etiam usui fuit codex ms. Henrici Valesii, historiographi regii, in quo continentur Tractatus *in Job, de Transfiguratione Domini*, et *de Conversione sancti Pauli*. Incidit prætera in manus nostras codex ms. Nicolai Camusatii, quondam Ecclesiæ Trecensis canonici, qui nunc asservatur in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesu Paris. Cujus ope emendavimus opuscula *de Confessione, de Pœnitentia vel Satisfa-*

(a) Est cap. 12 libri 1 *Polycratici* Joannis Saresberiensis, *Patrologiæ* tom. CXCIX.

ctione, *Canonem episcopalem*, *Contra perfidiam Judæorum*, et *de amicitia Christiana*. Omitto exemplaria antea edita, quæ etiam ubi opus fuit consului : alterum scilicet Jacobi Merlini doctoris Parisiensis : alterum, Moguntinum, in quo solæ Epistolæ editæ fuerunt.

Ut autem codicum, quibus usi sumus, characteres facilius possit Lector dignoscere, en varia signa quæ apponenda esse duximus.

Laun. *designat codicem ms. Joannis Launoii.*
For., *codicem ms. Raimundi Formentini.*
Maz. 1, 2, *primum et secundum codices mss. card. Mazarini.*
Sang., *codicem mss. S. Germani a Pratis.*
Bec., *codicem ms. monasterii Beccensis.*
Major., *codicem ms. Majoris Monasterii.*
Vict. 1, 2, 3, *primum, secundum et tertium codices mss. S. Victoris Parisiensis.*
Boer., *codicem ms. D. Boyer.*
Hard., *codicem ms. D. Hardy.*
Haut., *codicem ms. D. Hautin.*
Dom., *codicem ms. Dominicanorum Paris.*

(a) Vide Appendicem.

A Ful., *codicem ms. Fuliensium Paris.*
Vall., *codicem ms. D. Vallin.*
Sorb., 1. 2, *codd. mss. Sorbonæ, primum et secundum.*
Marc., *membranas D. de Marca.*
Vales., *codicem ms. Henrici Valesii.*
Cam., *codicem ms, Nicolai Camusatii.*
Merl., *codicem editum opera Jacobi Merlini.*
Mog., *codicem epistolarum editum Moguntiæ.*

Te quoque monitum etiam velim, optime Lector, notas nostras multis insignibus chartis fuisse locupletas (a), quarum maximam partem vel ex penu suo deprömptam, vel ex amicis suis indefesso studio ac labore conquisitam benigne nobis subministravit clarissimus vir D. de Vion d'Herouval, de litteratis omnibus optime meritus, et quem pro sua humanitate ac effusa in eruditos omnes liberalitate, quandiu florebunt, litteræ loquentur. Nonnulas etiam alii viri illustrissimi et humanissimi liberali- B ter nobis præbuerunt, quorum nomina ad frontem chartarum honoris gratia præfigemus.

EXCERPTA

EX

PRÆFATIONIBUS EDITIONIS OXONIENSIS

CURANTE

D. J.-A. GILES LL. D.

Ecclesiæ Anglicanæ presbytero et collegii Corporis Christi Oxoniensis olim socio

(Oxonii et Londini 1846.)

—

Scripta Petri Blesensis edimus ordine sequenti :

I. — EPISTOLÆ.

1° Epistolæ centum octoginta tres quas publici juris fecerat Petrus de Gussanvilla ;
2° Epistolæ ab eodem, quasi nullius essent auctoritatis, rejectæ ;
3° Epistolæ quædam ineditæ.

Prodierunt primum Epistolæ Petri Blesensis, absque temporis vel loci nota, in-fol. : cujus editionis principis, nunc perraræ, præter illud quod in bibliotheca Bodleiana Oxoniensi asservatur, an aliud exemplar exstet, nobis incompertum.

Præcipuum mihi subsidium in edendis Petri Blesensis epistolis fuerunt libri tres mss. quorum unus in Novo Collegio, Oxoniensi, alii in bibliotheca Collegii Sidnæo-Sussexiani Cantabrigiensis servantur. Hi duo in Catalogo Mstorum Angliæ et Hiberniæ signantur Δ, 5, 7, et Δ, 5, 13. Horum priorem totum perlegi ; nec tamen adeo antiquus est, nam ex quo exscriptus fuit et codice Dunelmensi, qui jam, quod vereor, deperiit, vix ducenti anni præterierunt. Alter, qui siglum habet Δ, 5, 13, sæculi decimi quarti vel quinti ineuntis est, et eo magis æstimandus est quia epistolas illas fere omnes continet, quas Goussainville rejecit. Isti codices, in hoc Catalogo 33 et 34 numerati sunt.

1. Editio princeps sine anno et loco.
2. Edit. Merlini, 1519.
3. Edit. Bus. 4°. Mog. 1600.
4. Edit. Goussainvile, Paris, fol. 1667.
5. MS. Bibl. publ. Cantab. I i, 6, 27.
6. MS. aulæ Graianæ Lond.
7. MS. Lambeth.
8. MS. Bibl. reg. Paris, 2604.

9. MS. Mus. Brit. Reg. 15 B iv.
10. MS. Mus. Brit. Reg. 14 C iv.
11. MS. Mus. Brit. Reg. 8 F XVII.
12. MS. Mus. Brit. Harl. 3709.
13. MS. Mus. Brit. Harl. 3672.
14. MS. Mus. Brit. Harl. 3684.
15. MS. Mus. Brit. Cott. Vesp. E XI.
16. MS. Mus. Brit. Burn. 303.
17. MS. Mus. Brit. Arun 227.
18. MS. Coll. Oriel. Oxon.
19. MS. Coll. Exon. Oxon.
20 et 21. MS. Coll. Novi Oxon. 127, et Mus. Brit. Reg. 10 A XVIII, nam ordo illorum codicum idem est, nisi quod codex Regius post epist. 139 imperfectus est.
22. MS. Bibl. Bodl. 426 [2327 in Catal. Om. MSS. Ang.].
23. MS. Bibl. Bodl. 759 [2671].
24. MS. Bibl. Bodl. 570 [2017].
25. MS. Bibl. Bodl. 303 [2089].
26. MS. Bibl. Bodl. Laud. 650 [643].
27. MS. Bibl. Municip. Atrebatensis.
28. MS. C. C. C. Cantab. 425.
29. MS. C. C. C. Cantab. 366.
30. MS. Coll. S. Trin. Cantab. B. I. 18.
31. MS. Bibl. publ. Cantab. Ff. 5, 46.
32. MS. C. C. C. Cantab. 266.
33. MS. Coll. Sidneo-Suss. Cantab. △, 5, 7.
34. MS. Coll. Sidneo-Suss. Cantab. △, 5, 13.

Præter hos codices alii numero fere triginta in Bibliotheca Regia Parisiensi servantur, quorum majorem partem inspexi. At in his puto, insunt tria aut quatuor epistolarum fragmenta, quæ in hac editione frustra requiras. Quod si postea pro certo comperero, ea in Appendice una cum epistola Bedæ inedita, necnon cum aliis paucis quæ in manus meas sero devenerunt, in lucem dare non omittam.

Epistolæ 1-183 eædem sunt quæ in editione Goussainville insunt : cæteræ aliunde sunt additæ, videlicet 183 usque ad 208, in antiquis editionibus repertæ, in edit. Gouss. omissæ : nunc inter epistolas genuinas testimonio codicis Sidn.-Suss. locum vindicant. Omnes quæ postea sequuntur, 209 usque ad 243 [excepta 219 quæ a Bouquet edita est vol. XVII, p. 473], ex codd. Mstis nunc primum sunt editæ. Inter has novas epistolas, multæ sunt adeo mala scriptura deformatæ et etiam corruptæ ut vix legi possint. Quarum unam No. 239, quæ in codice Collegii Novi Oxoniensis inest, mihi prorsus obscuram, aliis emaculandam invitus relinquo.

II. — Opuscula.

Opuscula duo, huc usque anecdota, nunc primum in hac editione typis mandantur ; et certe luce dignissima. Primum, cui titulus : *Passio Reginaldi, principis olim Antiocheni*, suppeditavit codex ms. in Collegio Novo Oxoniensi asservatus collatusque cum duobus aliis mss. Musei Britannici. Codex Collegii Novi, imperiti scriptoris vitio, vix legi potest ; cæteri mutili sunt ; et non nisi magno et improbo labore transcriptum opusculum typis mandamus. — Aliud hoc titulo distinguitur : *Dialogus inter Henricum II et abbatem Bonævallensem*. Hoc opusculum unus tantum Lambethanus codex habet; multa continet notatu digna de præstantissimo rege qui Anglo-Saxonum Normannorumque gentem in unam coegit. — Fragmentum libri *De præstigiis fortunæ*, in editione Gussanvillæ vulgatum, quod verbotenus legitur cap. 12 libri I *Polycratici* Joannis Saresberiensis (*a*), recudere operæ pretium non duximus.

III. — Sermones.

Codices duo mss., in Britannico Museo asservati, partem sermonum Petri Blesensis continent. Horum ope homiliarum trium huc illuc disjecta fragmenta in unum collegimus et textum editionis Gussanvillæ non semel emendavimus. Præter supra memoratos codices, alios in quibus contineantur sermones Petri Blesensis, neque in Anglia, neque in transmarinis quas invisi bibliothecis invenire potui.

IV. — Poemata.

Homilias excipiunt poemata, inter quæ sequentia nunc primum vulgantur :

1. *Carmen de pœnitentia*. Invenitur in codice Lambethano n. 36, fol. 95, et in Bruxellensi n. 1968.

2. *Versus de commendatione vini*.

3. *Responsio ad quemdam contra cerevisiam*. — Ambo suppeditavit codex Cantabrigiensis (Mori 131, Cant. G. g. 6, 42, art. 3).

4. *Carmen acephalum*. Ex Bodleiano ms. excipitur (Laud. 650), in quo absque titulo invenitur ad calcem epistolæ 111.

Metrica opuscula *De lucta carnis et spiritus* et *De vita clericorum reprobata*, consonantibus syllabis desinentia, in editione Parisiensi ut carmen unum et idem sine distinctione leguntur ad calcem epistolæ 57. Consentientibus autem mss. Fidneiensi Sussex (△ 5, 18) et Bruxellensi (9608), in quibus pars secunda seu carmen alterum vario titulo distinguitur, ex uno duplex fecimus. In his carminibus sensus non semel difficillime elicitur, ut plerumque fit in ejusmodi scriptis, propter consonantiæ leges arctas,

(*a*) Vide *Patrologiæ* t. CLXXIX.

quibus auctor impeditus, dum in improbo consonantiarum delectus et apparatus labore versatur, verba sæpe sæpius a genuino distrahit.

Tractatum *De sancta Eucharistia* primus publici juris fecit Busæus « ex vetustissimo codice bibliothecæ Tabernensis serenissimi et illustrissimi principis Caroli cardinalis Lotharigiæ, ac Metensis Argentinensisque episcopi descriptum, » in quo Anselmo Cantuariensi archiepiscopo ascribitur. Ex versibus *Invocationis ad Patrem*.

. . . . *Petrum*
Præsigna, forma, etc.

et quibusdam non semel repetitis quæ Petri Blesensis dicendi modum sapiunt, hoc illi carmen ascribendum censuit Busæus, non Anselmo. Deest in manuscriptis quos vidimus.

—

Librum quod sub titulo : *Remediarium peccatorum*, Petrus ex opere Gregorii compilavit, cum nihil habeat quod novi sit, in hanc editionem non admitto. Exstat apud Atrebatas in Gallia, sed mutilatione nefanda imperfectus ; exstat etiam Cantabrigiæ, necnon Oxoniæ in bibliotheca Mertonensi. Opusculum *De arte dictandi*, ex Bernardo compilatum, asservatur ms. in bibliotheca Cantabrigiensi.

In quibusdam catalogis manuscriptorum Petro Blesensi ascribitur liber cui titulus : *Basiligerunticon*, non alius est quam *Compendium super Job*.

In bibliotheca Grai's Inn Londoniensi exstat ms. opusculum *Breviloquii* titulo distinctum, quod Petro Blesensi catalogi descriptores ascribunt ; sed qua auctoritate freti, declarare omiserunt. Libellus iste, theologicæ, ut videtur, farraginis male digestæ fragmentum, ad archidiaconum Bathoniensem certe non spectat.

Continuationem Ingulfi Petro Blesensi falso ascriptam fuisse hodie apud eruditos constat.

PETRI BLESENSIS

EPISTOLÆ.

(*Petri Blesensis, Bathoniensis archidiaconi, Opera omnia* nunc primum in Anglia ope codicum manuscriptorum editionumque optimarum edidit I. A. GILES, LLD., Ecclesiæ Anglicanæ presbyter et coll. Corporis Christi Oxon. olim socius. — Tol. I-II Epistolæ. Oxonii et Londini 1847, in 8°.)

EPISTOLA PRIMA.

PROLOGUS, AD HENRICUM II.

[Script. ante A. D. 1200.]

ARGUMENTUM. — *Hæc epistola vicem præfationis obtinet, ut auctor in calce epistolæ adnotavit ; in ea enim regi Anglorum Henrico II exponit, cur hoc epistolarum opus, quantumvis stylo parum excultum et elaboratum, in lucem venire permiserit.*

HENRICO (1), Dei gratia illustrissimo Anglorum regi, duci Normanniæ et Aquitaniæ, et comiti Andegavensi, suus PETRUS Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem in eo per quem reges regnant.

Rogatus a vobis epistolas, quas passim et variis direxi personis, colligere, et quasi diversas species in unum fasciculum comportare, rapior ad incertos affectus. Nam inter occupationes varias, et tempestuosos curiæ fluctus, et mihi durum est aliquid scribere, et longe durius vestræ majestatis imperio contraire ; preces siquidem vestras imperium vocoquia, sicut satis urbane scribit quidam magister meus (2).

Est orare ducum, species violenta jubendi,
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Illud pro certo noveritis, quod si olim præscivissem epistolas meas tantæ dignitatis audientiam habituras, quidquid in eis erat quod aures delicatas offendere posset, lima diligentior et exquisitior vigilantia correxisset. Nunc autem in ea ruditate nativa, qua conditæ sunt, vestris, meticulose tamen, oculis se præsentant, censuram potius exspectantes, quam gratiam expetentes ; et in hoc summam præmii sui constituunt, si non rejiciantur, si non exspuantur ; sed tandem, quod eis maximum est

A indulgentiam mereantur. Scitis equidem quod non semper ingenii vena respondet ad voluntatem : et quandoque dicta laudabiliora casualiter scribenti se offerunt, quæ per studii vehementiam, et indaginem laboriosæ meditationis inveneri non possunt. Illud etiam vestra, sicut reor, eminentia diligenter attendit, quod fere omnes epistolæ meæ de alieno pendebant arbitrio, et nunc propter ingruentium necessitatum urgentiam incultius, nunc propter materiæ tenuitatem recisius, nunc propter insufficientiam personarum, quibus scribebantur, aut quæ scribebant, inurbanius aut diffusius aut simplicius me scribere opportebat. Imperfectum itaque meum videant et indulgeant oculi vestri, et in libro memoriæ conscribantur, si qua inveneritis ædificantia
B ad salutem. Nam et quandoque revelat Dominus parvulis quæ a sapientibus absconduntur[1]. Leprosi nuntiaverunt salutem Samariæ, et subjugalis Balaam dominum suum a via illicita revocavit[2]. Quod si causa publicæ ereditionis aliqua de libris Gentilium (3) fuerint interserta, vobis in fastidium non vertantur. Nam et David de diademate Melchom idoli Ammonitarum sibi diadema composuit[3], et[4]. Paulus apostolus ad improperium Cretensium quandoque versus poeticos eleganter aptavit. Nec illud magnificentiæ vestræ, quæso, sit oneri, si usque ad personam vestram in aliqua epistolarum mearum stylus devotæ correptionis evaserit. Nam totum illud dictavit affectio : *Æmulor enim vos Dei æmulatione*[5] ; zelans et sitiens salutem vestram in Christi
C visceribus, et in charitate non ficta. Nihil equidem vobis adulatorium scripsisse me recolo, nec sum olei venditor. Et scio quod, cum sal correctionis in

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(1) Quis et qualis iste Henricus ad epistolam 66 fuse declarabimus.

(2) Arbitrantur nonnulli hunc esse Joannem Sarisberiensem, quia eum magistrum suum passim appellat : ubi tamen reperiantur versus isti (quos hic citat Petrus Blesensis) non sane constat, nisi dicamus eum plurima opuscula edidisse, quæ in manus nostras non pervenerunt, sed in quibusdam et maxime in Angliæ bibliothecis adhuc delitescunt.

(3) Quod multa de libris gentilium utiliter ab ecclesiasticis viris usurpari possint, fusius probat epist. 8, ad quam et ad ea quæ ibi notavimus lectorem remittimus.

[1] Luc. 10. [2] IV Reg. 7. [3] II Par. 20. [4] Hier. ep. 84 *ad Magnum*. [5] II Cor. 11.

omni sacrificio acceptur a Domino, mel in omni sacrificio reprobatur. Teste etiam Salomone : *Qui dicit injusto, Justus es, maledicent ei populi ; et super eos qui arguunt, veniet benedictio* [6]. Primam claudo epistolam ; nam, cum sit quasi præfatio aliarum, vitio ascribetur, si abeat in immensum. Valete.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM HENRICUM REGEM.

[A. D. 1182.]

ARGUMENTUM. — *Solatur regem Henricum patrem, æquo gravius in filii Henrici III obitu mærentem : probatque morem quidem lugendi vita defunctos pium esse, si moderatus sit ; at nullum causam esse tam acerbe deplorandi mortem filii, cum tantas ipse a se de anteactæ vitæ lapsibus pœnas exegerit, ut minime dubium sit eum hanc vitam cum æterna commutasse.*

HENRICO, Dei gratia illustri Anglorum regi, duci A Normanniæ et Aquitaniæ, comiti Andegavensi, suus PETRUS Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem et spiritum fortitudinis in adversis.

Audivi, et conturbatus est venter meus : a voce contremuerunt labia mea [7]. Nam ex familiarium vestrorum relatione cognovi, quod illa vestra magnanimitas celebri hactenus opinione conspicua, in morte filii vestri (1) mortificata est, et quadam mollitie muliebri degenerans, gemitibus indulget ac lacrymis, atque reverentia majestatis abjecta, supervacuis doloribus pueriliter intabescit. Doloris affectum in vobis non arguo, sed dolendi excessum. Scio quod pium est flere mortuum, et hujusmodi mœstuosos affectus lex naturæ indicit. Nam et Job, audita filiorum suorum morte, vestimentorum scissione et aspersione pulveris vim doloris expressit [8]. Abraham, mortua Sara, venit ut fleret eam et plangeret [9]. Jacob existimans filium suum Joseph

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(1) Fuit hic Henricus primogenitus filiorum Henrici regis Anglorum et Alienoræ uxoris ejus, licet ante hunc fuerit alius nomine Guillelmus, qui pene puer obiit, et patre nondum rege, sed tantum duce Northmanniæ, et comite Andegaviæ. Porro Henricus iste, volente patre, in regem inunctus est anno ætatis XV, ducta jam in uxorem Margareta filia Ludovici Junioris, Francorum regis. Sane infausta fuit hæc consecratio, et multorum causa malorum. Siquidem in primis vera fuit occasio necis S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi. Postquam enim, procurantibus Alexandro III summo pontifice et Ludovico Juniore, pax inita esset inter Henricum regem Anglorum et Thomam archiepiscopum, idem Thomas regressus in Angliam archiepiscopum Eboracensem cum cæteris episcopis, qui juniorem Henricum sacraverant, et omnes magnates aliosque qui consecrationi interfuerant, publice excommunicavit. Unde rex pater accensus ira, verba paulo duriora in S. Thomam protulit, ex quibus nequissimi parricidæ occidenti præsulem sanctum occasionem temere arripuerunt. Deinde, quia junior ille Henricus, rex fuit sine regno, aut saltem sine regia potestate. Recte Gervasius in *Chronico* : « Mortuus est anno XIII regni sui, cujus nec dimidia hora rexit habenas. » Et licet, dum viveret, appellatus sit Henricus III, quia tamen Henrico II patri non supervixit, non est computatus inter reges Angliæ. Unde et postea regis Joannis filius Henricus III appellatus est. Tertio quia coronatio illa materia fuit magnæ inter reges patrem et filium dissensionis, cum enim novus rex se regem esse sine regno et regia auctoritate doleret, pravorum etiam consiliis impulsus, bellum semel et iterum in patrem movit. Primo quidem ab Alienora matre et a fratribus sollicitatus, nec non et copiis Ludovici Junioris soceri sui adjutus. Postmodum vero proprio motu et indignatione, ex eo quod pater Richardum Aquitaniæ, Gaufredum Britanniæ ducem constituerat, sibi vero solam post ipsum regnandi spem reliquerat, juncto sibi fratre suo Gaufrido, et quibusdam proceribus Aquitanicis patrem motibus bellicis lacessivit. Qui quidem, cum rebelles filios blandis ad se revocare mandatis non posset, improbis eorum ausibus obvaturus, fines Aquitanicos cum exercitu ingressus est ; cumque in obsidione Lemovicarum urbis detineretur, rex junior subita febre correptus est. Et, jam ingravescente morbo, cum desperaretur a medicis, ad patrem misit, excessum suum humiliter confitens, extremamque gratiam a paterna benignitate deposcens, ut ipsum in extremis languentem visitare dignaretur. Quibus auditis, paterna viscera super filium commota sunt ; sed allegantibus amicis non esse tutum nequissimis conspiratoribus, qui circa filium erant, se credere, ad filium non perrexit, sed pro signo clementiæ et indultæ veniæ notum annulum mittens, ei omnia condonavit. Qui acceptum annulum deosculans, extremum illico clausit diem. Hæc fere ad verbum ex Bromptono, ex Guillelmo Neubrigensi et aliis.

Causam tamen aliam extremi hujus belli referunt Radulfus de Diceto, Matthæus Parisiensis et Thomas Walsinghamus, Aiunt enim Henricum Juniorem non contra patrem, sed potius jussu aut hortatu patris bellum illud fratribus indixisse, quod nollent ipsi Henrico fratri Richardus de Aquitania et Gaufridus de Britannia obsequium, vel, ut vocant, homagium præstare. Paulo post tamen Gaufridum, intellecta patris voluntate, paruisse, Richardum vero renuisse : quod indignum ipsi videretur, ut fratres fratri patre vivo sese subjicerent. Eam contumaciam displicuisse patri, ac proinde impulsum ab eo Henricum ut arma contra Richardum fratrem sumeret.

Verumtamen id verisimile non videtur, cum et filius in extremis agens ad patrem perfidiæ veniam deprecatum miserit, et pater, conjuratorum insidias timens, ad filium ire noluerit. Adde quod Guillelmus Brito, scriptor coætaneus, rem paucis ita complecitur : *Philipp.*, lib. II.

Rex vero Juvenis Henricus, clara propago
Anglorum regis, dum patri bella moveret,
Germanisque suis, sub eodem tempore solvit
Debita naturæ.

Quidquid sit, vere pœnitens obiit apud Castrum Martellum non longe a Lemovicis, et eo linteo quo in consecratione chrismate unctus fuerat involutus, Rothomagum delatus, ut ipsemet statuerat, in ecclesia cathedrali juxta altare S. Mariæ sepultus est. Rem autem sic enarrat Gervasius in *Chronico :* « Audiens rex pater filium suum vitam finiisse,

[6] Prov. 24. [7] Hab. 3. [8] Job. 1. [9] Gen. 33.

devotatum a bestia, multos dies continuavit in A planctu [10]. Joseph etiam eum fratribus suis, et cunctis senioribus domus Pharaonis, patrem suum deflens mortuum, venit ad aream Adab trans Jordanem, ubi septem dies super morte Jacob in fletu et gemitu compleverunt [11]. Sed et Josia rege mortuo, scriptum est [12], quod universus Juda et Jerusalem luxerunt eum, et præ omnibus rex Adadremmon : ita quod in proverbium versum est, et populariter dicebatur : *Planctus ejus, sicut planctus Adadremmon* [13]. In Ecclesiastico etiam legimus [14], quod *luctus mortui septem* diebus legitime celebratur, et ibidem hæc verba leguntur : *Fili, in mortuum produc lacrymas* [15]. Christus lacrymas produxit in Lazarum [16]. Ideoque non miror, si tam deplorando funeri pietatis lacrymas exhibetis. Nec B enim de numero illorum estis, de quibus Dominus dixit per prophetam : *Percussit eos, et non doluerunt* [17]. Et ut verbis Job [18] utar : *Nec fortitudo vestra fortitudo lapidis est, nec caro vestra ænea est.*

Sed sit, quæso, hic dolendi modus, ne vos dolor rapiat ultra modum. Temperantior debet esse apud vos erga defunctum filium dolendi occasio, quia christianissime abiit, ne dicam, obiit ; et dolendo pœnitens dolores æternos evasit. Nobis enim flentibus jam securissime dicit : *Nolite super me flere, sed super vosmetipsos flete* [19]. Planxit David filium patricidam : *Absalon, fili mi Absalon* [20]! Planxit super Saul et Jonathan finem eorum deplorans, quos dominium mortis involverat sine fine [21]. Verumtamen si circa filium vestrum pium est flere, pium est et gaudere. Si enim Petrus apostolus [22], si Magdalena suos defleverunt excessus [23] ; iste, licet adolescens, et inter malitiæ incentores, et, ut ita loquar, tanquam *lilium inter spinas* [24], in omnem se se dejecit pœnitentiæ humilitatem (4*), mundi gaudia convertens in planctum et delicias in dolorem. Conversus est planctus ejus in gaudium [25] ; convertatur et vester. Cedat vobis ad plenitudinem gaudiorum, talem filium de lumbis vestris processisse, in quem naturæ dotes universæ confluxerant (5) ; quem timebant remotissimæ nationes ; quem vereri et diligere etiam inimicus et invidus tenebatur.

Qui, cum præ universis mortalibus obtinuisset

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

proditionem suspicatus, præcepit corpus Rothomagum deferri, nec ipse volebat adesse. Cum igitur in luctu et lacrymis omnium versus Rothomagum efferretur, et obiter in ecclesia Cenomanensi de nocte pausandi gratia poneretur, violentia episcopi Cenomanensis et civium ibidem in ecclesia sepultum est. Disperso autem exercitu, de morte filii rex certior effectus, una cum Richardo, Cantuariensi C archiepiscopo, Cenomanensem venit ad ecclesiam, filiique sui, regis videlicet junioris, corpore sublato, Rothomagum pervenit, ibidemque sepeliri præcepit. »

(4*) Mira sunt et incredibilia quæ de Junioris Henrici pœnitentia narrant historici. Aiunt enim eum, cum nulla amplius vitæ spes superesset, coram prælatis primum, tum publice de peccatis confessum et absolutum fuisse ; postea cilicio indutum, et fune collo alligato coram episcopis et religiosis, qui aderant, in hæc verba prorupisse : « Trado me peccatorem indignum, et culpabilem, et obnoxium per funem istum vobis, ministri Dei, postulans, ut Dominus noster Jesus Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit, per preces vestras et per suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ. » Et responderunt omnes : « Amen ». Et ipse ait illis : « Trahite me a lecto isto per funem hunc, et imponite illi lecto » D (cinereo scilicet, quem sibi præparaverat). Quod illi, ut præcepit, fecerunt : et apposuerunt capiti et pedibus ejus ingentes duos lapides quadratos. Postmodum sacrosancto corporis et sanguinis Domini viatico munitus, in timore Domini emisit spiritum. Hæc ad verbum fere ex Rogero de Hoveden, et Roberto de Monte, ejusden sæculi scriptoribus. Quæ quidem concordant cum iis quæ scribit Blesensis in fine hujus epistolæ : « Nemo, inquit, fuit in confessione humilior, in sui accusatione contritior, in emendatione devotior, in propriæ carnis afflictione crudelior, in omni satisfactione ferventior. » Et paulo post : « Judicavit enim seipsum, ne in posterum judicaretur. »

(5) Egregiam hujus principis indolem et præclaras virtutes describunt istius temporis historici. Præcipue vero Gervasius Dorobernensis et Robertus de Monte, quorum prior de eo sic loquitur : « Amabilis erat omnibus, et pulcher aspectu, et præcipue gloriæ militaris insignis ; adeo ut nulli videretur esse secundus ; humilis, docilis erat et affabilis : unde eum et prope positi, et longe remoti affectuose diligebant. » Posterior vero, in *Append. ad sigil.*, ad ann. 1182 : « Anno 1182 obiit Henricus III charissimus dominus noster juvenis rex, filius Henrici II, excellentissimi et illustrissimi regis Anglorum, apud Castrum Martel ; vir per omnia plangendus, quia erat pulcherrimus facie, honestus in moribus, dapsilis in muneribus super omnes, quos in nostra ætate vidimus, qui terram nendum haberet assignatam, quamvis pater ejus quindecim millia librarum Andegavensis monetæ, et eo amplius, quotannis daret. Sed hoc parum erat ad explendam latitudinem cordis ejus. In officio militari tantus erat, ut non haberet parem ; sed principes et comites et etiam reges eum timerent. Veniens ad extrema, quia consilio pravorum hominum per bellum. fere per annum, Deum et sanctam ejus Ecclesiam ac patrem ejus offenderat, pænitentiam recipit a quodam sanctissimo episcopo, et multis aliis et patri suo in extremis per litteras mandavit ut quod offenderat in Deum et sanctam Ecclesiam pro eo emendaret. Disposuerat ante mortem suam, ut corpus ejus in ecclesia B. Mariæ Rothomagensis sepiliretur, ubi jacent primi antecessores suie Rollo et Willelmus Longa Spata. » etc. Tum narrat quæ in funere gesta sunt eodem fere modo, quo supra Gervasius.

Anonymus etiam quidam ejusdem ætatis poeta elogium Henrici Junioris sic metrice cecinit apud Bromptonem :

Omnis honoris honos, decor et decus urbis et orbis,
Militiæ splendor, gloria, lumen, apex.

—

[10] Gen. 37. [11] Gen. 50. [12] II Par. 31. [13] Zach. 12. [14] Cap. 22. [15] Eccli. 38. [16] Joan. 11. [17] Jer. 5. [18] Cap. 6. [19] Luc. 23. [20] II Reg. 19. [21] II Reg. 1. [22] Matth. 26. [23] Luc. 7. [24] Cant. 2. [25] Psal. 29

gloriam et supereminentiam militiæ sæcularis, tandem in abjectione temporalium et humilitate pœnitentiæ factus et defunctus est Christi miles. Exemplum dedit vobis, ut et vos sequamini vestigia pœnitentis [26]. Nemo enim fuit in confessione humilior, in sui accusatione contritior, in emendatione devotior, in propriæ carnis afflictione crudelior, in omni satisfactione ferventior. Consilio siquidem et suggestione proditoriæ factionis (6) minus consulte contra vos erexerat et direxerat arcum suum, sed Dominus adversus eum *tetendit arcum suum : et in eo paravit vasa morti* [27], volens vobis et aliis dare in eo *significationem, ut* fugiatis *a facie arcus, et liberentur dilecti* ejus [28]. Cum igitur de salute ejus spem certissimam habeamus: *Beati* enim *qui in Domino moriuntur* [29], ut voce Apostoli utar : *Nolite contristari de dormiente, sicut et illi qui spem non habent* [30]. Omne judicium jam evasit; judicavit enim se ipsum, ne inposterum judicetur. Utinam, amantissime princeps, dum hoc sæculum manet, imo potius, dum hoc sæculum manat, judicemus nosmetipsos ; fallax enim est hic mundus, vita brevis, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, pœna infinibilis. Planctus itaque, quos impenditis mortuo, in arma pænitentiæ convertatis ; ut sicut turbato fatalitatis ordine filius vos præcessit ad mortem, sic ordinato hujus mortalitatis excursu cæteros præcedatis ad vitam.

EPISTOLA III.

AD G. VIRUM NOBILEM.

ARGUMENTUM. — *Graviter increpat virum genere nobilem, qui sacellano suo vilitatem familiæ exprobrarat: ostenditque pluris paupertatem quam natalium splendorem virtute destitutum faciendum : humilitatem sectandam, superbiam vero fugiendum.*

Charissimo domino et amico suo G. PETRUS Blesensis Bathon. archid., salutem, et se ipsum cognoscere.

Fletu singultuoso et anxio tuus mihi retulit capellanus graves et enormes probrorum injurias, quibus eum citra meritorum suorum exigentiam, sicut asserit, nimis inciviliter affecisti. Scio quod superbus est Moab [31], et quod hæc ipsa correptio mea, quæ ex amicitiæ sinceritate procedit, te mihi faciet inimicum. Memini me legisse : Corripe sapientem, et diliget te ; corripe fatuum, et pestilentior erit [32]. Ideo et præsenti epistolæ titulum non præscribo ; volens experiri quid in te valeat secreta et privata correctio ; ferrum abscissionis appositurus, si fomenta non senseris. Quid gloriæ tibi, quæso, accrevit in eo, quod ipsi honesto et commendabili viro sui vilitatem generis exprobrasti ? Quid jactitas genus tuum ? *Quem te ipsum facis* [33] *? Vaga et incerta et hominum generatio, et quandoque putatur filius principis, qui filius est culinarii histrionis, testimonio poetæ :

> *Cum tua multiplices exornent undique ceræ*
> *Atria, nobilitas sola est atque unica virtus* (7).

Mendaces sunt filii hominum in stateris, ut decipiant in vanitate in id ipsum. Magnos se reputant, qui aut parvi, aut omnino nulli sunt. Quare te apud te majorem reputas, quam hominum reputet communis opinio ? Pondera te ipsum secretius ; nec te majorem vendas, quam te libra veritatis appendit. Verbum Domini est : *Pondus et pondus abominatio et mihi* [34]. Est in cœlo, qui corda scrutatur et renes [35]. Vide quod nihil doli admisceas, sed temetipsum apud Deum et homines rationabiliter æquilibres. *Dolose*, inquit, *egit, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium* [36]. Quid profuit tibi, miser, fictitiæ nobilitatis magnificare jactantiam, et pauperi amico notam quasi criminosæ paupertatis objicere ? Certe apud pauperem Christum pretiosus est titulus paupertatis. Christus pauper, et pauperis Virginis filius, pauperes elegit in apostolos [36]. Nec domum reguli introire dignatus est, ne honorare divitias videretur [37]. Nabuzardan, solis pauperibus in terra promissionis remanentibus, omnes divites captivavit [38]. In superbia siquidem et in abusione progenitorum tuorum virtutem tibi ascribis ad gloriam, sed eorum famam turpi opinione contaminas, et a tui generis dignitate vel bonitate degenerans, turpi conversatione cele-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

> *Julius ingenio, virtutibus Hector, Achilles*
> *Viribus, Augustus moribus, ore Paris.*

Neque vero audiendus est Guillelmus Neubrigensis, lib. III *Rerum Anglic.*, cap. 7, ubi de eo ita sinistre loquitur : « Hunc finem habuit inquietus ille puer, ad multorum quidem natus exitium, sed tamen hominibus adeo favorabilis et gratiosus, quia scriptum est : « Stultorum infinitus et numerus (*Eccle.* I), » ut etiam de mortuo præclara dicerentur. Denique post mortem ejus quidam mentiendi libidine atque impudentissima vanitate famam late sparserunt, quod ad sepulcrum ejus curationes fierent infirmorum : scilicet ut vel causam contra patrem justam habuisse, vel finali pœnitentia Deo egregie placuisse crederetur. » Iniquo enim in illum animo hæc scripsisse Guillelmum apparet, ut Richardi tunc Anglorum regis gratiam iniret, quia nempe Henricus frater in illum arma moverat ; cum ab omnibus fere historicis, et maxime a Petro Blesensi, qui nusquam regum aut magnatum adulator fuit, ut multarum virtutum princeps laudetur.

(6) Impiam illam intelligit uxoris et filiorum in Henricum patrem, junctis copiis regis Francorum et magnatum Northmanniæ, conspirationem, cujus quidem infaustum fuisse exitum, omnes hujus temporis narrant historici.

Scriptam vero hanc epistolam arbitror anno 1182, quo scilicet Henricus rex Junior mortuus est.

(7) Hæc sunt germana verba Juvenalis, sat. 8, sed codex Marc. habet,

> *Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.*

[26] I. Petr. 2. [27] Psal. 7. [28] Psal. 59. [29] Apoc. 16. [30] I Tess. 4. [31] Isa. 14. [32] Prov. 9. [33] * Joan. 3. [34] Prov. 20. [35] Psal. 7. [35] Psal. 35. [36] Jac. 2. [37] Joan. 4. [38] IV Reg. 25.

brem tuorum memoriam dehonestas. Quid jam abo- A **litæ generositatis stipitem laudas? solet equidem ramus radicem, et fructus stipitem commendare. Et quæ utilitas in veteri trunco, si jam emarcuit; si ab eo fructus commendabilis non processit? audi, miser** (8), **audi, successor veteris Adæ, testa fragilis, lutum solubile, pellis morticina, vas putredinis,** fomes tineæ, cibus vermis. Quid tibi, et progenitoribus tuis? *Sicut non portabit filius innocens iniquitatem patris* [39], sic nec filium reprobum decet de patris actibus gloriari. Et quæ nobis argumenta prætendis, ut ejus te filium probes, cujus pomposam memoriam magnificas et extollis? Sane ideo Dominus Abraham ex Sara et Agar [40], ex duabus etiam uxoribus et duabus ancillis voluit Jacob prolem suscipere [41], ut universitatis humanæ successio de parentum conditione incerta et ignara utrum a libera vel ancilla descenderit, se de generositatis ambiguæ gloria non extollat. Titulos enim Saræ, aut Rachelis, quos sibi quandoque ascribit vaga et vulgaris opinio, proscribit et abolet nequitia in moribus, servitus in peccatis, ut se filios ancillarum conversatione testentur, qui de aliorum virtute, quam apud se non noverunt, inflantur. Præterea in domo Jacob spurii pariter cum legitimis funiculum hæreditatis sortiti sunt [42], et communiter inter se familiæ herciscundæ (9) judicium dictaverunt.

Quid inter parentelas hominum variando distinguis? Ab uno patre descendimus universi et singuli. Certe *speciosus forma præ filiis hominum* [43] Christus Jesus, de quo scriptum est, quia *vir nobilis est in portis* suis [44], cujus nobilitatem et generationem propheta non sufficit enarrare [45], et qui unicus nostræ generositatis est auctor [46], de justis et injustis, de magnis et humilibus carnem traxit. Nam et agnus Paschalis [47], juxta Septuaginta Interpretes (10), de ovibus et capris assumebatur; in quo manifestissime vides quod apud Christum omnis fortuna, omnisque conditio acceptatur. Utquid ergo te in aliorum virtute commendas, et adversus pauperem de tui generis extollentia gloriaris? *Qui gloriatur, in Domino glorietur* [48]*; non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* [49]: *disperdet Dominus omnia labia dolosa, et linguam magniloquam* [50]. Melius ageres, si humilius saperes. Dei Filius in beata Virgine, licet ipsa de sacerdotali et regali schemate duxisset originem, non nobilitatem sed humilitatem elegit. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* [51]. Scriptum est,
B quia *Deus humilibus dat gratiam* [52], *et cum* humilibus *sermocinatio ejus* [53]. *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus* [54], *nisi super humilem et mansuetum*? Quid tibi et pauperi capellano, superbe et fatue? Tu eminentiam generis tui tua pravitate deprimis et conculcas; ille in medio suorum sancta et honesta conversatione præradiat. Scio, quia ægre fers quod te instruo, quod

... veteres avias tibi de pulmone revello [55],

sed me salus tua sollicitat. Vereor enim, ne superbia in ruinam et præcipitium te devolvat. Nam scriptum est: *Ante ruinam* exaltabitur *cor* [56]. Ille, *qui in altis habitat, et humilia respicit* [57], superbiam super omnia detestatur. Hæc est enim illa sanguinaria meretrix, quæ de calice Babylonis aureo propinat hominibus spiritum vertiginis [58]. Hæc est illa
C Athalia, quæ fere omne genus regium exstirpavit [59]. Hæc est lepra cicatricis in ulcere [60]. Hæc est bestia saltus, quæ devorat exercitum Absalon [61]. Hæc est

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(8) Præclara vilitatis humanæ descriptio. Sic apud Innocentium III libris *De contemptu mundi* passim.

(9) *Herciseo* verbum antiquum significat divido hæreditatem. Deducitur a Græco ἑρκίον quod septum significat. Et sic herciscere est proprie de ea divisione, qua intersepiuntur domus et arva, ut cuique sit distinctum dominium. Ita Martinius in *Lexico*. Eodem modo Calvinus in *Lexico juris*: « Herctum, inquit, est divisio; » unde Cicero, lib. I *De oratore*: « Qui quibus verbis heretum fieri oporteat nescit, idem herciscundæ familiæ causam agere non possit. » Et libro x *Dig.*, titulus secundus est: *De familia herciscunda*. Judicium ergo herciscundæ familiæ, est judicium civile de hæreditate inter cohæredes dividenda, inquit Busæus ad ep. 8. Et sic vox « familiæ » licet sæpe in jure ad res et personas referatur, hoc tamen loco significat res ad substantiam patrimonii pertinentes.

(10) Hic locus Exod. apud LXX interpretes ita legitur: Πρόβατον τέλειον ἄρσεν, ἐνιαύσιον ἔσται ὑμῖν· ἀπὸ τῶν ἄρνων καὶ τῶν ἐρίφων λήψεσθε ὑμῖν. *Pecus*, id est agnus, *perfectum, masculum, anniculum erit vobis. Ab agnis et hædis accipietis*. In qui-
D busdam exemplaribus post ἄρσεν additur ἄμωμον, *immaculatum*, quod S. Cyprianus interpretatus est, *sine vitio*. Chaldæus vero paraphrastes vertit, *ex agnis et filiis caprarum accipietis*. Pagninus, « ex ovibus et capris tolletis. » Eodem modo S. Ambrosius: « Agnus sine macula, mundus, maturus, masculus, anniculus. » Præclare Theodoretus in hunc locum: Κελεύει οὐ μόνον ἐκ τῶν προβάτων ἄρνας ἐνιαυσίους, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν αἰγῶν ἐρίφοις, οὐχ ἵνα κατα ταὐτὸν τοῦτον κἀκεῖνον θύσωσιν, ἀλλ' ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων θύσῃ τοῦτο, ὁ δὲ σπανίζων προβάτου τον ἔριφον. Hoc est: *Mandat Deus accipiant non tantum ex ovibus agnos anniculos, sed etiam ex capris hædos; non ut simul utrumque immolent, sed ut is qui ovem habet, agnum immolet; qui ove caret, hædum*. Quædam in hunc locum addidit Busæus, ad quæ lectorem remittimus.

—

[39] Ezech. 18. [40] Gen. 16. [41] Gen. 29. [42] Gen. 49. [43] Psal. 44. [44] Prov. 31. [45] Isa. 53. [46] Matt. 1. [47] Exod. 12. [48] I Cor. 1. [49] II Cor. 10. [50] Psal. 11. [51] Luc. 1. [52] I Pet. 5. [53] Prov. 3. [54] Isa. 11. [55] Pers. sat. 5. [56] Prov. 16. [57] Psal 112. [58] Jer. 51. [59] IV Reg. 11. [60] Lev. 13. [61] II Reg. 18.

ærugo et tinea, quæ omnem mentis ornatum depravando consumit [62]. Hæc est turris in Siloe, quæ suos ædificatores interimit [63]. Hæc est elephas in libro Machabæorum qui Eleazarum sua mole occidit [64]. Hæc est sicaria illa (11) *in Psychomachia* Prudentii, quæ unam de virtutibus interfecit. Descendas igitur ad conscientiam tuam, et vide, si qua est ibi materia gloriandi. *Gloria enim nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* [65]. Ne credas adulatoribus, qui te lactant. Certe populus, qui te beatificat, in errorem te inducit [66]. *Ferant* autem *confestim confusionem suam, qui* tibi *dicunt : Euge, euge !* [67] *Inimici enim hominis domestici ejus* [68]. Isti sunt, de quibus ad Sedechiam loquitur Jeremias [69] : *Seduxerunt,* inquit, *te viri tui pacifici : — Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* [70]. Sic Joas, Abner, [71] et Amasam [72] gladio leniter fabrefacto, id est verbo proditoriæ adulationis, interimit. Excole igitur conscientiam tuam. Hic est enim ager, cui benedixit Dominus [73]; de quo scriptum est : *Pulchritudo agri mecum est* [74]. Planta igitur et semina ibi semen virtutum fructus vitæ, et odor sanctæ opinionis erumpat. Nam juxta præceptum divinæ legis : *Si* dederit *de semine* tuo idolo *Moloch*, id est regi superbiæ, morieris [75]. Nec tuum genus elegantius extollere potes, quam si abjecto fastu elationis humilibus te conformes. Vale.

EPISOLA IV

AD R. PRIOREM CISTERCIENSEM.

[Circ. A. D. 1195.]

ARGUMENTUM. — *Gratulatur monacho de progressu in religiosa vita, suamque sortem in sæculo degentis deplorat, ejusque precibus et sacrificiis se commendat. Deinde dubitationem quamdam dissolvit.*

Charissimo socio et præcordiali amico suo R. priori Cisterciensi, P. Blesensis, Bath. archid. salutem et continuos in Christo profectus.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi [76]. Nam ex fideli commeantium relatione cognovi, quia de die in diem, de virtute in virtutem proficiens [77], claustralis militiæ bravium meruisti. Ascendisti in montem sacrificii : ego autem adhuc in valle cœnosa moror, et exspecto cum asino [78]. Tu pennas contemplationis assumens hæc mundana transcendis : me glutinum terrenæ habitationis adeo inviscavit, quod volare non possum. *Heu mihi ! quia incolatus meus* a Deo *prolongatus est* [79]. *Et quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ?* [80] *In omnibus requiem quæsivi* [81], et in omnibus dolorem et laborem inveni. Non est requies, nisi, in hæreditate sanctorum, de qua scriptum est : *Hæc requies mea in sæculum sæculi* [82]. *Ego autem carnalis homo et venundatus sub peccato* [83], *infixus sum in limo profundi* [84], et in libertatem filiorum Dei respirare non possum. Adjuva me orationibus tuis, amice charissime, *dies* enim *mei transierunt* [85], et juxta verbum Job per viam qua ingredior, non revertar. Non longe sum ab illa communi meta, quæ præfixa est omni carni. *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me* [86], jam canos induimus, horæ finalis prænuntios. Teste autem Apostolo, omne *quod antiquatur et senescit, prope interitum est* [87]. Ora igitur, frater, ne me supremæ necessitatis articulus anticipet imparatum. Inter secretiores lacrymas tuas ibi mei offeras memoriam, ubi Patri Filius immolatur. Scio, quod *multum valet deprecatio justi assidua* [88]; et quod propria quandoque vota non obtinent, facit intercessio aliena. Litteras domini abbatis, et tuas devote suscepi et legi. Miror autem te in admirationem ducere et stuporem, quare in libro, quem *De præstigiis* fortunæ composui, hæc frequenter expositione usus sum : « Contigit, id est contingere potuit : quandoque eveniet, id est quandoque evenire continget. » Verumtamen in his, quæ de fortunæ insidiis pendent, et ad utrumlibet se habentia ambiguos sortiuntur eventus, secure hoc genus expositionis induxi : cum et in his, quæ certos et quasi necessarios habent exitus, hæc locutio frequenter soleat inveniri. Nam et in Levitico legitur [89] : *Si quis de victimis pacificorum comederit die tertio, oblatio ei non proderit.* Comederit, inquit, id est comedere voluerit. Et sic intelligi necesse est ; nam, cum per diem tertium vita futura signetur, in quo operari non licet, per hanc comestionem significari oportet non opus, sed operis voluntatem. Simile habes in Job [90] : *Quis restitit Deo, et pacem habuit ?* Restitit, id est resistere voluit. De magis enim Pharaonis recolis te legisse : *Fecerunt et magi sicut et Moyses, ut educerent ciniphes, et non potuerunt* [91]. Fecerunt, dicit, id est facere voluerunt. Si ergo in his, quæ de contingenti sunt, quandoque quasi positive te causa exempli, hoc genus locutionis admisi, non te moveat. Nam et in his, quæ quamdam necessitatem veritatis important, hic loquendi modus poterit frequenter inveniri. Adhuc precor, ut preceris pro me ; oneratus enim peccatis, mole corporis aggrava-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(11) Contrario sensu hæc sic esse legenda, « quam una de virtutibus interfecit, » recte adnotavit Busæus. Locus autem ille Prudentii habetur in *Psychomachia*, sect. 5, *De superbiæ et humilitatis pugna.*

[62] Jac. 5. [63] Luc. 13. [64] Mach. 5. [65] II Cor. 1. [66] Isa. 9. [67] Psal. 39. [68] Mich. 7. [69] Cap. 38. [70] Psal. 54. [71] II Reg. 3. [72] II Reg. 20. [73] Gen. 27. [74] Psal. 49. [75] Lev. 20. [76] Psal. 121. [77] Psal. 88. [78] Gen. 12. [79] Psal. 119. [80] Psal. 54. [81] Eccli. 24. [82] Psal. 131. [83] Rom. 7. [84] Psal. 68. [85] Job 17. [86] Job 16. [87] Hebr. 8. [88] Jac. 5. [89] Cap. 7. [90] Cap. 9. [91] Exod. 8.

tus, curis involutus, desideriis immundis infectus, infirmus, anxius, ærumnosus, non levabo me super me [92], nisi per eum, qui erigit elisos et *sanat contristos corde* [93]. Vale.

EPISTOLA V.

AD RICARDUM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM (12).

[Circ. A. D. 1176.]

ARGUMENTUM. — *Ricardum, qui proxime post S. Thomam martyrem, e monasterio ad archiepiscopatum Cantuariensem pervenerat, cumulandisque opibus, et sæcularibus potius rebus, quam spiritualibus curandis invigilabat, liberrime arguit, ac quæ tum populi, tum regis Henrici II de eo sint querimoniæ, exponit.*

Reverendo Patri et domino RICARDO, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliæ primati, et apostolicæ sedis legato, PETRUS Blesensis archidiac, salutem, et in melius expergisci.

Habebam in desideriis ad vos cum festinatione reverti, sed auctoritas regia non permittit. Millies postulavi licentiam recessurus, sed nec repulsam passus, nec licentiam sum adeptus. Quoties causor moram, quam facio, et allego vestræ revocationis instantiam, unica et quotidiana est ejus responsio : Cras recedes. In omnibus diebus anni cras istud invenire non potui ; dum quæritur, latet : et fortasse, quando non quæretur, occurret. In eo autem turbata est anima mea valde, et sicut aranea tabescere me fecistis, quia *exprobraverunt qui me tribulant inimici mei dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est dominus tuus* [94]*?* ubi latitat? ubi dormit? usquequo piger dormit? exsurgat qui dormit, et exsurgat a mortuis [95]. Et jam *hora* esset *a sommo surgere* [96], et vigilare super commissum sibi gregem, et attendere, qualem habuit decessorem. Nunquid Dei gratiam accepit in vacuum, ut gratiam sibi datam, et gloriam sui decessoris evacuet? jam evacuavit ex parte, nec videmus, quando restauret quod amisit ; quando redimat quod commisit. Vobis igitur imputant, quod ab allophylis arca Domini capitur [97], quod a laicis Ecclesia Dei conculcatur, quod gladium Petri rubigo consumit [98], quod Christi sacramenta vilescunt, quod terribile nomen Dei in vanum assumitur, quod sub prætextu prejurii legitima conjugia dissolvutur. Vobis imputant, quod Malchus in Christum, quod Phassur in Jeremiam [99], quod Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas [100]. Quoties autem gratiam innocentiæ et humilitatis extollo in vobis : Non sufficit, inquiunt, tantæ prælationis homini, non facere malum, nisi adjiciat facere bonum. Non solum enim arbor quæ fructus malos facit, sed arbor quæ fructus bonos non facit, excidetur et in ignem mittetur [1].

Reperit, inquiunt, archiepiscopus tuus Ecclesiam in optimo statu, ipse vero eam destituit, et dejecit. Cantuariensis Ecclesiæ dignitates, quas gloriosus martyr rubricaverat sanguine suo, et quasi testamentum æternum morte et cerebri effusione firmaverat, pusillanimitas ejus evacuavit, eamque reduxit in antiquæ servitutis opprobrium, quæ se in gratiam plenæ libertatis erexerat. Utquid, inquiunt, terram occupat? *quando morietur et peribit nomen ejus* [2]*?* cur saltem non expergiscitur? *Nunquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat* [3]*?* In his omnibus *verecundia mea tota die contra me est, et confusio cooperuit faciem meam a voce exprobrantis et obloquentis* [4]. Sunt itaque *lacrymæ meæ panes die ac nocte* [5], et ubi sub umbra vestri nominis magnificari et extolli speraveram, ibi *improperium exspectavit cor meum et miseriam* [6]. Estis enim fabula in ore hominum, studiumque omnium fere commune est linguas procaces laxare contra vos in detestandum susurrium. Quod si vestram velim prædicare industriam circa

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(12) Cum post mortem S. Thomæ sedes Cantuariensis vacasset annis duobus et mensibus quinquæ , electus fuerat Rogerius Beccensis abbas. Verum nec a provinciæ episcopis, nec a monachis Cantuariensibus, quorum eligendi archiepiscopum jus erat, nec a legatis apostolicis, qui tunc erant in Northmannia, nec ab ipsomet Henrico rege, qui electionem gaudens ratam habuerat, induci potuit ut electioni de se factæ consentiret. In ejus itaque locum substitutus est Richardus, de Northmannia oriundus, qui ab ineunte ætate in ecclesia Cantuar : monachicum gesserat habitum ; deinde Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi capellanus effectus una cum B. Thoma, eidem sedulo ministraverat. Tandem vero cum esset prior monasterii Doverensis ordinis S. Benedicti, ad archiepiscopatum Cantuariensem evectus est. Electione de more facta, cum ejus consecratio invidia et factione familiarium Junioris regis Henrici impediretur, ad Alexandrum III profectus, post varias adversariorum obtrectationes tandem ab eo consecratus est. Reversus itaque Richardus archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus more antecessorum suorum , honorifice in suam sedem Cantuariensem receptus est. Hæc sunt Gervasi verba, qui et de ejus moribus hæc addit : « Bonis moribus et affabilitate, qua præditus erat, adeo gratiosus effectus est, ut omnium præterquam invidorum oculis placeret. » Cui conveniunt quæ de eo scribit Godwinus : « insigni vir prudentia, egregie liberalis, benignus, comis et affabilis. »

Rexit Ecclesiam Cant, undecim fere, annis. Rem vero mirabilem ante ejus mortem, sed parum conveuientem « bonis moribus, » quos ipsi tribuit, narrat Gervasius his verbis : « Dum Richardus archiepiscopus Cantuariensis nocte sobrius in strato sua membra sopori dedisset, in visu noctis apparuit ei persona terribilis et majestativa, semel et secundo dicens ei : Tu quis es ? Cui cum archiepiscopus verbum non responderet timore compressus, persona illa subjungit : Tu es qui dissipasti bona Ecclesiæ tibi commissæ, et ego dissipabo te de terra. Quo dicto, persona disparuit, » etc. Archiepiscopus vero paulo post obiit, ut idem narrat. Eadem habet et Willelmus Thornus, et Knyghton canonicus Leicestrensis.

[92] Thren. 3. [93] Psal. 146. [94] Psal. 26, 14. [95] Ephes. 5. [96] Rom. 13. [97] I Reg. 4. [98] Joan 18. [99] Cap. 20. [100] Dan. 5. [1] Luc. 3. [2] Psal. 40. [3] Ibid. [4] Psal. 45. [5] Psal. 41. [6] Psal. 68.

ædificiorum meliorationem, circa prædiorum culturam, et circa hujusmodi exteriorem administrationem, quæ incessanter exigit humana necessitas, ipsi universa depravant. Quæ gloria est, inquiunt, quod vivaria construit, quod claudit feras indagine, si clerici imprecantur, si in omnem dissolutionem religiosorum claustrorum ostia relaxantur?

Quæ utilitas est quod fimo et creta (13) ager sationarius impinguatur, si in Dominicæ messis cultura nec spina evellitur, nec exstirpatur tribulus, nec verbum Domini seminatur[7]? Nunquid Deo cura est de bobus et asinis, ut circa boves et asinos ita sollicitus occupetur? cur injunctæ sibi legationis officium non exercet? ligatus est potius quam legatus. Prophetæ, inquiunt, cui Dominus legationem injunxerat, præcepit ut evellat ac destruat, ut dissipet et perdat, ædificet et plantet [8]. Dominus tuus (14) officii spiritualis intelligentiam convertit in litteram, aut, ut verius dicatur, in lituram. Illud mihi ad cumulum doloris accedit, quod dominus rex, qui ex toto corde vos diligit, cujus erga vos dilectionem lego assidue in libro experientiæ, qui turbatoribus vestris in Romana curia murum inexpugnabilem se opponit, ipse frequenter incuriam et desidiam vestram, secreta tamen et modesta correctione redarguit: ipse crebro vos excitat scriptis et nuntiis, gravissime ferens, quod terræ suæ maleficos ad excessus enormes per impunitatis licentiam provocatis. Quam amicabilia nuperrime vobis scripserit et mandaverit, memoriæ, sicut credo, tenaciter affixistis. Inter quæ ego, qui conscius secretorum fui, verbum illud confidenter in communem deduco notitiam; verbum enim memorabile est. Sciat, inquit, dominus archiepiscopus, quod si filius meus electus, aut aliquis episcopus terræ, vel comes, vel aliqua persona illustris suæ voluntati, aut dispositioni contraire præsumpserit, aut impedierit, quo minus sibi commissæ legationis munus adimpleat, inveniet in me sui contemptus persecutorem et vindicem, ac sin in coronam meam proditorie commisisset.

Scio quidem, Pater, dominum regem diu habuisse et adhuc habere in votis, ut consilio et auxilio vestro fiant increpationes in populis [9], ut arripiat manus vestra judicium [10], et arguat pro mansuetis, terræ [11]. Dura quidem retuli vobis, amantissime

A Pater, et forte hoc aliquis temeritati ascribet, quod non blandior, quod non palpo, quod reverendum præsulis caput peccatoris oleo non impinguo [12]. Quidquid immundissimæ sues grunniant, ego in Christi visceribus, et jugi beneficiorum vestrorum memoria vos moneo et monebo, quatenus cum ea diligentia impleatis pontificium, ut non vituperetur ministerium vestrum. Legistis enim: *Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter* (15). A claustrali et spirituali militia elegit vos Deus in sacerdotem sibi. Videte, ne *cum spiritu cœperitis, carne consummemini* [13]; et ne de vobis intelligatur illud: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* [14]. Putatis quod de commissis vobis animabus, vos in districto examine

B non oporteat reddere rationem? *Propter hoc irritavit impius Deum; dixit enim in corde suo: Non requiret* [15]. Sed certe requiret exactissime usque ad novissimum quadrantem; et vereor ne tempestivius aut durius, quam credere aut timere velimus. Utinam velitis recolere comminationes Altissimi, quibus apertissima visione nobis terribilem suæ indignationis sententiam revelavit. *Horrendum* autem *est incidere in manus Dei viventis* [16]. *Ignis* enim *succensus est in furore ejus* [17], quem quandoque spiritualiter vidistis, ipsæm autem nunquam sensibiliter sensistis (16).

EPISTOLA VI.

AD RADULFUM BELLOVACENSEM.

[Circ. A. D. 1155.]

C ARGUMENTUM. — *Respondet invectivæ cujusdam magistri vitam clericorum in aulis episcoporum degentium acerbe insectantis; et contra graviter ipsum coarguit, quod omnem ætatem in profanis litteris consumat: hortaturque ut extremam saltem senectam in meditatione novissimorum suorum peragat.*

Magistro Rad. Bellovacensi, PETRUS Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem et saltem in senio senem esse.

Litteras vestras, licet plurimum invectivas, cum omni æquanimitate et gratiarum actione suscepi. Quod me corripitis affectio est; ideoque mihi acceptiora sunt vestra verbera, quam eorum ubera,

D qui me lactant. Utinam semper corripiat *me justus in misericordia, et* increpet me; *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [18]. Clericorum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(13) Est modus quidam colendi et stercorandi agros, quem nos Galli dicimus « fumer et marner. »

(14) Appellat Richardum Cantuariensem archiepiscopum dominum suum, quia tunc domesticus et Cancellarius ejus erat Petrus Bles. Apparet autem quod, cum hæc scribebat, esset in curia regis Anglorum, apud quem pro Richardo legatione fungebatur.

(15) Versio Hebraica legit « fraude: » Syriaca « cum fraude; » paraphrasis Chaldaica, « in dolo: » versio vero LXX Interpretum: Επικατάρατος ὁ ποιῶν τὰ ἔργα Κυριου ἀμελωσ. *Maledictus, qui facit opera Dei negligenter.*

(16) In ms. Marc. sic habetur: « Et quem spiritualiter vidistis, ipsum, quæso, nunquam sensibiliter sentiatis. » Ita Maz. I, et Vall.

—

[7] I Cor. 9. [8] Jer. 1. [9] Psal. 149. [10] Deut. 32. [11] Isa. 11. [12] Psal. 140. [13] Gal. 3. [14] Gen. 6., Psal. 9. [15] Psal. 9. [16] Hebr. 10. [17] Jer. 15. [18] Psal. 140.

curialium vitam damnatissimam reputatis, et in ejus exsecrationem fere totam illam satyram Juvenalis expenditis :

Si te propositi nondum pudet (17).

Magister bone ! si puerilium derivationem nænias, quibus insenuistis, memoriter retinetis, cum curia a cruore dicatur, clerici, qui cum prælatis ecclesiæ conversantur, curiales non sunt; nec enim apud eos judicium sanguinis exercetur (18). Cumque institutio canonica clericos curiales (19) prohibeat promoveri, clericos pontificum frequentius elegit Dominus in sacerdotes sibi. Improperatis nobis, quod semper quadra vivimus aliena. Si pontifices nos vocant in partem sollicitudinis, ut in agricultura divinæ messis, et in tritura Dominicæ areæ pariter laboremus, quæ injuria est, si et nos bonis eorum pariter contamur ? juxta divinæ legis sententiam : Nemo os bovis triturantis obturat [19] ; teste Paulo : *Nemo militat stipendiis suis* [20]. Cumqqe debeat de altari vivere, qui servit altari, non est absurdum, si ego, aut alius, qui in mensa Dominica pontifici ministrat, fit ejusdem commensalis in cibo. Causamini, quod inaniter expendam dies meos, qui in castris scholaribus poteram fructificare quam plurimis. Magister bone ! *castra Dei sunt hæc* [21], in quibus habitamus, et sciatis, quia *non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli* [22]. In domo Domini mei Cantuariensis archiepiscopi, viri litteratissimi sunt, apud quos invenitur omnis rectitudo justitiæ, omnis cautela providentiæ, omnis forma doctrinæ. Isti post orationem, et ante comestionem, in lectione, in disputatione, in causarum decisione jugiter se exercent. Omnes quæstiones regni difficiles et nodosæ referuntur ad nos ; quæ, cum inter socios nostros in commune auditorium deducuntur, unusquisque secundum ordinem suum sine lite et obtrectatione ad bene dicendum mentem suam acuit, et quod ei consultius videtur et sanius, de vena subtiliore producit. Quod si Deus minori, quæ potiora sunt, revelaverit, ejus sententiæ sine omni invidia et depravatione universitas acquiescit. Vos autem tumultuoso strepitu, et clamore nautico de nugis assidue disputantes, inutiliter aera verberatis ; vos circa litteram et syllabam, et circa hujusmodi elementares doctrinæ primitias, vestrum adhuc ingenium exercetis ; et, dicere fas est, vos, puer centum annorum, et elementarius senex, docetis sapientam (20). Verecundum siquidem et onerosum satis est mihi, quod omnes coætanei vestri in montem eminentioris scientiæ ascenderunt, et vos in cœno crassioris intelligentiæ cum asino remansistis. Priscianus et Tullius, Lucanus et Persius ; isti suut dii vestri [23]. Tereor ne in extremæ necessitatis articulo vobis improperando dicatur : *Ubi sunt dii* tui, *in quibus* habebas *fiduciam ? Surgant et opitulentur* tibi, *et in necessitate* te *protegant* [24]. Semper circuitis montem Seir [25], nec ad terram promissionis venire potestis.

Magister, vobis, et imitatoribus vestris convertit Dominus flumina in sanguinem [26], ne bibant. Dat etiam cœlum æneum et terram ferream, dum vobis convertit Dominus carnalem scientiam, in qua obduruistis pertinaciter, in peccatum [27]. Magister, nolite loqui sublimia gloriantes ; recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus abhorret philosophiæ gentilis errorem ; cujus adhuc idololatra estis ; et acceptat in quolibet Christiano conscientiæ puritatem. Damnat enim Apostolus ea, *quæ sunt rationem quidem habentia sapentiæ* [28] secundum mandata et doctrinas hominum, si non ædificant ad salutem.

Utinam, magister, saperes, et intelligeres, ac novissima provideres [29]. Hæc philosophia tibi jam decrepito pernecessaria esset, quæ frequenter in scholis describitur, sed frequentius præscribitur, cogitatio mortis scilicet assidua. Propheta dicit : *Domine, notum fac mihi finem meum* [30]. Et Salomon : *Fili mi, recordare novissima tua, et non peccabis in æternum* [31]. Lamentator ille Jeremias pro-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(17) Est 5, quæ incipit : « Si te propositi, etc. de qua desumptum est hemistichium illud, aliena vivere quadra, » quod refertur in epistola.

(18) Quoniam Ecclesia abhorret a sanguine, ab antiquo clericis judicio sanguinis et causis criminalibus interesse interdictum fuit, et præcipue in concilio Toletano XI, c. 6 : « His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet, » etc. De hac materia referuntur multi canones apud Antonium Augustinum *De actionibus et judiciis*, tit. 20, cap. 7.

(19) Sic in omnibus impressis. In omnibus vero mss. deest vox « Clericos » et recte.

(20) Hæc duo verba, « docetis sapientiam, » absunt a For., Ful., Boer., Bec., Dom., Hard., Sorb. 1 et 2, Vict. 1 et 3, et ab editis Mog. et Merl. sicut et a mss. Busæi, excepio unico Carth. ; at in Lann. Maz. 1 et Vall. sic legitur : « Vos puer centum annorum, et elementaris senex, ut verbo Job (cap. XXXII) utar, sperabam quod ætas prolixior prudentiam et multitudo annorum doceret sapientiam. Sed, ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. » Elementarius autem senex dicitur, qui inter pueros elementa discit, inquit Lipsius ad hæc verba Senecæ, epist. 36 : « Turpis et ridicula res est elementarius senex. »

Scriptam hanc epistolam censeo circa an. 1177, cum esset apud Cantuariensem archiepiscopum.

---

[19] Deut. 25. I Tim. 5, I Cor. 9. [20] I Cor. 9. [21] Gen. 52. [22] Gen. 28. [23] Gen. 21. [24] Exod. 32. [25] Deut. 2. [26] Psal, 104. [27] II Reg. 2. [28] Col. 2. [29] Deut. 32. [30] Psal. 38. [31] Eccle. 7.

pheta deplorat animam peccatricem, et sui finis immemorem. *Sordes*, inquit, *in pedibus ejus, nec recordata et finis sui* [32]. Et subjungit : *Deposita est vehementer, non habens consolatorem* [33]. Sit, magister, cogitatio vestra dies mortis. Mors enim, quæ junioribus est in insidiis, vobis senioribus est in januis, vestrum observat calcaneum, nec cessabit, *donec fodiatur fovea peccatori* [34]. Rogo itaque, et in vero consulo charitate, ut qui hactenus varietatibus hujus sæculi militastis, Deo militetis saltem ad modicum tempus, atque fæces vestræ senectutis immoletis Altissimo, qui juventutis et adolescentiæ vestræ florem in rebus nugatoriis expendistis.

EPISTOLA VII.

AD MAGISTRUM A.

ARGUMENTUM. — *Magistrum quemdam ex acutissimo disputatore egregium potatorem factum, divinæ Scripturæ testimoniis ab ebrietatis studio revocare conatur.*

Magistro A. PETRUS Blesensis, Bathon. archidiaconus, salutem et continuam memoriam honestatis.

A domo et mensa vestra nuper egrediens magister P. mihi via publica incedenti, lætus, et longe lætior quam expediret, occurrit. Vesania siquidem ferebatur ; hauserat enim apud vos spiritum vertiginis et furoris, vinoque aut cerevisia totum ejus cerebrum æstuabat. Equum meum freno rapuit, et tam equum quam equitem supinum fere in terram dejiciens, in devium me retorsit. Avertebam manus ejus et ipsum servientes nostri graviter increpabant ; ille autem lingua præcipiti, et confusa, atque clamore dæmoniaco intonabat : Veniet certe, veniet ; veniet, velit nolit, et bibet de Filio Dei magister meus charissimus. Ego autem dolens eum

A sequebar, et trahebar invitus. Cum vero servientes mei, qui ejus temeritati parcebant, manus ejus a freno meo, cum multa tamen instancia, separassent et nos ipse vidisset in viam, a qua nos abduxerat, equorum capita reflexisse, nos diu persequens lapidibus et glebis, me inaudita verborum turpitudine lacessivit.

Sane reputaveram eum semper virum industrium et discretum et modestum ; sed vobiscum ea vice biberat ; apud quem, sicut publice dicitur, in bibendo non est ratio neque modus. Et quæ vobis, amice, gloria est, ita potu afficere hominem, ut hominem dediscat, et in desipientiam omnino transeat bestialem ? Non est tibi occasio magnæ laudis, quod sic vino fundis et infundis amicos, et infun-
B dendo confundis. Scriptum est in Habacuc [35] : *Væ qui potum dat amico, inebrians eum, ut videat nuditatem ejus* ! Testimonio sacri eloquii multiplicem sententiam maledictionis incurrunt, qui ad calices sedent epotandos, et ebrietati continuæ se impendunt. Dicit Dominus per Isaiam prophetam [36]. *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem !* Subsecutiva ebrietatis incommoda Salomon eleganti compendio enumerat dicens ; *Cui væ ? cujus patri væ* (21) *? cui vulnera ? cui rixæ ? cui suffossio oculorum* (22) *? nonne his qui morantur in vino, et student* (23) *calicibus epotandis ?* Sane juxta verbum Sapientis : *Potus iste in vomitum, et hæc voluptas in nauseam convertetur* [37]. *Expergiscimini, ebrii*, dicit propheta, *et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine* [38]. Apostolus [39] etiam ebrietates multipliciter interdi-
C cit. Censura vero canonica sententiam depositionis dictat in clericos, qui ebrictatibus assuescunt. Ubi

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(21) Versio Hebraica sic legit ; *Cui væ ? Cui dolor ? Cui lites sive rixæ ? Cui locutio ? Cui vulnera sine causa ? Cui rubedo oculorum ? Nonne morantibus in vino, euntibus ad quærendum mistum.* Eodem plane modo LXX ad Hebraicam veritatem propius accedentes : Τίνι οὐαί? τίνι θόρυβος; τίνι κρίσεις, τίνι δὲ ἀηδίαι καὶ λέσχαι; τίνι συντρίμματα διακενῆς; τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί; οὐ τῶν ἐγχρονιζόντων ἐν οἴνοις; οὐ τῶν ἰχνευόντων ποῦ πότοι γίνονται. Id est : *Cui væ ? Cui tumultus ? Cui judicia ? Cui autem molestiæ et tricæ ? Cui contritiones supervacuæ ? Cui lividi oculi ? Nonne immorantium in vinis ? Nonne vestigantium ubi compotationes fiant ?* Sensus est : Non sunt miserabiliores homines, quam qui diu noctuque versantur juxta vinum. His enim modo dolet caput, modo torquetur venter, modo paralytica sunt membra ; nunc in rixas prorumpunt, nunc absque causa infliguntur eis vulnera, nunc ex assiduitate potandi in caliginem et cæcitatem oculorum incidunt, quæ ex immodico vino non raro accidit. Mens itaque sapientis in hac exclamatione est, filium suum abducere a vitiis, quibus juventus est maxime obnoxia, et ad sanam mentem et sapientiam reducere. Quod si qui virtutis amore facere noluerint, saltem timore pœnæ et criminum turpitudine discant a turpibus vitiis, carnis nempe luxu, crapula, libidine, quæ infinita mala et cruciatus generant, abstinere.

Quod autem ait : *Cui rixæ ? Cui vulnera ? in* Vulg. *Cui sine causa vulnera ?* intelligit quod inter pocula oriantur lites, inverecundi sermones, et nocentes objurgationes, ex quibus sequuntur pugnæ et vulnera aliquando inter amicos et ob rem nihili.

(22) Sic legitur in antiquis editionibus ante Biblia Sixtina, licet in omnibus mss. habeatur *suffusio*, ut et in vulgata hodierna, et sic legit Beda, cui consentit Lucas Brugensis, in *Romanis correctionibus*, qui legendum ait *suffusio* a *suffundo*, non
D *suffossio* a *suffodio*. Paraphrasis Chaldaica conformis Hebraicæ. חכלילות vertit, *rubedo* vel *rubor* ; Syriaca *lividi oculi* ; Arabica, *decolores oculi*, quod idem est ac *lividi*.

(23) Mss. Vict. legunt : « Quid ad calices sedent, et ebrietati se impendunt. » Clarius Hebraica versio supra, *morantibus in vino*, etc., id est, his qui potando tempus consumunt, et qui eunt ad investigandum mistum, vel potius temperatum vinum ; vel qui quærunt locum, ubi vina miscentur, hoc est convivia celebrantur ; et secundum LXX, his qui quærunt non solum plurimum vini bibere, sed quam plurimum tempus inter bibendum consumere.

---

[32] Thren. 1. [33] Ibid... [34] Psal. 93. [35] Cap. 2. [36] Cap. 5. [37] Eccli. 31. [38] Joel. 1. [39] Rom. 13.

enim regnat ebrietas, ratio exsulat, intellectus obtunditur, consilia deviant, judicia subvertuntur [40]. Si juxta Apostolum *bonum est non bibere vinum* [41], non video qualiter possit bonum esse contrarium. Ideo prudens illa mulier filium suum instruens, in visione dicebat : *Noli regibus, o Lamuel, dare vinum, ne forte obliviscantur judiciorum Dei, et subvertant populi æquitatem. Sed nec ullum secretum est, ubi regnat ebrietas* [42]. Loth, quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt [43]. Vinea quoque, quam Noe plantaverat [44], suo non pepercit auctori, et ex delicto patris usque hodie derivatur ad posteros macula servitutis. Titulis quoque beati Joannis Baptistæ plurimum commendationis adjecit, quod vinum et siceram, et omne quod inebriare poterat, non bibit [45]. Aaron et filiis ejus præcepit Dominus, ut intraturi tabernaculum, a vino, et omni quod inebriare poterat, abstinerent [46]. Rechabitæ, quia juxta mandatum Jonadab filii Rechab abstinuerant ab omni potu [47], qui posset esse ebrietatis occasio, cum omnes tribus captivatæ essent, liberi remanserunt. Tu qui disciplinali militiæ, et libris quondam omnia posthabebas, nunc, sicut audio, codices ad calices transtulisti. Scribere in bibere convertisti; et, quod anxie doleo, nunc prædicaris egregius potator, qui fueras prius nominatissimus disputator. Unum prædictis adjicio; aut emendabiliorem te exhibeas in hac parte, aut a corde meo te evomo : et amicitiæ socialis vinculum rumpens, gratiam antiquæ familiaritatis evacuo. Valeas.

EEISTOLA VIII.

AD QUEMDAM PRIOREM (24).

ARGUMENTUM. — *Declarat Ecclesiam Dei, instar lunæ, varios habuisse status : et dicta philosophorum gentilium, atque etiam jurisconsultorum recte usurpari in tradenda doctrina sacra.*

Causaris et arguis vehementer, quod nuper in A capitulo fratribus tuis loquens de vario amictu sponsæ [48], quædam interserui, quæ potius philosophum gentilem et ethnicum, sicut asseris, sapiebant, quam Christianæ fidei professorem. Teneo firmiter, quid dixerim, et hoc ipsum a tua memoria non evasit, in quo nihil nisi Catholicum invenies; nisi simpliciter dicta sinistra interpretatione, aut perversa recordatione depraves. Referens equidem varios militantis Ecclesiæ status, quia frequenter in sacro eloquio per lunam solet Ecclesia præsens intelligi, quasdam proprietates lunaris excursus Ecclesiæ coaptavi. Sicut enim in astrologia Martiani luna in sua novitate *menoides* dicitur ; in augmento, cum jam ad medium crevit *diatomos;* cum accedit ad circulum, dicitur *amphicyrtos;* cum B vero in plenitudine sua tota est serena, *panselenos:* sic Dei Ecclesia, quæ lunari exemplo lumen suum mendicat a sole justitiæ, in Abel et patriarchis, *menoides;* in tempore prophetarum, *diatomos;* in adventu Christi, *amphicyrtos;* in ejus resurrectione et fidei confirmatione satis tolerabiliter poterat *panselenos* nuncupari. Quod enim Ecclesia perfecta et perfecte ordinata tunc demum fuerit, quando Christus cœlos ascendit, propheta satis expresse exemplo consimili manifestat : *Elevatus est*, inquit, *sol, et luna stetit in ordine suo* [49]*;* id est ascendit Christus, et Ecclesiam in ordine sanctitatis per apostolos stabilivit. Sane si Scripturas sanctas (25) diligenter attendis, non censebis absurdum, quod verba philosophiæ vel scientiæ civilis, quandoque C in doctrina Christiana, maxime ubi ratio postulat, admittantur. Audi quid dicat Job de Domino : *Præcepit*, inquit, *soli, et non oritur, et stellas claudit, quasi sub signaculo. Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora Austri* [50]. Jeremias propheta quasi in jure civili fuerit cruditus, emptionem prædii patruelis, quam contraxerat, quorum-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(24) In editis Mogunt, et Merl. et in omnibus fere mss. habetnr hic titulus : « Responsio Petri Blesensis cuidam priori, qui verba non admittebat alienæ facultatis in sacro eloquio.

(25) Libros gentilium ab ecclesiasticis viris utiliter legi posse contendunt SS. Patres. Unde et Basilius Magnus de legendis gentilium libris tractatum satis prolixum composuit, ubi et fuse probat ex Scripturis ipsis magnam ex lectione gentilium utilitatem provenire, exemplo Mosis, qui Ægyptiorum disciplinis instructus, ad veri Dei contemplationem pervenit; Danielis item, qui, postquam Chaldæorum doctrina imbutus fuisset, postmodum divinas attigit doctrinas. Tum docet qua ratione sint legendi aut potius eligendi, exemplo apum, quæ ex conquisitis undequaque floribus dulcissima mella conficiunt : « Sic, inquit, et qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce jucundumque fuerit in eorum libris prosequuntur, sed quamdam ab eis utilitatem animo referre contendunt, » etc.

Οὕτω δὴ κἀνταοῦα τοῖς μὴ τὸ ἡδὺ καὶ ἐπίχαρι μόνον τῶν τοιούτων λόγων διώκουσιν, ἔστι τινὰ καὶ ὠφέλειαν ἀπ' αὐτῶν εἰς τὴν ψυχὴν ἀποτέσθαι

Tandem ita concludit : Καὶ ἐπειδήπερ δι' ἀρετῆς ἡμᾶς ἐπὶ τὸν βιον καθεῖνα δεῖ τὸν ἡμέτερον, ε'ς ταύ- D την δὲ πολλὰ μὲν ποιηταῖς, πολλὰ δὲ συγγραφεῦσι, πολλὰ δὲ ἔτι πλείω φιλοσόφοις ἀνδράσιν ὕμνηται, τοῖς τοιοῦτοις τῶν λόγων μάλιστα προτεκτέον. Hoc est « Quando per virtutem ad vitam hanc veram ascenditur, virtus autem ipsa plurimum a poetis, historiographis, multo magis et philosophis commendatur, talibus eorum sermonibus maxime vacandum. » Eodem modo et Gregorius Nazianz. oratione quam habuit in funere Basilii magni. Verba sunt paulo prolixa, sed quia mirum in modum ad rem nostram faciunt, ea referre non pigebit :

Οἶμαι δὲ πᾶσιν ἂν ὡμολογεῖσθαι τόν νοῦν ἐχόντων, παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν είναι τὸ πρῶτον, οὐ ταύτην μόνην τὴν εὐγενεστέραν καὶ ἡμετέραν. ἢ πᾶν τὸ ἐν λόγοις κόμψον καὶ φιλότιμον ἀτιμάζουσα, μόνης ἔχεται τῆς σωτηρίας, καὶ τοῦ κάλλους τῶν νοουμένων, ἀλλὰ καὶ

[40] I Cor. 5, 6. [41] Rom. 12. [42] Prov. 31. [43] Gen. 19. [44] Gen. 9. [45] Luc. 1. [46] Lev. 10. [47] Jer. 35. [48] Cant. 6. [49] Josue 10. [50] Job 9.

dam verborum legalium urbanitate commemorat : *Emi*, inquit, *agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth, et appendi ei argentum septem stateres, et decem argenteos; et scripsi in libro, et signavi, et adhibui testes, et appendi argentum in statera. Et accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus* [51]. Sane sicut in Deuteronomio [52] legis, aliena mulier capta in prælio, si decor ejus tibi placuerit, rasis ejus unguibus, et capillis, atque veste captivitatis deposita, licite ducitur in uxorem. Si qua enim scriptura gentilium est, quæ in conflictu studiorum mihi placet, sublata superfluitate verborum possum illam mihi assumere, ut ex illa filii spirituales generentur in fide. In lege enim præcipitur quod si in agro vel in arbore inveneris avem incubantem ovis suis, aut pullis, ova aut pullos debes accipere, matremque dimittere [53]. Non etiam curandum est de littera, ubi fructuosæ inveniuntur sententiæ.

Increpas me, quia in exhortationibus meis, quas rogatu conscholarium nostrorum quandoque Bononiæ feci, verba posui, quæ jus civile redolebant. Porro jus civile sanctum est et honestum, atque sacris orthodoxorum Patrum constitutionibus approbatum. Loquebar equidem legisperitis in illis prædictis exhortationibus de terribili sententia districti et extremi judicii, et dicebam, quod nec appellationis remedio, nec supplicationis suffragio, nec actione in factum subsidiaria, nec aliquo restitutionis beneficio poterat attentari. Dicebam quod ille Antiquus dierum inter filios regni [54] quos quasi *in funiculo distributionis* [55] secundum meritorum suorum exigentiam ad hæreditatem vocabit æternam, dictaturus erat familiæ herciscundæ judicium. Dicebam, quod contritione duplici punirentur illi, qui peccatorum suorum confessionem differebant per erubescentiam, aut contemptum [56]; nam et in jure civili lis per inficiationem (26) crescebat in duplum. Unum noveris, quod nunquam super verbis faciam quæstionem, de qua facultate sumantur, dummodo ædificent ad salutem. Nam nec de herbis quæritur, in qua terra, vel cujus hortulani cura vel cultura adoleverint, dummodo vim habeant sanativam.

EPISTOLA IX.

AD QUEMDAM LUDI LITTERARII DESERTOREM.

Argumentum. — *Invehitur in quemdam discipulum suum, qui cursu liberalium artium confecto, non ante cogitabat theologiæ operam dare, quam biennium in otio consumpsisset : prolixeque probat perniciosum esse omne otium.*

Missione usus minus legitima et honesta, tanquam transfuga et desertor castra scholaris militiæ dimisisti, et de labore quietissimo te in laboriosissimum otium contulisti. Præceperam tibi ut discipulo, consulueram ut amico, quatenus continuata instantia studiorum imperfectum tuum perduceres in plenitudinem, et de discipulo ascenderes in magistrum. Respondes te in disciplinis liberalibus diutius laborasse, tumque propositum esse, antequam theologicas difficultates expugnes, biennio respirare. Utinam huic desiderio, aut potius desidiæ, et defectui tuo vicennium aut tricennium præscripsisses! Defectui dico; nam *defecit in salutare tuum anima* tua [57], mihique satius videretur, hominem qui per semitam damnatæ opinionis incedit,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

τὴν ἔξωθεν ἣν οἱ πολλοὶ χριστιανῶν διαπτύουσιν, ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ Θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν, κακῶς εἰδότες. Id est : « Illud autem inter eos sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum obtinere : non de hac nostra solum ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore atque ornatu, saluti uni, atque earum rerum, quæ ratione atque anima intelliguntur, pulchritudini arctissime hæret, sed etiam de externa, quam plerique Christiani pravo quodam judicio ut insidiosam et periculosam ac procul a Deo avertentem aspernantur. » Postea comparationem instituit rerum omnium creatarum, quarum unaquæque sua natura aut utilis aut noxia est, prout iis quisque bene vel male utitur, cum ex ipsis animalibus venenosis salutaria medicamenta, veluti theriaca, utiliter conficiantur. Tum demum hanc conclusionem infert :

Οὐκοῦν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισὶν, ἀλλὰ σκαιοὺς καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς οὕτως ἔχοντας οἳ βούλοιντ' ἂν ἅπαντας εἶναι καθ' ἑαυτοὺς, ἵν' ἐν τῷ κοινῷ τὸ κατ' αὐτοὺς κρύπτηται, καὶ τοὺς τῆς ἀπαιδευσίας ἐλέγχους διαδιδράσκωσιν. Id est : « Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur; quin potius stulti atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant, qui omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum inscitia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat et coarguat. » Divinam hanc magistri sui doctrinam luculenter prosecutus est D. Hieronymus passim; sed præcipue, epist. 84 ad Magnum. Ubi ostendit in Moyse, in prophetis, in Salomonis libris, ab apostolo etiam Paulo quædam de gentilium libris fuisse assumpta, sed et D. Augustinus, libro secundo *De doct. Christ.*, cap. 18, asserit nihil nos ex gentibus fugere debere, si quid inde utile ad intelligendas sacras Scripturas rapere poterimus; sed ab eis tanquam ab injustis possessoribus omnia in usum nostrum vindicanda. Tandemque concludit : « Quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit, veritatem. » Eleganter etiam Theodoretus, tract. *De Græc. affect.*, ad quem brevitatis gratia lectorem remittimus. Verum ut aliquid addamus de hominibus nostri temporis, ad obstruendum os sciolorum et scrupulosorum quorumdam sufficiet testimonium S. Caroli Barrhomæi apud Lipsium de eo sic loquentem : Hieronymi sententia est, stoici nostro dogmati in plerisque concordant, » etc. « Audio magnum illum Carolum Berrhomæum stirpe, sacra purpura, virtute, adderem ego sanctitate maxime clarum, sæpe fassum Epicteti se libris motum et monitum ad contemptum rerum humanarum et amorem divinarum venisse. »

(26) Inficiari apud legistas est, creditum depositumve abnegare. Vide Brissonium, lib. *De verb. signif.*

[51] Jer. 32. [52] Cap. 21. [53] Deut. 22. [54] Dan. 7. [55] Psal. 77. [56] Jer. 17. [57] Psal. 118.

a honestatis prorsus omittere, quam dif- anclti quidem et honesti propositi dilatio, ruina est. Nunc docibilis, in provectiori pax doctrinæ non eris : ideoque in præsenti quod differtur, aufertur. Verbum prophetæ ulus iste dicit : *Nondum tempus est ædificmum Domini* [58]. Miserrime, cur opus comle in biennium differs? forsitan cras non piens dicit : *Quidquid potest manus tua, tantia operare* [59] :

st odie, cras minus aptus erit [60].

teris tuis legi : « Vacabo mihi, et libris in camera mea ero mihi discipulus et ma- nunquam quievi, semper laboravi ; nunc convertam in otium et quietem. » Frater, saperes et intelligeres, et inter otium et discerneres ! Audisti quietem Domini : nım *ab* omni *opere, quod patrarat* [61], ve- en ejus otium non legisti. Legitur [62], quod inimica est animæ, animus namque qui resolvitur, reditur inanibus curis ; ac testi- alomonis desideria rodunt pigrum [63]. Eo- ente [64], stercoribus boum, id est turpi in- ne lapidandus est piger.

nis ut ignavum corrumpunt otia corpus,
capiunt vitium, ni moveantur aquæ [65].

as dicit :

Si non
te diem poscas librum cum lumine, si non
endes animum studiis et rebus honestis,
idia vel amore vigil torquebere [66].

æris experimentum hujus rei?
rritur, Ægisthus quare sit factus adulter.
In promptu causa est : desidiosus erat [67].

Hieronymo [68], peccatum Sodomorum fuit et abundantia panis [69]. Lex [70] etiam de s præcipit ut bos offeratur in ostio taber- quia qui laborant in agro Dominicæ cul- ere possunt cœleste tabernaculum introire. saris studiorum laborem, et ad otium toto spiras? Labor scholasticus otium est, sed gotiosum, et quod animum reddit ad ho- llicitum. Unde et scriptum est [71] : Sapien- ibe in otio, et qui minorantur, actu inve- m. Ideo discipuli esurientes fricabant spicas ıbbati [72] ; in quo notatur utilium sententia- cussio, quæ mente quieta diligentius pro- Sic ingreditur homo *sepulcrum in abun-* [73], quia absconditus *a conturbatione homi-* foris quidem minuitur, sed interius fructus is studii inæstimabiliter reficitur et ditatur. echiele [75] : *Porta atrii interioris, quæ respi- tem, clausa* est *sex diebus, in quibus opus*

A *fit; autem Sabbati aperitur*. Qui enim a terrenis vacant, spiritualium notitiam facilius assequuntur. *Vacate*, inquit, *et videte, quoniam ego sum Deus* [76]. Ideo Martha turbatur erga plurima [77]. Liæ oculus lippitudine impeditur ; Maria vero cum Rachele optimam partem elegit [78]. Et Jacob cum requiescit in Bethel, cœlestium mysteria comprehendit [79]. Hoc est otium sanctum, otium studiosum. Verumtamen otium vocas, non vigilare, non legere, vacare comessationibus, resolvi ad carnis illecebras, torpere somno et potibus indulgere. Timere debueras vocem Domini super tali otio irascentis : *Neomenias vestras*, inquit, *Sabbatum non feram. Otia et sala et festivitates vestras odivit anima mea* [80]. Luget etiam super animam otiosam propheta di- B cens : *Viderunt eam hostes, deriserunt Sabbata ejus* [81]. Verbum sancti Hieronymi est [82] : « Otium sine litteris mors est, et vivi hominis sepultura. » Miser, quidquid longo tractu temporis didicisti, biennale otium exsufflabit, et illa logices ventosa loquacitas, qua tumescis, sicut visio nocturna, et sicut somnium avolabit [83]. Putas, quod in pace et quiete corporis sit pax mentis? habebis forsitan pacem, sed amarrissimam. Pacem, scio, reputas te habere, in loci habitatione solitudinem, in carnis exhibitione sollicitudinem : et *ecce in pace* tua *amaritudo, amarissima* [84]. Qui enim curam carnis in deliciis agit [85], tormenta conscientiæ accusantis patitur, et semper hostem domesticum secum gerit, sicut sapiens dicit : Solitudo, quam desideras, C subversio est virtutum. Væ soli, quia, *si ceciderit, non habet sublevantem* [86]. Solitudo Amnon fratrem Thamar ad incestuosum sororis suæ concubitum provocavit [87]. Solitudo est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum ; ea enim mediante, honestas impudicitiæ arma sua reddit, degenerat sanctioris vitæ propositum, et odoriferæ opinionis gloria damnabiliter evanescit. Dum Parisiis operam studiis dabas, publice dicebatur, quod in hac humana conversatione te angelum exibebas : vereor, ne qui de homine in angelum transieras, de angelo in hominem revertaris. Nam juxta sententiam Veritatis [88], spiritus immundus ambulans per loca deserta et arida, et non inveniens requiem (apud quiescentem in otio quietem invenit) assumensque D septem spiritus nequiores se, domum vacantem, et scopis disciplinalibus mundatam invenit, vacantem occupat, ac novissima hominis illius in pejora convertit. Diu te invitavi ad scholarem militiam, diu clamavi, et laboravi clamans, ne abhoreas hunc laborem vere laboravi. Suadere enim et non persuadere, hoc labor est ante me. Sane laborem et duritiem theologicæ facultatis non debebas abhor-

---

;. 1. [59] Eccl. 9. [60] Ovid. *De rem. amor.*, lib. I. [61] Gen. 2. [62] Eccli. 33. [63] Prov. 21. 22. [65] Ovid. 1 *De Pont.* el. 5. [66] Horat. lib. I, ep. 2. [67] Ovid. lib. I. *De rem. amor.* [68] Lib. II ı. [69] Ezech. 16. [70] Lev. 1. [71] Eccli. 38. [72] Luc. 6. [73] Job. 3. [74] Psal. 30. [75] Cap. 46. 45. [77] Luc. 10. [78] Gen. 29. [79] Gen. 18. [80] Isa. 1. [81] Thren. 1. [82] Senec. ep. 83. [83] Job. Isa. 38. [85] Rom. 13. [86] Eccle. 4. [87] II Reg. 13. [88] Matth. 12.

rere : scholastici namque hominis labor non est in operibus, sed in verbis : et ut verbo Salomonis utar : *Omnis labor hujusmodi hominis in ore ipsius* [89]. Certe præcepta sua, et sciri et custodiri vult Dominus cum labore : nam et ipse est, *qui fingit laborem in præcepto* [90]. Unde et justus scire atque custodire desiderans verba et præcepta, quæ de labiis Altissimi processerunt, dicit Propheta : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* [91]. Adhuc rogo te, ne timeas aut differas hunc laborem. Effeminari quidem otio, et torpere pigritia, nihil aliud est quam suffocare virtutem, nutrire superbiam viamque construere ad gehennam. De his dicitur : *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabantur; ideo tenuit eos superbia, etc.* [92]. Procul dubio, qui non flagellantur temporaliter cum hominibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus, in perpetuum flagellabuntur cum dæmonibus ; et qui cum hominibus non laborant, cum dæmonibus laborabunt. Vale.

EPISTOLA X.

AD G. CAPELLANUM REGIS SICILIÆ.

ARGUMENTUM. — *Graviter queritur a rege Siciliæ adolescentulo ad Ecclesiæ Agrigentinæ episcopatum evectum hominem prorsus inidoneum : simulque ostendit capellani, ad quem scribit, officio incumbere, de hoc lapsu regem non semel tantum, sed etiam secundo et tertio serio commonefacere.*

Diu est quod rumor insonuit et publice jam crebrescit, quod dominus tuus rex Siciliæ (27) salutis suæ, et paternæ traditionis oblitus, cum comite Lorocelli (28) in ruinam et desolationem Agrigentinæ Ecclesiæ conjuravit. Intendit episcopare fratrem comitis, et ipsum reclamante capitulo violenter intrudit. Tu vero cum scias eum statuam esse, et truncum inutilem, miror quod non ascendis ex A adverso, et te pro domo Israel non opponis [93]. Infelix ego homo, cur non habeo copiam illius comitis, ut aliquid persuadeam homini inhumano ? Annuntiarem impio impietatem suam, et, si non lucrifacerem eum Deo, perfecte saltem partes evangelizantis implerem. *Zelus domus tuæ, Deus, comedit me* [94]. *Tabescere me fecit zelus* tuus, *quia obliti sunt verba tua inimici tui* [95]. Vere obliti ; verbum enim tuum est, Domine : *Domus mea, domus orationis*, non intrusionis, *vocabitur* [96]. *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo* [97], non intrusio. Respice, Domine, in faciem testamenti tui [98]. Zelare honorem et *decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* [99] : non irruat in eam *immundus et incircumcisus* [100]. Consoleris Ecclesiam, quæ in concul- B cationem data est, et dicas ei : *Noli timere, filia Sion* [1]. civitas Hierusalem, *noli flere* [2]. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* [3]. Gloriam illorum humiliabo, qui te humiliant et confundunt ; *ponam te in superbiam sæculorum* [4]. O detestanda operatio ! o adolescentia deploranda ! Filius Ecclesiæ quare se erigit contra matrem ? cur abjecit consilium pietatis, et *abiit in concilio impiorum* ? [5] *in* una *die peribunt cogitationes eorum* [6]; *consilium* autem *Domini manet in æternum* [7].

Væ terræ, cujus rex puer est [8]. Doleo, quod inter primitias dominationis suæ, et in recentia unctionis regiæ hoc præsumit. Virtus equidem consecrationis ab hujusmodi violentiis eum utinam temperasset ! magna enim est hujus efficacia sacramenti. C Nam de David, postquam a Samuele unctus est, Scriptura testatur [9], quod directus est Spiritus Domini in David a die illa, et in reliquum. Saul quoque die illa, qua olei lenticula a Samuele per-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(27) Malo certe animo in regem Francorum epistolam hanc detorsit audaculus aliquis, ut docte adnotavit Busæus. Etenim editi omnes et maxima pars mss. codicum legunt rex Siciliæ, vel rex Siculus, ut Sorb. 1 et 2 ; Vict. 1 et 2 ; For., Ful., Vall., Hard., etc., sicut et Vaticanum exemplar ms. et alia apud eumdem Busæum. Sane quidam, ut Laun. et Maz. 1 habent : « Rex Francorum, » etc. « cum comite Claromontensi in ruinam Bituricensis Ecclesiæ conjuravit. » Sed inepte et ignoranter primi istius amanuensis errorem secutos esse manifestissimum est. Quomodo enim regi Francorum hæc convenirent, ubi ait, regem adolescentem ignobilium consilia proditoria prætulisse Domino Salernitano et comiti Avellini avunculis suis ? An Ludovico VII, regi Francorum, qui jam senex, nec Salernitanum archiepiscopum nec comitem Avellini noverat ? Hæc autem omnia de Guillelmo II, Siciliæ rege, dici hujus temporis historici loquuntur. Sed rem clarius exponit auctor Siculus abbas Rocchus Pyrrhus, qui res patriæ suæ accurate descripsit. Ait enim in notit. Ecclesiæ Agrigentinæ Gentilem Agrigentinum episcopum, cum adversus Richardum electum Syracusanum, qui archiepiscopatum Panormitanum quem ipse ambiebat, multos sollicitasset curiales, Stephano Perticensi, regis consanguineo, in archiepiscopum electo, ipsum Gentilem cum pluribus aulicis in vincula conjectum. Eo tempore Guillelmum regem in Ecclesiam Agrigentinam intrudendum fratrem comitis Loricelli regis consobrini maxime curavisse. Verum paulo post cum Stephanus dignitati renuntiasset Siciliæque valedixisset, rebus compositis Gentilem e carcere eductum, pristinæque dignitati restitutum, cum pluribus aliis inter regios familiares et curiæ consulares institutum fuisse.

Porro notandum est eumdem Rocchum Pyrrhum D errasse, ubi ait epistolam hanc scriptam Richardo Syracusano electo, cum in omnibus tam editis quam mss. exemplaribus hujus epistolæ titulus sit *G. capellano.*

(28) Robertum regis Guillelmi II consanguineum, de quo sic Fazellus : « Erant eo tempore inter proceres Robertus, comes Loricelli, regis consobrinus, » etc. Hunc opinor esse quem inter comestabulos Siciliæ nominat Rocchus Pyrrhus hoc modo : « Comes Loricelli nepos regis Rogerii aut Guillelmi II ex Beltrano. »

[89] Eccle. 6. [90] Psal. 93. [91] Psal. 16. [92] Psal. 72. [93] Ezech. 13. [94] Psal. 68. [95] Psal. 118. [96] Isa. 6, Matth. 21. [97] Psal. 92. [98] Psal. 73. [99] Psal. 25. [100] Isa. 25. [1] Joan. 12. [2] Luc. 7. [3] Psal. 6. [4] Isa. 60. [5] Psal. 1. [6] Psal. 145. [7] Psal. 32. [8] Eccle. 10. [9] I Reg. 16.

fusus est [10], mutatus est in virum alium, et insiliente in eum Spiritu Domini, cum accessisset ad cuneum prophetarum, cum eis prophetare incepit. Caiphas, qui in illo consistorio, ubi de morte Domini agebatur, sententiam protulit, dicens : *Expedit quod unus moriatur pro populo*, sicut ait Evangelista [11], *hoc a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit*. Verum nec virtus unctionis, nec religiosorum crebra exhortatio, nec Dei timor, nec Ecclesiæ reverentia, nec suæ famæ dispendium, nec exemplum paternæ mansuetudinis (29) a sua pertinacia hunc reflectunt. Duorum mihi nomina expressisti, qui familiares et domestici ejus sunt, quorum amicitias licet ignobiles sint mente et genere, gratantissime acceptavit ; hi ipsum in hanc temeritatem excitant et incendunt. Sed certe *inimici hominis domestici ejus* [12]. Proditoria istorum concilia prætulit inconsultissimus adolescens domino Salernitano (30), et comiti Avelini (31) avunculis suis, quorum fidem et prudentiam necessitas regis frequenter experta est, qui dedecus pueri sua morte redimerent ; nec regni humiliationi usque ad effusionem sanguinis et perpetuitatem exsilii consentirent. Sed populi peccatis exigentibus, elongavit a se amicos et proximos, incedensque per viam Roboam consilium venerandæ maturitatis abjecit [13]. Porro honorem sponsæ suæ zelabit Dominus, et malos male perdens *retribuet abundanter facientibus superbiam* [14].

Et quia ille miserabilis adolescens in thesauros Ecclesiæ consilio malignorum manus rapaces injecit, vereor ne in eum Dominus excandescat, et eveniat quod dicit Job : *Thesauros*, inquit, *quos devoravit impius, evomet, et de ventre ejus extrahet illos Deus. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur* [15]. Non decebat eum manus laica ad sacra porrigere. Frequenter debueras ei suggessisse qualiter Oza fuit percussus a Domino, eo quod in arcam Domini manus, devoto quidem, sed indigne porrexerit [16]. Qualiter temporibus Jasonis, ille perpetuus ignis, qui a tempore Jeremiæ usque ad Nehemiam duraverat, exstinctus est, eo quod Antiochus occasione Jasonis ad sacerdotalia manum misit [17]. Qualiter regnum Balthazar a Persis occupatum est, et vastatum indicio manus ultricis et scribentis, *Mane, Thecel, Phares* [18], eo quod vasa Domini in convivio profanasset. His et similibus eum deterrere debueras, sed alligatum est verbum Domini in ore tuo (32), nec moveris super contritione Joseph. Times hominem, nec te zelus Domini aut Ecclesiæ tangit afflictio. Porro testimonio Job : *Qui timet pruinam, veniet super eum nix* [19]. Gloriosum est cuilibet Christiano, si affligatur, dummodo non sit turpis, sed in Christo commendabilis afflictionis occasio. *Nemo*, inquit Petrus apostolus, *patiatur ut fur* [20] sed si benefacientes et benedicentes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Ideo *ibant* apostolis *gaudentes a conspectu concilii, quia digni* habeantur *pro Christi nomine contumeliam pati* [21]. Si exhortationem tuam contemptui habet, ipse contemptus tibi cedet ad gloriam. *Lampas*, ait Job, *contempta apud cogitationes principum*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(29) Quid per paternam illam mansuetudinem intelligat Petrus noster non video. Etenim nullus est historicorum hujus temporis, qui pravos mores Guillelmi I regis Siciliæ patris istius Guillelmi non detestetur ; et eum idcirco Malum appelatum fuisse, filium vero Bonum asserat. Sic enim post Falcandum scriptorem coætaneum Fazellus de eo loquitur : « Guillelmus I fuit ingenio solerti, et militia strenuus ; cupiditate vero et avaritia simul et credulitate nulli secundus. » Rocchus Pyrrhus in *Chronologia regum Siciliæ*, ubi de eo agit : « Cui cognomen Mali dederunt mores. » Nisi forte dicamus rebus in regno post mortem ipsius turbatis eum a subditis suis, qui vitiorum ejus, ut sæpe solet, obliti fuerant, desideratum esse, ut testatur ipsemet Fazellus.

(30) Hic est Romualdus archiepiscopus Salernitanus, summo loro natus, vir doctus, et prudentia clarus : qui inter primos Guillelmi II consiliarios et regni administros recensetur ab historicis. De eo sic Rocchus Pyrrhus, dum regum Siciliæ vices gerentes enumerat : « Romualdus Guarna archiepiscopus Salernitanus una cum regina Margarita ob Guillelmi II infantiam. » Habetur et inter eruditos sui sæculi scriptores. Et Romualdi ab ipsis mundi primordiis ad sua usque tempora *Chron.* sæpe citat Baron. in *Ann*.

Subscripsit concilio generali Lateranensi primo sub Alexandro III anno 1180. Ad eum etiam plures epistolas scripsit Alexander III, quæ habentur in *decretalibus*. Obiit anno 1182, postquam Ecclesiæ Salernitanæ annis 27 præfuisset.

(31) Erat hic Rogerius, Guillelmi I consanguineus, ait Fazellus Dec. 2, l. VII, c. 4, post Falcandum, qui narrans conjurationem a proceribus in Guillelmum I regem factam, ex quibus erat idem Rogerius, de iis quæ post detectam conjurationem acta sunt, ita loquitur : « Alii fere omnes ad galeas producti, regni terminos exierunt. Pepercit autem rex consanguineo suo Rogerio comiti Avellini, quod in aliis crimen atrocissimum judicabat, in eo putans ob ætatis lubricum errorem debere non facinus appellari ; simulque prece motus et lacrymis Adeliciæ consobrinæ suæ ejusdem comitis aviæ, quæ, cum alium hæredem superstitem non haberet, nepotem suum tenerrime diligebat. » Post mortem vero Guillelmi I inter primores regni consiliaros a Margarita regina matre Guillelmi II infantis assumptus est.

(32) Clericis curialibus, qui principum et magnatum peccata dissimulant, aptari potest proverbium : *Canis ante offam*. De quibus Scriptura : *Canes muti non valentes latrare*. (*Isai* LVI), quia diligunt munera, sequuntur retributiones.

—

[10] Reg. 10. [11] Joan. 11. [12] Mich. 7. [13] III Reg. 12. [14] Psal. 30. [15] Job 20. [16] II Reg. 6. [17] II Mach. 1. [18] Dan. 5. [19] Job 6. [20] I Petr. 4. Act. 5.

parata erit *ad tempus statutum* [22]. Et quod est tempus illud, nisi tempus, de quo dicitur: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* [23]? Unum noveris, si non annuntiaveris impio impietatem suam, *ipse in impietate sua morietur*, et ejus anima de tuis manibus requiretur [24]. Ovis tua est, et in periculum tuum ipsius custodiam suscepisti. Vide ne alios imiteris, qui lac et lanam quærunt in ovibus, non salutem. Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale. Tondet Absalon oves suas et fratrem suum interficit [25]; sic animam proximi sui prælatus mortificat, dum eo enormiter delinquente, aut tacet, aut dissimulat, aut consentit, ut inde emolumentum temporale percipiat. Indubitanter quidem scio, quod si orasses instantius, perorasses, et ab hac inhumana tyrannide hominem avertisses. *Diffusa est* enim *gratia in labiis tuis* [26], *virusque est efficax sermo* tuus, imo Domini, *et penetrabilior omni gladio ancipiti* [27]. Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit [28]; mandibula asini, qua Samson mille de suis hostibus interfecit [29]; clavus Jahel [30]; pugio Phinees [31]; gladius Gedeonis [32]. Quod si ex corde ageres causam Christi, daret voci tuæ vocem virtutis, atque voluntaria oris tui beneplacita faciens, cor regis ad tuum verteret arbitrium ille, in cujus manu corda sunt regum [33]. *Non enim*, sicut dicit Dominus, *vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* [34]; ipse est, qui dat verbum evangelizantibus virtute multa. Ipse est, qui tibi opportune astaret, si importune et frequenter instares.

Habet tuus cum continentia litterarum: quod ipsum primo blande et amicabiliter convenisti : ipse autem respondit, se non esse in culpa, sed comitem Lorocelli; cum vero eumdem iterum convenisses, te, sicut asseris, reputavit insanum : ideo ori tuo imposuisti silentium, proprioque ipsum arbitrio dimisisti. Quod primo usus es blanditiis, prudentiæ ascribo ; non enim litibus exasperandi sunt principes, sed temperatius corrigendi, sicut Paulus apostolus ad Timotheum scribens : *Servum*, inquit, *Domini non oportet litigare, sed ad omnes mansuetum esse, et patientem, corripientem cum modestia eos, qui resistunt veritati* [35]. Sed qui semel, et secundo verbum exhortationis proposueras, eamdem exhorta-

A tionem debueras tertiasse (33) : forte aliquid efficaciæ contulisset numerus trinitatis. Goliath in tertio lapide prostratus est [36]. Moyses magos Pharaonis in signo tertio superavit [37]. Doleo, quod ad excusandas excusationes in peccatis culpam suam transfundit in alium, quum eum humiliter confiteri et devote corrigere oportebat. Graviter offenditur Deus, cum quis propriam malitiam dissimulando, eam ministerio prosequitur alieno, scriptum est enim, *manus in manu non erit innocens malus* [38] (34). Sic dicebat Saul de David : *Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum* [39]. Sic Judæi linguis crucifigentes Dominum, dicentes tamen : *Non licet nobis interficere quemquam* [40], tradebant eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios trans-

B ferretur. Quod insanum te reputat, non mirare ; non est mirum, si insanus alios existimet insanire. Certe cum quidam filius prophetarum venisset et inunxisset Jehu in regem, quæsierunt alii dicentes : *Ad quid venit insanus iste ad te?* [41] sic apud eos, quorum interiores oculi ambitione, vel invidia excæcantur, vilescit sermo Dominicus, et verba vitæ ædificativa vesaniæ ascribuntur. Scio quid Dominus tuus somniet, quid affectet in hac erectione su Dagon, in hac intrusione tyrannica. Utinam maturius saperet et intelligeret, utinam prudentius inter spiritualia et mundana discerneret ; peremptorium enim est in principe, vel auram odorare munerum, vel favorem quærere personarum ! Teste siquidem propheta: *In quorum manibus iniquitates sunt, dex-*

C *tera eorum repleta est muneribus* [42]; transibunt vero iniquitates in pœnam, et munera in dolorem ; quia testimonio Job : *Ignis devorabit tabernaculum eorum, qui munera libenter accipiunt.* [43] Benedictus autem Dominus, qui regem Anglorum Henricum a talibus hcatenus conservavit innoxium. Manus enim suas excussit ab omni munere ; nec in prælatis Ecclesiæ promovendis ipsum unquam reflectere potuit, vel muneris oblatio, vel gratia personalis : ideo magnificavit eum Dominus in conspectu regum [44], et juxta nomen magnorum, qui sunt in terra, thezaurisavit super eum gloriam et honorem [45]. Bene valeas, amice charissime, et inceptæ correptioni diligenter insistas, donec dominus tuus ab invio er-

D roris sui in viam justitiæ revertatur.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(33) Id est tertio admonere. Vid. Columella.

(34) Sic restitui hoc ultimum verbum : nam antea habebatur *manus*, sed librariorum, opinor, vitio. Ita enim legunt exemplaria omnia et consentit vulgata lectio. Hebraica etiam versio : *Manus ad manum non erit impunis malus*. Clarius Chaldaica : *Qui extendit manum suam contra socium suum non erit innoxius a malo*. Sic et Syriaca : LXX vero χειρί χεῖρας ἐμβαλὼν ἀδίκως οὐκ ἀτιμώρητος ἔσται, hoc est, *Manu i manus injiciens injuste non erit impunitus*. Cui conformis est S. Hieronymus, lib. III, contra Ruffin. : « Manus inferens injuste non erit impunitus.

---

[22] Job. 12. [23] Psal. 74. [24] Ezech. 3. [25] II Reg. 13. [26] Psal. 44. [27] Hebr. 4. [28] Jud. 3. [29] Jud. 15. [30] Jud. 4. [31] Num. 25. [32] Jud. 7. [33] Prov. 21. [34] Matth. 10. [35] II Tim. 2. [36] I Reg. 17. [37] Exod. 8. [38] Prov. 11. [39] I Reg. 18. [40] Joan. 18. [41] IV Reg. 9. [42] Psal. 25. [43] Job. 15. [44] Eccli. 45. [45] Eccli. 15.

EPISTOLA XI.

AD R. CLERICUM JAM ÆTATE PROVECTUM

ARGUMENTUM. — *Hortatur clericum quemdam, qui Deo promiserat se ingressurum religionem, ut voto suo facia satis; nec sinat se vel diciplinæ religiosæ asperitate, vel parentum et amicorum querelis, nisi se perditum ire velit, a proposito revocari.*

Charissimo socio et amico R. PETRUS Blesensis, Bathon. archid. salutem, et rectum iter tenere.

Proposueras omnes sæculi pompas et illecebras mundanæ conversationis abrumpere, ut pauper pauperem sequens Christum divitias æternitatis acquireres. Verumtamen inconsulta carnis affectio, proditorie blandiens et amicabiliter fallens, in devium te retorquet, dum a pusillanimitate spiritus conturbatus primitias religionis et introitum sanctitatis abhorres. Quia te mundi voluptatibus totum hactenus immersisti, importabilia tibi omnino videntur ciborum mutatio, vestimentorum asperitas, jugum obedientiæ, censura silentii, regularitas morum, et austeritas disciplinæ. Veritas, quæ mentiri non potest, clamat: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* [46]. Si Christo credis aut credis in Christum, cur grave reputas, quod ipse judicat leve? Si Christo contrarius es, te ipsum enormiter gravas: *Posuisti me*, inquit, *contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis* [47]. Ethnicus dicit:

Qod male fers, assuesce, feres [48].

Et tu, si jugo Domini assuescere velis, factus tanquam vitula Ephraim [49] docta diligere trituram, affectabis quod times, cupies quod vereris. Qui de obscuris egreditur, conniventi palpebra et infirmiori oculo luci publice se exponit; qui si aliquantulum lumini assuescat, quod prius erat oculi tormentum, in delicias convertetur. Velle quidem tibi adjacet, sicut dicis, sed perficere non invenis [50]. Si enim velis onus inolitæ vetustatis abjicere, hoc labor est ante te. Sequere eum, quem voveras sequi, et ipse votis tuis misericorditer et efficaciter aspirabit. *Venite*, inquit, *omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, dicit Dominus [51]. Incipias, quæso, et tuum Dominus prosperabit inceptum:

Dimidium facti, qui bene *cœpit, habet* [52].

Si te tentaverit timor ille nocturnus, qui solet inter primitias sanctæ conversationis obrepere, faciet tibi Dominus etiam cum tentatione proventum [53]. *Tentatio est vita hominis super terram* [54]; ideoque si servire proponis ei, cui servire regnare est, non eris a tentatione omnino immunis. Sapientia enim dicit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore et præpara animam tuam ad tentationem*. Verumtamen ut ignis aurum, tentatio virum probat. Tentatio, præveniente Dei gratia, te fortiorem faciet in adversis, et in periculis circumspectum. Rogo ergo A te, frater, aggredere et ingredere viam vitæ, qui per viam mortis hactenus ambulasti. Vides quod non est nisi contritio et infelicitas in viis nostris; et quid quid sub sole est labor est et afflictio spiritus. Vitæ præsentis excursus fumus est, *et vapor ad modicum parens* [55]. Scio quia parentes tui te retrahunt a proposito meliori. Non differat, quæso, non evacuet propositum tuæ conversionis proditoria et seductrix affectio parentelæ. Noli eos diligere contra Christum, quos teneris odio habere pro Christo. Multi pro parentibus suis re animas perdiderunt, quorum occasione mundus, qui in eis aruerat, denuo revirescit; atque divitias, et cætera impedimenta salutis, quibus se exoneraverant, affectant aliis, tanquam eis prodesse credant eam quæ sibi esse nociva pro B certo cognoverant. Nunquid quod damnabile est uni, alii est salubre? nunquid gaudia viventium, solatia sunt mortuorm? Impius est, qui animæ suæ pro suis parentibus est crudelis; majoremque temeritatem hac nemo habet, quam ut animam suam ponat ita periculose quis pro amicis suis [56]. Tu qui elegisti habitare humilis et abjectus esse in domo Domini, quomodo iterum in his, quæ in æternæ confusionis vergunt præjudicium, iterum gloriaris? Gloria mundi fallax et seductoria decipit amatores suos. Quidquid enim vel in futurum promittit, vel in præsenti prætendit, totum ad nihilum deveniet, tanquam aqua decurrens. Non consentias carni fatuæ, quæ se et te pariter trahit in lacum gehennalem; sicut legitur de Zamri, qui se et domum re- C giam pariter dedit in combustionem et cibum ignis. Circumferimus hostem nostrum, et juxta verbum Salomonis: *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* [57]. Nulla pestis efficacior est ad nocendum quam familiaris et domesticus inimicus; hic est ignis in gremio, serpens in sinu, hæc est uxor hominis litigiosa, pessima caro nostra. Quæ licet sit vexata doloribus, repleta illusionibus, infecta sordibus, afflicta infirmitatibus, obnoxia passionibus, flagellis trita, plagis cæsa, morti denique deputata, tamen adhuc aculeis contradictionum hispida, rebellis, superba, murmurosa, querulosa, contumax, inquieta in suum et animæ conjurat exitium; nec posse satisfieri sibi putat, donec se et animam præcipitet in æternæ damnationis abyssum. Cur non attendit infelicissima caro, quam nobilem, et quam D necessarium sibi habeat hospitem, cujus beneficiis sustentatur, regitur et honestatur? Quod audit, quod videt, quod sentit, quod intelligit, quod loquitur, quod movetur, totum hospiti suo debet: cujus auxilio destituta fieret quasi terra sine aqua, immundum, morticinium, vermium cibus, aeris corruptela. *Inventa est iniquitas ejus ad odium* [58], dum inique odit quod totis visceribus debuerat dilexisse. Odit dicot; *qui enim diligit iniquitatem, odit animam*

[46] Matth. 11. [47] Job. 7. [48] Ovid, lib. II, *De art. am.* [49] Osce 10. [50] Rom. 7. [51] Matth. 11. [52] HORAT I *Epist.* II, 40. [53] 1. Cor. 10. [54] Job. 7. *juxt. LXX.* [55] Jac. 4. [56] Joan. 15. [57] Miche. 7. [58] Psal. 35.

suam [59]. Redeas, quæso, ad cor, amice charissime, et quo te traxerit caro fatua, non sequaris. Cæca est, et si tibi ducatum præstiterit, secum in mortis foveam te devolvet. Nosti quid feceris; nam, ut verbo Salomonis utar, *Defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus* [60]. Irasceris mihi, quia te ad viam vitæ arctioris tam instanter invito, quam tamen, sicut asseris, pertinaciter fugio et evito. Sane alia est conditio mea, qui nunquam alicujus voti vinculo me astrinxi; et aliam judico tuam, qui sanctioris propositi votum solemniter emisisti. Scriptum est enim: *Vovete et reddite* [61]. Convertisti in necessitatem tuæ libertatis arbitrium, nec jam sine animæ periculo, et famæ dispendio conversionem tuam detrectare poteris, aut differe. Nam oblatum exigit, qui non exegerat offerendum. Non est aliud votum protrahere quam luxuriari in Christo. Nec enim promissionem Dominus acceptat, nisi propter promissionis effectum. Festinantius igitur age, ne voti tui executionem mors inopinata præveniat. Relinquas sæculum, antequam a sæculo relinquaris. Egredere de terra dissimilitudinis, de medio pravæ ac perversæ nationis, de tenebris ad lucem, de miseria ad jucunditatem, de labore ad requiem, de exsilio in patriam, de morte ad vitam. Maturius, quæso, tuæ saluti prospicere velis, ne tunc timere velle incipias, cum non possis. Qui opportunitatem deserit opportunitas eum fugit. Rugæ tuæ jam testimonium dicunt contra te forte. Instat tibi hora undecima, et ad operandum Dominus te invitat. Si non vis operari, dum potes, justo Dei judicio non poteris, quando voles. Vide quomodo in hac valle plorationis nos fere omnes nubes caliginosa involvit: ubi Deo et angelis ejus spectaculum triste et lacrymabile facti sumus [62]. Alii spiritu vertiginis ducti titubando incedunt, et in alios oberrantes.

...offendunt. Alii nubes et inania captant.

Quidam in locis cœnosis et fetidis se voluptuose volutant. Alii in desideriis animæ suæ mortem sibi adsciscunt. Alii ventum hauriunt. Alii in saccum pertusum congregant. Alii quidquid apprehendunt avidissime devorant. Alii prunas ardentes in sinu suo colligunt. Alii in profundo submersi sunt, quorum finis interitus. Alii exeuntes de nebula respirant in liberioris auræ gratiam, cum jubilatione dicentes, Benedictus Deus, qui non dedit nos in puteum interitus [63], qui nos eduxit de lacu miseriæ, et de luto fæcis [64]. Egredere, quæso, de tenebris ad lucem, de labore ad requiem, de perditione ad salutem. Arripe arma sanctimoniæ, exercitium divinæ militiæ, studium disciplinæ, pacatissimum fructum justitiæ, et primitias felicitatis æternæ. Dies tui transierunt, *horrendumque est incidere in manus Dei viventis* [65], vitamque, quæ non deficit, perdere, et se scienter involvere doloribus sempiternis.

EPISTOLA XII.

AD QUEMDAM NEPOTEM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Consolatur nepotem plus nimio de avunculi sui obitu, incendio domus, et pedis sui læsione dolentem: probatque hujus vitæ afflictiones divini in nos amoris esse signa, et mundi tantam esse vanitatem ut minime lugendus sit, qui mundo per mortem defunctus sit.*

Infortunium, quod deploras, quodam compassionis affectu sustineo: justum est enim, ut qui amicus eram in prosperis, profitear amicitias in adversis. Nobis avunculum tuum mors inopina præripuit: qui si lacrymis redimi possit, tota fere in lacrymas Aurelianis efflueret. Verumtamen, quia mortis jactura restitutionis beneficium non admittit, illud saltem adhibeas solatium, quod et honestas exigit, et dictat affectio. Familiarissime dilexi avunculum tuum; ego te familiaritatis illius successorem constituo, et dilectionis hæredem. Mors avunculum tuum tibi abstulit; sed *fortis est ut mors dilectio* [66], quæ in me tibi avunculum restauravit. Si materiam tuæ promotionis mihi obtulerit opportunitas, erit apud me dilectio fortior quam mors, et gratia quam natura. Verumtamen æquanimiter tolerare non possum, quod inconsolabiliter doles; et quod super dolorem vulnerum tuorum addidisse [67] causaris Dominum, casualem pedis extorsionem, et incendium domus tuæ. In his tibi divina miseratio fidem certissimæ dilectionis exhibuit. *Quem enim diligit, corripit Deus: flagellat autem omnem filium quem recipit* [68]. Dulciora sunt justi et misericordis Dei verbera, quam verba adulantis. Utinam, inquit Propheta, *corripiat me justus in misericordia, et increpet me oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [69]. Si elisit, et contrivit Dominus pedem tuum, ipse est qui erigit elisos [70], qui sanat omnes contritiones eorum [71]. Cum simus omnes filii iræ [72], cur causaris in Christo flagellum misericordiæ? *Cum exarserit in brevi ira ejus* [73], *quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem?* [74] non obliviscitur misereri Deus [75], sed et iratus misericordiæ recordatur [76]. Si flagellum ejus cum æquanimitate sustineas, ira transibit in gratiam, atque secundum multitudinem dolorum in corde tuo consolationes ejus lætificabunt animam tuam [77]. Ideo forsitan temporaliter te punit, ut æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis. In ædificio templi omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur [78]: sic et vivi lapides, qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem, *quæ ædificatur ut civitas* [79],

[59] Psal. 10. [60] Prov. 6. [61] Psal. 75. [62] I. Cor. 4. [63] Psal. 54. [64] Psal. 39. [65] Hebr. 10. [66] Cant. 8. [67] Psal. 68. [68] Hebr, 12. [69] Psal. 140. [70] Psal. 144. [71] Psal. 146. [72] Ephes. 2. [73] Psal. 2. [74] Joel. 2. [75] Psal. 93. [76] Habac. 3. [77] Psal. 93. [78] III Reg. 6. [79] Psal. 121.

s infortuniorum tunsionibus prius poliuntur A , quam in ædificio cœlestis habitaculi collo- ur. Sed nec in horreo Domini reponitur gra- , donec flagellis, aut triturantium pedibus sit ssum. Circa tui autem avunculi mortem, na tibi debet esse consolationis occasio, quod centissime vixit, quod in sæculo nihil sæcula- egit, et pro diebus æternis dies transitorios mutavit. Ille introivit in potentias Domini [80], thesauros gloriæ, quæ non transit, *in pace us est locus ejus* [81]. Nos in labore et ærumna n miseram protrahentes dati sumus in oppro- m et derisum his, qui habitant in civitate Do- virtutum [82]. Nonne spectaculum facti sumus ıus illis Jerusalem, *cujus participatio in id- m* [83], cujus communicatio est in vinculo chari- B , et unanimitate virtutum, cum tota conver- nostra in id, et aliud tendat, et in universis ous suis, non solum a proximis, sed etiam a sa tota dissentiat. Considera singulorum judi- studia, vota, consilia, officia, dicta et merita, debis omnia quadam discolori, et repugnanti etate confusa.

uidam, qui sine omni periculo et labore vivere rant, certa mortis pericula et labores importa- s amplectuntur, ut vivant. Quidam more Tan- o in aquis sitiunt, dum inter opulentias inedia ffligunt. Quidam se voto continentiæ astrinxe- , et, juxta prophetam, tanquam equi emissarii ıxores hinniunt alienas [84]. Quidam cum infi- congregaverint, se nihil reputant congregasse. lam studiose inquirunt, nec invenire sufficiunt, C iter modicula, quam habent, substantia consu- ır. Quidam honores appetunt, et eos assequi possunt. Quidam honores fugiunt, et ad eos antur inviti. Quidam laudes hominum vilipen- , et in hoc sunt laudabiles. Quidam omni ore venantur famam sæculi, et omni tempore infames. Quidam per labores requiem quæ- . Quidam in requie requiem invenire non pos- . Quidam apud alios venerabiles, sibi apud se cunt. Quidam plus de se linguæ adulatrici, n conscientiæ suæ credunt. Quidam se tyran- usurpatione magnificant. Quidam se sua beni- ıte vilificant. Quidam ibi trepidant, ubi non est r [85]. Quidam in periculo mortis certissimæ sunt ri. Quidam non quiescunt, donec rem habeant D upitam, quam cum habuerint, vilem reputant ɔjectam. Quidam rem, quam non concupierunt, ıti, inæstimabilem in ipsa concipiunt volupta- Quidam simpliciter vivunt, et in omnibus pro- ıntur. Quidam versantur in dolis, et eis quæ- adversantur. Quidam pro libitu suo vivunt, et

semper sunt vegeti. Quidam a regulis Hippocratis non deviant, et assidue sunt infirmi. Quidam insipientiam simulando sapiunt. Quidam nimis sapiendo desipiunt. Quidam a philosophiæ sinu ad arma prosiliunt. Quidam a claustrali aut scholari quiete migrantes quotidiana membrorum fatigatione se frangunt. Quidam in litigiis et contradictionibus gloriantur. Quidam si eos oportuerit litigare, torquentur. Quidam in rebus nugatoriis sunt plurimum circumspecti, in arduis autem atque seriis, et quæ maturo indigerent consilio, penitus inconsulti. Quidam amicis et domesticis suis graves, inimicos humiliter venerantur. Quidam verissimæ amicitiæ professores inimicos severissime persequuntur. Quidam se superbe humiliant. Quidam humiliter se exaltant. Quidam in suis mendaciis gratiosi sunt. Quidam semper laborant esse verissimi, et mendacissimi reputantur. Quidam ea semper differunt, quæ differre non expedit : ibique sunt præcipites, ubi res saniore consilio indigeret. Quidam in perniciem animæ conjurantes, curam corporis in deliciis agunt. Quidam zelantes salutem animæ, corpori misero et afflicto non parcunt. Quidam de crastino nunquam cogitant. Quidam in universis oculos providentiæ dirigunt in futurum. Quidam de proprio patrimonium Christi augent. Quidam Christum sequuntur pauperem, ut de Christi patrimonio suis nepotibus thesaurizent. Quidam interius simplices, exterius sunt austeri, ut sic inter fratres vinculum sociale concilient. Quidam exterius mansueti murmurant interius, ut fraternæ societatis unitatem dissuant. Quidam irascentes ad horam insaniunt. Quidam dissimulatorio vultu palliant ad tempus injurias et abscondunt. Quidam sub risu fictitio plorant. Quidam sub hypocrisi lamentationis exsultant. Quosdam ad damnosos honores inducit ambitio. Quidam nihil honores reputant sine lucro. Quidam libentius donant semper ingratis. Quidam libentius mutuant debitoribus nunquam mutuum soluturis. Quidam omnes libros revolvunt, et nihil addiscunt; sed et quidam omnia promittentes, promissa non solvunt. Quidam omnia imprudenter agunt, et ipsis pro voto succedit. Quidam omnia consiliose disponunt, et semper in contrarium eis cedit. Quosdam nobilitas sua magnificat, quosdam humiliat, et quandoque apud principes acceptior est fatuus, quia ignobilis, quam nobilis, quia prudens. Quidam omnem sollicitudinem a se prorsus excutiunt. Quidam non solum suis, sed etiam alienis negotiis se minus sufficienter involvunt. Quidam omnia consilio alieno disponunt. Quidam in omnibus sequuntur propriæ voluntatis arbitrium. Quosdam negotia licet ardua nunquam sollicitant. Quidam in rebus

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

5) Aptissima allegoria. Sic in hymno festi Dedicationis Ecclesiæ : *Tunsionibus, pressuris expoliti cos des*, etc.

Psal. 70. [81] Psal. 75. [82] Psal. 47. [83] Psal 121. [84] Jer. 5. [85] Psal. 13.

etiam nugatoriis curiose se torquent. Quidam, ut alienis parcant expensis, se ipsos evacuant. Quidam de alieno prodigi, de proprio sunt avari. Quidam satis tenues, multa vestimenta faciunt et consuunt. Quidam, quod deterius est, multa ædificia incipiunt, nec consummant. Quidam comedunt, ut jejunent. Quidam jejunant, ut comedant. Et quid per universa excurram? *Si linguis hominum loquar, aut angelorum* [86], dissonantias habitantium in hac terra dissimilitudinis, recensere non potero, cum unusquisque non tantum a proximis dissentiat, sed dissideat a se ipso. Gaude igitur, si raptus est avunculus tuus de hoc sæculo nequam, *ne malitia mutaret intellectum ipsius* [87]. De mundo eductus est, quo mundus non erat dignus [88]. Assumptus est de medio pravæ ac perversæ nationis, ut habitet in splendoribus sanctorum, ubi ad pacem et consonantiam universa componit harmonia virtutum, ubi vivendi est invariabilis status et æternus gaudiorum. De incendio autem domus, aut pedis extorsione ne murmures. Nam si animi dotes, quibus præcellebat avunculus tuus, imiteris, *pes* tuus stabit *in directo* [89], et erit Dominus *lucerna pedibus* tuis [90]; et sic super semitas justitiæ te deducet [91], ut pro domo fragili domum habeas in cœlis non manufactam, salubrem, jucundam, decoris incomparabilis, et æternam. Mitte mihi versus et ludicra, quæ feci Turonis : et scias cum apud me transcripta fuerint, eadem sine dilatione aliqua rehabebis.

EPISTOLA XIII.

AD MONACHUM NOVITIUM.

ARGUMENTUM. — *Monachum novitium reprehendit, ante tempus prioratum, hoc est liberam e monasterio egrediendi, et verbum Dei prædicandi potestatem affectantem; monetque monachi novitii potius esse doceri quam docere; subesse, quam præesse; latere, quam in publicum prodire.*

Claustrum et custodiam posueram ori meo; sed, illud in amaritudinis verba relaxare compellor, cum tu novitius et claustralis appetas prioratum. Dicis, quod in parochia prioratus, quem postulas, multos lucrifaceres Deo; de tuo siquidem lucro dubius, de tua proditione sum certus. Nam quid est claustralem redire ad sæculum, nisi cœli habitatorem cadere in infernum? Vis præesse, antequam subesse aut coesse didiceris, et disciplinatum prævenis magistratu.

Ordo hic præposterus est, priusquam doceas expedit te doceri, Apostolus Timotheum instruens, qualem deberet eligere in ministerium verbi Dei : *Non neophytum*, inquit, *ne* forte subito *elatus in superbiam incidat* et in tentationem *diaboli* [92]. Periculosum est neophytis, et nondum in sancta religione firmatis, exire in publicum et usurpare officia perfectorum. Nam ulius Sunamitides, quoniam adhuc tener et puerulus egressus est ad messores, revertens ad matrem, et clamans : *Caput meum doleo* [93], exstinctus est. Dina filia Jacob, nisi in publicum exisset, Sichem raptoris sui violentiam declinasset [94]. Inter Jacob mansuetudines computatur, quod domi sedebat, quando Esau durus et hispidus exterius venabatur [95]. Utinam desiderium tuum esset jugo Domini assuescere et sedere in claustro, maxime dum adolescentia est in cursu ! Nam teste Sapientia : *Bonum est viro, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua; sedebit solitarius et tacebit : levabit enim se supra se* [96]. Proni autem sunt sensus hominis, sicut dicit Scriptura [97], ab adolescentia in malum. Amplectere igitur jugum Domini, et delectare in vinculis ejus : *Jugum* enim Domini *suave est, et onus* ejus *leve* [98]. De Sapientia, scriptum est : *Injice pedem tuum in compedes ejus, et ne acedieris, vinculis ejus* [99]. Claustrum semel ingressus clausisti te, et Christi vinculis alligasti. Clausisti sane et alligasti te per obedientiæ jugum, per clausuram ordinis, per disciplinæ observantiam, per timoris et reverentiæ ligaturam. Clausuram hanc abjecerat ille, de quo Salomon improperando decantat, dicens : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam stulti, totumque repleverant urticæ et spinæ, et maceria lapidum ejus destructa erat* [100]. Scio equidem quod scholaris es, et tecum aliquid de scholari scientia attulisti in claustrum. Verumtamen non existimes te habere Spiritum Dei, donec draco Moysi devoret dracones Pharaonis [1]; donec scientia charitatis evacuet scientiam vanitatis. Adhuc novitius es et ignoras qualiter te in agricultura Domini oporteat laborare. Scriptum quippe est in lege Domini : *Non arabis in primogenito bovis* [2]. In Levitico legis [3] : *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni, et confringes eas in modum farris*; in quo vita novitiorum patenter exprimitur, quorum mentes adhuc desideriorum carnalium humoribus gravidæ et tumentes, non acceptantur in sacrificio Domini, nisi prius igne tribulationis torreantur; nec paleas priorum deponunt affectuum, nisi per laborem et abstinentiam confringantur. Verbum Ecclesiastici est [4] : *Non te immittas in populum, nec alliges tibi peccata duplicia;* quod quidam faciunt, qui citra meritorum sufficientiam officium docentis assumunt. Sicut asseris, charitas ad magisterium te compellit; cui putas illudere? Apostolus ad Corinthios loquens dicit : *Charitas non est ambitiosa, non agit perperam* [5]; nos autem scimus, quia perperam facis, et ad hoc cæca ambitio te inducit. Si percussus fuerit incantator a serpente, quis medebitur ei [6]? Non fuerunt Principi apostolorum commissæ claves regni cœlorum [7], donec terna confessione fidei probaretur. Utinam suscitaret Dominus spiritum tuum,

---

[86] I Cor. 13. [87] Sap. 4. [88] Phil. 2. [89] Psal. 25. [90] Psal. 118. [91] II Cor. 5. [92] I Tim. 3. [93] IV Reg. 4. [94] Gen. 34. [95] Gen. 25. [96] Thren. 3. [97] Gen. 8. [98] Matth. 11. [99] Eccli. 6. [100] Prov. 24. [1] Exod. 7. [2] Deut. 15. [3] Cap. 2. [4] Cap. 4. [5] I Cor. 13. [6] Eccli. 12. [7] Matth. 16.

qui suscitavit ad liberationem Susannæ spiritum pueri junioris [8]! Ipse suscitasse legitur spiritum Othoniel [9], spiritum Debboræ [10], spiritum Gedeonis [11], et aliorum omnium, quorum ministerio ad liberationem populi sui utebatur. Nescio, si forte cum Apostolo dicis, quod non ab homine, sed a Deo duntaxat Evangelium didicisti. Utinam noveris, quia qui gladium accipit, gladio peribit [12]! se namque interimit, qui verbum prædicationis indigne præsumit. Lex imperialis minorem vigenti quinque annis ad tutelæ officium non admittit. Sed nec Ezechiel [13], donec tricesimum annum compleat, aperiuntur cœli, ut visiones Dei intelligat, nec Moyses [14] ad liberationem populi de Ægypto mittitur, donec annos septuaginta transcendat. Doleo, quia prioratum desideras; prioratum tamen leviter obtineres, si desiderares esse posterior. Ille, qui solus de pulvere erigit pauperem, in schola evangelicæ disciplinæ nos erudit non appetere prælaturam. Ardes desiderio lucendi aliis: utinam arderes ardenti desiderio non lucendi! *Erat*, inquit Christus, *Joannes lucerna ardens et lucens* [15]. Sufficiat tibi, si in claustro ardeas. Si enim velis lucere coram hominibus, timeo *ne lumen quod in te est, tenebræ sint* [16]. Nam *qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* [17]. Bonum est ardere, sed igne charitatis, non vanitatis. *Ignem*, dicit Dominus, *veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat* [18]? Ardebat siquidem et lucebat ille, quo *major inter natos mulierum*, Veritatis testimonio, *nemo* surrexit [19]. Tu vero, quandiu sub modio es, ardere tibi potes et lucere, sed paucis; lucere autem publice non est tibi datum, donec super candelabrum colloceris. Sustineas igitur interim, et ardeas sapienter. Ardet enim reprobus, sed *sicut ignis in spinis* [20]. *Exarcerunt* et iniqui, sicut legitur, *in concupiscentiis suis* [21]. Si vis exire de claustro, ut obtineas libertatem, devias et aberras: recedens enim a claustro, elongaris a Deo. Nec possum te videre liberiorem, quam si pro Christo claustralem subeas et impleas servitutem. Liberrimum te facis, si ei servis ex corde, cui servire regnare est. Dicis, quod si haberes prioratum, aut saltem liberam egrediendi et prædicandi licentiam, fructum in Ecclesia Dei faceres tempestivum. Faceres quidem, nisi, quia jam mundus osculo Judæ proditorio te vendidit: et cum te fallaci osculo alliceret, angelis Satanæ dicebat: *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum* [22]. Nam te jam præsentialiter tenent; et te desiderare compellunt, quod spontaneus abjurasti. Vereor, ne cum spiritu cœperis, carne consummeris [23]. Renuntiasti sæculo et pompis ejus, et spiritualem in te Jericho subvertisti. Scis quoniam adhuc durat imprecatio Josuæ: *Maledictus, qui reædificat Jericho* [24]. Non decet ad sæculum redire monastici ordinis professorem. Si prædicare et docere affectas, prius docearis, quod docere te oporteat. Adhuc plangentis habes, non docenis officium. Porro quidam de domo tua exierunt, occasione alios instruendi, et ad sanctioris vitæ propositum convertendi, et per eos scandalizata est domus tua. Neminem palpat Dominus. *Væ homini, per quem scandalum venit* [25]. *Væ*, inquit Christus, *vobis, qui circuitis mare et aridam, ut unum proselytum faciatis* [26]. *Hi sunt*, dicit Apostolus, *qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis* [27]. Sane in claustro potes legere, scribere et docere. Sapientia dicit: *Sapientiam scribe in otio, et qui minorantur actu percipient eam* [28]. Nam et Paulus in vinculis scribebat et ædificabat alios ad salutem [29]. Jeremias clausus in carcere, scribit et præcipit Baruch ut legat comminationes Domini [30]. Ama, quæso, claustrum, et abscinde ab animo tuo desiderium exeundi; nam juxta sententiam cordis mei, si paradisus in hac vita præsenti est, vel in claustro est, vel in scholis. Quidquid enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore. Tu vero nescio quam sæculi dulcedinem somniasti in claustro, quam si forte per insipientiam apprehenderis, avolabit ut somnium, et inter nugatorias beatitudines, quas suspiras, invenies te delusum. Fallax et seductoria illa evagandi voluptas consumet claustralis innocentiæ fructus; et quod nunc reputas honorabile et lucrosum, in tuæ famæ dispendium et periculum animæ convertetur.

EPISTOLA XIV (36).

AD SACELLANOS AULICOS REGIS ANGLORUM.

ARGUMENTUM. — *Fatetur se morbi gravis beneficio cognovisse vitæ aulicæ pericula. Ejusdem multiplices vanitates et molestias prolixe describit. Clericos doctiores ait apud Deum inexcusabiles esse si aulas sectantur, et sacellanos, ad quos scribit, hortatur, ut suo exemplo eas deserant.*

Dilectis dominis, et amicis omnibus clericis de capella domini regis, suus PETRUS, Blesensis BATH. archidiac., salutem in vero salutari.

Gratias ago gratiæ vestræ quantas possum quia, quandiu conversatus sum inter vos, me fraterno coluistis affectu; nec minus mihi apud vos effecit gratia, quam apud alios diuturna nutrituræ conditio, aut natura. Si quando equitabamus, eratis lucerna pedibus meis, eratis mihi pro vehiculo in

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(36) Hæc epistola, licet elegans, deest in quibusdam codicibus mss.

---

[8] Dan. 13. [9] Jud. 3. [10] Jud. 4. [11] Jud. 6. [12] Matth. 26. [13] Cap. 1. [14] Exod. 7. [15] Joan. 5. [16] Luc. 11. [17] Psal. 52. [18] Luc. 12. [19] Luc. 7. [20] Psal. 117. [21] Dan. 13. [22] Matth. 26. [23] Gal. 3. [24] Jos 6. [25] Matth. 18. [26] Matth. 23. [27] II Tim. 3. [28] Eccli. 38. [29] Ephes. 6. [30] Jer. 38.

via. Si autem nostris indulgebatur jumentis Sabbatum (homines enim in curia sabbatizare non vidi, unde et in ea parte melior est conditio jumentorum) tædium illud, quod frequenter afficit curiales, vestra mihi dulcissima colloquia furabantur: eratisque solatium et exsultatio mea in via, in camera, in capella. Ductus equidem quodam spiritu ambitionis, me totum civilibus undis immerseram: Deumque et Ecclesiam ejus, atque ordinem meum post terga rejiciens, non quanta fecisset mihi Dominus sed quantas possem mihi aggregare divitias, anxius attendebam. Eorum ergo, quæ retro sunt, oblitus, me ad anteriora, sed non more Apostoli, porrigebam [31], verumtamen *castigans castigavit me Dominus et morti non tradidit me* [32]: quem lecto doloris affligens, in corpus parvum, abjectum, et miserum, spiritum suæ indignationis infudit. Anxiabar ad mortem, jamque corporis et animæ divortium certissime imminebat; sed intelligens Pater misericordiarum, quia datura esset mihi vexatio intellectum, iratus misericordiæ recordatus est [33], simulque spiritum iræ suæ cohibuit, et a me ambitionis spiritum exsufflavit. Sane frequenter legeram verbum illud Salomonis: *Ire de hospitio in hospitium vita pessima est* [34], sciebamque quod vita curialis, mors est animæ: recolebam, damnabile esse in clerico, se curialibus, aut sæcularibus negotiis immiscere. Nec a memoria mea exciderat illud Ecclesiastici verbum, quod me et consimiles a curialibus curis debuerat abstraxisse. *Noli*, inquit, *ab homine quærere ducatum, neque a rege cathedram honoris: penes regem noli videri sapiens. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates populi. Non te immittas in multitudinem civitatis, nec alliges tibi peccata duplicia* [35]. Porro sic me inebriaverat ambitio, sic me blanda principis promissa subverterant, ut sciens et prudens viderer in omne descrimen animæ, corporisque dispendium pertinaciter conjurasse. Verumtamen in flagello Domini gratiam paternæ correctionis intelligens, *meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* [36] Sic pallium cum Joseph [37], cum Matthæo telonium [38], sindonem cum Joanne [39], cupiditatis hydriam cum Samaritana [40] relinquere et abjurare decrivi. Audivit me Dominus, et ambitionis ardorem, quem prius in me torrentes auri et argenti temperare non poterant, ros divinæ miserationis exstinxit. *Confirma hoc, Deus quod operatus es in me* [41]: nec me redire ad vomitum, nec me unquam, quod destruxi, Jericho reædificare permitte [42]. Ego putridissimus pulvis, et modico flatu dispergendus in ventos, ut quid ad ampliores divitias anhelabam? Modicus venter meus

A quotidie uno modico pane contentus est: dederatque mihi Dominus, unde singulis diebus cum hilaritate animi, et quiete corporis, possem pascere multos ventres. Nunquid infelix debui venari et jejunare in castris in animæ et corporis mei exitium, ut pascerem multitudinem jumentorum et hominum? nunquid gloria hominis est, et homines et jumenta pascere, et a verbo Dei et a cibo animæ jejunare? *Esca ventri, et venter escis*, dicit Apostolus: *Deus autem hunc et has destruet* [43]. Porro panis vitæ duraturus est in æternum [44]. Sane servientes, de quorum numerosa multitudine magnates plurimum gloriantur, suorum venatores sunt et aucupes dominorum; prædam enim sequuntur non homines. Quod ex eo manifestissime liquet, quia B illos, quos in divitias et honores extulit fortuna clementior, nec numerositas illa clientelæ secuta est dum adhuc pauperes essent, nec hodie sequeretur, si in consimilem reciderent paupertatem. Pro hac vanissima vanitate militant hodie nostri curiales *in labore et ærumna, in vigiliis multis, in periculis* magnis, *periculis maris, periculis fluminum*, periculis pontium, periculis montium, *periculis in falsis fratribus* [45]; in mortibus frequenter, in confractione et lassitudine corporis, atque in aliis vitæ descriminibus, in quibus gloriam martyrii mererentur, si hæc pro Crhisti nomine sustinerent. Nunc autem sunt martyres sæculi, mundi professores, discipuli curiæ, milites Herlewini. Per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cœlorum [46]; hi autem per multas tribulationes pro- C merentur infernum. *Væ qui trahitis jugum iniquitatis*, sicut propheta [47] commemorat, *in funiculo vanitatis. Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* [48]? Longe melius foret esse justum quam divitem, quia testimonio Salomonis [49]: *Non proderunt divitiæ in tempore ultionis: dives enim cum interierit, non sumet omnia, et non descendet cum eo gloria* domus *ejus* [50], *Justitia vero liberabit a morte* [51]. Miserrimi, quando fruemur cum quiete et gaudio, bonis, quæ supra omnem nostrorum exigentiam meritorum nobis gratia divinæ miserationis indulsit? Libenter siquidem frueremur; sed domina ambitio non permittit, quæ ad majorem divitiarum acquisitionem nos excitat, et semper hiatus aperit ampliores. Ve- D rumtamen juxta Salomonem: *Avarus non implebitur pecunia; et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis* [52]. Apud homines quidem vilis, sed apud Deum et angelos ejus gloriosus est titulus paupertatis. Scio, quia eos qui in curia domini regis morantur, aut potius moriuntur, spes regiæ liberalitatis frequenter exhilarat, quæ quandoque in multos ma-

—

[31] Philipp. 3. [32] Psal. 117. [33] Habac. 3. [34] Eccli. 29. [35] Eccli. 7. [36] Psal. 76. [37] Gen. 39. [38] Matth. 9. [39] Marc. 14. [40] Joan. 4. [41] Psal. 67. [42] Jos. 6. [43] I Cor. 6. [44] Joan. 6. [45] II Cor. 11. [46] Act. 14. [47] Isa. 5. [48] Matth. 16. [49] Prov. 11. [50] Psal. 48. [51] Prov. 11. [52] Eccle. 5.

ce et munifice se effundit. Sperat autem unusque sibi eventurum, quod videt pluribus aliis isse. Sub istius exspectationis dulcis et incertæ io tædiosa delectant, gravia levigantur, amara escunt, nostrique martyres labores, quamvis ni, expensas etiam, quamvis avari, non sen-

Sic, ut non perdat, non cessat perdere lusor.
Et revocat cupidas alea blanda manus [53].

ntur mihi in verbis et desideriis illum Persii rsare versiculum.

m dabitur, jam, jam : donec deceptus et exspes,
ee quidquam fundo suspirat nummus in imo.

juxta sapientem [55] : « Sera est in fundo parnia. » Illud in curia detestabile est quod qui s diligunt, minus diliguntur. Imperiti etiam, nnino inutiles elegantioribus beneficiis amtur, divitiæ accumulantur divitibus ; nec est respiciat ad inopem et mendicum. Elisæus bat vasa vacua, et deficientibus vasis vacuis stetit [56]. In curia autem vasa vacua contemr, et plena implentur, ligna in silvas, et aquæ ria deferuntur. Ego sane dispendia enormium sarum, et super omnia jacturam perditi temdeplorarem ; nisi, quia maximum laboris mei fructum, quod nostrum principem per gra-Dei et suam semper habui propitium, mitem, em et benignum. Nunquam porrexi ei preces, on admiserit liberaliter ; præparationem etiam mei in pluribus ejus bonitatis beneficiis quanprævenit. Diligebam ipsum, et diligo, et r diligam ex affectu ; nec me diligat Deus b ipsius dilectione desistam ; gratia namque ne perpetuo vindicavit in suum ; suumque r erit, si quid cogito, si quid scribo, si quid si quid valeo, si quid possum. Hinc est quod, in vestra usus sum comitiva, quælibet dies, in omini regis alloquio non fruebar, mihi tristis ila videbatur dies ; in qua vero suo me dignaalloquio, mihi tota tanquam dies nuptialis in ducebatur. Confidentissime dico, majorem-artem mundi testem habeo, in hac parte a re Caroli, nullum fuisse principem, adeo ben, prudentem, largum et strenuum. Hæc pauca s commendatione perstrinxi, quia in his omnia bona principum efficaciter conclu-.

i autem noveritis, quod ad gloriam et magniam domini regis jam de actibus ejus librum gna parte composui, qui vestræ fraternitati unicandus est : sed adhuc opus illud manus s corrigit et elimat, ut cum in publicam itiam venerit, nec obtrectatorum linguas, nec osos morsus invidiæ pertimescat. Porro

A quamvis obsequium et reverentiam debeamus principibus, et maxime *regi*, juxta apostolum, *tanquam præcellenti* [57] : tamen nostræ professionis homines efficacius possent in Ecclesiis deservire principibus, quam in castris. Simpliciores equidem, et qui minus in divina pagina sunt eruditi, si in obsequio regiæ majestatis militare proponunt, non arbitror hoc absurdum.

Verum, in sacris ordinibus constitutus, et sacro eloquio pollens, qui jam tenetur fontes suos derivare foras, talentumque sibi a Domino creditum cum lucro ad Dominum reportare, omnino inexcusabilis est, si sæcularibus negotiis se immiscet et vinculis curialibus innectit. Audite quid de talibus dicat Dominus per prophetam : *Dedi eis*, inquit, B *argentum et aurum meum : ipsi vero de auro et argento meo operati sunt Baal* [58]. Nonne fabricant Baal de auro et argento Domini, quibus sapientiam et eloquentiam dedit Deus *ad dandam scientiam salutis plebi ejus* [59] : ipsi vero talentum Domini terræ infodiunt, atque Baal construunt, dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub jactu aleæ vitam et animam ponunt ? Isti constituunt arcam Domini in Azoto [60], quæ interpretatur, *ignis concupiscentiæ*, quia per ambitiosam concupiscentiam gloriam nostræ professionis evacuant. Convertit Dominus flumina eorum in sanguinem, ne bibant : terramque ferream, et cœlum æneum dat eis, ut pluviæ cœlestis expertes fructum vitæ non faciant [61]. Scienter equidem et prudenter pereunt, quia immiscuit eis C Dominus spiritum vertiginis [62], eisque rotam malorum rex sapiens impiorum ventilator immittit. Perditæ vitæ homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant ; nonne figuram araneæ gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ut capiat muscam vilissimam ? Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva ? Quidam allegantes excusationem in peccatis, et veteris Adæ perizomata præferentes [63], interrogantibus quare curiam sequantur, quam Deo et saluti suæ non ambigunt esse contrariam, ad colorem et tuitionem suæ ambitionis exempla antiqui temporis introducunt. Ad correctionem et eruditionem regum, inquiunt, missi sunt, Moyses ad Pharaonem [64], Jeremias ad D Sedechiam [65], Elias ad Achab, [66] Joiadas ad Josiam. O clerice curialis, nunquid Dominus misit te ad regem ? in obsequium ejus te misit, aut potius intrusit ambitio. Certe post signa in rubo, in serpente, in manu leprosa [67], ab injuncta legatione Moyses se excusat. [68] Si tibi legatio etiam impossibilis a rege injungitur, sponte te offers, magna dicis et majora promittis. Cupienti enim animo nil grave videtur, nihil ambitioso difficile : Ideoque

---

Ovid. 1. I *De art. am.* [54] Sat. 2. [55] Senec. ep. 1. [56] IV Reg. 4. [57] I Petr. 2. [58] Osc. 2. [59] Luc. 1. ȝ. 5. [61] Deut. 28. [62] Isa. 19. [63] Gen. 3. [64] Exod. 3. [65] Jer. 33. [66] III Reg. 18. [67] Exod. 3. d. 4.

ambitio est quædam simia charitatis. Charitas enim patiens [69] est pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus; ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate; ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat; sed longe dissimu modo: hæc ad gloriam hujus vitæ, illa ad gloriam sine fine. Nam in igne aliter se habet aurum rutilans; et aliter palea fumans. Charitas nunquam excidit; ambitio numquam surgit. Ambitio enim ipsa est iniquitas super talentum plumbi. Hæc est oculus omnium curialium, sicut Zacharias dicit [70]. Hæc est ocutus eorum in universa terra, non dexter oculus, sed sinister. Omnes enim, qui militant in castris ambitionis, capti sunt a Naas Ammonite, dextrosque oculos amiserunt [71]. Perspicaces enim sunt in acquisitione temporalium; jacturam vero vitæ, quæ præterit, et imminentia mortis æternæ supplicia non attendunt: cæcutientes autem sunt ad bonum, sed perspicaces in malum. *Sapientes sunt*, dicit propheta, *ut faciant mala: bona autem facere nesciunt* [72] ipsi autem tanquam *lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum* [73]. Rerum temporalium acquisitioni impendunt, quidquid sciunt, quidquid loquuntur, quidquid faciunt. De uno potissimum miror: qualiter curialis sustinere potest molestias, qui diu scholari militiæ, et castris disciplinalibus assuevit. Ad curiales redeo: apud quos in accipiendo cibo, in equitatu, in vigiliis non est ordo, non est ratio, non est modus. Apponitur clerico, aut militi curiali panis non elaboratus, non fermentatus, confectus ex cerevisiæ fæcibus: panis plumbeus, loliatus et credus; vinum vero aut acore, aut mucore corruptum, turbidum, unctuosum, rancidum, piceatum vapidum. Vidi aliquando vinum adeo fæculentum magnatibus apponi, quod non nisi clausis oculis, et consertis dentibus, cum horrore et rictu, cribrari oportebat potius quam potari. Cerevisia, quæ in curia bibitur, horrenda gustu, abominabilis est aspectu. In curia, propter frequentiam populorum animalia venduntur indifferenter, sana et morbida; pisces etiam jam quatriduani: nec tamen aliquid de pretio putredo aut fetor imminuit. Servientes enim de infelicium convivarum morte aut languore non curant, dummodo dominorum suorum mensis plenioribus ferculis serviatur. Implentur morticiniis, fiuntque multorum sepulcra mortuorum discumbentium ventres. Multi etiam ex ciborum hujusmodi corruptela frequentius morerentur, sed famelica ventris ingluvies, et illius exitialis abyssi Scyllæa vorago ope laboriosæ exercitationis omnia consumit. Hinc est quod, si in aliquo municipio spatium moræ productioris indulgeant, aliqui eorum semper manent moribundi. Ut cæteras taceam, molestias mareschallorum (37) sustinere non possum. Hi siquidem blandissimi sunt adulatores, detractores pessimi, improbissimi emunctores. Importunissimi sunt, donec accipiant: cum acceperint, sunt ingrati; et nisi manum suam donator continuet, inimici. Vidi plurimos, qui mareschallis manum porrexerant liberalem; qui, dum hospitium post longi fatigationem itineris cum plurimo labore quæsissent, cum adhuc essent eorum epulæ semicrudæ, aut cum jam forte sederent in mensa, quandoque etiam, cum jam dormirent in stratis, mareschalli supervenientes in superbia et abusione, abscissis equorum capistris, ejectisque foras sine delectu, et non sine jactura, sarcinulis, eos ab hospitiis turpiter expellebant, amissique omnibus ad quietis nocturnæ solatium comportatis, non habebant miseri, divites tamen, ubi nocte illa capita reclinarent. Curialibus miseriis illud adjicio; quod si rex alicubi perendinare promiserit, maxime si regiam vox præconia publicaverit voluntatem, certissime scias, quod rex summo mane iter arripiet, et propositum singulorum inopina subitatione deludet. Ideo frequenter evenit, quod hi qui sibi in curia sanguinem minuunt (38), vel accipiunt medicinam, omissa corporis cura, principem sequuntur; et ponentes vitam suam quasi sub jactu aleæ, ne perdant quod nec habent, nec habituri sunt, se ipsos perdere non verentur. Videas homines quasi furiosos excurrere, instare summariis (39), et quadrigas occursare quadrigis: omnes tumultuari ad invicem, ut ex ipsa rerum turbatione tibi apertissime describatur facies inferni.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ

(37) Mareschallus est vox usitatis imæ præcipue apud scriptores rerum Anglicarum: de qua sic Guillelmus Somnerus in *Glossario*: Mareschallus deducitur ex veteri vocabulo *mare*, quod idem est ac equus et *schal*, id est servus. Olim enim, aiunt, vilis fuit muneris nomen equorum, custodem sive servum significans. Postea vero præclaræ dignitatis nomen evasit. Sic enim vocaverunt eum, qui Latinis aliter comes stabuli, magister sive præfectus equitum, Græce πρωτοστράτωρ. Legendi Cassiodorus, lib. VI, *Variorum*; P. Gregorius, lib. VI. *Syntag.*, c. 8; Hotomanus in comm. *De verb. feud.*, et Gerardus Vossius.

(38) Vox *sanguinem* non habetur in Sorb. I, Vict. II et 3, nec male: nam et sola vox minuere significat aperire venam et φλεβοτομεῖν, ut habetur in antiquis consuetudinibus Cluniacensis monasterii, collectore S. Udalrico, lib. 2, cap. 21, ubi et aliquando solo verbo *minutionis* utitur. Florebat anno 1080; habentur hæ consuetudines tomo *Spicilegii* Dacheriani. Eodem etiam modo loquitur Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus in *Decretis pro ordine S. Benedicti*, cap. 12. Idem frequenter legere est in statutis Carthusiensibus.

(39) Sic in Sorb. 1. Dom. et Victorinis tribus legitur, ut in Herbipolensi ms. apud Busæum, vel *Saumarios*, ut in quibusdam, et in ms Confluentino ejusdem Busæi; nec male, licet Busæus post Gerar-

[69] I Cor. 13. [70] Cap. 5. [71] I Reg. 1. [72] Jer. 4. [73] Thren. 4.

Quod si princeps prædixerit, se ad certum locum summo mane in crastino profecturum, sententia procul dubio mutabitur : ideoque scias cum usque ad meridiem dormiturum. Videbis summarios, sub oneribus exspectantes, silere quadrigas, dormitare præambulos, mercatores curiæ anxiari, omnesque invicem mussitantes. Curritur ad meretrices et tabernacularios curiales, ut inquiratur ab eis, quo princeps profecturus sit. Hoc enim genus curialium arcana palatii frequenter novit. Regis enim curiam sequuntur assidue histriones, candidatrices, aleatores, dulcorarii, caupones, nebulatores, mimi, barbatores,

Balatrones (40), *hoc genus omne.*

Sæpe vidimus, rege dormiente, dum medium silentium tenerent omnia, quod sermo a regalibus sedibus, veniebat [74], non omnipotens, sed omnes excitans, et civitatem, ad quam eundum erat, vel oppidum nominabat. Post longa tædia exspectationis incertæ, cedebat nobis ad solatium, ibi hospitari, ubi sperabatur hospitiorum et victualium copiam inveniri. Tanta itaque et tam confusa, atque tumultuosa erat equitum, peditumque discursio, ut crederes, abysso eversa, eruptionem fieri ab inferno. Porro cum jam diætam illam, aut totam, aut fere totam nostri præambuli peregissent, mutata voluntate rex alio divertebat, ubi forte unicam domum, et sufficientiam victualium, quæ nulli communicabantur, habebat; et credo, si hoc dicere audeam, quod voluptates suas de nostris angustiis ampliabat.

Tribus ergo aut quatuor milliaribus per silvas incognitas et frequenter in tenebris oberrantes, credebamus nobis successisse ad votum, si nos sordidum et vile contingeret invenire tugurium. Erat autem sæpissime inter curiales de mapalibus gravis et dura contentio : seque pro hospitio gladiis appetebant, pro quo indignum esset ligitium inter porcos. Qualiter ea nocte nobis, aut evectionibus nostris fuerit, aliquem vestrum hæsitare non credo; ego autem et mei divisi eramus, vixque per triduum potui congregare dispersos. Summe Deus omnipotens, tu qui es *Rex regum et Dominus dominantium* [75], qui es terribilis *apud reges terræ, qui aufers spiritum principum* [76], *qui das salutem regibus* [77], *in* cujus *manu cor regis* est, *et quocunque* volueris, vertis illud [78], verte et converte cor hujus regis ab hac pestilenti consuetudine, ut sciat se esse unum hominem, atque hominibus, quos post eum, non ambitio, sed necessitas trahit, discat et assuescat exhibere gratiam regiæ liberalitatis et humanæ compassionis affectum. *Dimitte*, quæso, me *ut* adhuc *plangam paululum dolorem meum, ne revertar* in curiam laboriosam, *et opertam mortis caligine, ubi umbra mortis est, et nullus ordo* [79]. Nam, ut ad ministeriales curiæ redeam : apud forinsecos janitores biduanam forte gratiam aliquis multiplici obsequio merebitur, sed usque in diem tertium non durabit; nisi continuatis muneribus et obsequiis redimatur. Regem dormire, aut ægrotare, aut esse in consiliis mentientur; te, si honestus aut religiosus es, ut qui eis heri non dederis, diutissime foris in luto et in pluvia stare cogent; et, ut iniquius jecur tuum ira ulcerent et crudelius anxient, ciniflones et furciferos ad primum verbum gratis intrare permittent. Ostiarios cameræ confundat Altissimus; faciem enim cujuslibet boni viri confusione multiplici et rubore perfundere non verentur. Evasisti terribiles virgas; si nihil dederis ostiario, nihil actum est :

Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras [80].

Post primum Cerberum, tibi superest alius horribilior Cerbero, Briareo terribilior, nequior Pygmalione, crudelior Minotauro. Quantacunque tibi mortis necessitas, aut discrimen exhæredationis incumbat, non intrabis ad regem; imo quod sæpius accidit, ut gravius anxieris, et, ut ita loquar,

... *rumpantur ut ilia Codro* [81],

tuus introducetur adversarius, te excluso. Domine Jesu Christe, si sic vivitur, et in talibus vita et spiritus eorum qui castra sequuntur, nunquam, quæso, in castra regrediar; jactura siquidem an-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

dum Vossium vocabulum itud rejecerit, apponendo *Sagmarios*. Nec video cur idem Vossius, approbante Busæo, voluerit emendare vocem illam apud S. Bernardum, lib. III *De consid.*, cap. 3, ubi dicitur : « Summarii non levati sarcinis, onusti nihilominus repatriant vel inviti, » et monuerit legendum esse *Sagmarii*, cum in omnibus mss. S. Bernardi legatur *Summarii*, ut mihi asseruit doctissimus, domnus Joannes Mabillon Benedictinus, qui in novissima sua operum S. Bernardi editione vocem *Summarii* apposite restituit. Certe enim novimus cum Vossio σάγμα significare onus, vel stratum, cui onera aptantur : unde σαγμάριαι quasi sarcinarii et onerum bajuli. Verum novimus etiam summarii vocem esse antiquam licet barbaram, sed ætate Bernardi usitatissimam apud auctores præcipue, qui de rebus Gallicis et Anglicis scripserunt, apud Matthæum Paris., Radulfum de Diceto, Juan Bromton, Gervasium Dorob. et alios. Nec eo inficias vocabulum hoc deductum esse a Græco σάγμα, unde dictum est Latine sauma, et post modum summa, Gallice *une somme* : unde saumarius et summarius Gallice *sommier*, Anglice *sumpter*.

(40) Sic se restituisse ait Busæus, quia vox ista Latina est, et a bonis auctoribus usurpata pro hominibus nullius pretii. Nullum tamen exemplarium nostrorum legit balatrones sed baratrones : quæ vox etiam admittitur a novissimis auctoribus, ut a Spelmanno, qui sic ait : « Balatro vel baratro, nequam, inquit, Lydius ex M. Goldasto. » Et Laurentius Lucensis in *Onomastico ex festo* : « Balatrones, *inquit*, dicti olim baratrones, quasi digni baratro. »

---

[74] Sap. 18. [75] I Tim. 6. [76] Psal. 75. [77] Psal. 143. [78] Prov. 21. [79] Job. 10. [80] Ovid. l. II *De art. am.* [81] Virg. Ecl. 7.

norum, quos circa curiam in nugis consumpsi, æstimationem non recipit. Saluto vos, et militiam vestram, ne dicam malitiam curialem. Alia militia est, ad quam Timotheo scribens Apostolus me invitat : *Milita*, inquit, *militiam bonam habens fidem et conscientiam puram* [82]. Ubi dicit, militiam bonam, patenter excludit militiam curialem, tanquam male sibi consciam, inhonestam, reprobam, perditam et damnatam. Vos etiam, amici charissimi, quandoque recogitetis in amaritudine animæ vestræ dies, quos in curia perdidistis. *Hora est jam nos de somno surgere* [83]. *Surgite postquam sederitis* [84], ne obdormiatis in morte [85]. Vita nos fugit, mors instat, hostis insidiatur ut rapiat, et non est qui eripiat. *Æmulor quidem vos Dei æmulatione* [86], zelans et sitiens salutem vestram in visceribus Jesu Christi : videtis, quia curia plena est laqueis mortis : mors autem inevitabilis et incerta, judexque terribilis nos exspectat. *Horrendum est autem incidere in manus Dei viventis* [87], illosque cruciatus incurrere, quorum non est intermissio, neque finis. Scio me spiritualem Jericho subvertisse, Josueque Moysi successorem dixisse recordor : *Maledictus, qui reædificat Jericho* [88]. Ego siquidem processi in diebus meis ; et, ut sermonibus Job utar : *Rugæ meæ dant testimonium contra me* [89]. Et item : *Breves anni transeunt, et per semitam, qua ambulo, non revertar* [90] ; recogitabo ergo dies perditos in amaritudine animæ meæ, residuumque annorum meorum studiis immolabo et paci.

Bene valeant socii et amici nostri, et sciant me suum esse universi et singuli.

EPISTOLA XV.

AD COMITEM RAINALDUM (41) ELECTUM IN EPISCOPUM CARNOTENSEM.

[A. D. 1178.]

ARGUMENTUM. — *Instruit filium comitis R. in episcopum Carnotensem electum, quibus virtutibus episcopus ornatus esse, et a quibus vitiis abhorrere debeat.*

Vocavit te nobilis Ecclesia Carnotensis de subdito in prælatum, de filio in parentem, de discipulo in magistrum. Si vis esse, quod diceris, ut inter electos Domini censearis, qui in electis suis mittit radices [91], qui quos elegit, hos et prædestinavit [92] ;

A convertere a conversatione tua antiqua, ut novum induens hominem, omnem vitæ prioris exuas vetustatem Cum eras parvulus, sapiebas et loquebaris ut parvulus ; nunc autem quia in virilis ætatis plenitudinem evasisti, evacuanda sunt quæ erant parvuli [93], ut nihil puerile aut tenerum sapiant opera tua, sed te per omnia exhibeas virum in Christo perfectum. Super omnia humilitatem amplectere, ut apud te nihil superciliosum appareat, in verbo, vel in facie, vel in gestu. Principem te constituerunt fratres tui, dicit Sapientia [94], *esto in illis quasi unus ex illis* ; nihil singularitatis prætendas, nihil dominationis exerceas. *Estote*, inquit beatus Petrus apostolus, *non dominantes in clero, sed forma facti gregis* in populo [95]. Ille, *qui vocat ea*

B *quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* [96], vocavit te, ut sacerdotio fungaris ei, ut in domo matris suæ sis fidelis et prudens dispensator, servus non dominus, sis possessionum suarum custos, et populi advocatus. Posuit te Dominus, ut sis principibus ad correctionem, plebibus ad eruditionem, afflictis ad solatium, nocentibus ad timorem, clericis ad liberationem, superbis ad humiliationem, humilibus ad tutelam. Agnosce, quæso, vocationem tuam [97] ; non enim vocavit te iterum Dominus in immunditiam, ut deducas in bonis dies tuos, et agas curam carnis in desideriis [98] ; hæc omnia a mente futuri episcopi convenit exsulare ; scriptum est enim [99] : Necesse est, ut munda sit manus, quæ sordes diluit alienas. Sane in Exodo legitur [100], quod cum

C Moyses de mandato Domini proposuisset Aaron in pontificem consecrare, eum prius diligenter ablutum vestivit subucula, et balteo cinxit ; in quo ostenditur quod in episcopum consecrandus prius ebluitur, ut de antiqua conversatione in novam innocentiam reformatus suscipiat incrementa virtutum. In subucula quidem vitæ munditia designatur, quæ balteo constringitur, ut sub arctiore tutela pudicitia nutriatur. Apponitur etiam tunica hyacinthina, ut sit conversatio ejus cœlestis [1], ut jam non loquatur verba hominum, aut sapiat nisi Christum. Superhumerali autem rationale adjicitur [2], in quo erat doctrina et veritas ; ut sit scriba

D doctus in regno Dei, et cum opportunum fuerit,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(41) Raynaldus, aut. ut alii, Reginaldus de Monçon, filius erat Reginaldi comitis de Monçon alias de Bar, et Agnetis, Theobaldi magni Campaniæ comitis filiæ. Hic cum esset thesaurarius ecclesiæ S. Martini Turonensis, et præpositus Ecclesiæ Carnotensis, ex Soucheto in *Historia ms.* ejusdem Ecclesiæ, anno circiter 1187, successit in episcopatu, Carnotensi Petro Celfensi abbati, non autem Joanni Sarisberiensi, ut scripsit Busæus. Constat enim apud omnes Joannis Sarisberiensis successorem fuisse Petrum Cellensem. Sic enim ad Rainaldum nostrum scribens Stephanus Tornacensis, et promotioni ipsius ad episcopatum congratulans, meminit Joannis et Petri prædecessorum ejus. Consentiunt omnes historici, et Necrologium Carnotense, quod de virtutibus ejus ita loquitur : « Octavo Kal. Augusti obiit Reginaldus illustris comes Moncionis, pro cujus anima Reginaldus ejus filius, Carnotum Ecclesiæ venerandus antistes, capellam SS. Sergii et Bacchi in curia domorum episcopalium sitam, in ea libertate et immunitate, qua eam possidebat, concessit capitulo Carnotensi jure plenario perpetuo possidendam. Pro cujus beneficii largitione statutum est anniversarium patris ejus et matris, et comitis Henrici, et ipsius episcopi, cum decesserit, celebrari, ac proventum dictæ capellæ canonicis

[82] I Tim. 1. [83] Rom. 13. [84] Psal. 126. [85] Psal. 12. [86] II Cor. 11. [87] Hebr. 10. [88] Jos. 6. [89] Job. 16. [90] Ibid. [91] Eccli. 24. [92] Rom. 8. [93] I Cor. 13. [94] Eccli. 32. [95] I Petr. 5. [96] Rom. 4. [97] II Cor. 1. [98] Rom. 13. [99] Eccli. 43. [100] Cap. 29. [1] Exod. 28. [2] Ibid.

producat de thesauro suo nova et vetera [3]. Hæc a tuæ administrationis officio exactissime requiruntur, ut per omnia sit in te humilitas non vilescens, dignitas non præsumens.

Hodie in promotione quorumdam prima questio est, quæ sit summa redituum, non quæ ist conversatio subjectorum ; verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera, non ad multiplicandum numerum familiæ, aut equorum ; non ad dandas parentibus dignitates, sed ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Majus gaudium Deo et angelis ejus, si convertatur peccator a via sua mala [4], prælati officio, quam si per ejus industriam pompa episcopalis eminentiæ in evectionibus et familiis augeatur. Non est in hoc gaudium angelorum, in quo est pauperum domorum subversio, a quibus procurationes exigis importunas. Conqueruntur et dicunt, quia *multipticasti gentem, et non magnificasti lætitiam* [5]. Si te illius discipulum profiteris, qui *venit ministrare, non ministrari* [6], sic ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum [7] ut patrimonium Christi et pauperum ejus, quod tibi commissum est in egentium necessitates, non in usus extraordinarios expendatur.

Patrimonii hujus zelator est Dominus, rationem tecum districtissimam positurus [8], et usque ad novissimum quadrantem exigei universa [9]. Sane propter hoc irritavit impius Deum. *Dixit enim in corde suo : Non requiret* [10]. Sed certo requiret. Nec te poterunt excusabilem reddere tuæ generositatis eminentia, et numerositas clientelæ. Si quia filius comitis, aut consobrinus regis (42) es, manu effusiore teneris expendere ; necessitas hæc Christi patrimonium non contingit. Expensas, quas de rebus mundanis fecisses, alias fortassis enormes pro tua generositate, debet in rebus ecclesiasticis episcopalis modestia cohibere. Electus es in episcopum a Christo, ut ei fungaris sacerdotio, ut reddas populum acceptabilem Domino, sectatorem bonorum operum, ipsum verbo instruens et exemplo [11]. Propter quod omni antiqua vanitate deposita, studeas moribus implere pontificem, et, ut Sancto sanctorum devotæ seruitutis impendas officium, induas sanctitatem. Sis, quæso, compositus ad mores, fervidus in dilectione, mansuetus in societate, stabilis in promisso, fortis ad patientiam, pronus ad concordium, rigidus ad censuram. Sis in judiciis rectus, in loquendum modestus, in ubendo discretus, in dispensatione industrius, in agendo strenuus, in auxiliando soliicitus, in consiliis fidus, in responsionibus circumspectus. Exhibe te majoribus devotum, minoribus blandum, æqualibus mansuetum, rigidum superbis, benignum humilibus, misericordem pœnitentibus, inflexibilem obstinatis. Exhibe te Joannem incestuosis [12], Jehu et Mattathiam apostatis [13], fornicantibus Phineem [14], Eliam idololatris [15] mentientibus Petrum [16], blasphemantibus Paulum [17], negotiantibus Christum [18].

Brevissimus est hujus vitæ temporalis excursus; finis antem horribilis et incertus. Quanto est celebrior titulus tuæ nobilitatis, tanto gloriosus tibi credit ad cumulum laudis, si alios in Christi ministerio superas sanctitate, quod genrositate transcendis. In episcopali conditione nihil est medium ; vel sæcularis erit tua conversatio et probrosa, vel sancta, et tam apud Deum quam homines gloriosa. Nihil est, quod adeo vitam hominis cito obtenebret, aut illustret, sicut pontificalis auctoritas. Cito fit vel bonus odor Deo, vel rumor in populo. Quædam gemmæ splendidiores sunt in obscuro quam in luce. Quidam ante dignitatis adeptionem satis commendabilem exstiterunt ; sed supor candelabrum Ecclesiæ constituti, lucem in tenebras, et famam in infamiam converterunt.

Vulgariter dicitur quod honores mutant mores ; sed raro in meliores. Melius plerisque fuisset adhuc latere sub modio, et sub umbra, honestæ opinionis, quam cum infamia candelabrum ascendisse. Adhuc turpitudo eorum sub paupertatis obscuro lateret, nisi eam dignitas divulgasset. Crevit honor, et cum honore infamia ; nam juxta satyricum :

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur [19].

Privato peccanti sæpe parcitur ; sed si prælatus deliquerit, in ejus infamiam linguæ omnium acuuntur. Multi ex aliena persuasione credunt suum crimen prorsus esse absconditum, sed periculose falluntur. Sciat enim omnis prælatus, ex aliquo semper se esse infamem, nisi veram operibus exhibeat sanctitatem. Scriptum est, quia *vox populi, vox Dei* [20]. Nec leviter, juxta æstimationem meam, opinio communis aliquem prælatum extolleret, nisi quem effectus operum, et jugis experientia commendasset. Si te igitur publicæ commendationis titulos habere delectat, Christo et hominibus placere intendas, non in multitudine divitiarum, sed gratiarum, non

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

qui interfuerunt, distribui. » Ibidem postea : « Sexto Idus Decemb. obiit, anno 1217, venerabilis Pater piæ memoriæ Reginaldus, hujus sanctæ sedis reverendus antistes, illustris comitis Moncionis filius, clara stirpe Francorum principum et regali cognatione vir nobilissimus ; sed et animi liberalitate longe nobilior, et corde humilis ac benignus. »

(42) Scilicet Philippi Augusti, regis Franciæ, cujus pater Ludovicus Junior duxerat Adelam sororem Agnetis matris ipsius Rainaldi.

[3] Matth. 13. [4] Luc. 15. [5] Isa. 9. [6] Matth. 20. [7] II Cor. 6. [8] Matth. 18. [9] Matth. 5. [10] Psal. 9. [11] Tit. 2. [12] Matth. 14. [13] IV Reg. 9. Mach. 2. [14] Num. 25. [15] III Reg. 18. [16] Act. 5. [17] I Tim. 1. [18] Joan. 2. [19] Juv. sal. 8. [20] Isa. 66.

in ornatu vestium, sed virtutum. Illorum episcoporum vitam detestabilem reputes, quorum habitus in veste pompatili, quorum incessus erecta cervice, quorum facies torva, truces oculi, minæ terribiles, *dominantes* in clero, non *forma facti gregis in populo* ; [21] *quorum deus venter est* [22] ; quorum vita in morte sepulta est, mendaces, vaniloqui et superbi, socii furum, Son collegæ Petri sed Simonis, non Christi discipuli, sed Neronis. Isti dum pauperes spoliant, dum monasteria gravant, dum extorquent a clero, dum in quæstum trahunt, et venalem exponunt justitiam Dei, dum Gieziticam negotiationem exercent [23], thesaurum iræ et mortis sibi accumulant, cum thesauro pecuniæ Christum habituri vindicem, quem non timent judicem. Illud certissime teneas, quod si ad hos enormes actus manum semel prælatus extenderit,

Ut canis a corio non absterrebitur uncto [24] :

sed glutino malitiæ inviscatus de cætero respirare non poterit, et, nisi cum multiplici austeritate pœnitentiæ, ad innocentiam non redibit. Prælatus siquidem rarissime invenitur, qui collaterales non habeat assentatores sibi, qui eum lactant et palpant, qui oleo peccatoris caput impinguant. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [25]. Isti sunt, qui cum vident domini sui animum in tentationibus vacillantem, possent que eum verbo exhortationis imbuere, et a peccato avellere et erigere in virtutem, mellitis sermonibus spiritum in eo virtutis exstinguunt, cum scriptum

A sit : *Spiritum nolite exstinguere*, [26] atque adhuc imbecilles sanctioris propositi conatus evacuant, et subvertunt. Si continantiam vovet, si ad abstinentiam se conformat : Propitius, inquiunt, sis tibi, domine ; juvenis es, jejunia capiti sunt importuna, nimia carnis afflictio morbos parit ; sic debes chordam tendere, ne repatur. Hæc omnia in annos maturitatis differri oportet. Non sumus meliores quam patres nostri. Ad solatium viri creata est femina. Viro et feminæ dictum est : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* [27]. *Nec virtus tua, virtus est lapidis, nec caro tua ænea est* [28]. Delicta juventutis et ignorantias Dominvs non attendit [29]. Somnus, et Indus, et sollicitudinum depositio amicissima sunt naturæ ; bonum custodit castrum, qui servat cum diligentia corpus suum [30]. Temerarium

B est se citra necessitatem affligere. Religio in juvenibus, raro commandabiles sortitur eventus ; ætas provectior satis redimet lubricum juventutis. Satis tempestiva et pœnitentia, quæ anticipat diem mortis ; latro in cruce ponitet [31] ; nemo sero pœnituit, quem mors invenit pœnitentem. Tuæ proprium est parentelæ, motus adolescentiæ sequi, atque ad tempus laxioribus indulgere desideriis, et tandem in tempore maturitatis odorem suavitatis emittere [32]. His et aliis modis *superseminat zizania inimicus homo* [33] : *sed mentita est iniquitas sibi* [34], Nam, ut novissimis ejus verbis prius respondeam, magnus ille comes Theobaldus (43), et alii plerique progeC nitores tui, etiam ante juventutis ingressum, ma-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(43) Avus Rainaldi per Agnetem filiam suam, quæ Rainaldum peperit. Fuit autem Theobaldus Campaniæ comes, via nobilitate, sanctitate et rebus gestis viribusque clarissimus. De eo sic Joannes a S. Victore in *Memoriali historiæ*, quod habetur manuscriptum in bibliotheca S. Victoris Parisiensis, ad annum 1137 : « Hoc tempore florebat Theobaldus comes Campaniæ, pater orphanorum, et judex viduarum, oculus cæcorum, pes claudorum, singulariter munificus in pauperibus sustentandis, in exstruendis quoque monasteriis, et erga religiosos quoque largitate imcomparabili. Hic quatuor habuit filios comites, Henricum Campaniæ, Theobaldum Blesensem et Carnotensem Stephanum, et Guillelmum Remensem archiepiscopum ; filiosque plures habuit, quarum unam Adelam nomine rex Francorum Ludovicus VII accepit uxorem, de qua Philippus Augustus procreatus est. » Ubi notandum falso dici Stephanum fuisse comitem Carnotensem. Nullus enim auc or est, qui hoc illi tribuerit, sed omnes consentiunt eum fuisse comitem Sancerranum, sive Sacra-Cæsariensem, postea uxore mortua Carthusianum effectum. De Theobaldo magno Albericus monachus Trium fontium ord. Cisterciensis, in diœcesi Leodiensi, auctor σύγχρονος in *Chronico ms.* Ita scribit : « Anno 1152 moritur Campaniæ comes Theobaldus sexto Idus Januarii, et apud Latiniacum sepelitur. Quator habuit filios : Henricum comitem Trecensem Palatinum, largitate et liberalitate famosum ; Theobaldum, comitem Blesensem, qui tenuit Carnutum ; Stephanum, comitem de Sancerre, quod Sacrum Cæsaris est dictum, et Guillelmum archiepiscopum Senonensem, postea Remensem, ad quem magister Petrus Comestor scripsit historiam scholasticam. Habuit etiam filias sex. Prima fuit Maria, Burgundiæ ducissa ; secunda Agnes, Barriducis comitissa ; tertia quædam ducissa in partibus remotis. Hanc postea duxit Guillielmus de Goet in diœcesi Carnotensi. Quarta comitissa Pertici Mathildis ; Quinta monialis Fontis-Ebraldi ; sexta Adala, Francorum regina. » Quam vero pius et sanctus fuerit Theobaldus hinc apparet, quod intima cum S. Bernardo amicitia conjunctus fuerit, ab coque in iis, quæ ad Deum pertinerent, totus dependeret. Indicant etiam innumerabiles ecD clesiæ, monasteria, xenodochia ab ipso fundata et donis cumulata, quibus maxime Burgundia et Campania repletæ sunt. Plura de eo referrem, nisi brevitati consulerem, et nisi spes quædam mihi affulgeret fore ut aliquis insignium nostri temporis scriptorum huic operi manum admoveat. et historiam aut genealogiam illustrium Campaniæ comitum eruditi Pithoei morte interruptam nobis describat.

[21] Petr. 5. [22] Philipp. 3. [23] IV. Reg. 4. [24] Horat. *Sat.* II, sat. 5. [25] Psal. 10. [26] Thess. 5. [27] Gen. 1. [28] Job. 6. [29] Psal. 24. [30] Bernard. serm. 2, *de assumpt. B. Virg.* [31] Luc. 23. [32] Hieron. epist. 7 ad Læt. et 47 ad Sabin. [33] Matth. 13. [34] Psal. 26.

gnarum virtutum titulis effulserunt, sed et avunculus tuus, archiepiscopus Remensis (44) senilem induit ab adolescentia gravitatem, ex tunc ascensiones in corde suo disposuit, atque per incrementa virtutum in eminentiam vitæ perfectioris ascendit. Certe populus qui te lactat, in errorem inducit. Crede, amice charissime, Paulo doctori gentium, non adulatori : *Abstinete vos*, inquit, *a desideriis carnis, quæ militant adversus animam* [35], *si enim secundum carnem vixeritis, moriemini* [36] ; illa scilicet, morte, quæ nec moritur, nec finitur. *Sapientia carnis*, quæ tibi suadet illicita, *inimica est Deo* [37]. Attende suggestiones adulantium tibi, et vide quem fructum ex eorum consilio assequaris. Sane in voluptatibus carnis cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. *Quem fructum habuistis*, dicit Apostolus, *in his, in quibus nunc erubescitis* [38]. Hæc sunt, quæ carnis opera comitantur, appetitus anxietatis et vecordiæ, actus abominationis et immunditiæ, exitus pœnitudinis et verecundiæ. De universis, in quibus Deum offendimus, nihil residuum est, nisi conscientia immunditiæ testis, et se crucians recordatione peccati. Teste Apostolo, fructus peccati mors ; fructus autem justitiæ, spes et gaudium in Spiritu sancto [39]. Factus est discipulus, non Epicuri, sed Christi, ut crucem Christi circumferas in corpore suo, non ut curam carnis in desideriis agas [40]. Si Christi ministerium suscepisti, in omnibus exhibe te sicut Dei ministrum, ut non blasphemetur in te nomen Dei [41]. Ille, cui ministrare proponis, *sanctus* est, *innocens impollutus, excelsior cœlis factus* [42]. *Sancti*, inquit, *estote, quia ego sanctus sum* [43]. *Hæc est*, inquit Apostolus, *voluntas Dei sanctificatio vestra* [44]. Et subjungit : *Ut abstineatis a fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et ho-*

A *nore* [45]. *Sic te existimet homo, ut ministrum Christi, et dispensatorem mysteriorum Dei* [46]. Bene quidem dispensas (45), si vivas ordinabiliter, socialiter, humiliter : ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Si onerosus tibi videtur vitæ melioris ingressus, erit tibi progressus acceptior, ipsamque propositi sancti duritiam certior retributionis exspectatio levigabit. Propheta dicit : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* [47]. Quod *leve est*, dicit Apostolus, *et momentaneum tribulationis nostræ*, immensum *gloriæ pondus operatur in nobis* [48]. Transibit enim spes in rem, labor in præmium, continentia in gloriam, abstinentia in coronam : quod breve est, in perpetuum ; quod mutabile est in æternum. Inter cætera, tanquam
B dominum et amicum humiliter et obnixe te precor, quatenus hanc exhortationem meam, quæ procedit ex corde, patienter admittas: quodque per, *tu* et *tibi* et *te* scribo moleste non feras ; pluralis enim locutio, qua uni loquendo mentimur, sermo adulatorius est, longe a sacro eloquio alienus.

[In codice Harlejano [3672] post epistolam interveniunt hæc quæ sequuntur.

Hæc epistola continuatur cum præscripta et non habet rubricam nec etiam numerum epistolarum.— Non te lusisse pudeat, sed ludum non incidere : et qui lusisti temere ad vitæ frugem regere magistra morum doceat te ratio, ut dignius pontificio divini dono munere ad laudem Christi nominis fungaris sacerdotio. Sis pius, justus sobrius, prudens, pu-
C dicus, humilis, in lege Dei docilis, et non sis arbor sterilis. Tuo te regas aptius officio, et pulso procul vitio mundus à labe criminis, ut mundus mundæ Virginis ministres in altario. Ministros immunditiæ a te repellas longius, bonorum vitam fortius pravus depravat socius, et afficit infamiæ dispendio : sic

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(44) Hic est Guillelmus cognomento Albimanus, filius Theobaldi Magni. « Qui quidem sub ferula Bernardi Claravellensis educatus, religiosissimus evasit, » inquid Tavellus in *Vita archiep. Senon.* « Unde et senilem induit ab adolescentia gravitatem, » ait hic Blesensis. Ex canonico primum S. Quiriaci vel Cyriaci Pruvinensis in episcopum Carnotensem electus, non consecratus, est. Nam, post aliquod tempus Senonensis, deinde Remensis archiepiscopus consecratus, tandem cardinalis tituli S. Sabinæ ab Alexandro III in concilio Lateranensi anno 1179 creatus est. Vir non illustribus modo verum regiis natalibus ; non ingenio tantum et rerum gestarum gloria, sed eximia in Deum pietate clarissima. Eum Alexander III jam archiepiscopum Senonensem, legatum in Angliam misit, ut de morte S. Thomæ quæstionem haberet ; ibique tam prudenter et animose se gessit, ut Henricum regem Angliæ ad pœnitentiam induxerit. Quanto autem in pretio esset
D apud Philippum Augustum Francorum regem sororis suæ filium, hinc elucet quod supremus ab eo regni administer factus sit, perpetuoque principali lateri adhærens. Unde, cum Lucius III summus pontifex ejus videndi desiderio flagrans, scripsisset regi ut sibi cardinalem mitteret, Lucio sic rescripsit Augustus ; « Astitit super omnes amicos et fideles nostros charissimus avunculus noster Guillielmus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextra manus. Eum vel ad tempus recedere a nobis, succedere est hostibus nostris. Retinuimus cum clavum in oculis hostium nostrorum, et in lateribus eorum lanceam, sine ipso fieri nihil existimantes, sive de pace, sive de bello eum hostibus esset agendum. » Obiit anno 1202. Plura de eo passim historici.

(45) Hanc sententiam desumpsit Blesensis ex S. Bernardo, sermone 1 de SS. Petro et Paulo.

[35] I Petr. 2. [36] Rom. 8. [37] Jac. 4. [38] Rom. 6. [39] Gal. 5. [40] Rom. 13. [41] I Tim. 63. [42] Hebr. 7. [43] Lev. 11. [44] I Thess. 4. [45] Ibid. [46] Cor. 4. [47] Psal. 16. [48] II Cor. 4.

trahit præsumptio a convictu similium. Prælati vita vilium vilescit contubernio. Plus protector pauperum omni petenti tribue, malos potenter argue, manusque sacras ablue a sordidorum muneris contagio. Nullus te palpet præmio, quæsita gratis gratia largire beneficia sed dignis beneficio. Non des ministris scelerum, non tua sed ecclesiæ, sub pietatis specie, non abutaris impie commisso tibi pauperum suffragio. Nil a te fera histrio, et tibi non alicias infames amicitias de Christi patrimonio. Caute dispone Domini pauca, sed vera loquere; verba confirmeo opere, quia non decet temere os sacerdotis pollui mendacio. Prudentium consilio te frui non displiceat, nec sinistræ moveat salubris exhortatio. Teneris ut abstineas ab omni mala sprcie; sub freno temperantiæ magistra pudicitiæ sobrietate floreas. Non vario vagoque desiderio declines ad illecebras, sed cæcæ mentis tenebras purga virtutis radio.

EPISTOLA XVI.

AD EPISCOPUM QUEMDAM JAM GRANDÆVUM.

ARGUMENTUM. — *Episcopum multis negotiis et occupationibus distractum serio hortatur, ut tranquilliorem vivendi rationem causa suæ et aliorum salutis procurandæ ineat; et cogitet satis non esse, si culpæ nullius gravioris conscius sit, nisi bona multa opera innoxiæ vitæ adjungat.*

Veniens et inveniens vos tot negotiis implicitum, tot circumvallatum turbi hominum, tot occupationibus ad tam diversa distractum, condolui vobis, et concussa sunt viscera mea pio compassionis affectu. Quis enim sustineat patienter, ut tam nobilis anima spiritualibus doctrinis imbuta sub quodam velamine libertatis in opus servile degeneret? Animam siquidem, quæ tot labyrinthis intricata est, necesse est frequentius ancillari; non enim solummodo habitatio terrena hanc deprimit, sed et ipsa ad terrenorum inquietudinem se diffundit, ut cum Jeremia [49] dicat: *Effusa sunt in terram viscera mea.* E cum Ezechiele [50]: *Terra erat usque ad fenestras, et fenestræ clausæ*, sic cœlum mutatur in terram, aurum in scoriam, spiritus in carnem. Carnalis homo deprimit spiritualem, et draconem Moysi dracones Pharaonis absorbent [51]. Loquar ergo, quia si tacuero, os meum condemnabit me. Rogabo ut dominum, monebo ut patrem; et si animam ejus ad notitiam suæ conditionis alias revocare non possum, utar cantico amoris, et dicam: *O pulchra, si te ignoras, egredere post gregem sodalium tuorum* [52]. Nemo enim se novit, donec dies suos recogitet, eundo recordatione post gregem et multitudinem commissorum. Loquar itaque, et de sollicitudine vestra importabili aliquid imminuam, aut eam omnino exstinguam, et aliquid eruditionis, et ædifica-

A tionis infundam. Sunt enim in candelabro tabernaculi, infusoria, exstinctoria et emunctoria [53]. Ero autem trangressor Dominicæ legis, si sustineam, quod nemus juxta altare Domini crescat, quod circa ecclesiæ rectorem sollicitudinum multitudo silvescat. Majus est omni thesauro, quod in discrimine ponitur certo. Impretiabile et super omnem æstimationem est, quod quasi sub jactu aleæ æternæ perditioni exponitur. Abigendæ omnino sunt scenicæ istæ meretriculæ, sirenes usque in exitium dulces, *muscæ* exterminantes *suavitatem unguenti* [54], mures ebullientes de terra, ut corrodant extales eorum qui ponunt arcam Domini, id est administationem ecclesiasticam, Juxta Dagon [55]; qui temporalia non minus quam spiritualia, et forte diligentius

B administrant. Propheta dicit de hujusmodi: *Sicut araneam tabescere fecisti animam* meam [56]. Aranea siquidem de suis visceribus telam texit, et texendo tabescit, ut muscam vilissimam capiat. Quid aliud facit homo, qui se eviscerat in expensis, et in curis, ut muscam, sive mustum odoriferæ opinionis, et favorem linguæ meretricantis acquirat? in hujusmodi homines mittit Dominus spiritum vertiginis, et *errare* facit *eos in invio, et non in via* [57]. Sic filii Israel quadraginta annos expenderunt in itinere trium dierum circa montem Seir, nec terram promissionis intraverunt [58]. Isti sunt lunatici, qui offeruntur Domino ad curandum [59], modo cadentes in aquam sollicitudinum, modo in ignem cupiditatis, aut odii, aut iracundiæ, aut alicujus extraordina-

C riæ voluptatis. Vix possum credere, ut in tanta turbatione animæ possit quis invenire orando rorem devotionis, aut fluenta gratiæ. Est enim tempestas valida, et mirabiles sunt elationes maris in corde. Hi sunt, quibus promisit Dominus cœlum ferreum, ut cœlestis pluviæ vel gratiæ sint extorres; et terram æneam, ut circa terrena interius obdurati fructum vitæ non faciant [60]. Absit, absit, amantissime Pater, ut adversus innocentiam tuam aliquid sinistre conjiciam vel præsumam! Charitas tamen, qua mediante gesto te in visceribus meis, timere me facit, utinam et tu timeas! *Beatus* enim *homo qui semper est pavidus* [61]. Circumspectu hominis est, omne opus suum habere suspectum. *Verebar omnia opera mea*, dicit Job [62]. Cum omnia bene fecerimus, debemus dicere, quod *servi inutiles su-*

D *mus* [63]. *Breves die hominis sunt* [64]: nescio quid statuerit super nos *terribilis in consiliis super filios hominum* [65], nescimus, *quid ventura pariat dies* [66]. Verbum Prophetæ est: Ecce mensurabiles posuisti dies meos: *in imagine enim pertransit homo* [67]. *Dies mei transierunt*, dicit Job, *et per viam, qua ingredior, non revertar* [68].

---

[49] Cap. 31. [50] Cap. 41. [51] Exod. 7. [52] Cant. 1. [53] Num. 4. [54] Eccle. 10. [55] I Reg. 5. [56] Psal. 38. [57] Psal. 106. [58] Deut. 2. [59] Matth. 17. [60] Levit. 26. [61] Prov. 28. [62] Cap. 9. [63] Luc. 17. [64] Job. 14. [65] Psal. 65. [66] Prov. 27. [67] Psal. 38. [68] Job. 16.

Singula de nobis anni prædantur euntes.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit [69].

Non dicam, vitæ, sed jam tuæ mortis pars magna præteriit. Clepsydra (46) non tantum ultimum stillicidium exhaurit, sed totum quod prius effluxit : nec mors est in ultimo vitæ tuæ, sed in toto, quod de vita præcessit. Noe, ut se suosque salvaret, centum annis in arcæ fabrica laboravit [70] ; nos vero quamtum laboravimus, quorum singuli dies momentanei sunt, transitorii et finales ? Plurimum timendum est, ne *fuga* nostra *fiat in hieme vel in Sabbato*, quando operari non licet [71]. Ideo sexta die colligendus est gomor [72], quia in hac sexta ætate operandum est, ut in illa septima quiescamus, quando dicetur, *ut requiescant a laboribus suis* [73]. Forte in corde tuo cum Apostolo dicis : *Nihil mihi conscius sum* [74] ; et cum beato Job : *Non reprehendit me cor meum in vita mea* [75]. Sed, benignissime Pater, munda conscientia sine opere non sufficit ad salutem. Propheta dicit: *Diverte à malo, et fac bonum* [76]. Utrumque sine altero imperfectum est. Dominus in Evangelio, servum non solum male operantem, sed a bono opere torpentem damnat [77]. Non enim solummodo arbor, quæ malos fructus facit, sed et quæ bonos fructus non facit, exciditur, et in ignem mittetur [78]. Hujusmodi ignis horrorem semper habeas in corde, dilectissime Pater, ut te premant et molant assidue metus æternæ mortis, et desiderium interminabilis vitæ. Istæ sunt molæ, quibus molitur anima Christiana : quarum una sine altera, juxta præceptum Domini, in obligationem pignoris transire non debet : omnes siquidem peccavimus [79]. Vide, Pater, quantum pro teipso satisfeceris, ut scias quid desit tibi. Ut de tua taceam anima, vide quot animas de ore leonis, et de faucibus inferni ejeceris : quantum lucri de talento tibi commisso, opere, verbo et exemplo retuleris, qualiter sex opera misericordiæ, quæ Dominus proponet in judicio [80], jugiter impleveris ; quam sollicite carnem tuam purgaveris jejuniis et disciplinis ; quam fortiter pro domo Domini ex adverso ascenderis. Ad omnia hæc factus es ex tua professione obnoxius, et hæc omnia, Pater, a te exactissime requirentur. Temeritati et præsumptioni forsitan ascribetur, quod vos moneo, sed charitas me compellit. Scio quod in die tremendi judicii reddituri sumus rationem, etiam de sermonibus otiosis [81]. Nullos ibi excessus præ-

D

A ceptio regia, vel hominum temporalis utilitas poterit excusare. Sed erit, qui dicat : Quia quidquid deliquimus, confessionis beneficio poterit aboleri ; porro nemo de vitæ diuturnitate securus est ; testimonio Scripturæ : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus* [82]. Mors [83] enim subita et incerta remedium pœnitentiæ frequenter anticipat ; morbi etiam, qui sæpissime graves et invalescentes sunt, augustia sensuali spiritum devotionis exstinguunt. Certissimum est autem, quod non punit homo puniet Deus. *Horrendum* vero *est incidere in manus Dei viventis* [84]. *Quis enim habitare poterit eum igne devorante, aut quis stabit cum ardoribus sempiternis* ? [85].

Hæc me movent, ut te moneam, Pater, quatenus
B ex hoc nunc quantumcunque poteris a turbatione sæcularium sabbatizes. *Miserere animæ tuæ placens Deo* [86]. Si te ipsum non habes, nihil habes. Sola *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* [87], faciat, ut tab omni sensualitate et sæcularitate sis liber ; hæc occupationum turba mors animæ est. Ideo dicit Salomon : *Fili, in paucis sint actus tui* [88]. Et ecce plus quam Salomon, non ad pauca, sed ad unum duntaxat docet esse sollicitum : *Porro*, inquit [89], *unum est necessarium*, Deum scilicet diligere : quod sine animi sinceritate haberi non potest. Non est qui faciat bonum, donec veniat ad hoc unum. Scriptum est : *Unam petii a Domino, et hanc requiram* [90]. In uno siquidem cubito consummata est arca [91]. Mandatum enim charitatis consummatio est summæ
C pacis. Ideo dicit Propheta : *Omni consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* [92]. Sane, quia *ex abundanti cordis os loquitur* [92'] ; vereor ne filialis affectio et zelus, quem de salute vestra concepi, epistolam præsentem protrahat in immensum : ideo, ne multiloquio aures delicatas offendam, epistolam in verbo doctoris gentium claudo : *Gratia sit vobis et pax a Domino Jesu Christo* [93].

EPISTOLA XVII.

AD CLERICUM NEGOTIATOREM.

ARGUMENTUM. — *Ostendit clericum negotiationi operam dantem, non differe ab usurario ; ac studium omne cumulandarum opum vanum esse et perniciosum.*

PETRUS Blesensis Bath. archid. dilecto socio et amico G., salutem et æternæ salutis memoriam.

Si tuæ professionis ordinem et gratiam divinæ

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(46) Ex Philelpho, l. v, ep. 6 : « Clepsydra, erat olim vas quoddam uitreum, quod æqualibus dimensionibus signatas horas ostendebat, ad cujus etiam fundum erat foramen apertum quod aquam emitteret, et ita horæ per aquæ diminutionem quot essent videri poterant. » Itaque clepsydra nominatur, quod aquam velet aut furetur. Dicitut autem clepsydra a Cœlio Redigino, lib XVIII *Antiq. lection.*, cap. 39, astronomicum sive horonomicum organum, horas demetiens, Cleomedi est ὑδρολογία : unde et qui clepsydræ æqualitatem custodiebat ἱρύδωρ dicebatur. Cum autem Romani vigilias militares in quatuor tempora æqualiter distinguerent, eas primipilus clepsydris discernebat. Unde Vegetius : « In quator partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ. » Et Cæsar loquens de insula Britannia, sic ait : « Certis ex aqua mensuris breviores esse noctes quam in Continente videbamus. »

[69] Ovid, *De rem amor*. [70] Gen. 6 et 7. [71] Matth. 24. [72] Exod. 16. [73] Apoc. 14. [74] I Cor. 4. [75] Job 27. [76] Psal. 33. [77] Luc. 12. [78] Matth. 3. [79] Rom. 3. [80] Matth. 25. [81] Matth. 12. [82] I Thess. 5. [83] Aug. *in Psal.* 50. [84] Hebr. 10. [85] Isa 33. [86] Eccli. 30. [87] Phil. 4. [88] Eccli. 11. [89] Luc. 10. [90] Psal. 26. [91] Gen. 6. [92] Psal. 118. [92'] Matth. 12. [93] I Cor. 1, Gal. 6, Ephes. 6, etc.

vocationis attenderes, te potius lectione quam negotiatione, artibus quam mercibus occupares. Periculosum siquidem est in laico, sed perniciosum in clerico, negotiationibus augere peculium, atque rerum ambitiosa venalitate se ipsum diabolo venalem exponere. Clericus, qui leviore comparat precio, ut vendat carius, filius est avaritiæ, idolatra pecuniæ, servus mammonæ, et *venundatus sub peccato* [94]. Cum enim species usuræ sit, minus proximo dare, et plus ab eo accipere; non video clericum ab usurarum crimine, et a nomine criminoso immunem, qui sibi cum alieno dispendio lucrum quærit, Sane fenerator, dum proximum manifeste spoliat, fure deterior est et prædone. Das pro frumento vinum, pro vino equum; et sic sub colore permutationis aut dilationis obtentu recipis incrementum in bursa, detrimentum in anima : longe deterior Judæis, dum illi tantum alieno, tu vero alieno et proximo feneraris [95]. Congregabis divitias, et in novissimo non gaudebis ; et eveniet tibi, quod Dominus per Jeremiam figuraliter dicit : *Perdix fovit, quæ non peperit ; fecit divitias, et non in judiio : in medio dierum derelinquent eum, et in novissimis suis reperietur insipiens* [96]. Fenerator enim tristissimos habebit hujus vitæ exitus, cujus *finis interitus* [97], cujus mors detestabilis, cujus damnatio sine fine. Porro negotiationis crimen attenuas, et ad excusandas excusationes in peccatis propenis tui laboris et providentiæ fructum esse, quod plus recipis, qui rem, dum vilius vendebatur, emisti. Dicis, omnino non esse absurdum, si laborem in quæstum, si in lucrum periculum convertisti. Quiquid proponas, unum denuntio tibi, quod negotiationem in tuæ salutis periculum convertisti. Negotiatorem clericum sacri canones exsecrantur. Cum enim *beatus* sit *homo, qui miseretur et commodat* [98], et *qui pecuniam suam non dedit ad usuram* [99], eum possumus judicare ab æterna beatitudine alienum, qui quod acce-

A pit, sicut accepit, non præstat : qui, juxta sacræ Scripturæ consilium dati et accepti gratiam non observat [100]. Porro tibi adscribis ad gloriam, quod ad cumulum tuæ damnationis accedit, quia in negotiationibus publice jactitas te circumspectum ; qui, utinam damnabile tibi non novisses officium ! Propheta dicit : Quia non cognovi negotiationem(47), *introibo in potentias Domini* [1]. Sciebat, quantum esset in negotiatione periculum. Nam et Job, qui in potentias Domini certum exspectabat introitum, dicebat : *Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt ; difficile exuitur negotians a negligentia Dei, et caupo non justificabitur a peccato labii* (48). Sane famam et animam perdis, ut perdenda lucreris. Sententia Christi est, totum mundum nemini B esse lucrandum, ut quis suæ patiatur animæ detrimentum [2]. Tu contrarium sentis, qui de tua perditione non curas, et saluti propriæ perditionis pecuniam anteponis. Summam reputas beatitudinem, immensas et supervacuas opes habere : quarum partem decimam toto vitæ tuæ spatio non expendes. Utinam non fuisset hæc pecunia, quæ tibi non solum Deum, sed et proximum abstulit, et teipsum ! Sane si beatitudo per divitias conferetur ; non compararet eas Dominus spinis [3], nec prædicaret Dominus beatitudinem paupertatis [4]. Si divitiæ apud Deum commendabiles essent, justis et timentibus Deum frequentius obvenirent.

Nunc autem *ecce peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias* [5]. Fœneratores et violenti Ecclesiæ persecutores, isti sunt qui ampliores, hodie C divitias thesaurizant. Esau, quem Dominus reprobaverat, incedebat cum quadringentis viris, Jacob in baculo suo transeunte Jordanem [6]. Nunquid metuis, miser, quos tibi non sufficiant quæ parastis certe prius tibi deficiet vita, quam victus. Ne dicam de te : Multos facit avaritia inter divitias indigere. Judicium enim Dei est, ut in eo, in quo quis deli-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(47) Est hæc versio LXX Interpretum, nisi quod habent « negotiationes, » Græce. πραγματέιας. Et ita legit Psalterium vetus, et Romanum. quod et sequuntur Arnabius, Chrysostomus, Augustinus, similiter et versio Æthiopica, Hebraïca כפרית « numeros » Chaldaica, versio « numerum earum : » forte, banitatum tuarum ; Syriaca et Arabica legunt « scripturam. » Theanoricus ex Symmacho sic habet : οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι « Non enim novi dinumerare. » Vulgata vero legit « litteraturam, » cui concordat versio Hieronymi secundum Hebraicam veritatem, ubi habetur « litteraturas ; » quia in quibusdam exemplaribus Græcis legitur πραγματείας. Hanc etiam alibi sequitus Augustinus. Quod autem sequitur : « Introibo in potentias Domini, » Hebraice habetur בגבורות « in fortitudines » Sensus autem istius versiculi secundum Hebraicam versionem est : Quoniam nan cognovi numerum, aut dinumerare non possum tua erga me beneficia, quotidie tuam potentiam, id est tua fortia facta et justitiam prædicabo. Quod si vox Sephoroth « numeres, » sumatnr pro arte numeraria qua numerant mercatores, quæque cum negotiationibus maxime conjuncta est, cum omnis nogotiatio pene fiat in numerando, et in rationibus subducendis, sensus erit : Qnoniam non cognovi negotia sæculi, accedam ad celebrandam justitiam et mise- D ricordiam tuam, atque beneficia quæ a te maxima accepi. Secundum Vulgatam versionem hic est sensus : Quoniam non sum eruditus in scientiis, aut sacris aut etiam profanis, mihi satis erit meditari in mirabilibus Dei, ejusque potentiam recolere et commemorare. Ita Genebrardus et alii.

(48) Sciendum primo hanc sententiam non reperiri in libro Job, sed esse desumptam ex Ecclesiastici, cap. XXVI, vers. 37. Deinde in textu originali desiderantur hæc duo verba « Dei et labii, » quæ addit Blesensis ad majorem intelligentiam. Sic autem habent LXX : μόλις ἐξαιρεῖται ἔμπυρος ἀπὸ πλημμελέιας, καὶ οὐ δικαιωθήσεται κάπηλος ἀφ' ἁμαρτίας, id est : « Difficile exuetur negotians a delicto, et non justificabitur caupo a peccato. »

[94] Rom. 7. [95] Eccli. 29. [96] Jer. 17. [97] Phil. 3. [98] Psal. 111. [99] Psat. 14. Matth. [100] 10. [1] Psal. 70. [2] Matth. 16. [3] Matth. 13. [4] Matth. 5. [5] Psal. 72. [6] Gen. 32.

quit, puniatur, ut semper indigeat, qui semper indigentiam timet. Sicut scriptum est : *Qui metuit pruinam, veniet super eum nix* [7]. Unum scio, quod in saccum pertusum congregas universa, nec proderunt tibi in die ultionis. *Cum enim interieris, non sumes omnia, neque descendet, tecum gloria domus tuæ* [8]. Succedet tibi forsitan inimicus, et qui cogitat hodie diem mortis tuæ, introibit in labores tuos, et in bonis temporalibus, quibus more Tantalico pepercisti, manu profusiore congregata dispergens fructum capiet voluptatis : tu vero dormies, et utinam cum patribus tuis, eritque sepulcrum domus tua in æternum. Sufficeret mihi, si tibi sufficeret, si a te vitium negotiationis auferres : *Habentes alimenta*, dicit Apostolus, *et quibus tegamur, his contenti simus*. Nam *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli* [9]. Porro, si opes congreges, ut plenius habeas sufficientiam vitæ hujus, teipsum decipis : auget enim inopiam multiplicata rerum temporalium substantia. *Divites*, inquit Propheta, *eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* [10]. Juxta poetam,

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit [11].

Rogo igitur, et in vera consulo charitate, ut legitima bonorum acquisitione contentus, ab enormibus lucris cesses, ne de cætero tui ordinis reverentiam negotiatorio crimine dehonestes. Quod si non acquiescis amici concilio, scias, quod *securis tibi posita est ad radicem* [12]. Qui enim faciunt *vindictam in nationibus, increpationes in populis* [13], ipsi jam in te crimen negotiationis et fœnoris olfecerunt. Et nisi pro te humiliter supplicassem, te tanquam damnatissimi fructus arborem succidissent. Quod si te ad emendationem supplicia æterna non movent, te saltem ignominia hujus vitæ, et temporalia damna sollicitent.

EPISTOLA XVIII.

AD MAGISTRUM QUEMDAM AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Gravissime perstringit mores, ingenium et vitam deterrimam cujusdam episcopi, ad cujus aulam ab amico invitabatur.*

Magister P. Blesensis Bathon. archid., charissimo socio et amico, magistro N., salutem.

Scio quod ex sincera dilectione procedit, quod me nuntiis, et litteris crebrius mones, ut revertar ad dominum tuum, qui me familiarem consiliarium habere desiderat, et domesticum commensalem. Quandoque facta est mihi mensa ejus *in laqueum, in retributionem, et in scandalum* [14] : ideo non revertor. Pro multiplicibus obsequiis, quibus eum totum meruisse et emisse credideram, non beneficium, sed maleficium ; non gratiam, sed injuriam reportavi, ideo non revertor. Claves regni cœlorum accepit, non

A ad reditus auferendos, sed ad corrigendos excessus. In omnibus autem, quæ cogitat, quæ deliberat, quæ agit aut dicit, procurat lucrum, intendit ad quæstum, temerario ausu omnia sua existimans esse, quæ a subditis possidentur. Sane testimonio Apostoli [15] parentes filiis, et non filii parentibus thesaurizant; si tamen iste pater est, et non potius vitricus : suorum enim gravis est persecutor, exactor improbus,

torvusque Procrustes [16].

Odit honestos, prudentes opprimit, insidiatur incautis, divites spoliat, pauperes gravat, nulli proficit, officit universis. Ex omni causa per fas et nefas pecunias congregat, congregatis applaudit ; nec veretur suæ aut alterius animæ detrimentum, dummodo qualitercunque possit assequi temporale
B compendium. Longe dissimilis est Doctori gentium, qui fructum animæ suæ, non munera, sive retributiones affectabat in subditis : ideoque dicebat, *non requiro datum, sed fructum* [17]. Quoties ad eum venitur, non faciem, sed manum adventantis attendit, quasi semper munera suscepturus. Attritæ frontis est in petendo : ingratus, cum acceperit ; si non acceperit, inhumanus. Alieni sermonis impatiens, rei alienæ improbissimus exactor, suæ avarissimus dator, afflictis immisericors, sævissimis mansuetus, instabilis, intractabilis, incorrigibilis, nulli tolerabilis, cunctis odibilis, inimicus pacis, contemptor fidei, adversarius unitatis, infidus in consiliis, negligens in agendis, furiosus in ira, remissus in misericordia, dissolutus in verbis, in
C conviviis gulosus, garrulus, temulentus, tumidus in prosperis, timidus in adversis. Dominus tuus nihi pro ratione, omnia vero pro libitu agit, et quasi in bestialem degeneret sensum, a se omne consilium, judiciumque discretionis excutiens, proprium sequitur appetitum. *Homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [18]. Juxta verbum Nathan prophetæ [19], illius hominis imaginem gerit, qui cum oves innumeras possideret, unicam pauperis oviculam concupivit. Nec absimilis est Achab [20], qui cum teneret summam rerum abundantiam, injectis oculis in hortulum Naboth, vineam quam affectaverat morte possessoris obtinuit. Utinam saperet, et intelligeret [21] ! sed *intelligere noluit, ut bene*
D *ageret* [22]; obduruit enim in malitia sua, et assiduitate peccandi decidit in contemptum. Absorbuit eum vitiorum profunditas; ideoque delicta non intelligit, nec vulneratæ et periclitantis animæ morbum sentit. Certum est autem, membrum, quod stupuit, periculosius laborare : et is, qui suos excessus dissimulat, aut ignorat, longe est a salute. Cor domini tui nunquam scindit compunctio, non movet affectio, pietas non emollit. Non mansuescit

---

[7] Job 6. [8] Psal. 48. [9] I Tim. 6. [10] Psal. 33. [11] Juven. *Sat.* 14. [12] Matth. 3. [13] Psal. 149. [14] Psal. 68. [15] II Cor. 12. [16] Ovid. *Met.* I, VII. [17] Phil. 4. [18] Psal. 48. [19] II Reg. 12. [20] III Reg. 21. [21] Deut. 32. [22] Psal. 35.

obsequiis, beneficiis est ingratus, surdus ad preces, ad judicia sævus, infidus ad consilia, inverecundus ad turpia, temerarius in divina, in animæ periculo securus, in damno temporali pusillanimis, promptus ad dissensiones, ad odia inhumanus. Gratiam sibi exhibitam non recolit, ad solam injuriarum memoriam et vindictam, omnes turbulentæ mentis versutias circumducit. Scriptum est : « Simia in tecto rex fatuus in solio sedens [28]. » Honor fatui, gladius in manus insani [29]. Et qui insipienti dat honorem, sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii. Ascendit in eminentiam cathedræ pastoralis, non vocatus a Domino tanquam Aaron [30]. Ascensus enim ejus nec Deo nec hominibus placet. Prophetæ et apostoli (quorum simulacrum gerit, quorum potius simia est, tanquam degener successor et hæres reprobus) *fortes fuerunt in bello* [31], non molles in sericis, non gulæ dediti, non superbi, non invidi, non rapaces, non libidine subnervati. Ridiculum est in prælato præminere populis et vitiis subjacere, esse lingua magniloquum, opere vere esse pusillanimem, remissum et infirmum, pompatice et vultuose incedere, et integræ testimonium conscientiæ non habere.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur [32]

generis jactantia et populi communis infamia, excellentia oculorum et fœditas morum, vitæ vilitas et honoris auctoritas. Non attendit infelix propriæ conscientiæ testimonium, mentitur se majorem se, virtutem reputat dignitatem, et cum omni honore omnino sit indignus, credit se obtinuisse meritis, quod eum permisit Dominus in locum præcipitii, et in occasionem damnationis æternæ, et in præsentis vitæ ignominiam sublimari. Periculosa est celsitudo, quæ discrimen intendit. Sera querela est. *Quoniam elevans allisisti me* [33]. Melius erat illi non ascendisse in eminentiæ gradum, quam in proximo *cum rubore tenere novissimum locum* [34]. Scio enim quod hoc eveniet, atque periculum præcipitii præsumptuosa elatio non evadet : *securis enim posita est ad radicem* [35]. Porro si hæc perizomata maledictionis antiquæ, et fucati ac fugacis honoris gloriam umbratilem, si infames primitias sui ortus attendat, se miserabiliorem cunctis inveniet, utpote qui ab ineunte ætate non nisi turpia didicit, atque usu adolevit in vitiis : ab adolescentiæ annis flagitiosa præsumpsit, et in cathedram pestilentiæ sublimatus, ab oppressionibus subditorum, ab injuriis et exactionibus non cessavit. Evolat a se, et se extra se quærens ambulat in magnis et mirabilibus supra se. Sic multis præest, ut nulli prosit : sic dominatur, ut ei omnis injustitia dominetur. Dominatio ejus superbiæ inducit exemplum, for-

A mamque malitiæ : cum e contrario Princeps apostolorum scribat, et dicat : *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis in populo* [36]. Aspice loquentem, aspice et incedentem :

Quas gerit ore minas, quanto premit omnia fastu [37]

Semper incedit, oculos fastuose circumducendo, cervice erecta, humerosque jactando,

Et multum referens de Mæcenate supino [38].

Totum ejus studium, totus honor, tota gloria, tota et sola usurpatæ dignitatis auctoritas in eo est, protensio pectoris, cervicis elatio, incessus pompaticus, oculorum distortio, vultuositas, tonitrusque minarum et, ut multa paucis includam, apud eum totum datur elationi, nihil sanctitati, nihil pudicitiæ, nihil amicitiæ, nihil tandem relinquitur hone-
B stati. Antequam in hanc ruinosæ potestatis excelsiam ascendisset, erat in eo quædam liberalitatis species adumbrata, erat quædam hypocriticæ humilitatis ostentatio colore simulatorio subornata : sed honores mutant mores. Accidit circa eum, quod scriptum est : *Omnis homo primum bonum vinum ponit : cum autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est* [39]. Factus pontifex statim convertit in apertum odium simultates, quas, dum fuerat privatus, fuco mendacis benevolentiæ palliabat. Nam testimonio Scripturæ, *Est qui se humiliat nequiter, et interiora ejus plena sunt dolo* [40]. Circa se habitare non patitur, nisi eviratos et molles, qui eum palpent, qui eum post desiderii passiones abire permittant : *Omne enim animal diligit simile sibi* [41]. Isti
C sunt qui miserum beatificant, et oleo adulationis caput peccatoris impinguant [42]. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [43]. Si enim vir honestus accedat, ut eum instruat et informet, ut ad frugem melioris vitæ ipsum familiarius exhortetur ; irascitur, uritur, anxiatur. Optime erit cum corripienti si illæsus evadat,

Si liceat paucis cum dentibus inde reverti [44].

Instanter me revocas ad domum episcopi tui, et ad exsecrabilem ejus mensam. Non tanti facto episcopum tuum, ut pro eo me perdam. Scio, quod *qui* tangit *picem, iniquinabitur ab ea* [45]; suosque hospites male remunerant serpens in sinu, ignis in gremio, mus in pera. Domum episcopi decet sanctitudo; sed hac domo, ut cum familia etiam dominum
D comprehendam, nihil est damnabilius ad meritum, nihil seditiosius ad consortium, nihil inhonestius ad mores, nihil sordidius ad conscientiam, nihil culpabilius ad famam, nihil perniciosius ad exemplum. *Leva*, Domine, *manus tuas in superbias* ejus [46], et confringe cornua peccatoris. Aufer de domo tua idolum Moloch [47], adimpleas quod prophetice promisisti : *Non habitabit in medio domus*

---

[28] *Prov. usurpatum a S. Bern. De consid.* l. 2. [29] Prov. 26. [30] Hebr. v. [31] Hebr. 11. [32] Ovid. *Met.* 2. [33] Psal. 101. [34] Luc. 14. [35] Matth. 3. [36] I Petr. 5. [37*] Stat. *Theb.* 1. [38] Juven. *Sat.* 3. [39] Joan. 2. [40] Eccl. 19. [41] Eccl. 13. [42] Psal. 22. [43] Psal. 10. [44] Juv. *Sat.* 3 [45] Eccl. 13. [46] Psal. 75. [47] Lev. 18.

meæ, qui facit superbiam. Superbus [48] est Moab, et major est *arrogantia ejus, quam fortitudo ejus* [49]; ideo juravi, et statui declinare et elongari ab eo. Filium enim superbiæ, abominationis idolum, *oculos sublimes* [50], *labia dolosa, et linguam magniloquam* [51] sustinere non possum. Fugio igitur, et elongor ab eo, ut in me verbum Prophetæ impleam: *Superbo oculo, et insatiabili corde, cum hoc non edebam* [52].

EPISTOLA XIX.

AD AMICUM R. JURIS CANONICI STUDIOSUM.

ARGUMENTUM. — *Duas quæstiones propositas diluit. Altera est, an mulier quæ existimans virum suum obiisse, monasticen professa est, eo reverso, sua auctoritate virum repetere possit. Altera, an eadem, viro deinde mortuo, teneatur monasticen repetere.*

PETRUS Blesensis Bath. archidiac., dilecto socio et amico R., salutem, et si quid melius est salute.

Nuper in conflictu scholastico quædam quæstiones, sicut asseris, deductæ in medium, tuum animum in dubio suspenderunt. Eas mihi proponis, earumque solutionem cum instantia petis; verumtamen cum sis in scholis, ego autem in castris; et cum jam biennium in legibus et decretis expenderis, vereor ne tentative hoc facias, ut sic me in simplicitate mea callide comprehendas. Poteram tibi dicere, quod prudens illa mulier Jacob quærenti caput Sibæ legitur respondisse: *Proverbium est*, inquit, *ut qui interrogant, interrogent in Abela* (49). Qui interrogant, interrogent Parisiis, ubi difficilium quæstionum nodi intricatissimi resolvuntur. Quæstionum, quas proponis, solutionem apud eos facilius invenire poteris, qui in talibus se exercent. Ego quidem, quod scio, non invideo tibi; utinam *voluntaria oris mei beneplacita* tibi faciat Deus [53], ut quæstiones quas proponis, etsi non ad rationem, saltem ad hominem possint solvi! Mihi autem sufficere credo, si solutionem quam daturus sum, unius legis, aut canonis auctoritate firmavero.

Quæris de muliere, quæ virum suum peregre profectum ex verisimili bonorum virorum relatione credens concessisse in fata, monasterium ingressa, et velata est, utrum viro ejus redeunte, et eam non repetente, sua possit auctoritate exire, et virum repetere?

Quæris etiam, si, postquam professa est propositum sanctitatis, restituenda sit viro; utrum, eo postea mortuo, cogenda sit ad observantiam voti sui? sublata enim est causa, quæ ad tempus votum ipsius suspendere videbatur.

Primæ quæstioni respondeo; quia votum continentiæ, quod emisit citra auctoritatem et licentiam viri sui, eam obligare non potuit. Quod manifestissime liquet ex octava synodo, ex synodo Eugenii papæ, ex epistola Gregorii ad Urbicum, ex epistola Nicolai, et dictis Augustini. Hieronymus etiam super Epistolam ad Titum id ipsum constanter affirmat; Ambrosius etiam in libro *Quæstionum Novi et Veteris Testamenti*, mulieris votum reprobat; nisi consensus viri pariter voventis assistat. Id ipsum autem Augustinus *in Quæstionibus Numeri* manifeste declarat. Licet autem ex concilio apud Compendium (49*) habito videatur, quod nisi vir eam revocaverit, exire non possit, intelligere debes eam exire non posse, si vir continentiam vovere voluerit; alioquin si vir pariter converti renuit aut uxorem revocare contemnit, per ecclesiam cogendus est, vel uxorem suam repetere vel se vinculo castitatis astringere, testificante hoc Augustino super centesimum quadragesimum nonum psalmum. Quod si objicias, quia in sua potestate erat, nunquam a viro debitum carnis exigere, et quod in hoc se potuit obligare: respondeo, quod cum Apostolus dicat quia *vir non habet potestatem sui corporis sed mulier* [54], et versa vice, illa corpori suo, quod suæ potestatis non erat, non potuit citra licentiam viri legem castitatis indicere. Quod habes expressum ex epistola Alexandri secundi Landulpho. Cæterum, cum errore inducta votum castitatis emiserit, votum hoc obligatorium non videtur; cui etiam, ut verum fatear, non consensit. Nam juris assertione civilis, nihil est quod magis impediat consensum, quam error qui imperitiam detegit. Si ergo mater esse desiderat, exeat in nomine Domini, et repetat conjugales amplexus, si vir aut pariter converti renuit, aut uxorem revocare con-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(49) Id est: Quando aliqui dubitant, et volunt interrogare de dubio, vadant ad interrogandum in Abela urbe Palæstinæ, et ibi respondebitur eis: Quia scilicet ista est civitas in qua sunt sapientes, qui respondent in Israel de omnibus dubiis. Sic Tostatus in hunc locum. Alium sensum tradunt Hebræi, sed maxime obscurum esse conveniunt omnes interpretes. Iste vero magis congruit litteræ et historiæ, eumque secutus est Petrus Bles. comparatione facta istius urbis Abelæ cum Lutetia Parisiorum, qua ex toto orbe sapientes consuluntur.

(49*) Hæc sunt verba concilii: « Mulier si sine commeatu viri sui velum in caput miserit, si viro placuerit, recipiat iterum eam ad conjugium. » Pro « commeatu, » in aliquibus exemplaribus ponitur « comiato, » ut in « Capitularibus, » lib. v, c. 6; in « Decretis » Buchardi, lib. IX, c. 47. Apud Ivonem. part. VIII, c. 185 habetur sine « commeatu. » Parte vero IX, c. 124, « sine licentia. » Et sic apud « Gratianum 33. qu., 5. c. « Mulier si sine. Ex commeatu comiatum, ex comiato « conge » nostri fecerunt.

[48] Psal. 100. [49] Isa. 16. [50] Prov. 6. [51] Psal. 11. [52] Psal. 100. [53] Psal. 118. [54] I Cor. 7.

temnit. Quod si vir postea vere mortis tributum A exsolverit, ipsa liberata a lege viri, nubat, cui vult, in Domino (50): nec votum, quod ab initio non tenuit, observare cogatur. Nam expressa similitudinis forma, servus quem dominus a monasterio extraxit, si postea consequatur libertatis beneficium, et jam non sit, quod impediat votum ejus, tamen ad vitæ arctioris propositum non cogetur. Hæc tuæ inquisitioni communico, sicut ministrat in dulcedine sua pauperi Deus [55]. Si quid elegantius tibi datum fuerit desuper, non invideas mihi; nam sicut a magistro, sic a discipulo meo paratus sum erudiri. Damnatissima enim est illa erubescentia, quæ sic a minore, sicut a majore, doctrinæ beneficium non acceptat.

Librum meum *De præstigiis fortunæ*, quem pos- B tulas, adhuc habere non potes; prius enim, quam exeat in publicum, sentiet castigatioris limæ judicium, ne illic aliquid informe, vel incivile remaneat, quod oculus aut aures legentis offendat. Quod autem et per litteras, et per clericum tuum scire desideras, quare hoc novum opusculum meum *De fortunæ præstigiis* inscribatur, cum nihil in eo legatur, quod non sit de Novo aut Veteri Testamento assumptum, hoc in causa esse cognoscas. Primus liber sufficienter edisserit, nihil esse fortunam, eorumque satis probabiliter reprobatur opinio, qui ex quadam præstigiosa varietate fortunæ, rerum temporalium metiuntur eventus: cum hanc ipsam mutabilitatem eventuum Dei providentia in se immutabiliter operetur. Ideoque in capite libri C scriptum est: *De præstigiis fortunæ*, non ut fortuna si aliquid, vel ejus præstigia, sed ut in magnificentia, vel humiliatione hominum, quæ a multis fortuita et incerta creditur, cuncta procedere convincantur ex dispensatione divina. Et, ut hoc oculata fide cognoscas, quinque hujus novi operis quaternos tibi mitto, ut translegas, non transcribas, ipsosque mihi per latorem præsentium cum omni festinatione transmittas. Bene valeas, amice in Christo charissime.

EPISTOLA XX.

AD DOMINUM CRISPINUM ET MAGISTRUM PAGANUM.

[A. D. 1188.]

ARGUMENTUM. — *Queritur se malevolentia aulicorum arceri a promissa episcopi Carnotensis Reinaldi aula et consuetudine; humanitatem et liberalitem ejus collaudat et hortatur et ecclesiasticæ libertatis patrocinium contra exactiones regias intrepide suscipiat.*

Charissimis amicis sui domino CRISPINO et magistro PAGANO, M. PETRUS Blesensis. Bath. archidiac., salutem in auctore salutis.

Promiserat mihi Dominus vester (51), quod imponeret exsilio meo finem, meque terram meæ nativitatis honorifice revocaret. Utinam *non* esset apud eum *Est et Non* [56], neque degeneraret in eo gravitas pastoralis! Scio quia detractores, sicut Apostolus dicit: *Deo odibiles* [57] magnificaverunt *super me supplantationem* [58]. Habitant siquidem in domibus episcoporum et regum ranæ pestilentes, cœnomyia, et sciniphes, musca Ægypti gravissima [59], loquaces adulatores, garruli et mendaces. De talibus scriptum est: *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum* [60], *dentes eorum arma et sagittæ, et gladius in labiis eorum* [61]. Sic igitur mihi domini vestri gratiam enormiter toxicavit linguæ meretricantis adulatio et invidia detractoris. Hic est aer ille pestilens, et aura corrumpens, quæ hodie generaliter palatinos inficit, ut a magnatum lateribus viros approbatæ honestatis avellit; pestis enim invidiæ merita virtutum non ponderat, sed tormenta conscientiæ sustinet, dum ipsam præceps ambitio et elationis propriæ appetitus excæcat. Benedictus autem Deus, qui ad illius status moderantiam me reduxit, ut mihi sufficiant ad voti plenitudinem propriæ facultates. Nemo mihi de cætero objiciet: *Ego ditavi Abraham* [62]. Jam non bibam de puteo Samariæ, de quo qui plus bibit, amplius sitit. Malo pauca cum puritate conscientiæ, quam dignitates innumeras cum verme, qui non moritur, possidere. Jam per gratiam Dei me revocare non poterit illa proditoria et fallax parentum affectio, quæ me quasi sub jactu aleæ toties posuit, toties sub discrimine capitis transfretare coegit. Elegi mihi latibulum, ut non videam mala gentis meæ, quia ut verbo Job utar, *terra data est in manus impii* [63].

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: et intra
Fortunam debet quisque manere suam [64].

D Abrahæ dictum est: *Egredere de terra tua et de cognatione tua* [65], et ego quare non egrediar, aut

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(50) « Ipsam nubere non posse duo pontifices summi, Cœlestinus tertius, ut habetur in *Decretal.* c. *Placet.*, de convers. conjug., et ante eum Alexander tertius cap. *Quidam*, eodem titulo, ipso Blesensis sæculo, definierunt, eo quod ingrediendo monasterium, promiserit se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, quæ promissio morte viri soluta non est. Addunt consultum etiam esse, ut redeat ad monasterium, non tamen ad id cogendam. Ad similitudinem autem hic a Blesensi allatam de servo, respondeo parem omnino esse rationem. Nam servus ille, mortuo domino suo, qui eum e monasterio extraxerat, non quidem cogi poterit ratione voti, vel professionis, invito domino, factæ ad repetendum monasticæ vitæ propositum; poterit tamen cogi ad servandam promissionem de non exigendo debito, ac proinde et de non ineundis nuptiis.

(51) Id est Rainaldus episcopus Carnotensis, de quo diximus ad epist. 15.

[55] Psal. 67. [56] II Cor. 1. [57] Rom. 1. [58] Psal. 40. [59] Exod. 8. [60] Psal. 104. [61] Psal. 56. [62] Gen. 14. [63] Job. 9. [64] Ovid. *De Trist.* eleg. 4. [65] Gen. 12.

quare ad parentes meos regrediar : apud quos non inveni nisi manus harpyiarum, consilia Achitophel [66], vulpium dolos, aculeos scorpionum ? Licet parentibus debeam affectionem naturalem ; illud tamen non debeo, ut pro eis me perdam, aut pro eis ab honestatis proposito me reflectam. Vaccæ siquidem quæ in Bethsmes deferebant arcam Domini [67], licet eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum, ad eos tamen colla sua minime reflectebant. Multi pro parentibus suis animas perdiderunt, dum in eis plus amantes carnem quam spiritum, animas suas pro amicis suis temere et crudeliter posuerunt. Levita, imo archilevita ego sum : scriptum est autem in lege Domini, ut nemo in sacerdotalem ordinem, aut Leviticum assumatur, nisi prius dicat patri et matri : Vale [68] ! id est, nisi in eo penitus exstinguatur affectio parentelæ. Revertor ad dominum vestrum, cujus familiaritatem, et suavissimam comitivam perdidisse me doleo. Sperabam, quod esset ex mea conversatione industrior, eo quod nobile illius ingenium, divesque memoria meis admonitionibus se in virtutum culmen erigeret, fructumque in Ecclesia Dei faceret tempestivum. Absentiam meam nunc suppleatis, amici charissimi, dominumque vestrum adhortari salutaribus monitis non cessetis, ut levitate juvenili deposita pontificalem induat gravitatem ; me siquidem illius nobilis animæ zelus et cura sollicitat. Non enim inveni pontificem adeo socialem, adeo manifestum, adeo in omnes munificentias et liberalitates effusum. Omni potenti tribuit; munificentiam enim a tenera prænuntiavit infantia: misericordia cum ipso coaluit, ut cum beato Job fiducialiter dicat : *Ab infantia mea crevit liberalis affectio mecum, et de utero matris meæ mecum egressa est* [69]. Vellem tamen quod munificentiis ejus ratio mensuram præscriberet, et donationes, quas militibus aut histrionibus facit, modestia limitaret. Beneficiorum enim, quæ pauperibus conferuntur, mensura debet esse immensitas. Quantum vero per adulationes mediantibus donis ejus opinio ad inanem jactantiam crescit, tantum apud bonos et graves, quasi in vaporem et fumum suæ beneficentiæ titulus evanescit. Non militibus, sed pauperibus erogare tenetur patrimonium crucifixi : cujus ipse non domi- A nus, sed tutor est, ut misereatur et commodet ad usus egentium, tanquam testamentarius dispensator. Vidi eum quandoque sic exinanitum liberalitatibus extraordinariis, quod eum invitum et dolentem adigebat necessitas exactionibus et rapinis operam dare. Utinam memoriter et efficaciter observasset verba Pauli in secunda Epistola ad Corinthios : *Non dico*, inquit, *ut gratia vestra sit aliis remissio, vobis autem tribulatio: sed ut abundantia vestra sit eis inopiæ supplementum, ut fiat æqualitas, de qua scriptum est : Qui multum habuit, non abundavit, et qui modicum habuit non minoravit* [70] ! Instate, quæso, opportune, ut gloriam nobilis Ecclesiæ Carnotensis non obscuret, sed eam supportet auxiliis, et consiliis erigat, meristique sanctæ B conversationis illustret. Si vult salubriter ei servire, cui servire regnare est, et habere laudem in nomine ipsius, ascendat ex adverso, et opponat se murum pro domo Domini [71]. Non enim potest esse præclarior famæ titulus in prælato, quam si viriliter tueatur statum ecclesiasticæ libertatis. Si quid perperam fecit, si quid vitam ejus aliquo tempore offuscavit, totum reformabit et redimet zelus domus tuæ, Deus, et justitiæ amor. Hæc duo faciunt ut fama hominis mortua reviviscat; et, qui prius obnoxius erat accusantibus linguis, postea in libertatem publici favoris et gratiæ odorem suavitatis effundat.

Sane, sicut audivimus, exiit edictum a Philippo rege (52), ut describeretur Gallicus orbis, et onere C raretur Ecclesia decimationibus recidivis. Sic paulatim transibit decimatio in consuetudinem (53), et præsumpta semel abusio ignominiosam Ecclesiæ servitutem infliget. Offertur Domino nostro cælitus gratiæ triumphalis occasio. In optione ipsius est, aut degenerem et dejectum animum turpiter ad serviendum submittere, et importabile jugum suis successoribus importare, aut coronæ immarcessibilis eminentiam obtinere. Regiæ, quæso, indignationis motus non timeat : cum enim sit æqualis regi genere (54), non est eo inferior dignitate. Ad ministrum Dei dicitur per prophetam : *Erunt reges nutritii tui et mammilla regum lactaberis* [72]. In hac D autem causa Deus, qui major est omnibus, causa finalis est. Bonus autem pontifex in persecutione

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(52) Intelligit Philippum Augustum Francorum regem, qui ad expugnandum Saladinum potentissimum Saracenorum principem, et ad subveniendum terræ sanctæ, decimam omnium bonorum tam a laicis quam a clericis exigebat. Quæ decima ideo Saladina dicta est, quod ad expellendum e terra sancta Saladinum collecta fuerit.

(53) Id recte auguratus fuerat Blesensis. Nam licet expeditio illa transmarina cum tanto apparatu tantoque zelo suscepta sit, biennio tamen dilata est, et decimæ exactæ ac persolutæ ; nec cessante bello ab exactione cessatum est, ut innuit Choppinus, libro tertio *De Doman.*, tit. 23 : « Neglecto sacrarum expeditionum consilio, nihilo secius decumantur sacerdotiorum reditus, et decimæ in annuas fisci rationes patrimonii instar reservantur. »

Scripta anno 1188, quo scilicet reges Franciæ et Angliæ, multique magnates, et aliorum infinita multitudo se cruce signarunt ad subveniendum terræ Hierosolymitanæ.

(54) Quia Rainaldus erat regis consanguineus. Vide notas ad epist. 15.

---

[66] II Reg. 15. [67] I Reg. 6. [68] Deut. 33. [69] Job. 31. [70] II Cor. 8. [71] Ezech. 13. [72] Isa. 49.

seminat, quod in gaudio metet [73]. *Pons in terra erit semen ejus* [74] : pressura enim libertatem, afflictio jucunditatem, amaritudo dulcedinem germinabit. Si se pro Christi Ecclesia erubescentiæ et confusioni opposuerit, scriptum est : Quia *pro confusione duplici et rubore in terra sua duplicia possidebit* [75]. Quid dubitet Christianus, cui *vivere Christus est, et mori lucrum* ? [76]. Quiquid ei accidat, si Christum diligat, *vita* ejus *abscondita et cum Christo in Deo* [77]. Eum, quæso, favor auræ blandientis non moveat, nec turbo tempestuosus inclinet. Turbo quandoque motes est, ut Elias raperetur in cælum [78]. Certus est, quod morietur, quando vero morietur incertus. Debitor naturæ est, ut ei mortis vectigal exsolvat. Nescimus *quid ventura pariat dies* [79] et quis de die præsenti securus est ? Quis scit, si mors ignominiosa, mors turpis, mors subita eum rapiat, et non sit qui eripiat ? Cum dulcior et jucundior est homini vita sua, tunc separat amara mors [80]. Teste Scriptura : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus et dolor, sicut in utero habentis, et non effugient* [81]. Job etiam dicit : *Deducunt in bonis dies suos, et in puncto horæ ad inferna descendunt* [82]. *Horrendum est incidere in manus Dei viventi* [83]. Sancta ergo et salubris est cogitatio, se pro eo vitæ aut famæ periculo gratanter exponere, qui est auctor vitæ et gloriæ retributor. Tutius est homini pro Christo animam suam perdere, ut eam custodiat, quam custodire, ut perdat. Summa hujus exhortationis est, ut Dominus vester sibi circumspecte prospiciat, ut non terrenæ supellectilis eum jactura deterreat ; non alliciat favor principum, non enervet ambitio, nec ipsum spes vitæ productioris fallax et proditoria blandiendo seducat.

EPISTOLA XXI.

AD H. CANONICUM, QUONDAM AMICUM.

ARGUMENTUM. — *Insignem H. canonici quondam amici, fastum et arrogantiam describit et insectatur.*

PETRUS Blesensis Bath. archidiac. quondam dilecto filio, et amico H., salutem et spiritum humiliorem.

Solerter inquirens, et diligenter examinans universa quæ habes ex beneficio naturæ vel gratiæ, ad plenum admirari non sufficio : unde tibi obrepere possit elationis occasio, qui ex pluribus causis in unum concurrentibus debueras in oculis tuis esse humilis et abjectus Cum nuper te Rothomagi invenissem, atque ad verba mutuæ societatis et amicitiæ descendissem ; nec unum a te verbulum mansuetudinis aut dilectionis extorsi. Quiquid humano cordi suggerere potest humilitas sive modestia, proponebam, ut aliquod verbum mansuetudinis et humilitatis elicerem. Tu vero in superbia

A et abusione, sublimes et infrunitos oculos distorquens in fastum, quadam pomposa et superciliosa facie despiciens universa, et omnia quasi pro imperio agens, amicum, cui nunquam necessarius esse potes, et cujus auxilio semper eges, vix, et tamen indignantissime respexisti, et despexisti. Ideo enim respexisti, ut despiceres ; et, ut ab eo, qui te diligebat ex anima, faciem tuam cum quadam fastuosa oculorum extollentia declinares. Causam hujus rei nescio, nisi quia magnus apparere desiderabas in oculis tuis, qui in ocûlis aliorum forte abjectissimus reputaris. Summam reputo insaniam, si mente captus prudentem se judicet : nec minorem vesaniam censeo, si ignobilis et imprudens arroganti elatione se inflet. Certe in filio regis satis intolera-

B bile esset supercilium quod prætendis ; publice tamen scitur quod non es filius regis, licet is, qui te genuerit, fuerit coronatus. Miror unde tibi venerit pes superbiæ ; unde conceperis superbiendi materiam, nisi quia forestariis es addictus, ut tyrannicas exactiones, quibus pauperes opprimuntur, redigas in scripturam. Porro illi te scribunt et proscribunt apud Dominum in libro mortis, quos apud forestarios paginæ damnationis ascribis. Cum esses litteratoriæ artis omnino ignarus, scis, quia amici tui epistolæ, quas depravasti, te fecerunt canonicum : tuque per easdem facile excanonicari posses, si significarent summo pontifici cum aliis enormitatibus tuis damnatæ usurpationis officium quod exerces. Porro dictum est Danieli : *Daniel,*

C *claude sermonem, et signa librum usque ad tempus statutum* [84]: sic et ego cum patienta sustinebo, nec adversum te spiritum conceptæ indignationis effundam, donec experiar, quid in te possit operari familiaris et amica correctio. Ego quidem fatuitati ascribo, quod fatuum doceo et superbum ; cum Salomon dicat : *Qui arguit impium, ipse sibi maculam generat* [85]; et *qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam* [86]. In eo enim est correctio supervacua, quem incorrigibilem pertinacia sua facit testimonio Salomonis : *Si contuderis stultum in pilo quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus* [87]. Descende, quæso, in te ipsum, et fode conscientiæ tuæ parietem., videbisque abominationum genera, quibus te judicare poteris infelicem. Sic enim dicit Dominus Ezechieli : *Fili ho-*

D *minis, fode parietem* [88]; et cum fodisset, ecce multitudo reptilium et abominationum. Hunc parietem foderat, suæque miseriam conditionis attendens alius propheta dicebat : *Ego vir videns paupertatem meam* [89]. Verumtamen non potes humiliter sapere, quia ambulans in magnis et mirabilibus super te, atque ventum elationis magnæ concipiens, ad nubes et impossibilia te extendis. Disperdet *Dominus labia dolosa, et linguam magniloquam* [90].

---

[73] Psal. 125. [74] Psal. 111. [75] Isa. 61. [76] Philip. 1. [77] Coloss. 3. [78] IV Reg. 2. [79] Prov. 27. [80] I Reg. 15. [81] I Thess. 5. [82] Job. 21. [83] Hebr. 10. [84] Cap. 12. [85] Prov. 9. [86] Eccli. 22. [87] Prov. 27. [88] Cap. 8. [89] Thren. 3. [90] Psal. 11.

Extollentiam autem oculorum ne dederis mihi, Deus[91]. Cave quæso, ne magnificentia cordis tui tibi occasio sit ruinæ. Scriptum est enim : *Ante ruinam exaltabitur cor*[92]. *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum et elevatum*[93]. Et subjungit : *Transivi, et ecce non erat*[94]. Unum noveris, quod cum hac superbia tua nec Deo nec homini potes esse acceptus. Nam nec avis acceptatur in sacrificio Domini, nisi plumæ et pulmonis vesicula deponatur[95].

EPISTOLA XXII.

AD MAGISTRUM JOANNEM SARESBERIENSEM.

[A. D. 1170.]

ARGUMENTUM. — *Joannem Saresberiensem, cum S. Thoma archiepiscopo Cantuariensi in exsilio agentem, spe futuræ remunerationis consolatur. Monetque ut fortiter pro ecclesiasticæ libertatis defensione, remoto tamen omni studio vindictæ, certare pergat. Non dubitare se gloriosum tandem fore hujus certaminis in Thoma exitum.*

Charissimo amico suo magistro JOANNI de Saresberia, PETRUS Blesensis Bath. archid. (55), salutem in auctore salutis.

Quoties communes Ecclesiæ Anglicanæ pressuras (56), dominique vestri Thomæ archiepiscopi Cantuariensis exsilium diligenter attendo, plurimum mihi cedit ad solatium, quod pro justitia Dei, et pro Ecclesiæ libertate se murum opponit, et ipsa persecutione hac finem merebitur gloriosum. Video, quod positi estis inter malleum et incudem; et assidue supra dorsum vestrum fabricant peccatores[96-100]. Verumtamen, si in Christo et pro Christo pugnatis, ipse non permittet *vos tentari supra id quod potestis ferre, sed faciet cum tentatione proventum*[1-37] tolletque *Dominus virgam peccatorum desuper sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*[38]. Si veritas non mentitur, vestræ persecutionis exitus beatitudo interminabilis erit. *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur propter justitiam*[39]. Petrus apostolus dicit : *Nemo ex vobis patiatur, quasi homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor*[39*]. « Martyrium enim facit non pœna, sed causa[40], sed et sicut apostolus ait : *Si quid patimini propter justitiam, beati*[41]. Donum quidem Dei est in eum credere, sed et donum optimum pro Christo contumelias sustinere. *Vobis*, inquit Apostolus, *donatum est pro Christo, non solum ut in illum credatis, sed ut etiam pro ipso patiamini*[42]. Vobis itaque

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ

(55) Sola exemplaria Merlini et Sorb. 1 ms. habent ut hic in titulo *Bathoniensis archidiaconus*, quod non legitur in omnibus aliis ; et recte : nondum enim in Anglia fuisse videtur, cum hæc scriberet Petrus Blesensis. Vide ipsius Vitam quam operibus præfiximus. — *Joanni de Saresberiis*. Ille est Joannes Saresberiensis inter litteratos sui temporis oruditissimus, ut testantur varia ejus opera, ex quibus quædam excusa, alia in bibliothecis præsertim Angliæ recondita doctorum obstetricantem manum exspectant.

Hic ex mediocribus parentibus et fortuna tenui natus, aliquandiu primum apud Petrum Cellensem mansit, et ab eo benigne et liberaliter est sustentatus : Unde et sæpe clericum suum Petrus appellat. Quantum vero ipsi obstrictus esset, testatur idem Joannes epist. 8. Dehinc Parisios arcem scientiæ studiorum causa profectus, cura Theobaldi Magni Campaniæ comitis viri munificentissimi, in scholis est educatus. Postea Romam profectus est ad salutandum Adrianum IV summum pontificem, compatriotam suum, qui eum tam amice liberaliterque excepit, ut in ulteriorem familiaritatem admitteret, commensalem sæpe haberet, et arcana conscientiæ secretiora ipsi revelaret, ut ipsemet Joannes testatur in suo *Metalogico*, lib. IV, c. 42. Quanta autem apud eumdem Adrianum libertate loquendi, ipso summo pontifice jubente, uteretur, diserte declarat in *Polycratico*, lib. VI, c. 24.

Reversus Parisios aliquandiu doctoris munere ibi in academia perfunctus est, ubi inter cæteros magni nominis discipulos habuit Petrum Blesensem, qui propterea eum sæpe magistrum suum nominat. Tum in patriam regressus primum Theobaldi Cantuariensis archiepiscopi, mox S. Thomæ ejusdem successoris familiaris et ad mortem usque comes individuus fuit; ita ut a Petro Cellensi, lib. VII, epist. 8, dicatur : « Pretioso sanguine B. Thomæ, martyris intinctus. »

Annis vero post mortem S. Thomæ 4 aut 5, id est anno Christi 1176, ex Radulfo et Gervasio, vel 1177 ex monacho Autissiodorensi et Roberto de monte, procurante Willelmo Theobaldi Magni filio, qui ex Carnotensi sede ad Senonensem archiepiscopatum translatus fuerat, et postulante Ludovico Juniore Francorum rege, ipse Joannes a capitulo Carnotensi in episcopum electus est. Itaque decanus et cantor pluresque cleri Carnotensis Ecclesiæ Cantuariam cum litteris capituli, regis et archiepiscopis Senonensis advenerunt : qui in capitulum Cantuariense introducti litteras fidem et auctoritatem suæ postulationi præstantes exhibuerunt, ut est apud Gervasium et Radulfum.

Perlectis publice litteris, summo omnium gaudio cum hymnis et canticis electus ad ecclesiam perductus est. Tum a Carnotensibus in Franciam deductus, Senonis consecratus est a Mauricio episcopo Parisiensi. Sex aut septem annis Ecclesiam Carnotensem administravit. Nam obiit ann. 1182, sepultusque est in abbatia de Josaphat, juxta Carnotum.

Solebat autem ille promotionem suam meritis gloriosi martyris S. Thomæ magistri sui tribuere, ideoque in litteris suit aut chartis sæpissime, ita scribebat : « Joannes divina miseratione et meritis S. Thomæ martyris Carnotensis Ecclesiæ minister humilis. » Pietatem et sanctitatem ejus mirifice extollit Necrologium Carnotense, et inter alia eum magistri sui exemplo cilicio a collo ad pedes indui consuevisse refert, ut habet Joan. Baptista Souchetus in historia ms. Ecclesiæ Carnotensis, lib. IV, cap. 22. Inter multa autem quæ contulit Carnotensi Ecclesiæ beneficia, reperitur vas pretiosum, in quo sanguis S. Thomæ asservabatur : quem scilicet effusum in pavimentum Ecclesiæ, post mortem viri sancti collegerat; de eo sic Gervasius : « Collectus est ille sacrosanctus sanguis cum cerebro et testulis, et diligenter repositus est, post modicum toti mundo propinandus. »

(56) Historiam calamitatum Ecclesiæ Anglicanæ

[91] Eccli. 23. [92] Prov. 16. [93] Psal. 36. [94] Ibid. [95] Lev. 1. [96-100] Psal. 123. [1-37] I Cor. 10. [38] Psal. 124. [39] Matth. 5. [39*] I Petr. 4. [40] Aug. epist. 147. [41] I Petr. 3. [42] Philipp. 1.

congratulor quia justitiam in judicium convertistis, A quia quorumdam rebellionem atque contumaciam suspensionis animadversione reprimitis (57) : si tamen hoc facitis rationis et justitiæ motu, non zelo ultionis, aut alienæ injuriæ appetitu. Nihil, quæso, faciatis ex rancore vel odio, sed *omnia vestra in charitate fiant ;* nec enim ex persecutione hac salutis manipulos colligetis, nisi tota intentio vestra procedat ex intimo charitatis. Porro cum per clibanum iracundia, sive persecutio in sacra pagina designetur, in Levitico docemur, sacrificium, quod in clibano coquendum est [43], prius aspergere oleo charitatis, ne comburatur. Illius enim animus, qui ad tolerantiam persecutionis se præparat, prius demulcendus est oleo charitatis, ut nec in adversis a charitate deficiat, nec adversus fratrem suum zelo B ultionis, aut odio inardescat. Meritorium igitur vobis est, atque apud Deum et homines commendabile, si inobedientiam subjectorum justitia mediante compescitis. *Beati* enim, *qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam omni tempore* [44]. In exsecutione quidem justitiæ, non debet esse personarum acceptio, aut delectus. Si sit frater, aut filius : si sit prælatus, aut subditus, semper quæratur fructus justitiæ, semper juste judicent, qui judicant orbem terræ. Nam cum levitæ, occidentes fratres et filios suos, ulti essent peccatum idolatriæ, ait illis Moyses : *Consecrastis manus vestras hodie unusquisque in filio suo, et in fratre suo, ut detur vobis benedictio* [45]. Salomon quoque dicit : *Qui arguunt laudabuntur, et super eos veniet benedictio* [46]. Flurimum C quidem commendabile est in domino vestro, quod sic solus ascendit ex adverso, quod opponit se murum pro domo Israel, et arguit pro mansuetis terræ [47]. Istum habemus hodie, singularem et unicum inter filios excussorum. Pro patribus nostris natus est nobis filius [48], qui exemplo apostolorum solus hodie facit *vindictam in nationibus, et increpationes in populis* [49]. Et sicut illi *principes populorum,* qui modo *congregati sunt cum Deo Abraham* [50] pro justitia Christi, tanquam *dii fortes terræ vehementer elevati sunt* [51], sic et honor istius, si in exibitione justitiæ perseveraverit, elevabitur in immensum.

Quod enim nunc exsulat, quod multa in ejus contumeliam attentantur, ei totum hoc in gloriam beneficio patientiæ convertetur. *Quod leve est, et momentaneum tribulationis nostræ,* dicit Apostolus, immensum *gloriæ pondus operatur in nobis* [52]. *Exhibeatis vosmetipsos tamquam Dei ministros in multa patientia* [53]:

Nam vidua est virtus, quam non patientia firmat [54]. Et quis a primitivis Ecclesiæ cunabulis sine patientia triumphavit ? Sane, licet plurimum habeat de spiritu fortitudinis dominus vester ; dicitur tamen, quod propter coronationem novi regis Anglorum (58) ab Eboracensi factam, atque ob quædam privilegia, sicut dicunt, contra ipsum subreptitie impetrata, adeo turbatus est, quod a pusillanimitate spiritus et tempestate *pene moti sunt pedes* ejus, *pene effusi sunt gressus sui* [54*]. Verumtamen vos, qui estis manus archiepiscopi et oculus ejus, sanctis exhortationibus vestris confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Non est mirum, si turbetur tribulationibus et pressuris ; verumtamen, si totus innitatur et inhæreat ei, qui in electis suis mittit radices, omnem ventum tentationis et turbinis securus excipiet [55]. Certe patres antiqui, cum essent quandoque inter angustias, frequenter tædio sunt affecti. Unde et fortis illa' tolerantia passionum, qua fervebant in Domino, tepere et torpere videbatur ad tempus, donec virtute induti ex alto per gratiam divinæ consolationis in spiritu fortitudinis resurgebant. Elias fugiens a facie Jezabel, et affectus tædio hujus vitæ, projecit se subter unam juniperum, petiitque animæ suæ, ut moreretur. *Sufficit,* inquit, *mihi tolle animam meam* [56]. Apostolus etiam, simili tædio intabescens : *Supra modum,* inquit, *gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere* [57]. Propheta hæc tædia frequenter expertus dicit : *A fortitudine manus tuæ ego defeci, et tabescere fecisti, sicut ara-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ

ex dissidio inter Henricum regem et Thomam archiepiscopum Cantuariensem ortarum, fuse narrant ejus ævi scriptores, et maxime *Processus* S. Thomæ. ex *Historia quadripartita* aut quadrilogio compositus. [Vide *Patrolog.* t. CXC. EDIT.]

(57) Videtur loqui de excommunicatione, quam S. Thomas fulminaverat iu eos, qui bona Ecclesiæ Cantuar. injuste occupata detinebant, similiter et in Eboracensem archiepiscopum, aliosque episcopos, et magnates, qui coronationi regis Henrici Junioris interfuerant. Vide *Processum,* 1, II, c. 29. Gervasium et Radulfum.

(58) Hæc fuit vera et unica causa aut occasio necis S. Thomæ. Nam et mediantibus summo pontifice, rege Francorum et archiepiscopo Senonensi, Thomas Henrico regi, licet diutissimæ et pertinaciter retinenti, reconciliatus fuerat, revocatis et abolitis pravis decretis, quæ tam fusti inter regem et archiepiscopum dissidii causa fuerant, ipseque archiepiscopus in Ecclesiæ suæ bonorumque omnium possessionem redire permissus. Verum cum juribus suis nihil detrahi pateretur, Eboracensem archiepiscopum, qui juniorem regem sacraverat, episcopos etiam plures et magnates, aliosque omnes qui coronationi interfuerant, nomine summi pontificis excommunicavit, nempe ne propriæ personæ injuriam ulcisci videretur, prius excommunicationis sententiam a summo pontifice obtinuerat. Quæ res in tantam iracundiam Henricum concitavit ut in duriora quædam verba in archiepiscopum proruperit, ex quibus trucidandi sanctum virum nefarii homines occasionem arripuerunt.

[43] Lev. 2. [44] Psal. 105. [45] Exod. 32. [46] Prov. 24. [47] Isa. 1. [48] Psal. 126. [49] Psal. 149. [50] Psal. 46. [51] Ibid. [52] II Cor. 4. [53] II Cor. 6. [54] *Vide Neubrig. l.* II. c. 25, et Polyd. l. III *Histor. ang.* [54*] Psal. 72. [55] Eccli. 21. [56] III Reg. 19. [57] II Cor. 1.

neam, animam meam [58]. Porro charitas in eis invalescebat ex tædio, et ex ipsa infirmitate fortitudo crescebat : quod alicui forte incredibile videretur : Nisi Apostolus, qui frequenter hæc in libro experientiæ legerat, testimonium super hoc ferret : *Quando enim*, inquit, *infirmor, tunc fortior sum ;* sed et ei dictum est : quia *virtus in infirmitate perficitur* [59].

Si ergo propter ingruentiam malorum, quæ sustinet dominus vester, aut pro suorum desolatione, aut pro exsilii hujus diuturnitate, videritis ei torporem mentis obrepere, sitis ipsi solatio, ne desperet, ne titubet : in proximo est enim tempus visitationis suæ. Nam si *mirabiles* sunt *elationes maris, mirabilis* est et *in altis Dominus* [60] : qui procellam convertit in auram, et indignationem regis in gratiam.

Per legatos sedis apostolicæ (59), cum quibus a Romana curia usque ad Bononiam veni ; vel Anglorum regi in proximo firmissime reconciliabitur, vel ad majoris patriarchatus eminentiam transferetur. Sane, qualitercunque voluerit Dominus negotium ejus disponere, si talis perseverat, qualis est hodie, securus exspectet exitum hujus pugnæ : ideoque voces palpantium non attendat, sed sequatur spiritum Dei, qui in eo est, et quocunque ibit spiritus, et rotæ pariter gradiantur [61]. Scio enim, quod gloriosus erit sui certaminis cursus, si tantummodo perseveret in eo, quem cœpit, fortitudinis et constantiæ casu. Qui enim legitime certaverit, coronabitur [62] : cumque omnes virtutes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur. Rogo autem vos, tanquam dominum et magistrum meum, ut me de vestro et ipsius statu frequentius instruatis. Nam, cum aliud non possim, oro jugiter pro vobis, ut prævenieute Altissimi gratia regis Anglorum gratiam, vestrarum rerum liberam administrationem obtinere possitis.

Librum vestrum de nugis curialibus legi, et mirabiliter me refecit ; nam et ibi optima forma eruditionis est, et propter artificiosam sententiarum varietatem inæstimabilis materia voluptatis. Bene valete.

EPISTOLA XXIII.

AD OCTAVIANUM (60) ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

[A. D. 1187.]

ARGUMENTUM. — *Dolenter queritur passim indignos, sive scientiam, sive virtutem, sive ætatem species, per summam ambitionem in episcopatus, aliasque dignitates irruere : obtestaturque Octavianum, apostolicæ sedis legatum, ut sua auctoritate interposita ambitiosos et Simoniacos omnes ab Ecclesiis gubernaculis arceat.*

Charissimo domino et amico Oct. S. Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, apostolicæ sedis legato, magister P. B. Bath. archid. salutem,

O curas hominum, o quantum est in rebus inane [63]. O inanis gloria ! o ambitio cæca ! o terreni honoris

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(59) Plures variis temporibus missi sunt ab Alex. III ad pacem inter Henricum regem et S. Thomam stabiliendam legati : qui vero sint isti, qui post coronationem Henrici Junioris missi sint, et de quibus hic loquitur Blesensis, prorsus incertum est. Cum de illa legatione ne verbum quidem apud auctores istius temporis reperire sit, nec apud ipsummet Baronium, qui rem totam accuratissime descripsit. Nisi forte dicamus eos esse Gratianum et Vivianum cardinales, quos anno superiore, id est 1169, pro hac causa ultimum a summo pontifice missos narrant historici. Vid. *Process.*, lib. II, c. 27. Gervasius, Radulfus, et post illos Baronius, t. XII, ad ann. 1169. — Videtur hæc epistola scripta ann. 1170. Nam in ea mentionem facit coronationis Henrici Junioris, quæ facta hoc anno. Sequenti autem, id est 1171 ineunte, S. Thomas martyrio coronatus est.

(60) Ille est Octavianus nobilis Romanus, qui primum subdiaconus apostolicus ab Alexandro III, diaconus cardinalis SS. Sergii et Bacchi, tum a Lucio III postmodum episcopus cardinalis Ostiensis, et vicarius urbis a Clemente III creatus est, inquit Ciaconius in *Vitis pontif.* Quod ad legationem attinet, qua fungebatur, cum ei « scripsit Blesensis, hanc epistolam querelis plenam de his quæ perperam agebantur in Ecclesia Dei, » ait Baronius ad ann. 1187, « missus est ab Urbano III in Angliam cum Hugone de Nunant electo Cestrensi, alias Coventrensi, quibus commisit legatiam in Hiberniam ad coronandum ibi Joannem filium regis Henrici II. Sed rex coronationem distulit, et prædictos legatos duxit secum in Northmanniam, » etc. « *Hic est Octavianus*, cui Richardus Anglorum rex, cum ad sacrum bellum pergeret, occurrente sibi ad ostia Tiberina (erat enim Ostiensis episcopus) turpia multa, dixit, improperando Romanis Simoniam, quod DCC marcas habuerint pro consecratione Cenomanensis episcopi, et MD marcas pro legatione Eliensis episcopi, et pecuniam magnam ne deponeretur Burdegalensis, qui a clericis suis accusabatur in crimine. » Eadem Baronius ex Rogero.

Ille est etiam, quem, ait Baronius, missum a Cœlestino III, anno 1192, Jordano cardinali a Fossanova in Northmanniam, ad dirimendam litem, quæ erat inter Guillelmum Eliensem episcopum regni Angliæ cancellarium, et Walterum Rothomagensem archiepiscopum, de qua suo loco infra dicemus. Verum, re infecta, recesserunt.

Quanto autem apud Innocentium III in pretio fuerit, hinc potissimum apparet, quod summus pont, castrum montis S. Mariæ destrui jusserit, in quo prædecessoris sui tempore Conradus Musca Octavianum episcopum Ostiensem e Francia redeuntem detinuerat, « ut esset hæc demolitio in titulum memoriæ sempiternæ, » ait Ciacon. *ibid.* Ad eum etiam, quem vicarium suum in urbe constituerat, in mandatis dedit, ut altaria quædam basilicæ Vaticanæ solemni ritu dedicaret. Insuper bis eum legatum a latere suo destinavit, semel in Siciliam, ad Constantiam Augustam, ut suo et filii sui Friderici II nomine fidei sacramentum exigeret, eique beneficiario jure, regni titulos more majorum apostolicæ sedis nomine concederet. Iterum in Galliam ad Philippum Augustum missus est, ut legi-

[58] Psal. 38. [59] II Cor. 12. [60] Psal. 92. [61] Ezech. 10. [62] II Tim 2. [63] Pers. *Sat.* 1.

inexplebilis fames! o tineæ cordium, animarum subversio, cupiditas dignitatum! Unde obrepsit hæc pestis? Unde invaluit hæc exsecranda præsumptio, ut indigni dignitates ambiant; et quanto minus meruerunt ascendere ad honores, tanto importunius honoribus se importent? Hodie per fas et nefas, hodie in animæ corporisque discrimine currunt infelices ad cathedram pastoralem; nec attendunt, quod sit eis cathedra pestilentiæ, dum sibi et aliis sit occasio ruinæ. In gregibus et armentis, teste Hieronymo [64], aries et taurus corpore et animositate præstantior alios antecedit [65]; homo vero bestiis omnibus bestialior, tanto indiscretius et audacius melioribus anteesse præsumit, quanto minus de virtutum titulis, aut conscientiæ sinceritate confidit. *Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent* [66], nec populi iniquitates suis excessibus aggregarent! Verba sunt Ecclesiastici [67]: *Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates* populi. Non te immittas in populum nec alliges tibi peccata duplicia. Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur, et quasi *æs sonans aut cymbalum tinniens* [68] usurpat prædicantis officium, cum sit truncus inutilis et idolum mutum. Apud veteres erat conditio sapientum inæstimabiliter venerabilis, hodieque prudentia tanquam vitis et abjecta calcatur; quadam vero abominabili mutatione stultitia ponitur in sublimi. Hoc est, quod Ecclesiastes [69] deplorando conqueritur; *Vidi*, inquit, *malum, quod sub sole est, stultum positum in dignitate sublimi, et sapientes sedere deorsum.* Sacræ Scripturæ prorsus expertes onus importabile dignitatis usurpant; de aliena potius, quam de sua scientia præsumentes. Alia erat Apostoli sententia discipulum instruentis: *Tibi*, inquit, *commendo, fili Timothee* [70] regere Ecclesiam Dei, secundum quod novi te scientiam habere sacrarum litterarum [71]. Scientia siquidem spiritualis gladius est in manu potentis. Hæc est pera, in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostravit [72]. Hæc est asini mandibula, quæ Samsoni mille hostium stragem fecit [73]. Hic est vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit [74]. Episcopus illitteratus, præco est mutus.

A Prælati est erudire subjectos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo mysteria Scripturarum. Petro enim et successoribus ejus præcipitur ducere in altum rete [75], id est profundam sacræ Scripturæ intelligentiam in capturam hominum aperire. Verumtamen hodie *sicut populus, sic sacerdos* [76]: sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. *Erubesce Sidon, ait mare* [77]; erubescat, doleatque prælatus præesse populo, nec prodesse: docentis assumpsisse officium, et in doctrina populi mutum esse. Verbum lamentatoris prophetæ est: *Grex perditus, factus est populus meus; pastores eorum seduxerunt eos* [78]*: canes muti non valentes latrare* [79]. Lupos a gregibus suis arcere debuerant, sed ipsi lupi sunt in suos; nec de sua suorumve salute curantes, se cum gregibus
B suis in foveam mortis æternæ præcipitant. Hodie in episcopi dignitatem adolescentuli promoventur, et molles. Sic venditur Joseph Putiphari eunucho [80], dum Christi magisterium, dum dispensationem sacramentorum Dei sibi damnabiliter usurpare præsumit infructuosus et mollis episcopus. Porro dum ad eruditionem populi mittit Dominus Jeremiam, quem sanctificaverat ex utero matris suæ, propheta suum considerans imperfectum, tanquam adhuc elementarius et rudis in formatione verborum, respondit: *A, a, a Domine Deus, nescio loqui* [81]. Moyses etiam dum a Domino destinatur ad liberationem populi Israel de Ægypto: *Obsecro*, inquit, *Domine mitte, quem missurus es* [82]: ab heri et nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguæ factus sum.
C Et quis hodie a pontificali onere se excusat? quis hodie allegat insufficientiam suam? quis hodie invitus trahitur, aut reclamat? Ubi hodie similis Ammonio invenitur [83]? quem cum clerus et populus in episcopum elegissent, electioni nullatenus consentire volebat; prævalentibus illis et invitum trahentibus, aurem sinistram cunctis videntibus sibi radicitus secuit, dicens: « Lex divina nullum præcisa aure episcopari permittit. » Cumque Timotheus patriarcha censeret hunc episcopatu dignum, etiamsi nare et auribus truncatus esset, dummodo scientia et virtutibus præemineret: illis rursum Ammonium rapientibus, et invitum trahentibus, Ammonius dixit: « Linguam meam, propter quam vobis placeo,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

timo matrimonio, quod cum uxore Isemberga vel Engelberga contraxerat, et adulterino, quod cum Agnete, alias Maria, Meraniæ in Istria ducis filia, contra jus fasque inierat, irritum declararet. Raynaldus ad ann. 1200.

Notandum porro hic occurrit quod in titulo dicatur

D Octavianus card. presbyter in omnibus exemplaribus, cum tamen dicam Baronius eum tantum fuisse cardinalem diaconum (*a*) qui in Angliam ab Urbano missus est. Unde et Ciaconius supra ait eum solummodo a Clemente III, cardinalem episcopum creatum.

(*a*) Textus ex Rogero legit *subdiaconum*, sed ad marginem recte ponitur *diaconum*.

---

[64] *Epist. ad fabiolam et in* c. XXXIV *Isa.* [65] Senec. *ep.* 90. [66] Deut. 32. [67] Cap. 7. [68] I Cor. 13. [69] cap. 10. [70] I Tim. 1. [71] II Tim. 3. [72] I Reg. 17. [73] Jud. 15. [74] Jud. 5. [75] Jud. 5. [76] Isa. 24. [77] Isa 23. [78] Isa. 50. [79] Isa. 56. [80] Gen. 39. [81] Jer. 1. [82] Exod. 4. [83] Pallad. *Hist. laus.*, c. 11, *Socr.* l. IV, c. 18.

nisi me citius dimittatis, abscindam. Dignitatis equidem appetitus natione cœlestis est: in cœlo concepit, et peperit iniquitatem [84]. » Per hanc affectabat sedere in lateribus aquilonis [85], qui nondum laboraverat, ut sederet. Sed et isti nondum laboraverunt, ut sedeant, ut eminentiam cathedræ pastoralis ascendant. Nondum propositum perfectionis aggressi sunt. Nondum cum Petro rete, cum Joanne sindonem, cum Matthæo telonium, cum Joseph pallium, cum homine evangelico sepulturam patris, cum muliere Samaritana hydriam, id est cupiditatem sæculi reliquerunt. Peccato talium, quasi filiorum Heli translata est hodie arca, sive gloria Domini de Israel in Azotum [86] ignem, scilicet, concupiscentiæ. Ignis autem iste non inflammat, sed infumat, non illuminat, sed excæcat, sicut scriptum est: *Supercecidit ignis et non viderunt, solem* [87]. De Azoto transfertur in templum Dagon [88], id est tristitiæ, vel desolationis. Nonne idolum tristitiæ et mœroris est prælatus illiteratus et fatuus, qui in ira Dei, et populi desolatione eligitur, et quasi idolum erigitur [89], ut veniat quod legitur in Matthæo: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, id est in Ecclesia Dei, *tunc væ prægnantibus et nutrientibus* [90]. Illi enim, qui spiritum salutis conceperant, exemplo talium suffocantur. Qui vero vitæ cœlestis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur. *Parvuli*, inquit propheta, *petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis* [91].

Tu igitur, amantissime Pater, qui a latere summi pontificis missus es, ut legatione fungaris pro Christo, surge in exstirpationem exsecratissimæ pestis hujus. Ecce constituit te Dominus *super gentes et regna, ut evellas et destruas, ut disperdas et dissipes, et ædifices, et plantes* [92]. Accendatur et ignescat zelus tuæ auctoritatis adversus ambitionis malum, dissipa et evelle plantationes iniquas. Ædifica, et planta in Ecclesia Dei tales, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior et litteratura commendet; qui subjectos doceant, qui divites non patpent, pauperes non gravent, qui minas potentum non timeant, qui crimina corrigant et marsupia non emungant; quorum sermo sit doctrina, quorum conversatio sit justitia, quorum auctoritas sit, non in habitu, non in fastu, sed in eruditione et defensione fidei; quorum vita sit publice commendabilis, quorum memoria in benedictione. Ad tuum, et collegæ tui (61) ingressum, quæso, lætetur Ecclesia Christi, ut a Simoniacis et ambitiosis oppressa sub vestra consolatione respiret. Congaudeant clerici, et exsultent populi, se hodie in vobis suscepisse cives apostolorum, et domesticos Dei, portantes pacem, et illuminantes patriam, nobis et aliis vitæ æternæ poscentes præmia, ut de labore et sollicitudine vestræ legationis immarcessibiles justitiæ manipulos reportetis.

EPISTOLA XXIV.

AD FAMILIARES THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS (62).

[A. D. 1169-70.]

ARGUMENTUM. — *Reginaldus archidiaconus Saresberiensis in offensionem Thomæ archiepiscopi exsulantis inciderat: eum ad satisfactionem et reconciliationem paratum Petrus cupit in amicitiam, et per eam, in societatem persecutionis restitui.*

Doletis, et causamini quod ad archidiaconum Saresberiensem (63) me contuli: sed si culpa est, accessisse ad eum, reddit me necessitas excusatum. In verbo Domini dico vobis, quod nec noveram, nec audieram, quod dominus vester adversus eum aliquid rancoris aut odii concepisset. Nunc etiam certissime novi quod vestro domino reconciliari toto corde desiderat; et jam nisi inimicus homo impedisset, per omnia satisfacturus se ipsius pedibus humiliter advolvisset.

Adhuc etiam correctionem, et conversionem ipsius exspecto quotidie, et ad hoc operam adhibeo diligentem. Sed sunt aliqui cum eo, qui seminant zizania, et firmiter interdicunt, ne domino vestro reconcilietur, si patris sui, quem super omnia dili-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(61) Hugonis electi Cestrensis, de quo supra. Scripta est hæc epistola anno 1187, quo juxta Baronium missus est Octavianus in Hiberniam.

(62) Titulus hujus epistolæ varius est. In quibusdam hoc modo: *Litteræ; excusatoriæ* in aliis *exhortatoriæ, ut R. beato Thomæ reconcilietur*; in aliis aliter. Sed in nullo habetur nomen Petri Blesensis, quod et in aliis pluribus reperire est. Ipsius tamen esse nemo est qui dubitaverit.

(63) Ille est Reginaldus, qui postea fuit episcopus Bathoniensis, cui vehementer offensus fuerat S. Thomas, ut patet ex epistola, quam scripsit ad nuntios suos, quos Romam miserat, apud Baron., tom. II ad an. 1168, his verbis: « Contra adversarios nostros cautelam et continuam vigilantiam habeatis, et præcipue adversus illum spurium, fornicarium, et Ecclesiæ pacis inimicum, sacerdotis filium Reginaldum de Saresberia, qui personam nostram, in quantum potest, diffamat ubique, et deturpat dicens nos proditores esse, et sibi fidem nostram dedisse quod patrem ejus non læderemus, in aliquo, etc. « Dicit etiam quod si dominus papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ, jactitans curiam Romanam ita venalem esse, ut intervenientibus muneribus, quidquid velit, possit impetrare. Suggessit etiam regi Anglorum hujusmodi petitiones facere domino papæ, ut alicui episcopo in Anglia committere auctoritatem coronandi filium ipsius regis, et consecrandi episcopos, ut vel sic dominum papam diceperet. Cui cum respondisset rex se, ut credebat, a domino papa petitiones illas non posse impetrare, respondit Reginaldus: Dominus papa ut stolidus et fatuus agit, si petitionibus tuis [Non addendum videtur] satisfecerit. » Quæ quidem perperam a malevolis quibusdam suggesta videntur sancto Themæ, si vera sunt quæ de eodem Reginaldo scribuntur a Petro Blesensi hac in epistola. De eodem Reginaldo plura ad epist. 30.

[84] Psal. 7. [85] Isa. 14. [86] I Reg. 3. [87] Psal. 57. [88] I Reg. 5. [89] Isa. 57. [90] Matth. 24. [91] Thren. 4. [92] Jer. 1.

git, ac totius generis sui salutem et quietem desiderat. Scitis equidem, quia homo circumspectus est et industrius, vobisque ac domino vestro fructuosissimus esse posset, si staret vobiscum, si in se partem vestræ persecutionis exciperet. Scio etiam, quod ad hoc eum tenuissima exhortatio domini Cantuariensis efficaciter inclinaret. Date operam, quæso, ut ad eum a domino vestro super hoc litteræ dirigantur. Quod si non facitis vestræ utilitatis intuitu, faciatis hoc saltem suæ conversionis et salutis obtentu. Certe Moyses, ut Hobab ab errore gentilitatis averteret, volens ipsum tanquam necessarium retinere dicebat: *Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis : veni nobiscum, et benefaciemus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli, noli nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis castra ponere debeamus, et eris ductor noster* [93]. Si Moyses gentilem postulabat sibi fieri ducem, non erubescat quæso, Moyse minor archidiaconum sibi adjungere dolorum et laborum participem. Archidiaconus enim hoc præcipue desiderat, ut pro eo, et cum eo laborem et dolorem inveniat. Nuper legebamus in libro Regum, et occurrit nobis verbum illud Ethai Gethæi ad David egredientem nudis pedibus de Jerusalem a facie Absalon, et dicentem; quod ille reverteretur ; illeque respondit : *Vivit Dominus, quia non derelinquam te, neque in vita, neque in morte.* Suspirans ergo archidiaconus : *Sic faciat mihi*, inquit, *Dominus, et hoc addat, antequam moriar*, [94] ut sic possim domino Cantuariensis, et ex corde hoc dicere, et opere adimplere. Suggerite, quæso, domino archiepiscopo, ne clericum suum verbis provocet, aut minis exasperet, ne dum ligna cum proximo cæduntur in silva, ferrum de manubrio securis evadat [95], proximumque interimat. Ligna enim, teste Gregorio [96], cædimus, cum per increpationem proximi peccata succidimus ; sed ferrum securis elabitur, proximumque occidit, dum contumeliosa correctio conscientiam proximi vulneratam a dilectionis spiritu in mortale odium vertit. Sane non est admonitio accepta in oculis Altissimi, quæ non fit ex charitatis intimo, et in spiritu lenitatis. Quod liquido patet ex verbis Eliæ dicentis : *Ecce spiritus Domini subvertens montes, et conterens petras, et non in spiritu Dominus ; et post spiritum commotio, et non in commotione Dominus : et post*

A *commotionem ignis, et non in igne Dominus : et post ignem sibilus auræ tenuis, et in sibilo Dominus* [97]. Nam cum per prædicta terribilis increpatio exprimatur, per sibilum auræ tenuis blanda et amica exhortatio designatur. Hæc fit cum silentio, illa fit cum iracundia et tumultu, sicut scriptum est : Quoniam aquæ Siloes cum silentio currunt ; aquæ vero Rasin transeunt cum tumultu [98]. Porro dominus Cantuariensis, qui, sicut mihi videtur, jam aggressus est arctioris et altioris vitæ propositum (64), non spiritum hujus mundi accepit, sed spiritum qui ex Deo est. Charitas ergo Dei, quæ diffusa est in corde illius [99] usque ad proximum se extendat, sicut decet sanctum. Unde, si Saresberiensis archidiaconus perseverat in ea satisfatione et obedientia, quam

B promittit, aperienda sunt ei viscera charitatis. Ego autem magnum reputo, tantum lucrifacere virum : qui, si vestigiis domini Cantuariensis inhæserit, fructum in Ecclesia Dei faciet tempestivum. Si adhuc residet in animo ejus adversus archidiaconum aliqua suspicionis occasio, antequam eumdem in sacrarium suæ familiaritatis admittat, fidem ipsius experiatur operibus. Josue quidem non prius angelum amicum recepit, quam amicum esse cognoverit : sciscitans prius, suusne esset, an adversariorum [100] ? Illud verbis assero confidenter, quoniam si conversionem ejus procurare voluerit, in eo quod Saulum reperit, Paulum inveniet. Super conversione siquidem et salute archidiaconi anxia sollicitudo me tangit ; non enim possum eum non diligere, qui frequenter in suis benedictionibus me

C prævenit.

EPISTOLA XXV.

AD OFFICIALEM EPISCOPI CARNOTENSIS.

ARGUMENTUM. — *Hortatur officialem, ut officium susceptum, ob graves et multos abusus illi conjunctos deserat : unde et prolixe officialium fraudes et technas describit.*

Magister P. Blesensis Bath. archid., G. officiali episcopi Carnotensis, salutem et salubre consilium. Quia te affectuosissime diligo in visceribus Jesu Christi proposui te salutaribus monitis adhortari, ut de Ut Chaldæorum [1], et de medio Babylonis tempestivus exeas, et ministerium damnatissimæ villicationis omittas. Scio quod munerum cupiditas subvertit cor tuum ut fieres officialis episcopi. Quandoque

D legeras, sed forte negligebas verbum illud beati

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(64) Loquitur de S. Thoma qui Pontiniacum profectus, benedictum et sibi missum ab Alexandro III tunc Senonis agente monachicum habitum induit, ex *Proc.*, l. II, c. 12 ; Baron , tom. XII ad an. 1164. Ex supradictis colligi posset, hanc epistolam scriptam esse circa annum 1164, quo ad Pontiniacenses divertit S. Thomas, post reditum ab Alexandro papa, qui tum Senonis aderat. Scripta autem videtur Parisiis, antequam Petrus in Siciliam pergeret, Verum quia initio epistolæ ait se ad archidiaconum Sarisberiensem venisse, probabilius videtur scriptam esse hanc epistolam tantum circa annum 1170, cum jamdiu exsularet S. Thomas. Constat enim Blesensem e Sicilia reversum anno 1168, et Parisiis aliquandiu moram fecisse, donec in Angliam ab Henrico II, circa annum 1170, evocatus fuit.

---

[93] Num. 10. [94] 2 Reg. 15. [95] Deut. 19. [96] *Moral.* l. x, c. 9. [97] III Reg. 19. [98] Isa. 8. [99] Rom. 5. [100] Jos. 5. [1] Gen. 15.

Job [1]: *Ignis devorabit corpora eorum, qui munera libenter accipiunt.* Ideo beatus est, *qui excutit manus suas ab omni munere* [2]. Credo hujusmodi officiales non ab officii nomine, sed ab officit, verbo, mutuasse vocabulum :

Nam genus hoc hominum, quod dicitur Officiperdi :
Officit est verbum crudele nimis et acerbum :
Dictio plena malis, hinc dicitur officialis.

Tota officialium intentio est, ut ad opus episcoporum suæ jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illorum tondeant, emungant, excorient. Isti enim sunt episcoporum sanguisugæ, evomentes alienum sanguinem, quem biberunt. Quia testimonio Scripturæ : *Divitias, quas congregavit impius, evomet; et de faucibus illius extrahet eas Deus* [4]. Isti sunt quasi spongia in manu prementis, et quasi quædam colatoria, divitias suis dominis influentes, et exsecrandis acquisitionibus nihil sibi præter peccati sordem, et fæculentiam retinentes. Quod enim aggregant per oppressionem pauperum; episcopis quidem ad delicias cedit, officialibus ad tormentum.

Sic vos, non vobis, mellificatis apes [5].
Sic vos, non vobis, accumulatis opes.

Isti sunt secretiora illa ostiola, per quæ ministri Belis sacrificia, quæ super mensam ponebantur a rege, clanculum asportabant [6]. Sic episcopus quasi longa manu bona aliena diripit, et notam criminis a se removens, suis officialibus culpæ et infamiæ discrimen impingit. Ideo quasi sub umbra episcopi et obtentu justitiæ palliatæ subditos opprimunt, ecclesias gravant, reditus alienos violenter invadunt : oculos habent ad munera, pupillo et viduæ non intendunt. Verba sunt Jesu filii Sirach : *Concupiscentia spadonis devirginat juvenculam : ita et qui facit per vim judicium injustum* [7]. Spado virginem opprimit, et prolem in oppressione non quærens, sed suæ libidini tantum serviens, corrumpit, non gignit; sic prælatus iracundiæ aut avaritiæ suæ satisfaciens, nec fructum justitiæ quærens corrumpit, non corrigit ; exasperat, non emendat. Quod enim fit prætextu fucatæ religionis, aut simulatæ justitiæ, non fructificat ad vitam, non ædificat ad salutem. Parcit Saul optimis gregibus Amalec, quasi ea sacrificaturus Deo, et divinam incurrit offensam. Gedeon de præda Madianitarum facit Ephod [8]; et hoc ei et domui suæ versum est in ruinam. Hanc administrationem, quam tibi damnabiliter usurpasti, patientius ferrem ; nisi sacrarum litterarum scientia præemineres. Causæ et judicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario et sæculari jure quam ecclesiastico, deciduntur. Virum litteratum et ecclesiasticum non sic decebat sæcularibus negotiis implicari [9]. Apostolus ad Corinthios scribens dicit : *Sæcularia negotia si habueritis, eos qui contemptibiliores sunt inter vos constituite in ecclesia ad judicandum* [10]. Officium officialium, quorum te numero aggregasti, hodie est, jura confundere, suscitare lites, transactiones rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concinnare. Isti sunt, qui hospites suos gravant superflua evectione, et multitudine clientelæ. Quærunt delicatos et superfluos cibos, cum scriptum sit : *Comedentes et bibentes, quæ apud illos sunt* [11]. De alieno enim prodigi, de proprio sunt avari, verborum insidiatores, et aucupes syllabarum, tendunt laqueos et pedicas in capturam pecuniæ ; jura interpretantur ad libitum, et ea pro voluntate sua, nunc abdicant, nunc admittunt bene dicta depravant, prudenter allegata pervertunt, rumpunt fœdera, nutriunt simultates, fornicationes dissimulant, matrimonia distrahunt, adulteria fovent, penetrant domos, et mulierculas oneratas peccatis captivas ducunt [12], diffamant innoxios, et nocentes absolvunt ; et, ut multa sub verborum paucitate concludam : dum omnia venaliter agunt filii avaritiæ, servi mammonæ, se diabolo venales exponunt. Dominus in Evangelio dicit : *Gratis accepistis, gratis date* [13] : et Salomon in Parabolis : *Veritatem eme, et noli vendere sapientiam, et doctrinam* [14]. Vereor ne te rapiat spiritus elationis et dominandi libido *ad vanitates et insanias falsas* [15]. Utinam attenderes verba Sapientiæ talibus comminantis : *O vos, qui placetis vobis in turbis, data est vobis potestas a Deo, qui interrogabit opera, et cogitationes vestras, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis. Horrende autem apparebit Dominus, et judicium durissimum his qui præsunt fiet* [16] : atque fortioribus instat fortior cruciatus. Amice, in arena hujus sæculi periculosissime pugnas : mors te sequitur, vita fugit, caro palpat, mundus allicit, leo rugiens et quærens quem devoret, circumcurrit [17]. *Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* [18] : utinam ab hominibus hujusmodi noxiis abstineres, ut nil in te, quod suum est, princeps hujus mundi, et in palæstra, qua curritur ad bravium, nihil haberet adversarius, quo te caperet, aut teneret, aut a bravio retardaret ! Si mihi credis, imo si credis in Deum, relinque maturius officialis officium, ministerium damnationis, rotam malorum, et spiritum vertiginis, qui te ad inania circumvolvit. *Miserere animæ tuæ placens Deo* [19] : cui placere non potes sine perditione officii.

---

[1] Cap. 15. [2] Isa. 33. [4] Job. 20. [5] Virg. *in Vita.* [6] Dan. 14. [7] Eccli. 10. [8] Jud. 8. [9] II Tim. 2. [10] I Cor. 6. [11] Luc. 10. [12] II Tim. 3. [13] Matth. 10. [14] Prov. 23. [15] Psal. 39. [16] Sap. 6. [17] I Psal. 5. [18] Cor. 9. [19] Eccli. 30.

EPISTOLA XXVI.

AD SOCIUM QUEMDAM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Scribit se deserto juris civilis studio theologiæ Parisiis operam dare; juris civilis studium et usum non convenire clericis, propter maximos advocatorum abusus.*

Domino suo B. et charissimo socio suo P. Blesen. archid. Bathon. (65), salutem.

In epistolari salutatione ferventior exstitisset nostra devotio, nisi vel invida mihi locorum distantia, vel raritas itinerantium contrairet. Vicarias ergo salutationes præsens et nunquam intercisa suppleat affectio: cumque civilis possessio corporalem assistentiam non mendicet, me, licet remotum, propinquiorem habetis, et fortius possidetis absentem; nec intertitium locale, corporumve remotio, vel temporum intercursus robur dilectionis evacuat. Quod si de verborum obligationibus, legem primam attenditis.

Intervallum medii temporis obligationem non vitiat [20].

Vester, vobisque devotissimus operam theologiæ Parisiis indulgeo, Bononiensis castra militiæ crebro suspirans, quæ vehementer amata citius et præmature deserui. Legimus [21] tamen de usu et usufructu legato, quod fructuario liceat maturitatem fructuum prævenire; soletque ex olivis citra maturitatis tempora uberior olei copia emanare. Currens ergo ad oleum, quod Aaron cum laganis jubetur offerre [22], leges sæculi saluto ad tempus, ne peccatoris oleum me impinguet [23]. *Lex* enim *Domini*, lex *immaculata convertens animα* [24]; meque prævaricatorem legis divinæ constituerem, nisi cum qualiquali theologiæ notitia, nisi cum pugillo similæ thus offerrem [25]. Lex equidem sæcularis gloriosa supellectili verborum, lepidaque orationis urbanitate lasciviens me vehementer allexerat et inebriaverat mentem meam. Sed abhorret propheta aureum calicem Babylonis [26]; ubi designatus est lepor eloquentiæ ædificans ad gehennam. Adhuc tamen, quia nondum dilatavi gressus meos in lege Domini [27], lectioni Codicis et Digestorum plerumque ad solatium, non ad usum, tempus vacationis impendo.

Res plena discriminis est in clericis usus legum: totum enim hominem adeo sibi vindicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet, suspendat a spiritualibus, a divinis avellat. Ideo Joannes Chrysostomus, sicut *tripartita* refert *Historia* [28], licet scientia civili et facundia præemineret, noluit tamen ad instantiam amicorum gerere officium advocati. Periculosum est ita se legibus humanis impedire. A ut mens per horulam a divinæ legis meditatione jejunet. Nemo simul potest precari et orare, petere et postulare, exercere Christi ministerium et officium advocati, ne, dum in utroque festinat, neutrum bene peragat.

Non inficior neque denego: nonum est scire leges, sed non ad quæstum, non ad iniquum juris compendium, sed ad inquisitionem veritatis et judicii æquitatem: si forte me aut alium, aliquando oporteat esse judicem, aut judicis assessorem. Hodie soli avaritiæ militant patroni causarum: illudque quondam venerabile nomen, et gloriosa professio advocati notabili venalitate vilescit, dum miser et perditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum B litium cineres resuscitat, pactiones violat, detrectat transactiones, privilegia frangit, et in capturam pecuniæ pedicas et retiacula tendens jura omnia intervertit. Ideo constitutio imperialis ab officio postulandi removet litium redemptores. Jure autem prætorio, atque interpretum, in prævaricantes vel alias delinquentes pœnæ extraordinariæ statuuntur. Debuerat advocatus, quod gratis acceperat, gratis dare [29], advocare pro pupillo et vidua, pro utilitate reipublicæ, pro Ecclesiæ libertate, nil exigens, sponte oblata suspiciens, *eripiens inopem de manu fortioris, egenum et pauperem a diripientibus eum* [30]. Fructuosius esset ei salarium modicum et honestum, quam sinum inexplebilis avaritiæ per fas et nefas extendere in immensum; nam *melius est modicum* C *justo super divitias peccatorum multas* [31]. Si talentum scientiæ sibi a Domino commendatum sponte et gratis expenderit, nons est abbreviata manus Domini, ut ei respondere ad meritum, et ampliora etiam conferre non possit. Hoc igitur secure commendet patri orphanorum et judici viduarum [32]; ipse enim promissor est magnificus, et munificus retributor.

EPISTOLA XXVII.

AD CANONICOS DE BELLOVIDERE.

[A. D. 1171.]

ARGUMENTUM. — *Docet obitum S. Thomæ martyris Cantuar. archiepiscopi non esse deflendum, utpote qui vitam terrenam cum cælesti, miseram cum gloriosa commutarit. Virtutes ejusdem accurate* D *describit: ac monachos ejus cathedrales arguit quod clanculum, contempla communi episcoporum et abbatum electione, successorem elegerint: optat denique ut summus pontifex tam clericorum quam monachorum ambitionem coerceat.*

Charissimis fratribus et amicis suis canonicis de

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(65) Male in titulo habetur *Bathoniensis archidiaconus*. Nondum enim in Angliam profectus erat Blesensis cum hæc scribebat, sed Parisiis adhuc theologiæ operam dabat, ut ipsemet fatetur in epistola. Titulus tamen ille ita habetur, in Sorb. 1; Maz. 1, 2 et Merl.; non autem in aliis.

---

[20] *Dig.* l. 154, l. 1 *ex Ulpian.* [21] *Dig.* l. VII, t. 1 l. 27. [22] Exod. [23] Psal. 22. [24] Psal. 18. [25] Lev. 6. [26] Jer. 51. [27] Psal. 17. [28] Lib. x, c. 3. [29] Matth. 10. [30] Psal. 34. [31] Psal. 36. [32] Psal. 67.

Bellovadere, magister P. Blesensis Bath. arch., salutem et dilectionem.

Decessit pastor animarum nostrarum (66), cujus obitum flere decreveram ; sed recessit, non decessit ; abiit, non obiit. Mors enim per quam mirificavit Dominus Sanctum suum, non est mors, sed dormitio ; portus mortis, et porta vitæ, introitus in delicias cœlestis patriæ, in potentias Domini, in abyssum claritatis æternæ. Peregre siquidem profecturus, sacculum pecuniæ secum detulit, in plenilunio reversurus ; ejus enim anima, dives meritis, recedens a corpore, in resurrectione generali et plena ad antiquum hospitium revertetur. Cum multas virtutes quasi merces varias in unum fasciculum comportaverit ad cœlestes nundinas profecturus, plena dierum vetula, mors sæculi scilicet, anus improba, litigiosa, querula, importuna, invida, inimica et subdola, cœpit revolvere sarcinulas ejus, et scrupulosius explorare, si quid esset in illo meritorum involucro, quod ad ipsius dominium pertineret. Ipse autem tanquam vir circumspectus et prudens noluit vitæ suæ sustinere dispendium. Diu enim desideraverat *dissolvi, et esse cum Christo* [33], et tunc permaxime suspirabat exire de corpore mortis hujus. Modicum itaque pulveris projecit in os vetulæ, quasi vice tributi, et nomine vectigalis. Inde cœpit falsus ille rumor populariter evagari et passim plebescere, quia *fera pessima devoravit Joseph* [34]. Tunica siquidem, qua spoliatus est, fallax nuntia mortis erat. Joseph enim vivit, et dominatur in tota terra Ægypti. Beata ejus anima corruptibilibus exonerata exuviis de pulvere hujus conversationis libera evolavit in cœlum Assumpta est ab eo, qui dicit : *Vado parare vobis locum : iterum autem veniam, et assumam vos ad meipsum* [35]. *Consummatus in brevi explevit tempora multa ; raptus est, ne malitia immutaret intellectum ipsius* [36]. Vocatus est in cœlum, quo mundus non erat dignus : nec est exstincta lucerna hæc sed flatu transitorio percussa est, ut luminosius splendeat, et jam sub modio non abscondita luceat omnibus qui in domo sunt. Visus est *oculis insipientium mori* [37], sed *vita ejus abscondita est cum Christo in Deo :* Mors eum vicisse et absorbuisse visa est, sed *absorpta est mors in victoria* [38]. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, Domine* [39] ; diu enim militaverat tibi *propter verba labiorum tuorum* custodiens *vias duras* [40]. Sane a primitivis adolescentiæ moribus, cœpit morum maturitate senescere, atque prurientes carnalis insolentiæ motus, vigiliis, jejuniis, disciplinis, cilicio et jugis continentiæ balteo cohibere, Vocatus est itaque a Domino tanquam Aaron [41], ad dandam A scientiam salutis plebi ejus ut redderet populum acceptabilem Domino, sectatorem bonorum operum [42], et pararet Domino plebem perfectam [43]. Elegit eum Dominus in sacerdotem sibi, ut esset in populo ejus ductor et doctor, vitæ speculum, pœnitentiæ forma, et sanctitatis exemplum. Deus scientiarum Dominuas dederat ei linguam eruditam, et infuderat ei abundanter spiritum sapientiæ et intellectus, ut esset inter doctos doctior, inter sapientes sapientior, inter optimos melior, inter humiles socius, inter maximos major. Erat præco verbi divini, tuba Evangelii, amicus sponsi, columna cleri, oculus cæci, lingua muti, pes claudi, sal terræ, patriæ lumen, minister Altissimi, vicarius Christi, christus Domini. Tota conversatio ejus erat B schola honestatis, morum ædificatio, et structura salutis. Erat in judicio rectus, in dispensatione industrius, in præcipiendo discretus, in loquendo modestus, in consilio circumspectus, parcissimus in cibo recipiendo, in donando largissimus, in ira pacificus, in carne angelus, inter injurias mansuetus, timidus in prosperis, securissimus in adversis, in eleemosynis effusus, in misericordiis totus. Erat religiosorum gloria, deliciæ plebis, timor principum, deus Pharaonis. De isto possumus fiducialiter dicere, et cantare, quia *post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ* [44], qui nec acceptor munerum, nec acceptator esse dignatus est personarum. Cæteri in eminentiæ cathedralis apicem sublimati, statim curam carnis propensius agunt, circumspectius se dietant, non minus C timent corporis ægritudinem, quam gehennam, et in omnibus spatiem vitæ productioris affectant. Iste vero a primo suæ promotionis ingressu, summo desiderio appetebat finem vitæ, imo ut verius loquar, vivendi principium. Nam, sicut Salomon ait : *Cum consummaverit homo, tunc incipit* [45]. Hujus enim vitæ transeuntis egressus, ingressus est ad illam, quæ non transit nec desinit, vitam. A tenerioribus annis incipiens, singulis ætatibus, quasi singulis diei horis, tanquam diligens cultor et strenuus in vinea Domini Sabaoth laboravit : et sic in consummatione sanctorum vitæ transitoriæ cursum clausit. Sane jamdiu conversatione cælestis, et a corpore peregrinans anhelabat ad illas cœlestes delicias temporalis vitæ transire compendio.

D Ideo propositum et signum peregrinationes arripiens de torrente in via bibit ; propterea exaltatum est nomen ejus in patria [46]. Sic domini et fratres nostri monachi cathedrales pupilli facti sunt absque patre. *Deus autem, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Domi-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(66) Designat S. Thomam, de cujus nefaria et atroci cæde fuse omnes historici istius sæculi, et maxime Anglici, inter quos liber qui *Processus*, vita et mors S. Thomæ inscribitur omnia accurate descripsit.

---

[33] Philipp. 1. [34] Gen. 36. [35] Joan. 14. [36] Sap. 4. [37] Sap. 3. [38] Coloss. 3. [39] I Cor. 15. [40] Psal. 16. [41] Hebr. 5. [42] Tit. 2. [43] Luc. 14. [44] Eccli, 31. [45] Eccli. 18. [46] Psal. 109.

num Jesum Christum [47], ipse ut verbo Moysi utar [48], *provideat virum, qui sit super multitudinem hanc*. Porro plurimi conqueruntur, et impatientissime ferunt quod Christi tunica inconsutilis [49] inter eos et episcopos terræ scissa est (67) : nec tantum vacca et aries, sed turtur et columba divisæ sunt, et altrinsecus separatæ [50]. Ansa est irrumpere usque ad religionis professores magistra illa discordiæ, odii fomes et occasio scandalorum præsumptuosa, scilicet, usurpatio seorsim et singulariter eligendi ; ut contempta et abjecta episcoporum et abbatum deliberatione communi fieret electio clandestina et furtiva, et consuetudini contraria, inimica legibus, damnata decretis et moribus reprobata. Omnes cæteri, qui nunc injuriam et contemptum suum reputant, eam quam monachi fecerunt electionem, in personam, quæ nominata est, sua vota libenter et unanimiter sine omni scissura et scandalo contulissent. Nunc autem vereor ne hæc electio, quod Deus avertat ! sit ejus dejectio : et hæc acquisitio umbraticæ libertatis convertatur Ecclesiæ Christi in materiam servitutis. Sane pestis hæc, et aliæ innumerabiles corpus Ecclesiæ generalis hodie inficiunt et corrumpunt. Irruunt laici in Sancta sanctorum : *sanctuarii* vero *lapides* disperguntur *in capite omnium platearum* [51]. Convertuntur hodie claustra in castra et fora : religiosi in ethnices, pastores in lupos, lilium in spinam, auram in scoriam, frumentum in lolium, vinum in acetum, oleum in amurcam. Respiciat Dominus in faciem testamenti sui [52], et non det in conculcationem vineam, quam plantavit dextera ejus, Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo. Suscitet spiritum Moysi, et erigat cornu illius unicornis, episcopi illius unice summi et singulariter generalis, quate-

A nus arripiat judicium manus ejus, ut cornu suo ventilet Syriam, intonet contra Edom, fulminet contra vitulos Bethel [53], contra idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ [54], contra sacerdotes Baal, contra pastores pascentes se ipsos, contra judices, qui condunt iniquas leges contra canes mutos non valentes latrare [55], contra amphoram Zacharæ [56], contra vasa pastoris stulti, contra ambitionem Simonis Magi, contra tyrannidem sæculi, et ambitionem claustri, contra prævaricantes contra arrogantes, contra oppressores pauperum, contra turbatores ecclesiasticæ pacis et fidei subversores.

EPISTOLA XXVIII.

ROTROCI EPIST. AD WILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM (68).

B

[A. D. 1172.]

ARGUMENTUM. — *Rothrodus archiepiscopus Rothomagensis implorat opem archiepiscopi Senonensis, ut exitium ecclesiæ Rothomagensi, ejusque nobilissimæ villæ Andeliæ, ex bello inter reges Anglorum et Francorum orto impendens, sua industria amoliatur.*

WILLELMO Senonensi archiepiscopo, et apostolicæ sedis legato, R. (69) Rothomag., salutem et spiritum compassionis afflictis impendere.

Si ad memoriam reducantur Ecclesiæ nascentis exordia : sicut inter credentes erat unitas in fide, in spiritu, in baptismo ; sic in unum facultatibus contributis, unum erat omnibus votum, relevare pauperum indigentias, et omnium necessitates tanquam proprias reputare. Una siquidem et indivisa
C est Domini tunica : nec unquam passa est divertium sponsa Christi, nec contumelias pellicis alienæ sustinuit, cujus unitatem sponsus in Canticis [57] attestatur, dicens : *Una est columba mea*,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(67) Scilicet monachi Cantuarienses eligendi archiepiscopi jus suum esse contendebant. Contra episcopi suffraganei ad se pertinere dicebantr Quæ lis sic dirempta est, ut propositis regi Angliæ duobus monachis, unus ad ipsius beneplacitum a capitulo Cantuariensi electus sit, et ab episcopis confirmatus. Rem totam apprime narrant Gervasius et Radulfus. Cæterum jus eligendi archiepiscopum Cantuariensem ad solos monachos cathedrales pertinere solemni decreto declaravit Innocentius III, anno Christi 1206, pontificatus nono, ut videre est apud Matthæum Parisiensem in Hist. Angl. sub Joanne. Sententia autem Innocentii sic incipit : « Majores Ecclesiæ causas, » etc.

(68) De Guillelmo Senonensi, postmodum Remensi archiepiscopo et cardinali, vide quæ diximus ad epist. 15.

(69) Seu Rotrocus vel Rotro, Angelus, filius Warvicencis comitis et Margaretæ Perticensis : primum
D Rothomagensis archidiaconus, cum Ebroicensi episcopus, tandem archiepiscopus Rothomagensis anno 1165. Hic cum episcopo Nivernensi missus est legatus ad Henricum II, pacis cum S. Thoma sanciendæ gratia, ann. 1170. Quæ, intervenientibus iisdem legatis, præsente Ludovico Francorum rege, confirmata est. Idem postea Rotrodus, scilicet an. 1172, præfuit concilio Abrincensi, quod a Theodino et Alberto cardinalibus, aliisque plurimis episcopis pro secunda absolutione regis Angliæ a morte S. Thomæ, celebratum est, in quo rex Angliæ de tragica morte S. Thomæ absolutus est. Sed et quantum erga regem suum effectus esset ostendit ex epistolis vehementioribus 33 et 154, apud Petr. Bles., quas Eleonoræ reginæ, et Henrico III regis filio scripsit, ut a bello quod regi inferebant, illico cessarent. Nec frustra : nam et ab armis cessatum est. et filii in regio patris gratiam redierunt. Ille est etiam qui aliquanto post Henricum Juniorem cum uxore sua Margareta regis Francorum filia denuo in Anglia coronavit. Nec frustra, nam et ab armis cessatum est, et filii in regis patris gratiam redierunt. Obiit Rotrodus anno Christi 1183.

[47] Hebr. 13. [48] Num. 27. [49] Joan. 19. [50] Gen. 15. [51] Thren. 4. [52] Psal. 73. [53] III Reg. 12. [54] III Reg. 22. [55] Isa. 56. [56] Cap. 6. [57] Cap. 6.

dilecta mea. Noluit eam numerosa pluralitate censeri. Licet enim plures sint Ecclesiæ, sic tamen in unius compagem corporis uniuntur, ut sicut unius membri læsione membra corporis omnia quodam compassionis participio molestantur, sic unius Ecclesiæ desolatio in communem gemitum convertatur. Cum itaque in vinculo charitatis singularitas locum non habeat, sed in dispendium commune redundet, quidquid toleratur a singulis, quia ex præsenti regum discordia exitialem Ecclesiæ Rothomagensi videmus imminere ruinam, ad vestram gratiam devolamus : de cujus dilectione et prudentia pleniorem in Christo fiduciam reportamus. Vos enim estis, in cujus consilio, et auxilio potissimam suæ salutis anchoram navicula B. Petri constituit ; cum inter schismaticæ persecutionis fluctus periculosius æstuaret, vobis contulit Deus in pueritia super senes intelligere, et futuram naturæ canitiem maturiore morum senio prævenire. Fluxos adolescentiæ motus in vobis ratio magistra cohibuit, ut omni lasciviæ libertate præcisa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec potestas, nec cætera, quibus pudicitia expugnatur, propositum interverterent castitatis ; sed modesta in omnibus conversatio plus angeli quam hominis exhiberet. Cæteras virtutes, quibus miraculose fulgetis, sub silentio præterimus ; nec enim nostra præconia mendicatis, cujus honestatem et prudentiam fama latissime promulgavit.

Ad nostras et Ecclesiæ nostræ pressuras revertimur, quibus nos hostilitas circumvallat. Scitis enim, qualiter in Northmannorum perniciem Francia tota conjuraverit (70) ; nec imminentis ruinæ dispendium Rothomagensis Ecclesia declinabit, nisi vestræ celsitudinis ope et consilio fulciatur. Si ergo ad præfatam Ecclesiæ unitatem respiciatis, vestrum est avertere quod timemus, vestrum est necessitates nostras omni prævenire cautela, quatenus charitas non ficta et amica compassio se talem nego- A tiis alienis impendat, qualem se propriis exhiberet. Recordetur dominus rex Francorum Rothomagensem Ecclesiam suam esse, quæ pro illo assidue, tanquam pro rege suo unico specialiter interpellat, suasque facultates omnino de ejus jurisdictione cognoscit Regiæ majestati non congruit depopulari quod suum est, aut illas expugnare Ecclesias, quarum tutor est et patronus. Si nos alius infestaret, ab ipso, non aliunde remedium quæreremus. Andeliacum (71) ergo, et alias possessiones nostras ipsius et vestræ protectioni committimus et tutelæ. Sane cum de discretione, et consilio vestro dispositio regni Francorum tota pendeat, cum in manu vestra corda sint regum, et ad vestræ ordinationis arbitrium populi inclinentur, vobis incumbit, quæ B ad pacem sunt, quærere ; vel si hæc dissensio ad pacem reformari non potest, saltem res ecclesiasticas, quas vestræ tuitioni commisimus, ab incursibus bellicis liberare. Cumque Andeliacum nobis et commensalibus nostris unicum sit vivendi subsidium, villæ nostræ parcite, si vultis parcere vitæ nostræ.

EPISTOLA XXIX.

AD ABBATEM, ET CONVENTUM S. ALBANI (72).

ARGUMENTUM. — *Queritur de inhospitalitate prioris de Wallingford, multaque in laudem hospitalitatis affert, addens ad ea jam olim priscos monachos et monasteria imprimis commendata fuisse.*

Reverendis patribus et amicis, abbati et conventui S. Albani, magister P. Blesensis Bath. archidiac., salutem in vero salutari.

C Nuper de archidiaconatus mei visitatione redibam, præmittens servientes meos apud Wallingfordiam, qui mihi hospitium præpararent ; ipso vero cum a priore loci illius domos ibi vacantes ad usum unius noctis mihi commodari peterent, et jam illuc omnia, quæ nobis et jumentis erant necessaria, comportassent, prior eis in multa superbia et abusione respondit, et pene usque ad verberum contumeliam prorumpens eos ignominiosa verborum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(70) Intelligit benum inter reges Ludovicum VII Francorum, et Henricum II Angliæ. De quo omnes qui Francorum et Anglorum et Northmannorum historias scripserunt.

(71) Aliter Andeleium et Andelcia. Est oppidum Northmanniæ in insula ejusdem nominis, de quo eleganter Guillelmus Armoricus, lib. VII *Philippidos :*

Est locus Andelii, qui nunc habet insula nomen,
Quo secat in geminos se Sequana frugifer alveos :
Nec longe refluens in se redit, et facit unum :
Inque sui modo terram premit undique clausam.
Cujus planitiem tantus tumor urget in altum,
Quod circumfusis operiri non timet undis,
Aqua superficies, ex omni parte rotundo
Orbiculata sinu, se non obliquat in ullum
Divaricans cuneum, sed finibus ipsa suis se
Limitat, ut nullus discirculet angulus illam.

Erat olim patrimonium Sanctæ Mariæ et archiepiscopi Rothomagensis, ut loquitur Neubrigensis, lib. V, 33. Unde idem Retrodus infra, epist. 33, D illud appellat *unicum subsidium vitæ suæ*. Et Walterus ejus successor scribens ad amicum suum Radulfum Lundoniensem decanum : « Rex, inquit, patrimonium Rothomagensis Ecclesiæ solum et unicum, Andeleiam scilicet occupavit, » etc. « Certe si misereri vellet et parcere vitæ nostræ, Andeleio pepercisset. » Quomodo autem in manus regis Angliæ, aut potius ducis Northmanniæ devenerit, dicetur ad epist. 138.

(72) Monasterium S. Albani in agro Hertfordensi in Anglia fundatum est ab Offa rege Merciorum anno Christi 794, institutis ibi monachis, quibus multa et insignia privilegia ab Adriano IV impetravit : in quibus maxime commendabile est illud quod abbas primus sit inter omnes Angliæ abbates, ut accidit in concilio Turonensi, præsidente Alexandro III, in quo Robertus abbas S. Albani ante alios abbates Angliæ sedit, apud Matthæum Parisiensem in *Vita Offæ, regis Merciorum.*

turpitudine lacessivit. Domus equidem vestra nominatissima quondam in observantia religionis et ordinis in hospitalitatis etiam exhibitione longe lateque solet odorem suavitatis et fragrantiam gloriosæ opinionis effundere. Nunc autem in injuriam capitis membri inferioris putredo refunditur, et ex particulari corruptione totius corporis vitium æstimatur. Verbum Apostoli est ad Hebræos: *Hospitalitatem nolite oblivisci : propter hanc enim placuerunt quidam angelis in hospitio receptis* [58]. Ubi est, quæso, illa hospitalitatis gratia, quam olim vestri antecessores exercebant in Scithim? Mutius, Apollonius, Paphnutius, Macarius, Antonius, Paulus: inter quos diutissime certatum est pia contentione, quis alteri panem frangeret, cum Dominus gratia hospitalitatis quotidianum annonæ stipendium duplicasset [59]. Edictum principis apostolorum est : *Estote hospitales invicem sine murmuratione* [60]. Princeps etiam principum in judicio tremendo quibusdam dicturus est: *Hospes fui, et non collegistis me* [61]. Hospitalitatis fuit meritum, quod duo discipuli euntes in Emmaus, acrisia (73) sublata, *in fractione panis Dominum cognoverunt* [62]. Plerique etiam autumant beatum Gregorium fuisse illum patremfamilias, qui in expositione ejusdem Evangelii legitur in leproso Dominum suscepisse [63].

Prosapia regis Angliæ, quia unus de antecessoribus ejus, cuidam leproso, quem in hospitio receperat gratiam officiosæ humanitatis exhibuit, ab officio forestarii in eminentiam regiæ dignitatis ascendit [64]. Hospitalitatis gratia suscepit Abraham de Sara sene et sterili filium, in quo Dominus benedictionem omnium gentium repromisit [65]. Angeli hospites liberaverunt Loth de subversione et incendio Sodomorum [66]. Raab ab hospitibus suis Caleb et Josue in eversione Jericho salutem suæ domus obtinuit [67]. Hospitalitas Sunamitidis dedit ei filium precibus Elisæi, eumdemque mortuum suscitavit [68]. Pauperi viduæ, quæ Eliam hospitio suscepit et pavit, cœlesti gratia influente, postea nec oleum, nec farina defecit. Expressa similitudinis forma dum in monasteriis florebat hospitalitas, principes terræ loca religiosorum passim et certatim magnis facultatibus ampliabant deficientibus autem vasis, oleum stetit. Ex quo enim tempore in monasteriis deficere cœpit liberalitas hospitalis, stetit ac cessavit magnatum largitio : vereorque ne pauperis viduæ filii, quos propheta liberaverat, iterum a creditoribus rapiantur in servos. Sancta enim religio, quæ monachorum mater est, datur hodie in conculcationem : possessiones illius trahuntur in direptionem et prædam : et quod olim devota principum munificentia contulit, modernorum avaritia, non sine magno fœnoris dispendio, revocare et auferre præsumit. Multos equidem a magnatum familiaritate et gratia separat defectus hospitalitatis. Sic brachio contrito, humerus a junctura sua cadit : dum reverenda olim religionis auctoritas principum oppressione calcata vilescit, et evenit imprecatio illa Job dicentis : *Si comedi buccellam meam solus* [69], *quia ab infantia mea crevit miseratio mecum, et de utero matris meæ mecum egressa est. Si foris stetit peregrinus : si ostium meum viatori non patuit : Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium cum ossibus conteratur* [70]. Sane præfatus prior, quandoque graviter occasione ejusdem delicti punitus est, credebamque quod ei vexatio dedisset intellectum, sed adhuc manus ejus extensa est, nec a vestræ domus dehonestatione cessabit, donec humerus a junctura, morbidum pecus a grege, membrumque putridum a corpore præcidatur.

EPISTOLA XXX.

AD R. (74) BATHONIENSEM EPISCOPUM ELECTUM.

[A. D. 1175.]

ARGUMENTUM. — *Petrus semel, iterum, tertio per quietem viderat amicum suum, ad quem scribit, episcopi ornari insignibus : eam visionem eidem patefacit; optatque undecunque tandem orta sit, ut suum consequatur effectum.*

Charissimo domino et amico R. Bathon. electo, P. Blesens. Bath. archidiac., salutem et prosperos ad vota successus.

Cum humanæ conditionis status motu multiplici

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(73) ἀκρισία significat confusionem, seu turbulentum rerum statum; quasi dicat caliginem sublatam ab oculis discipulorum, quæ antea impediebat ne Christum agnoscerent.

(74) Ille est Reginaldus Jocelini Longobardi Sarisberiensis episcopi filius, quem pater archidiaconatu illius Ecclesiæ donaverat. Hic, cum ad instantiam Alberti et Theodini cardinalium legatorum Henricus II rex Anglorum liberas electiones vacantium ecclesiarum fieri concessisset, ad Bathoniensem episcopatum electus est. Verum cum ipsius et aliorum electionibus contradiceret Henricus rex Junior, ipse Reginaldus cum Richardo Cantuariensi electo, pro sua et aliorum electione confirmanda Romam profectus est. Unde paulo post eidem Henrico II de sua et aliorum electorum confirmatione. nec non de Ricardi in archiepiscopum Cantuariensem ab Alexandro III consecratione litteras misit, quæ habentur apud Rogerium Hovedenum *Annal.*, part. II. Cum autem rediret Roma, Richardus veritus ne quid mali Henricus Junior adversus electos moliretur, Reginaldum intra valles Maurianæ in ecclesia S. Joannis in episcopum Bathoniensem consecravit, archiepiscopo Tarentasiæ manum etiam ei apponente ; accepta tamen prius purgatione a Reginaldo, quod mortem B. Thomæ neque verbo, neque facto, neque scripto scienter procurasset. Alii etiam juraverunt quod, sicut opinabantur, coni

[58] Hebr. 13. [59] Hier. in *Vit. Paul erem.* [60] I Petr. 4. [61] Matth. 25. [62] Luc. 24. [63] Joan. diac. *Vit. Greg.* l. 2, c. 22. [64] Greg. *hom.* 23 in Evang. [65] Gen. 18. [66] Gen. 22. [67] Jos. 6. [68] IV Reg. 4. [69] III Reg. 17. [70] Job. 31.

varietur, nihil in temporalibus invenio, præter unum, quod vitæ cœlestis imaginem repræsentet. Sola dilectio est, quam non alterat casualis eventus, quam separatio corporalis non dividit, quam temporis longitudo non abolet, quæ defectui non succumbit. Sola dilectio est, per quam dominos et amicos absentes videmus, alloquimur, amplexamur : quæ sic quadam angelica agilitate et imaginario commeatu transvolat et recurrit, ut nihil de damno corporeæ molis, aut distantiæ localis injuria conqueratur. Vestram itaque præsentiam mihi imaginationibus dies, visionibus noctes offerunt incessanter. Sed nunc in vobis non prius aspectos titulos novæ majestatis intueor ; et fortasse mens mea anxia de vestra promotione, vel, quod factum est, jam sentit ; vel, quod in proximo futurum est, voto certiori præsagit. Deo teste, et conscientia mea loquor. Dominica die illa, qua cantatur : *Ego sum Pastor bonus* [71], mihi videbatur in somno, quod te pontificalibus indumentis ornabat quædam prægrandis et admodum reverenda persona, quæ statura

A Ebroicensem episcopum, Rothomagensem vero archiepiscopum referebat ætate. Cumque illi operi hilaris et devotus assisterem, videbam pedes tuos in caligis, et manum tuam nullo annulo insignitam. Quærebam tacitus, quid hoc esset. Respondensque ille vir venerabilis : « Annulum, inquit, aureum non habebit ad tempus, sed lapideum, » id est quem gemma una circulata continuet ; pretiosiora vero sandalia, et majorem annulum sua mater ei tandem datura est, per astutiam adolescentis, cui a sacerdote corona promittetur; sed uterque sua exspectatione fraudabitur. Iste cito transibit ad patres, ille adversus et reversus donativis utetur. Unum scias, quia receptis argenteis utraque sandalia extorquebis. Dum hoc in somnis agerem et inanis
B caperem delicias visionis, ad Matutinas pulsatum est; et abstulit campanarum improbitas, quod beata dormitio conferebat. Hanc visionem secundo et tertio, eadem rerum serie nox secunda replicuit. Cumque curiositatis humanæ sortibus (75), et revolutione psalterii (76) hujus visionis eventum dili-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

ceptus fuit priusquam Jocelinus pater ad gradum sacerdotii promoveretur. Actum est hoc ann. 1174. Sedit vero in episcopatu annis 16 cum dimidio, id est usque ad annum 1192, quo a monachis Cantuariensibus in archiepiscopum electus est. Verum decursis 50 circiter a nominatione sua diebus obiit, et sepultus est Bathoniæ.

Eum porro historia quadripartita in *Processu*, l. v, catalogo familiarium S. Thomæ ascribit his verbis : « Reginaldus natione Anglicus, sed sicut educatione et cognomento Lombardus, (*a*) pro ætate prudens et industrius, animosus et efficax in agendis, qui etiam industria et probitate ipsius promerente, in Bathoniensem episcopum promotus est. » Cui et assentitur Baronius, ubi ita scribit tom. XII ad an. 1172 : « Numeratur inter familiares S. Thomæ Reginaldus Anglus cognomento Lombardus, assumptus in Bathoniensem episcopatum : pro quo Petrus Blesensis scripsit apologiam, » quæ est epist. 45. Miror tamen eumdem Reginaldum inter familiares S. Thomæ numeratum, cum ab Henrico rege Romam missus sit contra S. Thomam ; et ipse S. Thomas acriter in eum invehatur in epistola, quam ad familiares suos, qui tunc in curia Romana pro causa sua erant, conscripsit, ut est apud Baronium ad an. 1168. Verum eum nullus alius Reginaldus nomine inter episcopos Bathonienses ab ullo auctore recenseatur, dicendum est eum ob aliquam causam in offensam S. Thomæ invitum incurrisse. Quanto autem studio et amore contenderit, ut S. Thomæ reconciliaretur, quibus lamentis, qua pœnitentia in ejus gratiam redire conatus sit, liquet ex 24 epistola Petr. Blesensis.

(75) Sortitio est aliquid de se indifferens, id est quæ aut bona aut mala esse potest. Augustinus in Psal. xxx : « Aud to nomine sortium, non debemus sortilegos quærere : sors enim non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam et sortes miserunt apostoli, quando Judas, tradito Domino, periit. Et sicut de

illo scriptum est: » *Abiit in locum suum (Act.* xii), « cœpit quæri quis in ejus locum ordinaretur. Electi sunt duo judicio humano, et electus de duobus unus judicio divino. De duobus consultus est Deus quemnam ipsorum esse vellet, et cecidit sors supes Matthiam. » Ut autem sortitiones bonæ a malir
C distinguantur, tria spectanda sunt. Primo quo ex fonte profluant; secundo quomodo; tertio quo fine. Fons sortitionum bonus est Deus, et quisquis agitur Dei testimonio. Fons sortitionum malus est diabolus, et quisquis citra testimonium Dei sese in sortitionibus occupat. Sub hac consideratione sortitio recte dividitur in divinam, diabolicam et humanam. Modus sortitionis bonus est, qui secundum Deum adhibetur sine fraude pietatis et justitiæ. Malus, qui contra. Hinc sortitio religiosa est, vel irreligiosa ; eaque multiplex, vana, temeraria, superstitiosa, etc. Finis sortitionum est, aut ut quidpiam alicui adjudicetur, aut ut statuatur quid sit faciendum, aut denique ut futurum cognoscatur. Hinc sortes divisoriæ sunt, consultoriæ vel divinatoriæ. Recte S. Thomas, 2-2, q. 95, art. 8 : « Sortes proprie dicuntur, cum aliquid fit ut, ejus eventu considerato, aliquid occultum innotescat; et quidem si quæratur judicio sortium quid cui sit
D exhibendum, sive illud sit res possessa, sive sit honor, seu dignitas, seu pœna aut actio aliqua, vocatur sors divisoria; si autem inquiratur quid agere oportet vocatur sors consultoria ; si vero quæratur quid sit futurum, vocatur sors divinatoria. » Vide eumdum, opusc. 25.

(76) Aperiri vel revolvi potest Psalterium. (Idem dicas de Evangelio, aut quolibet alio sacræ Scripturæ libro) ad finem multiplicem; aliquando ad consolationem. Sic Gregorius Turonensis, lib. v, *histor. Franc.*, c. 47 : « Hæc ego audiens dum in domo ecclesiæ residerem mœstus turbatusque, ingressus oratorium Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est : » *Eduxit eos*

(*a*) Nota patrem ejus Jocellinum vocari Lombardum.

[71] Joan. 10.

gentius explorarem (77), primum oculis meis versus A [79]. Ego quidem, quid revelatio nocturna portendat ille se obtulit: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* ignoro. Verumtamen quia fidelitati et devotioni ve-

PETRI DE GUISSANVILLA NOTÆ.

in spe, et inimicos eorum operuit mare (*Psal.* LXXVII). Aliquando ad eruditionem et morum correctionem. Sic August., l. VIII *Confess.*, c. ult.: « Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius. Ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram; arripui, aperui, et legi in silentio capitulum quo primum conjecti sunt oculi mei: » *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, sed induistis Dominum Jesum Christum, et carnis prudentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII). « Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt. » Aliquando ad futuri cognitionem, idque dupliciter, aut ex divina inspiratione, quod paucorum est, aut ex humano sensu, eoque, vel qui supponat cognitionem quam habiturus est, explicatione libri esse certam, vel qui incertam.

Agebatur divina inspiratione B. Franciscus, de quo S. Bonaventura in ejus *Vita*, c. 13: « Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum, quod in apertione libri evangelici revelaretur ei a Christo quod Deo in ipso, et de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum et sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod, sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, et doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret. » Eodem spiritu videtur actus fuisse Chramnus, de quo Gregor. Turon, l. IV, c. 16: « Chramnus vero cum exercitu post eos dirigens usque civitatem Cavillonensem venit, eamque obsidens acquisivit; exinde usque Divionense castrum pertendit, ibique cum die Dominico advenisset, quid gestum fuerit dicam. Erat ibi tum sanctus Tetricus episcopus, positis clerici tribus libri super altarium, id est *Prophetiæ*, *Apostoli* atque *Evangeliorum*, oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret, ostenderet: aut si ei felicitas succederet, aut certe si regnare posset divina potentia declararet. Simulque unam habentes conniventiam, ut unusquisque in libro, quod primum aperiebat, hoc ad missas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium prophetarum libro, inveniunt: *Auferam maceriam ejus, et exit in desolationem; pro eo quod debuit facere uvam, fecit autem labruscam* (*Isa.* V.) Reseratoque Apostoli libro inveniunt: *Ipsi enim diligenter scitis, fratres, quia dies Domini, sicut fur, in nocte ita veniet. Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus illis superveniet interitus: sicut dolores parturientis, et non effugient* (*I Thess.* V.) Dominus autem per Evangelium ait: *Qui non audit verba mea, assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: descendit pluvia, advenerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina ejus magna* (*Matth.* VII). » Hucque etiam revocari potest quod idem Gregorius de Merovæo Chilperici Sucessionum regis filio, lib. V, c. 14: « Merovæus vero non credens pythonissæ, tres libros super sancti (*Martini*) sepulcrum posuit, id est Psalterii, Regum, Evangeliorum. Et vigilans tota nocte petiit, ut sibi beatus confessor quid eveniret ostenderet, et utrum possit regnum capere an non, ut Domino indicante, cognosceret. Posthæc continuato triduo in jejuniis, vigiliis atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens revolvit librum, qui erat Regum; versus autem primus paginæ, quam reseravit, hic erat: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, et ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum ejus, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum* (*III Reg.* IX.) Psalterii autem versus hic est inventus: *Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala, dejecisti eos dum allevarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitates suas* (*Psal.* LXXII). In Evangeliis autem hoc est repertum: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur* (*Matth.* XXVI). In iis responsionibus ille confusus, » etc. Quæ omnes sortitiones divinatoriæ innoxiæ sunt.

Verum alia est ratio apertionis Psalt. aut alterius libri Scripturæ facta ex humano sensu, si fides ipsi B adhibeatur, quæ sors sanctorum abusive nuncupatur, et tanquam diabolica merito damnatur in conciliis. Venetico can. 16: « Ac ne id fortasse videatur omissum, quod maxime fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici student auguriis, et sub nomine fictæ religionis per eas quas sortes sanctorum vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt: hoc quicunque clericus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus. » Agathensi, cap. 42, iisdem verbis, nisi quod etiam ad laicos censuram Venetici canonis extendit. Aurelianensi I, can. 30: « Si quis clericus, monachus, sæcularis divinationem vel auguria crediderit observanda, vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuscunque putaverint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur. » Antissiodorensi, can. 4: « Non licet ad sortilegos vel ad au- C guria respicere, non ad coragios, nec ad sortes quas sanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt, aspicere; sed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat. » In *Capitularibus* Caroli Magni, apud Sirmondum, tomo II, conc. Gall., pag. 157: « De codicibus vel tabulis requirendum, et ut nullus in Psalterio, vel in Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec divinationes aliquas observare. » Ac denique c. 11 operis *De remediis peccatorum* quod nomine Bedæ circumfertur apud Ant. August. in fine *Epitomes juris pontificii veteris*, et tom. I, conc. Angliæ: « Auguria vel sortes quæ dicuntur falso sanctorum, vel divinationes observare, vel quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt, » etc.

Qui denique aperit sacros libros inquisiturus in eis futurum, et judicat incertam esse, quam ex his consecuturus est, cognitionem, immunis non est ab omni culpa. Hæc est sortitio divinatoria humana, D et de ea hic loquitur Blesensis: unde perperam existimavit Busæus sermonem hic esse de sortibus consultoriis, cum tamen agatur de divinatoriis.

Ad consultorias sortes spectat, c. 20, epist. 119 Augustini, ut et quod apud Cedrenum legitur de Heraclio minore editionis regiæ, pag. 412, et de Andronico seniore apud Nicephorum Gregoram, lib. VIII. Quando autem sint licitæ sortes consultoriæ docet S. Thomas loco supra citato.

Ad divisorias denique pertinet quod legitur ejusdem Aug. epist. 180. Hæ non debent adhiberi, nisi in necessariis religiose et reverenter.

(77) Non tamen ut fidem his minime adhibuerit, quod verba ipsa epistolæ manifeste declarant.

[79] Psal. 98.

stræ, quam regiæ necessitatis experientia tot laboribus, tot examinavit periculis, non videbam æqua lance re ponderi, jugiter longa voti exspectatione torquebar; et credo, quod de reliquiis cogitationum, quas diutissime spes incerta protraxerat, anima dormientis sibi præfatæ visionis imagines figuravit.

Faciat tibi Dominus secundum cor meum, et in te mi ificans voluntates meas, suo non fraudet effectu diligentis affectum.

EPISTOLA XXXI.

AD RADULPHUM (78) ABBATEM DE FONTANIS.

ARGUMENTUM. — *Gratias agit tum R. abbati, quod se graviter ex morbo afflictum miseratus sit, tum in primis Deo, quod misericorditer flagellarit, fuseque ex sacris litteris ostendit infirmitates, aliasque hujus vitæ afflictiones salutares, utiles et dulces esse, ac inter singularia Dei dona numerandas.*

Reverendo Patri, et domino R. Dei gratia abbati de Fontanis, suus P. Blesensis Bath. archid., salutem in eo sine quo non est salus.

Audivi, quam pia benignitate condoletis meis doloribus, et mala quæ patior, communicatis vobis quodam sustinentiæ participio, et i timæ compassionis affectu. Gratias ago gratiæ largitori, quia me misericorditer flageliavit; cum enim ambularem in magnis et mirabilibus super me, et quasi super ventum me continua prosperitas elevasset, elevans allisit me Dominus [73], et humiliavit me, qui est ante sæcula. Secundum duritiam meam, et cor impœnitens thesau izabam mihi iram in die tremendi judicii [74]. Christus iram mihi convertit in gratiam, infirmari me volens, ne gravius infirmarer. Eram salutis meæ neglector et immemor; sed desidem, et in via Domini lentescentem infirmitatum multiplicitas stimulavit ad cursum. Verbum Prophetæ est : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum ; postea acceleraverunt* [75]. Adhuc tamen gravissime affligor. Utinam quæ patior, sustineam patienter; omnes enim cordis aut corporis afflictio citra meritum et fructum salutis est sine patientiæ condimento. Ipsæ virtutes, nisi patientiæ habeant fundamentum, nomen virtutis et officium perdiderunt :

Nam vidua est virtus, quam non patientia firmat (79).

Quidam in prosperis fortes sunt, confitentes Domino, cum benefecerit eis, sed *in miseriis non subsistent* [76]. Sane patientia sæpissime periclitatur, A lacessita injuriis : nec enim fortitudo hominis ænea est, ut sustineat, sed tolerantia ipsius juxta divinæ dispensationem gratiæ promovetur aut deficit, minuitur aut grandescit. Quis miseriam et infirmitatem inter Dei dona non computet, cum Christus Apostolo dicat : *Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitati perficitur ?* [77] Idcirco idem Apostolus edoctus in schola experientiæ, quod Magister quandoque prædixerat : *Quando*, inquit, *infirmor, tunc fortior sum et potens* [78]. Quod enim apud sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, videtur afflictio, consolatio est (80) his qui recto sunt corde. Unde Apostolus : *Pro me*, inquit, *nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis* [79]. Job afflictione corporis et substantiæ temporalis amissione B multatus : *Qui afflictus est*, inquit, *erit in gloria* [80], et quod impatientia supplicium reputat, humiliter patienti ad solatium cedit. Cum enim patientiæ fructum consideratius pensat, levigatur onus, et dulcescit afflictio, dum in ipsorum pressura gravaminum futuras consolationis primitias jam prægustat. Propterea idem Job dicit : *Tollat manum suam, et succidat me; et hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat* [81]. Habacuc etiam in cantico suo cecinit, dicens : *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum* [82]. Sciebat quod sequeretur vindemia post trituram, post afflictionem lætitia, cederetque contumelia corporis ad coronam. Apostolus ad Co- C rinthios scribens dicit : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* [83]. Et ad Hebræos : *Spectaculum facti opprobriis et turbationibus, rapinam bonorum nostrorum recepimus cum gaudio, cognoscentes nos habere meliorem et manentem substantiam* [84]. Jacobus etiam sciens quam magna sit multitudo dulcedinis Dei in flagellis ipsius, dicit : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* [85]. *Flagellat enim Dominus omnem filium, quem recipit* [86]. Visitat eum diluculo, et subito probat illum : visitat et probat, ut sic spiritum ejus a spiritu maligno custodiat [87]. *Et visitatio tua*, inquit quidam D ægrotus, *custodivit spiritum meum* [88]. Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assiduata congessit, et exteriori

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(78) Radulphus ille est, cujus elogium sic paucis describit H. ejusdem cœnobii monachus sub ejusdem regula educatus, tomo II *Monastici Anglic.*, fol. 733 : Vir omni laude dignus, religionis speculum, flos ordinis, forma disciplinæ. Memoria illius in compositione odoris, opus pigmentarii, illius utique, qui in vase fragili ut virtutum encomia congessit. »

Porro Fontanense monasterium tempore S. Bernardi, scilicet ann. 1132, fundatum fuit a monachis de cœnobio Eboracensi ordinis Cisterciensis illuc ab archiepiscopo Turstino deductis.

(79) Versus iste desumptus est ex *Psychomachia* Prudentii *De patientiæ et iræ congressu*, sect. 4, versu ult.

(80) Vide de hac re tractatum Petri Blesensis *De utilitate tribulationum*.

[73] Psal. 101. [74] Rom. 2. [75] Psal. 15. [76] Psal. 48. [77] II Cor. 12. [78] Ibid. [79] II Cor. 11. [80] Job 22. [81] Job 6. [82] Habac 5. [83] II Cor. 1. [84] Hebr. 10. [85] Jac. 1. [86] Hebr. 12. [87] Job 9. [88] Job 10.

vulnere sanatur plaga interior. Nam testimonio Salomonis livor vulneris absterget mala et plaga in secretioribus ventris (81). Sic irascitur Dominus, ut mansuescat, affligit ut parcat, prosternit ut erigat. *Et quis, Domine, novit potestatem iræ tuæ* [89]? Plena est enim miserationibus ira Dei; et indicia tuæ animadversionis, quam specialiter exerces in tuos, certa sunt pietatis indicia. *Justorum siquidem animæ in manu Dei sunt* [90]. Ideo inter delicias et dolores, inter iram Domini et misericordiam sapientes in flagellis agnoscunt specialiter : *Exsultaverunt*, inquit, *filiæ Judæ propter judicia tua, Domine* [91]. *Omnis disciplina in præsenti amarissima est : in futuro autem reddet fructum pacatissimum* [92]. Sane, qui in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus flagellabuntur. Justo itaque melius est, hic incidi, hic uri, ut æternos cruciatus absorbeat vexatio temporalis. *Transivimus per ignem et aquam*, dicit quidam, *et eduxisti nos in refrigerium* [93]. Justus enim testimonio beati Job, miseriæ suæ obliviscetur, et, quasi aquarum quæ præterierunt, non recordabitur [94]. Sicut meridianus fulgor consurget ad vesperam, et cum se consumptum putaverit, orietur ut Lucifer [95]. Plane adhuc anxie affligor, adhuc sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Scio tamen quod minor est pœna, quam præcesserit culpa. Donum Dei est, quod infirmor; Dei gratia, quod affligor. Medicus non semper dulcia ministrat ægroto, sed frequenter amaras porrigit potiones. Cholera, cui cibus delicatior causam dedit, sæpe purgatur absynthio; et apostemata, quæ ex otio et crapula succreverunt, ustio sanat et purgat incisio. Pro purgatorio mihi est vicissitudo febrilis, caloris et frigoris (82). Spero autem in eo, qui spes nostra est, quod *non consurget duplex tribulatio : nec judicabit me Dominus his in idipsum* [96]. Si præsentes carnis molestias patienter, et cum æquanimitate sustineo, mortem interminabilem pœna redimet momentanea, et temporalis afflictio transiet cum æterna. Patior quidem, pro iniquitatibus meis : Utinam mihi desuper datum esset pro justitia pati : *Beati*,

A enim, qui *persecutionem patiuntur propter justitiam* [97]. *Nemo*, inquit Petrus apostolus, *patiatur ut fur, aut homicida, aut avarus, aut alienorum appetitor : sed, si bene facientes sustineatis, hæc est gratia apud Deum.* Sæpe legimus illustres viros, authenticos senes, elegantes pueros, virgines etiam delicatas, pro Christo flagella, ignes, gladios, bestias, et cætera suppliciorum genera pertulisse. Illi pro justitia torquebantur, ego pro iniquitate mea affligor. Sufficit mihi ad sustinentiam Christi gratia, ut habeam patientiæ illius documenta, nec deficiat *a pusillanimitate spiritus et tempestate* [98] caro debilis et toties flagellata.

EPISTOLA XXXII.

AD PRIOREM CANTUARIENSEM.

B ARGUMENTUM. *Priori Cantuarensi, amicitia et charitate ejus fretus, negotium quoddam ad conventum Cantuariensem attinens commendat.*

Charissimo consanguineo suo WILLELMO priori Cantuar., P. Blesens. Bathon. archid., salutem et si quid pretiosius est salute.

Ea est lex amicitiæ, et conditio charitatis, ut amici in mutuis necessitatibus suos interiores affectus exteriori operum prosequantur effectu. Amicitias siquidem de recenti contraximus, et gratiam, quam crebra non extorsissent obsequia, quam longo temporum tractu non vindicasset familiaritas senex, spatio recisiore firmavit ad plenum exuberans et fervens affectio. Monumentanea itaque collocutio, et notitia brevis, sic me vobis in glutino charitatis univit, ut vestrum omnino me censeam; turo vos me alterum reputarem, si tanta posset C esse identitas corporum, quanta est singularitas voluntatum. Fortasse decipior, nec meis ex æquo respondetis affectibus; sed inurbanum foret vos in amicitia claudicare, quem verba, quem opera, quem facies, quem incessus, quem quælibet alia, amicum efficacem et stabilem pollicentur.

H. latorem præsentium, et negotium, quod habet erga conventum Cantuariensem, vestræ dilectioni mitto, et committo, rogans humiliter, ut in eo experiar qualiter ad mutuum amicitiæ vinculum respondere velitis. Quod enim vestra ei gratia obti-
D nuerit, mihi reputabo impensum; absentisque ac

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(81) Apud LXX sic legitur : ὑπώψια καὶ συντρίμματα συναντᾷ κακοῖς, πληγαὶ δὲ εἰς ταμιεῖα κοιλίας id est *Livores et contritiones occurrunt malis; plagæ autem in secreta ventris.* Aquila et Theoldotion habent, μώλωπες τραυμάτων, *Livores vulnerum*, Hebraica versio sic : *Livores vulneris detersio in malo, et plagæ interioribus ventris.* Chaldaica : *Pavores et plagæ occurrunt malo, et ictus in interioribus ventris*, Syriaca : *Contritio atque supplicium occurrerunt flagitiosis, et plaga ad intima ventris eorum.* Arabica : *Opprobria et fracturæ occurrent perversis, et perturbationes in cellis ventris eorum.* Sensus ergo est : Quemadmodum plagæ in summa et in ima cute cum dolore sanantur, ita et malus afflictionibus et augustiis purgatur et sanatur. Et est metaphora deducta a corpore ad animam. Ac si dicat : Quod in plagis corporis videmus fieri, idem de plagis mentis sentiendum est. Ut vulnera quæ sunt in extrema cute, et plagæ quæ altius infiguntur, veluti ad intima et ad viscera, cum dolore et malo curantur; sic malus homo nunquam nisi suo damno sapit, neque corrigitur nisi per dolorem et angustias. Livores Hebr. הבורת sanguinem concretum proprie significant.

(82) Et hæc est communis theologorum post concilium Tridentinum, sess. 14, c. 9, opinio, morbos afflictiones et flagella, quibus a Deo in hac vita punimur, si patienter a nobis tolerentur, esse satisfactoria, et purgatorii pœnas relaxare. Ita Sylvius in supplem. qu. 15, art. 2.

[89] Psal. 89. [90] Sap. 3. [91] Psal. 96. [92] Hebr. 12. [93] Psal. 85. [94] Job 11. [95] Job 6. [96] Nahum. 1. [97] Matth. 5. [98] I Petr. 4.

novi amici obsequium me ad uberiores gratias obligabit. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

AD HENRICUM TERTIUM (83), REGEM ANGLIÆ.

ARGUMENTUM. — *R.* (84) *Rothomagensis archiepiscopus Henricum tertium Anglorum regem Henrico II patri bellum moventem ab instituto revocare conatur, et Andeliacum* (85) *illius tutelæ commentat.*

HENRICO III, Dei gratia illustri Anglorum regi, archiepisc. Rothomag., salutem in eo qui dat salutem regibus.

Quoniam ex officio nobis injunctæ administrationis incumbit, animarum curam agere quarum exactissimam rationem districtus judex in examine terribili postulabit a nobis; excellentiæ tuæ, quæsumus, non sit oneri, si te deprecamur ut dominum, hortamur ut regem, docemus ut filium; nec enim alligatum est in ore nostro verbum Domini; sed in spiritu libertatis loquimur, quod salutem animabus, quod quietem populis, quod Ecclesiæ libertatem, quod honorem Deo, et patriæ liberationem conferat, atque ab erroris invio ad viam veritatis et justitiæ te reducat. Non attendis, fili charissime, quid inceperis; nec incepti operis metiris exitum. Votis odientium te festinas satisfacere, et in proprium caput provocas inimicum. Non barbaras impugnas nationes, sed familiares et domesticas; non extraneas regiones, non hostiles munitiones invadis, sed tuas; subjectum tibi affligis populum, non rebellem; non hostem, sed patrem, imo non patrem persequeris, sed te ipsum. Pater siquidem tuus, posthabita corporis et animæ suæ cura, se omni labori et discrimini exponebat, ut tuum faceret, quod nunc vis facere tuum; et, ut verius loquar quod intendis facere ne sit tuum. Magis tuum pugnando non facies, quod paterna tibi cessio, quod generale votum populi, quod juramenta principum quod hæreditaria successio deferebat. Quod rex et princeps pacifice possidebas, hoc tyrannus et invasor, spoliatione ecclesiarum, oppressione pauperum, incendiis et homicidiis, et ad ultimum parricidio, nunc usurpas. Parricidæ siquidem censentur, qui in parentes armati insurgunt; quos et leges sæculi damnant et canones a beneficio successionis excludunt. Jus tuum in injuriam convertisti, dum quod æquitas offerebat, per iniquitatem extorquere intendis: quod sane puerile dicerem, nisi quia hoc malitiam provectæ ætatis excedit. Si cum patre venias ad conflictum, dubium est, utrum tibi expediat, aut

A vinci, aut vincere. Si pietas habitaret in terris, gloriosius assereres, patri cedere, quam triumphare de patre. Patri cedere et subjici, hoc lex Moysi, hoc lex Evangelii, hoc censura canonum, hoc apostolorum institutio, hoc leges imperiales, hoc ipsa hominum conditio, et lex naturalis indicit. Dei et justitiæ inimicum, omniumque legum te transgressorem constituis, si patri non obedis, cui totum debes, quod ipse es: de cujus carne et sanguine sementinæ originis et naturæ beneficio carnem et sanguinem mutuasti. Quis tibi materiam existentiæ præbuit? pater tuus. Quis te educavit? pater tuus. Quis te in armis militaribus instruxit? pater tuus. Quis se exinanivit, ut te regem faceret? pater tuus. Quis in omnibus laboravit, ut quiete omnia possi-

B deres? pater tuus. Nihil in patre tuo invenis accusandum, nisi quod exuberantem gratiam, tuamque devotionem, quam forte remissior munificentia meruisset, sola benigna et effusa liberalitate demeruit. Francorum igitur gentibus successit ad votum; Normanniam enim eorum imminentem cervicibus, quam semper munitam et inexpugnabilem invenerant, nunc ex omni parte te mediante diminuunt; ut nec de cætero caput contra eos erigere, nec incursus hostiles valeant sustinere. O levitas adolescentiæ deploranda? nec mirum. Si enim tibi Deus cursum vitæ longioris indulserit, flebis ætate provectior, quod committis impubes; nec erit tunc locus pœnitendi, cum res in eam desolationem venerit, ut reformari non possit. Tibi, dilectissime,

C fili, licet amare, tamen ex amore sic loquor; inconsultos enim animi tui motus æquanimiter tolerare non possum. Et utinam mors, quam me cogis optare, prævenisset hos dies, quibus te patris et patriæ persecutorem conspicio; quibus te amicum hostibus tuis, et amicis hostem intueor; quibus, in eo statu te video, quasi gladium tuo gutturi affixisses. Ad hæc scias Andeliacum unicum esse subsidium vitæ nostræ; ipsum tuæ committo custodiæ, si prædonibus et incendiariis Andeliacum exposueris, mihi vivendi materiam adimes, qui das animum moriendi. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

AD P. PETRAGORICENSEM EPISCOPUM (86).

[C. A. D. 1172.]

D ARGUMENTUM. — *Purgat se apud Petragoricensem episcopum, qui eum in suam aulam invitabat, se promissis veteris domini ita deliniri, ut nunc exspectationi illius facere satis non possit.*

Reverendiss. domino et Patri PETRO Petragori

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(83) Ille erat primogenitus Henrici II, Anglorum regis, quem pater in regem ungi voluerat: postmodum cum matre et fratribus conjuratione facta in patrem arma ceperat. De infausta ejus coronatione, deque hoc dissidio, et morte Henrici Junioris fuse dictum est ad epist. 3.

(84) Rotrodus. De eo vide notas ad epist. 28.

(85) Vide ibid.

(86) Ille est Petrus Minetus patria Blesensis, ut conjicere licet ex eo quod consobrinus esset Petri Blesensis. Hic cum Bertrando metropolitano Burdigalensi profectus est ad Alfonsum regem Castellæ, an. 1170 cum aliis proceribus Aquitaniæ, ut Eleonoram Henrici II Anglorum regis filiam eidem Alfonso matrimonio jungendam deducerent. Interfuit etiam dedicationi ecclesiæ S. Amantii Buxiensis in pago Engolismensi. Obiit 1177.

censi episcopo, P. Blesensi, suorum consanguineorum, imo servorum minimus, salutem et continuos ad veta successus.

Fortis est ut mors dilectio [99]; cum enim compagem membrorum, animæque et corporis fœdus amicabile mors abrumpat, dilectio e contrario diversas voluntates conflat in unam, et in glutino charitatis diversarum animarum consolidat unionem. Dilectio absentiæ damna non sentit; cumque diuturnitate temporum pleraque soleant infirmari, dilectio et temporis tractu et locali distantia convalescit. Hoc in vobis experientia mediante cognosco, qui me in vestræ magnificentiæ parentela minimum et quasi inter cæteros abortivum benigniore tandem oculo respexistis. Mandastis siquidem, si mandatum fideliter recolo, ut ad vos festinantius venirem, tanquam domesticus et commensalis vester penes vos moraturus. In verbo benignitatis vestræ spiritus meus votivo exsultabat applausu; et jam ad vos festinare decreveram, jam ad procinctum itineris ferventius anhelabam, cum dominus ille, quem scitis, promissionibus immensis, et quibusdam blanditiarum præstigiis me minus circumspectum conveniens et circumveniens, meum propositum revocavit. Exspectavi sustinens, et multiplex interim beneficiorum occasio se obtulit. Porrigebam

A preces, mea etiam pro me necessitas allegabat, in nullo reperi munificam ejus manum. Adhuc benignioris eventus vota concipio, et fortasse venturum cum Britonibus præstolor Arturum (87), et Messiam cum Judæis exspecto. Nobiles et magnificos decet nil promittere, sed quasi præsagire desideria hominum, et eorum petitiones largitionibus prævenire. Adhuc expedit mihi perdere modicum temporis, ut voluntas ejus exactissime exploretur, cur scilicet tanta promiserit, cur me voto longiore suspendit. Et utinam suæ famæ discrimen attendat, nec de promotione mea, sed sua opinione sollicitus verbum illud Salomonis frequenter attendat: *Ventus et nubes et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens* [100]. Si infra paucissimos

B dies munificentia sua mihi clementius non arriserit, ponam in te, Domine, cogitatum meum, et tu me enutries. De tua enim potissime miseratione præsumens, aliunde suffragium non exspecto. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti* [1]. Si illius piæ liberalitatis, et meæ vocationis affectio perseveret in vobis; sit de beneplacito vestro mihi maturiore nuntio vestram exprimere voluntatem. Patrem siquidem meum, et matrem meam de grege hominum alea fatalitatis exemit, et quos mihi potissime necessarios æstimabam, mors amara

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(87) Fuit Britonum in Anglia rex potentissimus: qui, licet annos tantum XV natus regnum capessiverit, et pauco tempore regnaverit, plurima tamen prælia gessit, quibus ferocissimas gentes devicit, Saxones præcipue intensissimos hostes, quibus Mordredo Arthuri nepoti transfugæ junctis, et prælio cæsis profligatisque, ipse Arthurus lethaliter vulneratus, in insulam Avaloniæ ad sananda vulnera evectus, et ibidem defunctus, in cœmeterio monachorum sepultus est an. Christi 542. Moribundus autem sese prælio subduxerat, ne tanto casui insultarent inimici, amicique molestarentur, inquit Westmonasteriensis. Unde quia paucis obitus ejus et sepultura tunc innotuit, Britonum gens ipsum adhuc superstitem esse præ magnitudine dilectionis contendunt. Unde et parœmia.

Sepultus autem est paucis consciis in modico satis loculo, in monasterio Glastoniensi vulgo Glastongebury ordinis S. Benedicti in agro Somersetensi, quod est in insula Avalonia, læta et felicissima, quæ sic dicta est ab Aval, quod Britannis pomum sonat,quia locus ille pomis et pomariis abundat. De ea sic quidam eleganter:

Insula pomorum, quæ fortunata vocatur
Ex re nomen habet quia per se singula profert.
Non opus est illi sulcantibus arva colonis.
Omnis abest cultus nisi quem natura ministrat.
Ultro fecundas segetes producit et uvas;
Nataque poma suis pretioso germine silvis
Omnia gignit humus, vice graminis ultro redundans.
Annis centenis et ultra vivitur illic.
Hæc neva Jerusalem fuit, hæc fidei quoque lima.
Hæc tumulus sanctorum, hæc sola poli celebratur.
Vix luit inferni pœnas, hic qui tumulatur.

Dicta est hæc insula tumulus sanctorum, quia innumerabilia sanctorum corpora ibi sepulta sunt. Ibi etiam requiescit Hoel [*Al.* Coel.] rex Britonum

C Armoricorum, Arthuri ex sorore nepos, qui et pater sanctæ Helenæ matris Constantini Magni.

Cæterum post DCXLVIII annos inventum est corpus Arthuri, et in sepulcro opere magnifico reconditum ad majorem Ecclesiam translatum est, ut videre est apud Will. Malmesb., lib. I *De gentis Anglorum.* De eo sic *Chronicum* Rodulfi Coggessali monachi Cisterciensis in Anglia, quod habetur manuscriptum in bibliotheca S. Victoris Parisiensis: « Anno 1191 (id est sub Philippo Augusto) inventa sunt apud Glestingeber ossa famosissimi Arthuri quondam regis Britanniæ, in quodam vetustissimo sarcophago recondita. Circa quod duæ antiquæ pyramides stabant erectæ, in quibus litteræ quædam exaratæ erant; sed ob nimiam barbariem et deformationem legi non poterant. Inventa sunt autem hac occasione. Dum enim ibidem terram effoderent, ut quemdam monachum sepelirent, qui hunc locum sepulturæ vehementi desiderio in vita sua peroptaverat, reperiunt quoddam sarcophagium, cui crux

D plumbea superposita fuerat, in qua ita exaratum erat: *Hic jacet inclytus rex Arthurus in insula Avalonis sepultus.* Locus autem ille olim paludibus inclusus, insula Avalonis, id est insula pomorum vocitatus est. »

Eadem fere Joannes Bromton, in *Chronico.*, pag. 1152, qui et multa fabulosa, quæ Galfridus Monumetensis de Arthuro congessit, luculenter refutat.

Similiter et Henricus de Knyghton canonicus Leycestrensis, lib. II *De eventibus Angliæ*, apud quem videre licet non esse fabulam quod de Arthuro ejusque gestis et sepultura dicuntur, sed fabulas esse Britannicas Arthurum adhuc venturum confingentes. Ipsi habenda fides tanquam αὐτόπτῃ, et qui ejusmodi translationi interfuit, cadaverque Arthuri et omnia superius commemorata propriis manibus attrectavit.

[99] Cant. 8. [100] Prov. 25. [1] Psal. 148.

prima facie deprædata est, extremæ calamitatis exemplum me faciens, et fortunæ ludibrium. Cum igitur fiduciam in vobis habeam singularem, facite ut sub manu magnificentiæ vestræ de longa infortunii tempestate respirem. Valete.

EPISTOLA XXXV.

AD ANSELMAM SANCTIMONIALEM.

Argumentum. — *Anselmæ nobilissimæ virginis monasticem complexæ institutum mirifice laudat, eamque hortatur ut expugnatis omnibus carnis mundique tentationibus, castitatis thesaurum fortiter tueatur.*

Anselmæ dilectæ in Christo, P. Blesens. Bath. archid. salutem in eo cui servire regnare est.

Exsultat, et gratias refert gratiæ largitori communi voto sancta Ecclesia, quod te ancillam humilem respexit Deus, quod inter voluptuosas palatinæ dignitatis illecebras educatam ad religionis propositum, et vitæ pauperis appetitum, spiritu consilii et fortitudinis animavit. *Audi ergo, filia, et vide, et inclina aurem tuam* [1*]; et, ne inter initiatæ sanctitatis primitias te favor auræ popularis alliciat, obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Multi siquidem sunt, qui de calice Babylonis tibi proditoriæ adulationis venena propinant; qui pulchritudinem tua generositatism, et tuæ titulum recensentes, quasi dolendo et conquerendo submurmurant, quod abjecta sis in domo Domini, et non habites in tabernaculis peccatorum. Verum recolere debes, quod ei generositatem et pulchritudinem tuam dedicasti, qui *speciosus est præ filiis hominum* [2], cujus pulchritudinem sol et luna mirantur; cujus nobilitatem propheta non sufficiens aperire: *Generationem ejus*, inquit, *quis enarrabit* [3]? Ei florem adolescentiæ illibatum inter castitatis lilia consecrasti; quem adolescentulæ dilexerunt nimis, qui de se ipso dicit: *Ego flos campi, et lilium convallium* [4]. [5] Cogitatus itaque tuos, et inchoatæ conversationis eventum illius committe arbitrio, qui te ad immaculati tori nuptias, et desiderabiles invitavit amplexus; cui, cum servieris, libera es; cum amaveris, casta; cum tetigeris, impolluta. Scio equidem voto parentum tuorum ad hoc generaliter concurrisse, ut te nepoti ducis Burgundiæ matrimoniali commercio conjungerent, quatenus cum eo contracta affinitas, et mutuæ dilectionis occasio esset et potentiæ incrementum. Sane adolescens ille, quantum ad dotes corporis, universis provinciæ illius magnatibus præeminebat; strenuitate enim armorum, et formæ elegantia, in oculis hominum in stuporem et miraculum vertebatur; et quod poterat animum virginis fascinare, nullus erat in verbis urbanior, nullus uberior in muneribus, nullus ad omnes liberalitates effusior. Verum, et prudentia consultiore, et arctiore custodia tibi observantiam castitatis indicens, ibi gloriosius de libidine triumphasti, ubi gravior conflictus, et pugna suspectior imminebat. Jam

in portu navigas [6]:

et adhuc tamen de terra dissimilitudinis ventus tentationis erumpens occulte tibi subsibilat. Si nunc esses in sæculo, te inter matronarum cuneos virorum illustrium brachia supportarent. Si nunc esses in sæculo, affluentia opum, et varietate supellectilis conspicua incederes, parentum numerositate et fecunditate sobolis gloriosa. Si nunc esses in sæculo, universa nunc tibi exuberarent ad votum; nunc claustrali angustiæ mancipata es, ubi omnis evagandi licentia præclusa est: unde omnis risus, omnis lascivia, omnesque voluptates sæculi, et mundi desideria relegantur; ubi funereæ vestes, ubi continuatæ vigiliæ, ubi est potus aquæ vinique confusio, cibus vero legumina et panis austerior. Sic tibi dilectissima suggerit humani generis inimicus, incommoda mundanæ conversationis palliando versute. Taceo enim de voluptate hominum quam sit sterilis et incerta; quæ si plerumque placeat, pœnitudinem inducit; et si delectat ad modicum, productiore spatio displicebit. Divitias siquidem et honores sollicitudo inseparabiliter concomitatur. Mundi pompa et favor populi fumus est, et aura subito evanescens. Adde, quod mulier in dolore et discrimine maximo parturit; et quod frequentissime gloriam filiorum, nunc invaletudine, nunc captivitate, nunc morte casus amarior interrumpit. *Serva itaque cor tuum omni custodia* [7], ut possideas vas tuum in sanctificatione. Thesaurus namque pudicitiæ incomparabilis est. Sola pudicitia Agnum, quocunque ierit, sequitur [8], sola vitam reformat angelicam. In amissione pudicitiæ voluptatem virgines fatuæ suspicantur; cum amitti non possit sine erubescentia dolore, jactura ejus non recipit æstimationem. Et, cum omni peccato per pœnitentiam medeamur, solus lapsus virginum restitutionis remedium non meretur. Valete.

EPISTOLA XXXVI.

AD CHRISTIANAM SANCTIMONIALEM.

Argumentum. — *Laudat sanctimonialem quod castitatem Deo in religione consecratam servarit: hortatur ut virginitati jungat charitatem, humilitatem et perseverantiam.*

Charissimæ sorori suæ Christianæ, suus P. Blesensis Bathoniensis archidiaconus, salutem in eo sine quo non est salus.

Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo [9], quia ambulans in spiritu salutari custodias vas tuum in sanctificatione et odore suavitatis. Unde, et *sicut unguentum effusum est nomen tuum* [10]. Publice dicitur,

[1*] Psal. 44. [2] Ibid. [3] Isa. 53. [4] Cant. 2. [5] Ambr. serm. 90 *De S. Agnete*. [6] Terent. *in fines*. [7] Prov. 4. [8] Apoc. 14. [9] Luc. 1. [10] Psal. 47.

atque apud Deum et homines laudem plurimam A meruisti, quia ab eo tempore, quo vitam sanctimonialem professa es, ab observantia castitatis et sanctimoniæ non cessasti. Unde et *Secundum nomen tuum, sic et laus tua in fines terræ* [10]. Cum esses nuptiis mortalium destinata, te Filius Altissimi desponsare dignatus est, sicut ipse per prophetam loquitur: *Desponsabo te*, inquit, *in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide* [11]. Desponsantur siquidem virgines Christo, ut suam ei offerant castitatem. *Despondi*, inquit Apostolus, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Eas enim sponsalitio amore sibi libentissime fœderat Deus, quas sæculum non fœdavit. Amator et zelator est virginitatis, qui nasci de Virgine præelegit. Ideo autem specialiter de virgine nasci voluit, ut matrem suam virginem pudicitiæ et humilitatis exemplo B aliæ sequerentur virgines, atque cohabitationis æternæ gloriæ fierent participes et consortes. *Adducentur*, inquit, *virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis* [13]. Vide ergo, soror, charissima, *ne in vacuum gratiam Dei* acceperis [14]. Gratiam siquidem Christi accepisti in vacuum, et lampadem defers vacuam, si non habes oleum charitatis, id est, si Christum ex toto corde non diligis. Tunc enim pulchra est, et Christo placet castitas, si ejus comes et charitas, juxta illud: *O quam pulchra est casta generatio cum charitate* (88) Charitatem ergo habeas, soror, et humilitatem, quæ illi acceptissima est, *qui in cœlis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra* [15]. *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et mansuetum, et trementem verba mea* [16]? Mariam C virginem respexit Dominus, non quia pulchra, non quia nobilis, non quia sapiens, sed quia humilis erat. *Respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ* [17]. Sis ergo humilis, quæ pro Christo te humiliasti, et elegisti abjecta *esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* [18] Non prodest humilitas, nisi finaliter perseveret. Cum enim omnes virtutes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus*, inquit Propheta, *in fimbriis aureis* [19]. Fimbriæ sunt vestimenti extremitates. Est ergo gloria sanctimonialis in fimbriis: nihil enim prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi sit gloriosus et D finis. Spes fructuum relevat agricolam a labore, fortemque pugilem contemnere facit molestias ictuum spes coronæ. Tibi quoque furetur gravamina claustri et gratæ servitutis obsequium exspectatio jubilæi. Tunc columba septimo die emissa ad arcam, iterum non redibit [20], et, juxta verbum Job [21], filii cervarum euntes ad pastum nequaquam ad matres iterum revertentur: quia tu et consimiles tui euntes in gloriam filiorum Dei eristis in loco pascuæ, nec redibitis ad molestias hujus vitæ. Hæc te, dilectissima soror, breviter exhortari et exorare decrevi, non ut admonitione mea indigeas, sed ut ad palmam et bravium animosius curras, quia juxta gentilem,

Non nocet admisso subdere calcar equo [22].

EPISTOLA XXXVII.

AD ALEXANDRUM PRIOREM GEMETICENSEM.

ARGUMENTUM. *Purgat se, cur librum, quem restituturum se promiserat, constituto tempore non restituerit.*

Charissimo socio et amico magistro ALEXANDRO, priori de Gemetico, suus P. Blesensis Bath. archid., salutem in vero salutari.

Promiseram vobis librum vestrum die Sabbati, quæ jam præteriit, remittere; quod non feci. Sed et Apostolus se in Hispaniam transiturum promiserat, suamque promissionem, Domino disponente aliter, non implevit [23]. Credideram totum librum transcurrisse legendo infra diem præscriptum; qui postea legendi licentiam non habui per momentum. De vestra itaque dilectione confisus librum adhuc retinere præsumo; cumque alias accusabilem præsumptio faciat, hic excusabilem facit ipsa præsumptio [24]. Nam et in jure civili, si quis equum sibi accommodatum ultra tempus et locum sibi destinatum duxerit, furti actione tenetur: qui tamen, si de confidentia dilectionis hoc fecit, a furto et a mendacio excusatur. Bene valeat, et oret pro me amicus meus.

EPISTOLA XXXVIII.

AD ALBERTUM (89) ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

[A. D. 1176.]

ARGUMENTUM. *Cantuariensis archiepiscopi laudes describit, et a criminibus objectis, ut quod ignarus sit juris, quod avarus, quod provehendæ progeniei suæ plus æquo dedilas, eum vindicat.*

Dilectissimo domino suo ALBERTO Dei gratia Rom. Ecclesiæ presbytero cardinali et cancellario

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(88) Sic omnia exemplaria, licet versio vulgata semper legerit *cum claritate*. Sed ita legit Blesensis, quia de charitate agebat. Locus hic apud LXX sic habet: Κρείττων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς id est *Melius est esse sine filiis cum virtute*.

(89) Dictus est Albertus de Mora Beneventanus qui ab Adriano IV ex diacono cardinali S. Adriani postea presbyter cardinalis S. Laurentii in Lucina creatus est, an. 1158. Tum ab Alexandro III S. R. E. cancellarius factus, legatus in Angliam pro inquirenda nece S. Thomæ directus est. Ubi re diligenter examinata, Henricum regem absolvit, immunemque illius cædis declaravit, confecto super ea re instrumento publico, et litteris scriptis ad Ravennatem episcopum, quæ habentur apud Baronium tomo XII *Annalium* ad an. 1172. Tandem mortuo Urbano III, in summum pontificem electus est appellatusque Gregorius VIII et, licet brevissimus fuerit ipsius pontificatus, nempe duorum fere mensium, magna tamen suæ pietatis monumenta reliquit. Nam ubi primum Ferrariæ nuntium de sua promotione accepisset, animum illico ad pro-

[11] Osc. 2. [12] II Cor. 12. [13] Psal. 44. [14] II Cor. 12. [15] Psal 112. [16] Isai. 66. [17] Luc. 1. [18] Psal. 83. [19] Psal. 44. [20] Gen. 8. [21] Job. 39. [22] Ovid. II *De Pont.* el. 6. [23] Rom. 15. [24] Dig. l. XIII, tit. 6, l. 5.

suus P. Blesensis, modicus domini Cantuariensis cancellarius, salutem in vero salutari.

Si loquar ad dominum meum, *cum sim cinis et pulvis* [26], quasi edicti venia impetrata ; rogo, ut ejusdem officii participatio, sicut ad audaciam me compellit, sic ad indulgentiam vos inflectat. Gratias ago Deo et vobis, quia in spiritu mansuetudinis mihi more vestro blande, et quasi socialiter tetigistis ea, quæ in domino meo notabilia videbantur. Scio, quia *spiritualis* homo *omnia dijudicat ; ipse* autem *a nemine judicatur* [27]. Unde et increpationem vestram, sive me, sive dominum meum tangat, cum gratiarum actione recipio. Scriptum est enim : *Ego, quos amo, arguo et castigo* [28]. Et utinam corripia *me justus in misericordia, et increpet me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [29]. Non dico dominum meum (90), talem esse, qui peccatum non fecerit, nec inventum sit in ore ejus mendacium ; mentirer enim. Nam si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est [30]. Neque vos cum austeritate moveri oportet, si quandoque ad vehementum tentationis impulsum cadit humana fragilitas. *Ecce qui Deo serviunt, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem* [31]. Verumtamen ex quo placuit ei, *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* [32], segregare dominum meum, ut in ecclesia patriarchali sibi sacerdotio fungeretur ; non enim sumpsit sibi honorem, sed vocatus est a Domino tanquam Aaron [33] ; non exuit monachum, factus vitula Ephraim docta diligere trituram [34], nec fuit dominator in clero, sed forma gregis in populo, vas suum in sanctificatione custodiens, et labia consecrata ad vaniloquia non relaxans. Victum vero et habitum, omnesque actus suos sub arctioris censuræ nodo cohibuit ; ut qui a primitivis adolescentiæ motibus, in castris monasticæ religionis Deo militaverat, jam non monachum, sed angelum in homine fateretur. Si ejus humilitatem attenditis nemo est in oculis suis dejectior, et, sicut de Moyse legitur [35], mitissimus omnium, qui morantur super terram, libenter intelligens super egenum et pauperem, pressuras pauperum in visceribus misericordiæ suas faciens ; et quasi præsagiret necessitates viduæ et pupilli, præparationem cordis eorum beneficiis antcourrens. Cum de Job legatur [36], quia erat *simplex, et rectus, ac timens Deum*, domino meo justo et timorato sua simplicitas imputatur ad culpam. Sane Christus Jesus Petrum, et Andream, et alios, per quos operatus est salutem in medio terræ, non de foro Justiniani, sed de simplicitate piscatoria legitur assumpsisse Inflat enim sapientia hujus mundi [37], et legum ventosa loquacitas, nec plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Si dominus meus humiliter sentit, si alta non sapit, si non ambulat in magnis et mirabilibus supra se, si præstigia versuti juris ignorat, eruditus tamen in lege Domini, et in ea, quæ desursum est sapientia, ambulat super semitas justitiæ, nihil in causarum decisionibus statuens, quod in commune auditorium, et publicam hominum notitiam non deducat. Educit enim *quasi lumen justitiam* suam, *et judicium* suum *tanquam meridiem* [38].

Novi autem quosdam, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, innocentiam domini mei detractionibus attentasse ; ei notam avaritiæ inurentes, quia bona pauperum, et patrimonium crucifixi venatoribus non effundit. Talium gratiam non venatur, quorum laudem vituperium putat : neque gloriam mendicat ex alienæ vocis officio, cujus *gloria hæc est, testimonium conscientiæ suæ* [39]. Ipsum sæpe monui, ut esse propitius famæ suæ, et donis obstrueret os loquentium iniqua, et erat ejus responsio : *Si* talibus, dicebat, *placerem, Christi servus non essem* [40]. Si expedit placere hominibus, laus mea sit in Domino apud mansuetos et justos ; ac si diceret cum Propheta : *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lætentur* [41]. *Non enim, qui se ipsum commendat*, vel qui ab hominibus commendatur, *ille probatus est, sed quem Deus commendat* [42]. Imponunt ei alii, quod circa suæ parentelæ promotionem nimis anxie versetur, et quod non spiritus Patris, sed caro et sanguis revelat hoc ei. Porro si suis parentibus pietatis affectus impendit, non est hoc extra ordinem charitatis ; cum Apostolus dicat : *Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem nega-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

curandum terræ sanctæ subsidium applicuit : comperto enim quod Salodinus Ægypti sultanus civitatem Jerusalem cum sepulcro et cruce Domini magna Christianorum strage edita occupasset, et quod Urbanus III prædecessor suus ex tantæ cladis mœrore decessisset, ipse piissimus pontifex, ut sedis sic et doloris successor, continuo classicum intonuit, litterasque per universum orbem dixerit ad commovendos principum et Christianorum omnium animos, quo vires omnes ad repellendos Christi hostes impenderent. Et quia, ut plerumque fit, Christianorum ipsorum peccatis exigentibus, tot tantaque mala contigerant, jejunium quinquennale toti orbi Christiano, sibi vero et cardinalibus asperius etiam pœnitentiæ genus indixit.

Scriptam puto hanc epistolam circa ann. 1175.

(90) Richardum successorem S. Thomæ in archiepiscopatu Cantuariensi, cujus scilicet erat commensalis et cancellarius.

Scripta circa an. 1176, quo tempore Petrus erat domesticus Richardi.

[26] Gen. 18. [27] I Cor. 2. [28] Apoc. 3. [29] Psal. 140. [30] I Joan. 1. [31] Job 4. [32] Rom. 4. [33] Hebr. 5. [34] Ose. 10. [35] Num. 12. [36] Cap. 1. [37] I Cor. 8. [38] Psal 36. [39] II Cor. 1. [40] Gal. 1. [41] Psal. 33. [42] II Cor. 10.

vit et est infideli deterior [42]. Verumtamen non adeo sanguini se indulget, quin etiam extraneis, si honesti sunt, munifice et magnifice provideat, eosque propinquioribus consanguineis anteponat. Processerunt in sua malitia detractores, sicut Apostolus dicit : *Deo odibiles* [43], vestræque serenitatem gratiæ meo domino turbaverunt, elongantes ab eo amicum et proximum. Doleo, doleo : et ex quo posuistis eum *contrarium* vobis, *factus sum mihimetipsi gravis* [44]. Scio enim, quod extra suorum exigentiam meritorum vestram ei gratiam subtraxistis. Appones tamen, Domine, *ut complacitior* sis *adhuc* [45], et iratus misericordiæ recordaberis. Revelabit enim Dominus titulos virtutum, et gratiarum dotes, quas plantavit in eo ; confundetque labia dolosa, et *mendaces* ostendet, *qui maculaverunt* innoxium [46]. Vestræ autem intererit sanctitatis, ut Dominum meum, qui in omni veritate et sinceritate vos diligit, foveatis in Christi visceribus, et meam supplendo insufficientiam, negotia ejus, quibus æquitas assistit et ratio, benigne et efficaciter proponere et promovere velitis. Valete.

EPISTOLA XXXIX.

AD AMICUM QUEMDAM.

PETRUS Bles. Bath archid., E. amico et socio suo, salutem et ad meliora processum.

Præfationibus eoloratis, et picturato fastu verborum, sincera non eget affectio ; unde et certissimus de mutua inter nos unione affectuum compendiosæ orationi deservio, atque ab epistola præsenti, et venativas adulationum blanditias, et omne tædium prolixitatis abscindo. Refero vobis grates quia servientes vestri nos non permiserunt ignorare quid in vestris promptuariis haberetur. Illud noveritis, quod Romana cura more suo me multipliciter debitis obligavit : sed si Scyllam semel evasero, per Dei gratiam non recidam in Charybdin.

EPISTOLA XL.

AD PRÆLATUM QUEMDAM AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Invehitur in H. prælatum detractorem principium.*

Charissimo amico suo H., suus P. Blesensis Bathon. archid., salutem et circumstantiam labiorum.

Gauderem plurimum, si esset modestior et correctior sermo vester, si lingua vestra in lubrico non sederet. Multorum siquidem contra vos odium provocatis, dum non cohibetis spiritum, dum labia incircumcisa in susurrium et detractionem illicite relaxatis. Ut autem de cæteris taceam, quæ insania est domino regi detrahere, famamque ipsius venenosis sermonibus lacessere? Sane omne turpiloquium inhonestum est in prælato, et plerumque damnosum. Nam cum detractionum injurias nullus æquanimiter ferat ; principes, quibus reverentia debetur, A impensior, eas impatientius ferunt, et plerumque animantur in perniciem detractorum. Joannes apostolus detractorem suum garrientem redarguens, dicit : *Is qui amat principatum gerere, Diotrephes, garriens in nos, non recipit nos : propter hoc, si venero, commonebo opera ejus* [47]. Ex quo notatur linguam prurientem etiam sanctis et perfectis in Domino displicere. Istiusmodi homines scinipbes sunt mordentes et pungentes occulte, dumque bona aliorum detractionibus æruginant et corrumpunt, comparantur ærugini et serpenti. Ideo Salomon dicit : *Si serpens mordeat in silentio, nihil eo minus habet, qui detrahit in occulto* [48]. Et idem : *Susurro et bilinguis maledictus : turbat enim pacificos* [49]. *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ* [50]. *Os eo-* B *rum repletum est amaritudine et dolo* [51] : ipsorumque detractiones apud Deum et homines fetent ; quia *sepulcrum patens* et fetens *est guttur eorum ; venenum aspidum sub labiis eorum* [52]. Ideo Apostolus ad Corinthios scribens : *His*, inquit, *qui hujusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino, ut sine querela et sine rumusculis operantes pacem invicem habeant* [53]. Verba siquidem, quibus vita principum degravatur, occultari non possunt, atque in publicum deducta magnatum suscitant indignationem, et auctoribus suis convertuntur in malum. Salomon dicit : *Ne detraxeris principi in occulto : aves enim cœli portabunt verbum : et qui habet pennas annuntiabit sententiam* [54]. Et de principum indignatione non tacens, *Indignatio*, inquit, *regis nuntius est mortis* [55]. Sed et in lege Domini, *Filius est mor-* C *tis, qui principi maledicit* [56]. Certe absurdum est nimis in prælato, scurrilitate operam dare, et labia Christi Evangelio consecrata, immunda et damnabili verborum procacitate polluere. Quod si vobis tanta, et tam effrenis detrahendi libido est, saltem in hominibus mediæ manus malitiam linguæ prurientis exercere sufficiat. Non ponatis os vestrum in cœlum, et in terram lingua vestra non transeat [57] : cum juxta apostolum. *Regi tanquam præcellenti* reverentia debeatur [58] ; cum et vos ei vinculo fidelitatis astrinxeritis, cautius, quæso, vobis prospicite, nec habeatis spiritum in naribus, aut linguam in lubrico : sed sicut vestræ professionis ordinem decet, sic apponatis linguæ custodiam, ut se in libertatem malitiæ non relaxet. Nam, teste Jacobo : D *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio* [59]. *Vir linguosus non dirigetur in terra* [60]. Lingua siquidem modicum membrum est, totiusque corporis gratiam plerumque contaminat [61]. Nec sperandum est, quod ab ulla turpitudine se cohibeat, qui immunditiam linguæ non refrenat. Nam testimonio Salomonis, *Sicut urbe patens, et absque murorum ambitu : sic vir, qui non potest cohibere spiritum in loquendo* [62].

---

[42] I Tim. 5. [43] Rom. 1. [44] Job 7. [45] Psal. 76. [46] Sep. 10. [47] III Joan. 9, 10. [48] Eccle. 10. [49] Eccli. 28. [50] Psal. 56. [51] Psal. 13. [52] Psal. 5 [53] I Cor. 7. II Thess. 3. [54] Eccle. 10 [55] Prov. 16. [56] Exod. 22. [57] Psal. 72. [58] [illegible] [59] [illegible] [60] Psal. 139. [61] Jac. 3. [62] Prov. 25.

Sic et in lege Domini [63], vas quod cooperculum non habet, reputatur immundum.

EPISTOLA XLI.

AD HENRICUM II, REGEM ANGLORUM.

[A. D. 1177.]

ARGUMENTUM. — *Queritur regem Angliæ incertis vagari sedibus : legatos ejus Romam missos revertisse ; adesse quoque legatos regum Hispaniæ commemorat.*

Domino regi Angliæ, suus PETRUS Blesens. Bath. archid., salutem in eo qui dat salutem regibus.

Diu quæsivi, et non inveni quem desiderat anima mea ; diu vos insecutus, sed non assecutus sum. Vanæ namque voces populi, de viis vestris variæ sentientes, dum pes meus staret in via recta, me in invium retorserunt. Salomon equidem dicit : *Tria investigabilia esse, et quartum, penitus inveniri non posse : viam aquilæ in cœlo, viam navis in mari, viam colubri super terram, viam viri in adolescentia sua* [64]. Ego quintum possum adjicere : Viam regis in Anglia. Cucurri, domine, hactenus in incertum ; et adhuc ignoro, quo veniam, aut quo vadam. Fatigatus enim ab itinere, insuper et arreptus apud Neuportum (91) dysenteria gravi, cursores diversos vestrorum exploratores itinerum ante faciem meam circumquaque præmisi. Mandetis igitur, ubi et qua die inveniri possitis, benignissime princeps, ut curram in via mandatorum vestrorum, et sit lucerna pedibus meis verbum tuum. Cum enim reipublicæ intersit injuncta mihi per vos negotia tempestivius expediri, non paream corpori misero et afflicto, donec desideratissimam faciem vestram conspiciam. *tu vero dirige in conspectu tuo, Domine, viam meam* [65]. Nuntii vestri a Romana curia redierunt, exonerati quidem argento, onerati plumbo ; non multum indumentis aut evectionibus honorati. Applicuerunt præterea in magno comitatu nuntii regum Hispaniæ (92), deferentes ad vos illam antiquam, et utinam antiquatam regnorum controversiam, quæ tot civitatum populos traxit in exterminium et ruinam. Benedictus autem Deus ; nam sicut regina Austri venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis [66] ; sic hodie remotissimi reges in hac querela gravi et inexplicabili vestro judicio se submittunt, postulantes instantius ut quæstio tam nodosa sub vestræ discretionis examine resolvatur. Bene valeat charissimus dominus meus, diuque ac feliciter vivat et regnet.

EPISTOLA XLII.

AD ROBERTUM CAMERACENSEM ELECTUM (93).

[A. D. 1173 ?]

ARGUMENTUM. — *Arguit R. præpositum Areensem, quod, electus in Cameracensem episcopum officio episcopi non fungatur, negotiis sæcularibus se implicet, causas sanguinis agat, tyrannice subditos spoliet, nec moveri se a quoquam sinat.*

Reverendo Patri ac domino R. præposito Areensi et Cameracensi electo, suus P. Blesens. Bath. archid., salutem et salutis æternæ memoriam.

In litteris quas tibi mitto, antefertur electo præpositus, quoniam apud reges terræ, et maxime in ore populi celebrius est Areensis præpositi nomen, quam Cameracensis electi : nec mirum. Nam et apud te adeo viluit divina vocatio, quod et nomen et officium abhorres episcopi, et ingratus Altissimo oblatam tibi gratiam erubescis. Elegit te sibi Cameracensis ecclesia in pastorem et episcopum animarum ; tu vero episcopatus emolumenta percipiens, adhuc præpositum electo præponis, atque pastorale ministerium dedignanter accipiens episcopales reditus ad usus extraordinarios usurpare contendis. Doleo quid m, quia tuæ consecrationis gratiam dilatio tam longa et tam periculosa suspendit. Episco-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(91) Est Neuportus in Flandria, tertio ad Ostenda urbe munitissima milliari, urbs maritima.

(92) Reges isti erant Adelfonsus Castellæ, et Sancius Navarræ ejus avunculus : qui cum vehementer inter se dissiderent, jamque a prædis et rapinis ad arma proxime venturi essent, vix tandem amicorum consilio negotium ad Henrici Anglorum regis arbitrium detulerunt. Itaque missis utrinque legatis Henricus, convocatis Lundoniæ archiepiscopis, episcopis, proceribusque regni sui, reque mature perpensa, solemne judicium protulit, quod et utrique regi gratissimum fuit, populisque pacem et tranquillitatem optatissimam attulit. Rem totam cum sententia ab Henrico pronuntiata fuse referunt Radulfus. Bromton et Gervasius in suis *Chronicis*.

Scripta est hæc epistola anno Christi 1177, quo hæc gesta sunt.

(93) Hic est Robertus, quem Philippus Flandriæ comes S. Donatiani Brugis et S. Petri Ariæ præpositum, ac Flandriæ cancellarium, episcopatuum Tornacensis et Atrebatensis vacantium administratorem fecit. Postea Petro comitis fratre Cameracensi episcopatui renuntiante, Robertus Cameracensis episcopus electus est ; cumque Cameracum pergeret, a Jacobo de Avesnis, quem olim graviter offenderat, occisus est anno 1174. De eo sic Albericus in *Chronico ms.* : « Robertus præpositus de Area in Flandria episcopatus duos regebat. Atrebatensem et Cameracensem, filius fabri rustici Carnotensis, qui, ut aiunt, familiari dæmone utebatur, per quem ad tantos honores venerat. » Annales autem Flandriæ de eo sic loquuntur, lib. VI, an. 1174 : « Apud Cameracenses in Petri locum allegitur Robertus † antistes Ariensis (*a*), plenus vir Simonia, et ambitione nimis infamis, Philippo Flandriæ comiti valde charus. Hic cum gravem exerceret simultatem cum Jacobo Avesniensi potentissimo equite, non ausus est proficisci Cameracum. Quapropter a Petro Blesensi litteratissimo, ut tunc erant litteræ, viro per epistolam objurgatur quod tandiu episcopi obire munia distulerit. Tandem fide publica, ductoreque itineris Ludovico Fraxineo nobili equite a Balduino Hannoniæ comite accepto, Cameracum petiit : sed struxit illi insidias Avesniensis, venientemque Condatum in ponte Scaldis per satellites quosdam suos interfecit. »

(*a*) Erat tantum præpositus.

[63] Num. 19. [64] Prov. 30. [65] Psal. 5. [66] III Reg. 10,

palis sane promotio semper cum onere impartitur honorem. Sed tu, impatiens oneris et laboris, in opere laborioso præcipuam appetis voluptatem. Scriptum est, quia indignum Christo se facit, qui Christi ministerium erubescit. *Qui me*, inquit Dominus, *confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* [67]. Utinam minus esses sollicitus circa prudentiam hujus mundi, *quæ inimica est Deo* [68] : scientiam vero viarum Domini, et disciplinæ ejus diligenter inquireres.

Vereor enim ne in proximo tibi dicatur a Domino : *Quia scientiam repulisti a te, ecce repello te, ne sacerdotio fungaris mihi* [69]. Tuæ damnationis sententia jam in ore omnium plebescit. *Noluit*, inquiunt, *benedictionem, et elongabitur ab eo* [70]. Tui opinionem nominis enormiter gravat, quod causas sanguinis agis, quod abjecta Ecclesiarum sollicitudine negotiis sæcularibus te totum occupas et involvis. Verumtamen tui professio ordinis, nec degeneres sæculi curas, nec sævitiam gladii materialis admittit. Apostolus dicit : *Sæcularia negotia si habueritis, eos, qui contemptibiliores sunt inter vos, ad judicandum eligite* [71]. Non decet ordinem professionis tuæ in alea tanti discriminis diutius Ludere, et salute animæ spreta te adeo damnabiliter sæcularibus involvere, montemque Seir vertiginoso spiritu circuire. Vide, quid Propheta talibus imprecetur : *Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* [72]. Istos percussit Dominus in posteriora, quorum finis interitus, qui fundunt semen in terram, qui manna et gomor in putredinem vertunt [73], quorum flumina mutantur in sanguinem [74], scientia in errorem, quorum gloria transit in confusionem, et vita æternatur in mortem. Salomon in Parabolis dicit : *Ventilator malorum rex sapiens immittet eis rotam malorum* [75]. Hæc est rota, qua volveris incessanter, dum publicis et laicis actionibus ambitiose te ingerens, Christi sacramenta profanas. Electus in pontificem sanguinolenta conscientia exerces gladii potestatem. Gladium materialem exerceat, qui accepit gladii potestatem : potestates equidem a Deo constitutæ sunt [76], ut accipiant gladium *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* [77]. De his autem qui sibi usurpant usum gladii, scriptum est : Quia *omnis qui accipit gladium, gladio peribit* [78]. Nam et illi qui potestatem gladii ex officio acceperunt, quia tamen sibi commissa abusi sunt potestate, gladio perierunt. Certe si Romanorum principum fata seriatim consideres, nullum eorum invenies sanguinis effusorem, cujus sanguis effusus non fuerit. Julius Cæsar [79] a Bruto et Cassio, Antonius interemptus est a seipso, Claudius Cæsar a Caio Caligula ; Caius a prætorianis militibus est occisus ; Nero, beatorum apostolorum Petri et Pauli occisor sui ipsius factus est interfector ; successit Neroni Galba : quem interfecit Otho : qui etiam postea interemptus est a seipso. Successit ei Vitellius, qui morte occisus turpissima, humana caruit sepultura. Domitianus ei proximus, qui B. Joannem evangelistam in Pathmos insulam relegavit, damnatus est a senatu et in palatio interfectus. Aurelius Commodus, Helvius Pertinax, Julianus quoque Helvii interfector, Aurelius etiam Antonius, Macer, Macrinus, Marcus Antoninus, Alexander Romanus, Maximinus Julius, Gordianus, Philippus et Decius, Gallus præterea et filius ejus Volusianus, Quintillus, Aurelianus, Probus, omnes hi et alii, quos tam de gentibus, quam de Judæis alibi recensemus, quia præsumptuose et inique gladii exercuerunt officium, in ore gladii corruerunt [80]. Quia, sicut poeta commemorat :

Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni [81].

Verbum enim Prophetæ est : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* [82]. Sane inter eos, quos modo notavimus gladio animas exhalasse, fuerunt plerique, qui non utebantur gladio, nisi ad fructum justitiæ, vel ad rebellionem gentis barbaræ expugnandam : et hi, completo debito vitæ cursu, naturali resolutione corporis tributum conditionis humanæ solverunt. Nerva enim [83], qui beatum Joannem ab exsilio revocavit : Ælius Adrianus [83], qui Jerusalem reædificavit, et eam suo nomine Æliam designavit : Antoninus etiam Pius * [83*] et Antoninus philosophus gladiorum sævitiam evaserunt. Aurelius autem, et Julianus Apostata Christiani nominis persecutores pessimi ab ipso Christo cœlesti judicio sunt percussi. Vereor, ne velis sequi vestigia Juliani, qui cum esset vocatus in Domini sortem, ut fieret imperator, fecit se Christianæ professionnis exsortem.

Quid commodi tibi confert magnæ in gentibus nominationis ambitio? Recole verba Christi, si te ejus discipulum profiteris : *Principes gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur : vos autem non sic : sed qui vult inter vos major fieri, sit minister vester* [84]. Si acceptas ministerium Christi, si jugum Christi non detrectas, permane in ea vocatione, in qua vocatus es [85], dimittasque laicis populi principatum. Certe Philippus de Merlaico canonicus Carnotensis jugum Domini abjiciens, sicut scis, ad arma se transtulit : eumque magnis populis nuper præesset, in prælio sagitta percussus interiit. Lex enim cœlestis est, et regula divini judicii, quod exitus hujus vitæ infelices habebit, qui mundanæ dominationis obtentu Christi militiam derelinquit. Mors Philippi, et aliorum plurimum deterrere te potest. Dedit tibi Dominus in eis significationem, ut fugias a facie arcus. Scriptum quippe est : *quia mulctato pestilente, sapiens astutior erit* [86], *justusque lavabit manus suas in*

[67] Matth. 10 [68] Jac. 4. [69] Ose. 4. [70] Psal. 108. [71] I Cor. 6. [72] Psal. 82. [73] Exod. 16. [74] Exod. 7. [75] Prov. 20. [76] Rom. 13. [77] I Petr. 2. [78] Matth. 26. [79] Dion. [80] *Tract, de itinere Hierosol.* [81] Juv. *sat.* 10. [82] Psal. 54. [83] Dion. [83*] Euseb. l. III *Hist.* c. 15 et *in chron. Victor.* Theod. l. III *Hist.* c. 20. [84] Matt. 20. [85] I Cor. 7. [86] Prov. 21.

sanguine peccatoris [67]. Dicitur tamen, quod sic rapéris ad vanitates, et insanias falsas,et quod abjecta gratia divinæ vocationis, adeo ardenter affectas potentiam, ut subjectos spolies, ut per oppressionem tyrannicam de spoliis pauperum tibi iram et furorem Domini thesaurizes. Scriptum quippe est : *Potentes potenter tormenta patientur* [68]. Plane,exactiones, quas sub prætextu comitis crebo facis, multorum, quos amicos et domesticos tuos existimas, tibi suscitaverunt invidiam, ut sint, sicut scriptum est, *nimici hominis domestici illius* [69]. Detestabilis quidem rapina est in clerico : *Rapinas*, inquit Propheta [70], *nolite concupiscere*. Certe actum rapiendi prohibuit ille, qui projecit avaritiam ex calumnia, dum rapinæ concupiscentiam interdixit. Gryphus, haliætus, accipiter, milvus et vultur, quia rapaces aves sunt, reprobantur in lege Domini, et a sacrificio prohibentur [71]. Si ergo vis teipsum offerre sacrificium Deo acceptabile, nec rapinis inhies, nec affectes patientiam, nec munus acceptes [72]. Nam, teste Propheta : *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus* [73]. Job etiam dicit, quia ignis devorabit corpora eorum, qui munera libenter accipiunt [74]. Miror equidem, nec ad plenum mirari sufficio, unde hæc ambitio maledicta adeo ardenter tibi obrepserit. Tribus enim episcopis abundanter sufficeret, quod tibi soli usurpas de patrimonio crucifixi. Vereor autem ne te reprobaverit Dominus, et abjecerit a facie sua, quia erubuisti ministerium ejus, et jugum ejus contumaciter abjecisti. Resipiscas igitur, et iram Domini præveniás tempestive. Nam, si acuerit ut fulgur gladium suum [75], si arripuerit manus ejus judicium, vereor ne tunc pænitere desideres, cum non possis. *Cum enim exarserit in brevi ira ejus* [76], succenduntur inexstinguibiles flammæ, quas tamen cum matura correctione, et paucis lacrymis pœnitentialibus poteras exstinxisse.

Quod asperius solito tibi scribo; quod numeri pluralis adulatione non blandior, pertinacia tua facit. Nam et exhortatorias, quas per abbatem Clarimarisci nuper tibi porrexeram, antequam easdem perlegeres, combussisti, et hominem Dei, qui verba vitæ attulerat, contumeliis affecisti : cumque te pro posse suo a via mortis averteret, tu sanctissimam exhortationem ipsius canino latratui, sicut dicitur, comparasti. Dominus auferat cor lapideum de medio tui, et te in observantia mandatorum tuorum stabiliat, ut ejus minister esse desideres, qui venit ministrare pro nobis.

EPISTOLA XLIII.

AD PETRUM AMICUM MEDICUM.

ARGUMENTUM. — *Indicat Petro medicinæ perito se ex itinere ægrum nobilem virum invisisse, et medicinam illi fecisse; rationem morbi et medicinæ exponit, ac de cætero ægrum illius curæ committit.*

Charissimo amico suo PETRO, magister P. Blesensis, salutem in vero salutari.

Nuper ingrediebar Ambaziam (94), ubi vir nobilis Geldewinus graviter ægrotabat : occuritque mihi dominus castri, rogans humiliter et obnixe, ut diverterem ad infirmum.

Asserebat enim, quod et si manum curationis ei non apponerem, haberet tamen ex visitatione mea qualecunque solatium. Ad instantium itaque magnatum, qui pro infirmo devotissime supplicabant, triduum ibi feci. Et quia propter occupationes meas, quas ipse novistis, moram non poteram ibi facere longiorem, consilium meum fuit, ut vocarent vos : pinguique retributione vestram circa infirmum diligentiam excitarent. Licet autem sitis circumspectus in his, tanquam similia frequenter expertus; quia tamen testimonio Hippocratis est experimentum fallax, et quandoque uni revelat Dominus, quod abscondit ab aliis : non tædeat vos audire hujus ægritudinis modum : symptomata etiam, quæ plenius vos instruent : et quibus auxiliis in ægritudine sic utendum. Commune quidem medicorum vitium est, semper circa ægritudines variare : unde si tres aut quator ad infirmum veniunt, nunquam in assignatione causæ, vel exhibitione curæ conveniunt. Porro, sicut nos duo sumus conformes in votis, sic et decet, ut identitas sit in nostris operibus et in verbis. Ego siquidem primitias curationis adhibui : certusque sum, quod assequetur de facili sanitatem, si sit, qui prudenter continuet manum suam. Noveritis autem certissime, quia medium hemitritæum patitur : cum enim patiatur continue de tertio in tertium, magis affligitur. Scitis autem quod si minor hemitritæus esset, cum habeat generari ex phlegmate putrefacto in vasis, et extra, suos nunquam tertiaret assultus. Quod si major hemitritæus esset, propter putrefactionem melancholiæ intus et extra in motu materiæ interioris, æger etiam motum et aptitudinem membrorum amitteret : dentes etiam ipsius ad se invicem clauderentur. Quæ omnia quia in hac febre minime accidunt, constat medium esse hemitritæum provenientem ex cholera in vasis et stomacho putrefacta. Nam si in hepate putrefactio esset, quod quandoque solet accidere, urina rubea et tenuis

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(94) Sic restitui ex omnibus mss. nostris. Est autem Ambazia vel Ambasia Gregorio Turonensi Ambocia, oppidum in provincia Turoniæ ad Ligerim, loco tam amœno situm, ut cum omnibus aliis hujus regni certare audeat; ita ut mirum non sit reges ibi sæpe degere solitos, ait Merula in *Cosmographia*. Addam et castello inexpugnabili et in præexcelsa rupe sito esse munitum.

[67] Psal. 57. [68] Sap. 6. [69] Matth. 10. [70] Psal. 61. [71] Levit. 11. [72] Isa 33. [73] Psal. 25. [74] Job 15. [75] Deut. 32. [76] Psal. 2.

minaretur adustionem et ad nigredinem pertineret: quod, quia non accidit, videtis materiam in vasis et stomacho residere. Ex quo igitur veni, quia ipsa die eum febris invaserat, feci ei venam hepaticam aperiri. Et quia, dum morbus in augmento est (quod ex eo liquet, quia adhuc est urina rubea et tenuis) nondum est purgatione utendum, usus sum repressivis, oleumque violaceum super cor et hepar, ac fronti ejus apposui. Restat igitur, ut cum urina spissior plenæ digestionis tempus nuntiaverit, detis ei frigidum cahonis, quod dare tutius est, quam oximel, vel aliud: nam in illo tota malitia scammoneæ beneficio decoctionis evanuit. Optima etiam ei esset decoctio cassiæ fistulæ myrobalanorum citrinorum cum capillis Veneris et seminibus citroli, et cucurbitæ, et melonis: si tamen infirmi vires hæc videritis posse pati. Diætam, sicut scitis, oportet esse pertenuem: ptisanam scilicet, et micam panis ter in aquis, aut quater ablutam, fomentationesque de malvis, et violis, et papavere, non deficiant circa pedes: nam ibi calor plurinum invalescit. Si vero vehemens calor arcem capitis, sicut evenire solet, invaserit, radatur caput, atque aqua rosacea, et succo solatri, ac semper vivæ, crassulæ etiam, et vermicularis, atque plantaginis, pannorum intinctione, caput, frons et tempora mulceantur. Propter ingruentiam sitis lingua lavetur, sicut scitis, cum persilio, lignoque radatur. Ad insommitates, papaveris nigri, malvæ, violæ, hyoscyami decoctio pedibus, herbæque decoctæ capiti apponantur. Contra inobedientiam ventris fiat suppositorium, sut clystræ. Hæc ideo scribo vobis, non ut indigeatis instrui, sed ut vobis securior, et ægroto acceptior sit medicina, quæ de nostra communi deliberatione procedit. Frequenter enim ex aptitudine medeci gratiosa, et ex quadam confidentia, quam ægrotus inde concipit, natura jam deficiens convalescit. Oportet igitur vos circa hunc circumspectum esse ad strenuum, de cujus convalescentia, et magni titulus honoris vobis accrescet, et utilitas respondebit ad votum.

EPISTOLA XLIV.

AD ARNULPHUM LEXOVIENSEM EPISCOPUM (95).

[c. A. D. 1108.]

ARGUMENTUM. — *Consulit A. Lexoviensi episcopo, ne ob molestias a principe vel capitulo, vel ab aliis injuste illatas episcopatu cedat, sed tantum, si per ambitionis humanæ suffragia ad eum pervenerit.*

Reverendo Patri ac domino ARNULPHO Dei gratia Lexoviensi episcopo, P. Blesensis, salutem, spiritumque consilii et fortitudinis.

Cum sitis vir alti consilii et prudentiæ appro-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(95) Fuit hic Arnulfus a primis pueritiæ suæ annis liberaliter, sed Christiane educatus, nimirum apud canonicos regulares, quos ex celeberrima domo S. Victoris Paris, in cathedralem suam Joannes Sagiensis episcopus ipsius frater accersiverat. Archidiaconus illius Ecclesiæ aliquandiu fuit, quousque mortuo Joanne Lexoviorum episcopo avunculo suo, communi omnium suffragio ejusdem loci episcopus electus est. Est electioni licet Audegavensis comes obsistere conaretur, tamen, intercedente Petro venerabili abbate Cluniacensi, ab Innocientio II S. P. confirmatus est, sanctæ sedi apostolicæ impense addictus fuit. Unde et contra schismaticos ipse inter primos stans tro Alexandro III summo pontifice, Henricum etiam II Anglorum regem ad fovendas Alexandri partes pertraxit. Qua de re cum ad summum pontif, perscripsisset, quam acceptæ sibi essent Arnulfi litteræ ut palam testaretur Alrxander, eas in concessu cardinalium pubiice recitari jussit, ut ipsemet ad Arnulfum rescripsit. Porro quanto post in pretio eum habuerit Alexander, hinc patet, quod sæpissime ad eum familiariter scriberet, ejusque opera in variis ecclesiasticis negotiis ulteretur. Nec mirum, cum et inter doctissimos et sapientissimos sui sæculi viros haberetur, ut testantur ipsius opera, qnæ doctorum omnium manibus teruntur. Vixit autem in episcopatu XL annis: quem petito ab amicis consilio, et maxime a Petro Blesensi (ut ex præsenti epistola liquet) cum dimisisset solitudinis ergo, ad cœnobium S. Victoris Parisiensis, sanctitatis et innocentiæ domicilium, se contulit, ubi et post annum obiit, id est an. 1181 sepultusque est in veteri basilica a se condita, tum anu. 1550 translatus est ad majorem, ubi quiescit.

De causa autem ipsius secessus satis sinistre loquitur post Rogerium Baronius, ubi ait eum ob odium regis Angliæ, quod incurrerat, episcopatum suum reliquisse. Primo enim quodnam illud odium fuerit, et cur incurrerit Arnulfus, nemo est scriptorum ejus ævi, excepto solo Rogerio, qui verbum ullum dixerit; et tamen plures de rebus Henrici II et satis libere locuti sunt, ut Matthæus Paris. Malmesburiensis, Polydorus Virgilius, Gervasius, Radulfus, Bromton, canonicus Leycestrensis, et alii. Apud quos omnes mirum de hoc odio silentium, cum tamen aliqui de libera ipsius secessione et episcopatus dimissione locuti sint. Certe Robertus de Monte horum temporum scriptor Rogerio antiquior, ant saltem æqualis nullam aliam profert causam, imo absolute scribit Arnulfum Lexoviensem episcopum, cum XL annos eamdem rexisset Ecclesiam, renuntiavisse episcopatui, et perexisse Parisius, suos dies dimidiaturus apud S. Victorem, in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum erexerat. Adde et Necrologium ejusdem S. Victoris quod sic habet: « Anniversarium solemne Patris nostri piæ recordationis Arnulfi Lexoviensis episcopi, qui magnæ devotionis affectu, quem a multis retro annis erga nostram Ecclesiam habuerat, de suo episcopatu ad nos veniens, canonicus noster effectus, quietis sibi ac sepulturæ locum eamdem Ecclesiam inter omnes alias præelegit, multis et magnis beneficiis dignum, et perpetuum sui nominis et amoris memoriale posteris dereliquit, » etc. Taceo quod de hac re in epistola Blesensis ne verbum quidem, imo et aliam tacite causam subolfacit, non tamen asseverat. Deinde tantum abest ut in Henrici odium incurrerit, quin potius apud scriptores omnes constat Arnulfum summa apud Henricum regem auctoritate et gratia semper valuisse: tum ubi Henricum ad partes Alexandri legitimi pontificis inclinavit, ut patet ex his, quæ ipsemet Alexander ad Arnulfum testificandi animi sui gratia rescripsit: « Persolvimus gratias omnium Conditori, laudum præconia referentes, quod magnificum illum et serenissimum orbis principem Henricum regem Anglorum audivimus firmum et stabilem in catholicæ unitate Ecclesiæ permanere, et quod per tuam præsertim inductionem idem in sancto proposito animum solidavit. Rogamus sane, ut ita vigil semper circa eum et sollicitus perse-

batæ, miror, quod a me et cæteris minoribus in re periculosa et ardua consilium postulatis, nisi quia et hoc ipsum prudentia est, in arduis rebus minorum explorare consilium. Frequenter enim minori revelat Dominus, quæ a majoribus absconduntur. Habetis in desideriis episcopali administratione cedere, et ad sanctum otium vos transferre, si super hoc amicorum vestrorum habeatis consilium et assensum. Temerarium esset mihi in re tam periculosa et ardua præcipitare sententiam, nisi prius omnes vestri status circumstantias cognovissem. Scio, quia jam declinatis in senectam et senium, corpusque confractum laboribus et ætate, suum prænuntiat imperfectum. Habet equidem sanctorum Patrum institutio, ut episcopis infirmis et senibus coadjutor addatur. Nam et Valerio Hipponensi episcopo adjunctus est Augustinus [97]. Sic Ariminensi episcopo, auctoritate Gregorii : sic Bonifacio Maguntino archiepiscopo auctoritate Zachariæ papæ corporis incommoditate laborantibus, datus est coadjutor. Quod si principis indignationem, aut capituli vestri vexationes, aut alias huius vitæ molestias formidatis, et ideo pacem eligitis et quietem, hominem degeneris et dejecti animi decet hæc facere, non vos ; quem constat præ cæteris cor magnificum et munificum habuisse. Sane id hac requie non inveniretis requiem, et *ecce in pace* vestra esset *amaritudo amarissima* [98] ; dum recoleretis, cum augustia spiritus gementes, vos ibi defecisse, ubi fortius erat standum ; abjectoque spiritu consilii et fortitudinis videretis vos a pusillanimitate spiritus et modica tempestate subversum. Ad resignationem episcopatus nulla, si mihi creditis, vexatio vos inducet. Nam hæc omnia fortasse operatur Dominus, ut det vobis vexatio intellectum. Trituratur granum, ut reponatur in horreo ; quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in templi ædificio collocetur : movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum [99]. Si vero vestri principis gratiam affectatis, eam potestis obtinere levissime ; dummodo vos habeatis circa eum humiliter et devote. Ipse homo est, qui rebellionem et contumaciam in episcopis super omnia detestatur. Ipse est, qui sola humilitate vincit et vincitur. Porro aliunde subesse potest legitima resignationis occasio. Cum enim scriptum sit [100], quia proni sunt sensus hominis ab adolescentia in malum ; dicitur, quod ab adolescentia cœpistis ecclesiasticos honores olfacere, et ad hunc honorem, qui nunc onerosus est vobis, obsequiis atque intercessionibus et aliis ambitionis humanæ suffragiis aspirare. Currite ergo ad conscientiæ vestræ testimonium, et si inveneritis vos minus canonicum habuisse ingressum, sitis sollicitus de egressu. Nam hic resignatio habet locum : beato enim Gregorio [1] teste, qui in ovile ovium, non per ostium, sed aliunde ascendit, ad æternæ salutis bravium in vanum se fatigat, nisi honorem, in quo deliquit, penitus derelinquat. Sancta ergo et salubris est cogitatio, facta episcopatus cessione, privatam eligere vitam, si recolitis conscientiam vestram jam dictæ promotionis obtentu fuisse vel in modico vulneratam. Si meæ parvitatis acceptatis consilium, nihil omnino retinebitis penes vos, quod acquisieritis per peccatum. Jam advesperascit vobis, et vitæ vestræ inclinati sunt dies : observat etiam inimicus calcaneum vestrum, et ad luctam vos exspectat extremam. Dissolvite colligationes iniquas, et jugum exactoris abjicite. Deponite sarcinas ambitiosæ supellectilis, ne vos luctator occultus inveniat oneratum. Nudus athleta fortius dimicat. Natator exuitur, ut flumen transeat. Viator exoneratur a sarcinis, ut expeditius currat. In hac via torrentem mortis nataturus estis, in proximo, pugnaturus cum eo, cum quo semper est anceps congressus, periculosus casus, difficilis reparatio, rara et nunquam secura victoria. Nihil, quæso, in vobis reperiat suum : sed qui vos in annis fortioribus quandoque devicit, ipse vos victorem inveniat, licet decrepitum et infirmum. Vale.

EPISTOLA XLV.

AD ANONYMUM QUEMDAM.

[C. A. D. 1174.]

ARGUMENTUM. — *Negat Reginaldum Bathoniensem episcopum fuisse aut persecutorem aut occisorem S. Thomæ Cantuar, archiepiscopi ; si quid vero vel verbo vel facto in eum deliquerit, id ex ignorantia accidisse, vel certe eleemosynis, lacrymis, pœnisque sponte susceptis expiatum esse.*

Arguitis et damnatis R. Bathoniensem electum (96), tanquam B. Thomæ martyris persecutor fuerit et occisor. Scitis equidem, quam periculosum sit homini innocenti notam tanti criminis inurere, et adversus innoxium detestabilem suscitare infamiam : quam cum abolere volueritis, ipsius excursum non poteritis cohibere. Scio, quia martyrem dilexit ex corde, et inter desiderabilia hujus mundi fuit in votis ejus quandoque præcipuum familiaritati et obsequio martyris adhærere. Beatus siqui-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

veres, » etc. Tum etiam cum sæpe sæpius ab Henrico missus est Tadhomam Cantuariensem archiepiscopum pro impedienda excommunicatione, quam Thomas in eum fulminare proponebat. Tum denique quod Henricus in augustiis positus pro immani illa rebellione et conjuratione filiorum suorum adversum se, Arnulfum cum Rotrodo, Rothomagensi archiepiscopo, legatum miserit ad Francorum regem pro reconciliatione, ut liquet ex epistola 153 apud Petr. Bles., quam uterque legatus scribit ad Henricum.

Porro scripta videtur circa annum 1108, quo vel paulo post Arnulfus renuntiavit episcopatui.

(96) Quia Reginalpus persecutionis et cædis S. Thomæ infamatus fuerat, consecrationem ejus ad episcopatum Bathoniensem quidam impedire moliebantur. Unde cum in hac epistola Petrus a tanto facinore purgare nititur.

[97] Possid. *in Vita August.* c. 8. [98] Isa. 38. [99] IV Reg. 2. [100] Gen. 3. [1] Lib. IX, epist. 40.

dem martyr suspenderat patrem suum episcopum Sarisberiensem (97). Nec mirum eo tempore videbatur, si filius afflicto patri compatiens, quandoque durius, aut minus consulte de sancto martyre loquebatur. Nam et *nos insensati vitam* ipsius *putabamus insaniam, et finem* illius *sine honore :* sed computatus est *inter filios Dei et sors* illius *inter electos* [2]. Quidquid faciebat, charitatis obtentu et zelo justitiæ, in crimen odii et invidiæ vertebatur. Sed e contra, quiquid machinabatur ad ejus infamiam humana malitia, eidem convertebat Dominus ad coronam. De ipso capite nostro Jesu Christo, dicit Isaias : *Nos putavimus eum leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum* [3]. Et nos quidem pretiosissimum Christi membrum leprosum reputavimus et abjectum. Hæc est lepra, quæ in sanctos Domini se diffundit. De hac lepra in Levitico [4] memini me legisse : *Si effloruerit lepra discurrens in cute, sacerdos lepram mundissimam judicabit.* Cum omnis lepra immunda sit, lepra infamiæ, quæ sanctorum afficit innocentiam, munda est ; nam cum exterius excurrat sinistra opinio, cum exterius mentiatur iniquitas sibi, *sanctorum animæ in manu Dei sunt* [5], justique verba exterioris contumeliæ contemnentes, de thesauro conscientiæ sunt securi. Nota in Christo hujus lepræ vestigia, quæ a capite in membra, a patre in filios derivatur. Curabat Dominus languentes et violator Sabbati dicebatur. *Non est,* dicebant, *hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit* [6]. Ejiciebat dæmones, et hoc maleficiis ascribebant. *In Beelzebub principe dæmoniorum,* inquiunt, *ejicit dæmonia* [7]. Nunc Samaritanum, nunc filium fabri eum vocabant [8]. Ideo describit eum Zacharias sordidis vestibus indutum [9], quod ei, et imitatoribus ejus convenit, ut in veste sordida ait decor mentis, et in cute leprosa sit munditia cordis, et inter contumelias detractorum pura et munda conscientia sit in sanctis. Propterea sponsa in Canticis [10] dicit : *Nigra sum, sed formosa.* Si ergo Bathoniensis electus, sicut et nos omnes, vitam martyris quandoque habuit in derisum, si patri suo beneficium relaxationis obtinere curavit, non est quod ei debeat imputari ad crimen. Sed, et si adversus eum deliquit in aliquo, eum excusabilem ignorantia facit. *Ecclesiam Dei persecutus sum,* dicit Apostolus, *sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* [11]. Credo, quod si sanguis Abel clamat de terra ultionem [12], sanguis mitissimi martyris clamat remissionem peccatorum, in his maxime

A me pœnitentiam qui agunt humilem et devotam. Scio autem, quantum exterioribus signis perpendere potest humana fragilitas, quod si præfatus electus aliquid attentaverit in contumeliam martyris, illud expiavit asperitate cilicii, largioribus eleemosynis, lacrymis profusioribus, et austerioribus disciplinis. Res est plena periculi, sinistra de homine innoxio suspicari. Ideo Apostolus ad Romanos scribens, ait : *Infimum autem in fide assumite, non in* suspicationibus *cogitationum* [13]. Nulli aut pauci hodie sunt, qui conscientias alienas inspiciant, qui cum Elisæo dicant ad Giezi : *Nonne cor meum in præsenti erat, quando accepisti argentum et vestes* [14] a Naaman ? Temerarium est, si tuum delictum dissimulas et judicas alienum. Verbum Satirici

B est :

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo [15] *:*
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Nolite ergo hominem criminose arguere, nolite judicare servum Domini : suo enim domino stat aut cadit. Ejus est judicium, *qui scrutatur corda et renes* [16], *qui* scrutatur *Jerusalem in lucernis* [17], cui *cogitatio hominis* confitetur [18]. *Pro minimo mihi est,* dicit Apostolus, *ut ab homine judicer, aut ab humano die* [19]. Cui concordat, quod per Isaiam dicit Dominus : *Nolite,* inquit *timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne timeatis* [20]. Ei soli relinquatur judicium, cui omne judicium dedit Pater [21]. Ipse licet nunc multa sustineat patienter, judicaturus est tamen tempore suo. *Cum accepero,* inquit, *tempus, ego justitias Judicabo* [22] Tunc boni

C discernentur a malis [23]. *Deus* enim *deorum Dominus loquetur, et vocabit terram* [24] : habensque *ventilabrum in manu sua* [25], veniet ut dicernat *populum suum* [26]. Interim autem cum Hierosolymitis habitat Jebusæus [27]. Interim in horto patrisfamilias simul sunt saliunca et abies, urtica et myrtus [28]. In grege Jacob animalia alba et nigra, agni et hœdi [29]. In reti Petri pisces boni et mali [30]. In arca Noe animalia munda et immunda [31]. In agro Domini lilia inter spinas [32], et zizania inter spicas [33]. In arca Domini granum cum palea. In cella Christi vinum cum acinis [34], oleum cum amurca. Non est nostrum aliquem judicare [35] : novit enim, *Dominus, qui sunt ejus* [36]. Consulo igitur, frater, et exhortor in Christo, ut cessemus a verbis etiam ad rem non pertinentibus :

D cumque futuri sint *primi novissimi, et novissimi primi* [37], credo, quod vos præcedet ad vitam, quem novissimum reputatis.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(97) Jocelinum nempe, quem Thomas Cantuar. archiepiscopus excommunicaverat, pro eo quod Junioris regis coronationi contra jus Ecclesiæ Cantuariensis factæ interfuerat.

Scripta est hæc epistola circa annum 1174, quo electus est Reginaldus.

—

[2] Sap. 5. [3] Isa. 53. [4] Cap. 3. [5] Sap. 3. [6] Joan. 9. [7] Matth. 19. [8] Matth. 13. [9] Zach. 3. [10] Cap. 1. [11] I Tim. 1. [12] Gen. 4. [13] Rom. 14. [14] IV. Reg. 5. [15] Pers. *sat.* 4. [16] Rom. 8. [17] Sophon. 1. [18] Psal. 75. [19] I Cor. 4. [20] Isa. 51. [21] Joan. 5. [22] Psal. 74. [23] Matth. 25. [24] Psal. 49. [25] Matth. 3. [26] Psal. 49. [27] Josue 15. [28] Isa. 55. [29] Gen. 30. [30] Matth. 13. [31] Gen. 7. [32] Cant. 2. [33] Matth. 13. [34] Num. 6. [35] Matth. 7. [36] II Tim. 2. [37] Matth. 20.

EPISTOLA XLVI.

ı RICARDUM SYRACUSANUM EPISCOPUM (98).

[A. D. 1173 ?]

:RNTUM. — *Causam Richardo episcopo reddit, in Siciliam reverti nolit, videlicet propter aeris :mentiam : tum excurrit in laudes B. martyris mæ Cantuariensis ; ac denique episcopum, ad n scribit, hortatur ut in Anglia, patrio solo, relin vitæ conficiat.*

rissimo Patri ac domino RICARDO, Dei gratia ısano episcopo, P. Blesens., salutem in vero ri.

ıd me in Sicilia m redire cupitis, et estis de 'evocatione solliciti, gratiarum actiones vobis , quantas possum : veruntamen non sum adeo ;us vitæ meæ, ut velim requiem pro labore, tatem pro periculis, pro ægritudine sanita- ›ro peregrinatione patriam, vitam pro morte, ıs pro angustiis permutare. Terra siquidem devorat habitatores suos nec parcit ætati, ɜxui defert, nec personam considerat, nec :m conditionis, nec gratirm dignitatis acce- Triginta et septem animæ cum domino Ste- ı (99) Sicillam sunt ingressæ, omnesque in conclusi sunt, præter me et magistrum Ro- n Northmannum (100), virum litteratum, rium et modestum. Nos solos eduxit Dominus ıiseri‹ordiam suam de medio umbræ mortis

A in fortitudine manus suæ [28]. Cumque vix au nunquam permittatur egressus his, qui semel ingressi sunt : nolo ingredi ;

quia me vestigia torrent
Omnia, te adversum spectantia, nulla retrorsum [29].

Contraxit ab aere suo Sicilia (1) ; contraxit et a malitia inhabitantium in ea, ut mihi odibilis, et quasi inhabitabilis censeatur. Ipsam abominabilem mihi reddunt aeris distemperantia, et veneni distemperatio frequens, cujus immanissima crudelitate ibi periclitatur assidue nostratum incauta simplicitas. Quis, quæso, ibi securus inhabitat, ubi præter cæteras passiones, montes ignem infernalem semper evomunt, et fetorem sulphureum evaporant ? Nam ibi procul dubio est porta inferi, de B qua dictum est : A porta inferi erue, Domine, animam meam. Portæ, inquam, mortis et inferi sunt montes Trinacriæ (2), ubi absorbentur a terra homines, et descendunt iu infernum viventes. Dulcedinem nativi aeris vestri Anglici, omnemque escam terræ nostræ abominata est anima vestra, et appropinquavit usque ad portas mortis. Omnis quantuscunque cibus fuerit, sive potus apud nos, salutaris est et acceptus. In tenuibus diætis peccant vestrates : cumque vivant apio tantum et feniculo, in quibus fere est totus victus vester ; ex his tamen generatur humor, qui semper in causam morbi acutissimi, et mortis materiam computrescit. Illud

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

Erat hic Richardus natione Anglus, nobili- ;eneris, experientia, eruditione, eloquentia, sque virtutibus insignis, propterea utriusque lmi patris et filii Siciliæ regum familiaris, ex primoribus regni administris. Cum enim lmus I esset in extremis, Margaritam uxorem regni administram, Richardumque consilio- ›articipem constituit, donec filius ejus adhuc per ætatem moderando regno aptus esset. ;uillelmo II regnum administrante, ab intimis :onsiliis fuit, atque magnus regni cancellarius. ıua regis familiaritas invidiam illi, ut moris pud omnes concitavit, adeo ut Joannes cardi- cum in Sicilia legatione fungeretur, primo- regni suggestione, Richardum cogeret ad con- ıonis minus suscipiendum. Tandem anno 1169 cratus est.

ctus etiam fuit amicitia Thomæ Cantuariensi ›piscopo, qui multos ex consanguineis sui relegatos in Siciliam transmisit, sub prote- : Margaritæ reginæ, et Richardi episcopi, ut ex litteris S. Thomæ, quibus grati animi si- ationem testatur ipsi Richardo, apud Baron., XII, ad an. 1164.

) Erat hic Perticensis comitis filius, et Marga- Siciliæ reginæ, matris Guillelmi infantis, con- ıus, quem illa e Francia accersitum, licet adhuc adolescentem, regni cancellarium in- rat ; Panormitani quoque canonici, habita a libera pastoris sibi diligendi potestate, in ein Stephanum unanimes archiepiscopatus suf- ı, populo et Guillelmo cardinali Papiensi fa- probantibus, contulerunt. Sicque duas regni nas dignitates adeptus totius curiæ post regi- onus et honorem suscepit, inquit Falcandus. n, anno vix elapso, ob innatum in Francos n Siciliensium, seditione in eum a proceribus

C concitata, dignitatibus cedere Siciliamque cito deserere coactus, in Syriam transfretavit, ubi paulo post obiit. Plura vide apud Fazellum.

(100) Hic Rogerius postquam e Sicilia cum Petro Blesensi reversus fuisset, Parisiis theologiæ operam dedit : qui cum post mortem S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi de ipsius sanctitate a multis in utramque partem disputaretur, ipse acriter stetit contra magistrum Petrum cantorem, inter theologos tunc temporis celeberrimum, qui Thomam sanctum appellandum esse contendebat. Rem pluribus narrat horum temporum ferme æqualis scriptor Cæsarius Heisterbakensis, lib. VIII *Dialogorum*, c. 69. Fuit is Rogerius postea decanus Rothomagensis anno Christi 1198. Unde et anno 1199, de eo fit mentio in chartulario capituli, et in veteri obituario Ecclesiæ Rothomagensis : nominatur etiam in chartulario prioratus Belliloci an. 1200, et in donatione quadam Margaritæ, uxoris Henrici Junioris, D in chartulario capituli Rothomagensis.

(1) Fertilissimam, uberrimam et amœnissimam esse Siciliam geographi et historici pene omnes testantur, et maxime Fazellus, illius regionis indigena ; propterea dicendum est Blesensem paulo durius hic in Siciliam excandescere ; nisi forte dicamus eum in mores potius Siculorum quam in cœlum et solum invehi, cum scilicet e Sicilia, in qua per annum honorificentissime degerat, exire coactus fuisset, ob seditionem, quæ in Francos excitata fuerat, in qua eorum maxima multitudo inaudita crudelitate oppressa est. Rem hanc fusius vide apud Fazellum *Decad.* 2, lib. VII, cap. 5.

(2) Cur Sicilia dicta sit Trinacria explicat Fazellus *Dec.* 1, lib. I. c. 2, ex scriptoribus Græcis, scilicet a tribus promontoriis, quæ formam ejus efficiunt.

[28] Psal. 106. [29] Horat. lib. I, epist. 1.

autem adjicio, quod assidue legitur in libro experientiæ; quia, cum scriptum sit [40], quod omnes insulares populi sint generaliter infideles, Siciliæ habitatores sophistici amici sunt, et occulti atque perditissimi proditores. Vobis ista non scriberem, nisi vos hæc eadem certo et frequenti experimento didicisse novissem. Inde est, quod cum alios fideles sibi populos flagellet Dominus in spiritu misericordiæ et mansuetudinis; plebem Siciliæ flagellat, nunc in judicio Sodomæ et Gomorrhæ [41], nunc in plaga Dathan et Abiron [42], nunc in spiritu judicii et ardoris.

Scitis, quod Ætna mons (3) frequenter ignes suos in immensum circumquaque diffundit: et adhuc per spatium diætæ unius undique combusta et deformata est tota facies regionis. Sævientis flammæ procellosa vorago omnes incolas, aut expulit, aut combussit. Hæreditas miserorum data est in combustionem et cibum ignis; et, ut expressius loquar, ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum [43]. In omnem terram, et in fines orbis terræ jam exiit plaga illa, qua nuper in Sicilia percussi sunt Catanenses in vigilia B. Agathes, cum episcopus ille damnatissimus (4), frater Matthæi notarii (5), qui, sicut scitis, sibi sumpsit honorem non vocatus a Domino tanquam Aaron, et qui ad sedem illam non electione canonica, sed Giezitica venalitate intravit; cum, inquam, abominationis offerret incensum, intonuit de cœlo Dominus, et crece terræmotus magnus factus est. Angelus enim Domini, percutiens episcopum in furore Domini cum populo et universa civitate subvertit. Patet itaque, quia beatissimæ Agathes offensam suis exigentibus peccatis incurrerant.

Non sic, quæso, irascatur nobis benignissimus martyr noster B. Thomas. Si *exarserit in brevi ira ejus* [44*], patientiam quam semper habuit non dediscat, et iratus misericordiæ recordetur. Spes equidem mea est, quod quoties nobis Dominus flagellum suæ indignationis intentat, stat martyr in confractione pro nobis atque gemitibus inenarrabilibus misericordiam judicis interpellet. Exsulta, Anglia, exsulta, occidens, quia *visitavit nos oriens ex alto* [45]. Thomam apostolum India et Orientalis regio jactitabat; sed occidentalem respexit Ecclesiam, *qui in cœlis habitat et humilia respicit* [46*]. Dedit Dominus Angliæ Thomam nostrum, non invidemus Indiæ Thomam suum. Sit Thomas apostolus in India; sit Thomas martyr noster in Anglia, ut per hos duos testes Christi ab ortu solis usque ad occasum sit laudabile nomen Domini. Eat, qui voluerit, in Indiam ad suffragia beati apostoli: tam longa peregrinatio nimis laboriosa est mihi; mihi sufficit Thomas meus. Ille palpavit latus Domini, et fixuras clavorum; ille, quia vidit, credidit: beatus, qui non vidit, et credidit, nec dubitavit; atque holocaustum Christo, et pro Christo se obtulit. Non laboro martyrem apostolo comparare, cum apostolus sit major martyre. Sed gloriosum est nos habere martyrem, qui apostoli nomen habeat, et

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(3) Ex Gervasio Tornacæo. « Ætna mons plenus est sulphure nutrimentis humidis generato, ex cujus hiatu flammæ vomuntur impetu ventorum exagitatæ, noctu quidem horrendo spectaculo, et interdiu lumine caliginoso, quæ ut nullo frigore temperari possunt, ita nec frigus ullo modo dissolvere. » De Ætna, et ejus ignibus fuse Fazellus *Dec*.I.II,c.4.

(4) Joannes de Agello XXI Catanensis Ecclesiæ in Sicilia antistes, frater Matthæi notarii, Siciliæ regis cancellarii, qui prius laica manu, scilicet a Guillelmo Siciliæ rege, contra canones intrusus fuerat: postea tamen ab Alexandro III consecratus, et sacro pallio more archiepiscoporum cohonestatus, anno 1168, ut est apud Rocchum Pyrrhum, tom. II, *Notitiarum Siciliæ*, notit. I, Ecclesiæ Catanensis. Qui et refert ex antiquo apographo celeberrimum illud diploma, quo summus ille pontifex prædecessorum suorum vestigiis inhærendo, statuit ut idem episcopus et abbas Catanensis a monachis canonice electus, a Romano pontifice benedicatur et consecretur, ipsique soli subjiciatur. Pallii etiam usum ut archiepiscopis ei concedit, etc.

De ingenti autem illa clade, et enormi terræmotu, quo subversam esse civitatem Catanensem ait Blesensis, sic breviter Nangiacus ad annum Christi 1169: « In Sicilia urbs Catanæ terræmotu subvertitur, ubi episcopus, clerus, et abbas de Mileto cum 40 monachis et fere quindecim millia hominum perierunt. « Sed paulo fusius rem narrat scriptor Siculus, et qui rem omnem, pront gesta, suis spectavit oculis, Hugo Falcandus, et post eum Thomas Fazellus etiam indigena, et ex utroque Baronius, tom. XII, ad an. 1169. Sed et ex ms. quodam apud Catanenses reperto, historiam his versibus describi auctor est Rocchus Pyrrhus loco citato:

Unde superbit homo, cinis est, caro vermibus esca,
Flos feni genitor, genitus, genitrix, genitura.
Cataniam doleo, dolor est miserabile dictu.
Clara, potens, antiqua fuit plebe, milite, clero,
Divitiis, auro, specie, virtute; triumphis.
Heu! terræmotu ruit illa potentia rerum.
Morte ruit juvenis, moritur vir, sponsa, maritus
Unde superbit homo? Deus una diruit hora
Turres, ornatus, vestes, cunctosque paratus.
Quis gemitus, lacrymas, suspiria corde teneret
In tanto gemitu? Periit pars maxima gentis,
Proh dolor! et monachi quadraginta quatuor et plus;
Et periit pastor patriæ, pater ipse Joannes:
Pontificatis honor, lux regni sic periere.
Sit requies cunctis, luceat lux ipsa perennis
Pontifici, monachisque suis, et nunc et in ævum.

Fuit hoc 4, Febr. indict. I.

(5) Erat hic notarius regius, in curia regum Siciliæ admodum potens. Fuit primum sub Guillelmo II vicecancellarius regni. Tum a Tancredo rege magnus cancellarius constitutus, inquit Rocchus Pyrrhus in *Chronologia Regum Siciliæ*. Qui insuper addit eum non modo in sua patria Salerni, sed et Panormi plurima suæ pietatis monimenta reliquisse, ecclesiasque et monasteria ædificasse. Plura de eo Falcandus et Fazellus.

Scriptam opinor hanc epistolam circa annum 1173, scilicet paulo post mortem S. Thomæ Cantuariensis.

---

[40] *Lege Fazellum* lib. VII, 2 decan. cap. 5. [41] Gen. 19. [42] Num. 16. [43] Isa. 4. [44*] Psal. 2. [45] Luc. 1. [46*] Psal 112.

apostolum miraculis aut imitetur, aut vincat. Non A indignatur apostolus, quia nec indignatur Dominus apostolorum et martyrum, si quandoque Spiritus sanctus in operatione virtutum plenius ei celebrius alicui se infundit. Et hæc, inquit Dominus, facietis, et majora horum facietis [45]. Amor martyris a proposito meo aliquantulum me abduxit; revertor ad propositum. Sed ad vos, amantissime Pater, in Siciliam non revertar. Fovet Anglia me jam senem, quæ vos fovit infantem. Utinam relinqueretis terram illam, Pater, montuosam et monstruosam, et ad nativi aeris dulcedinem rediretis. Ad hoc vos movere debuerant diuturnitas et securitas vitæ, amor patriæ, naturæ lex, conditio nutrituræ, præcipue autem, et præ omnibus amor domini regis Anglorum, qui vos brachiis sinceræ charitatis am- B plectitur. Et nisi gratiam respueritis oblatam vobis in terra nativitatis vestræ, incomparabiliter præparavit gloriam et honorem. Vestræ, quæso, nativitati sepultura respondeat: velitis apponi patribus vestris, et Anglia cineres vestros, quos produxit, excipiat. Dulce est in amicorum amplexibus mori, charorum lacrymis excipi, cum suis progenitoribus sepeliri. In cujus rei observantiam, sicut legitis, sancti patriarchæ plurimum fuere solliciti. Fugite, Pater, a montibus flammivomis, suspecta sit vobis Ætnæ vicinitas, nec vos morientem videat regio infernalis.

EPISTOLA XLVII.

AD HENRICUM III ANGLORUM REGEM.

[A. D. 1144.]

ARGUMENTUM. — *Richardus Cantuariensis archiepiscopus Henricum, Henrici II regis Anglorum filium, hortatur ut a bello, quod in parentem suum moverat, absistat; et, ni faciat excommunicationem minatur.*

HENRICO tertio, Dei gratia regi Angliæ, et domini regis filio, RICHARDUS Cantuar. Ecclesiæ humilis minister, spiritum consilii cum salute.

Si quid durum tibi locuturi sumus, illustrissime princeps, sustine patienter; nam ex abundantia cordis, et vehementia doloris os loquitur. Non feras moleste, si rogamus, quæ ad pacem sunt, si operam damus, ut convertantur corda filiorum ad patrem. Dolemus, doloremque dissimulare non possumus, quia patrem tuum persequeris, terramque ipsius, quam usque ad sanguinis effusionem tueri debueras, tu ipse das in direptionem et prædam. Et unde hoc tibi, quod Brebantionum factus es ductor (6), gentique excommunicatæ et perditissimæ adhæsisti, ut perderes devotissimam tibi gentem? In quo te offendit, in quo gratiam tuam demeruit pater tuus? Nunquam tibi exhibuit se dominum, sive regem, sed quasi procuratorem regni tui, et in rerum tuarum administratione fidelissimum servientem. Tibi, et non sibi vivit. Tuum est, quiquid potest, quidquid scit, quidquid facit, quidquid congrenat, quidquid habet. Ubi est filialis affectio? ubi est reverentia patris? ubi est lex naturæ? ubi est timor Dei? ubi sunt sacramenta illa, quæ patri tuo coram nobis corporaliter præstitisti? Ubi est intercessio illa, qua nos et alios episcopos terræ patri tuo pro te fidejussionis vinculo obligasti? putas ita Deo illudere? Ipse est rex regum, terribilis apud reges terræ, et qui aufert spiritum principum. Dilige et honora, fili charissime, patrem tuum, ut, pro honore exhibito patri, tibi sit longitudo dierum. *Honora patrem tuum et matrem tuam*, dicit Dominus, *ut sis longævus super terram* [46]. Filius qui maledicit patri aut C matri, in lege Domini lapidatur [47]. Cum ergo male agere sit longe gravius, quam maledicere, merito pœnæ subjacet graviori, qui patrem aut matrem contumeliis afficit, et molestat injuriis. Teste Salomone [48]: Gloria patris est filius sapiens; Deo vero abominabilis est qui contumeliam facit patri. Quam grata, quam favorabilis, quam suavis, quam amabilis, quam Deo accepta sit erga parentes af

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(6) Brebantiones, Brebensones, Brebanti, ita dicti sunt, quod ex Brabantia ortum ducerent. Erant autem isti homines sceleratissimi, qui vel sua sponte, vel aliorum stipendiis conducti omnia late depopulabantur. Aliter etiam dicebantur Cotarelli et Ruptarii. et hoc nomine vocabatur tunc temporis uni- D versa prædonum et latronum publicorum colluvies. Eos gentem « nefariam » vocat Chronicum Antissiodorense; Matthæus Paris. « Spurcissimos et ignobiles; » Alexander III epist. 45, « Gentem iniquam: » Petrus noster hic « gentem excommunicatam, perditamque, » scilicet quia et ipsi, et qui eos conducebant, in concil Lateran. sub Alexandro III, ann. 1179, anathemate percussi fuerant. Concilii verba sunt, cap. 27: « De Brabantionibus et Cotarellis, et qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis, nec monasteriis deferant, non viduis et pupillis, non senibus et pueris, nec cuilibet ætati parcant aut sexui, sed more paganorum omnia perdant ac vastent. Similiter constituimus ut qui eos conduxerint vel tenuerint, vel foverint per regiones in quibus taliter debacchantur, in Dominicis et aliis solemnibus diebus publice denuntientur. » Pravos autem eorum mores efferatamque rabiem apte describit Guillelmus Britto, lib. I *Philipp.*, de iis sub nomine Cotarellorum ita loquens:

Nec mora, Bituricas exercitus ibat in oras,
Ut Cotarellorum vim sævitiamque retundat,
Personisve sacris, rebusve, locisve sacratis,
Nullus præstabatur honor, reverentia nulla,
Nil juveni virtus, puero nil debilis ætas.

Henricus rex pater in angustiis positus, ad Alexandrum pontificem per litteras confugerat, ut in rebelles filios suos gladium Petri exereret, quod et fecit, et Richardo Cantuariensi archiepiscopo mandavit, ut quicunque pacem Domini regis turbarent, appellatione omni remota, excommunicationis vinculo astringerentur, inquit Blesensis noster epist. 69 ad episc. Andegavensem. Qui et hæc addit: « Hac auctoritate fretus dominus Cantuariensis omnes domini regis impugnatores apud Cadomum nuper excommunicavit, nec regi Juniori, nec alii exceptionis gratiam fecit. »

Scripta est hæc epist. ann. Christi 1174, quo superius relata gesta sunt. Ex Rogerio in Annalibus Anglicis.

[45] Joan. 14. [46] Deut. 5, Exod. 21. [47] Matth. 15. [48] Prov. 17.

fectio filialis ; quam vero exsecrabilis et damnata, atque pœnalibus exterminanda suppliciis irreverentia in parentes, multis docemur exemplis. Multa legimus, quæ te et alios ad paternæ reverentiæ observantiam efficaciter exhortantur. Philippus inter Romanos principes primus fuit fidei Christianæ professor. Philippum filium habuit; qui cum esset, patre vivente et consentiente, in imperialem apicem sublimatus, summæ sibi gloriæ ascribebat, quod patrem haberet superstitem, cujus imperio non minus humiliter obediebat imperator, quam miles devotus, vivens in omnibus, quæ habebat, ad patrem, non ut imperator, sed ut filius. Hermes, Agathoclæi regis filius, cum pater ejus ageret in extremis, et a populo postularetur in regem, respondit, se regni officium non debere præsumere, quandiu pater ejus vivere speraretur ; cujus prudentia erat in administratione reipublicæ approbata. Decius imperator cum Decium filium suum imperiali diademate proponeret insignire, renuit minor Decius, dicens : Vereor, ne si fiam imperator, dediscam esse filius. Malo tamen non esse imperator, et humilis filius, quam esse imperator, et filius indevotus. Imperet pater meus : meum imperium sit parere humiliter imperanti. Volusianus imperator, Galli imp. filius, licet cum patre suo imperaret, nihil tamen se commune habere cum patre proposuit ; nisi quod cum pater ejus occideretur ab hostibus, se pro eo et cum eo permisit occidi. Valerianus imperator [49], de cujus tyrannide beati martyres Sixtus et Laurentius felici triumphavere martyrio, quia patrem suum quadam die atrociter verberavit, a Sapore rege Persarum captus, apud eum adeo ignominiosa servitute consenuit, quod quoties rex erat ascensurus in equum, Valerianus humi acclinis eum in sellam dorso, non manibus attollebat, vitamque in hac probrosa servitute finivit. De Absalon taceo [50], quia historia nota est universis. Adramelech et Sarasar, filii Sennacherib [51], quia persecuti sunt patrem suum, a regno expulsi dati sunt in captivitatem, et in opprobrium, et in mortem [52]. Demetrius, filius Demetrii regis, partem suum crudelissime persecutus, vagus et profugus super terram vitam miseram exsilio et opprobrio terminavit. Aristobulus [53], quia matrem suam prægnantem vinculis carceralibus mancipavit, iu morte et sanguine fratris sui Antigoni, quem super omnia diligebat, miserabiliter exspiravit. His et aliis innumerabilibus exemplis intelligere potes, fili charissime, quantum sit apud Deum et homines commendabilis exhibita patri reverentia, quantum sit exsecrabilis, et infaustis damnata eventibus injuria parentibus irrogata. Porro mihi videtur degenerare filius, cujus voluntas a paterna voluntate dissentit. Nam ejus caro et sanguis est, et de patris essentia suam essentiam mutuavit. Avelle a sole solis radium, et non lucet ; rivum a fonte, et arescit ; ramum ab arbore, et siccatur ; membrum a corpore, et putrescit. Separa filium a devotione paterna, et jam non est filius, sed frater et collega eorum, quibus dicitur : *Vos ex patre diabolo estis* [54]. In principio Isaiæ legitur [55] : *Filios enutrivi et exaltari : ipsi autem spreverunt me.* Ultimum autem verbum ejusdem prophetæ est : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* [56]. Probitatem tuam, prudentiam, liberalitatem, constantiam, pulchritudinem. atque alias gratiarum dotes, quibus te natura multipliciter illustravit, mundus prædicat universus. Verumtamen, si erga patrem tuum humilitatem et dilectionem in veritate non exhibes, quanto celebrior est laus tua, tanto in majus et communius opprobrium convertetur.

Novisti quia pater tuus, homo est, qui sola humilitate sibi exhibita mansuescit. Sis ergo ei subjectus, et ipse suam tibi per omnia subjiciet voluntatem. Exhibe te patri in vera humilitate filium, et ipse tibi se non solum patrem exhibebit, sed famulum. Eris rex regis, et Dominus domini tui, qui ad hoc tibi vivit, et sibi moritur, ut post mortem ipsius magnifice vivas, regnumque et solium tuum cum multis laboribus et expensis corroborat et confirmat, ut ipsum futuris temporibus barbaræ hostilitatis persecutio non subvertat. Hæres tui patris es, et successor in regno ; de hæreditaria successione securus et certus, sustine, non festines ; quia, teste Salomone : *Hæreditas, ad quam in principio festinatur, in novissimis benedictione carebit* [57]. Nimis damnabiliter te seducit adulatorum suggestio, qui tibi submurmurant et suadent, ut certam in regno tibi vindices portionem ; porro isti non tantum honorem tibi, quantum sibi honorum et bonorum distributionem desiderant, et ut in populum miserum suum exerceant dominatum. Nonne consultius tibi esset per prudentiam fidelissimi patris in pace populum conservare, quam per adulatores infidos quietem et pacem commissi tibi populi conturbare ? Sane cum multis violentiis et peccatis non posset de regno Francorum summa illa pecuniæ extorqueri, quam nunc sine labore et crimine tuo tibi liberalitas paterna largitur. Utinam scires quam dulce, quam jucundum sit habere, et habitos venerari parentes. Hæc suavissima jucunditas et frequenter, dum parentes vivunt, ignoratur, et ex sola parentum amissione cognoscitur. Adhuc, amantissime fili, devote et humiliter supplicamus, quatenus facias, et loquaris pacem in plebem tuam : et derelicta societate illius excommunicatæ et perditæ gentis, quæ te in devium malitiæ trahit, revertaris ad patrem. Nos autem ita honori et commoditati tuæ studebimus providere, quod amplius obtinebis pacis beneficio, quam possis per ignem et gladium extorquere. Quod

[49] Aur. Victor. *in Valer.* [50] II Reg. 18. [51] IV Reg. 19. [52] Isa. 37. [53] Joseph. l. XIII, c. 18. [54] Joan. 8. [55] Cap. 1. [56] Isa. 66. [57] Prov. 20.

si nostro et suffraganeorum nostrorum consilio, qui super hoc generaliter tibi scribunt, acquiescere et consentire detrectes, scias nos recepisse a summo pontifice in mandatis, ut te et omnes, qui pacem domini tui turbant, sublato appellationis remedio, excommunicationis vinculo innodemus, nosque mandatum nobis injunctum, licet inviti et dolentes, prompto effectu, et debita reverentia, nisi infra quindecim dies resipueris, plenissime prosequemur.

EPISTOLA XLVIII.

AD WILLELMUM PAPIENSEM (7) CARDINALEM.

[A. D. 1178.]

ARGUMENTUM. — *Gratulatur diuturnum schisma in Alexandrum tertium excitatum, prudentia et eloquentia Willelmi Papiensis cardin. apud imperatorem Fridericum tandem exstinctum. Deinde Octavianum schismatis auctorem, ejusque electores, acriter perstringit.*

Reverendo Patri ac domino WILLELMO Papiensi, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali, PETRUS Blesensis devotissimus ejus filius, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui tandem respiciens in faciem testamenti sui vos elegit et præelegit, ut per gratiam prudentiæ et facundiæ vobis divinitus datæ scissura schismatis consueretur ad unitatem, et Ecclesia Dei de variis laboribus respiraret ad pacem. Petri quippe navicula diutissime tempestuosis fluctibus æstuavit; cumque mirabiles essent elationes maris, mirabilior in altis Dominus statuit procellam in auram. Effusa enim contentione super principes, A cum errarent in invio et non in via, ille qui imperat ventis et mari, imperavit imperatori; qui, cum nuper in Ecclesiam Dei efferata rabie desæviret, hodie per gratiam Christi decrudescit in eo severitas, et iracundia ejus mansuescit in gratiam. Hodie per gratiam Redemptoris, qui vos ad hoc specialiter fecerat gratiosum in verbis, persecutor Ecclesiæ factus est filius, de lupo factus est agnus, de hoste amicus, de superbo devotus; humiliavit eum, qui est ante sæcula, qui humiliat *omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* [58]. Nimis oppresserant, et in conculcationem dederant Christi Ecclesiam sæculares; sed hodie erecta est in superbiam sæculorum, et amodo superborum et sublimium colla calcabit, sicut dicit Dominus per B prophetam : *Ponam te in superbiam sæculorum, non vocaberis ultra derelicta, sed civitas sancta* [59]. Octavianus ille auctor schismatis (8) toto tempore vitæ suæ congregaverat opes et divitias, ut quietem Ecclesiæ perturbaret. Suis igitur largitionibus ita infascinaverat sapientes hujus sæculi, quod magnatum sibi conciliaverat favorem et gratiam, magnamque partem curiæ secum traxerat in errorem. Sed juxta verbum Jeremiæ [60] prophetæ : *Perdix fovit, quæ non peperit, fecit divitias, et non in judicio, in novissimo* tempore derelinquent eum, et in fine suo apparebit stultus. Erectus fuerat Octavianus in contumeliam Ecclesiæ Christi, et cecidit. Satanas enim Satanam expulit, et abstulit eum primogenita mors, sicut dicit Job [61]; superbia namque primitiva C mortis generatio est. Post hunc exaltatus est Guido Cremanus (9), et corruit. Post ipsum elevatus est

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(7) Ita dictus est ab urbe Papia, unde ortus erat, ex ordine Cisterciensi assumptus, factus est primo archidiaconus Papiensis, tum ab Adriano IV creatus est diaconus cardinalis, demum presbyter : a quo etiam cum aliis tribus cardinalibus missus est ad Fridericum imperatorem, ad dirimendum dissidium, quod de juribus summi pontificis inter eos exortum fuerat, de quo fuse Baronius ad annum Christi 1159. Adriano mortuo, cum pro electione summi pontificis grave ortum esset schisma, a partibus Alexandri contra Octavianum stetit, licet se paulo frigidius initio gessisset, ex Baronio ad annum 1160. Nam cum Fridericus imperator, qui Octaviano favebat, Papiam, ubi tunc forte apud suos erat Guillelmus, concilium aliquot cardinalium et episcoporum convocasset, ipse Guillelmus, qui illi schismaticorum conventiculo aderat, imperatori non in faciem, ut par erat, restitit; nec episcopis, qui præsentes erant, adversatus est, sec tacuit omnino. Unde tacitæ conniventiæ suscipione non caruit, quæ ipsi non minimam infamiæ notam inussit ita ut cum in causa S. Thomæ ab Alexandro III missus esset in Angliam, ipse S Thomas eum ejusmodi notatum infamia judicem habere recusaverit, ut patet ex ipsius litteris, quæ habentur apud Baronium loco supra citato. Qui et addit : « Cum esset vir eloquentissimus » Guillelmus « tunc laborasse creditus est angina Demothenis. Declamavit autem postea ubi nullus metus urgeret. » Nam anno 1167 missus ab Alexandro ad reges Franciæ et Angliæ, ita perspicuis rationibus objecta legatorum antipapæ Victoris elisit, ut uterque princeps, repudiato Victore, Aloxandrum in summum Ecclesiæ Catholicæ pontificem reciperet. Ipse etiam ab eodem Alexandro legatus missus est ad Fridericum, quando tum primum pacis mentio facta est ; tantumque eloquentia sua valuit, ut Fridericus, abjectis antipapis, quos contra legitimum pontificem erexerat, ad pedes Alexandri corruens ips sempiternam juraverit obedientiam.

(8) Erat hic Romanus ex nobili Tusculanorum comitum progenie oriundus. Creatus est primo diaconus cardinalis ab Innocentio II; tum ab Eugenio III S. Cæciliæ presbyter cardinalis. Perversam ejus indolem paucis ita describit Baronius ad an. 1155 : « Erat hic alter Judas, utpote qui in pontificem, ipsamque Romanam Ecclesiam, et collegium cardinalium semper, cum potuit, aliquid moliri conatus est. » Nam primo pacem inter Adrianum papam et Fridericum imp. turbare conatus est. Mortuo autem Adriano, cum a cætu cardina- D lium consueto ritu Alexander III legitime in summum pontificem fuisset electus, Octavianus a duobus tantum cardinalibus, Joanne scilicet S. Martini, et Guidone S. Callisti presbyteris electus et violenter intrusus. Victor IV appellatus est. Accidit ac anno Christi 1159. Vixit autem tyrannice in antipapatu suo quinque circiter annis, obiitque anno Christi 1164. Quo autem morbi genere perierit declarat Baronius ad prædictum annum his verbis : « Octavianus quindecim diebus antequam moreretur, phreneticus effectus est continue, et in tantam versus insaniam, ut nec Dei, nec sui memor esset. »

(9) Ita dictus est, quod esset oriundus ex urbe

[58] II Cor. 10. [59] Isa. 60. [60] Cap. 17. [61] Cap. 18.

Joannes Struma, et dejectus atque confractus evanuit. Ecce idolum Dagon, quod juxta arcam Domini fuerat elevatum prius, cecidit prostratum [62]. Erectum secundo corruit, ex magna parte confractum. Elevatum vero tertio, tandem totum confractum inventum est, et toto corpore dissipatum. Sic Octavianus in superbia et abusione sibi summum usurpaverat sacerdotium, et propter hoc vehementi schismate turbaverat urbes, et regna concusserat, sortem habiturus cum Core, Dathan et Abiron, quorum se imitatorem fecerat. Ecce quod de ipso et consimilibus prædixerat Isaias [63]. Nunquid non est iste vir, qui turbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem terræ desolatum, et urbes ejus destruxit? detrahetur ad inferos superbia ejus, concidit cadaver ejus : subter eum sternetur tinea, et operimentum ejus erit vermis. Adhuc recolo, quam gloriosus erat in oculis suis, quam pomposus in verbis. Fui præsens, ubi se faciebat tanquam statuam adorari. Nam et ego cum aliis in via ad Romanam curiam a carnificibus ejus captus, et spoliatus, et cæsus sum : cumque socii mei conjecti in vincula in compedibus remansissent, ego, præveniente Christi misericordia, nec flexi genua mea ante Baad, nec in cumpedibus pedem fixi, sed relicta sindone, et omnibus perditis per murum in sporta dimissus sum, et sic effugi manus suas. Scit Deus, quia non mentior, et ab ea die semper

A exoravi Altissimum, ut ejus superbiam dejiceret, qui superbos humiliat : et tandem completum est in eo verbum Jod dicentis de rege superbiæ : *Si ascenderit in cœlum superbia ejus, et si nubes caput ejus tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderint, dicent : Ubi est ? velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna* [64]. Ejus et omnium complicum suorum memoria damnata est in æternum. Isti sunt Allophyli, qui cum in arcam Domini irruere et eam capere præsumpsissent, percussit *eos Dominus in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis* [65]. Nonne isti in posteriora percussi sunt, quorum finis, interitus, quorum posteritas damnata est, ut successor eorum in Ecclesia Dei de cætero non resurgat? B Semper redibit in memoriam iniquitas patrum, et peccatum Octaviani non delebitur in æternum [66]. Ipse enim erat, qui crudelius cæteris clericos affligebat, persecutus homines inopes et mendicos, et compunctos corde mortificans. O quam cæcus et turbidus est invidiæ oculus. Ubi, quæso, erant cardinalium corda, quando filium superbiæ, et idolum abominationis in apostolatus apicem erigebant? Ut de vobis taceam, ne videar adulari, quomodo clausis oculis transierunt dominum Bernardum Portuensem (10), Henricum Pisanum (11), dominum Hyacinthum (12), dominum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

Crema in Lombardia sita. Fuit autem creatus cardinalis ab Adriano IV, in quem cum Friderico imp. secreta colloquia habuit : tum Adriano mortuo, primus fuit eligendo pseudopontifice Octaviano, post ejus obitum ipsemet in sedem apostolicam intrusus, Paschalis III appellatus est. Verum in pseudopontificatu post annos sex miserabili morte obiit, scilicet cancri morbo in renibus apparente consumptus, anno Christi 1170.

Post obitum Paschalis antipapæ, cum schismatici nullum amplius cardinalem haberent, quem duobus postremis factionis suæ capitibus substituerent, sibi præficiendum elegerunt quendam Joannem abbatem Strumensem. Strumiensem ex Pannonia nominat Ciaconius, virum apostatam, lubricum, voracem, atque gyrovagum, inquit Baronius. Hic Callistus III appellatus est, sed paucis diebus falso et imaginario illo præsulatu potitus est. Etenim cum pro suis meritis sperneretur ab omnibus bonis, videretque se in concilio Venetiis habito gradu suo dejectum, et a Friderico imperatore, qui ad partes Alexandri legitimi pontificis transierat, reprobatum, tandem pœnitentia ductus, ad pedes Alexandri corruit, reatum suum humiliter agnoscens, et in conspectu cardinalium, et aliorum plurimorum se graviter peccasse publice confessus est. Quem Alexander pro innata sibi humilitate et mansuetudine, non solum benigne recepit, sed postmodum in curia, et in mensa sua honorifice habuit, inquit Romualdus Salernitanus, auctor σύγχρονος apud Baronium. Hunc tandem finem habuit tam diuturnum tamque molestum schisma, et pax Ecclesiæ est reddita, de qua Petrus noster amico sua Willelmo Papiensi gratulatur hac epi-

C stola, scripta anno Christi 1178, quo hæc acta sunt.

Notandus autem est hic Busæi error, ubi ait Guidonem Cremensem appellatum fuisse Callistum II, et Joannem Strumiensem Paschalem III, cum apud Otthomen de S. Blasio, Bromtonem, et auctorem appendicis ad Radevicum, hujus ævi scriptorem ; item apud Platinam, Ciaconium, Onuphrium et cæteros, qui summorum pontificum vitas scripserunt, et apud ipsum Baronium fidelissimum hac in re testem, Guido nominatus sit Paschalis III ; Joannes autem Struma Callistus III.

(10) Hic ex Canonico regulari et priore Lateranensis monasterii, primum ab Eugenio III presbyter cardinalis, tum ab Adriano IV episcopus Portuensis creatus est. Post mortem Adriani exorto teterrimo schismate, Alexandrum III summum pontificem creandum curavit, eique constantissime adhæsit, vir singularis prudentiæ, multis et magnis D legationibus sub Eugenio III, Adriano IV et Alexandro III perfunctus est.

(11) Ita dictus est quod ex nobili familia Pisis ortus esset. Jam subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, ad ordinem Cisterciensem transierat : unde assumptus, cardinalis presbyter SS. Nerei et Achillei ab Eugenio III creatus est. Legatus ab Adriano IV in Siciliam pro causa inter ipsum et Guillelmum Siciliæ regem missus est ; tum ad Fridericum imperatorem, postea ab Alexandro III in Angliam ad Henricum II regem, ut Thomam regni cancellarium induceret ad Cantuariensem archiepiscopatum suscipiendum. Magnæ vir sanctitatis, obiit sub Alexandro III circa ann. Domini 1178.

(12) Erat hic Romanus cognomento Bobo, car-

[62] I Reg, 5. [63] Cap. 14. [64] Job. 20. [65] Psal. 77. [66] Psal. 108.

Humbaldum episcopum Ostiensem? (13) respuerunt homines pacis, et hominem dissensionis et scandali erexerunt. Sane notare hic possumus problema Joathan de filiis Gedeonis, de quibus sibi ducem eligere filii Israel volentes, contemptis filiis legitimis, Abimelech spurium, et crudelem judicem elegerunt, juxta cujus verbum, ligna silvarum, non elivam, non ficum, non vitem, sed rhamnum elegerunt sibi in regem, et egressus est ignis de rhamno, et devoravit cedros Libani [67]. Egressa est ab Octaviano malitia, quæ totum orbem tumultuose concussit, sed tandem manus Domini per ministerium linguæ vestræ præter spem, et super vota omnium, omnia virtute ineffabili tranquillavit. Vester sum, et utinam se offerat opportunitas, ut me probetis per experientiam vestrum esse. Adhuc memoriter teneo quam pie, quam misericorditer me ab exsilio revertentem vagum et profugum apud vos exceperitis, nudum cooperuistis, pavistis famelicum, et, ut multa paucis includam, in me totum misericordiæ senarium complevistis [68]. Ille pro me vobis retribuat, qui bonorum retributor est operum, et pauperum fidejussor.

EPISTOLA XLIX.

AD DECANUM CARNOTENSEM, ET ARCHID. BLESENSEM.

ARGUMENTUM. — *Multis verbis deplorat canonicorum quorumdam Carnotensium amicorum et collegarum suorum nequitiam, quod, ut ipsum præpositura Carnotensis dignitate spoliarent, patrem suum etiam infamare conati fuerint; cujus innocentiam hic tuetur.*

Clarissimis amicis et sociis G. decano Carnoten. et G. archidiacono Blesensi P. Bles. Bath. archid., salutem et viscera compassionis induere.

Patior, patior vehementer, et non est, qui compatiatur, qui misereatur afflicto. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem, vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* [69]. Diu laboravi in gemitu meo, sed nunc materiam gemitus deduco in publicum: ideo et verba mea dolore sunt plena. *Exitus aquarum* deducunt *oculi mei* [70], et torrentes effluunt lacrymarum. *Sagittæ* enim *Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum* [71]; et torrentes A iniquitatis alienæ conturbaverunt me. Utinam apuriantur cataractæ miseri capitis mei, et totus in lacrymas fluam; multis enim solatio sunt lacrymæ, et ex parte maxima magnitudinem doloris imminuunt. Dolor siquidem speciem ignis gerit, quia dum plus tegitur, plus ignescit. Si me Dominus in amissione rerum temporalium, aut amicorum morte, aut in afflictione proprii corporis flagellasset, totum æquanimiter sustinerem; sed plagam sentio, quæ ad interoria cordis mei penetrat; nec minus augustior, quam si quis mea viscera a me violenter avellat. Nonne viscera mea amici mei sunt, quos fovuo et qui me fovent in obsequiorum dulci commercio, in identitate affectuum, sine quibus omnis cogitatio mihi esset tædium, omnis operatio labor, B omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum. Quibus vivo, nisi amicis? sine quorum solatio mihi vivere esset mori.

Hæ sunt cruces, amici mei charissimi, quibus amicus vester affligitur. Hæ sunt angustiæ, quas deplorat, quoniam amici ejus conversi sunt in arcum pravum, ut sint *inimici hominis domestici ejus* [72]. Illi, de quorum dilectione confidentius præsumebat, et ad quos diligendos totam effuderat animam suam, facti sunt hostes ejus in capite. Domini nostri Carnotenses, quorum frater et concanonicus eram, quos ex tots interiore homine diligebam, verbum iniquum constituerunt adversum me. *Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea* [73]. In causa siquidem, quam habe- C bam adversus R. Saresberiensem (14) super præpositura Carnotensi, quam adhuc mihi vindico tanquam meam, judicibus nostris infames litteras porrexerunt, meique patris vitam nequissime depravantes, sic nomen meum denigrare conati sunt. Contra mortuum, et adversus innocentem *insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* [74]. Deum testor, et innocentiam Christi, patrem meum vixisse innocenter et sancte; fuit enim homo *simplex et rectus, ac timens Deum* [75], sine querela et dolo, et mansuetus, et mitis, et humilis. Quod quidem non adeo confidenter assererem, nisi quia id ipsum vos et tota provincia cognovistis.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

dinalis diaconus a Cœlestino II creatus. In schismate Octaviano pro legitimo pontifice Alexandro III fortiter stetit. Variis legationibus prudenter et summa cum laude gestis, tandem post obitum Clementis III in summum pontificem electus est, dictusque Cœlestinus III sedit annis circiter sex, obiitque an. 1198. Ex Baronio in fine tomi XII.

(13) Cognomen ipsi Allucingolus, natione Tuscus fuit. Creatus est primum presbyter cardinalis S. Praxedis ab Innocentio II. Tum ab Adriano IV episcopus Ostiensis, multas legationes egregie obiit, sed præcipue prudentia ejus enituit, ubi Fridericum imperatorem schismatis Octaviani fautorem, ad legitimi pontificis obedientiam revocavit. Tandem post Alexandrum III ad summum pontificatum D evectus, dictusque est Lucius III. In quo sedit annis IV cum dimidio.

(14) Quis sit ille R. Sarisberiensis, incertum est: Nam designari Reginaldum Sarisberiensem, ut auguratur Busæus, probabile non est, cum ille amicissimus fuerit Petri Blesensis, ut patet ex epistoli. ; atque ex eo etiam, quod ex archidiacono Sarisberiensi ad episcopatum Bathoniensem provectus fuerit. Quod autem fuerit præpositus Carnotensis, ne verbum quidem apud historicos. Neque etiam dici potest intelligi Robertum nepotem Joannis Sarisberiensis, cum quo summa necessitudine junctus erat, et quem tantopere avunculo suo tunc episcopo Carnotensi commendaverat, epistol. 70.

[67] Jud. 9. [68] Matth. 25. [69] Job. 19. [70] Psal. 118. [71] Job. 6. [72] Matth. 10. [73] Psal. 108. [74] Psal. 26. [75] Job. 1.

Indubitanter scitis, quod si pater meus fuisset litteris imbutus, prudentia ei sancta ejus conversatio copiosissime suffecisset ad regimen eminentissimæ dignitatis. Confidenter extollo et prædico patrem meum, cujus me malo filium exstitisse, quam illius nobilis proditoris, a quo noster æmulus, sicut scitis, jactitat se fuisse progenitum. *Nihil equidem mihi conscius sum* [76], nec vos apud vos aliquid invenire possetis, unde posset esse notabilis pater meus, nisi quia non fuit de ditioribus regionis. Certe virtus in divitiis non consistit; nam *ecce peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias* [77]. Eum tamen satis judico divitem exstitisse, cui et suis et pauperibus Christi, quorum se ministrum devotissimum semper exhibuit, suæ facultates sufficerent abundanter. Satis commendabiliter dives fuit, qui in ædificiis, in terris, in pratis et vineis abundavit. Sane, etsi pauperrimus exstitisset, nobilitatis tamen titulos paupertas non adimit. Sicut publice notum est, pater meus et mater mea de optimatibus minoris Britanniæ traxerunt originem. Nec istud ad jactantiam dico, sed ut obstruatur os loquentium iniqua, qui de sua nobilitate satis degenere detrahendi sumunt audaciam. Veram quidem et commendabilem reputo nobilitatem, cum generis claritate virtutem : cujus omnino exortes sunt, qui patri meo objiciunt sui exsilii paupertatem. Nonne exsulavit Brutus? Nonne exsulavit Æneas? in eorum tamen exsilio non degeneravit Trojana nobilitas. Illud pro certo comperi : quod si quid turpitudinis, vel in me, vel in patre meo cognovisset æmulus libentissime illud in publicum deduxisset. Ego autem bene conscius mihi, et nihil tallium suspicatus.

Non exspectato vulnus ab hoste tuli [78].

In domo Dei, in ecclesia Beatæ Virginis Carnotensis, cujus canonicus eram, amicus illius esse credebar, cujus erant contra me omnes cogitationes in malum, qui sub lingua blandienti, venenum aspidum nutriebat. *Quod si inimicus homo maledixisset mihi, sustinuissem utique : tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos, et in domo Dei ambulavimus cum consensu* [79], dilexisti me in ore tuo, et in lingua tua mentitus es mihi, magnificans super me supplantationem, et proditoriis adinventionibus commaculans innocentem. Vide, Domine, et considera; audi voces adversariorum meorum, et judica causam meam. Tu omnia scis, tu nosti innocentiam meam, et quia odio habuerunt me gratis. *Tu scis improperium meum et confusionem meam et reverentiam meam. In conspectu autem tuo sunt omnes, qui tribulant animam meam* [80]. Avertantur, quæso, retrorsum, et erubescant, qui persecuti sunt me, hominem inopem, et mendicum, et animam afflictam saturaverunt opprobriis. Proposueram certe in ecclesia et obsequio Beatæ Virginis et morari et mori. Desiderium mihi erat ecclesiæ necessitates in me surcipere, meisque pro ea militare stipendiis, vivere omnibus, atque labore et incommoditate proprii corporis commoditates omnium procurare. Nunquid redditur pro bono malum? quia foderunt mihi amici mei foveam in præcipitium atque in necessitate mea proximi mei adversum me steterunt. *Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ* [81]. *Domus nativitatis meæ*, juxta verbum alterius prophetæ, *facta est mihi sicut caverna leænæ, et sicut habitatio struthionum* [82]. Quia vero *nemo acceptus est propheta in patria sua* [83]. Quia vero *nemo acceptus est propheta in patria sua* [83], Dominus in exsilio mihi patriam faciat, et qui deduxit me velut ovem Joseph, ipse in loeo peregrinationis meæ, per semitas misericordiæ suæ me deducat. *Bonus es, Domine sperantibus in te, animæ quærenti te* [84]. Machinati suut hostes mei domestici supplantare me, et a præpositura Carnotensi omnino avertere. Sed ne averteretur humilis factus confusus, repulsam et opprobrium meum majore et uberiore beneficio (15) redemisti. Sic Jacob pro Rachele data est Lia fecundior [85]. Sic David pro Merob, quæ data est Hadrieli Malathitæ, data est Michol dilectior [86]. Ego autem donum Dei altissimi, et quidquid circa me benigne disposuit, gratanter accepto, votis meis reputans plenissime satisfactum, si eos humiliet, quorum superbia semper ascendit, et mendaces ostendat, qui maculaverunt innoxium. Vos autem, charissimi domini et amici, si nostras non pueritis injurias vindicare, patienti saltem animo effectum compassionis impendite.

EPISTOLA L.

AD H. BAIOCENSEM EPISCOPUM (16).

[A. D. 1170.]

ARGUMENTUM. — *Henrico Bajocensi episcopo persuadere conatur ut G. Camerario abbatis, qui sui defendendi causa eædem fecerat, satisfactionem offerenti ignoscat ; tum quia Christus pœnitentes recipit ; tum quia præceptum diligendi proximum ita postulet.*

Reverendo Patri ac domino H. Dei gratia Baiocensi episcopo, suus P. Bles. Bath. archid., salutem et visceribus pietatis affluere.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(15) Videtur loqui de archidiaconatu Bathoniensi: Nullum enim uberius habuisse eum beneficium constat.

(16) Fuit hic primum decanus Sarisberiensis. Ex quo conjicio eum fuisse Angelum; quin etiam ex epistola 201 Joannis Sarisberiensis, qua ipsi Henrico promotionem suam ad episcopatum Baiocensem gratulutur his verbis : « Audio, Pater, et gaudeo, quod pro merito vobis universa succedunt : et qui decanorum nomen et ordinem, dum licuit, honorastis, nunc vestrarum splendore virtutum in terra aliena usque ad multorum invidiam pontificis illustratis officium, » etc. Ex quibus apparet quantus vir a quanto viro laudetur. Fuit certe vir prudens, gregis sui custos vigilantissimus, et in renovandis augendisque Ecclesiæ suæ rebus studiosis-

[76] I Cor. IV. [77] Psal. 72. [78] Ovid. *Ep. Hyps.* [79] Psal. 54. [80] Psal. 68. [81] Psal. 68. [82] Job. 30. [83] Jer. 50. [84] Luc. 4. [85] Gen. 29. [86] I Reg. 18.

Auditur hodie, quod non est auditum a sæculis, quia desævit in agno crudelitas. et in lupo sævitia mansuescit. Novit fere universitas orbis, quod præ cunctis mortalibus præcipue et singulariter pietatis gratia et spiritu mansuetudinis abundatis; ideoque et omnibus vertitur in stuporem, quare G. camerario abbatis Cadomensis, qui in multa cordis contritione et humilitate pœnitentiæ omni satisfactioni se offert, ita vos durum et inexorabilem exhibetis.

Quod hominem interfecerit, non inficiatur; sed quia hoc fecit provocatus ab hostibus, et ob tutelam proprii corporis, mortisque paternæ vindictam, plurimum de quantitate criminis receditur. Nam et dominus rex, qui hujusmodi excessus præ cunctis hominibus districte et terribiliter punit, eum ad gratiam suam, et ad solum natale restituit. Porro ubi materialis gladius misericors est, gladius Ecclesiæ inhumanus esse non debet; sanctorumque clamat auctoritas, securius nobis esse, si propter misericordiæ humanitatem, quam si propter districtiorem justitiam judicemur. Recipe, quæso, ad pœnitentiam hominem humiliatum, et corde compunctum, ne, si forte claudatur ei sinus misericordiæ, incidat in desperationis abyssum. Gratius siquidem A acceptat Deus pœnitentiam peccatoris humilis et contriti [87], quam innocentiam justi tepidi et remissi. Sed et majus gaudium est angelis Dei *super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* [88]. Cum in sacro eloquio per ovem innocentia simplicis vitæ, per capram vero peccantis immunditia designetur; ovis tamen in lege Domini longe ab ostio tabernaculi jubetur offerri [89]. Capra vero, quæ pacifica hostia est, in ipso ostio, unde ovis elongata est, immolatur. Sacra enim Scriptura ubique invitat et recipit ad pœnitentiam peccatores. Elongantur autem a sanctuario, qui vacuam et torpentem innocentiam ducunt; atque familiarius admittuntur in sinum matris Ecclesiæ, qui malitiam per pœnitentiam for- B titer absterserunt. Vides Dominum comedentem et bibentem cum peccatoribus, et publice protestantem: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* [90]. Habes David, habes Petrum, habes publicanum, habes Paulum, qui primam meritorum gratiam fructuosa pœnitentia transcenderunt. Christus exsurgens a mortuis, non suæ matri virgini benedictæ, sed Mariæ peccatrici, *de qua septem ejecerat dæmonia* [91], prius dignatus est apparere (17). Capra igitur non abjiciatur ab ostio tabernaculi, sicut

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

simus, ut patet ex multis donationibus, quarum exempla habentur in archivis capituli Baiocensis, ex quibus aliquas ad calcem notarum apponemus Interfuit quidem coronationi Junioris Henrici, sed ex jussu regis patris, qui « sub prætextu ordinandi regni, proceres Angliæ et Northmanniæ Lundonias convocaverat, » inquit Processus, l. II, cap. 29. Obiit autem Henricus ex Chronico Cadomensi, anno 1205, postquam XL ferme annis Ecclesiam Baiocensem summa cum laude gubernaverat.

(17) Auctor id vere pronuntiat post Scripturas et Patres. Marc. XVI: « Surgens autem mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ. » Ambrosius, serm. 54: « Maria vero Magdalena, quod arctius diligebat Jesum, quia juxta sepulcrum perseveravit, Dominum prima omnium vidit, et apostolis nuntiavit. » Augustinus concione 2, de II parte psalmi LXVIII: « Usque adeo contristati sunt (discipuli) ut illa Maria Magdalena, quæ primo eum vidit, gaudens lugentibus nuntiaret quid viderit. » Cyrillus Alexandra lib. XII in Joann. cap. 1, ad hæc verba: « Vade autem ad fratres meos, » etc. Οὐκ ἐφίησι θίγειν τῆς ἑαυτοῦ σαρκος, καίτοι σφόδρα διψήσασαν τούτου τυχεῖν ἐκ φιλοθείας τὴν Μαριάμ, ἀμείβεται δὲ τῆς προσεδρείάς αὐτῆν, καὶ τῆς οὕτως ἐκτόνου πίστεως, καὶ ἀγάπης δίπλουν ἀπένειμε τὸν μίσθον, οὐκ ἄκαρπον τοῖς ἐσπιτηδευουσιν ἀποδεικνὺς τὴν εἰς ἑαυτὄν εὐσέβειαν; καὶ τόγε τούτων εστι λαμπρότερον; ἐν αὐτῇ γὰρ καὶ πρώτη φημί δὴ, τῇ Μαριὰμ σύμπαν ὡς ἐιπεῖν τὸ θῆλειον γένος δίττη στεφανουται τιμῇ, καὶ τῶν ἀρχαίων ἀρροστημάτων ἐκυμίζετο τὴν διάλυσιν, πρώτη γϟρ οὕτω θρηνήσασα, καὶ τῶν δακρύων τὴν πρόφασιν λαβοῦσα Χριστὸν μεθιστη τὸ πένθος εἰς θυμηδίαν. Hoc est: « Non sinit Mariam tangere carnem suam, quamvis ob singularem Dei amorem id illa percuperet. Sed perseverantiæ mercedem ei reddit, ac tam firmæ fidei ac dilectionis duplex præmium C rependit, pietatem erga se non infructuosam ejus cultoribus esse ostendens: Et (quod his adhuc illustrius est) in ea prima universum, ut semel dicam, feminarum genus duplici honore coronatur, ac veteribus morbis exsolvitur. Prima quippe ob Christum in luctus effusa mœrorem vertit in gaudium, » etc. Gregorius, homil. 35 in Evangel.; « Amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit, ardebat desiderio: unde contigit ut eum sola tunc videret, quæ remanserat ut quæreret, quia nimirum virtus boni operis perseverantis est. » Et infra: « Ecce humani generis culpa ibi absconditur, unde processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulcro mulier viris annuntiat vitam, et dicta sui vivificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narraverat: Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De qua manu vobis illatus est potus mortis, de illa suscipite poculum vitæ. » Si B. Virgo prima D redivivum filium suum intuita fuisset a sepulcro, tanquam secunda Eva vitam viris annuntiasset. Beda, in c. XVI Marci: « Quæ ergo a septem dæmonibus curata, hoc est, ab universis erat liberata sceleribus, prima resurgentem a mortuis Dominum vedit, ne quisquam digne pœnitens de admissorum venia desperaret, videns eam quæ tot ac tantis quondam erat subdita vitiis, in tantum culminis subito merito fidei ac dilectionis esse promotam, ut ipsis evangelistis atque apostolis Christi prima illa miraculum patratæ resurrectionis evangelizaret. » Alcuinus lib. VII in Joan. c. 41, et Anselmus, seu quis alius auctor *Enarrationum in Matthæum*, idem iisdemque verbis habent quod Gregorius modo relatus. Suffragantur nostræ sententiæ Martyrologia Bedæ, Notkeri, et Romanum. Cajetanus laudatos Patres sequitur ad c. XVI Marc., v. 9. « Magna Dei gratia erga peccatores significatur, quod primo voluit peccatrici, et tali peccatrici (scilicet quæ fuerat subjecta omnibus peccatis significatis per

---

[87] Psal. 50. [88] Luc. 15. [89] Lev. 3. [90] Matth. 9. [91] Marc. 16.

ovis, quia Deo et angelis ejus gratior est peccatoris conversio, quam tepida simplicitas innocentis. Si pœnitenti sinus misericordiæ præcludatur, vereor ne *novissima hominis* fiant *pejora prioribus* [92], et anima ipsius propter duritiam vestram a vobis durius requiratur. Tota die petimus nobis peccata dimitti, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. A Periculosa est ei oratio Dominica, qui peccata proximo non dimittit. *Dimittite*, inquit Dominus, et dimittetur vobis [93]. *Mensura, qua mensi fueritis*, inquit, *remetietur vobis* [94]. Id ipsum docet poeta theologus Prosper, dicens :

Dei peccatori veniam peccator, ut æqua
Conciliet Dominum conditione sibi.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

septem dæmonia) apparere. » Hæc si Busæus paulo attentius perpendere curavisset, intellexisset profecto, quo fundamento nixus auctor noster scripserit. Christum prius apparuisse primo Mariæ Magdalenæ quam Mariæ matri suæ benedictæ. Verum quo fundamento nixius idem Busæus post aliquot neotericos scribat, Christum prius apparuisse Mariæ matri suæ quam Mariæ Magdalenæ, non satis intelligo. Evangelista absolute asserit Christum apparuisse primo Mariæ Magdalenæ. B Quid ad hoc Busæus ? « Institutum, inquit, evangelistarum fuit non omnes apparitiones, sed eas tantum referre, quæ valuissent ad confirmandos incredulos et dubitantes, inter quos non erat annumeranda D. Virgo. » At ego quæro quo fundamento nixus id asserat? Certe invalido. Sed esto evangelistæ, non omnes apparitiones Christi retulerint. Esto Christus Dominus apparuerit matri suæ. An ex eo consecuturum est apparuisse ei primo, contra Scripturam quæ docet apparuisse primo Mariæ Magdalenæ? Age vero, Busæum audiamus proferentem menta quibus opinionem suam stabilit. « Si vero, inquit, traditionem veterum, ipsamque veritatem consulamus, dicendum est, prius matri suæ benedictæ, quam Mariæ peccatrici Christum apparuisse. Ita enim docet Rupertus Tuitiensis abbas, lib. VIII, (*scribere debuit* VII.) *De div. offic.*, c. 25. B Hildefonsus serm. 5. De Assumpt. B. Virginis. Simeon Metaphrastes, in C orat. de vita et dormitione B. Virginis B. Anselmus, l. *De excellentia Virginis*, c. 6 ; B. Brigitta, l. VI *Revel.* c. 94, et in sermone angelico de excell. B. Virginis, c. 19. » O præclaram antiquorum Patrum traditionem, veritatem bene fundatam, quæ verbo Dei, quæ sanctorum Patrum Ambrosii, Augustini, Cyrilli Alexandrini, cæterorumque auctoritati verbisque repugnat ; quæ denique a nono duntaxat sæculo exordium ducere fertur, sed temere ac falso dicitur initium sumere ab eo sæculo. Hildefonsus, serm. 5, de Assumpt. non ait Christum apparuisse prius matri suæ quam Magdalenæ. Hæc tantum habet : « Circa sepulturam vero Dominicam multo magis quam mulieres illas sanctas quidam dicunt fuisse sollicitam : quorum opinionem, nisi fallor, astruere videtur Sedulius poeta evangelicus, orator facundus, scriptor Catholicus. » Refert Hildefonsus sententiam aliorum, non suam, Neque hæc sententia cujus meminit, astruit Christum prius matri suæ, quam aliis mulieribus D visum fuisse. Sic a Sedulio *Carm*. V libro explicatur:

Hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ, notum venere gementes
Ad tumulum.

Quibus ex verbis hoc unum, vel ipso fatente Busæo, inferri potest, quod mater sanctissima filium non prius, sed simul cum cæteris mulieribus viderit. Adde quod Sedulius adjunxit Mariam cæteris mulieribus per errorem, quo existimavit eam esse, quæ Matth. XXVIII dicitur altera Maria. Denique hæc ejus verba :

Venere gementes
Ad tumulum.

non satis conveniunt cum ea fide quam Deipara de resurrectione Domini habuit.

Metaphrastes, ut recte Bellarminus l. *De Scrip. eccles.* observat, scribendo historias Vitasve sanctorum, multa addidit ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Tam verum est autem quod scribit, Mariam virginem primam vidisse resurgentem filium, quam verum est immediate quod ante scripserat eam perpetuo assedisse sepulcro, ac inde contigisse ut prima eum videret.

Anselmi objicitur auctoritas petita e libro *De excellentia Virginis*. Verum liber iste, vel Bellarmino subscribente, non est Anselmi : « Opusculum, inquit ille, de excellentia B. Virginis, non videtur Anselmi, non solum quia ejus non meminit Edmerus, sed etiam qui non habet stylum et gravitatem Alselmi. »

Rupertus dubitanter, non assertive, ui aiunt, loquitur : « Cum redivivus filius, inquit, illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, » etc. Conjicere possumus id accidisse, ne filius matrem suam inhonorare videretur, si ei mox ut resurrexit non apparuisset ; quæ profecto ratio est levissima : Nam qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram, debuit redivivus primo apparere iis, quorum fides vacillabat, quique testes futuri erant idonei resurrectionis. At Virgo deipara firmissima et inconcussa fide pollebat, et propter dignitatem maternam haud satis idonea testis exstitisset resurrectionis filii sui apud infideles. In his quæ Patris sui erant, oportebat Christum esse, matris postposita consideratione. Et si mulieres in mandatis ab angelo habuere, ut annuntiarent nominatim Petro, quia Christus resurrexit a mortuis, non est existimandum honoris tantum causa id esse factum, eo quod ille primatum esse consecuturus, sed necessitatis, eo quod ter Dominum negaverat. Unde Greg. hom. 21 in Evangel., et post eum Beda in c. XVI Marci : « Quærendum nobis est cur nominatis discipulis Petrus designatur ex nomine? Sed si hunc angelus nominatim non exprimeret, qui magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione. » Et Cajetanus : » Negaverat Petrus Jesum : et propterea angelus nominem, nominat, nisi Petrum, tum ut magnam Dei erga peccatores gratiam commendet, tum ut Petrus audita ex ore mulierum angelica voce animæquior fiat. » Absit ut reclamantibus Scriptura et traditione factum a Christo dicamus, quidquid honoris causa sic ab illo decuisse fieri mens sibi humana levioribus ducta ratiunculis persuadet. De revelatione autem B. Brigittæ facta nihil aptius dici potest quam quod Cajetanus tractatu *De conceptione B. Virginis*, c. 5, ait : « Novæ revelationes contra tot sanctos et antiquos doctores angelum lucis in angelum Satanæ transformatum, aut phantasias, vel etiam figmenta sapientibus ingerere videntur, » etc.

Cæterum notandum est Busæum in sua editione post illa verba, « sed Mariæ peccatrici, » adjecisse hæc duo, « ut puto, » ad firmandam, opinor, suam

[92] Matth. 12. [93] Luc. 6. [94] Matth. 7.

Quod si adversus præfatum G. Camerarium aliquid rancoris aut odii concepistis, benigne, quæso, et charitative remittite. *Charitas* enim *benigna est* [95]. Neque ullus in vobis charitatis est locus, si adversus proximum rancor vel odium retinetur. Sed nec bene diligimus Deum, nisi diligatur proximus propter ipsum. Dilectio quidem bipartito affectu se dividit, quæ a proximo incipiens in Deum se porrigit unicus in eo diversitates affectuum, quem et in quo principaliter causam totius dilectionis instituit. Cum autem velit Dominus diligi propter proximum, non propter se : bonorum enim nostrorum non eget; ab ipsius tamen voluntate non recedimus, si diligimus proximum propter ipsum : imo divinæ resistimus voluntati, si proximum non diligimus propter Deum, cum Dominus in eo diligi petat, et sit in negotio diligendi tanquam Christi vicarius. Ex dilectione proximi nostros Deus metitur affectus. Quomodo enim diligimus Deum, quem non videmus, si proximum non diligimus, si proximo non compatimur quem videmus [96]? Sic ergo Deus proximum in participium et societatem dilectionis admittit, ut nec eum sine se, nec se sine illo diligi velit. Nam dilectio nihil prodest nisi combinata sit, omnemque singularitatis calumniam evacuet Hinc est, quod coccus, qui in veste sacerdotali ponendus erat, bis tingi præcipitur [97]. Hinc est, quod Elisæus doctoris sui spiritum in se postulabat duplicari [98]. Hinc etiam pars similæ, quæ offertur, concrematur Domino in altari, pars autem Aaron et filiorum ejus usibus reservatur; in quibus gemina notatur dilectio, ut nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligatur. Si ergo diligitis, imo quia diligitis Deum, odium quod concepistis erga præfatum G. transferatis in dilectionem et gratiam propter Deum.

A Vos qui viam perfectionis et inceditis et docetis, non decet fovere odium, nisi quod propheta commemorat : Perfecto, inquit, odio oderam illos. Odium quidem perfectum, sive perfectorum est, si peccatum in homine, non hominem in peccato habeamus exosum. Publice dicitur, et vos tamen id ipsum forsitan ignoratis, quia quidam ex vestris in res ejus hæreditarias oculos injecerunt, ideoque contra eum animum vestrum turbant. Vulgo enim dicitur [99] : Aqua turbida piscosior est; ipsique de vestra turbatione fructum successionis exspectant. Verumtamen, cum nec Deus nec Ecclesia judicet bis in idipsum, multis absurdum videtur, quod G. post satisfactionem pœnitentiæ in bonis patrimonialibus puniatur.

EPISTOLA LI.

B AD JO. (18) SARISBERIENSEM EPISCOPUM.

[A. D. 1170?]

ARGUMENTUM. — *Monet episcopum, ut liberet fidem suam in persolvenda pecunia, si honori suo consultum velit. Deinde ne nepotes suos æquo blandius tractet.*

Venerabili Patri, ac domino Jo. Dei gratia Saresberiensi episcopo, P. Blesensis Bath. archidiac., salutem et veritatem.

Certissime mihi promiserat vestra benignitas, quod nepotes vestros infra natale Domini proximum erudiendos mihi mitteretis Parisios, et per eos debitum, quod mihi debetis, annuum solveretis. *Exspectans exspectavi Dominum meum, nec intendit mihi* [100]. Adhuc etiam promissam exspecto gratiam, C fortasse sicut Arturum Britannia (19), sicut Judæa Messiam. Donatia quidem gratuita prius fuit et liberalis; sed quia in promissione Scripturæ vinculum intercessit, ut annuum fieret beneficium, gratiam in necessitatem debiti convertistis. Utinam nun-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

de Christi apparitione B. Virgini sententiam, arrepta scilicet occasione unius tantum ms. codicis Herbipolensis vitiosi. Verum ea merito expunximus, cum desint in omnibus tam editis quam mss. nostris codicibus, quorum 16 saltem evolvimus, sicut et in sex aliis quibus ipse Busæus usus est.

(18) Jocelinus, patria Longobardus, ex archidiacono Wintoniensi factus est episcopus Sarisberiensis anno Christi 1139, ex Simeone Dunelmensi in Historia Anglicana. Hic initio persecutionis contra S. Thomam exortæ, pro eo fortiter stetit : Unde apud Harpfeldium in *Historia Ecclesiæ Anglic.* et apud Baronium ex *Historia quadripartita* de eo ita habetur : « Bartholomæus Exoniensis episcopus procidens ad pedes domini Cantuariensis, ait : Pater mi! miserere tui, miserere et nostri. Omnes enim hodie perimus odio capitis tui. Exiit namque edictum a rege, ut qui amplius cum Cantuariensi staret, publicus hostis judicaretur, in capite puniendus. Dictum est etiam quod Jocelinus Sarisberiensis episcopus, et Willelmus Norvicensis episcopus, quia adhuc restiterant, traherentur statim ad supplicium in membris mutilandis; qui et ipsi pro salute sua Cantuariensem rogabant. » Verum postea in S. Thomæ offensam graviter incurrit, quod Henrici Junioris coronationi, contra jus Ecclesiæ Cantuariensis factæ, interfuisset, propereaque ab ipso Thoma excommunicatus est. Post mortem tamen S. Thomæ, intercedente Henrico rege, ab excommunicatione solutus est, datis super hac re ab Alexand. III ad Bituricensem et Nivernensem episcopos litteris, quæ referuntur apud Bromtonem et Baronium ex Rogerio ad ann. 1172. Scripserat etiam in ejus gratiam Arnulfus Lexoviensis episcopus ad D Alexand. III, eumque a calumniis, quibus ob S. Thomam impetebatur, purgaverat, asserens eum virum honestum, prudentem, ac pium, « in initio tempestatis inter coepiscopos scopo illi, videlicet S. Thomæ studiosius adhærentem, multas injurias pro libertate Ecclesiæ, et ipsius gratia pertulisse. » Cæterum dissidium inter eos non tam ex coronatione junioris regis processisse videtur, quam ex eo quod Reginaldus archidiaconus, filius ipsius Jocelini, ab Henrico patre ad summum pontificem contra S. Thomam missus fuerat, unde vir sanctus in Reginaldum vehementer. excanduerat, ut patet ex ipsius Epistola apud Baronium tom. XII, ad an. 1168.

(19) De eo vide quæ diximus ad Epistolam 34.

[95] I Cor. 13. [96] I Joan. 4. [97] Exod. 27. [98] IV Reg. 2. [99] Vide *Adagia manu*, p. 1139. [100] Psal. 32.

quam fuisset hæc pecunia, cujus exspectatio tandiu A animum meum torsit; in cujus spe ego diffusiores expensas faciens me debitis usurariis oneravi. Si simplex promissio præcessisset, circumspectius expendissem, et usus fuissem leviter levi verbo. Nunc in libro experientiæ lego, quam sancta et efficax sit eruditio evangelicæ veritatis. *Sit*, inquit, *sermo vester, Est, Est, Non, Non; nam quod amplius est, a malo est* [1]. Hoc malum nunc sentio, cui charta episcopi, et vehemens ipsius assertio causam dedit. Verba tamen episcoporum, qui apostolorum sunt filii et hæredes, vim juratoriam in se habent, ut in eis jusjurandum sit, quod est verbum simplex in aliis; et quod in aliis est simplex mendacium, perjurium aut sacrilegium sit in illis. Attendite quid dicat Doctor Ecclesiæ : *Nunquid*, inquit, *levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sint apud me, Est et Non* [2]*?* Promittentibus et B non solventibus convenit vox illa Isaiæ prophetæ dicentis : *Ecce vos ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est* [3]. Magna debet esse in promissione discretio; inanis enim promissio multoties de familiaribus amicis sibi comparat inimicos. Porro si cogitatis vestris promissionibus stare, nec mihi accepta, nec vobis honesta est ista dilatio, testimonio poetæ :

Dilatio magna ruina est :
Et mora donandi non leve crimen habet.

Ne dicas amico tuo, dicit Salomon [4]. *Vade et cras revertere, et dabo tibi, cum statim possis dare.* Cras, cras, vox corvina est; nec Deo, nec hominibus grata est promissionis iteratio frequens. Et hoc ipsum credo Salomonem sensisse, cum dicit : Fili, *ne iteres verbum in* ore tuo [5]. Date igitur, reverende Pater, voci vestræ vocem virtutis, et affectus liberales effectus adimpleat, ne labia Evangelio consecrata possit arguere mendacii charta concepta in testimonium veritatis.

Illud autem vehementissime reprehendo, quod nepotes vestros, qui se in castris scholaribus exercere debuerant, fovetis in deliciis, palpatis blanditiis; sciatisque quod hæc omnia exinanitio sunt virtutum, et subversio honestatis. Adhuc vita eorum in incerto est, quia bivium Pythagoricæ litteræ nondum transierunt (20) ; ideo magis expediret eos corripi quam palpari. Scriptum est : *Qui parcit virgæ, odit filium* [6]. Heli cum filiis suis percussus est a Domino, eo quod filios suos minime correxisset : Dilexisti, dixit Dominus, magis filios tuos quam me [7]. Hodie pro filiis quos abstulit prælatis Ecclesiæ Deus, habere nepotes in dissipationem patrimonii Christi, et in suæ salutis dispendium permittuntur (21). Per-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(20) Pythagoras vitam humanam litteræ Grecæ Y C similem esse aiebat, primamque ætatem incertam esse, ut quæ nondum se vitiis aut virtutibus dedat, et hoc significari per imam litteræ partem. Bivium autem litteræ a juventute incipere, quo tempore homines aut vitia, id est sinistram partem, aut virtutes, id est, dexteram sequuntur. De hoc recte Virgilius aut quis alius in opusculo de littera Y.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem præferre videtur :
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem.
Difficilemque aditum primum spectantibus offert.
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta.
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

Unde et mythologi finxerunt Herculem, cum exacta pueritia ad pubertatis annos pervenisset, et duas vias cerneret, unam voluptatis, alteram virtutis, diu multumque dubitasse, utram ingrederetur, tandem rejecta voluptate arduam et asperam D virtutis viam ingressum esse. Legendus Xenophon l. II Ὑπομνημάτων, et ex eo Tullius, lib. 3 *De officiis*. Ad illud etiam alludit Persius, Satir. 3.

Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstrabit limite callem.

Nec non et Satir. 5.

Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error,
Diducit trepidas ramosa in compita mentes.

Videndi Casaubonus et alii commentatores in illa loca Persii.

(21) Cautum est sacris canonibus clericis et episcopis ditare de bonis Ecclesiæ suos consanguineos. *can. apostolorum* 40, *Antiocheni concilii* 25, Paris. 6, c. 16 : *Capitul.* l. v, c. 171. Ac denique in conc. Trident. sess. 25, *De reform.* c. 1, omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et apostolorum canones prohibeant ne res ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant nec dissipent illorum causa; imo quam maxime potest, eos sancta synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Ambrosius, l. 1 *Offic.* c. 30 : « Neque enim propterea te Deo dicasti, ut tuos divites facias sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua. Putant se parum poscere ? Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, et se juste facere putant. Et accusat quod eum divitem non feceris, cum te ille velit æternæ vitæ fraudare mercede. » Bernard. *tract. De vita et moribus clericorum*, c. 7 : « Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum, et sacrilega crudelitate eis subripitur quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique domini vel possessores, ultra victum accipiunt et vestitum. » Petrus Cantor *Verbi abbrev.*, c. 47 : « Da naturæ, quia homo, si indiget scilicet. Naturam autem quandoque carnalitatem et sanguinem vocamus : et consanguineis dabis de proprio, de patrimonio tuo, non Christi sanguine acquisito, cujus dispensatio credita est viris ecclesiasticis, ut illud pauperibus distribuant. Ob hoc enim præcepit Dominus in lege, ut talis eligeretur sacerdos et levita, qui dicerent patri et matri, non novi vos. Sed nunquid consanguineo meo bono et probo non dabo de patrimonio Crucifixi? Non, ut erigas eum columnam in Ecclesia, propter perniciem exempli. Non enim consideratur quod bono dederis, sed quod consanguineo, ut trahant in exemplum. Gratiæ da et præcipue de patrimonio Crucifixi : Gratis enim con-

[1] Matth. 5. [2] II Cor. 1. [3] Isa. 41. [4] Prov. 3. [5] Eccli. 7. [6] Prov. 13. [7] I Reg. 4.

niciosa est minoribus blanda majorum remissio. A Ideo dicit Sapiens [8]: *Filiæ tibi sunt*, vultum hilarem ne ostendas eis. Vestra benignitas eis ad omnes illecebras frenum custodiæ relaxavit. Ideoque vereor, ne vita eorum in primo flore degeneret, sicut in Job legitur [9]: *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, et quasi oliva projiciens florem suum.* Porro enormiter peccat, seque vitæ alienæ reum constituit, qui pueros in ætate tenera nimia familiaritate et suavibus verbis emollit. Cyrus Persicus, de quo ducentis et decem annis prius prædixerat Isaias, *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes* [10] et regna, Crœsum juxta Halym fluvium vicerat: cumque multæ illum fecissent victoriæ gloriosum, quia tamen gentem Lydorum prius bellicosissimam fecit B vacare comessationibus, ludis atque amplexibus, ut sic gentem eviraret acerrimam, a regina Massagetarum Tomyri victus et occisus est : quæ cum illius caput in utrem sanguine plenum misisset : « Bibe, inquit, sanguinem, quem sitisti. » *Apprehendite*, inquit David propheta, *disciplinam, nequando irascatur Dominus* [11]. Arguite et docete diligentius nepotes vestros, ne causam insolentiæ præstet nimis blanda et familiaris affectio. Informentur, quæso, ad opera honestatis, se sciant experientia quid sit peccatum, omnisque turpitudinis occasio præcidatur. Judas et Simon, sicut in libro Judicum legitur, regi Bezec, sive Adonibezec, qui eos infestabat, summitates manuum absciderunt [12] ; sic et nos motus pubertatis prævenire oportet, atque C iniquarum præscindere primitias actionum. Isti sunt parvuli Babylonis, quos ad petram, quæ Christus est, oportet allidi. *Beatus* enim, *qui tenebit et allidet parvulos suos*, scilicet Babylonis, *ad petram* [13]. Scriptum est enim ; quia *proni sunt sensus hominis ab adolescentia sua in malum* [14]. Amputetis igitur prurientem in tenera ætate malitiam : nam et spinarum plantaria facilius evelluntur, antequam coalescant.

EPISTOLA LII.

AD R. (22) CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

[A. D. 1178.]

ARGUMENTUM. — *Exponit Cantuar. archiepiscopo, a quo erat ablegatus ad regem, quantam tempestatem in mari sit perpessus; indicat ob beneficia ab eo accepta se nullum defugere laborem. Denique petit orari pro se, ut negotia commissa prospere apud regem transigat.*

Charissimo domino suo R. Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo, totius Angliæ primati, et apostolicæ sedis legato, P. Blesens. Bathon. archidiac., salutem in eo sine quo non est salus.

Me nuper ad obedientiam vestræ jussionis accinxeram, jamque licentiatus, et accepta vestræ benedictionis gratia recedebam, cum propter negotia quædam casualiter tunc emergentia revocastis me, ac firmiter injunxistis, ut vos frequentioribus nuntiis certiorarem de statu meo, et de his, quæ mihi in via contingerent. Descenderam ad mare, et navem ascenderam, cumque jam exposuissemus vela ventis, et vitam periculis ; ecce nix, grando, imber ac spiritus procellarum cœlos obduxerunt caligine, atque in terribiles aquarum montes maris deformavere planitiem. *Mirabiles* erant *elationes maris* [15], fluctus enim ascendebant in cælos, et descendebant in abyssos, et anima mea in ipsis tabescebat. Omnes qui in navi erant, *moti sunt et turbati sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* [16]. Ille, qui gubernaculo præerat, et sedebat in puppi, abjecta arte, et derelicta sede, navem fortuito commisit eventui. Universa patiebantur spiritum vertiginis, spiritum abominationis et nauseæ. Non erat qui manus, aut oculos in cœlum erigeret ; non erat qui porrigeret Deo preces, qui satisfactioni aut pœnitentiæ se offerret. Jacebant omnes destituti officio membrorum, aut animo consternati, et facti sunt velut mortui. Licet autem tunc æstivale solstitium ad incrementum dici plurimum de noctis spatio recidisset ; nunquam tamen nox aliqua adeo longa visa est mihi. Nam a meridie nox ista incepit, quæ tempus alienum sibi quadam tyrannide procellosa usurpans in suas tenebras lucem vertit. O nox damnatissima, nec in toto anni circulo computanda, nox turbinis, nox iræ, nox horroris et mortis. Tota nocte hac pessima fuimus in corde maris, et quasi in ventre inferni : donec desideratissimus solis ortus nobis clementioris auræ gratiam nuntiavit, placavit mare, qui imperat ventis

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

fertur. Unde et potius gratiæ, imo soli gratiæ debet D conferri, non naturæ, id est carnalitati. Unde in Vitis Patrum : « Mi abba, dabone eleemosynam parenti, filio, vel consanguineo ? Respondit abbas, « Non . Cur, mi abba ? Quia modicum sanguinis te « trahit. » Et postea : « Et nos de his eisdem dando sive propinquo, sive extraneo vel cuicunque, necessitatem respiciamus, ut nihil supra conferamus. Sed præponamne propinquum extraneo ? Non, si uterque æque indiget, propter perniciem exempli, sicut nec septem diaconi ad hoc consanguineos suos aliis præposuissent. Si objicis quia modo aliud tempus est, quidem est. Sed nos tamen sicut illi eorum quæ projiciuntur ante pedes apostolorum, dispensatores sumus, non domini. Necessitati ergo des, non sanguini. » Legimus de Benedicto XII apud Bernardum Guidonis, quod cum mercator quidam Tolosanus profectus fuisset Avenionem cum uxore sua nepte Benedicti, admissos ad colloquium ab illo audivisse, se quidem ut Jacobum Furnum illos agnoscere, at pontificem renuntiatum consanguineos et affines non habere, nihilque ab eo obtinuisse, præter sumptus in itinere factos, et qui domum reversuris essent necessarii.

Nota quod in Maz. I. post hæc verba « in salutis suæ dispendium habere permittuntur, adduntur hi duo versus :

Cumque Sator rerum privasset semine clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

(22) Richardo. De eo vide ep. 5.

[8] Eccli. 17. [9] Cap. 15. [10] Isa. 45. [11] Psal. 2. [12] Judic. 1. [13] Psal. 136. [14] Gen. 8. [15] Psal. 92. [16] Psal. 106.

et mari, statuitque procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus [17]. Et lætati sumus, quia siluerunt, et quia deduxisset nos Dominus in portum voluntatis nostræ. Ego autem quasi resurgens a mortuis die illa cibum non tetigi, omnem escam abominata est anima mea, ideo perendinavi sequenti die ; turbatus namque præ confusione sonitus maris et fluctuum non potui ad plenum de facili respirare. Hæc et his similia, quibus pro vobis vehementer affligimur, sollicita deberetis cogitatione revolvere, et pro quiete vestra durissimos labores patientibus affectum compassionis impendere. Verumtamen, sicut publice dicitur, illi, quid in otio apud vos torpent, et qui dies suos in desideriis et voluptatibus ducunt, hi apud vos fructum gratiæ uberioris inveniunt, atque in labores eorum ingrediuntur, qui pondus diei et æstus pro vestris necessitatibus portaverunt. Porro ego absens et præsens, munificentiam, vestram semper inveni magnificam vosque tanquam desideria mea præsagiretis, citra omnem postulationem, et supra omne meritum meum me in vestris benedictionibus assidue prævenistis. Eapropter, quoties meam invitaverit operam vestræ necessitatis articulus, non recuso laborem, pro vestro honore paratissimus ire in carcerem et in mortem. Dominus rex in Gasconiam tendit, ego autem diplomate utens eum evestigio sequor (23) : utinam sic possim currere, ut comprehendam ! Vos vero, Pater, oretis Altissimum, ut gratiam in oculis ejus inveniens negotiis vestris prospere et propere consummatis, ad vos cum exsultatione regrediar.

Bene valeant magni rustici nostri, magister G. (24) et archidiaconus Baiocensis : bene valeant et alii socii nostri, quorum singulorum sum totus, et omnium.

EPISTOLA LIII.

AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

[A. D. 1178 ?]

ARGUMENTUM. — *Richardus archiepisc. Cantuar. suis coepiscopis mandat ne exteros episcopos incertæ ordinationis sinant episcopalia obire munera, excommunicatosque denuntient, qui pontificis summi bullam, vel episcoporum sigilla adulterant.*

RICHARDUS Dei gratia Cantuar. archiep. totius Angliæ primas, venerabilibus fratribus et coepiscopis in Cantuariensi provincia constitutis, salutem in vero salutari.

Licet futura omnino vitare scandala non possimus, (*necesse est enim*, sicut legitur [18], *ut veniant scandala*); officio tamen nobis et vobis injunctæ administrationis incumbit, quantum possumus, scandalorum materiam præscindere, atque maturiore consilio periculis imminentibus obviare. Diu est, quod angelus Satanæ transfigurare se novit in angelum lucis, et in vestimentis ovium, atque sub adumbrata simplicitate desævit ab antiquo lupina rapacitas.

Sed et diebus istis quidam pseudoepiscopi Hibernienses, aut Scoticæ lingæ simulantes barbariem, cum a nullo impositionem manus acceperint, episcopalia populis administrant. Teste quidem Apostolo : *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [19]. Illi vero non per ostium, sed aliunde intrantes Ecclesiam Christi commaculant, et, ut vituperetur ministerium nostrum, præsumptione sacrilega dehonestant episcopalis eminentiæ sacramentum. Cum enim gratiam sacræ unctionis nunquam acceperint, celebrant ordines, ecclesias decibant, altaria consecrant, benedicunt abbates, et sic victum et vestitum misere mendicantes, sacramenta nostræ redemptionis miserabilem et lacrymabilem convertunt in quæstum. Quoniam igitur ex talium administratione in Ecclesia Anglicana multiplex occasio scandali jam emersit [20], eosque quorum ordinatio dubia est, sacri canones non admittunt [21], universitati vestræ mandamus atque præcipimus, quatenus per vestras diœceses generaliter prohibere curetis, ne tales ministrare permittantur episcopalia, qui barbaræ nationis sunt, atque ordinationis incertæ (25). Sicut enim non intelligitur præcessisse dedicatio vel baptismus,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(23) Similis est loquendi ratio epist. 59 : « Ad vos in eadem tempestatis insania diplomate utens remeanit, lege duplomate, » ex omnibus mss. nostris. Quid vero duploma hic ? Duplum iter, seu itineris festinatio, cum per dies singulos duo itinera conficiuntur. » Radulfus de Diceto in *Imag. Histor.* ad ann. 1172 : « Tanquam duplomate venit ad Porcestre. » Idem ad ann. 1179 : « Rex Anglorum pater Henricus subitum jus subito prænoscens adventum progressurus cum incessisset duplomate, regi Francorum navem apud Doveram egredienti, festinanter occurrit. « Et ad an. 1184 : » Rex in instantia temporis incedens fere tanquam duplomate venit Cantuariam. » Sic ea vox accipitur L. continuus *De verborum obligationibus*. « Ut qui Ephesi daturum se spoponderit, neque duplomate diebus ac noctibus, et omni tempestate contempta, iter continuare cogatur. » Et postea : « Quod si duplomate usus, aut felici navigatione maturius quam quisque pervenerit. » Glossa, duplomate 1, vel in duplo vado quam alius, 2, vel, id est duplicato itinere, 3, vel, id est, celeritate.

Scripta videtur hæc epist. circa ann. 1178.

(24) Forte Gerardus Puella, qui cum Petro Blesensi erat domesticus Cantuariensis archiepiscopi. Sed de eo alias opportunius locuturi sumus.

(25) Similis prohibitio legitur in conc. Vernensi, c. 13 : « De episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum Patrum ut in alterius parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sine jussione episcopi, cujus parochia est. Et si hoc facere præsumpserint, ab officio suspendantur, interim quod ad synodum exinde venerint, et ibidem secundum canonicam institutionem accipiant sententiam, nisi tantum itineris causa, etc. » Et in Vermeriensi, c. 14 : « Ut ab episcopis ambulantibus per patrias ordinatio

[17] Psal. 106. [18] Matth. 18. [19] II Cor. 14. [20] Hebr. 5. [21] Dist. 92 c. *Si qui episcopi.*

ubi de talibus dubitatur (26); ita nec eos reputamus episcopos, quorum consecratio ignoratur. Præterea, quoniam in his partibus publica falsariorum pestis obrepsit, qui bullis adulterinis, et literis calumnias innocentibus movent, et statum juste possidentium subvertere moliuntur, providentiæ vestræ districte præcipimus, quatenus solemniter denuntiari faciatis excommunicatos singulis festivis diebus eos, qui domini papæ bullam, vel nostra et vestra sigilla falsare præsumunt (27), eisque consentientes, ut quos a sua malignitate non cohibet propriæ judicium conscientiæ, saltem frequens denuntiationis iteratio valeat deterrere. Bene valeatis in Christo.

EPISTOLA LIV.

AD. L. PICTAVIENSEM ARCHIDIACONUM.

Argumentum. — *Suadet archid. Pictaviensi ne Adelitiam neptem suam invitam compellat ad monasticen, ut matrimonii, ita monastices statum liberam exposcere animi facultatem.*

A Charissimo amico suo L. Pictaviensi archidiac. P. Bles. Bathon. archid., salutem et intimæ dilectionis affectum.

Lamentabiliter conqueritur, et causatur Adelitia neptis vestra, quod eam in monasterium detrudere, et claustrali vultis invitam et renitentem custodiæ mancipare. Cogitabat equidem conjugales amplexus, fructumque posteritatis de carnis opéribus exspectabat; nunc autem compellitur, sicut dicit, abjurare matris officium, et a primo limine salutatis deliciis vitæ et desiderabilibus hujus mundi, se deplorat incurrere perpetuæ sterilitatis opprobrium. Sane miror plurimum de prudentia et modestia vestra. Nam Cum præfata Adelitia jam ætatem habeat, et ad annos discretionis evaserit, non est, B sicut mihi videtur, ad religionis propositum violenter urgenda, maxime cum Scriptura testetur Deo grata non esse coacta servitia. Sed et canonum clamat auctoritas, quia monachum, sive monachan facit propria professio, vel paterna devotio (28).

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ

presbyterorum non fiat. Si autem boni sunt illi presbyteri, iterum consecrentur. » Et antea in conc. Suession., cap. 5: « Ut supervenientes episcopi vel presbiteri de alliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi prius fuerint probati ab episcopo, cujus parochia est. » Et paulo ante in conc. Liptinensi, c. 4: « Ut secundum canonican cautelam omnes undecunque venientes ignoti episcopi vel presbyteri ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittantur. » Et in capitul. addit. 3, c. 37: « Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt episcopos essse, et multos negligentes, absque licentia dominorum suorum, sive magistrorum, presbyteros et diaconos ordinant, quorum ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæresim, et multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus. » Illud ipsum in Ecclesia Anglicana nono sæculo celebratum concilium Celichyth statuerat contra Scotos, c. 5: « Ut nullus permittatur de genere Scotorum in alicujus diœcesi sacrum sibi ministerium usurpare, neque ei consentire liceat ex sacro ordine aliquid attingere, vel ab eis acciperre in baptismo aut in celebratione missarum vel etiam eucharistiam populo præbere, quia incertum est nobis unde et an ab aliquo ordinentur. » Neque vero satis fuit Richardo Cantuariensi prohibere, quominus episcopi illi barbaræ nationis atque ordinationis incertæ, per universam provinciam episcopalia munia obire sinerentur; prohibendum quoque fuit, ne ad eosdem ordinandi commearent. Can. 5 conc. Westmon., sub eodem Richardo celebrati anno 1175: « Quia quidam clerici desperantes ab episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel propter vitæ incontinentiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra provinciam suam, interdum etiam a transmarinis episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur, ignota sigilla episcopis diferentes, statuimus talium ordinationem irritam esse habendam, » etc. Vid. conc. Trid. sess. 6, *De reformatione*, c. 5, et sess. 14, c. 2.

(26) Ita conc. Carthag. v, c. 6, Africanum c. 39; Felix IV, ep. 2; c. 2. specialimque de baptismo Leo magnus ep. 37, c. 1; ep. 92, c. 16; Gregor I, lib. xii, ep. 31. Troianus Santonensis episcopus epistola ad Eumerium Nannetensem. Greg. II, ep. 9, Gregor. III, ep. 1.

(27) De falsariis bullarum apostolicarum habes can. 30 concil. Tribur.; « Si vero (quod non decet), quilibet sive sit presbyter, sive diaconus, aliquam perturbationem machinanno, et nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab Apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid quod inde non convenerit salvat fide, et integra circa Apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas utrum eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam aut per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere C quid de talibus justo ordine lex Romana statuat definire, ut et is corrigatur, et cæteris modus imponatur. » Et cap. *Ad. falsarios*, De crimine falsi, quod est Innocentii III eodem tit., c. *Licet*, quod ejusdem papæ, referuntur novem modi quibus falsari possunt. Videndu et Baronius, tom. XIII ad annum 1195.

(28) Aurelian. i, c. 19. Tolet. iv, c. 49 et 55; Tolet x, c. 6; Greg II, epist. 6. Erat in more positum, ut parentes offerrent Deo in monasterio filios suos constitutos in minori ætate sub ritu certo et determinato, de quo S. Benedictus in Regula sua, c. 59: « Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, et ipse puer minor ætate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus, et cum oblatione ipsam petitionem, et manum pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam D per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi; vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio pro mercede sua, faciam ex rebus quas dare volunt monasterio donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit!) quod experimento didicimus. Similter autem et pauperiores. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum coram testibus. » Apud Gratianum 20. q. 3, c. *Præsens* quod dicitur esse Nicolai I, ubi agitur de Lamberto de cujus statu monachali controversia movebatur *Neque ego pater palla altaris indutum obtuli.* Lanfrancus *Decretorum* c. 17: Offerendus puer facta sibi prius corona, manibus portans ho-

Propriæ vero professionis vinculo non ligatur (29), A quia huic professioni, quantum potest, renititur et

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

stiam et calicem cum vino, sicut mos est post evangelium sacerdoti, qui missam celebrat, a parentibus offeratur. Qua oblatione a sacerdote suscepta, involvant prædicti parentes manum pueri in palla qua altare coopertum est, et cujus pars anterius pendet et tunc suscipiat eum abbas. Quo facto, præfati parentes coram Deo et sanctis ejus statim promittant, quod per se aut a se suppositam personam, susceptum ordinem puer nunquam relinquat, neque se ei scienter aliquid daturos, unde puer, (quod absit !) perire possit. Hanc promissionem prius scriptam coram testibus verbis ibis prius edicant, et postea super altare ponant. » Sed et Bernardus epist. 1, loquens de Roberto consanguineo suo, qui defectionis suæ a Cisterciensibus ad Cluniacences inter alias rationes hanc afferebat, quod oblatus fuerat de parentibus monasterio Cluniacensi : « Quanquam dubium non sit promissium illum fuisse, non donatum : nec enim petitio, quam Regula præcipit. pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illus cum ipsa petitione involuta pallio altaris, ut sic offerretur coram testibus. » Et espist 324. ubi docet non esse prohibendum Thomam de S. Audomaro ad Clarævallenses a Benedictinis transire volentem. « Votum, inquit, parentum integrum manet et oblatio eorum non est exinanita, sed cumulata.»

Jure veteri impuberes qui a parentibus offerebantur Deo in monasterio, inde exire non poterant neque ante neque post pubertatem. Id colligitur ex can. 40 conc. Tolet IV : « Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, et omnem ad sæculum interdicimus ingressum » Canon est de impuberibus, quos paterna devotio non propria professio, et de puberibus quos sola propria professio monachos facit, pronuntiatque utrosque alligatos esse, nec habere facultatem revertendi ad sæculum. Can. 55. « Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, et rursus prævaricantes laici effecti sunt, comprehensi ab episcopo suo, ad pænitentiam, ex qua recesserunt, revocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irrevocabiles sunt, nec admoniti revertentur, vere ut apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter, et hi qui detonsi a parentibus fuerunt, aut sponte sua amissis parentibus, se ipsos religioni devoverunt, et postea habitum sæcularem sumpserunt, » etc. Canon vult anathemati subdi detonsos a parentibus, qui postea habitum sæcularem sumpserunt. Statuit itaque perpetuo astringi monachatui devotione paterna. Tolet. x, c. 6 : Si in qualibet minori ætate vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem, in utroque sexu filiis, aut unus, aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus vel nescientibus se, susceptam non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se vel coram Ecclesia, palamque in conventu eosdem filios talia habere permiserint, ad sæcularem reverti habitum ipsis filiis quandoque penitus non licebit, sed convicti quod tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, et sub æterna districtione hujuscemodi observantiæ inservire cogantur. » Eo canone dicitur filios in minori ætate oblatos monasterio a parentibus non posse ad sæculum reverti. Gregor. II ad Bonifacium : « Adjidisti adhuc, quod si pater, vel mater filium, vel filiam intra septa monasterii in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleverint annos, egredi et matrimonio copulari ? Hoc omnino devitamus, quia nefas est ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. » Quid apertius ? cap. *Præsens* apud Gratianum supra Lambertus dicitur non esse monachus eo quod pater ejus illum pallio indutum non obtulerit. Quæ ratio nulla esset, si oblatus infans a patre posset deserere monasterium. Bernardus quoque nisi hoc supposuerit, respondere debuit objectioni Cluniacensium et monachorum S. Bertini alio modo quam respondit, unoque verbo opponere Robertum quidem impuberem Cluniacensi monasterio, et Thomam Bertinensi fuisse oblatos, sed utrumque transivisse ad Clarævallenses, quia qui devotione paterna monachi facti sunt, non ita sunt alligati, quin hunc vitæ statum adulti valeant repudiare, adeoque magis transire ad alium ordinem, in quo vigeat regularis observantia. Cæterum si puer pubes factus liber sit ad remanendum vel egrediendum, quare pater secundum Regulam et decreta Lanfranci jubetur de rebus omnibus disponere, ablata
B filio suo omni omnino hæreditatis parte ? Quare id spondet ? Quare sponsionem suam juramento confirmat ? Quid ista ablatio hæreditatis paternæ nisi obex, qui ponitur et vis quædam quæ infertur homini libero, ut supponitur, ne ingenita sibi atque per canones stabilita libertate utatur ad deserendum monasterium ? Quid autem est adem spoliatio hæreditatis, si filius nequeat reverti ad sæcularem habitum, nisi actus eximiæ pietatis, quo pater nulla in re filii sui liberati nocet, vim nullam facit. Dico amplius : Quare dicitur in eadem Regula et in decretis eisdem, patri hoc faciendum, ut omnia obstruantur, atque ut nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit ? An periturus ille est, quia genus vitæ repudiavit ad quod sectandum nullo vinculo obstrictus est ? Neutiquam. Periturus vero dubio procul est, si alligatus fuerit perpetuo per oblationem factam a patre.

Denique contraria sententia nullo fulcitur funda-
C mento. Nititur capite, *Illud* 20, q. 1, quod dicitur esse Marcelli papæ, sed falso. Sedente Marcello infantes non offerebantur Deo in monasteriis. Nititur, c. *Sicut* ibidem, et c. *Puellæ*, ibidem. Sed iis locis agitur de puellis in pubertate, non agitur de impuberibus per parentes oblatis Deo in monasterio.

Aiunt propugnatores ejus opinionis durum videri monachum fieri non volentem. Sed durum non censuere patres puerum aliena voluntate Deo mancipari, qui aliena voluntate factus est filius Dei in baptismate. Si pater filium suum impuberem donare, si vendere potuit, cur non potuit Domino consecrare ? At, inquiunt, repugnat jus novum, ut modo dicturi sumus. Quid inde ?

Jure novo possunt exire e monasterio, cum ad annos discretionis pervenerint, si nolint ratam habere paternam oblationem. Ita Clemens III, c. *Cum virum*, De regular. et Cœlest, III, c. *Cum simus*, eodem tit. his verbis : « Si dictus puer ad annos
D discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, et bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postulare. »

(29) Leo magnus epist. 92, c. 13. Concil. Mogunt. sub Leone III, c. 35 : « Ut nullus tondeatur sine legitima ætate et spontanea voluntate. » Nicolaus I ad consulta Bulgarorum, c. 87 : « Monachicum autem habitum induere, ac vitam remotam ducere, non nisi a spondente divinitus exiguntur. Unde quisquis vim intulerit alicui, ut monasticum habitum et vitam remotiorem, quam non optavit, nec elegit, assumat, hic tanquam violentus peccatum evadere non valet. **Et quoniam quod agitur ex accipientis voto non venit, nec accipiens religiosum habitum inde mercedem habet, nec inferens crude-**

reclamat. Nec astringit ipsam paterna devotio (30), quia non est in laribus patris, sed quasi emancipata per patris mortem, et in alienam potestatem non recidens liberam animi sui adepta est facultatem. Utriusque juris beneficio matrimonia libera sunt : ideoque si matrimonium carnale gaudet libertate indulta, spirituale matrimonium privilegiatum est pleniore gratia libertatis ; *nam ubi spiritus, ibi libertas* [22]. Si neptem vestram filio Altissimi desponsare disponitis, scitis quod sponsus sibi exhiberi desiderat mentem sanctam, spontaneam, non coactam. Nam in Genesi [23] legitis de desponsatione Rebeccæ, quia ejus voluntas diligenter inquiri præcipitur. Sed et Josue [24] in optione populi Israel ponit, servire diis Mesopotamiæ, aut diis Amorrhæorum, aut Domino Deo ; insinuans servitium non esse meritorium apud Deum, quod præter liberam arbitrii benevolentiam est extortum. Porro neptis vestra publice protestatur, quod eam inutiliter fatigatis, et ad ipsius conversionem laboratis in vacuum. Esset enim, sicut asserit, ex ipsa conversione perversior, et si millies clauderetur in claustris, ipsa tamen in vestrum dedecus et contemptum tempestivum sibi procuraret egressum. Tenent igitur vos, sicut mihi videtur, labor inutilis, et cura superflua : vereorque ne vobis adaptet aliquis verbum illud Domini : *Væ vobis, qui circuitis mare et aridam, ut unum proselytum faciatis, et cum repertus fuerit, facitis eum* [25] duplo gehennæ filium. Desiste itaque ab incœptis, et si neptis vestra jugum religionis abhorret, atque Deo immortali desponsari detrectat, mortali homini desponsetur : et quæ in monte salvari non potest, saltem in Segor [26] modica civitate salvetur. Quia tamen plurimum litterata est, ego ipsam adhuc et litteris, et viva voce aggrediar, volens in ea experiri quid in talibus post gratiam Dei possit humana facundia. Humana enim persuasio sine grata Dei nihil aliud est, quam æs sonans, aut cymbalum tinniens [27]. Ille solus donat os et sapientiam, qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* [28]. Tu igitur, Domine, benignus aspira, et qui de lapidibus suscitas filios Abrahæ, tu auferas ab ea cor lapideum, atque in spiritu timoris Domini immittas ei conversionis et sanctæ conversationis affectum.

EPISTOLA LV.

AD ADELITIAM MONIALEM.

Argumentum. — *Gratular Adelitiæ, quod aspiret ad vitam monasticam, et occulte voto se ad ingressum monasterii obstrinxerit Laudat virginitatem. Hortatur ut perseveret, et perfecte sæculo renuntiet.*

Dilectæ et prædilectæ in Christo Adelitiæ, Magister P. Blesen., salutem in Domino Deo salutari nostro.

Gaudent omnes qui te diligunt, sed et gaudium est angelis Dei, quia in desideriis habes sanctioris

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

litatis suæ judicio carebit. « Apud Gratianum 20, q. 5, c. *præsens*, declaratur Lambertus quidam non esse monachus, adeoque nec hæreditate paterna et materna privandus, quia cum non fuisset in tenera ætate oblatus a patre, invitus monachalem habitum induit. Vide Conc. Trid. sess. 25, De regularibus, c. 17, 18 et 19.

(30) Duæ sunt rationes, propter quas Adelitia non poterat astringi ad vitam monachalem. Prior ab ætate, posterior ab emancipatione petita. Priorem attingit Blesensis paulo antea scribens : « Nam cum præfata Adelitia jam ætatem habeat, et ad annos discretionis evaserit, non est, sicut mihi videtur, ad religionis propositum violenter urgenda. » Quod si quæras quo ætatis anno censeatur quispiam esse per ætatem, quoad hoc, extra paternam protestatem, respondebo cum conc. Tolet. x, c. 6 : « Parentibus sane filios suos religioni contradere non amplius quam usque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Postea vero an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum religionis assumere cultum. » Hinc corrigas Ivonem Carnot., qui part. VII decreti, c. 27, pro *decimum* legit *duodecimum* ; et Gratianum, qui 20, q. 2, c. *Si in qualibet, decimum quartum* scripsit ; forte quia uterque canonem aptare voluit praxi sui sæculi. Et cum XII sæculo, quo habitum est concilium, ad usque annum decimum duntaxat filii possent offerri, sæculo duodecimo, quo Ivo floruit, ad annum XII, et sequenti, quo Gratianus, ad decimum quartum, orant sub patria potestate.

Posteriorem rationem explicat Petrus noster hoc pacto : « Nec astringit illam paterna devotio, quia non est in sacris patris, sed quasi emancipata per patris mortem, et in alienam potestatem non recidens, » etc. Ex quo datur intelligi non licere tutoribus affinibus, et consanguineis addicere monasterio in perpetuum impuberes orbatos patre et matre nolentes. Concil. Aurel. v, Tolet. IX et X, ipsique SS. Benedictus, Lanfrancus, et Bernardus utuntur voce *Parentes*, quia proprie patrem et matrem significat, non affines, non consanguineos, non tutores. Et quod Toletan. IV exprimit per hos terminos, *paterna devotio*, Tolet. x explicat per patrem et matrem, *aut unus aut ambo parentes dederint*. Sed quid, si pater velit offerre filium aut filiam, matre reluctante ? Offeret solus. Quid si mater invito patre ? Non poterit : mortuo autem patre hoc erit in ejus arbitrio positum. Gregorius autem II, satis indicat parentum nomine hic intelligi patrem et matrem, non alios. « Si pater vel mater filium vel filiam, » etc. At si impubes monachus vel monacha fieret parentibus aut nolentibus, aut nescientibus, adeoque minime consentientibus ? Ex conc. Tolet. x revocanda esset quamprimum a parentibus, aut certe jure suo penitus exciderent, ex conc. quod dicitur Triburiense. Sed ex c. *Puella*, 20, q. 2, parentes factum irritare poterant intra annum et diem ; post quod tempus, ut ipse sic ingressus egredi amplius non poterat, ita nec illi eum repetere.

Quid autem juris tutoribus erga impuberes ? Hos quamvis offerre non possent offerri nolentes, poterant tamen e monasterio reducere etiam invitos intra annum et diem, quo in illud propria sponte ingressi fuerant. Conc. Triburiense, c. 24, perspicue docet nulla mentione facta parentum, ad quos tamen Gratianus visus est voluisse canonem extendere, cap. citat. *Puella*.

[22] II Cor. 3. [23] Cap. 24. [24] Ibid. [25] Matth. 23 [26] Gen. 19. [27] I Cor. 13. [28] Joan. 15.

vitæ propositum. Nam, sicut dicitur, renuntiasti, A occulte tamen, fallaci huic sæculo, mundumque relinquere decrevisti prudenter, antequam relinquaris ab eo. Beata es, quæ spretis filiis hominum, Filium Altissimi tibi elegisti in sponsum. Rex regum, et Dominus dominantium, ipse est, qui concupivit decorem tuum, ad cujus copulam Propheta te invitat. *Audi*, inquit, *filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui* [29]. Decors tuus, non in corpore est, sed in mente : *Omnis enim gloria filiæ regis ab intus* [30]. Tanto eris acceptior sponso tuo Christo, quanto fueris in veste vilior, in cultu corporis tui abjectior, in sermone rarior, in vultu dejectior, in aspectu verecundior, in incessu maturior. *Non est sanctus, ut est Dominus* [31], quoniam ipse est Sanctus sanctorum, B qui a te nihil aliud postulat, nisi pudicitiæ sanctitatem. Scriptum est enim : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata* [32].

Utinam ei, qui te per prophetam filiam vocat, dicas, sicut scriptum est : *Pater virginitatis meæ tu es* [33], et ipse tibi illud respondeat, quod alibi legitur : *Patrem vocabis me* [34], et post me ingredi non cessabis : ingrediens post virginem matrem sponsi : ipsa est enim virgo virginum, quæ præcedit. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi, et adducentur in templum regis* [35]. Filiæ hujus sæculi filiæ Babylonis, quæ de carnis immunditia sibi destinant successores, in peccato concipiunt, in dolore pariunt, in timore nutriunt, de viventibus semper sollicitæ sunt, de morientibus C inconsolabiliter affliguntur. Si vis parere, vis perire ; partus enim in modum viperæ maternos artus onerat et disrumpit, mirumque est quod fetus ille non laceratur et rumpitur : prodiens autem in valem plorationis et miseriæ hujus, a ploratione incipit, et usque in finem hujus brevis et miseræ vitæ continuat in doloribus dies suos.!

Sicut beatus Job [36] commemorat dicens : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. O quanto beatior est eorum earumve conditior qui se castraverunt propter regnum cælorum, quorum laus est in Evangelio, quibus dulcior est amor Christi quam numerositas filiorum [37] ! Audi quid dicat de talibus Isaias [38] : *Non dicat*, inquit, *eunuchus : Ecce ego lignum aridum*, quia hæc dicit Dominus eunuchis : *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus* [39]. Eos vocat eunuchos tam propheticus, quam evangelicus sermo, qui se pro amore Christi voto castimoniæ astrinxerunt. Olim dictum est : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* [40]. Et : *Maledictus, qui non reliquerit semen super terram* [41]. Ideo filia Jephte tanquam maledicto legis obnoxia, exsortem posteritatis suæ pudicitiam deplorabat [42]. Verumtamem ex quo venit Dominus legis legem adimplens, non solvens ex quo vox turturis audita est [43], et præco pudicitiæ Paulus consilium de virginitate dedit, impleverunt nuptiæ terram, et pudicitia paradisum. Prudenter egisti, quia pro amore Christi devitias hujus vitæ fallaces, et opes proditorias dimisisti. Ipse autem zelator et custos ca ti cordis et corporis te sanctam, impollutam, et angelicæ puritatis sociam conservabit [44]. Optime incæpisti : verumtamen non principium, sed finem attendit, qui judiat fines terræ. Sic igitur curre, ut comprehendas. Gloria enim virginum est in fimbriis aureis [45], et se usque in oram vestimenti unguentum benedictionis infundit. Nihil, quæso, sæculare in corde tuo resideat, sed te totam offeras, ut sis coram Domino placabile holocaustum. Ananias et Saphira in interitum dati sunt [46], quia quædam de oblatis Domino recidere voluerunt. Renuntia omnino sæculo, et ingredere claustrum. Utere habitu, quem familiaritater suscepisti, et cujus susceptionem jam dissimulare non potes. Vota omnium jam tibi prædestinant abbatiam (31), et æternæ felicitati divitiæ temporales accrescunt. Maturius igitur perfice quod cœpisti : nam si Christo illuseris, et irritam feceris primam fidem, cum filiabus Babylonis habitura es sortem, et infamia tua non delebitur in æternum.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(31) Forte quia plurimum litterata erat, ut verbis D Petri nostri utar epist. præc. Verum longe alia et sanctiora postulat abbatissæ munus, quæ non modo in aspirante ad vitam monasticam, sed etiam in plurimis sanctimonialibus eruditis et probis desiderantur desiderabunturque. Imo quando spes fuisset abbatissam iis dotibus animi, et ea morum sanctimonia aliquando exornandam fors, non esset ei spes abbatiæ ostendenda, ut honorum divitiarumque intuitu incitaretur ad capessendam religiosam vitam, vel superbiendi et extollendi se occasio voto religionis astrictæ præberetur. Quare excidit hoc Blesensi incogitanti. Et quidem filia prius sit oportet quam mater, discipula quam magistra. Audi quid senserit conc. Paris. vi, c. 34, de viduis, quæ ut primum sæculo valedixerunt (par est ratio virginum) fiunt abbatissæ : « Aliter, inquit, quam divina auctoritas et religio Christiana docet, agitur, quando femine amissis viris, eatenus carnaliter viventes, repente et sine probationis examine ad regimen animarum pertrahuntur, præficiunturque sanctimonialibus, utpote matres spiritales, quas nunquam contigit ejusdem propositi discipulas exstitisse, fitque ut quæ forte feliciter incedebant, earum pravis exemplis miserabiliter ruant. » Dum his igitur aut certe mundanarum divitiarum causa hujuscemodi prælationis honor committitur, verendum est ne animarum illarum fovea ruinæ præparatur.

[29] Psal. 44. [30] Ibid. [31] I Reg. 2. [32] Eccli. 26. [33] Jer. 3. [34] Ibid. [35] Psal. 44. [36] Cap. 14. [37] Matth. 19. [38] Cap. 56. [39] Ibid. [40] Gen. 1. [41] Exod. 25. [42] Jud. 10. [43] Cant. 2. [44] I Cor. 7. [45] Psal. 44. [46] Act. 5.

EPISTOLA LVI.

AD WALTERUM (32) ROFFENSEM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Dehortatur Walterum episcopum octogenarium a venandi studio, multis rationibus; et incitat ad imitandam venationem spiritualem, quam apostoli exercuere.*

Reverendo Patri ac domino WALTERO Dei gratia Roffensi episcopo, P. Blesen., salutem et patientiam. Inter angustias constitutus, nescio quo me vertam. Si enim vobis dixero quæ dici oportet, incurrere vereor vestræ indignationis offensam; si autem tacuero, ut verbis Job [47] utar, os meum condemnabit me, maxime cum taciturnitas mea sit vobis erubescentiæ materia, et subversionis occasio. Malo tamen vos offendere, vestræ opinioni consulendo, quam tacere damnabiliter vobis, et ignominiam vestram dissimulare silentio. Certissime noveritis domino papæ fuisse suggestum quod, neglecta commissi vobis populi cura, et abjecta omnino gravitate pontificis, vitam vestram canum venationi totam impenditis; nec temperat in vobis senectus maturior delicatœ puriginem levitatis. Jam in vos ipse dominus papa et cardinales gravissimæ animadversionis sententiam promulgassent, sed legato, qui in proximo venturus est, et rei inquisitionem, et exsecutionem sententiæ commiserunt. Non decet, amantissime Pater, virum octogenarium se talibus immiscere, nedum episcopum: quem nec etiam juventus a talibus excusaret (33). Legimus quia Nicolaus papa suspensionis et excommunicationis sententiam in Lanfredum episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licet ille excusabilior esset beneficio juventutis. Ab exordio mundi percurrite sanctorum Patrum seriem. Venite ad patriarchas, accedite ad duces, descendite ad judices, vitam sanctorum regum et prophetarum atque sacerdotum inspicite, nullumque eorum invenietis venationi studium impendisse. Piscatorem sanctum legi, dicit Hieronymus, venatorem non legi. Nam si beatus Eustachius legitur quandoque fuisse venator, sed et Matthæus quandoque telonearius fuit [48], et Paulus Ecclesiæ persecutor [49]. Nemrod robustus venator ipse est, qui in terra Sennaar ædificavit Babel, ubi linguarum schisma factum est, et confusio labiorum [50]. Esau, dum officium venationis exsequitur, gratia primogenituræ et paterna benedictione fraudatus est [51]. Si curratur ad inventionem et initia venaticæ artis, patebit ex ipsa inventione sua damnabilis. Hujus enim artificii, aut potius maleficii legitur fuisse inventrix gens Thebana, fœda parricidiis, detestanda incestibus, insignis fraude, nota perjuriis. Deriserunt eos Athenienses, fingentes sub quodam involucro Dardanum venatorem raptum ad pocula, et a poculis ad illicitos et infames amplexus. Ut de sanctis Patribus taceam, vix in numero virorum illustrium poterit inveniri, qui exercuerit artem venaticam gratia voluptatis.

Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora [52]

victor Alcides: si auctor Romani generis cervorum corpora fudit, si Meleager aprum stravit Calydoniæ vastatorem; isti in hoc non privatæ voluptati sed utilitati publicæ serviebant. Quæ tamen comparatio est gentilium ad sacerdotem Christi, qui mortis cruciatus præeligere debuisset, antequam ad talia posset cogi? Sane aliud venationis genus vobis ex officio incumbebat, in qua subjectorum est salus et gloria

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(32) Gualterus, sive Walterus frater Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis, ex archidiacono Cantuariensi Roffensis episcopus electus est a monachis Ecclesiæ Roffensis in capitulo Cantuariensi, secundum antiquam consuetudinem, idque ex concessione Theobaldi, qui monachis jus illud restituit quod antecessores sui archiepiscopi Cantuarienses usurpaverant. Vixit in pontificatu annis 35, scilicet usque ad an. Christi 1182.

(33) Loquitur auctor non de venatione oppressiva hominum, aut arenaria, sed de saltuosa, de qua etiam Sarisber. Polycrat. l. I, c. 4. Sunt vero personæ, quæ non modo ab hoc, sed ab aliis quibusdam utpote levioribus et voluptuosis studiis in perpetuum submoventur, ut qui in sacris ordinibus constituti, et qui gerunt amplissimos magistratus. Episcopis et cæteris de clero ejusmodi venatio prohibita est in conciliis Germaniæ Liptinensi, cap. 2: « Nec non in illas venationes et silvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus, et ut accipitres et falcones non habeant. » Moguntiaco, cap. 14: « Canes et aves sequi ad venandum in omnibus quibuslibet sit. » etc. Regiaticino, c. 4: « Et non canibus aut accipitribus, vel capis, quod vulgus falcones vocat, per seipsum venationes exerceat. » In conciliis Galliæ, Turonensi III, cap. 8: « Venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur. » Et *Capitular.* l, v, c. 12: « Ut presbyteri, vel diaconi, sive subdiaconi arma portare non præsumant, neque venationes aliquas exercere. » In conciliis Angliæ, Westmonasteriensi, præside Atherico Ostiensi legato Innocentii II, cap. 8: « Venatores clericos et turpia lucra sectantes, ac publica sæcularium negotia procurantes, ab officio et beneficio ecclesiastico nihilominus removendos esse censemus. » Legitur de Bonifacio Moguntino libro I. Vitæ ejus, quod objecerit Gervilioni episcopo suis se conspexisse oculis illum cum avibus et canibus ludentem, quod episcopo fas non esset. Conc. Lateran. sub Innoc. III, c. 15: « Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant. » Ac denique conc. Trid. sess. 24, De reform. cap. 12. Viderint eruditi quale judicium sit ferendum de sententia nonnullorum, qua contendunt clamosam quidem venationem prohibitam esse clericis, sed non eam quæ sine magnis clamoribus instituitur. Aut viderint quid de alia opinione dicturi sint, quæ asserit vetitam esse etiam non clamosam, quæ recreationis, imo et voluptatis causa, modo rarissime fiat, scilicet ne quid magis dicam, distinguunt illi ubi lex minime distinguit. De eodem argumento Petrus noster epist. 61.

Videtur scripta circa ann. 1176, cum esset Romæ Petrus Blesensis pro negotiis archiepiscopi Cantuariensis, de quibus in ejus Vita.

[47] Cap. 9. [48] Matth. 9. [49] Act. 9. [50] Gen. 10 [51] Virg., *Æneid.* VI.

præsidentis. Dicit enim Dominus per prophetam [53]: *Ecce ego mittam venatores, et venabuntur in omni monte*. Prælati siquidem Ecclesiæ venantur in omni monte, dum animas aberrantes quasi in prædam ad obsequium Christi rapiunt in eminentia scientiæ et doctrinæ. Apostoli missi in orbem terrarum increpabant *feras arundinis* [54], dum ad instar magistri sui Phærisæorum hypocrisin, et figurativam cæremonialium observantiam reprobantes, una die multa millia hominum venabantur ad fidem. Utinam huic venationi velitis operam dare, longique temporis jacturam, quod in vanitates evanuit, fructu vitæ melioris et eruditione populi compensare! Agite, quæso, ut adventum legati castigatior in vobis vita præveniat: veniet enim in spiritu vehementi [55], non ut ædificet, aut plantet, sed ut destruat et evellat [56]. Noveritis autem quod in Ramus palmarum accepi licentiam a domino papa et fratribus ejus, atque sequenti die iter arripui veniendi. Legatus autem ea, quæ viæ et legationi suæ erant necessaria cum omni instantia procurabat. Festino ad dominum regem post hujus viæ pericula et labores, magnas apud ipsum fatigationes exspectans. Bene valeatis.

EPISTOLA LVII.

AD AMICUM G. DE ALNETO (34).

ARGUMENTUM. — *Amico suo, existimanti se post monasterii ingressum a tentationibus fore liberum, ostendit monachos magis esse tentationibus obnoxios quam sæculares, sed fortiter contra eas certandum. Deinde cantilenam illi transmittit graphice luctam carnis et spiritus exprimentem, ut ea tædium fallat.*

Charissimo socio et amico G. de Alneto, PETRUS Blesensis Bathon, archidiaconus, salutem et in Domino confortari.

Ea inter nos ab adolescentia coaluit dilectionis affectio, quam in cognationibus nec vinceret sanguis, nec natura transcenderet. Hoc in magno rerum discrimine frequenter expertus sum: qui si corporis invaletudine, aut aliis hujus vitæ molestiis laborarem, astitistis mihi adjutor fidelissimus, et officiosissimus consolator. Ego etiam tua semper infortunia mea feci, atque inter casuales eventus sortem meam tuo statui amica vicissitudine te communicatione gratissima coaptavi. Dicis te sanctioris vitæ propositum ideo specialiter elegisse, ut hujus sæculi tentationes evaderes; nunc autem lamentabili conquestione deploras, te in ipso religionis ingressu longe miserius quam prius tentationibus circumseptum, tuamque carnem ex ipsa sui servitute legi spirituali contumacius repugnare. Nonne legeras, quia *vita hominis* tentatio est, et *militia super terram* [57]? Sapientia dicit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore et præpara animam tuam ad tentationem* [58]. Mundus adversus desertores suos fortius pugnat, et egredientes vitæ sæcularis illecebras gravior congressus exspectat; nam et in exitu Israel de Ægypto Pharao vehementius excandescit [59], et Satanas egrediens ab homine, quem ab infantia tenuerat, ipsum gravius affligendo discerpit [60]. Turbo movetur, ut Elias rapiatur in cœlum [61]; nec adversus Benjamin prævalet Israel, donec multorum millium occisione purgetur. Communis cursus vitæ præsentis est tentationibus apprehendi. Nam ad virtutis exercitium Hierosolymitis relictus est Jebusæus [62]; et Apostolo spiritus Satanæ datus est, ne revelationibus extollatur [63]. Arenam pugnæ aucipitis ingressus es, in qua non apprehendes bravium, nisi curras, non coronaberis, nisi pugnes [64]. Dominus autem fortitudo plebis suæ, Dominus virtutum, *Dominus fortis et potens in prælio* [65], ipse doceat manus tuas ad prælium, et digitos tuos ad bellum. Ipse, si tentari te permittet, faciet cum tentatione proventum [66]; pressuræ tuæ, *quasi aquarum, quæ præterierunt, non recordaberis: cumque te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer* [67], ac de infirmitate proficies ad coronam, de pusillanimitate spiritus ad triumphum. Quod autem amatoria juventutis, et adolescentiæ vestræ ludicra postulas ad solatium tædiorum, consiliorum non arbitror, cum talia tentationes excitare soleant, et fovere. Omissis ergo lascivioribus cantilenis, pauca quæ maturiore stylo cecini tibi mitto, si te forte relevent a tædio, et ædificent ad salutem.

CANTILENA DE LUCTA CARNIS ET SPIRITUS.

Olim militaverum, etc. [Vide inter carmina Petri Blesensis, infra.]

Qui habet aures audiat. etc. [Vide ibid.]

EPISTOLA LVIII.

AD REGINALDUM (35) BATHONIENSEM EPISCOPUM.

[A. D. 1180.]

ARGUMENTUM. — *Graviter expostulat cum Bathon. episcopo, quod contra ordinem juris vicearchidiaconum suum ab officio suspenderit; omnesque*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(34) Alnetum vulgo *Aulnay*, est abbatia in Normannia ordinis Cisterciensis, in diæcesi Bajocensi sita. Fundata est anno 1131 ab Aichardo Franciæ comestabulo, postea ejusdem loci monacho. Hæc Jongelinus in notitia Cisterciensi, et Manriquez, tomo II *Histor. Cisterc.* Qui et de hac epistola sic loquitur: « Exstat epistola Petri Blesensis ad monachum de Alneto recens conversum, putantemque post ingressum monasterii a tentationibus fore liberandum: quem contra Petrus late ostendit monachos magis esse tentationibus obnoxios, quam sæculares, sed nihilominus eis fortius resistere. »

Scripta est hæc epistola anno Christi 1193, nempe paulo postquam Richardus Angliæ rex captus est ab Austriæ duce.

(35) De hoc Reginaldo vide quæ diximus ad epist. 30.

[53] Jer. 16. [54] Psal. 67. [55] Act. 2. [56] Jer. 1. [57] Job. 7. [58] Eccli. 2. [59] Exod. 14. [60] Marc. 9. [61] IV Reg. 2. [62] Jos 15. [63] II Cor. 12. [64] II Tim. 2. [65] Psal. 23. [66] I Cor. 10. [67] Job 11.

A *occasiones quærat sibi nocendi ab æs alienum non diss.lutum.*

Dilecto et prædilecto domino et Patri suo R. Dei gratia Bathon. episcopo, P. Bles. Bath. archid. suus, cum salute obedientiam devotissimam.

Vestræ indignationis litteras, imo tonitruum legi, in quibus anima mea turbata est valde, et cor meum dereliquit me. Verumtamen, ut verbo prophetæ utar [68], *invenit servus tuus* cor suum, *ut oraret te.* Oro itaque, quod quasi impetrata edicti venia dimittas me prius ut glutiam salivam meam, et plangam paululum dolorem meum, non superbe arguens, sed devote respondens, interdum tamen ex vehementia doloris aliquid durius interponens. Si ergo ex abundantia cordis verba mea B quandoque cursum devotæ humilitatis excesserint, indulgeat mihi liberalitas vestra: quia, sicut sapiens dicit [69]. Fervor iracundiæ. et indignationis impetus non est in hominis potestate. Ignoscite misericorditer suum agnoscenti excessum, quia inter primitiva legum cunabula didicistis, quod sanctitas episcopo derelinquit gloriam ignoscendi. Scio quia quæritis occasiones adversus me, atque proditoria suggestione inductus contentionis materiam suscitatis. Amantissime Pater, ut verbo Job utar, nolo multa fortitudine contendas mecum, aut magnitudinis tuæ mole me premas [70]. Proponas contra me æquitatem, et appendantur in statera iniquitas mea, et malum quod patior. Si aperires oculos tuos ad justitiam adversus eum C cujus delictum arguis, doleres te graviter deliquisse juxta testimonium Salomonis: Non est in litigio dehonestandus amicus [71]; nam ejus dehonestatio facile resarciri non potest. Frequenter legistis in libro experientiæ, quot pericula, quot labores pro vobis tulerim, quam sollicitam, et quam efficacem promotioni vestræ operam dederim (36). Si consilia nostra secretiora recolitis, scitis certissime quod neque mors neque gladius, neque ulla turbationis occasio a vestra dilectione separare me debuit. Verumtatem, cum fortis sit dilectio ut mors [72], fortior dilectione adulatio mihi vos abstulit: si tamen eum mihi potuit auferre, quem patet, sicut ex præsenti eventu constat, me nullo tempore habuisse. In absentia mea citra omnem solemnitatem juris prohibitiones vestras D contra me fecistis minus synodales in synodo quæ in eo duntaxat mihi melestæ fuerunt, quia vestræ iracundiæ impetum, et episcopalis eminentiæ intemperantiam monstraverunt. Vicearchidiaconum meum, cum omni satisfactioni et justitiæ se offerret, in mei nominis contumeliam suspendistis. Videte si juste judicastis, qui judicatis orbem terræ: recolentes, quia et judices judicaturus est, qui judicat fines terræ. Non ita in Lateranensi concilio didicistis: ubi in omni sententia excommunicationis, aut suspensionis ferenda, prima et secunda, et tertia erat admonitio præmittenda. Illa etiam privilegialis Ecclesiæ Romanæ protectio, quam sub tegmine alarum vestrarum impetravi, et quæ tempore concilii Lateranensis [73] longe plenius et solemnius mihi roborata est, a vestræ benignitatis memoria non debuerat excidisse: in qua mihi specialiter est indultum, ut nec archiepiscopus, nec episcopus, me aut meos excommunicet, aut suspendat, nisi publice convictos, aut in jure confessos. Ut tamen verbis Job utar: *si habuero quidpiam justitiæ, non respondebo, sed Dominum et judicem deprecabor* [74], *etiamsi occiderit me, sperabo in eo* [75]. Illud mihi ad cumulum doloris accedit, quod pro viginti solidis, quos vobis debebam, suscitata est ista dissensio, qui tamen solvendo eram per gratiam Dei, si ducentas marcas vel amplius debuissem. Nunquid, quæso, fuisset ista pecunia, quæ a me elongavit amicum et proximum? accuso autem potius adulatorum malitiam, quorum venenosa suggestio gratiam domini mei pervertere mihi potnit in odium et rancorem. Illud autem pro certo noveritis, me dedisse in maudatis Arnoldo Bathoniensi, et Azoni de Paterne, cujus promotioni toto corde congratulor, ut vobis vice mea de debito responderent, Sane, si me vinculo fidei aut obligatione chirographi super hoc debito astrinxissem, suffecisset quod feceram. Nam ex auctoritate Chalcedonensis concilii, et Gelasii papæ, atque Augustini, fidei suæ aut promissionis non incurrit periculum, qui ab eo quod debuit, ut liberaretur, effecit. Verumtamen, ut verbo regis Samariæ utar, *quæritis adversum me occasiones* [76]. Occasiones autem in promptu sunt. Ego qui reliqui, ne vos offenderem, quod pretiosius et gloriosis habebam inter omnia quæ mihi contulerat fortuna clementior, antequam graviter offendamini mihi, paratus sum Angliam, et omnia beneficia Anglicana relinquere, atque omnes ambitionis nexus, quæ utinam nec in me, nec in vobis regnaret, abrumpere Non abhorreo paupertatem, in qua ditior fui et felicior, quam in divitiis maledictis. Si me perdideritis semel, me perdidisse forsitam dolebitis, et gravius feretis illius absentiam, cujus nunc præsenti obsequio uti, vel dedignamini, vel nescitis. Apud vos omnia in contrarium mihi cedunt: dum enim honorificentiæ et promotioni vestræ totus insudo, totus immorior, vos super dolorem vulnerum meorum addere non cessatis. Ego autem omnia æquanimiter substinebo,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(36) Quid pro Reginaldo egerit noster Petrus manifeste patet ex epist. 24 et 30.

---

[68] I Par. 17. [69] Seneca., l. 1, *De ira* c. 7 et 8. [70] Job 23. [71] Prov. 25 [72] Cant. 8. [73] *Conc. Later. sub Alexand. III*, p. 1, c. 6. [74] Job 43. [75] Job 13. [76] IV Reg. 5.

nec ponam os meum in cælum, nec loquar adversus Dominum meum, nec adversus Christum ejus : sed, ut in humilitate Job [77] universa concludam, qui flagellat, occidat me semel ; qui cœpit, ipse me conterat : solvat manum suam, et succidat, me, et hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat. Vale.

EPISTOLA LIX.

AD R. BATHONIENSEM ELECTUM.

Argumentum. — *Multis rationibus et exemplis inducere conatur R. Bathoniensem electum, ut M. Henricum de se alias optime meritum, in gratiam a qua exciderat recipiat, et Simonem adulatorem et calumniatorem pessimum a sua societate arceat.*

Reverendo domino et amico Re. Bathoniensi electo, suus P. Blesensis, salutem et temperantiam.

Rogatus vos rogare compellor. Verumtamen, etsi mille preces meam instantiam prævenissent, teneor pro amico meo apud vos humiliter supplicare : cujus merita si recoleretis, nec mea nec alienæ intercessionis debuerat suffragia mendicasse. Ipse est, qui se pro vestris necessitatibus toties periculis maris exposuit, qui quandoque, cum montes Cyllenii clausi essent, pedesque nostros apud terminium aeris intemperies defixisset, et strata montium mortuorum cadaveribus plena essent, ipse quasi *inter mortuos liber* [78] in Italiam pro mundato nostro transalpinare non horruit, expletisque negotiis vestris cum comite Maurianensi, ad vos in eadem tempestatis insania diplomate utens remeavit. Tanti obsequii memoriam, nec diuturnitas temporis, nec offensæ grandis enormitas exsufflasse debuerat, nedum proditoria suggestio vestri Simonis, cujus præcipua est intentio, ut vos sibi totum singulariter vindicet, et auferat universis. Miror qualiter ad verbum vilis adulatoris potuistis ita excandescere adversus hominem gratissimæ opinionis, et fidei approbatæ, nisi quia lingua adulatoris turbare omnia potest, cujus contagio semper est malum, *verba* autem *oris ejus iniquitas est dolus* [79]. Ille olei venditor, qui caput vestrum impinguat adulationibus ac demulcet, magistro Henrico non minus impudenter quam imprudenter objecit, quod consilia vestra dolose publicaverat. Magister vero Henricus mendacii eum redarguens, verbum suum pugno in ejus dentibus confirmasset, nisi vestræ, qui præsentialiter aderatis, reverentiæ detulisset, zelo etiam justitiæ potius quam iracundiæ provocatus in vos quædam amaritudinis verba protulit, qui hominem reprobatæ opinionis in ignominiam vestræ domus, et communem omnium injuriam fovebatis. Ideo abjecistis eum a facie vestra, longique merita temporis, et debitum retributionis fructum momentanea delevit offensa. Non sic decuit facere virum, quem elegit Deus in sacerdotem sibi, quem oportet ex officii debito patientiam et misecordiam polliceri. Si magister Henricus ex motu animi minus circumspecte, aut durius forte locutus est, scitis quod motus animi non sunt in hominis potestate : quodque fit, vel dicitur ex calore iracundiæ, non prius debetis revocare ad animum, quam constiterit vobis ex animi judicio processisse. Ponatur, virum approbatæ opinionis aliquid dixisse intemperantius, aut lubrico linguæ, aut facilitate consilii, aut calore iracundiæ, sive alio quolibet motu animi, vestra intererat omnia æquanimiter dissimulare et pati. Sic enim juxta apostoli doctrinam his, *quæ putamus ignobiliora membra corporis abundantiorem honorem circumdamus* [80]. Sic mater infirmiorem filium tenerius diligit. Sic pater familias filium prodigum benignius recipit [81]. Sic oleum charitatis, sic amor Dei plenius et exuberantius in vasa misericordiæ se diffudit. Sacra imperatorum constitutio nihil durum aut asperum in talibus constituit : nam si hoc ex levitate processit, contemnendum ; si ex insania, miseratione est dignissimum ; si ex injuria, remittendum. Julius Cæsar [82] primus et potentissimus imperator cum iniquissime feret calvitium, ac deficientem capillum a cervice revocaret ad frontem, ab irato milite dictum est ei : « Facilius est, Cæsar, te calvum non esse, quam me in acie quidquam egisse vel acturum esse timidius : » quod et imperator patienter admisit [83]. Cum Augusto Cœsari fuisset objectum quod adoptionem avunculi sui Julii Cæsaris ignominiosa corporis sui prostitutione meruerat, animi sui motum convertit in risum [84]. Eidem cum objectum esset a quodam ob sui brevitatem corporis, quod nanus erat ; ipse vero, grandiusculis esse calceamentis utendum, cum animi tranquillitate respondit. [85] Aristippus a quodam sibi maledicente recedens : « Ut tu, inquit, linguæ tuæ, sic ego aurium mearum sum domiuus. » Anthistenes etiam cujusdam improperia vilipendens : « Auditus, inquit, debet esse lingua robustior, cum singulis hominibus una sit lingua, sed aures binæ. » Si ergo fidelissimus vester ex confidentia amicitiæ, aut forte correctionis intuitu vobis spiritu liberiore locutus est, totum, quæso æquanimiter supportetis, recolentes quia testimonio sapientis [86] : « Lubricum linguæ non est facile trahendum in pœnam. » Et quis, quæso, in Græcia fuit potentior aut eminentior Alexandro? Ei tamen Antigonus fregit citharam, abjecitque dicens : « Ætati tuæ jam regnare convenit, pudeatque in corpore regio voluptatem luxuriæ dominari. » Scipio [87] Africanus in armis potentissimus, cum quidam eum minus pugnacem argueret : « Imperatorem, inquit, genuit me mater mea non bellatorem. » Nonne magister Henricus justissime adversus infamem illum motus est, cum ei notam proditionis inureret ? vix crederem hominem tam integri sensus ad hanc ineptiam fuisse

---

[77] Cap. 9. [78] Psal. 87. [79] Psal. 35. [80] I Cor. 12. [81] Luc. 15. [82] *Lege* Joan. Sarisb: *Polycrat.*, l III, c. 14. [83] Cic. in *ep. ad Octavium.* [84] Sueton. in *Augusto.* [85] Diog. Laert. l. II. [86] Joan. Sarisb., *l. cit.* [87] Sex. Jul. Frontin. l. IV, c. 7.

delapsum, ut secreta sibi commissa detegeret, teste Ovidio [88] :

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra gravis est culpa tacenda loqui.

Verumtamen secreta divitum occultari non possunt. Avis enim cœli, sicut Salomon dicit [89], portabit verbum; et qui habet pennas, annuntiabit sententiam. Ideoque res discriminis est divitum communicare consiliis. Si quid enim per incuriam evolaverit, secreti conscio imponetur, et quod te solum scire credideras per mercatoria et tabernas circumquaque plebescet. Audi testimonium Aquinatis poetæ :

O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur.
Et canis, et postes, et marmora; claude fenestras.
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen
E medio, clament omnes, prope nemo recumbat.
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet [90].

Si tonsor Midæ terræ secretum suum latenter infodiat, succrescet arundo; quæ cantando deducet in publicum, quia

Auriculas asini Mida rex habet [91].

Pallas Erichthonium [92] suum occultare non potuit, quin ipsum cornicis garrulitas publicaret. Cur igitur suggestione detractoris Deo odibilis præsumitis adversus hominem innocentem, cujus fidem et industriam toties in libro experientiæ didicistis? Probabilius est illum delatorem vestrum malitiose divulgasse consilium, ut sic magistro Henrico, qui arcani conscius erat, crimen impingeret, et inter vos zizania, atque scandalorum materiam seminaret. Omni igitur rancore deposito, magistrum Henricum in vestram gratiam revocetis. Scitis enim quod jucunda est ejus societas, vita commendabilis, familiaritas fructuosa. Jam alii domino adhæsisset, qui tempestivius, et uberiore manu suis erat meritis responsurus; sed eum blando sermone destinui, donec videam, utrum reprobata illorum familiaritate, qui dicunt bonum malum, et malum bonum [93], eos socialius velitis admittere, quorum fides integra non vacillat. Scriptum quippe est : *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea* [94] *: corrumpuntque prava consortia bonos mores* [95]. Josaphat, qui de transacta vita multis præconiis commendatur, de societate Achab iniqui regis graviter a Domino increpatur : *Impio*, inquit Propheta [96], *præbes auxilium, et iniquo amicitiis conjungeris: ideoque iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod lucos de terra Juda succideris.* Id ipsum objicitur vobis; qui in vestræ familiaritatis sacrarium hominem admisistis, cujus os maledictione et amaritudine plenum est, et qui veneno et malitia linguæ

A suæ jam multos eliminavit a vobis; et sicut publice dicitur, quibusdam non solum exitum, sed exitium procuravit. Certe figmenta ipsius non debuerant vos movisse : sed nescio qua depravatione naturæ delicatæ aures divitum gratius acceptant mendacis et meretricantis linguæ blanditias, quam apertum testimonium veritatis. Nam juxta Satyricum pravus adulator,

Cum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Continuo cunctos adigit, qui vera loquuntur [97].

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et linguæ eorum gladius acutus [98]; *linguis suis dolose agebant; judica illos, Deus* [99]. Isti sunt ranæ *in penetralibus regum ipsorum* [100], id est garruli et loquaces

B in domibus magnatum. Isti sunt cœnomyiæ, et sciniphes, qui occulte pungunt. Video quod lingua dolosa cor vestrum pessime depravavit. Sed utinam *ad dolosam linguam* apponantur *sagittæ potentis acutæ* [1], id est judicia Domini, ut linguas vestrorum prohibeatis a malo, *et labia* eorum, *ne loquantur dolum* [2]. Judicium siquidem justissimum Dei fuit, ut primus homo exsularet a paradiso, quia divina jussione contempta inimico adulanti consensit. Recolentes igitur, domine et amice charissime, quia testimonio Salomonis. *Meliora sunt* amici diligentis verbera, quam blanditiæ adulantis verba seu *verbera* [3], magistri Henrici referatis ad gratiam; et juxta formam eruditionis evangelicæ, sic *in vestra patientia* possideatis animam vestram [4],

C ut nullam in animo vestro de præteritis foveatis offensam.

Nam vidua est virtus, quam non patientia firmat.

Promitto autem vobis quod in magistro Henrico invenietis fidele obsequium, integram amicitiam, obedientiam promptam, et salubre consilium. Bene valeat dominus meus, et omnes qui diligunt eum ex affectu et in veritate!

EPISTOLA LX.

AD MAGISTRUM R. AMICUM ET SOCIUM.

ARGUMENTUM. — *Amico conquerenti ab episcopis eorum nepotes ex patrimonio Christi ditari, et non pauperes virtutis studiosos, declarat veterem hanc esse querelam, paupertatem autem divitiis longe præferendam.*

D Charissimo socio et amico magistro R., P. Bles., salutem et spiritum fortiorem.

Causaris et arguis et episcoporum nequitiam, qui circa parentum promotionem sunt adeo singulariter occupati, ut nihil aliud affectent, aut somnient, atque indigentiam scholarium vel in modica visitatione non relevent. Purpurata incedit parentela pontificum et elata de patrimonio crucifixi *in superbia et in abusione* [5] ad omnes vitæ sæcularis illecebras se effundit. Non attendunt quid deceat, dummodo quid placeat assequantur; cumque eis ad

[88] Lib. I *De art. amor.* [89] Eccle. 10. [90] Juv. sat. 9. [91] Persius, sat. 1. [92] De Ericth. lege Nat. Comitem l. IX, *Mythol.* c. 6. [93] Isa. 5. [94] Eccli. 13. [95] I Cor. 16. [96] II Par. 19. [97] Juv. sat. 3. [98] Psal. 56. [99] Psal. 5. [100] Psal. 104. [1] Psal. 119. [2] *Psal.* 33. [3] Prov. 27. [4] Luc. 21. [5] Psal. 30.

votum omnia succedant, et in contrarium succedant omnia his qui soli militant honestati, divinam in temporalibus providentiam desipere, aut dormitare coquereris. Amice, vetus querela est : et hæc regis ac prophetæ David animum quandoque concussit. Cum enim pressuras justorum aspiceret, videretque iniquos ad omnes hujus vitæ concupiscentias licentius evagari, quærebat *si utique* esset *fructus justo*, et si esset *Deus* dijudicans iniquos *in terra* [6]; prius dubitat et vacillat, et recurrens ad occulta judicia Dei, tandem nodum quæstionis implicitæ diligenter evolvit. *Mei*, inquit, *pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia. Ecce enim peccatores ipsi, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas ? Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis. Existimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur. Quoniam facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam* [7]. Singula possemus prosequi diffusiore tractatu, sed publicæ expositioni littera se exponit : insinuans qualiter divitiæ proditoriæ et fallaces decipiunt amatores suos, quos dolose erigunt, ut cum dolore prosternant. Isti sunt, qui fines suos in infinitum producunt, quorum finis interitus sine fine. Beatus Job eadem dubitatione motus varios divitum successus enumerat, et in his alti consilii judicium et justitiam divinæ dispensationis assignans, omnem scrupulum dubitationis elaqueat. *Quare*, inquit, *impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum domus securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super eos. Bos eorum concepit, et non abortivit : vacca peperit, et non est privata fetu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi* [8]. Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt. Ecce quomodo dati sunt in desolationem, et dejecit eos consilium Altissimi, dum allevarentur. Datæ sunt eis divitiæ in laqueum, et deliciæ in capturam. Enormiter periculosum est transitoriæ voluptatis, et mortis æternæ commercium, testimonio ethnici :

nocet empta dolore voluptas [9].

Verumtamen plus quam nocere est, vitam in morte, et mortem in doloribus æternare. Audis

A David et Job multiplicem divitum gloriam recensentes, et momentaneæ felicitatis infelicissimum finem. Unde et beatior in sua miseria reputandus est pauper, quam dives in opibus sophisticis, et gloria seductrice : cumulus enim deliciarum in cumulum miseriarum transiturus est, quarum cruciatus ille impatientius sustinebit, qui diutius et delicatius hujus vitæ desiderabilibus assuevit. Illi evangelico diviti, qui ad refrigerium linguæ ardentis digitum Lazari postulabat, dictum est : *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* [10]. Nonne putas eum tunc habuisse in desideriis multa sustinuisse aspera, ut vel in modico remissius ei fieret gehennale incendium? verumtamen post exitum hujus vitæ dolor

B æternus cum pœna temporali non transibit : nam in inferno nulla est redemptio. Cumque locus ille viam præcludat ad meritum, compensationis etiam beneficium non admittit. Noli, quæso, affectare divitias, quæ te fugiunt, et, ubi affluunt

plus aloes, quam mellis habent [11],

et in fine ad infinibilem mortem ducunt. Sit tibi paupertas ipsa solatio, quæ et viventem liberrimum facit, et securissimum morientem. Pauci divites moriuntur, qui in exitu hujus vitæ non desiderent fuisse pauperrimi. Ideoque et plerique providentiæ oculum dirigunt in futurum, spiritualem ducentes in divitiis paupertatem. David in regali solio sedens, inquit : *Domine, inclina aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego* [12]. Et alibi : *Pau-*

C *per sum ego, et in laboribus a juventute mea* [13]. Elegans et præclarum Dei donum est paupertas, si tamen hanc inter Dei dona computare dignetur impatiens et ambitiosa temeritas. Hujus doni gratiam intellexerat ille Senecæ nepos Lucanus referens securitatem animæ pauperis inter bella civilia :

O vitæ tuta facultas,
Pauperis angustique lares, o munera nondum
Intellecta Deum : quibus hoc contingere muris,
Aut templis potuit, nullo trepidare tumultu
Cæsarea pulsante manu.

Nabuzardan in subversione Jerusalem cunctis pauperibus in pace dimissis, solos divites captivavit [14]. Christus domum reguli rogatus intrare noluit, ne videretur divitias honorare [15]. Tu

D qui in episcopos nunc desævis, cito episcopabe is dante Domino, eris que, si bene te novi, scholaribus illius temporis publicæ detractionis occasio. Nam et illi, qui dulce lignum jam adepti sunt, quandoque dum scholariter militarent, linguas procaces acuerunt in episcopos, et telam, quam hodie ordiris, longo tempore texuerunt. Certissime autem scio quod ex quo rapieris ad cathedram, rapietur a corde tuo scholaris vitæ memoria ; subito nepotum

---

[6] Psal. 57. [7] Psal. 72. [8] Job 21. [9] Horat. lib. I *ep. ad Loll.* [10] Luc. 16. [11] Juven. sat. 6. [12] Psal. 85. [13] Psal. 87. [14] Jer. 52. [15] Joan. 4.

torum pullulabit affectio (37), de maritandis neptibus anxie cogitabis : nec in beneficiis attendes meritum, nec in matrimoniis paritatem (38), atque in hac insania singulariter æstimabis plenitudinem voti tui, si muliercularum degenerum vilitate titulos alienæ nobilitatis inficias, et personis infamibus contamines domum Dei. Vale.

EPISTOLA LXI.

AD R. (39) SARESBERIENS. ARCHIDIAC.

Argumentum. — *Dehortatur R. archidiaconum a vanitate aucupii ; tum quia ratione officii non avium, sed ovium curam susceperit ; tum quia brevi sit ad episcopatus dignitatem evehendus.*

Charissimo domino suo R. Saresber. archid., P. Blesen., salutem in Deo salutari nostro.

Quia, teste Hieronymo [16], nescio quid latentis energiæ viva vox habet, prius viva voce, et devota A supplicatione vos monui, deinde litteris, ut parcius indulgeretis avium curialium vanitati. Scio quia, teste Apostolo, omnis *creatura subjecta est vanitati non volens* [17]. Unde et propheta conquerendo, exclamat : *Filii hominum, usquequo gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* [18] ? verumtamen vos, qui jam induistis arma pœnitentiæ, et arripuistis propositum sanctitatis, affectare non decet *vanitates et insanias falsas* [19]. Non bene conveniunt cilicium et accipiter, afflictio carnis et exercitium voluptatis. Reges gentium, et qui dominantur eorum, quia litteralis scientiæ solatio uti, aut nesciunt, aut non possunt, per avium solatium de immanium sollicitudinum mole sibi aliquid quandoque furantur : nam testimonio Prophetæ [20], hi sunt, *qui in avibus cœli ludunt*. Juxta veteres

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(37) Suggillat Petrus noster carnalem affectum præsulum erga propinquos, per quem post ponunt illis quantumvis indignis viros bene meritos et utilissimos Ecclesiæ futuros. De qua re concil. Tolet. 10, c. 3 : « Agnovimus quosdam pontifices præcepti principis apostolorum, qui ait : « Pascite qui in vobis est gregem, » etc. (*I Petr.* v) ita esse immemores, ut quibusdam monasteriis parochialibusque ecclesiis, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui favoris participes iniquum sæpe statuant in prælatum, etc. Proinde decenter omnibus placet, et in præsenti tale rescindere factum, et non esse de cætero faciendum. Nam quisquis pontificum deinceps aut sanguine propinquis aut favore sibi prius quibuscunque devinctis talia commodata facere tentaverit, ausu nefandæ præsumptionis, et quod visum fuerit devocetur in irritum, et qui ordinavit, annuæ excommunicationis ferat excidium. Bernardus tract. *De vita et moribus clericorum*, c. 3, recensens vias pravas, quibus intratur in clerum : C « Ille, inquit, dignus archidiaconatu, utpote filius principis, magis autem si sit episcopi consobrinus, in quo nimirum tota est episcopata progenies. » Et tract. *De moribus et officio episcop.* : « Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia ; meruerint autem vel vitæ merito, vel pecuniæ, suæ etiam carnis et sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt, prærogativa, » etc. Petrus Cantor, *Verbi abbreviati* c. 43 : « Cum de intrantibus in Ecclesiam per ostium dicatur : « Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis ; sed ex Deo nati sunt (*Joan.* I) ; » de intrantibus per carnem et sanguinem dici potest, qui ex sanguinibus et ex voluntate carnis, non ex Deo nati sunt, in ordinum et beneficiorum ecclesiasticorum perceptione. » Clemens IV fratris filium clericum tres canonicatus obtiuentem jussit, duobus dimissis, quem mallet, unicum retinere, ratus dignum non esse Petri successorem, qui plus cognationi quam pietati et Christo tribueret. Benedictum XII refert Albertus Argentinensis agnatos et consanguineos suos finxisse sibi ignotos esse, et asseruisse pontificem Romanum consanguineos non habere. Cum vero multi urgerent ut eos promoveret, subintulisse illud Davidicum, quod Symbolum ejus erat : « Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero (*Psal.* XVIII), » unicoque excepto nepote suo quem Arelatensem pontificem institui voluit, consanguineum vel agnatum neminem agnovisse. De Adriano VI legitur quod cum cardinalis nepoti suo sacerdotium B 70 aureorum annui reditus contulisset, vacassetque aliud, cujus proventus paulo pinguiores essent, vix adduci potuit dare illud, solitus dicere cupere se homines beneficiis dare, non beneficia hominibus. Laudat Baronius ad annum 1187, num 20, Leonem XI, eo quod ægrotans adduci non potuerit suasionibus cardinalium regiorumque legatorum, ut nepotem suum modestissimum adolescentem, quem penes se educaverat, et unice diligebat, sacro cardinalium collegio ascriberet. Observat quoque eminentissimus annalista confessarium suum ista ingerentem expulisse, et ad se amplius accedere vetuisse, ut quem magis indulgere affectui conjunctorum quam animæ suæ saluti consulere agnovisset.

(38) Non ita Clemens IV, qui vix pontifex renuntiatus in hæc verba scripsit Petro Grosso nepoti suo : « Scire te volumus quod humilior solito debes esse. Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maxime cum honor hujus sæculi momentaneus sit, et sicut hos transeat matutinus. Nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato, quia spe sua frustratus, si secus venire præsumeret, oporteret redire confusum. Sed nec in sororis tuæ nuptiis gradum quæras propter nos altiorem ; nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicis desponsaveris, in ter centum libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quæsiveris, nec a nobis denarium speres unum. » De duabus vero filiabus, quas de ligitimo matrimonio susceperat, subjungit : « Illud etiam scias quod nullum nullamque de sanguine nostro sub nostræ sublimationis obtentu instare volumus, sed tam Nobiliam quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent si essemus in simplici clericatu. » Eadem mens fuerat magistri Anselmi de nepotibus suis, referente Petro Cantore *Verbi abbr.* c. 47. D Cujus nepotes cum vellet Stephanus seneschallus Franciæ promovere et milites facere, nobilibusque puellis in matrimonium collocare, ait : « Absit, domine, ut hac rem facias : potius maneant in eadem conditione et vocatione, in qua vocavit eos Dominus, ne extollantur in superbiam. De pauperibus et rusticanis viris nati sunt, tales ergo, rogo, permaneant, Mallem enim me nunquam sacram Scripturam legisse, quam eos sic promotos humilitatem reliquisse. »

(39) De hoc Reginaldo, qui fuit postea Barthoniensis episcopus, vide notas ad epistolam 30.

[16] Epist. 3 *ad Paulin.* [17] Rom. 8. [18] Psal. 4. [19] Psal. 39. [20] Baruc. 3.

historias Ulysses aves armatas intulit Græciæ ad eorum solatium, quorum parentes in acto Trojana ceciderant; noluit tamen vir prudens hac vanitate filium suum Telemachum occupari. Qua igitur audacia hoc in se præsumet Christi discipulus et professor quod in filio suo gentilis abhorruit [31]? A quibusdam dicitur Machabæus domesticasse accipitres in avium capturam; sed hac vanitate omnino abjecta, se bellis et morti exposuit, ut paternas leges erigeret, cæremoniasque innovaret, et mundaret sancta, debitum templo honorem redderet, et decorem suæ genti, et amissam restitueret libertatem. Hujus equidem aucupii genus laboriosissimum est, sumptusque quos exigit, suorum successum commoditate non redimit [32]. Cum Marcellus nepos Augusti sollicite versaretur in avibus capiendis, quæsivit ab eo Virgilius utrum mallet avem armari in avium prædatione, aut muscam in exterminationem muscarum. Relata ad avunculum quæstione, præelegit muscam, quæ a Neapoli abigeret muscas universas, cujus petitionem effectus implevit. Mallem vos habere muscam Virgilii, quam has sumptuosas aves, quæ in lege Domini ab ejus sacrificio prohibentur [33]: et quæ ex quadam degeneris naturæ corruptela hoc habent, ut fortior sit in eis sexus muliebris, quam masculinus (40). Si igitur es Christi discipulus et professor, desinite, quæso, currere et clamare post voluptuosas aves. Currite et clamate post eum qui bene currentes dirigit, qui devote clamantes exaudit; sine cujus gratia propositum religionis, quantumcunque gravis et asperæ vitæ, meritum non habebit. Video quosdam, quorum mentes avium delectatio totas occupando consumit. Nonne isti imaginem gerunt Titii, cujus jecur poetæ [34] referunt jugiter ab avibus devorari? Nam satis devorantur ab avibus, qui hac avium curiositate torquentur. Sane cum beneficiis ecclesiasticis, quibus ampliavit vos Dominus vehementer, curam non avium, sed ovium suscepistis, in die tremenda computandus in sinistra cum hædis, et extra gregem Domini faciendus, si non oves avibus antefertis. Licet ad episcopalis eminentiæ sedem nondum ascenderitis, quod Domino dante in proximo fiet: animabus tamen, quarum in vos suscepistis periculum, officium pastorale debetis, quarum curam requiret a vobis exactissimus judex, talentumque vobis creditum exiget, etiam cum usuris, vos supra multa constituens, si fidelis supra pauca fueritis. Abjecta itaque avium vanitate, vestrum ad libros studium convertatis, ne vos Dominus ignarum suæ legis inveniat: *ignorans enim ignorabitur* [35]. Pastores erant, dicit Dominus, et intelligentiam ignorabant. Nemo scientiam Dei pertinacius a se potest repellere, quam occupatione illiciti amoris vel aucupii voluptate. Unde, vel ab hac temeritate cessabitis, vel vereor, ne vobis a Domino quandoque dicatur: *Quia repulisti scientiam meam a te, ecce repello te, ne sacerdotio fungaris mihi* [36]. Volucres cœli, sicut et pisces maris, non ad voluptatem concessæ sunt homini, sed ad usum. Si tamen hæ volucres deprædatoriæ et rapaces aves cœli merito censeantur, quarum exercitio cœlum clauditur, aperitur infernus Quia ergo juxta communem cleri et populi æstimationem in proximo est dies vestræ visitationis, præparate vos ad suscipiendum et ferendum jugum Domini, aviumque temeritatem, et malitiam hujus vitæ convertatis in Christi militiam, et exercitium honestatis.

EPISTOLA LXII.

AD MAGISTRUM R. BLONDUM.

ARGUMENTUM. — *Gaufridus Lincolniensis electus clericum quemdam suum inobedientiæ arguit, quod se relicto cuidam abbati adhæserit: monetque ne nomine abbatis se archiepiscopo Cantuariensi opponat.*

G. (1) Dei gratia Lincolniensis electus, domini regis Angliæ filius, magistro R. BLONDO, salutem et humilius sapere.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(40) Hoc notum est apud omnes qui naturam avium exploraverunt, feminam in accipitribus esse masculis fortiorem, quod non reperitur in aliis.

(41) Gaufridus, vel, ut alii, Galfridus (quod idem est) Henrici II regis Anglorum filius naturalis, primo archidiaconus Lincolniensis, tunc ejusdem Ecclesiæ post septemdecim annorum vacationem episcopus electus est, nempe ann. 1180, consecrationem tamen suam per septennium distulit, amplissimis illius Ecclesiæ redditibus contentus, ut vitiis liberius vacaret, inquit Neubrigensis, l. II, c. 2:. Quousque summo pontifice Alexandro III ei per litteras significante, ut aut electioni renuntiaret, aut sacros ordines susciperet, ipse episcopatui renuntiavit, consentiente scilicet Henrico patre, qui juvenem delicatum, et tanti honoris apici. aut potius oneri minus idoneum videbat; propterea ipsum cancellarium suum instituit, quod munus ad patris usque obitum, non sine æquitatis et prudentiæ laude administravit, id est per octo annos: patre vero mortuo et fratre, in metropolitanam Eboracensem evectus est a Richardo rege, quem tamen postea pœnituit. Verebatur forte, ne quid dissentionis inter eum et Guillelmum Eliensem episcopum regni cancellarium oriretur: Quod et accidit; nam cum Richardus ad expeditionem Jerosolymitanam perrecturus vetuisset ne Gaufridus tum agens in Northmannia, ante triennium ad sedem suam proficisceretur, ipse nihilominus, ex præscripto summi pontificis a Turonensi archiepiscopo consecrationis munere suscepto, in Angliam transfretare voluit; verum a cancellario, tunc regni in absentia regis administro, per insidias captus, et ignominiose in carcerem detrusus est. Postea tamen Joanne regis Richardi, et ipsius fratre mediante, liberatus est, et cancellarius expulsus. Thomas Stubs in *Actibus archiepiscoporum Eboracensium* laudat eum ut magnæ abstinentiæ et puritatis virum; Goduinus ut

---

31 Joan. Sarisb. in *Polycr.* l. I, c. 4. 32 Ibid. 33 Lev. 11. 34 Tibul. I, 1. et 13; Virg. *Æneid.* VI. 35 Isai. 56. 36 Ose. 4.

Cum proponas in litteris tuis quod mecum velis disputare de pari, fines pacti transgrederis : et utinam mecum de pari tantum, non de superiori contenderes ! In eo enim superiorem me, aut mihi contrarium te fecisti, quod mea vocatione posthabita ad mandatum cujusdam abbatis remanere in Anglia decrevisti. Fortior quidem est disputatio in contradictione, et contrarietate operum, quam verborum. Cum ad me venire, et mecum esse debeas, et non velis, contra me es, quia, testimonio Veritatis, *qui mecum non est, contra me est* ; et, *qui mecum non colligit, spargit*[27]. Quod autem ad otii reprobationem quædam de Tibullo, et monasteriis Ægypti tuis litteris adjecisti, otiosi hominis fuit. Ad laborem enim, non ad otium te vocabam ; non esses otiosus, si meis insudares negotiis, quibus te citra omnem vocationem spontaneum impendere debuisti. Te tatem excusabilem facit, quia semper habuisti me socium, nunquam dominum : et ideo novisti qualiter socio, non qualiter domino sit scribendum : si habuisses dominum assuevisses obedientiæ, quam detrectas. Verumtatem indomita cervice ferox post vocationis meæ litteras nunc agere causas Parisiis, nunc reverti Bononiam, nunc Lincolniam proficisci, nunc morari Oxenesordiaæ ordinas et disponis. In hac tamen ordinatione magna est confusio, ubi mens tua contrariis æstuat desideriis, et totus dissides a teipso. Si bonum obedientiæ acceptasses, vagos et dissolutos affectus, qui te in varia fluctuare compellunt devotus timor ad unius voluntatis arbritrium alligasset. Nunc autem domina ambitio, quæ novum tibi beneficium de prædicti abbatis largitione promittit, ad crimen ariolatus et idololatriæ per inobedientiam te compellit : quoniam, sacræ Scripturæ testimonio, *peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere*[28]. Utinam erga me humilius te haberes, et me ad benefaciendum tibi propensiore obsequio uberiore meritorum gratia provocares ! *Mundus* enim *in maligno positus est*[29]; et sicut optime nosti, beneficium, quod de munificentia nostra obtines, facile posset occasione ingratitudinis et inobedientiæ revocari. Ingratitudo enim est ventus urens et siccans fontem liberalitatis rorem amicitiæ, fluenta gratiæ. Illud obnixe te moneo, ut pro mendico et mendace abbate, sicut dicitur, te domino Cantuariensi in suis negotiis non opponas. Cum enim meorum numero ascriptus sis, eum per te impugnare viderer ; ideoque si ejus negotiis interesse, eique adesse, non potes, aut forte non audes, ei tamen obesse in aliquo, sicut me diligis, non attentes Scio quia ex affectu me diligit, atque in angustiis meis experimento probavi sincerissimam ejus fidem : ideoque ejus amicitias amplecti desiderans et fovere, ipsius injurias æquanimiter sustinere, aut dissimulare non possem.

EPISTOLA LXIII.

AD PETRUM ATREBATENSEM EPISCOPUM (42).

[A. D. 1190]

ARGUMENTUM. — *Gratias agit Atrebatensi episcopo pro munere misso.*

Reverendo Patri ac domino PETRO Atrebatensi episcopo, PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem, et eum, qui in Christo est charitatis affectum.

Liberalitati vestræ gratias refero, quantas possum, suger cuppa, quam mihi per fratrem vestri ordinis transmisistis, in qua circumscriptis omnibus quæ ad decorem et usum communem pertinent, sinceræ charitatis imaginem ad oculum depinxistis. Duo ibi metalla video conflata in unum ; duo ligna redacta in vasculum unum. Metalla per se, et ligna seorsim, vas unum faciunt, separata singula sibi sufficerent ; combinata vero statum veræ charitatis informant. Charitas combinari desiderat, et proximum sibi uniens in amoris amplexum omnem calumniam singularitatis evacuat. Combinatur tinctura in cocco[30] ; et Elisæus sui magistri spiritum in se postulabat duplicari[31]. Omnia ergo ita sunt in hoc vase duplicia ut nemo in figura ejus quidquam duplicitatis inveniat. Charitas enim, cujus typum manifestissime gerit, ita in Deo una est ut secum patiatur et proximum, et sicut Dominus per se et pro se diligitur, ita servus Dominicæ charitatis vicarius existat. De unione fidelium ad Deum et ad se loquitur per Ezechielem Dominus : *Faciam omnes lignum unum, et erunt in manu ejus*[32]. Hoc igitur munus in typo charitatis veneror, et in munere donatoris amicitias devotus amplector.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

rectæ indolis, et modestum. Fuit etiam in tuendis Ecclesiæ rebus vindex acerrimus. Unde et cum Joannes rex, ejus frater, multis Ecclesiam exactionibus infestare moliretur, ipse fortiter obstitit, et clam ab Anglia recedens, voluntarium exsilium subiit, universis prius rerum ecclesiasticarum invasoribus anathematis sententia innodatis. Post septem annorum exsilium in transmarinis terris obiit, scilicet anno Christi 1209, vel, ut aliis placet, 1213 ; archiepiscopatus sui circiter XXI. De eo fusius agunt Neubrigensis, Radulfus, Matthæus Parisiensis, et alii Anglici scriptores.

(42) Fuit hic Petrus Cisterciensis abbas, tum ob insignem morum probitatem et doctrinam totius cleri Atrebatensis calculis in pontificem electus, et a Guillelmo Blesensi, cardinali et archiepiscopo Remensi, Veronæ in Italia consecratus, anno 1184. Interfuit nuptiis Ingeburgis uxoris Philippi Augusti, anno 1193 ; obiitque ann. 1203.

Scripta est hæc epistola circa an. Christi 1190.

[27] Matth. 12 [28] I Reg. 15. [29] I Joan. 5 7. [30] Exod 25. [31] I Reg. 2. [32] Ezech. 37.

EPISTOLA LXIV.

AD CŒLESTINUM ROM. PONTIFICEM.

[A. D. 1193.]

ARGUMENTUM. — *Rothomagensis archiepiscopus una cum suffraganeis rogat pontificem summum, ut Ricardum Anglorum regem ab archiduce Austriæ in reditu ex peregrinatione Hierosolymitana in carcerem conjectum* (43), *curet liberari.*

Reverando Patri ac domino CŒLESTINO Dei gra- A tia summo pontifici, G. ejusdem permissione Rothomag. Ecclesiæ humilis minister, ipsiusque suffraganei, Bajocensis, Ebroicencis. Sagiencis, et Abrincensis, episcopi, salutem, et devotissimæ servitutis affectum.

Vulgariter dicitur quod nova et insolita morborum genera novo indigent mediciana. Ab usu siquidem nostrorum temporum prorsus credimus alie-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(43) Richardus Henrici II Anglorum regis filius, vir strenuus, et militiæ gloria insignis, mortuo patri an. 1189 successit in regnum. Et quia jam aute patris mortem se cruce signaverat, rebus in regno ordinatis, in Syriam cum multis aliis principibus Christianis profectus est, ubi mira Dei prælia gessit, quæ apud auctores hujus temporis legi possunt Verum negotiis regni sui urgentibus cum redire vellet, naufragium passus captus est a Leopol o duce Austriæ, atque imperatori Henrico IV traditus, ut observaverunt Gervasius, Joannes Bromton, Henricus Knyghton, et Matthæus Paris. ad an. 1192 et auctor Vitæ Cœlestini III, ad quem scripta est epistola hæc nomine episcoporum provinciæ Rothomagensis. Sed an injuste? Res ita se habuit, referente Gervasio: « Cum civatitem Accon irrumperent Christiani, et diversi diversa civatatis hospitia caperent, in nobilissimo civitatis palatio signum ducis elevatum est. Quod intuens rex, et invidens, manu militum valida vexillum dejecit, ducemque tam grato spoliavit hospitio. unde dux et Theutonici omnes indignantes abierunt, regique redituro multis in locis posuerunt insidian, et tandem, ut dixi, captus est. » Joannes Bromton rem aliter narrat, aitque quod cum Richardus incumberet in murorum Ascalonis instaurationem, proposuissetque duci ut portionem quamdam a suis reparari curaret, respondente duce patrem suum nunquam latomun, vel carpentarium fuisse, iratum regem responso ducem pede percussisse, atque prohibuisse ne du cætero vexillum suum in sua comitiva erigeretur. « Quapropter, inquit, Bramton, dictus dux a rege, et exercitu Christiano versus partes suas se divertens dixit: quod si unquam tempus opportunum captaret, se de rege pro illa ignominia vindicaret. » De Knyghton, etiam in aliquo aliter: « Nescio an casu, an regis voluntate vexillum ducis Austriæ cœno conculcatum est; unde dux ipse commotus, domum reversus est, gravissime postmodum de rege Richardo se vindicaturus. » Matthæus Paris. sic: « Cum prævii ejus (Leopoldi Austriaci) mareschalii sibi hospitium accepissent, et necessaria præparerent, supervenit præcipitanter quidam miles de familia regis Richardi, natione Neuster, et more suæ gentis ebulliens stultitia cum jactantia, asserebat se majus jus in illo hospitio habere quam aliquis alius; cum prius illuc adveniens sibi suisque sociis illud assignasset, multiplicatis conviciis utrobique, clamor ad aures regis pervenit. Rex autem nimis causæ Northmanni favorabilis et credulus' in iram excanduit contra familiam ducis; et nil perpendens civiter moderarem Dominicum, scilicet « descendam et videbo, » præcepit præcipitanter, et secus quam deceret, ut vexillum in eodem hospitio pro signo affixum in cloacam dejiceretur. Quod factum cum dux hospitio privatus, et turpiter a Northmannis garrulis lacessitus cognovisset, regem querulus adjit; sed nihil nisi sannas reportavit, unde dux a rege spretus, ad Regem regum se convertens, Dominum Deum invocavit in ultionem cum lacrymis, ut quemque superbum frangens tantam passum injuriam consolaretur, » etc. Auctor Vitæ Cœlestini III: « Captus es ideo quod vexillum ejus loco signi in hospitio suspensum in cloacam projici mandaverit. » Quod autem injuste detentus sit Richardus convenit cum nostro Blesensi Nicolaus Trevetus in Chron. his B verbis: « De S. Dionysii Richardus rex naves ascendit, et circa festum B Martini, ex diuturna tumultuantis pelagi jactatione jam processus navigationis applicuit in terram imperrii Constantinopolitani. Verum quoniam suspectam habuit imperatoris et Græcorum suorum versutiam, nolens ibi videri, cum piratis forte inventis paciscens, dato quantum postulaverant naulo, exegit ab eis ut expeditius ipsum in terram commodiorem transveherent. Relicta igitur classe regia habitu mutato se regem dissimulans, cum quatuor tantum sociis transvectus Esclavoniam, inde pertransiens Aquilejam, cum intrasset terram Leopoldi duci Austriæ, captus est in civitatem Viennam XIII Kal. Januarii; quem dux Limpoldus exosum habens pro morte marchisi, de qua suspectum regem habebat, carceri mancipavit. » Marchisus autem ille erat, Conradus marchio Montisferrati, qui cum Philippo Augusto in Syriam profectus erat; et quia nonnihil discordiæ inter eum et Richardum intercesserat, C de ejus atroci cæde Richardus accusabatur, sed falso. Nam cum principis Toronæ uxorem rapuisset, ille conductis duobus Montani cujusdam ducis militibus marchisum interficiendum curavit, ut ex litteris ejusdem ducis ad Leopoldum scriptis, quas postea relaturi sumus, innotuit; de eo vero marchiso sic Trevetus: « Marchisus quidam Gallus Amalrici Jerosolymitani regis filiam duxerat, ideoque regnum Guidoni regi eripere volebat, quia uxor ejus unde regnum obtinuerat, obierat. Philippus Francus marchiso favebat. Richardus Anglus Guidoni. Re inter optimates compromissa, statutum est, ut Guido regiam obtineret dignitatem ad vitam, marchisius vero, qui hæredem regni duxerat, haberet comitatus, Tyri, Sidonis et Baruch, defunctoque Guidone regni didemate insigniretur, » etc. Deinde quomodo interfectus sit narrat his verbis: « Cum Richardus ante dicessum suum per legatos marchisum vocaret, quem regem Jero- D solymorum elegerant, antequam veniret ad regem, cum comedisset die quadam cum episco Belvacensi, a duobus assassinis rediens est occisus. » Tum quod injuste de hac cæde accusaretur Richardus, sic effatur: « Ab hac tamen morte princeps Hassassenorum, a quibus, ut supra patuit, interfectus est marchisus, regem Richardum per litteras hujuscemodi excusavit: « Limpoldo duci Austriæ Ve- « tus de monte salutem. Cum plurimi reges, » etc. Quæ quia iisdem omnino verbis habentur apud Walsinghamum, brevitatis causa omittimus. Nihilominus Leopoldus regem Richardum aliquandiu sub arcta custodia detentum, imperatori Henrico VI reddidit, quem ille per duos ferme annos in vinculis detinuit; et licet summus pontifex excommunicationis fulmina sæpius minitaretur, cum tamen nisi magna pecuniæ summa persoluta liberum abire non permisit.

num, quod capiatur, aut ad redemptionem aliquatenus compellatur, vel in eundo, vel in reditu, quicunque Hierosolymitanæ peregrinationis prosecutor existit. Recolimus, quod illius viæ sanctique signaculi professores. Ecclesia Romana in sua custodia et tuitione suscepit. Nec dubium est redundare in totius Ecclesiæ caput, quidquid contra ejusdem Ecclesiæ auctoritatem in ejus filios attentatur. Christianissimus princeps, rex Angliæ illustrissimus dominus noster, et devotissimus Ecclesiæ Romanæ filius, quem specialiter in sua protectione susceperat in sua peregrinatione post sudores et pericula, post angustias et discrimina vitæ, quæ pro amore et honore Dei diu sustinuerat, revertendo captus est, et injuste detentus. Plangimus dolores et angustias nostras, quas utinam nobiscum communicare velletis paterno compassionis affectu, et ostenderetis per experientiam in nostris augustiis, quantum vobis teneri debeat affectio filialis! Docet publicus experientiæ liber uberiorem esse charitatis affectum parentibus ad filios, quam filiis ad parentes: ideoque pensata devotione quam hactenus habuerunt reges Angliæ erga Romanam Ecclesiam, speramus in eo, qui spes nostra est, quod non deficiet in hac angustia nostra illa exuberans et in exhausta gratiæ plenitudo, quæ se impertitur afflictis, lapsos erigit, læsos reparat: et, ut quod multum est claudatur in modico, se communicat universis: qui universorum et singulorum totus est, qui se servum servorum publice profitetur (44). Quid faciat pro tanto filio, pro tanto principe; cujus injustissimam captionem provinciæ lamentantur, dolent populi, plorant Ecclesiæ, et omnia jura tam moderna, A quam vetera detestantur? Exerat beati Petri gladium manus vestra, clementissime pater; quid et quantum tanto filio debeatis, exhibeatis in opere, ut experientia mediante addiscant minores et inferiores filii, quantum a vobis auxilium in suis necessitatibus debeant exspectare. Valete.

EPISTOLA LXV.

AD SOCIUM ET AMICUM.

ARGUMENTUM. — *Docet amicum, non esse licitum auguriis, somniis, visionibus, fortuitis eventibus, vel aliis modis vetitis, futurorum explorare notitiam.*

Petro charissimo socio et amico, suus Petrus Blesensis, salutem et si quid melius est salute.

Cum nuper de hospitio suo egredienti magistro G. pulchro, magister Wilelmus Blesensis monachus frater meus occurrisset, egredientem monuit B regredi, et instantissime, ne progrederetur, inhibuit, magnum eadem die sibi renuntians imminere periculum, si præsumeret proficisci. Magister vero G. in Christo perfectus, vaniloquium reputans quidquid non esset in fidei radice fundatum, securus iter ingressus est, se comitivæ domini Cantuariensis adjungens, de cujus familia censebatur. Profectus itaque paululum in fossatam profundissimam, et aquis concurrentibus exuberantem, cum equo minus caute incidit: cumque equus et ascensor in profundo submersi palpitarent in aquis vehementibus, tandem magister Willelmus convementibus et subvenientibus multis vix evasit. Hæc vidisti, et universi, qui tunc archiepiscopi consortio adhærebant. Cœpisti ergo C scrupulose inquirere, et a me præ cæteris explorare, utrum his fidem adhiberem, et quid sentirem de ejusmodi ominosis occursibus (45), de somniis,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(44) Gregorius Magnus prænotavit aliquot e suis epistolis in hunc modum: « Gregorius servus servorum Dei, » ut patet ex epist. 1 l. IX, quæ est Innocentio Africæ præfecto; epist. 1 l. X. Dominico Carthag. episcopo; ep 1, l. XII, Marniano Ravennati; et 31 Felici episcopo Siciliæ. Formulam hanc cæteri pontifices postea servarunt, Bonifacio V incheante, qui sedit an. 618. De hoc Joannes diaconus, l. II Vitæ Gregorii, c. 12. Primus omnium se in principio suarum epistolarum servum servorum Dei scribi satis humiliter definivit, cunctisque suis successoribus documentum suæ humilitatis tam in hoc quam in mediocribus pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in sancta Romana Ecclesia conservatur, hæreditarium reliquit. Eumdem titulum ad Gregorii exemplum bene multi episcopi usurpaverunt. Desiderius Cadurcensis epist. 4, 5, 10 et 12, Eligius Novomensis epist. 6, inter diversas pontificum scriptas Desiderio. Bonifacius D Moguntinus epistolis 2, 3, 8, 9, etc. Daniel epistol. 33, inter Bonifacianas. Torthelmus epist. 43, Guthbertinus ep. 70, et alter episcopus innominatus ep. 87 et 95. Cena epist. 99, Bergonoinus epist. 103, Lullus epist. 109 et 111. Hincmarus epist. 45, Diedericus Metensis apud Gerbertum epist. 31, Augustinus eamdem loquendi formam jam ante usurpaverat, epist. 107: « Servus Christi, et per ipsum servus servorum ipsius. » Et epist. 121: « Servus Christi, servorumque Christi. » Et initio libri *De bono viduitatis*: « Servus servorum Christi. » Cæterum eadem loquendi formula usurpata est a presbyteris, ut constat ex epist. 53, abbatibus, ex ep. 83 et 84, abbatissis, epist. 38, regibus, epist. 49, inter Bonifacianas. « Sigebaldus rex indignus et ultimus famulorum Dei famulus. » Affines sunt et istæ formulæ apud August. « Servus Christi et Ecclesiæ » ejus epist. 89: « Plebis Dei famulus, » apud Danielem episcopum inter Bonifacianas epist. 66 et 67. Apud Hincmarum epist. 15, 17, 23, 25, 29, 32, 38, 39, 40, 50, 52 et 53.

De morte autem Richardi, et mirabili ipsius pœnitentia videnti *Anglicarum rerum Scriptores*.

Scripta est hæc epistola anno 1193, scilicet paulo post captum Richardum: nam an. 1192, 2 Decembris captus est.

(45) Vox *omen*, a qua *ominosus*, non est ecclesiastica, sed profana. August. l. I *Retract.* c. 1: « Omen quippe me legisse non recolo, sive in sacris litteris nostris, sive in sermone cujusquam ecclesiastici disputatoris, quamvis abominatio inde sit dicta, quæ in litteris divinis assidue reperitur. » De ejusmodi occursibus Chrysostomus Homil. 32 in Epist. ad Ephes. Ὁ δεῖνά μοι πρῶτος ἐνέτυχεν, φησιν, ἐξίοντι τῆς οἰκίας, πάντως μυρία δεῖ κακὰ συμπεσεῖν, id est: « Ille aut ille primus mihi occurrit domo exeunti, omnino contingere oportet mala innumerabilia. » Et homil. 21 ad pop. Antioch. Πόμπη δὲ σατανική ἐστι θέατρα, καὶ ἱπποδρομίαι, καὶ πᾶσα ἁμαρτία, καὶ παρατήρησις ἡμερῶν, κλήδονες, καὶ σύμβολα· καὶ τί ποτέ ἐστι σύμβολά φησί. Πολλάκι ἐξελθών τις τὴν οἰκίαν τὴν ἑαυτοῦ εἶδεν ἄνθρωπον ἑτερόφθαλμον ἢ χωλεύοντα, καὶ οἰωνίσατο; τοῦτο πομπὴ

et lemuribus, (46), de volatilibus (47), de sternutamentis (48). Ea siquidem vice pro capacitate mei ingenii respondissem : nisi, quia tunc, sicut ipse recolis, mittebar ad dominum regem, atque de his quæ erant itineri meo expedientia sollicite cogitabam. Verumtamen, quæ tunc viva voce non potui, nunc scriptis expediam, verbique defectum redimet diligentior explanatio per scripturam. Cum in sacro eloquio legas, quod *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*[33], ut fidem nostram humani generis inimicus expugnet, malitiam suam ad multiformes astutias circumducit : multæ enim sunt astutiæ ejus, teste Apostolo : *Non ignoramus*, inquit, *astutias Satanæ*[34]. Mentibus itaque hominum phantasticas illusiones immittens, nunc in avium volatu, nunc occursu hominum, nunc ferarum, somniisque et aliis modis promittit scientiam futurorum, et sic rerum eventus lætos infaustosve denuntiat, u quietem cordium vana curiositate sollicitet, atque ut aliquid paulatim de fidei sinceritate incrustet Suggestione siquidem diaboli quædam mulieres cereas sive luteas formant imagines (49), ut sic hostes vel amasios torqueant et incendant, juxta illud Virgilianum :

Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit,[35] etc.

Quædam habent oculos fascinantes, juxta illud Virgilii :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos[36].

Quidam in volatu avium futura conjiciunt, unde illud :

Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab illice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas[37].

Legitur etiam [38] quod in clypeo Hieronis proficiscentis ad bellum aquila resedit, significans eum esse victorem futurum et regem. Quidam genethliacos, quidam mathematicos, quidam ariolos, quidam pythonicos consulunt. Et quia divinationi eorum quandoque respondet eventus, eis fides a temerariis exhibetur. Nam mendacii pater veritatem

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ

σατανική· οὐ γαρ ἡ ἀπαντησις τοῦ ἀνθρώπου πονηρὰν ποιεῖ τὴν ἡμέραν γενέσται, ἀλλὰ τὸ ἐν ἁμαρτίαις ζῆν. Hoc est : « Pompa Satanica sunt theatra, Circenses et omne peccatum, et dierum observatio, et præsagia, et omina. Et quid tandem sunt omina ? Sæpe domum quis suam egressus hominem vidit unoculum, vel claudicantem, et ominatus est. Hæc est pompa satanica. Non enim hominis occursus malum facit esse diem, sed in peccatis vivere. » Et postea : Εἴπω καὶ ἕτερον καταγελαστότερον ! αἰσχύνομαι μὲν καὶ ἐρυθριῶ, ἀναγκάζομαι δὲ ὅμως διὰ τὴν ὑμετέραν σωτηρίαν εἰπεῖν. Ἐὰν ἀπαντήσῃ παρθένος, φησὶν, ἄπρακτος ἡ ἡμερα γίνεται ἐὰν ἀπαντήσῃ πόρνη, δεξιὰ και χρηστὴ, καὶ πολλῆς ἐμπορίας γέμουσα. Hoc est : « Dicam et aliud ridiculosius ? Confundor nempe et erubesco, sed cogor propter salutem vestram dicere. Si virgo, inquit, occurrerit, sterilis dies erit ; si vero meretrix, dextra et bona et multa mercatione plena. » Augustinus lib. II *De doctr. Christ.*, c. 20 : « His adjunguntur millia inanissimarum observationum ; si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis aut canis, aut puer, medius intervenerit ; atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit. Sed bellum est, quod aliquando pueri vindicantur a canibus : nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune, namque a vano remedio cito interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa : Limen calcare cum ante domum suam transit ; redire ad lectum, si quis dum se calciat, sternutaverit ; redire domum, si procedens offenderit ; cum vestis a soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali quam præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui, cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur. » Eligius Noviomensis episcopus exhortatione ad populum suum : « Nullus observet egrediens, vel ingrediens domum quid sibi occurrat, vel si aliqua vox reclamantis fiat, aut qualis avis cantus garriat, vel quid etiam portantem videat, quia qui hoc observat, ex parte paganus dignoscitur. »

(46) Lemures proprie sunt larvæ nocturnæ, et terrificationes imaginum et bestiarum ex Nonio. Horatius I. II epist. 2.

Nocturnos Lemures portentaque Thessala ridet.

A Persio sat. 5, dicuntur *Nigri Lemures*. Ang. l. IX *De civit. Dei*, c. 11 referens sententiam Plotini ita loquitur : Dicit quidem et animas hominum dæmones esse, et ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt ; Lemures seu Larvas, si mali ; Manes autem deos dici, cum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum. » Et postea : « Larvas quippe dicit esse noxios dæmones ex hominibus factos. »

(47) Hoc est de avibus, ex quorum volatu, cantu, vel pastu res futuræ præsignificantur, quæ auguria seu auspicia dicuntur. In For. Ful. Dom. Bec. et Haut. habetur, *volatibus*.

(48) Ex quibus omen captabant, unde sternutamenta felicia vel infelicia. Ambros. serm. 33 : « Qui colunt augures vel sacrilegos, vel aruspices, divinos et præcantatores, et qui confidunt in phylacteriis et characteribus, aut sternutationibus, avibus cantantibus, divinationibus, aut mathematicis, aut aliis quibuscunque malis artibus, damnabuntur. » Chrysost. homil. 12 ad Ephes. Κἂν ὄνος ἀνακράξῃ, κἂν ἀλεκτρυὼν, κἂν πτάρῃ τις, id. est : « Et si asinus exclamaverit, et si gallus, et si qui sternutaverit, » etc. Ang. l. II *De doctr. Christ.* c. 21 : « Si quis cum se calciat sternutaverit. » Eligius Noviom. orat. exhort. ad pop. « Sternutationes nolite observare. » Joan. Sarisb. l. XIX, Polyc. c. 1 : « Quid enim refert ad consequentiam rerum, si quis semel aut amplius sternutaverit ? »

(49) Artifices hujus nugatoriæ vel noxiæ superstitionis vultivoli nuncupantur. Sarisb. c. 12, l. I Polycrat : « Vultivoli sunt, qui ad affectus hominum immutandos, in molliori materia, cera forte vel limo, eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimunt. »

33 Joan. 5. 34 II Cor. 2. 35 Virgil. Eclog. 8. 36 Id. ibid. 3. 37 Id. ibid. 9. 38 Just. lib. XXVIII.

exhibet frequenter umbratilem (50), donec infidelitatis filios secum præcipitet in gehennam. Sic Saul, dum Pythonissam consulit, cum filiis suis in montibus Gelboe meretur interfici [39]. Sic Ochozias, qui ceciderat per cancellos, dum de vitæ diuturnitate scrutatur, vita ejus tanquam tela texanda succiditur [40]. Oraculo Apollinis circumventus est Alexander [41]. Cœsus Halym transgressus in æquivocatione, *perdendi*, eventu deteriore percussus est. Sit igitur sententia Christiani, nihil de futuris inquirere, sed illius dispositioni humiliter obedire, qui disponit omnia suaviter, cujus consiliarius nemo fuit. Non enim possumus ei dicere, cur ita facis [42]? Dominus est : quod bonum est in oculis suis, faciat. Non laboremus nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate [43]. Futurorum enim explorare notitiam auguriis, vel aliis illicitis modis diabolica tentatio est, et æternæ damnationis occasio. Os enim Domini locutum est populum Israel instruentis. *Cum ingressus fueris*, inquit, *terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, cave ne imiteris abominationes gentium: non inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam suam, ducendo per ignem: non sit, qui ariolos sciscitetur, et observet somnia et auguria : non sit maleficus vel incantator: nemo per pythones aut divinos quærat a mortuis veritatem : omnia hæc abominatur Dominus* [44]. *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui dicit se somnium vidisse, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit, quod locutus est, verba somniatoris, aut prophetæ non audias* [45]. Et frequenter evenit, amice charissime, rerum prodigia certos exitus obtinere : eis tamen nulla fides adhibeatur. Licet enim sæpe vera pronuntient, sæpius tamen et periculosius mentiuntur : nec te moveat, quod quandoque ex dispensatione divina talia personæ commendabiles acceptasse leguntur. Nam et sanctus Daniel regem Nabuchodonosor visione imaginis consternatum, peccata sua fecit eleemosynis redimere, et ad tempus divinæ animadversionis sententiam declinare [46]. Joseph in Ægypto magnificavit interpretatio somniorum [47]. Ezechielem, atque Joannem Evangelistam in sacro eloquio admirabiles reddidit elegantia visionum. Jam vero in visionibus sperare superstitiosum est et saluti contrarium : plerique tamen qui talibus assueverunt, ab iis avelli non possunt. Unde quidam ad negotia profecturi, si quo progrediuntur interroges, revertuntur, verbum Judith forsitan advertentes, quæ cum egrederetur de Bethulia civitate, quam obsederat Holofernes, sperans in manu Domini liberationem patriæ, et victoriam de tyranno, ne quis eam quo proficisceretur interrogaret, inhibuit [48]. Conjiciunt igitur interrogationem aliquid ominis habuisse, quod itineris successum poterat impedire. Beatus etiam Marcus evangelista evangelizandi causa navigio Alexandriam petentes, cum navem egrederetur, calceum rupit, atque Deo gratias agens iter suum expeditum esse perhibuit. Quidquid tamen alii credant, ego indubitanter credo sanctum evangelistam hoc non ex superstitiosa curiositate dixisse : cui etsi nunquam calceus ruptus esset, ei tamen sui expeditionem itineris et successum per Spiritum sanctum Dominus revelasset. Sane hujusmodi præstigiosa prognostica, se plerumque in varios, aut forte contrarios eventus effigiant. Unde et Julius Cæsar, qui, nunquam ulla superstitionne, aut augurio deterreri potuit ab inceptis, dum in Africam proficisceretur, in egressu navis prolapsus est : sed ad meliora omine commutato : « Teneo te, inquit, Africa, eamque obtinuit [49]. » Rex etiam Willelmus, Angliæ acquisitor, primo terræ ingressu equum quem ascenderat excitavit ad cursum, qui cum equo lapsus et prostratus in terram [50] : « Terra, inquit, mea est ; quod eventus implevit (51). » De visionibus et somniis propheta testatur, et dicit: *Senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt* [51]. Si recenseam visiones et somnia antiquorum, epistolam onerabo exemplis. Joseph enim sponsus beatæ Virginis sæpius in somniis ab angelo eruditur [52]. Magis interdicitur, ne redeant ad Herodem [53]. Docetur Petrus in linteamine reptilium plenitudinem gentium colligendam [54]. Constantinus ab apostolis visitatus est, orbisque majestas publice professa est regnum et imperium Christi esse [55]. Visio Africani [56], Apoca-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(50) Illud est quod Aug. *l. cit.*, c. 23, his verbis expressit : « Hinc enim fit, ut occulto quodam judicio divino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi et decipiendi pro meritis malarum voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima scundum pulcherrimum ordinem rerum divinæ providentiæ legi subjecta est. Quibus illusionibus et deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis et perniciosis divinationum generibus multa præterita et futura dicantur, nec aliter accidant quam dicuntur, multaque observantibus secundum observationnes suas eveniat, quibus implicati curiosiores fiant, et sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. »

(51) De hac historia sic Matthæus Paris. ad. ann. 1066 : « Dux Willelmus in ingressu navis pede lapsus est. Casum in melius commutavit miles, qui prope stabat dicens : O dux, inquit, Angliam tenes, rex futurus. » Paulo fusius Kuyghton lib II, *De eventibus Angliæ*, cap. 1 : « Post festum S. Michaelis anno gratiæ 1066, dum Willelmus saltitasset de navicula festinans in terram, cespitans uno pede cecedit in sabulum, ita ut os ejus sabulo impleretur. Deus, inquit Willelmus, adjutor meus, terra est mea. Acclamat statim sibi similiter quidam miles : Domine comes, jam tenes terram Angliæ, in proximo rex futurus. »

[39] I Reg. 28. [40] IV Reg. 1. [41] Justin I. XI : Cic. I II *De divin*. [42] Rom. 11. [43] Act. 1. [44] Deut. 18. [45] Deut 13. [46] Dan. 4. [47] Gen. 41. [48] Judic. 8. [49] Sueton. in Cæsare. [50] Polyd. lib. VIII, *Hist. Anglic.* [51] Joel. 2. [52] Matth. 1. [53] Matth. 2. [54] Act. 10. [55] In Actis S. Silvestr. [56] Cicer. in *Somnio Scip.*

lypsis apostoli, Danielis et Ezechielis oracula, somnia Pharaonis et Joseph legentibus frequenter occurrunt [57]. His et aliis modis aperit suis, prout vult suam Dominus revelare voluntatem. Veruntamen, ut fidem habeam somniis, nulla somnia me inducent. Non inficior, quin anima frequenter ex reliquiis cogitationis, aut ex innata sibi perspicacia quasdam futurorum præfiguret imagines, sed crebro decipitur. Nam, sicut per experientiam didici, ex ea visione, qua mihi gaudium quandoque nuntiaverat, postea contrarum reportavi. Somnia igitur ne cures, amice charissime, nec te illorum errore involvas, qui occursum leporis timent, qui mulierem sparsis crinibus, qui hominem orbatum oculis, aut mutilatum pede, aut cucullatum habere obviam detestantur : qui de jucundo gloriantur hospitio, si eis lupus occursaverit, aut columba : si a sinistra in dexteram avis sancti Martini volaverit : si in egressu suo remotum audierint tonitruum, si hominem gibbosum obviam habuerint, aut leprosum [58]. Opinio autem mea est magistrum G. submersionis illius incurisse periculum, etsi nullus ei monachus occurrisset.

EPISTOLA LXVI.

AD WALTERUM (52) ARCHIEPISC. PANORMITANUM.

[A. D. 1077.]

ARGUMENTUM. — *Gratulatur Panorm. archiepiscopo, quod ex humili loco ad tantam dignitatem sit erectus, Henrici secundi regis Anglorum staturam, moresque breviter describit, et cædis S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi et martyris minime auctorem fuisse demonstrat.*

Quondam socio, nunc domino, et amico in Christo charissimo WALTERIO Dei gratia Panormitano archiepiscopo, P. Blesen., salutem et continuos ad vota successus.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui visitavit et fecit misericordiam suam vobiscum, de pulvere egenum vos erigens, ut sedeatis cum principibus, et solium gloriæ teneatis. Terribillis est Dominus in judiciis suis, et in suis miserationibus magnus est, et laudabilis nimis: nam *miserationes ejus super omnia opera ejus* [59]. Miserationum itaque, quas magnificavit in vobis, jugem habeatis firmanque memoriam, nec illud Judaicum opprobrium notetur in vobis : *Non fuerunt* inquit, *memores beneficiorum ejus et mirabilium quæ ostendit eis* [60]. Nihil est, quod adeo provocet indignationem Altissimi, sicut ingratitudo : ipsa est malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, exterminatio meritorum. Ob reverentiam illius, qui de comtemptibili paupertate vos extulit, pleniorıs exibeatis humanitatis officium pauperibus cisalpinis, illos enim qui eunt, aut redeunt a terra, in qua steterunt pedes Domini, potestis affligere multipliciter, potestis et, sicut decessores vestri, necessitates eorum humanioris gratiæ solatio relevare. Illud noveritis,quod pater orphanorum et pauperum ipse est, qui exaltat humiles, et potentes humiliat : ipso pro suis pauperibus peregrinantibus vos exerit, ut apud vos auxilium consuetæ benignitatis inveniant. Ideoque timendum est vobis, ne clamor et querela eorum ad aures illius ascendat, qui est terribilis apud reges terræ, qui judicat causam pauperum, et arguit pro mansuetis terræ. De zona aurea, et lumbari serico, et samito, et aliis xeniis, quæ per latorem præsentium de vestra largitione suscepi non quantas volo, sed quantas valeo refero vobis grates.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(52) Erat hic Gualterius natione Anglus, ex Pitsæo, vir insignis litteraturæ, et maxime in litteris humanioribus versatus. Quod autem ait idem Pitsæus Gualterium ab Henrico II, Anglorum rege, præmissum esse in Siciliam, ad imbuendum melioribus diciplinis Willelmum regem adhuc juniorem, cui Joannam filiam suam nuptunc dare constituerat ; unde hoc sumpserit nescio, cum in nullo scriptorum hujus temporis legatur, imo et Fazello gentili scriptori adversetur, qui Gualterium regiorum puerorum præceptorem facit, etiam vivente Guillelmo seniore istius Guillelmi patre. Adde quod Falcandus scribit regiam matrem Guillelmi junioris ab avunculo suo Rotrodo Rothomagensi archiepiscopo petisse, ut aliquem de consanguineis suis sibi transmitteret, Stephanumque Perticensis comitis filium advenisse, cum quo triginta sex alii e Gallia in Siciliam profecti sunt, inquit Baronius, inter quos erat Petrus Blesensis, futurus præceptor junioris regis, quem hactenus humanioribus litteris imbuerat Gualterius, ut ipsemet Blesensis in præsenti epistola testatur his verbis : « Sictis quod Dominis rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit qui et a vobis versificatortæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat. » Fuit autem Gualterius primum vivente Guillelmo seniore archidiaconus Cephalœdensis, tum decanus Agrigentinus, postmodum sub Guillelmo juniore archiepiscopus Panormitanus, post Stephanum Perticensem, qui, conjuratione in eum exorta, clam aufugere et dignitatibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus cedere compulsus fuerat. « Post paucos dies, inquit Falcandis, Gualterius Agrigentinus, conducta plebis multitudine, metuque compulsis canonicis, consentiente curia, non tam electus quam violenter intrusus, Panormitanæ regimen susceptit Ecclesiæ. » Quamvis autem regina, et allii, qui pro Stephano adhuc revocando laborabant, hujusmodi electionem a summo pontifice non fore confirmandam sperassent, quod Stephanus non tam dignitatem deposuisse, quam spoliatus esse vi ac minis videretur ; urgente tamen Guillelmo rege apud Alexandrum III, cujus gratiam plurimis promeruerat beneficiis, pro Gualterio pontifex diploma scripsit ; imo ut regis voluntati obsecundaret postulantis, ne Romam adire ad consecrationem ille compelleretur, id etiam in diplomate indulsit. Fuit quoque hic Gualterius regni Siciliæ cancellarius ; et quia unus ex primoribus administris, ad maxima quæque reipublicæ negotia adhibitus.

Cæterum Panormitanam Ecclesiam 25 annis summa cum laude administravit, ipsique multa bona contulit, ut videre est apud Rocchum Pyrrhum in notitia prima Ecclesiæ Panormitanæ.

Opuscula quadam scripsit, qua ad memoriam nostram non pervenerunt, vel homine inter exteros vivente, perierunt : ita ut nec tituli quidem inveniantur, præter de Latinæ linguæ rudimentis librum unum, inquit Pitsæus.

[57] Gen. 41. [58] Joan., Sarisb. in *Policrat.* lib. I et II. [59] Psal. 144. [60] Psal 77.

Ex hoc enim patet antiqua liberalitatis vestræ integritas, quam nec intervalla temporum, nec locorum spatia, nec honoris assumptio, nec cætera amicitiæ destructiva subvertere potuerunt.

Quod autem a me cum omni instantia postulastis, ut formam et mores domini regis Angliæ vobis sub certa descriptione transmittam (53), meas quidem facultates excedit, ad hoc enim satis insufficiens videretur Mantuani vena ingenii. Ego tamen, quod scio, vobis sine invidia et detractione communico. De David legitur [61] ad commendationem decoris ejus, quoniam rufus erat; vos autem dominum regem subrufum hactenus exstitisse noveritis, nisi quod colorem hunc venerabilis senectus, et superveniens canities aliquantulum alteravit. Statura ejus mediocris est, ut nec inter parvos magnus appareat, nec inter majores minimus videatur. Caput ejus sphæricum est, tanquam sapientiæ magnæ sedes, et alti consilii speciale sacrarium. Ea vero est capitis quantitas, ut collo et toti corpori proportionali moderatione respondeat. Oculi ejus orbiculati sunt, dum pacati est animi, columbini et simplices; sed in ira et turbatione cordis quasi scintillantes ignem et in impetu fulminantes. Cæsaries ejus damna calvitii non veretur, superveniente tamen artifici capillorum tonsura, Leonina facies quasi in quadrangulum se dilatat. Eminentia naris ad totius corporis venustatem naturali est moderatione propensa, arcuati pedes, equestres tibiæ, thorax extensior, lacerti pugiles virum fortem, agilem et audacem denuntiant; in quodam tamen articulo pedis ejus pars unguis innascitur carni, atque in contumeliam totius pedis vehementer increscit. Manus ejus quadam grossitie sua hominis incuriam protestantur; earum enim cultum prorsus negligit; nec unquam nisi aves deferat, utitur chirothecis. Singulis diebus in missis, in consiliis et aliis publicis actionibus regni semper a mane usque ad vesperam stat in pedes. Et, licet tibias habeat frequenti percussione calcitrantium equorum enormiter vulneratas et lividas, nisi tamen equitet vel comedat, nunquam sedet. Una die, si opus fuerit, quatuor aut quinque diætas excurrit et sic inimicorum machinamenta præveniens, artes eorum frequenter inopinata subitatione deludit, Ocreis sine plica, pileis sine fastu, et vestibus utitur expeditis. Vehemens amator nemorum; dum cessat a præliis, in avibus et canibus se exercet. Caro siquidem ejus se mole pinguedinis enormiter onerasset, nisi quod ventris insolentiam jejuniis et exercitio domat; atque in ascendendo equum, et in excurrendo levitatem adolescentiæ servans potentissimos ad laborem singulis fere diebus itinerando fatigat. Non enim, sicut alii reges, in palatio suo jacet, sed per provincias currens explorat facta omnium illos, potissime judicans, quos constituit judices aliorum. Nemo est argutior in consiliis, in eloquio torrentior, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis. Quem semel dilexit, vix dediiligit; quem vero semel exosum habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit. Semper in manibus ejus sunt, arcus, enses, venabula et sagittæ; nisi sit in consiliis aut iu libris. Quoties enim potest a curis et sollicitudinibus respirare, secreta se occupat lectione, aut in cuneo clericorum aliquem nodum quæstionis laborat evolvere. Nam cum rex vester bene litteras noverit, rex noster longe litteratior est. Ego enim in litterali scientia facultates utriusque cognovi. Scitis, qnod dominus rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit, et qui a vobis versificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per industriam et sollicitudinem meam beneficium scientiæ plenioris obtinuit. Quam cito autem egressus sum regnum, ipse libris abjectis ad otium se contulit palatinum. Verumtamen apud dominum regem Anglorum quotidiana ejus schola est litteratissimorum conversatio jugis et discussio quæstionum. Nullus rege nostro est honestior in loquendo, in comedendo urbanior, moderatior in bibendo; nullus magnificentior in donis, nullus munificentior in eleemosynis : ideoque quasi unguentum effusum est nomen ejus, et eleemosynas illius enarrat omnis ecelesia sanctorum (54). Rex noster pacificus, victoriosus in bellis, gloriosus in pace : super omnia desiderabilia hujus mundi zelatur et procurat pacem populi sui (55). Ad pacem populi pertinet quidquid cogitat (56), quidquid loquitur, quidquid

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(53) Descriptionem Henrici II regis Angliæ similem huic habes apud Sylvestrum Giraldum auctorem Synchronum, lib. I *Hiberniæ expugnatæ*, cap. 45, et Guillelmum Gemeticensem.

(54) De benignitate et eleemosynis Henrici paucis ita Neubrigensis l. III, c. 26 : « Pupillorum, viduarum, pauperum, in suis præceptionibus multam curam habuit, et locis pluribus insignes eleemosynas larga manu impendit. »

Quantæ autem fuerint illius eleemosynæ testantur innumerabilia ipsius dona, fundationes, confirmationes, quibus plenæ sunt Anglia, Northmannia, Andegavia, Cenomania, Aquitania, Pictavia, cæteræque provinciæ, quæ ipsius tunc temporis parebant imperio, ex quibus nonnullæ variis in libris maxime vero in monastico Anglicano excusæ sunt, quasdam autem nondum editas in calce hujus operis edidimus.

(55) Neubrig. ibid : « Fuit in illo regni fastigio tuendæ et fovendæ pacis publicæ studiosissimus. » Et paulo post : « Discrimen sanguinis, et mortes hominum exhorrescens, armis quidem, cum aliter non potuit, sed libentius pecuniis, cum potuit, pacem quærere studuit. »

(56) Hæc paulo aliter in mss. nostris habentur. Et quidem in Ful. Bec. et Laun. eodem modo legitur : sed hæc postea adduntur : « Ad pacem populi spectat, quod concilia vocat, quod firmat

[61] I Reg. 16.

agit; ut quiescat populus suus, labores anxios et enormes incessanter assumit. Ad pacem populi sui spectat quod concilia vocat, quod firmat fœdera, quod amicitias jungit, quod superbos humiliat, quod prælia minatur, quod principibus terrores immittit. Ad pacem quoque populi spectat immensitas illa pecuniarum, quam donat, quam recipit, A quam congregat, quam dispergit. In mu propugnaculis, in munitionibus, in fossat clausuris ferarum et piscium, et in palat ædificiis nullus subtilior, nullusque magnific invenitur.

Pater ejus potentissimus et nobilissimus (57) fines suos amplissime dilatavit; se

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

fœdera, quod amicitias jungit, quod superbos humiliat, quod prælia minatur, quod principibus terrores immittit. » In Dom. autem ita legitur: « Ad pacem populi pertinet, quidquid cogitat, quidqnid loquitur, quidquid agit. Ut quiescat populus suus, labores anxios et enormes incessanter assumit. » Sic et Nicolaus Trevet in Chronico ms. ad ann. 1154, ubi hanc Blesensis epistolam refert.

(57) Scilicet Gaufridus, cognomento *Plantagenet*, comes Andegavensis, ex illustrissima et potentissima comitum, sive consulum Andegavensium stirpe progenitus. Quorum historiam in gratiam regis sui scripsit Joannes Majoris Monasterii monachus, ex qua quia nondum in lucem prodiit, quædam ad rem nostram pertinentia ex ms. codice illustrissimi ac celeberrimi domini de Marolles abbatis Villælupensis hic apponemus: « Domino Henrico regi Anglorum, duci Northmannorum, comiti Andegavorum, Turonum, et Cœnomanorum, principi Aquitanorum, duci Guasconiæ, Arvernorum, duci etiam Bituricum Joannes frater Majoris Monasterii humillimus monachorum et parvissimus clericorum, pacem cum omni gaudio vitam, salutem, et sanitatem ab eo qui dat salutem regibus.

« Historiam, sive gesta Andegavorum consulum antecessorum tuorum, ex multis doctorum scriptis excepi, et in uno corpore volui compilare (a). Licet quidam ante me breve Chronicum scripserit, et in prœmio ipsas præcedente hujusmodi verba præmiserit, de consulibus Audegavorum, » etc.

Postea brevem instituit comitum illorum historiam, quæ quia ad rem nostram non facit et brevitati studemus, in præsenti omittimus, et recensitis tantummodo comitum priorum nominibus, quæ de Gaufrido Henrici patre scripsit proferemus.

Comites Andegavenses incipiunt an. 853, Torquatus, sive Tortulus. Tertullus Gastinensis pagi præfectus a Carolo Calvo constitutus. Ingelgerius a rege comes Andegavensis factus. Fulco Rufus. Fulco Pius. Gaufridus Grisæ-Tunicæ. Mauritius. Goffridus Martelli. Gaufridus Barbe. Fulco Rechin. Goffridus Martelli secundus. Fulco Nerra.

« Gaufridus Plantagenet. Fuit iste pietate admirabilis, justitia insignis, militiæ artibus deditus, optime litteratus, inter clericos et laicos facundissimus, in consilio providus, statura procerus, vultu decorus, fere omnibus bonis moribus repletus, et quamvis multas tribulationes a suis sit perpessus, attamen ab omnibus est dilectus. Ipse modo calore urgente balneo cujusdam fluminis usus, febre acuta occupatus apud Castrum Ledi (*Chasteau du Loir*) pervenit, ibi non sine dolore suorum interiit. Quid mirum? Si mors quidem adversante et repugnante natura Gauffrido adolescenti contigit, cum teste Tullio, adolescentes sæpe mori videantur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, et quasi poma ex arboribus, cruda si sint, vi avelluntur, si matura et cocta, vi decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Iste ex sua Mathilde tres filios genuerat, te do meum regem, Gaufridum: et Willelmum, speciosos, et ab avorum probitate non d rantes.

« Henricus. Tu quartus decimus in antec bus tuis, comitibus videlicet Andegavorum B mortuis fratibus tenes, Deo opitulante filii feliciter dimissurus. De te, qui te diligunt, dicere possunt: Habeas salutem et sanitatem qui dat salutem regibus. Tu solus consiliarios tui familiaritate et sodalitate perenuiter serv namque es in adverso constans, in dubiis fi prosperis modestus: in habitu simplex, in se communis, in consilio præcellens. Amicitias p obnixe exples, constanter retines, honeste e Adulantiam dicta tarde credis, celeriter d Severis patribus comparandus, qui Juvenum fi non tam cogitas vitam quam commoda. Tuis prodesse quam placere. Tu per omnia simi toni integritate vitæ, pauca nisi boni lar gloriam adeptus es. Tu es pernicies malorum stantia tua valde laudatur. Tu scis parcer jectis et debellare rebelles. In te studium stiæ, et decoris, et maximæ severitatis est. No tiis cum divite, neque factione cum factios C cum strenuo virtute, cum modesto pudore innocente abstinentia certas. Esse antequ deri bonus mavis. Vale, domine mi rex, e filiis tuis crescentibus prosperis ad vote succ polle.

Vive, precor, sed vive Deo, nam vivere m
Mors est, sed vera est vivere vita Deo. »

Cæterum Gaufridus Plantagenet, vivente comes Andegavensis renuntiatus est. Cum Fulco pater ejus a Balduino Jerosolymorun ad filiam ipsius cum spe regni in uxorem duc evocatus fuisset, antequam proficisceretur, comitatum filio suo. Tum Jerosolymam pro uxorem duxit filiam Balduini; post cujus o in regem Jerosolymorum est sublimatus. Hæc thæus Paris, ad an. 1129. Qui et addit Henri Angelorum regem eodem tempore filiam Mathildem Henrici V imperatoris viduam Ga D Andegavensi comiti matrimonio junxisse.

At vero post mortem Henrici I sine virili defuncti, occupata ipsius hæreditate a Ste Blesensi Henrici ex sorore nepote, recupe uxori suæ debitæ hæreditatis causa Gaufridu phano bellum indicit, captaque Northmannia dux Northmannorum appellatus, in Angliam t fretans cum copiis festinabat. Verum morte ventus palmam hanc filio suo reliquit. Obiit Christi 11 1, sepultusque est Cenomannis, cum nio ante Henrico filio suo ducatum Northm reddidisset. De eo sic Joannes Hagustaldensis tinuator Symeonis Dunelmensis ad ann. 1 « Galfridus comes Andegavensis, princeps p et prudens valde in disponenda republica sua filium suum Henricum ducem Northmanniæ l dem suæ virtutis et honoris dimittens. » E leges apud Gervasium in Chronico ad an. 115

(a) Is est Thomas Pacius.

paternis facultatibus superaddens in fortitudine A manus suæ ducatum Northmanniæ (58), ducatum Aquitaniæ (59), ducatum Britanniæ (60), regnum Angliæ (61), regnum Scotiæ (62), regnum Hiberniæ (63), regnum Walliæ (64), paternæ magnificentiæ titulos inæstimabiliter ampliavit. Nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pauperibus, nullus importabilior est superbis; quadam enim divinitatis imagine semper studuit opprimere fastuosos, oppressos erigere, et adversus superbiæ tumorem continuas persecutiones et exitiales molestias suscitare. Cum autem juxta regni consuetudinem in electionibus faciendis potissimas et potentissimas habeat partes, habuit tamen semper manus ab omni venalitate innoxias et immunes. Has et alias tam animi quam corporis sui dotes, quibus ipsum B natura egregie præ cæteris insignivit, tango sumotenus, non describo; meam enim profiteor insufficientiam crederemque sub tanta sudare materia Tullium, aut Maronem. Illud sane tantillum, quod de forma et moribus ejus ad instantiam vestram breviter delibavi, mihi temeritati a pluribus adscribetur; videbor enim, aut onus importabile suscepisse, aut plurimum de magnificentia tanti viri per invidentiam rescidisse. Ego tamen vestræ serviens charitati, quod possum, facio, et quod scio sine invidia et detractione vestræ postulationi promptissima voluntate communico, atque inter cæteros magnificos viros, qui de laudibus domini mei scribunt, ego cum paupere vidua minutum devotionis in gazophylacium mitto.

Quod autem de morte beati martyris Thomæ quæritis (65), in verbo Domini et in ordine diaconi vobis dico, me nullo modo habere in conscientia,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(58) Ex supradictis apparet Henricum Northmanniam non omnino armis suis subegisse, cum jam a patre Gaufrido, ut supra diximus, tota Northmannia occupata fuisset, ipseque Gaufridus dux Northmanniæ appellatus esset. Nisi dicamus Henrieum, licet adhuc juvenem, hoc in bello patrem comitatum fuisse. Quomodo autem ducatum Northmanniæ fortiter defenderit et ampliaverit, legitur in *Chronicis Northmanniæ*, ad an. 1151, 1153, 1157, 1159 et 1166. Apud Radulfum de Diceto ad ann 1151 et 1175. Matth. Paris. ad ann. 1151.

(59) Quia Henric s Eleonoram sive Alienoram Guillelmi Aquitanorum ducis filiam uxorem duxerat, Aquitaniam et Pictaviam ex parte uxoris suæ possidebat. Vide *Chronica Northmanniæ* ad ann. 1153, Radulphum 1159, Bromton 1160, Matth. Paris. 1159.

(60) Certe dux Britanniæ nunquam fuit Henricus, sed filius ejus Gaufridus, juxta Neubrigensem l. II, *Rerum Anglic.*, c. 5: « Henricus Britanniam non armis acquisivit, sed filiam hæredem Conani Britanniæ ducis Gaufrido filio suo copulavit. » Lege *Chronica Northmanniæ*, ad ann. 1157, 1163, 1165, 1166, 1167, et Bromton ad an. 1163.

(61) Stephanus Blesensis Henrici primi Anglorum regis ex sorore nepos, quia Henricus prolem virilem non reliquerat, regnum ejus tanquam hæreditario jure sibi debitum occupaverat, Mathilde filia Henrici legitimaque hærede ipsi resistere non valente, et impubere adhuc Henrico ejus filio. Verum cum adolevisset Henricus, jamque in Angliam cum armata manu intrasset, urbesque et castella quædam vi cepisset, interpositis amicis pacem cum ipso iniit Stephanus, licet invito ac multum repugnante: « Dolebat enim, inquit Gervasius, tantos belli apparatus debere prorsus evanescere, et nequibat juvenilis pectoris in bella furentis fervorem D citius temperare. » Pacis autem conditio hæc fuit, ut. Stephanus dum viveret regno potiretur, post mortem ipsius ad Henricum legitimum hæredem reversuro. Quod ita factum est: nam defuncto post annos circiter duos Stephano, Henricus regni, possessionem adeptus est anno Christi 1155. Legenda *Chronica Northmanniæ* ad an. 1150, 1152, 1153, 1154; Radulfus ad an. 1152, 1153, 1175; Bromton ad an. 1153; Gervasius 1152, 1153, 1154, 1155; Knyghton ad ann. 1154; Matthæus Paris. ann. 1152, 1154; Rogerius Hoveden ad ann. 1152, 1153, 1155, 1156.

(62) Capto rege Scotiæ Willelmo et universis fere regni optimatibus, ut infra dicetur, Henricus regnum Scotiæ jure belli sibi vindicare poterat, pro sua tamen singulari humanitate et fortitudine animi Willelmum liberum dimisit, hac tantummodo conditione, ut de regno Scotiæ sibi suisque successoribus homagium faceret. Unde regni Scotiæ possessor nunquam fuit. De hac re vide *Chronica Northmanniæ* ad an. 1156, 1162; Radulfum ad an. 1157; Bromton ad an. 1155, 1174, 1175, 1176; Matth. Paris. ad ann. 1157, 1173.

(63) Quibus modis Hiberniam acquisiverit Henricus narrant hujus ævi scriptores Gervasius, Bromtom, Neubrigensis, Matthæus Paris. Radulfus, Knyhton, Hoveden. et maxime Ciraldus indigena, qui et omnibus interfuit.

C (64) Henricus anno primo regni sui Walliam expugnavit. Wallenses autem sunt reliquiæ Brittonum qui hujus insulæ, quæ nunc Anglia, olim Britannia appellabatur, incolæ primi fuere; suntque ejusdem nationis et linguæ, cujus et Brittones cismarini. Cum autem gens Brittonum a supervenientibus Anglorum populis expelleretur, qui evadere potuerunt, refugerunt in wallias contra irruptionem hostium naturæ beneficio tutas, etc., inquit Neubrigensis lib. II. c. 5. Hi genti Anglorum naturaliter infesti jugumque Henrici detrectantes aliquandiu restiterunt; verum exercitu magno comparato Henricus eos tandem ad deditionem coegit. Narrantur ista in *Chronicis Northman.* ad an. 1156, 1162, apud Joannem Brontom ad ann. 1158, 1165, Matth. Paris ad an. 1157.

(65) Ab impia et scelerata nece S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi immunem esse Henricum regem non Blesensis solum, et cum eo omnes hujus ævi scriptores, sed ipsa sedes apostolica cujus est de hujusmodi rebus judicium ferre, palam et solemniter declaravit. Rem autem, quæ apud omnes fusissime describitur, paucis, et in quantum rei necessitas exiget, absolvemus. Guillelmus Neubrigensis, qui universa aut suis aut alienis vidit oculis, aut saltem a viris fide dignis accepit. lib. II *De rebus Anglicis*, cap. 25, ait Albertum et Theoninum cardinales ab apostolica sede ad inquirendum de nece S. Thomæ legatos missos esse. « Qui facto, inquit, in terra regis Anglorum celebri conventu ecclesiasticorum virorum atque nobilium, ejusdem principis humiliter ibidem apparentis, et constanter asserentis, quod sua neque voluntate,

Ipsum hujus rei culpabilem exstitisse ; hujusque A cancellarius, qui propter hoc in partibus nostris fidem plenissimam vobis facient dominus Theodinus Portuensis episcopus, et dominus Albertus legatione fugentes exploraverunt, et innocentiam viri cognoverunt : atque sub umbra illius hoc a

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

neque jussione illud quo fama ejus gravabatur, contigerit, et quod de nulla re unquam magis doluerit, purgationem solemniter susceperunt. Sane non negavit homicidas illos ex aliquibus forte verbis ejus in cautius prolatis occasionem ausumque tanti furoris suscepisse, cum suspensione episcoporum accepto nuntio, minus sobrie loqueretur, et propter hoc, inquit, disciplinam non refugio Christianam. Decernite quod placuerit, devote amplectar, exsequarque decretum. Quo dicto, et veste abjecta, juxta morem publice pœnitentium, nudum se ecclesiasticæ submisit disciplinæ. Hac tanti principis humilitate delectati, et præ gaudio lacrymantes cardinales, collacrymantibus et Deum laudantibus plurimis, confortata ejusdem principis conscientia, et fama minus laborante, solverunt B conventum. » Radulfus de Diceto in imaginibus Historiarum ad ann. 1172, pag. 560. « Postquam inquit, rex Anglorum appulsus est in Northmanniam, statim cum festinatione accessit ad dominum Albertum et Theodinum, cardinales et apostolicæ sedis legatos, ad partes illas a domino papa transmissos. Post longos tandem et immensos tractatus primo habitos apud Saviniacum, post apud Abrincas in præsentia legatorum juravit dominus rex mortem gloriosissimi martyris Thomæ nec voluntate sua, nec conscientia perpetratam fuisse, nec suo artificio perquisitam. Sed quoniam malefactores, ex verbis quæ iracundiæ calore succensus minus caute protulerat, occasionem sumpserant virum sanctum interficiendi, cum omni humilitate petiit absolutionem ab eis : petiit et impetravit. In facie igitur Ecclesiæ solemniter absolutus, juxta voluntatem et mandatum cardinalium promisit, » etc. Eodem fere modo rem enarrant Gervasius, Brom- C ton et Matthæus Parisiensis in *Hist. Angl.* ad eumdem ann. 1172. Plura qui volet adeat cæteros scriptores coætaneos, apud quos etiam leget diploma summi pontificis, et litteras legatorum sedis apostolicæ pro Henrici regis absolutione.

Sed quamvis Henricus innocens ab Ecclesia judicatur et solemniter absolutus fuisset, quia tamen ingens de hac re scandalum toti orbi Christiano obortum fuerat, publicum de hoc crimine non prorsus suo pœnitentiam agere constituit. Noverat quippe Christianissimus princeps scriptum esse : « De propitiato peccato noli esse sine metu (*Eccli.* III). » Exemplo igitur David regis sanctissimi, qui, licet ex ore prophetæ a Deo missi audisset remissum sibi esse peccatum, tamen per singulas noctes lacrymis stratum sum rigabat. Mira certe sunt quæ de Henrici pœnitentia ab historicis narrantur, imo ab iis qui ipsi infensissimi fuisse videntur. Taceo eorum nomina ; de iis lector ipse D judicabit. Primus testis de quo nemo potest ambigere erit processus S. Thomæ, sive *Historia quadripartita* ex quatuor historicis non solum ejus ævi, sed et sociis et familiaribus S. Thomæ composita. Sic ergo legitur lib. IV, c. 5 : « Divulgato tam lethali facto undique, mox ut ad regem Angliæ pervenit, afflictus est afflictione magna, et per XL dies sedit, mœrensque toto illo pœnitentiali dierum numero, acerbiorem multo plus quam mortuorum luctum fecit ; lugentium cibos comedit, equum non ascendit, nulla jurgantium causa, nulla agendorum consultatio, nulla pulsantium quærela ingrediebatur ad eum, nulla tot terrarum regendarum sibi causa proponebatur, omnia tunc quasi postponenti præ dolore ; cedebat quippe solitarius, super hoc quod acciderat, ingemiscens semper et dolens, et sæpe sæpius iterans, heu ! heu ! accidisse sic. » Et cap. 7, de solemni pœnitentia regis post absolutionis sententiam a legatis datam, ita scriptum est : « Rex antequam civitatem intraret, et ipsam metropolitanam Ecclesiam, in qua martyr requiescit, mox incredibiliter humilitatus et devotus se exinanivit ; et potestas tanta pauperis servi formam induit, nudis pedibus, et toto etiam nudato corpore, præterquam vili quadam tunica super nudo amictus, sic palam in omnium conspectu civitatem intravit, et per vivos et plateas civitatis luteas tanquam de plebeis vilissimorum unus abjecte sic incessit. Ecce David alter, qui tam dilecto filio suo quasi Absalone altero ob peccatum ipsum persequente, nudis plantis, sicut primus David civitatem exivit, iste secundus ingreditur. Et ita in suspiriis et gemitibus tot gentibus et nationibus prius tremendus, ipse timens et tremens martyris adiit sepulturam, ubi tota illa adventus sui die ac nocte sequente jejunus ac pervigil ante martyrem pernoctavit. Ni fallor, (nec enim dubito) sicut gemebundas et pias ante martyrem quem adeo dilexarat, et a quo tantum dilectus fuerat, orationes effundens, ejus, nec dubium meritis, orationibus et patrociniis affectuose se commendans, quod cito post rerum existus comprobavit. Ibidem etiam noram martyris sepultura, quasi coram ipsa martyre, sancto illo et venerabili fratrum cœtu convocato, a singulis fratrum virgæ disciplinæ percussiones singulas, velut quasdam secundas quadragenas apostolicas, imo regias annonas, et, sicut arbitror, usque tunc inauditas accepit, » etc.

Incredibilem hanc Henrici regis pœnitentiam eodem modo narrant omnes hujus temporis historici, Neubrigensis, Radulphus, Gervasius, Bromton, Eduardus in Vita S. Thomæ apud Surium, Chronicum ms. Rodulphi monachi Coghessalensis in Anglia, quod habetur apud S. Victorem Parisiensem, Chronicum etiam ms. Joannis Frasqueti ibidem, et alii passim.

Addam et in laudem piissimi istius regis quod de Theodosii imperatoris pœnitentia dixit S. Ambrosius in oratione quam habuit in obitu Theodosii : « Straxit quo utebatur omne insigne regium. Deflevit in ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator publice agere pœnitentiam. » Dicam et ego cum eodem sancto doctore in Apologia pro David : « Peccavit David, quod solent reges ; pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam ; jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt acere privati, rex non erubuit confiteri. »

Quid ad hæc repondebunt, qui Henricum iniquissimum regem appellarunt ? Si enim sermo sit de legibus illis, quibus tam acriter obstitit S. Thomas, certe ab Henrico conditas non fuisset constat ; sed erant avitæ consuetudines, quas ipse a majoribus et antecessoribus regibus velut per manum acceperat, quasqne universi præsules, et regni optimates, tota denique Anglia, solo Thoma excepto, susceperat. Si de pietate erga Deum agitur, piissimum principem, divini numinis observantissimum, blasphematorum et impiorum severissimum exactorem et vindicem norunt omnes, qui historias hujus temporis evolverunt. Si de zelo et observan-

quibusdam attentatum fuisse, totamque hanc iniquitatem a sanctuario processise (66). Accepta siquidem ab eis canonica purgatione illius, illi de mandato summi pontificis publice sententiaverunt (67), eum ab hoc crimine coram Deo et hominibus esse innoxium, et in quosdam magnates, quorum malitiam in hac parte manifeste convicerant, notam infamiæ retorserunt.

Illud quoque noveritis, dominum regem, glorio- A sum martyrem in omnibus angustiis suis patronum, habere præcipuum (68). Eadem siquidem die, qua primo tumulum martyris visitavit (69) : regem Scotiæ persecutorem, et impugnatorem fortissimum captum vinculis carceralibus mancipavit. Continuatoque deinceps favore successuum ope martyris de universis hostibus gloriosissime triumphavit. Sciatis igitur certissime quod charitatem illam, qua se olim rex et martyr mutuo dilexerunt (70).

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

tia erga Ecclesiam : Quis eum Ecclesiæ filium devotissimum semper exstitisse ambigat, utpote qui primus post regem Franciæ Alexandrum III, summum pontificem agnovit, fovit, seque contra schismaticos pro legitimo Ecclesiæ pastore murum opposuit : ut ipsemet Alexander non semel palam et publice testatus est, qui Henricum modo pium principem, modo Catholicum, modo Christianissimum appelat. Taceo ingens et opportunum auxilium quod Henricus præbuit Lucio III summo pontifici contra rebelles Romanos, ut habet ex Rogerio Baronius ad an. 1183. Porro munificentiam et profundissimam literalitatem ipsius erga Ecclesiam, ecclesiasticos, et pauperes, si taceam, loquentur quæ adhuc supersunt et florent infinita propemodum templa, monasteria, xenodochia ab ipso fundata ; ita ut vix ullus alius reperiatur, qui tot ac tanta in Ecclesiam bona contulerit. Ad hæc ecclesiasticos et religiosos ita semper coluit, ut eos apud familiariter haberet, ex iisque viros quosque celebres, et pietate insignes variis regni sui Ecclesiis præficiendos curaret. Ut cæteros taceam, S. Hugonem de quo ita Nicolaus Trevet in historia ms. quæ est apud V. C. Dominum Bigot : « Hugonis Carthusiensis monachi religiosæ sanctitatis fama ad aures regis Henrici II allapsa, ipsum in amorem ejus vehementer accendit. Qui vix multis precibus, ut in domo quadam ejusdem ordinis in Anglia, quam idem rex in diœcesi Bathoniensi multis ditatam prædiis, et privilegiis fundaverat, curatoris admitteret officium, potuit obtinere. Quem dum sæpius visitaret, verbis et virtutibus ejus delectatus, vacante sede Lincolniensi, suasit Ecclesiæ canonicis, ut priorem domus suæ Hugonem in episcopum eligerent, et præficerent in pastorem, » etc. Quid dicam de singulari ipsius erga subditos, humanitate pioque affectu, cum omnes pene historici loquantur. « Nullum, inquit Neubrig. l. III, c. 26, grave regno Anglorum, vel terris suis transmarinis onus unquam imposuit, usque ad illam novissimam decimationem causa expeditionis Jerosolymitanæ, quæ nimirum decimatio in aliis æque fiebat regionibus. » Sed maxime quam benignus et misericors erga pauperes, infirmos et calamitosos exstiterit, testis est idem Neubrigensis eod. loco : « Antiquam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initiis eximia pietate correxit, atque hujusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graves in eos pœnas sanxit, qui forte illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam usurpare præsumerent, » Cum etiam ipsius filii adjuti ac freti regis Franciæ et comitis Flandriæ copiis eum bello impeterent omniaque late depopularentur, « ipse, ut ait Radulfus, a discursu per patriam, ab incendio papulari, pauperum a rapinis, ab injuriis viduarum, ab orphanorum pressuris, a vinculis captivorum, a virginum raptu, sed et a sanguinis effusione quam maxime revocare subjectos regia dignum majestete dijudicans, a tyrannide semper oculos deflexit atque animum. » An denique iniquus fuit erga S. Thomam, quem tantopere in vita et post mortem fovit et dilexit, ut infra declaraturi sumus ?

(66) Notat Rogerum Eboracensem archiepiscopum, B Jocelinum Sarisberiensem, et Guilbertum Lundoniensem episcopos, qui Henricum adversus Thomam axacerbaverunt. Siquidem pacem cum Thoma fecerat Henricus, et viro sancto quæcunque petierat, concesserat, ut ad Ecclesiam suam rediret, ut ipsi suisque ablata omnia restituerentur, et ut excommunicationem in episcopos ob coronationem filii sui a summo pontifice latam fulminaret ; in gratiam denique regis Thomas omnino redierat : unde Henricus id filio suo regi, ipse Thomas summo pontifici per litteras declarant : verum cum episcopi absolutionem a Thoma impetrare non possent, regem denuo in sanctum virum commoverunt, unde aspera verba protulit, ex quibus mortis ejus occasio processit. Legenda *Quadripartita historia* l. III, c. 8 ; Radulfus et alii.

(67) Refertur instrumentum hoc absolutionis regis apud Rogerium Hoveden, in quo protestatio Henrici in hæc verba inserta legitur : « Quia male- C factores illos, » etc.

(68) Sic Radulfus ad an. 1174, 1175, 1181 ; Gervasius, ad an. 1274 ; Knyghton et Paris. ad ann. 1174, 1176, 1189 ; et Hoveden ad ann. 1174.

(69) Mira sunt qua de pœnitentiæ Henrici II effectibus narrantur ab historicis, scilicet ea ipsamet die qua rex S. Thomæ tumulum adiit, tamque humilem et inauditam hactenus pœnitentiam publice egit, eadem hora, qua missam de Martyre coram martyre prostratus audivit, insignem de rebellibus filiis aliisque suis hostibus, quorum infensissimus Scotorum rex Guillelmus captus est, victoriam gloriose et contra spem omnium divino favore et precibus sanctissimi archiepiscopi reportavit. Legendi omnes hujus temporis scriptores, qui rem totam fusissime narrant, ad an. 1174 et 1175 ; proferam solum quæ paucis habet Rodulphus Coghessalensis in Chronico nondum edito : « Rex Anglorum Henricus II, ut in Chronicis Angliæ legitur, de nece D S. Thomæ Cantuariensis se per juramentum humiliter excusavit, ne tamen, si in aliquo fuisset ejus necis occasio, et animæ ejus posset nocere, devote pœnitens satisfactionem, ut potuit, adimplere studuit. Veniens etenim ad Cantuariensem Ecclesiam, a singulis Ecclesiæ fratribus singulos ictus disciplinæ libenter accepit ; postquam satisfactionem, de filiis eum persequentibus et de aliis triumphum obtinuit gloriosum. »

(70) Quod Henricus S. Thomam in Vita et post mortem pluriffium dilexerit, hinc apparet quod eum ex satis humili loco ad tantas dignitates evexit, cancellarium suum instituit, opibus cumulavit,

neque mors, neque gladius abolevit: *Fortis*, enim *est dilectio ut mors* [62]; et cum omnia transeant, A *charitas nunquam excidit* [63]. Hæc est porta speciosa, quæ in subversione Hierusalem integra et intacta

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

majora et secretiora regni negotia ei commisit, in Franciam, ut ei reconciliaretur, pacemque cum illo firmam iniret, profectus est, bis ei equum ascendenti stratoris officio functus strepam tenuit, eum ad Ecclesiam suam pacifice remisit, quidquid ipsi exsilii tempore fuerat ablatum benigne restituit, ad filium regem de pace cum eo facta rescripsit. Audita vero nefaria illius nece vehementer indoluit, pœnitens tumulum adiit, illumque insignibus ornamentis plurimisque donariis exornavit, parentibus ejus facultates libertatemque restituit, sororem denique sancti, nomine Mariam, monasterio Berkingensi abbatissam præfecit.

Quanta autem charitate Henricum prosecutus sit S. Thomas, manifestum est ex eo quod ei in vita fideliter adhæsit, salutique ipsius sedulo invigilavit. Post mortem vero gloriosum ei de hostibus triumphum obtinuit, eique in omnibus augustiis continuus adjutor fuit, ut historici omnes unanimiter narrant, et ipse rex sæpissime fassus est.

Cur ergo, inquies, tam acris inter eos contentio exarsit? Cur tam animose inter se altercati sunt? nempe quia uterque jura sua, Henricus regni, Thomas Ecclesiæ suæ tuebatur. Henricus avitas consuetudines, scilicet ab Henrico avo, et aliis antecessoribus suis statutas observari volebat, Thomas Deo et Ecclesiæ contrarias esse querebatur. Verum, post longam inter eos disceptationem, et septenne archiepiscopi exsilium, Henricus pro bono pacis, mediantibus Alexandro III, summo pontifice, et Ludovico Juniore Francorum rege, archiepiscopo reconciliatus fuerat, et de reconciliatione Henricus ad filium regem juniorem, Thomas ad Alexandrum III rescripserant, quarum litterarum exempla sunt apud Radulfum ad ann. 1170 et 1172, Bromton, ad an. 1171, 1172; Gervasium ad an. 1172, Matth. Paris. ad an. 1170, 1171 et 1174.

Sed ecce nova dissensionis occasio ex improviso orta. Querebatur Thomas de coronatione regis junioris ab Eboracensi archiepiscopo contra jus Ecclesiæ Cantuariensi facta, et obtenta a summo pontifice clam et inscio rege excommunicationis sententia, Eboracensem et alios episcopos, qui coronationi interfuerant, excommunicatos denuntiaverat. At vero episcopi, cum a Thoma absolutionem non potuissent impetrare, confestim ad regem confugerunt, ejusque animum jam multoties exacerbatum, et ad iram paulo natura procliviorem, novo hoc et insperato nuntio usque adeo concitaverunt, ut in duriora verba proruperit, quæ mortis Thomæ occasionem præbuerunt.

Certe videtur vir sanctus, aliquando mitius potuisse agere, et injuriam hanc Ecclesiæ suæ illatam dissimulare ad tempus, vel saltem obtinere ab Henrico, ut a se rursus rex junior coronaretur, sicut postea factum est a Rotrodo archiepiscopo Rothomagensi, qui, patente Ludovico Francorum rege, Henricum illum Juniorem cum Margareta uxore sua ejusdem Ludovici filia denuo coronavit, ut est apud Bromton. Coterat etiam in hooc imitari S. Anselmum suum in illa sede prædecessorem, qui licet exsilii sui tempore Henricus I, jubente Guillelmo II rege ab episcopo Lundoniensi coronatus fuisset, reversus tamen ab exsilio non reclamavit, sed coronationem factam pro bono pacis confirmavit, ut habent Radulfus, Gervasius, et Knyghton.

Verum quænam fuerit in tam benigno tamque miti præsule tantæ severitatis ratio solius est Dei judicium ferre, nos de ea quidquam temere sentire nec possumus, nec debemus. Hac de re sic Guillelmus Neubrigensis lib. II, cap. 25: « Rege ergo in transmarinis partibus consistente, idem archiepiscopus cum licentia et gratia regia ad Ecclesiam propriam remeabat. Habebat autem penes sei rege inscio, litteras domini papæ, contra Eboracensem et alios episcopos, qui illi infaustissimæ coronationi interfuerant, impetratas, factæ jam concordiæ irritatrices, et majoris iræ provocatrices futuras. Has B in Angliam ad suspensionem episcoporum præmissas ipse sequebatur zelo justitiæ fervidus, utrum autem plene secundum scientiam, novit Deus. Nostræ enim parvitati nequaquem conceditur de tanti viri actibus temere judicare. Puto tamen quod beatissimus papa Gregorius in molli adhuc teneraque regis concordia mitius egisset, et ea quæ sine fidei Christianæ periculo tolerari potuissent, ratione temporis et compositione pocis dissimulanda duxisset, juxta illud propheticum; *Prudens in tempore illo tacebit (Prov. XI)*, quia tempus malum est. Itaque quod a venerabili pontifice tunc factum est, nec laudandum esse judico, nec vituperare præsumo; sed dico si vel modice in hujusmodi a sancto viro per zeli laudabis paulo immoderatiorem impetum est excessum, hoc ipsum est sacræ, quæ consecuta noscitur, igne passionis excoctum. »

Neque tamen idcirco immunem a peccato dixe- C rim Henricum regem. Licet enim reipsa non occiderit S. Thomam; gladio tamen linguæ occidere visus est, cum asperioribus verbis in sanctum virum iræ fervore prolatis, ejus occidendi occasionem dedit: unde et peccavit, et ipsemet se peccasse fassus est, et se a Deo ob peccata punitum fuisse scripta epistola ad Alex. III, S. P. quæ est 136 inter epistolas Blesensis. Nec sine causa; ham etiamsi peccatum ei remissum sit, quia ingemuit, et pœnitentiam egit, exemplo David, quia tamen blasphemare fecit inimicos Dei, non recessit gladius de domo ejus. Filius ejus primogenitus Henricus, et jam rex coronatus, immatura morte ereptus est. Richardus secundus, regnique non diu hæres, infeliciter obiit. Tertius Joannes, et ipse rex, Northmanniam, Aquitaniam, Pictaviam, Andegaviam, aliasque provincias, et pene totum Angliæ regnum amisit. Ipse vero Henricus ab uxore, filiis, et proceribus regni sui impetitus, mœrore D contabuit et mortuus est.

Quomodo autem obierit Henricus convenit inter omnes hujus temporis historicos, et præsertim inter eos qui de rebus Anglicis scripserunt. Sic autem habent. Cum Henricus se a rege Francorum bello peti, et a filiis Richardo et Joanne cum maxima exercitus sui parte derelictum videret, initio quidem resistere conatus est; verum cum multas urbes jam captas, seque prælio imparem agnosceret, pacem cum Franco, iniquis tamen conditionibus inire compulsus est, atque paulo post nimio dolore maxime ob filiorum perfidiam absorptus, in febrem incidit, et apud Chinonem obiit. Testamentum autem condidit, quo jussit corpus suum in monasterio Fontis-Ebraldi sepeliri. « Quod quidem celeberrimæ religionis titulo inclitum specialiter vivus coluerat, et tantis prævenerat beneficiis, ut in eo potissimum juxta meritum votumque proprium corpori suo locum requietionis sub exspectatione futuræ resurrectionis deberet acci-

[62] Cant. 8, [63] I Cor. 13.

permansit; cumque omnia evacuentur in morte, A dilectio in morte non moritur, cujus fortitudini mors succumbit.

Regnum quidem Angliæ, quod adversus regem Stephanum armis strenuissimum sudoribus obtinuerat bellicis (71), licet adolescentulus et contemptus, filii ejus (72) consilio et auxilio regum et principum circumjacentium gravi seditione turbaverant. Ipse autem destitutus suis, et ab extraneis impugnatus, illo succurrente, in cujus virtute unus fugat decem millia, prævaluit universis, deditque in manus ejus hostes suos Dominus, *ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis* [44]. Ille ergo, qui convertit corda filiorum ad patrem, ipse in filiis nostri regis suscitat ac mittat filiales et devotos affectus; ipse B sedem patris in tempora longa stabiliat, et faciat pacem. Scio enim quod si bella iterum suscitaverint in parentem, succidet eos Dominus. Nam Dei judicio et lege fatali sancitum est, ut quicunque de consanguinitate illius bellis ipsum impugnare præsumpserint, non dimidiet dies suos. Hoc autem in libro experientiæ jam de multis legimus, et fide oculata cognovimus.

EPISTOLA LXVII.

AD HENRICUM REGEM ANGLIÆ.

[c. A. D. 1161.]

ARGUMENTUM. — *Archiepiscopus Rothomagensis Henrico II Anglorum regi multis rationibus, exemplisque regum tam profanis, quam sacris persuadere conatur Henricum filium regni hæredem litteris esse imbuendum.*

Domino suo dilectissimo HENRICO illustris Anglorum regi, duci Northmanniæ et Aquitaniæ, et comiti Andegaviæ, suus ROTHRODUS (72*) divina permissione Rothomagensis archiepiscopus, salutem in eo per quem reges regnant.

Licet prudentia vestra sibi sufficiat et eruditionis alienæ suffragia non mendicet, quod tamen vobis ad utilitatem cedere credimus et honorem,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

pere. » Hæc Neubrigensis testis συγχρόνος lib. III *De rebus Anglicis*, cap. 25. Similia legere habes apud Rogerum Hovedenum, Matthæum Paris, Radulfum, Westmonasteriensem, Walsinghamum, Giraldum, Bromton, Nangacium, et alios. Unde apparet quam inepte Chronicum nescio quod Flandricum anonymum nullo teste aut auctore nixum, retulerit, Henricum, cum ab exercitu Franco vehementius urgeretur, in cubiculum interius confugisse, ubi et « milites eum insequentes habena C equi ut ferunt, inquit, strangulatum repererunt. » Quam fabulam miror scriptorem recentem, celebrem tamen, in historia Francica referre voluisse, eique potius fidem adhibuisse, quam innumeris aliis historicis omni exceptione majoribus.

Imponet coroindem laudibus piissimi principis elogium, quod in Necrologio sanctimonialium Fonte Braldensium legitur, quodque nuper ad me pro sua summa benignitate transmisit clarissimus ac studiosissimus Dominus Pavillon, qui historiam celeberrimi istius monasterii propediem daturus est: ex qua multa ad Henrici nostri munificentiam ac pietatem manifestandam, pertinentia prēter ea quæ superius adduxi, lector depromere poterit, Est autem elogium ejusmodi.

HENRICUS SECUNDUS
rex Anglorum.

« Non. Julii 1189, migravit a sæculo feliciter Henricus, vir bonæ memoriæ, illustris rex Anglorum, et dux Northmannorum, et Aquitanorum, comes Andegavorum, pius pater, defensor strenuus, benefactor magnificus Ecclesiæ Fontis-Ebraudi. Hunc itaque Patrem nostrum charissimum summus et æternus rerum conditor præ cæteris principibus et regibus terræ probitatis beneficio, et nobili thesauro ditavit scientiæ, ut secundus probitate Alexander, alter Salomon scientia putaretur. Ipse quidem in subditorum regimine providus, præcipuus in injuriis defensor, juxta divinam sententiam, superborum contumaciam confundebat et arrogantiam; pauperes et humiles, pupillos et viduas pietatis gremio confovebat. Erat adeo iste noster piissimus pater morum honestate providus, ut nullum duris sermonibus exasperans cunctis se amabilem exhiberet. A diebus juventutis suæ amore Dei et interventu materteræ suæ Mathildis felicis memoriæ venerabilis abbatissæ nostræ ecclesiam nostram nimia paupertate depressam manutenendam et protegendam, vonfovendam, ampliandam bene suscepit. et iste semper fuit provisor unicus ac patronus; inenarrabilia siquidem et ineffabilia sunt ejus beneficia, ut nec mente comprehendi, nec lingua valeant explicari. Non hoc utique silendum duximus, quod non solum circa nos pietatis suæ viscera sentire consuevimus, imo etiam conventus nostros per cæteras nationes dispersos suorum largitate beneficiorum et numerum ampliavit. Interea officinas nostras valde angustas plurimum ampliare curavit, insuper sancti Lazari structuras renovavit, et beatæ Mariæ Magdalenæ ædificia casura reædificavit. Nec hoc etiam prætermittendum est, qualiter tempore prævalidæ famis nobis subvenit; ita ut vix aliquæ apud Fontem-Ebraudi remansissent, nisi Deus solita pietate per manum ejus nobis auxilium præbuisset. Ad extremum itaque quod sine cordis dolore et lacrymarum inundanti effusione dicendum non est, sicut Christus suos, sic in fine ipse maxime dilexit nos; ita scilicet ut nobis sinceræ veritatem dilectionis, quam circa nos habebat, exhiberet, sic nobis contulit et concessit, et relictis propriis ecclesiis per diversa terræ suæ spatia constitutis, licet majoris dignitatis sint et auctoritatis, in ecclesia nostra, inter pauperes D Christi virgines et ancillas, sicut disposuerat, corpus ipsius traditur sepulturæ. Quapropter summi Dei immensam clementiam multis singulibus exoramus, ut animam istius charissimi patris nostri, beatissima virgine Maria dulci et singulari mediatrice nostra, in cujus ecclesia ejus corpus requiescit, intercedente cum omnibus sanctis et electis suis, requiescere faciat, » etc.

(71) Ex supradictis constat, non armis Henrici, qui admodum juvenis et militiæ tiro erat, sed Gaufridi patris matrisque Mathildis industria regnum Angliæ acquisitum.

(72) Ita Radulfus ad ann. 1174 et 1175; Bromton ad an. 1174; Gervasius et Matth. Paris. ad eumdem et sequentem, et Hoveden, apud quem legitur instrumentum

(72*) De hoc multa diximus ad epist. 28.

[44] Luc. 2.

dissimulare non possumus, nec debemus. Experimento siquidem didicimus, quantum commoditatis accesserit terræ vestræ in eo, quod liberalibus disciplinis vestræ primitias adolescentiæ imbuistis. Cum enim alliis regibus fit rude et informe ingenium, vestrum, quod exercitatum est in litteris, in magnarum rerum administratione est providum, subtile in judiciis, cautum in præceptis, in consilio circumspectum. Ideoque omnium episcoporum vestrorum unanimiter in hoc vota concurrunt, ut Henricus filius vester et hæres litteris applicetur, ut quem vestrum exspectamus hæredem, habeamus tam regni quam prudentiæ successorem. Scitis, quod totius prudentiæ compendium in litteris continetur, si respublica regenda est, si prælia committenda sunt, si castra metanda, si machinæ erigendæ, si renovandi aggeres, si propugnacula facienda : denique, si quies libertatis, si justitiæ cultus, si reverentia legum, si finitimarum gentium amicitiæ sunt firmandæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum.

Rex equidem sine litteris, navis est sine remige, et volucris sine pennis. Recensent historiæ [65], quantum Julio Cæsari contulerit litteras didicisse. In litterali studio tantus fuit, ut quaternas simul dictaret epistolas. Quantus in juris civilis peritia fuerit, leges Romanorum indicant. Virtutem potentis ingenii, quam jugiter in philosophia exercuit, prædicat subtilitas bissextilis. Doctrina Aristotelis, et continuum sub eo virtutis exercitium magnum magnificavit et extulit Alexandrum [66].

Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit, mores, nec sinit esse feros (73).

Teste Salomone ; *Melior est sapientia cunctis operibus pretiosis et omne desiderabile non potest ei comparari* [67]. Rex idem pacificus se illam super salutem et omnem pulchritudinem dilexisse fatetur, et cum ea bona sibi pariter evenisse omnia gloriatur. Rex, cui omne judicium in populo datum est, quomodo judicabit populum suum in lege Domini, si legem Domini non cognovit ? de rege scriptum est in lege Domini in hunc modum : *Postquam sederit rex in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis in volumine* [68]. In quo manifestissime liquet quod in rege scientia litterarum exigitur, ut sit in lege Domini voluntas ejus, et meditetur in ea die ac nocte. Meditatio et exercitatio toto erat in lege Domini, in justificationibus et mandatis, *In lege*, inquit, *tua meditatus sum, et lex tua meditatio mea est. Exercebar in justificationibus tuis, et in mandatis tuis exercebar* [69], et plurima in hunc modum. Procedat autem eum David allii reges, Ezechias, Josias, et alii sanctissimi reges, qui custodiebant testamentum Domini. et præceptum, quod dedit illis. De Josia rege legitur [70], quod cum in ejus præsentia Deuteronomium lectum esset, humiliavit se, et flevit coram Domino, eo quod legem Domini non servasset ; percussitque fœdus cum Domino, quod ambularet in viis ejus de cætero : quod et fecit. Procedant etiam de schola Evangelii, Constantinus, Theodosius, Justinianus et Leo, atque alii Christianissimi principes, qui populum rexerunt in lege Domini, in fortitudine armorum, nec minus militia litterarum. Non video qualiter princeps perseveret in regno, aut judicet populos in æquitate, nisi consilio litteralis prudentiæ muniatur; Sapientia enim dicit : *Judex sapiens judicabit populum suum, et principatus sensati stabilis erit* [71]. Et ibidem : *Rex, qui judicat in æquitate populos, et sapientiæ pauperes, thronus ejus in æternum manebit* [72]. Quia David postulat a Domino, ut sapientiam et scientiam doceatur, ideo se Dominus in eo virum secundum corsuum invenisse testatur [73] ; cumque eum postmodum in regale solium sublimasset, continua temporum successione regnum ei perpetuum pollicetur. *De fructu ventris tui*, dicit, *ponam super sedem tuam* [74]. Item : *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli. Si custodierint filii tuii mandata mea, et testimonia mea hæc quæ docebo eo, ipsi et filii eorum sedebunt super sedem tuam. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam*, etc., *visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum* [75]. Ex prædictis manifeste conjicio quod per imprudentiam filiorum regna fortium transferuntur ad exteros. Nam, juxta Sapientiæ verbum : *Regnum a gente in gentem transfer ur propter injustitias et injurias, et contumelias, et diversos dolos* [76]. Percurre a primo rege in Israel, et vide quomodo vita Saul et Jonathæ, et omnium succedentium quasi tela araneæ in brevi succisa est, et quanto amplius intumuerunt adversus scientiam Dei, tanto gravius dejecit eos, dum allevarentur. Non est consilium adversus sapientiam Dei. Frustra curritur ad munitiones et cuneos armatorum. Dominus est, qui judicat reges terræ ; *qui aufert spiritum principum* [77], et non est qui de manu sua possit eruere. Loquitur Dominus per Prophetam : *Erudimini, qui judicatis terram* [78]. Hæc est vox, ad cujus auditum beatus Job [79] comminando reges invitat. *Si audierint*, inquit *reges vocem Domini, comple-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

strumentum pacis. Lege etiam quod scribit ad an. 1183.

Hæc epistola scripta videtur circa an. 1177, postquam filii Henrici regis in gratiam patris redierunt.

(73) Hi duo versus ex Ovidio deprompti. Scripta est hæc epistola circa ann. 1161, cum Henricus filius regis esset fere septennis.

[65] Plutar. *in Cæsar.* [66] Plutar. *in Alexand.* [67] Sap. 7. [68] Deut. 17. [69] Psal. 118. [70] II Reg. 22. [71] Eccli. 10. [72] Prov. 29. [73] I Reg. 13. [74] Psal. 131. [75] Psal. 88. [76] Eccli. 10. [77] Psal. 75. [78] Psal. 2. [79] Cap. 36.

bunt dies suos in bono, et annos suos in gloria. Si A *autem non audierint, transibunt per gladium et consumenter in stultitia.*

Ecce quam terribilis est finis regum, qui eruditionem Domini non admittunt. Ecce qualiter stultitia, sive illitteratura regum cedit eis in perniciem ; ipsorumque præsidentium temeritas frequenter subjectos præcipitat in ruinam. Temeraria David [80] præsumptio in paupuli numeratione, fuit illius magnæ pestis occasio, quæ septuaginta millia de populo interemit. Pro peccato Saul populus in monte Gelboe cecidit [81]. Culpa Jeroboam in populum redundavit [82]. Religiosorum communis est opinio, quod de lumbis vestris super solium non sedebit filius, nisi primitietur in litteris, et lege B Domini diligentius instruatur, Potentia Domini non minor est in potentissimo regno transferendo, quam in tugurio pauperis evertendo. Quis in Græcia potentior fuit Alexandro [83], et tamen ei successisse legitur, non suus, sed saltatricis filius. Successorem Julio Cæsari fecit adoptio, non natura [84]. Cæsareæ domus totum relege et revolve progressum, et invenies quia in brevi periit memoria eorum, et ad inferos descenderunt, quoniam a se scientiam Dei repulerunt et ipsi repulsi sunt, eisque aut hostes, aut ignoti viri et extranei successerunt. Date igitur aperam, amantissime princeps, ut filius vester pueritiæ cursum litteralibus disciplinis impendat, quatenus sic et malitiam dediscat innatam beneficio litterarum, et laudabilium C exemplis operum assuescat. Bene valete.

EPISTOLA XLVIII.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

[A. D. 1180 ?]

Argumentum. — *R. archiepiscopus Cantuar. accusat abbatem Malmesburiensem, quod se ab obedientia sui episcopi subtraxerit Deinde fuso deplorat quanta mala secuta sint ex exemptionibus abbatum per pontifices Romanos ob episcoporum quorumdam tyrannidem indultis.*

Sanctissimo Patri et domino Alexandro Dei gratia summo pontifici, R. Ecclesiæ Cantuariensis humilis minister, devotissimum subjectionis obsequium.

Sicut eminentiam apostolicæ sadis, etc. *Vide inter variorum ad Alexandrum epistolas, post ipsius* D *Regesta, Patrologiæ*, t. CC.

—

EPISTOLA LXIX.

AD RADULPHUM (74) ANDEGAVENSEM EPISCOPUM.

[A. D. 1182 ?]

Argumentum. — *Deplorat lapsum populi Andegavensis, qui Henricum II Anglorum regem bellum gerentem contra rebellem filium Henricum turpi fuga deseruerat ; hortaturque episcopum, ut eum vel in fidem sui principis revocet, vel spirituali gladio compescat.*

Reverendo Patri ac domino Radulpho Dei gratia Andegavensi episcopo, suus P. Bles. Bath. arch., salutem animæ, et corporis sanitatem.

Sicut de invaletudine vestra turbata est anima mea, sic de convalescentia vestra vehementius exsultat. Benedictus autem Dominus, qui castigans castigavit vos, et morti non tradidit vos, misericorditer reservans ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Tempus equidem est accingi gladio et arripere judicium ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Enormiter peccavit populus vester, cujus malitiam, nisi digna et tempestiva animadversione contuderitis, verendum est ne vobis et populo Dominus irascatur, et ne in caput vestrum aliena transgressio refundatur. Etunde hæc proditoriæ factionis iniquitas, ut Andegavensis exercitus, tanquam transfuga et desertor dominum suum in acie hostilibus cuneis fugiendo exponeret ? Excusabilior esset fuga, si deessent victualia, si arma deficerent, si fortior hostis insisteret, si princeps duceretur captus, aut in acie cecidisset, Nunc autem sine timore, sine vulnere, sine periculo, sine hoste fugit exercitus, ut hostium gratiam ex sui principis desolatione captaret. Sane, quia benignitas regiæ majestatis semper eos blande rexerat et mansuete tractaverat, prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, atque beneficio indultæ mansuetudinis abutentes se in insolentiam contumaciter erexerunt. Scio quia dominationem filii malitiose desiderant, *tantumque*, ut poetæ verbo utar [85],

A principe vulgus
Dissidet, et qui mos populis venturus amatur :

Et sicut habet eorum communis opinio,

Regnorum sub rege novo mitissima sors est.

Milites quoque, qui contra præstitum patri juramentum in partem filii conjuratione clandestina transierunt, non minus essent puniendi quam populus, quoniam

Facinus quos inquinat æquat.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(74) Fuit hic Radulfus ex illustri familia comitum de Bellomonte progenitus, Richardi ex filia naturali Henrici I Anglorum regis filius. Assumptus est ad episcopatum circa annum 1178, et paulo post, scilicet anno 1179, interfuit concilio Lateranensi, præsidente Alexand. III.

Quo autem anno scripta sit hæc epistola incertum est. Nam quod ad an. 1173 eam refert Baronius, non convenit cum chronologia episcoporum Andegavensium : cum ex antedictis pateat eum hoc anno nondum fuisse episcopum, sed tantum an. 1178, aut secundum Sigibertum, an. 1179. Sed quoniam multoties contra Henricum filii bella gesserunt, intelligi potest hæc epistola scripta tempore belli, quod inter Henricum et filios gestum est paulo ante mortem Henrici Junioris, qui obiit an. 1183.

[80] II Reg. 24. [81] I Reg. 31. [82] III Reg. 14. [83] Quint. Curt. lib. ult. [84] Suet. *in Augusto.* [85] Lucan. lib. VIII.

Quia in filio vita diuturnior, et terribilior dominatio exspectatur,

Degeneres trepidant animi, pejoraque versant.

Verumtatem sicut Moyses ob vitulum conflatilem zelo succensus excanduit, atque viginti tria millia hominum occidendo multorum culpam [86], teste Augustino [87], vindicavit in paucis; sicut Julius Cæsar militarem tumultum, quem adversus eum excitaverant multi, paucorum animadversione cohibuit [88]; sic expediret domino regi non dissimulare, aut negligere hunc excessum, sed ita paucorum insolentiam ferro ultionis abscindere, ut, terrore derivato ad posteros, facinus non redeat in exemplum. Dominus loquitur per prophetam: *Si Dominus*, inquit, *ubi timor? si pater sum, ubi amor* [89]? Nobilissimus siquidem rex, qui rigorem dominationis paterna temperaverat lenitate in populo infideli nec amorem reperit, nec timorem. *In stratagematibus Julii* legitur Clearchum Lacedæmonorium ducem dixisse, principem exercitui magis esse timemdum quam hostem [90]. Faciat, quæso timor humiles, quos fecit mansuetudo principis tumidos et rebelles. Leges equidem imperiales in eum qui desertor est, vel transfuga vel emansor, principis tu pœnam ordinariam, ad furcam, scilicet, vel ad bestias dictaverunt. Appius Claudius eorum, qui a militari statione cesserant, decimum quemque militem sorte ductum fuste legitur occidisse [91]. Fabius Rullus consul ex duabus legionibus, quæ loco cesserant, vicenos sorte ductos in conspectu omnium securi percussit [92]. Q. Fabius Maximus transfugarum dexteras præcidit [93]. Marcus Cato comprehensis in furto commilitonibus idem fecit. Nihil detestabilius est nota præditoris in milite. Licet Joab omnia fortiter fecerit, non computatur tamen in catalogo fortium David, quia fortitudinem ejus proditio in Abner et Amasa Denigravit [94]. Non dico, ut vestro consilio vel hortatu Dominus rex in populum vestrum rigorem gladii materialis exerceat; scio enim quod in hac parte vices exacti judicis exsequetur, sed quod vestrum est agite. Manus dissolutas, genua debilia, mentesque trepidas roborate, atque infideles animos, aut revocetis ad fidem sui principis, aut spirituali eos gladio compescatis. Novum siquidem a domino papa noveritis emanasse mandatum, ut quicunque pacem domini regis turbant, apellatione remota, excommunicationis vinculo astringantur (75). Hac auctoritate fretus dominus Cantuariensis omnes domini regis impugnatores apud Cadomum nuper excommunicavit, nec regi juniori, nec alii exceptionis gratiam fecit (76). Illud sutem certissime teneatis ipsum nunquam aliquem excommunicasse, qui aut non moretur in proximo, aut cujus non operiret faciem subita et ignominiosa confusio (77).

Exeratis itaque gladium Petri, ut ad debitæ fide-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(75) Id est quod Bles. scripserat epist. 47 ad Henricum regem filium Henrici II, nomine Richardi Cantuar, his verbis: « Scias nos recepisse a S. pontifie in mandatis, tui et omnes in pacem Domini tui turbant, sublato appellationis remedio, excommunicationis vinculo innodemus. »

(76) Rog. de Hoveden ad an. 1183: « Interim Richardus Cantuar, archiepiscopus, et Henricus Bajocensis, et Joannes Ebroicensis, et Radulphus Lexoviensis, et Frogerius Sagiensis, et Walerannus Roffensis episcopus, una cum abbatibus Northmanniæ, et clero, et populo multo venerunt Cadomum, et ibidem in monasterio D. Stephani solemniter in communi plebis audientia sententiam excommunicationis tulerunt in omnes qui pacem et concordiam inter dominum regem et filios suos faciendam impedirent, excepta solius regis filii persona. » Petrus noster pronuntiat regem Juniorem non fuisse exceptum ab hac sententia excommunicationis; Rogerus contra vult exceptum fuisse. Videntur hæc duo contradictoria, nisi præstet ea conciliare, dicendo Henricum Juniorem non fuisse nominatim exceptum in sententia excommunicationis, et hoc voluisse Blesensem, tamen non fuisse in ea involutum, adeoque aliquo sensu exceptum fuisse; quatenus scilicet proceres Angliæ, inconsulto rege, non excommunicantur. Nam, referente Eadmero, Guilelmus I, nulli episcoporum suorum concessum iri permitiebat, ut aliquem de baronibus suis, seu ministris, siue incesto, sive adulterio, sive aliquo capitali crimine denotatum, publice, nisi ejus præcepto, implicitaret, aut excommunicaret, aut ulla ecclesiastici rigoris pœna constringeret. Et Radulfus de Diceto, ad ann. 1163, loquens de excommunicatione quadam lata per B. Thomam Cantuariensem, rege inscio, adversus Willelmum Ainefordiæ dominum: « Archiepiscopus eum excommunicavit. Quod quia, minus certiorato aege, fecssset, maximam regis indignationem incurrit. Asserit namque rex, juxta regni dignitatem, quod nullus capitaneorum, nullus militans regni, nulius minister regis, nullus scilicet, ut vulgariter loquar, de rege tenens in capite castellum, villam, vel prædium, citra conscientiam regis, est excommunicandus ab aliquo, ne, si super hoc rex certioratus non fuerit ignorantia lapsus communicet excommunicato, capitaneum suum venientem ad se vel invitans ad osculum, vel recipiens in concilium. » Idem habet Matth. Paris. et in concilio Clarendoniæ celebrato anno sequenti, c. 7: « Nullus qui de rege tenet in capite, nec aliquis Dominicorum ministeriorum ejus excommunicetur, nec alicujus terræ eorum sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex; si in regno fuerit, conveniatur; vel justitia ejus, si fuerit extra regnuem, ut rectum de eo faciat; et ita, ut quod pertinebit ad regis curiam, ibi terminetur; et de eo quod spectat ad curiam ecclesiasticam, ad eamdem mittatur, et ibidem terminetur. » Exstant definitiones synodi hujus apud Gervasium, ad annum 1164. Exstant quoque apud Matth. Paris., sed depravatæ. Et quidem historicum nemo scripsit Henricum Juniorem anathemate fuisse percussum, neque ipse Petrus noster, epist. 2, in qua dum solatur Henricum II de ejus morte maxime mœrentem, lapsum anteactæ vitæ, et pœnitentiam finalem ejus memorat.

(77) Si Henricus Junior non fuit exceptus ab eorum numero, quos Richardus Cantuariensis anathemate percussit, est quod dicatur quoque de eorum numero fuisse, qui post sententiam excom-

[86] Exod. 32. [87] *In quæst. V. et N. Testam.* c. 102. [88] Jul. *Frontin.* lib. IV, c. 5. [89] Mal. I. [90] J... Front. *Strat.* lib. IV, c. 1. [91] J. Front. *ib.* c. 1. [92] Ibid. [93] Ibid. [94] *II Reg.* 3.

litatis observantiam compellantur inviti, qui spontanea voluntate pro salute principis se morti et carceri debuerant objecisse. Sola fidelitas est, quæ dilatat gloriam populi, quæ pacem firmat, et terrorem incutit inimicis. Adhuc in Annalibus recensentur fideles populi et vivent nomina eorum in æternum. Refert Frontinus [95] Casilinos, obsidente eos Hannibale, tantam fidem servasse Romanis, ut eos ad deditionem, neque fames, neque gladius inclinaret : tantaque illos afflictos fuisse inedia, quod mus centum denariis venderetur ; venditoremque muris periisse fame, et emptorem mortis periculum evasisse [96]. Petilini a Pœnis obsessi parentes et liberos ob inopiam ejecerunt, ipsi autem, coriis madefactis et igne siccatis, foliisque arborum vitam trahentes, obsidionem undecim mensibus contempserunt. Cyzicum in contumeliam Romanorum obsederat Mithridates, urbisque captivos produxit, et ostendit obsesssis, arbitratus futurum, ut miseratione suorum ad deditionem compelleret oppidanos [97]. At illi exhortati eos ad mortem fortiter excipiendam, fidem servavere Romanis. Vestri autem Andegavenses, quorum præ cæteris populis erat in actis bellicis fama celebrior, tanquam *filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli* [98] ; et quasi degeneres et imbelles, ubi fortius et fidelius principi suo adesse debuerant, in fugam ignominiosissimam sunt conversi. Verumtamen speramus in eo qui spes nostra est, qui convertit mare in aridam, quod convertet in proximo corda filiorum ad patrem, et hanc dissensionis amaritudinem dulcorabit. Ipse quoque, qui judicat fines terræ, dabit victoriam regi nostro, et sublimabit cornua Christi sui. Vale.

EPISTOLA LXX.

AD JO. CARNOTENSEM EPISCOPUM (78).

[A. D. 1175?]

ARGUMENTUM. — *Conatur persuadere Carnotensi episcopo, rectius eum facturum, si nepotes potius, pauperes tamen et honestos, quam externos ad ecclesiastica beneficia promoveat.*

Dilecto, et præ omnibus diligendo domino suo Jo. Dei gratia Carnotensi episcopo, suus canonicus PETRUS Blesensis, salutem, et in ira misericordiæ reminisci.

Eam speravimus in vobis et de vobis maturitatis et prudentiæ gratiam, ut vos adulatio fallax facile non seducat. Proverbialiter enim dicitur quod

Stultum est vas incrustare sincerum [99].

Et testimonio Salomions : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* [100]. Scitis, quod Robertus Salebere caro et sanguis vester est : illi tamen quorum os amaritudine et dolo plenum est, qui dicunt bonum malum, et malum bonum, elongant a vobis amicum et proximum, et de linguæ veneno confisi, eum a visceribus vestris nituntur avellere, exterminantes adulatione seductoria legem naturæ, necessitatem sanguinis, beneficium nutrituræ. Nepoti vestro, dum honestus est, et ecclesiasticis idoneus beneficiis, minus aptum aut deteriorem, quæso, non præferatis extraneum, nec ab eo vestræ liberalitatis gratiam avertatis, in quo ista duo concurrunt, natura et meritum. Sane in omni facultate fortius est, quod ex natura procedit, quam quod accedit extrinsecus ; semperque sincerior erga vos erit nepotis affectio, quæ naturæ obsequitur, quam quæ sequitur ex fortunæ inconstantia. Aristotelem dixisse [1] recolitis, quia omne quod natura tale est, magis tale est eo quod non natura tale. Quid est quod in jure civili pactum stipulationem tollit, et a stipulatone non tollitur ? nisi quia pactum vinculum naturale est, stipulatio vero civilis est obligatio ; jus autem civile naturale corrumpere non postet, cum jus civile a naturali aliquando tollatur. Durum quidem, et nimis austerum est vos eis non esse propitios, quos vobis natura conciliat. Nam et Apostolo teste *qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* [2]. Bruta fetus suos nutriunt, et eos, cum fuerunt grandiusculi, derelinquunt. Non decet hoc hominem, quem ratio, quem intelligentia faciunt cæteris præeminentem. Cavete, quæso, ab iis, qui hominibus placent, confusi sunt qui omnia dicunt ad voluptatem, ad veritatem nihil. Adulatio quidem pestis improbissima est, quæ cum statim deprehendatur a paupere, apud divites latenter obrepens etiam circumspectum circumveniet et prudentem. Aut enim sub dilectionis imagine, aut devotionis obtentu, aut alicujus simulatione officii se adulatio prodigiosa palliat, ut gratius acceptetur : venena enim non dantur, nisi melle circumlita. Gloriosum vobis est, dicit callidus adulator, quod in beneficiorum collatione pauperes honestos vestris nepotibus antefertis ; opus Dei est hoc : caro et sanguis non revelat hoc vobis. Et quis in hac exhortatione malitiam non deprehendat ? sic adversus eum, in quo dolus non est, quandoque dolosus tentator Pharisæus et Horodianus accessit : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, neque acipis personam hominum : licet cesum dare Cæsari an non* [3] ? Præcedunt blanditiæ, sed venenum est in sermone. Verumtamen omnes laquei malitiæ dissolvuntur, dum producto numismate census, Deo, quod erat Dei, et Cæsari, quod erat Cæsaris, assignatur. Vestra etiam discretio non ignorat quod

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

municationis latam ab eo pontifice, in proximo mortui sunt, quia eodem anno e vivis abiit, videlicet 1183, ut historici observant, de Hoveden, de Diceto, Bromton, Gervasius, Matth. Paris., etc.

(78). Is est Joannes Sarisberiensis : de quo vide ad epist. 22.

[95] Lib. IV *Strat.* c. 5 [96] Ibid. [97] Front. lib. IV, c. 5. [98] Psal. 77. [99] Horat. *Sat.* I sat 3. [100] Prov. 1. [1] Lib. 3 *Top.* c. 1. [2] II Tim. 5. [3] Matth. 22.

extranei et honesti admittendi et beneficiandi sunt, sed nunquam honestis nepotibus præferendi (79. Summa naturæ injuria est nepotem pauperum et honestum abjicere, carnemque et sanguinem suum opprobrio publicæ mendicitatis exponere. Ursa et leæna diligunt fetus suos, alienos quoque, si cis impenderint beneficium nutrituræ. Sed et *lamiæ*, juxta prophetam, *nudaverunt mammas, et lactaverunt catulos suos* [4]. Homo autem adeo efferatæ inhumanitatis erit, ut, quem docuit, negligat, et abjiciat quem nutrivit ? Qui hoc vobis, reverende Pater, suggerunt, parietem ædificant, et dealbant. Verumtamen Dominus dedit vobis cor et sapientiam, ut non seducan vos spiritus mendacii specie et adulationis, ut adulatores deprehendatis in astutia sua, debitumque naturæ in vobis non extinguat dolosistas aliena. Porro Joannes evangelista, licet consanguineus Domini, præ cæteris tamen est dilectus a Domino, alterumque filium Zebedæi, et Jacobum minorem, Joseph etiam justum, Judam et Simonem, linea consanguinitatis a Christi consortio non abscidit. Si nepos vester honestus est et prudens, in viro prudente naturam, in consanguineo diligite honestatem. Si ei apud vos beneficium naturæ non sufficit, ei saltem honestas et litteratura sufficiat, ut vos inveniat benignum et placabilem ; apud quem circumscripta omni linea parentelæ de suorum exigentia meritorum gratiam vindicat et favorem.

EPISTOLA LXXI.

AD M. ERNALDUM BLESENSEM.

ARGUMENTUM. — *Emerat Blesensis Parisiis libros legum, pretio numerato, sed non abstulerat : quos alius, majori numerato pretio, abstulit. Contendit ergo Blensensis libros illos, licet sibi traditi non sint ab alio emi non potuisse.*

Charrissimo socio et amico magistro ERNALDO Blesensi, PETRUS Blesens. Bathon. archidiac., salutem.

Cum dominus rex Aglorum me nuper ad dominum regem Francorum nuntium destinasset, libri legum venales Parisius oblati sunt mihi ab illo B. publico mangone librorum : qui cum ad opus cujusdam mei nepotis idonei viderentur, conveni cum eo de pretio, et os apud venditorem dimittens, ei pretium numeravi : superveniens vero C. Saxeburgensis præpositus, sicut audivi, plus obtulit, et licitatione vincens libros de domo venditoris per violentiam asportavit. Quoniam igitur ad eum, qui me misit, redire maturius me oportet, vosque moram facturus estis Parisiis, plenissimam habens in vestra discretione fiduciam vobis prædicti procurationem negotii committo : aut, si moram Parisiis aliqua vobis necessitas interdicit, magistro Hugoni Genuensi sub litterarum mearum testimonio committatis. Cum enim ratione civili alienis negotiis exactissima diligentia debeatur : scio quod si præsenti causæ, cui plurimum assistit æquitas, sollicite impenderitis procurationis officium, intentio vestra cum honore et fructu veniet ad effectum. Nam, licet rei venditæ, aut donatæ, aut ex causa relicti debitæ non soleat sine traditione transferri dominium, hic tamen habeo utilem actionem in rem, per quam contendo libros mihi exhiberi et tradi. Et ad hoc facit lex illa digestorum ad municipalem, de jure omnium incolarum, et lex tertia digestorum de liberis exhibendis. Sed et libertum meum, cujus possessionem nunquam habui, sic peto : item et filium meum adjecta causa ex jure quiritum. Item civis, aut civitas decurionem suum, ut in institutionibus, de actionibus, præjudiciales, et digistis, de rei vendicatione, lege prima, paragrapho, per hanc. Codice de agricolis et censitis, lege quisquis et lege omnes. Ex habet de colinis Palæstinis, et codice de colinis Thracensibus, codice de fugitivis colinis de agricolis etiam et mancipiis lege secunda et tertia. In his omnibus mihi vindico rem, cujus possessionem nunquam nactus sum. Sed nec in omnibus his traditionis aut possessionis fit mentio. Nam et libertum petam non traditum aut possessum. Alioquin, quid fiet, si statim post manumissionem se contendat ingenuum ? Aut si jus patronatus emerim a patrono, etsi non possederim, tamen ago. Nam etsi pater mihi assignaverit libertum, citra omnen traditionem et possessionem patre mortuo ipsum peto. Item, si debitor paratus erat solvere, deinde convenit, ut

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(79) Tria certa sunt. Primo nepotem dignum præferendum esse extraneo indigno. Unde recte Blesensis ibi : « Nepoti vestro, dum honestus est, et ecclesiasticis idoneus beneficiis, minus aptum aut deteriorem, quæso, non præferatis extraneum ;» secundo, extraneum dignum præferendum esse nepoti indigno ; tertio, nepotem digniorem minus digno extraneo, et extraneum digniorem minus digni nepoti esse præferendum. Sed quid in pari causa ? Præferatur nepos, si in eo promovendo nihil carnali studio datum manifeste appareat : Præferatur extraneus, si promotio nepotis apud viros probos cum quodam scandalo indivulse conjuncta videatur. Nihil enim episcopo magis cavendum, quam ne famam suam carnalis in nepotes affectus apud æquos rerum æstimatores suspicione commaculet. Apposite Petrus Cantor., c. 43 : « Nepotem ergo tuum incolumem Ecclesiæ non erigas, tamen ecclesiasticum beneficium unde sustentetur, ei assignare potes. Sed quid, si æque honestus est et dignus ut extraneus ? Sed et hoc periculosum est, nisi probitas ejus exigeat, et excludat omnem infamiam, scandalum et malum exemplum, quod de facili non fit. Non enim exemplum a bene gestis nostris sumitur, sed a cortice, specie et superficie illorum, non a veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam magis quam propter gratiam ; dicentes : Nonne meis sicut et ille suis dabo ? Ego Gratiæ, ille dat naturæ. »

[4] Thren. 4.

retineret pecuniam in causam crediti, contrahitur A mutuum, quia creditor intelligitur recepisse, et illi dedisse, ut Digest. *De rebus creditis*, lege *singularia*. Expressa similitudinis forma videor libros ab emptore recepisse, et in causam depositi dimisisse. Præterea traditio alia est vera, quæ fit interveniente, corporali actu : unde dicitur ; traditionibus et usurpationibus quibus rerum dominia acquiruntur, ut codice *De pactis*, lege *traditionibus*. Alia fit per fictionem juris, quæ triplex est ; fit enim per constitutionem, ut codice *De donationibus* lege *quisquis*, et Dig. *De rei venditione*, lege *mulier*. Et Digest. *De acquirenda possessione*, lege *interdum*. Alia fit per celebritatem unius actus, qui alium occulat, ut Dig. *De donationib. inter virum et uxorem* lege *hæc ration.* § *Sciendum*, in medio pa- B ragraphi. Alia fit ex appositione custodis, ut Dig. *De acquirend. posses.* lege *quarumdam*. Hac brevi deliberatione usus sum, non ut vos instruam, qui estis in jure civili præcipuus, sed ut ad subtiliora vos excitem. Informe principium vos informabit ad optima : scriptum est enim : *Da sapienti occasionem, et sapientior erit* [5] : nam et rivulus ex cursu continuo in magnum plerumque stagnum exuberat, et scintilla incendii ventorum suffragio se porrigit in immensum. Vale.

EPISTOLA LXXII.

AD AMICUM ET SOCIUM.

ARGUMENTUM. — *Acriter invehitur in quemdam olim socium et amicum, qui per invidiam auc or fuerat, ut Blesensis, in familiam archiepiscopi Senonensis non asciscerelur, alii que beneficiis ecclesiasticis* C *excideret. Epistola erudita est abundans versibus poetarum.*

M. PETRUS Blesensis, G. quondam amico et socio suo, salutem quam meruit.

Cum dominus Senonensis (80) me vocasset a scholari militia, et sub certa exspectatione tempestivi beneficii suæ familiæ ascripsisset, frequenti suggestione tua propositum revocavit, et sicut publice jactitasti, me illuso in spem meam alium introduxit. Benedictus autem Deus, qui spem mihi abstulit, et rem contulit, tuamque conscientiam cruciatu pœnitudinis affligere postea non cessavit. Nam juxta ethicum,

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori : prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur [6].

Illud autem mihi ad votum gratanter accedit, quod publice scitur, hoc non ex culpa mea, sed ex tua invidia processisse, mihique solatio est tuæ conscientiæ cruciatus.

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum [7].

Pœna quidem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas et Cæditius gravis invenit, aut Rhadamanthus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem [8].

Invidia est qua instingante Cain fraticidium commisit, Joab Amasam interfecit, Saul persecutus est David, Judæi Christum Pilato tradiderunt, filii Jacob Joseph Ismaelitis vendiderunt. Nunquam sane invidisses pauperi, si qua tibi inesset generis mentisve nobilitas, quia testimonio poetæ.

Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo [9].

Jam non reputabo me miserum, cui potest, alius invidere. Vulgo enim dicitur, quia sola miseria caret invidia. Usque in diem mortis non judicabo me a morsu invidiæ liberum et immunem. Nam, juxta Ethicum, ille qui monstra domuit et evasit,

Comperit invidiam supremo fine domari [10].

Certe, si inimicus meus maledixisset aut nocuisset mihi, sustinuissem utique : sed nunc

Non exspectato vulnus ab hoste tuli [11].

Ideoque et ipsum impatientius fero. Nam teste Nasone,

Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est.
Quæ venit indigne, pœna, dolenda venit [12].

Illud plurimum adauxit injuriam et ignem indignationis accendit, quia innocentiam mea tantæ majestati reddidisti exosman, quæ solo nutu meam potest damnare et opprimere parvitatem. Legitur [13] quod Augustus in Pollionem scripserat Fescenninos : cumque respondere Augusto Pollio, moneretur : « At ego, inquit Pollio, taceo, non est leve in eum scribere, qui de levi potest proscribere. » Longe, quæso faciat, a me dominus archiepiscopus manum suam, nec ejus fortitudo me terreat.

A Jove percussus non leve vulnus habet.
Ipse suas quamvis vires inhiberet Achilles,
Missa graves ictus Pelias hasta dabat [14].

Mole, quæso, magnitudinis suæ me non premat. Nam satis æquanimiter fero dispendium, quod mihi hostis procuravit occultus.

Flagrantior æquo,
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major [15].

D Adhuc retineo spei magnæ solatium :

Nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput : sors æqua merentes
Respicit [16].

Super omnia desiderabilia mea erat præcipuum, ut in terra nativitatis meæ aliquod beneficium obtinerem : quia

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Tangit, et immemores non sinit esse sui [17].

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(80) Guillelmus est, ad quem Blesensis scripsit epsit. 128 de hoc argumento.

—

[5] Prov. 9. [6] Juven. sat. 13. [7] Horat. lib. I, *ep. ad Lollium*. [8] Juven. sat. 13. [9] Ovid. lib. III. *De pont.* eleg. 3. [10] Plautus *in Truc.* [11] Horat. l. II, ep. 1. [12] Ovid *ex Hyps.* [13] Macrob. l II. *Saturn.* c. 4. [14] Ovid. I. I. *De pont.* eleg. 8. [15] Juv. sat 13. [16] Lucan. l. VIII. [17] Ovid. *De pont.* eleg. 4.

Nunc autem culpis meis exigentibus, vagus et profugus super terram,

Quo me cunque rapit tempestas deferor hospes [18].

Verum quia innocentia mea per malitiam subversa est, habeo consolationem in Christo, ut sapientia vincat malitiam, et disponat omnia suaviter, quæ graviter sustinere compellor sub exspectatione misericordiæ suæ.

Omne solum forti patria est ut piscibus æquor ;
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet [19].

Si me fortuna dejecisset in angiportum, ut ita loquar, arctioris augustiæ, non timerem. Poetæ namque testimonio,

Fortuna miserrima tuta est :
Nam timor eventus deterioris abest [20]

Nunc autem de paupertate causari non possum :

Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Quod satis est cui contingit ; nihil amplius optet.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus [21].

Ecce, qui in domibus regum sunt mollibus vestiuntur. Ego tamen nec sanioribus cibis, nec indumentis ornatioribus uterer, si in regum palatiis habitarem.

Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, ut mihi vivam,
Quod superest ævi, si quid superest mihi vitæ.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit [22].

Nihil prorsus habeo præter patrimonium meum, illudque totum largior et distribuo in parentes; avarior forte futurus, aut largior, si fortuna clementior arrideret. Arridebit equidem, Domino dante, et in caput tuum ignominiose refundetur, quod curialis scholaram, versutus simplicem supplantasti. Jamque tibi debitæ ultionis vicissitudinem rependissem, sed pro minimo mihi est, licet magnus sis in oculis tuis, adversus vilem et abjectum expetere ultionem.

Quippe minuti
Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio [23].

A Mihi sufficit ad vindictam quod processu temporis in me promovendo misericordia Altissimi

Videas, intabescasque videndo.

Me quidem non procurante in promptu est subversio tua, quia testimonio poetæ,

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuere ruunt,
Tu quoque fac timeas, et quæ tibi grata videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta [24].

Plutas te mihi exitialiter nocuisse, quia usus consilio Jannes et Mambres, atque consilio Achitophel, quorum adhuc hæredes omnes fere curias obsederunt, a me dominum, amicum et proximum elongasti. Recolo quantas insidias æmulorum in palatio regis Siculi Willemi secundi (81) quandoque expertus sum : B qui cum multipliciter me a regis latere studuissent, et non possent amovere, prius ad unum episcopatum et alterum, demum ad Neapolitanam metropolim postulari et solemniter eligi me fecerunt. Ego autem ad hoc nullo potui fraudis artificio inclinari : sciebam enim, quod ad hoc et circa hoc tota eorum versutia versabatur, ut ab aulica conversatione remotum aperta persecutione obruerent. Tu e contrario post unam et alteram præbendam, quibus me fraudulenter emunxeras, mihi in præpositura etiam supplantasti. Porro terribilis in judiciis Deus inter me Siculos proditores terribiliter judicavit. Ipse parcat tibi, ego enim nullam de te exspecto ultionem.

C

EPISTOLA LXXIII.

AD TRES EPISCOPOS ANGLIÆ.

Argumentum. — *R. archiepiscopus Cantuariensis hortatur episcopos ad tollendum e medio abusum, qui in Anglia invaluerat, ut scilicet interfectores sæcularium capitali pœna, clericorum vero et episcoporum tantum excommunicationis pœna plectentur.*

Richardus Dei gratia Cantuar. archiepiscopus totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus venerabilibus et dilectis in Christio fratribus R. Wintoniensi. G. Eliensi, Jo. Norwicensi episcopis (82), salutem et salubre consilium.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(81) Petrus noster præceptor fuit Guillelmi II regis Siciliæ post Gualterum archiepiscopum Panormitanum, ut ipse testatur epist. 66 : « Scitis quod dominus rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit, et qui a vobis versificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per industriam et sollicitudinem meam beneficium scientiæ plenioris obtinuit. » Inde sigillifer regius, et omnium regni consiliorum particeps, æmulos habuit : qua de re ipse ait, epistol. 131 : « Cum in Sicilia essem sigillarius et doctor regis Guillelmi II, tunc pueri atque post reginam, » etc. « Panormitanum electum dispositio regni satis ad meum penderet arbitrium, quidam mei æmuli machinantes me a familiaritate regis excludere, procuraverunt ut Ecclesia Neapolitana D me in archiepiscopum eligeret, et per majores capituli, ordinationem meam communi decreto et voto unanimi postularet. Vocatus autem non ivi, rogatus et tractus multipliciter non consensi. Episcopatus quoque Roffensis bis mihi oblatus est, oblatumque renui, et honorem ex onere metiens, motus ambitiosos ad sobrios mediocritatis terminos limitavi. » Tandem vero Siciliam deseruit, ut patet ex epist. 90.

(82) Erant isti tres episcopi plurimum potentes apud regem Henricum II : unde Cantuariensis archiepiscopus eos rogat ut a rege procurent aboleri damnabilem illam consuetudinem quæ in Anglia invaluerat, et in enorme cleri dispendium excreverat, *ut si quis sacerdotem*, etc. Quæ fuse habentur in hac epistola.

[18] Horat. l. I. ep. 1. [19] Ovid. 2. fast. [20] Ovid. l. II. *De pont.* eleg. 2. [21] Horat. l. I, ep. 12 et 2. [22] Horat. l. I, ep. 19, et 18. [23] Juven. sat. 13. [24] Ovid. l. IV, *De pont.* eleg. 3.

In Ecclesia Anglicana damnosa omnibus, omnino damnanda consuetudo invaluit (83), quæ nisi per industriam vestram fuerit omnino sublata de medio, in enorme totius cleri dispendium vehementer excrescet. Si Judæus aut laicorum vilissimus occiditur, statim supplicio mortis addicitur interfector; si quis vero sacerdotem vel clericum minoris aut majoris status occiderit, ecclesia sola excommunicatione contenta, aut, ut verius loquar, contempta, materialis opem gladii non requiret (84). Scitis quidem quod a Domino dictum est Moysi : *Maleficos non patieris vivere* [a]. Et Apostolo. teste : *Princeps gladium habet ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum* [b]. Sed et Dominus dicit : *Qui vos tangit, me tangit* [c]. Et per prophetiam : *Nolite*, inquit, *tangere christos meos* [d]. Ubi igitur posset maleficium immanius et exsecrabilius inveniri, quam grassari in christos Domini, et in populum acquisitionis libera impunitatis audacia gladium exercere ? Accepta mihi esse sententia excommunicationis in talibus si timorem homicidis incuteret. Sed culpis nostris exigentibus gladius Petri rubigine obductus est, et quia non potest incidere, datus est in contemptum. Si capra, si ovicula furto sublata si vel occisa, in hujus rei auctorem, si lateat, sententia excommunicationis emittitur ; convictus vero aut confessus furcarum patibulo deputatur. Porro clerici vel episcopi occisores Romam mittuntur (85), euntesque in deliciis cum plenitudine apostolicæ gratiæ, et majore delinquendi audacia revertuntur. Talium vindictam excessuum dominus rex sibi vindicat, sed nos eam nobis damnabiliter reservamus, atque liberam præbentes impunitatis materiam, in fauces nostras laicorum gladios provocamus. Ignominiosum est quod pro capra vel ovicula gravior, pro sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his et deterioribus digni sumus, qui jurisdictionem alienam, et nobis A omnino indebitam ambitione temeraria usurpamus. Nam et in corpore decretorum, et in Epistola ad Romanos [e] hæc verba nos legisse meminimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi judices, quam per rectores et judices Ecclesiarum judicantur. Sicut est, cum quis interficit pontificem apostolicum, presbyterum, sive diaconum, hujusmodi reos reges et principes mundi damnant. Omnis equidem justitia ideo exercetur, ut debita quiete gaudeat innocentia, et malignantium temeritas refrenetur. Verumtamen in hac jurisdictione maledicta, quam ambitiose et superbe præsumimus, Deum offendimus, et dominum regem, viamque in clericos malignandi tutissimam laicis aperimus. Nuper apud Wintoniam sacerdos litteraturæ B commendabilis et conversationis honestæ maliliose occisus est a Willelmo Frechet, et uxore ejus (86), nec illi maleficium diffitentur. Prompti sunt ergo curiam adire Romanam : nam confidit in ea cor viri sui, atque in specie et pulchritudine sua intendit prospere procedere, et de lenocinio uxoris in via præter absolutionis beneficium fructus uberioris manipulos reportare. Vos ergo, dilectissimi fratres, huic publicæ pesti, dum in suo cursu est maturiore consilio studeatis occurrere : nam si liberius aliquantulum et licentius evaserit, periculum quod inter pauperes nunc versatur nostris in proximo cervicibus imminebit. Ecclesia jurisdictionem suam prius exerceat : et si illa non sufficit, ejus imperfectum suppleat gladius sæcularis. C Hujus rei auctoritas e synodo Urbani papæ, et decreto Gregorii, ex Epistola Nicolai ad episcopos Galliarum, ex concilio etiam Martini papæ, et ex concilio Carthagin. III, et ex multis sanctorum Patrum institutionibus emanavit. Nec dicatur quod aliquis puniatur propter hoc bis in idipsum ; nec enim iteratum videtur, quod ab uno incipitur, et ab altero consummatur. Duo sunt gladii, qui

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(83) Interfectores clericum clerici sunt vel laici. Clericos episcopi exauctorabant, exauctoratos ob illud crimen nolebant sæculari judici relinquere puniendos ; ne bis in id ipsum. Qua de re R. de Diceto, ad an. 1164 : « Rex Anglorum volens in singulis, ut dicebat, maleficia debita cum severitate punire, et ordinis dignitatem ad iniquum trahi compendium incongruum esse considerans, clericos a suis justitiariis in publico flagitio deprehensos, episcopo loci reddendos decreverat, ut quod episcopus inveniret obnoxios, præsente justitiario regis, exauctorarer, et post curiæ traderet puniendos. In contrarium sentiebant episcopi : quos enim exauctorarent, a manu laicali contendebant protegere, alioquin bis judicaretur in idipsum, » etc. Idem Matth. Paris. ad eumdem annum et Joannes Bromton et Gervasius ad præcedentem, quando autem clericum laicus interfecerat, episcopi homicidam excommunicabant secundum canones, et excommunicationis istius vim eam esse volebant ut homicidas immunes redderent a severitate legum D civilium latarum adversus eosdem, ne bis in id ipsum ; sic impune quodammodo clerici occidebantur ; quippe cum censuræ ecclesiasticæ ab iis contemnerentur. Unde Richardus ibi : « Sed culpis nostris exigentibus, gladius Petri rubigine obductus est. Et quia non potest incidere, datus est in contemptum, etc. Episcopi usurpabant jurisdictionem regiam ; unde idem Richardus : « Jurisdictionem alienam et nobis omnino indebitam ambitione temeraria usurpamus. »

(84) Id est impedit ne exeratur, ut colligitur ex sequentibus.

(85) Absolutionis causa, juxta c. *Si quis, suadente diabolo*, 17, q. 4, quod est Innoc. II concilium Lundon. celebratum anno 1143, præside Rogero Wintoniensi legato ejusdem Rom. pontificis, ex R. de Hoveden et Joan. Bromton ad hunc annum.

(86) Hinc patet episcopos Anglicanos voluisse homicidas clericorum laicos et postquam excommunicati fuissent eadem immunitate gaudere, qua clerici homicidæ exauctorati.

[a] Exod. 31. [b] Rom. 11. [c] Zach. 2. [d] Psal. 104. [e] Cap. 13.

mutuum a se mendicant auxilium, atque ad invicem sibi vires impartiuntur alternas, sacerdotium regibus, et sacerdotibus regnum. Ideoque si ab altero suppletur alterius insufficentia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata. Nam et illi, qui ad mortis patibulum sunt damnandi, juxta Moguntinense concilium, antequam ad tormenta ducantur, per cordis contritionem et pœnitentiam spiritualiter puniuntur, nec duplicitatem contritionis inducit, sed quædam præparatio est ad mortem pœnitentia et satisfactio quæ præcedit. Reddente igitur Deo quæ Dei sunt, et Cæsari quæ sunt Cæsaris, juxta petitionem domini regis, ei tantorum vindictam excessuum relinquamus : reis autem in mortis articulo constitutis, quia sententiam lati canonis incurrerunt, si absolutionem postulaverint, et in hoc, et in aliis, quantum possumus, sine scandalo et periculo ecclesiæ, humanitatis consilium misericorditer impendamus. Publice namque interest, ut materiali gladio cohibeantur, qui nec Deum timent, nec deferunt ecclesiæ, nec censuram canonum reverentur. Bene valete.

EPISTOLA LXXIV.

AD G. ARCHIDIACONUM.

ARGUMENTUM. — *Archidiacono suadet, ut Guidonem hospitem suum in crimen adulterii relapsum, ac proinde incorrigibilem, non secundo puniat, sed patrem ejus, qui eum ab ineunte ætate ad lusum aleæ, omnium malorum seminarium, assuefecerit.*

Dilecto amico suo G., archidiac. P. Blesen. Bathon. archid., salutem et continuos ad vota successus.

Preces vobis affectuosas porrigerem pro Guidone hospite meo, sed nec precandi affectum invenio, nec preces oblatæ merentur effectum. Non excuso apud vos hominem, qui enormi dehonestatione vitæ publice se accusat, nam ut verbo Nasonis utar,

Non est confessi causa tuenda rei [30].

Sperabam quod esset ex vestræ novissimæ animadversionis flagello correctior (87), et quod ei vexatio dedisset intellectum ; sed et nunc reversus est ad vomitum ; et pœna, quam passus est, immemor, adulteram quam abjecerat ad extraordinarios revocavit amplexus.

Saucius evitat, dicit poeta, *pugnas gladiator, et idem*
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Qui post naufragium modo stagna lacusque timebat,
Æquoreas iterum remige tentat aquas [31].

Penitus despero de correctione illius, qui forte emendabilior erit, si usque ad satietatem suo arbitrio relinquatur.

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.
Vulneris hoc genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse puto [32].

Videtur autem mihi pater ejus longe damnabilior in hac parte : nam cum filium suum in pueritia sua sanctis et honestis moribus informare debuerit, ingenium illius exercitavit in alea, variaque lenociniorum turpitudine depravavit (88). Tunc equidem erudiendus erat, et ad omnem formam suscipiendam idoneus, tanquam.

Udum et molle lutum nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota [33] :

nam

Fingit equum tenera docilem cervice magister.
Ire viam qua monstrat eques [34].

Qui si in ætatem venæ durioris evaserit, ad mollitiem ambulatorii gressus non poterit erudiri. Morum siquidem qualitas trahitur a convictu : *Et qui picem tangit, inquinabitur ab ea* [35] corrumpuntque prava consortia bonos mores, teste satyrico.

Velocius et citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos auctoribus [36].

Quid faciet filius, nisi quod viderit patrem facientem (89) ?

Si damnosa senem juvat alea, ludit et hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo [37].

Juvenem vitiosum esse non miror, cujus pueritiam pater aleæ dedicavit. Alea siquidem mendacii, perjurii, furti, sacrilegii mater est. Ideo filium instruens, fuge aleam dicit Cato. Ludum tesserarum et aleæ legitur [38] Attalus Asiaticus invenisse, quem longe melius est ignorare, quam scire Chilon Lacedæmonius causa ineundæ societatis et amicitiæ missus ad Corinthum duces et seniores populi ludentes invenit in alea [39]. Infecto itaque negotio rediit, dicens gloriam Spartanorum, quorum virtus noviter constructo Byzantio clarescebat, non esse

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(87) Ex hoc loco infertur adulteri crimen tum temporis fuisse fori ecclesiastici, quamvis perpetratum fuisset a laico.

(88) Quasi vero solius aleæ legibus subdi deberet, sicut Hunni de quibus Ambros. l. *De Tob.*, c. 2 : « Et cum sine legibus vivant, solent aleæ solius legibus obedire. » Adversus parentes tam perverse filios suos educantes Joann. Gerson in opere, *De parvulis trahendis ad Christum*, his verbis insurgit : « Multorum parentum et magistrorum cura, vel nulla, vel ultima est de parvulorum suorum moribus, et eorum disciplinata custodia. Quod ergo stupendum, absque ductore positi forte in via lubrica et tenebrosa (quos angelus Domini malus prosequitur) cadunt ex facili. Utinam negligere eos solum esset. Ponuntur ante oculos suos talium operum, ductorumque nefandorum exemplaria, imo et picturarum ignominiosarum et scripturarum lascivarum simulacra, ad quæ aspicientes quid nonnisi praviter operantur ? Audi Satyricum. »

Velocius et citius nos
Corrumpunt exempla domesticæ, magnis
Cum subeant animos auctoribus.

(89) Ad quod retorquetur proverbialiter illud eglogici carminis :

Patrem sequitur sua proles.

[30] Ovid. l. II, *De pont.* eleg. 2. [31] Ovid. l. I, *De pont.* [32] Ovid. l. II, *De pont.* eleg. 2. [33] Pers. *Sat.* 3. [34] Horat. l. 1, ep. 2. [35] Eccli. 13. [36] Juven. *Sat.* 14. [37] Ibid. [38] Joan. Sarisberg, l. 1. [39] Policrat. c. 5 ; P. Greg. l. 39, Syntag. c. 4.

hac infamia maculandam, ut dicerentur societatem cum aleatoribus contraxisse. Regi quoque Demetrio a rege Parthorum tali aurei dati sunt, ut notaretur in eo levitas puerilis, qui in majestate regali levibus intendebat. Quia igitur filius in patre corruptus est, corripiendus est et in patre, ut pœna patris doceat filium a turpibus abstine. Scriptum est, quia *multato pestilente sapiens sapientor erit* [40], lavabitque justus manus suas in sanguine peccatoris [41]. Frequenter evenit ut uni membro per aliud medeamur. Dolent aures, et scyphæ humeris apponuntur : delictum cordis fletus oculi purgat. Peccavit manus, et pectus contunditur. Deliquerunt genitalia, et dorsum ponitur ad flagella. Sane pater sententiam suspensionis, et excommunicationis vinculum non veretur (90). Hæc omnia verbalia quædam sunt nec desistet a turpitudine inolita, nisi bursæ dispendio compescatur (91). Certissimam illius emendationem vobis promitto in ablatione pecuniæ. Sensibilis est illa sententia, non verbalis, ideoque plus doloris incutit et timoris. Nam juxta ethicum :

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Non cohibent sacra verba manum, majore tumultu
Plangunlur nummi, quam funera [42].

Duos igitur in uno lucrifacite : atque dispendio patris filium ad honestatis compendium revocantes in dolore patris vagam et effrenem filii petulantiam cohibete. Filium enim illius hac vice corrigere nihil aliud esset, quam stimulare insanum, quam oleum adhibere camino, et ventis incendia excitare.

EPISTOLA LXXV.

AD ROGERIUM DECANUM.

ARGUMENTUM. — *Suadet Rogerio decano ut, quoniam dura quædam regi denuntianda haberet, tempus opportunum exspectet, cum placatioris erit animi. Deinde addit consecrationem electionis Lincolniensis a papa in triennium prorogatam.*

PETRUS Blesens. Bathon. archidiac., ROGERIO decano, salutem et salubre consilium.

Nullus magister fidelior, aut efficacior est quam qui probavit per experientiam, quod impertitur alii, per doctrinam. Nuper ad dominum regem missuse ut Cantuariensis ecclesiæ negotia procurarem, mort solito lætabundus accessi. Verumtamen legens et intelligens in ipsius facie turbationem animi sui, statim suppressi labia, linguamque cohibui, veritus, ne si loquerer, ejus vehementius irritaretur iracundia, quam mihi fidelis interpres animi facies nuntiabat. Negotium itaque distuli, donec faveret hora felicior, et vultus serenior arrideret. Offensum enim principem super gerendis negotiis convenire, nihil aliud censeo, quam explicare retia in capturam æquore procelloso. Se quippe et retia sua perdere properat, qui tempestati se ingerit, atque tranquilliorem maris faciem non exspecta. Scio quiam missus es, ut domino regi dura denunties : unde et in hoc verbo te habere cautius oportet.

Nam et ea quæ per se grata sunt, quandoque ex inconsulta relatione displicent, et dura eo quandoque artificio referuntur, ut placeant. Illud caveas, ne accedas ad dominum regem negotium tuum propositurus, donec per me, vel per alium, qui mores ejus noverit, introitus prætentetur. Agnus enim est, dum placati est animi : leo vero, aut leone truculentior est, dum vehementius excandescit. Non est ludus, illius indignationem incurrere, in cujus manu honor est et confuso, hæreditas et exsilium, vita et mors. Teste Salomone, *indignatio regis, nuntius est mortis* [43]. Aristoteles Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens, hortatus est, ut cum eo aut nunquam, aut jucundissime loqueretur, quo apud regias aures, vel silentio esset tutior vel sermone acceptior [44]. At ille, dum Alexandrum Persica salutatione exsultantem objurgat, dum vitam ejus corripit et componit, vita privatus est [45]. Scio quid afferas, atque ex parte maxima injunctum tibi jam explevi negotium : ideo circumspectius tibi cave, ne ex importuno accessu, aut ex inconsulto sermone rex quæ ex voto procedit, in periculum incidat, aut defectum. Totum siquidem negotium brevibus verbis poteris intervertere, quod instanti vigilantia, et propensiore cautela studi promovere. Scis quia Lincolniensis episcopatus, pro quo specialiter missi sumus, quindecim annis, aut amplius, jam vacavit (92) : dominusque Cantuariensis recepit a summo pontifice in mandatis, ut compellat electum consecrationis munus et officium episcopale suscipere, aut ibi alium (93), omni occasione et appellatione remota, non differat ordinare. Res autem in contrarium versa

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(90) Inde colligo patrem Guidonis fuisse clericum.

(91) Consilium dat Blesensis archidiacono, ad quem scribit, ut filii incorrigibilis adulterium puniat, patrem ejus multando multa pecuniaria. Inde consequens est : Primo, Ecclesiam posse punire parentes ob crimina filiorum, quando eos in pueritia sanctis et honestis moribus informare neglexerunt ; secundo multam pecuniariam infligi clericis a judice ecclesiastico ; imo laicis olim iidem judices imponebant.

(92) Ab obitu Roberti, viri humilitatis magnæ, qui, teste R. de Diceto, migravit ad Dominum anno 1167. Licet autem Gaufridus Henrici filius spurius electus fuerit anno 1173 in episcopum ejusdem ecclesiæ, cujus erat archidiaconus, atque hujus electionis prætextu per septem annos episcopii fructu perceperit ; quia tamen consecrari noluit in episcopum per totum illud tempus, scripsit Petrus noster cathedram Lincolniensem quindecim aut amplius annis vacasse.

(93) Idem habet Rog. de Hoveden ad annum 1181, his verbis : « Dominus papa districtius in

[40] Prov. 19. [41] Psal. 57. [42] Juven. *Sat.* 13. [43] Prov. 16. [44] Valer. Max. lib. IV, c. 2. [45] Plut. in Alexand., Justin. lib. XV.

est; nunc enim de novo consecrationem electi distulit in triennium Romana Ecclesia. Ideoque temerarium esset vos rigore uti, quem evacuat dispensatio aliena. Porro quidquid differat Romanus pontifex, certissime teneo quod intensum domini regis desiderium est, fixumque propositum, quod infra quatuor menses ecclesia Lincolniensis episcopum habeat consecratum (94): jamque hoc ejus desiderium desiderabilis consummasset effectus, nisi illi commune populi commodum impedissent, de quorum manibus populi perditio exactius requiretur. Quædam, quibus instructior eris, habeo tibi præsentialiter aperire, quæ non committerem nuntio, vel scripturæ. Vale.

EPISTOLA LXXVI.

AD M. PETRUM BLESENSEM (95).

Argumentum. — *Serio et erudite monet socium suum, qui totam pene ætatem in juris civilis, poeticarumque fabularum studio consumpserat, et adhuc pangendis canendisque amatoriis versibus, vacabat, tandem se ad Theologiæ studium applicet, et curandæ animæ saluti impensius incumbat.*

Charrissimo socio suo magistro Petro Blesensi, P. Blesensis Bathoniensis archidiac., salutem in auctore salutis.

Sæpe scriptis, sæpe viva voce te monui et rogavi, quatenus a ludicris et scurrilibus abstineres, et, ut verbo Apostoli utar, non subterfugi, quominus tibi annuntiarem consilium Domini [46]. Et quia locum apud te præmissa correctio non invenit, juxta consilium Pauli, *mihi eadem scribere non est pigrum* [47]. Testimonio sane cujusdam sapientis, nunquam nimis dicitur quod nunquam satis discitur [48]. Etsi variæ occupationes liberam mihi scribendi invide aut facultatem, zelo tamen charitatis accensus, paginam repentæ correctionis arripiam. Zelus Phinees coeuntes occidit [49]. Moyses zelo ductus idololatras [50], Samuel regem Amalech [51], Elias quinquagenarios [52] Judæum sacrificantem Matathias [53], Petrus Ananiam et Sapphiram interfecit [54]. Zelus Domini de templo vendentes et ementes ejecit. *Zelus*, inquit, *domus tuæ comedit me* [55]. Væ mihi, quia tacui, quia tanto tempore obmutui, et silui a bonis. Vereor ne sanguis fratris clamet ad Dominum de terra contra me [56]. Fratrem voco, quem mecum filium Christi fecit divinæ regenerationis adoptio [57]. Verbum prophetæ est: *Maledictus est, qui prohibet gladium suum a sanguine* [58], id est verbum exhortationis a mortificatione peccati. Gladius enim sub lingua corripientis; mel vero et lac sub lingua meretricia blandientis. Non parco tibi, ut mihi et tibi parcat Deus. Rex Achab pepercerat regi Benadab, sicut in tertio regum libro [59] legis, et locutus est ei Dominus per Michæam, dicens: *Quia dimisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius.* Quia Saul pepercit regi Amalech, ab eo translatum est regnum ejus [60]. Doleo, quia me loqui oportet debito et solito duriora; unde et verba mea dolore sunt plena. Te quidem in summos eminentiæ titulos scientia scholaris extulerat, cumque debuisses aliis esse virtutum forma et seculum honestatis, per scurriles nugas et fabulosa commenta gentilium factus es multis laqueus in ruinam (96). Quid tibi ad vanitates et insanias falsas? quid tibi ad deorum gentilium fabulosos amores, qui debueras esse organum veritatis? O bone Jesu, o vera veritas, quomodo diminutæ sunt veritates a filiis hominum? *Domine, principium verborum tuorum veritas* [61]; in circuitu tuo veritas; *et omnia mandata tua veritas* [62]. Et quia insania est de Hercule et Jove canere fabulosa; et a Deo, qui est via, veritas et vita, [63], recedere? *Narraverunt*, inquit, *mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* [64]. *Lex* enim *tua, Domine, lex immaculata* [65], convertens, animas; ideo animas convertens, quia eas supplantari non permittit. Scriptum est enim de justo: *Lex Dei in corde ipsius, et non supplantantur gressus ejus* [66]. *Po-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

mandatis dederat Richardo Cantuariensi archiepiscopo, ut omni occasione et excusatione postposita, Gaufridum Lincolniensis Ecclesiæ electum domini regis Angliæ filium, ecclesiastica censura compelleret electioni suæ renuntiare, vel sine dilatatione ordinem sacerdotis, et pontificalis officii dignitatem recipere. »

(94) Impleta est voluntas regis, quo jubente ac præsente, Gaufridus electioni de se factæ renuntiavit ann. 1182. Epistola ejus renuntiatoria ad Richardum Cantuar. exstat apud Rogerium de Hoveden loco citato: « Die Dominica qua cantatur *Jubilare*, Walterus de Constantiis electus est a capitulo, et postea consecratus Andegavi in Ecclesia Sancti Laudi per archiepiscopum Cantuariensem. » Radulfus de Diceto.

(95) Fuit hic canonicus Carnotensis, de quo vide infra ad epist. 114.

(96) Aug., l. 1 *Confess.*, c. 16: « Nonne ergo in te lego et tonanem Jovem, et adulterantem? Et utique non potest hæc duo; sed actum est, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. » Et infra: « Ita vero non cognosceremus verba hæc, imbrem aureum, et gremium, et fucum, et templa cœli, et verba quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem proponentem, sibi Jovem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quamdam pictam in pariete ubi inerant pictura hæc, Jovem, quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum se concitat ad libidinem, quasi cœlesti magisterio. At quem Deum, inquit, qui templa cœli summo sonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego vero illud feci ac lubens. Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. »

[46] Act. 20. [47] Philipp. 3. [48] Senec. ep. 27. [49] Num. 25. [50] Exod. 32. [51] I Reg. 15. [52] IV Reg. 1. [53] I Mach. 2. [54] Act. 5. [55] Joann. 2. [56] Gen. 4. [57] Joan. 2. [58] Jer. 48. [59] Cap. 20. [60] 1 Reg. 15. [61] Psal 118. [62] Ibid. [63] Joan. 14. [64] Psal. 118. 65 Psal. 18. [66] Psal. 36.

...suerunt, inquit, *peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis, non erravi*[67]. Quomodo non errasti? quia *hæreditate acquisivi testimonia tua*[68], ut non peccem tibi. *Me exspectaverunt*, inquit, *peccatores; ut perderent me, sed non prævaluerunt, quia testimonia tua intellexi*[69]. In fabulis paganorum, in pholosophorum studiis (97), tandem in jure civili (98) dies tuos usque in senium expendisti, et contra omnium te diligentium voluntatem sacram Theologiæ paginam damnabiliter horruisti. Audi prohetam: Respexisti ad majus, *et ecce factum est minus*; intulisti laborem tuum, et dixisti: Ecce de labore meo, *et ego exsufflavi illud, dicit Dominus exercituum*[70]. Jam canis respersus es, et adhuc puerilibus te impendis. *Sapientia clamitat in plateis, usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti, ea quæ sibi noxia sunt*, amplectuntur[71]? Vereor ne te verbum illud sapientis respiciat: comederunt alieni robur ejus, et nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ignoravit; qui de Domino sentire in bonitate debueras, et in Scripturis vitalibus degustare gloriam magnificentiæ suavitatis ejus, amatoria scribis (99), et adinventionibus profanis et in te, et in aliis passiones desiderii suscitans, indignationem provocas Creatoris. Turpitudinem tuam publicas, ut et sanguis sanguinem tangat, *et qui in sordibus est*, plus *sordescat*[72]. *Peccatum suum*, dicit propheta, *sicut Sodomæ prædicaverunt*[73]. Sed ex adverso clamat sermo propheticus[74], ne ascendatis in Bethaven, aut in Galgala, id est ne vestram ignominiam publice prædicetis. Insani capitis est, amores illicitos canere, et se corruptorem virginum jactitare. Audi quid dicat Job[75]: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine*. Verbum sapientis est[76]: turpia ne dixeris; paulatim enim pudor per verba dilabitur. *Turpitudo* etiam, inquit Apostolus, *nec nominetur in vobis*[77]. Ipse vero de scurrilibus et curiosis hominibus loquens, in secunda ad Thessalonicenses[78]: *Denuntiamus*, inquit, *vobis, fratres*, et per Jesum Filium Dei præcipimus, ut non communicetis eis (100). Quæ utilitas tibi, quæso, est, verba proferre in ventum, talentumque scientiæ tibi commissum a Domino figmentis impendere fabulosis? talentum suum repetet cum A usuris. Homo austerus est. Metit, ubi non seminavit[79]. Thesaurum siquidem, quem habes, in vase fictili hactenus quasi sub eventu aleæ posuisti. Vide, si tangit te sermo ille Domini per prophetam: *Argentum tuum versum est in scoriam*[80]; et ibidem: *Dedi eis aurum et argentum meum, ipsi vero de auro et argento meo operati sunt Baal*[81]. Quid tibi ad Jovem, et ad Herculem? contra legis prohibitionem nemus idololatriæ juxta altare Domini plantare præsumis. Heu, heu, princeps hujus mundi ejectus fuerat foras[82], et nos eum reducimus syrenum cantibus, et rhythmorum deliramentis.

Te introducente venerunt gentes in hæreditatem Domini. Ingressæ sunt gentes, id est gentilium mores in sanctuarium Dei, de quibus præceperat, ne B intrarent in ecclesiam suam. Ego quidem nugis et cantibus venereis, quandoque operam dedi (1), sed per gratiam ejus, qui me segregavit ab utero matris meæ, rejeci hæc omnia a primo limine juventutis. Dracones Pharaonis devoravit in me draco Moysi[83], dum suavitatis theologicæ lepor evacuavit scientiam vanitatis. Ipsa est aqua Jerichontina, cujus sterilitatem Elisæus salis appositione sanavit: et *agressus ad fontes ait: Non erit in eis ultra mors, neque sterilitas*[84]. Sapientia, quæ desursum est, teste Jacobo[85], *primum quidem pudica est, deinde pacifica*. Repudiatis ergo adulterinis amplexibus mundanæ scientiæ, tu qui major es mundo, studium scientiæ salutaris amplectere, eamque studeas virginem castam exhibere Christo. Hanc sibi in sponsam et C amicam eligeret Sapiens, qui dicebat: *Hanc exquisivi a juventute mea;* hanc *mihi* assumpsi in *sponsam, et amator factus sum formæ illius*[86]. Sane præcepit Dominus in lege Moysi populo Israel[87], ne quis de genere Chanaan sibi ducat uxorem; præterea dicebat mater Jacob: *Tædet me vivere propter filias Heth. Si acceperit filius meus uxorem de stirve Chanaan, nolo vivere*[88]. Ego, etsi non materna, fraterna saltem dico affectione, quia tædet animam meam vitæ meæ, nisi tempestivius ab ista destiteris vanitate. Porro omnia, quæ scribis, mirabili artificio, et exquisitissima sententiarum verborumque venustate componis. Sed damnat Apostolus[89] D ea, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(97) Iis videlicet quæ S. Aug., ep. 131, appellavit philosophorum garrulas argutias, vanitates insanias mendaces, ventosas nugas atque superbos errores.

(98) Vide epistolas 26 et 140, in quibus ostendit clericum non debere in jure civili dies suos usque ad senium expendere, sed totum se tradere studio theologiæ, et lectioni divinitus inspiratarum litterarum.

(99) De ejusmodi amatoriis cantionibus Aug., I. *De decem cordis*, c. 4; « Talibus turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, et decidunt a virtute, defluentes in turpitudinem, et propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, et cum magna amaritudine digerunt quod cum dulcedine temporali biberunt. »

(100) Hæc citat ex Apostolo secundum sensum, non secundum verba.

(1) Peccatum hic suum auctor accusat, et misericordiam Dei erga se commendat.

---

[67] Psal. 118. [68] Ibid. [69] Ibid. [70] Agg. 1. [71] Prov. 1. [72] Apoc. 22. [73] Isa. 3. [74] Ose. 4. [75] Cap. 31. [76] Herodotus. [77] Ephes. 5. [78] Cap. 3. [79] Matth. 25. [80] Isa. 1. [81] Ose. 2. [82] Joan. 12. [83] Exod. 7. [84] IV Reg. 2 [85] Cap. 3. [86] Sap. 8. [87] Exod. 34. [88] Gen. 27. [89] Col. 2.

secundum doctrinas hominum, sed non ædificant ad salutem. Illud nobile ingenium fratris mei magistri Willelmi, quandoque in scribendis comœdiis et tragœdiis quadam occupatione servili degenerans (2) salutaribus monitis ab illa peremptoria vanitate retraxi; qui in brevi præeminens in exercitio doctrinæ cœlestis fructuosa prædicationis instantia perditi jacturam temporis plenissime restauravit. Recedant itaque vetera de ore tuo, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. Ipse novit cogitationes tuas, quoniam vanæ sunt. Illi, quorum janitor esse contendis, *cum cognovissent Deum, non sicut Dominum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*[90]. Porro *sapientia Dei justificata est a filiis suis*[91] reprobantibus sapientiam hujus mundi. Filii autem hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, reputantes stultitiam prudentiam prædicationis, per quam Deus disposuit salvos facere credentes. Sapientiam hujus mundi, quæ inimica est Deo, et mors animarum, cum sapientia Dei simul habere non poteris. Duabus viis ingredi, aut duobus dominis servire non potes[92]; *pallium quidem breve est, duos operire non potest*[93]. Usquequo igitur claudicas in duas partes? Unum precor ut, sicut exhibuisti cor et linguam tuam servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita et nunc eadem membra exhibeas servire justitiæ in sanctificationem. Hora tibi jam sexta est; quare stas tota die otiosus, cum ad operandum Dominus te invitet? Verbum Sapientis est: *Quidquid potest manus tua, instanter operare, quia neque ratio, neque scientia, neque consilium apud inferos, quo tu properas*[94]. Erit in proximo Sabbatum, quando non erit tibi licitum colligere gomor, aut alias operari[95]. In studio et labore perdito, subtiliter quidem, sed inutiliter te exerces. Utinam Dei obsequio impendisses, quod in capturam humani favoris et gratiæ laborasti! Paulus se nihil *scire* arbitratus præter *Jesum Christum, et hunc crucifixum*, dicebat[96]; *sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis*[97]. Omne studium suum Deo attribuit; in ejus obsequium omnem intellectum suum captivare non desiit. Et tu quidem, venerande

A magister, præ omnibus coætaneis tuis sæculari scientia hactenus floruisti; sed hodie et in proverbium populi et in opprobrium tuum versus est sermo prophetæ, qui dicit: *Ante messem totus effloruit, et inutiles grossos immatura perfectio germinabit*[98]. Sane non solum arbor, quæ malos fructus facit, sed illa quoque quæ bonos fructus non facit sententiam excisionis exspectat; tibi ergo tanquam inutili arbori imminent securis et ignis[99]. Sed si te transplantaveris super aquas refectionis, id est studium sacræ lectionis, florebis in atriis domus Domini, fructumque facies, desiderabilem et manentem. *Beatus* vir, dicit quidam[100], *qui in lege Domini meditatur die ac nocte, fructum suum dabit in tempore suo. Fructus autem* spirituales, teste Apostolo[1], B sunt: *charitas, pax, patientia, longanimitas*, etc. Et quem nunc habes fructum in his, in quibus nunc erubesceres et dolores, si theologicæ suavitatis delicias degustares? Exi, quæso, de fœditate porcorum, ut pascaris in deliciis domus Dei; mensa enim sacræ Scripturæ contra omnes spirituales nequitias tibi parata est. Ideo mensa tabernaculi ad aquilonem posita memoratur[2]. Propterea scriptum est: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*[3].

Porro illa tuarum clausula litterarum graviter me turbavit, in qua sermonem evangelicum vocas durum, insipidum, infantilem (3). Singulis tribus sub paucitate verborum respondeo. Non est durus sermo Domini, sed tu durus es, terrenus homo, C carnalis, animalis. Terrenus, et carnalis cæci sunt. *Animalis homo*, judicio Apostoli[4], *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, quia stultitia est ei, et non potest intelligere*. Cum Dominus loqueretur de sacramento corporis et sanguinis sui, quidam retro abierunt apostatantes, et dicentes: *Durus est hic sermo*[5]. Dum sermonem Domini durum vocas, istorum apostasiæ deformiter te conformes. Adamas et hyacinthus, et cæteræ gemmæ, lapides quidem duri sunt, sed nihilominus pretiosi[6]. Non Domini sermo (4), sed tu potius durus es, qui terram æneam et cœlum ferreum, juxta prophetæ verbum, id est duritiem rationis et intelligentiæ Dominus iratus immisisse videtur. In eo autem, quod verbum Evangelii insipidum vocas, multum distas ab eo, qui

PETRI DE GUSSAVILLA NOTÆ.

(2) De his epist. 93: « Nomen vestrum diuturniore memoria commendabile reddunt tragœdia vestra de Flaura et Marco; versus de pulice et musca; comœdia vestra de Alda; sermones vestri, et cætera theologicæ facultatis opera, » etc. De ejus etiam eruditione vide epist. 77. Monachorum fuisse patet ex epist. 65; abbatem, ex epist. 90, Maniacensis monasterii in Sicilia, qua se abdicavit ex consilio Petri nostri, ep. 93.

(3) Quia scilicet non capiebat illum. « Nam nulla, » inquit Aug., l. I *De Gen. contra Manich.*, c. 1, « Scriptura est, quæ non apud eos qui illam non D intelligunt, facile possit reprehendi. Soli autem, » inquit idem S. doctor, l. *De moribus Eccl. cath.*, c. 25, ' reprehendunt qui non intelligunt, et soli intelligere nequeunt, qui reprehendunt. »

(4) Aug., *Enar. in Psal.* LIV: « Quædam enim in Scripturis dura videbantur cum obscura essent, exposita mollita sunt. Nam et prima hæresis in discipulis Christi velut ad duritiem ipsius sermonis facta est, » etc. Et infra: « Ergo, si durus est sermo, et nondum intellectus est, durus sit impio; tibi autem pietate molliatur, quia, quandoque solvetur, et fiet tibi oleum, et usque ad ossa penetrabit. »

[90] Rom. 1. [91] Matth. 11. [92] Matth. 6. [93] Isa. 28. [94] Eccli. 9. [95] Exod. 16. [96] I Cor. 1. [97] II Cor. 5. [98] Isa. 18. [99] Matth. 3. [100] Psal. 1. [1] Gal. 5. [2] Exod. 26. [3] Psal. 22. [4] I Cor. 2. [5] Joann. 6. [6] Deut. 28.

dicit: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super me ori meo*[7]. *Desiderabilia sunt super aurum et et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum*[8]. Infantilia vero et simplicia verba veritatis non inficior; nam semper amica est veritati simplicitas (5). Hic est vomer aratorius Samgar, in quo sexcentos Philisthæos occidit[9]. Hæ sunt salivæ defluentes per barbam David[10]. *Quod* enim stultius *est* Deo *sapientius est hominibus*[11]. Verbum autem Apostoli est: *Si vis esse sapiens in hoc sæculo fias stultus, ut sis sapiens*[12]. Nam per stultitiam prædicationis operatus est Dominus salutem in medio terræ. Renovare igitur spiritu mentis tuæ, ut, sicut portasti imaginem terreni hominis, portes imaginem cœlestis. Omitte penitus cantus inutiles, et aniles fabulas, et nænias pueriles (6). Illud mihi maxime vertitur in stuporem; unde tibi materia cantandi possit erumpere, quem inter anxietates innumeras video constitutum. *Sagittæ Domini in te sunt, quarum indignatio ebibit spiritum tuum*[13]; quomodo ergo potes vacare jocosis, cujus spiritum totum occupat vis doloris? Tempus ridendi, et tempus plagendi[14]. A corde tuo non debuerat excidisse plaga illa tam credulis, et recens mors Joannis primogeniti fratris tui. Majoris tamen doloris memoriam renovat mors Gerardi; qui, licet fuerit minoris ætatis, majores tamen in visceribus tuis vindicarat affectus. Nepotem tuum Nicolaum gloriosæ indolis agentem primitias transeo, quem de manibus tuis repente mors amara præripuit. Claudo sub silentio fratris tui Ammonis carcerales angustias, quas summo desiderio effectaret mortis terminare compendio. Quomodo in tantis luctibus cantandi materiam invenisti? *Musica in luctu, importuna narratio*[15]. Hoc unum precor ut, omissis inanibus cantilenis, scribas quæ theologicam sapiant gravitatem; quæ ad honestatem fructificent et ædificent ad salutem.

EPISTOLA LXXVII.

AD M. PETRUM BLESENSEM.

ARGUMENTUM. — *Gratulatur M. Petro Blesensi de communione nominis, utpote jam toto orbe per scripta sua noti; deinde ostendit scriptis homines fieri immortales. Adulatores aulicos insectatur, et librum suum De præstigiis ejus censuræ subjicit.*

Dilectissimo magistro suo PETRO Blesensi, P. Blesens. Bath. archidiac., salutem et in amicitiæ sinceritate constantiam.

Æquivocationi vestræ toto corde congratulor; nec reor hoc accidisse sine dispensatione divina, ut nobis esset uniformitas nominum, quos a pueritia fecerat uniformis identitas voluntatum. Quod si homo segnioris vitæ aut famæ humilioris huic nomini communicaret, tantum honiris supererogare teneretur, quantum ille derogaret communibus titulis, nunc autem quantum laudis addo communi vocabulo, vel acquisitione reddituum vel magnatum familiaritate, vel populi favore, vel scriptis, tantum iisdem modis aut forte elegantioribus ipsius ex parte vestra notitiam dilatatis. Jam *in omnem terram et in fines orbis terræ* illud nomen *exivit*[16]. Nostra etiam scripta, quæ se diffundunt et publicant circumquaque, nec inundatio, nec incendium, nec ruina, nec multiplex sæculorum excursus poterit abolere. Sola scripta sunt, quæ mortales quadam famæ immortalitate pepetuant, ac actibus veterum, quos traducunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem.

Ore legar populi, perque omnia sæcula fama
Si quid habent veri vatum præsagia, vivam,

dicit Ovidius[17]. Cum Antonius linguam Ciceronis abscinderet, quæ in ipsum dictaverat invectivas, dicitur ei Cicero respondisss:

Nil agis, Antoni, scripta diserta manent[18].

Quis hodie Lucilium cognovisset, nisi eum Seneca suis epistolis illustrasset? Plus Cæsaris laudibus addiderunt scripta Vigilii et Lucani, quam omnes divitiæ, quas de diversis mundi provinciis adunavit. Prudentia Ithaci, et Pelidæ virtus sub tenebris ignorantiæ usque hodie latuissent, nisi eas divina Homeri[19] mens carmine publicasset. Ideo in principibus terræ, et his qui res arduas mundi quærunt vel gerunt nihil ad laudis acquisitionem posset commodius inveniri, quam eos familiares et amicos habere, qui scribendo scirent et possent res gestas ad posteros derivare. Verumtatem, sicut nuper elegantissime cecinistis, eliminat a palatiis adulatio veritatem. Illi soli in magnatum gratiam admittuntur, qui eos palpant blanditiis, et aures famæ bibulas calice Babylonis inebriant. Ampliant eos beneficiis, quos torquere debuerant, et a præsum-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(5) Talis erat Aug. sensus de Scripturis sanctis, ut ipse de se testatur lib. III *Conf.*, c. 5: « Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, et velatam mysteriis: et non eram ego talis ut intrare in eam possem, aut inclinare cervices ad ejus gressus. Non enim, sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam scripturam, sed visa est mihi indigna quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat quæ cresceret cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar. »

(6) Aug., lib. *De vera relig.*, c. 81: « Omissis igitur et repudiatis nugis theatricis et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum atque potemus, vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatibus tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem. »

[7] Psal. 118. [8] Psal. 18. [9] Jud. 3. [10] I Reg. 21. [11] I Cor. 1. [12] I Cor. 3. [13] Job 6. [14] Eccle. 3. [15] Eccli. 22. [16] Psal. 18. [17] *Met.* l. XV in fine. [18] Euphorb. *in epitaph. Cicer.* [19] *In Odiss. et Iliad.*

ptione adulandi suppliciis deterrere. Legitur [20] quod Athenienses Timagoram inter officia salutationis Dario adulantem capitali supplicio affecerunt. La cedæmoniorum etiam Senatus Caristolum interimi jussit, eo quod maluit virii detrahere occulte quam publice et constanter arguere, atque in his tam adulatoribus quam detractoribus silentium indixerunt. *Porro laudatur hodie peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [21]. Mordacissimus detractor in absentia, nihil pensentialiter proponit nisi quod placere existimat : *verba oris ejus iniquitas et dolus* [22]. Nam se sententiæ Gnathonis addixit, cujus verba in comico hæc sunt.

Negat quis, nego. Ait, aio : postremo
Imperavi egomet mihi omnia assentari [23].

Natio comœda est, rides? majore cachinno
Concutitur : flet, si lacrymas aspexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit Endromydem, si dixeris æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares (dicit Umbritius) *melior qui semper et omni*
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus.
Si bene ructavit, si cætera fecit amicus [24].

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo : sic
Derisor vero plus laudatore placebit [25].

Bene cum magnatibus ageretur, si scirent inter adulationem laudemque distinguere ; sed cæca laudis ambitio, plus credens aliis de seipso quam sibi, utrumque recipit indistincte. Illud etiam apud palatinos plurimum promovet conditionis adulatoriæ sortem, quia etsi non omnes laudem appetant, nemo tamen renuit aut contemnit oblatam. Nescio si quem principum nostrorum vobis in laudis materiam elegistis. Ego in libro *De præstigiis fortunæ* (quem vestro committo corrigendum examini) actus domini regis Angliæ Henrici secundi pro mea parvitate magnifico, confidens in Domino, quod lector, si non fuerit invidus, gratanter hoc opusculum acceptabit. Votum siquidem meum est, ut dominus rex moriendo non moriatur, sed per laudem mortuus vivat, cumque omnes adulantium linguæ evanuerint, beneficio scripturæ memorialis ejus gloria æternetur. Vos, quæso, aliquid semper scribite, quod lectores erudiat, quodque nomen vestrum in memoriam sanctorum et odorem suavitatis effundat. Libri mei siquidem prima pars a magistro Willelmo fratre meo correcta est ; sed quia timeo, ne sit indulgentior mihi, si quid in eo vitiosum invenerit, precor, ut ab initio totum diligentiore cura recurratis, quatenus nihil ibi resideat, quod lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non instruat, quod non sapiat honestatem.

EPISTOLA LXXVIII.

AD R. DECANUM ET CAPITULUM SALVATORIS.

ARGUMENTUM. — *Congratulatur decano et capitulo Blesensi de restituta per nobilem quemdam Gaufridum Ecclesia, eosque ad unionem et concordiam animorum, ac quotidianam divini officii celebrationem hortatur.*

Dilectis dominis et amicis magistro R. decano et capitulo S. Salvatoris Blesensis, P. Blesensis Bath. archid., salutem, et cum temporalium multiplicatione incrementa virtutum.

Gratias ago gratiæ, largitori, quod secundum multitudinem dolorum in corde vestro, consolationes ejus lætificaverunt animas nostras. Cum enim culpis nostris exigentibus, nostrates vagi et profugi super terram reclinatorium suo capiti non haberent, ille qui in cœlis habitat, et humilia respicit, pater orphanorum et lugentium consolator, dispersos in gentes de regionibus congregavit. Legimus quod filiis Israel servientibus in tributo sub regibus Chusanrasathaim, Eglon, Moab et Amalech, suscitavit Dominus Othoniel, et Aiod qui jugum exactoris auferrent [26]. Expressa siquidem pietatis imagine dominum Joannem episcopum Carnotensem misit Dominus pro salute nostra, ut reædificentur muri terrenæ nostræ Hierusalem quatenus ecclesia Blesensis ruinis deformata veteribus in optatam redeat novitatem. Vos totus orbis expuerat, et abjecerat a facie sua ; non movebat vestra deploranda captivitas episcopos vel abbates ad compassionis affectum, ut vos ad aliquam ecclesiolam, qualem qualem etiam cum quantolibet onere servitutis admitterent. Porro Gaufridus miles, facultatibus quidem tenuis, sed et sanguinis et animi generositate præclarus, evangelici Samaritani [27] fidelissimus imitator, misericordiam fecit in clerum Blesensem ; cujus dolores sacerdos et levita transeuntes contempserant. Eapropter memoriale erit nomen ejus in generationem et generationem, ipsiusque domus benedictionem hæreditabit æternam. Argumentum hujus rei trahimus ab exemplo. Nam in libro Regum legimus quod benedixit Dominus domui Obededom, eo quod recepit apud se arcam Domini [28]. Convenienter ab eo arca Domini accipitur, apud quem pauperibus Christi in dispersionem datis stabilis mansio providetur. Revixit spiritus meus in hac miseratione Altissimi, qui diu fuerat dolore in mœrore confectus. Videntur mihi prophetarum tempora rediisse. Occurrit animo meo communis et celebris illa exsultatio populorum, cum sub Dario rege per Zorobabel reædificatur templum [29]. cum sub Artaxerxe bibliothecam Esdras reparat, Nehemias muros reædificat, ignemque abscondi-

—

[20] Valer. Max. l. VI, c. 3. [21]. Psal. 10. [22] Psal. 35. [23] Terent. *in Eunucho.* [24] Juv. *Sat.* 3. [25] Horat. *De art. poet.* [26] Judic. 3. [27] Luc. 10. [28] II Reg. 6. [29] Esdr. 5.

tum septuaginta annis eruderans et effodiens in crassitudine aquæ perficit holocaustum [30]. Quadam imaginatione gratissima depingit in se animus meus, qualiter Machabæi dispersos fratres suos revocant, leges lapsas erigunt, renovant cæremonias, mundant sancta, coronis aureis ornant templum, damna longæ desolationis eximiæ virtutis compendio redimentes [31]. Bene recolitis quod olim plures Ecclesiæ clericales et præbendariæ Blesis erant, sed antecessores nostri propter enormitatem vitæ dejecti sunt, atque innumeras terræ Ecclesias traxerunt in partem præcipitii et ruinæ. *Patres nostri comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt* [32]. Sed jam non erit hoc proverbium in Israel, nec in vobis. Christus enim primitiæ dormientium resurgentium post illam clericorum ruinam publicam resurgendi primitias circa vos ordinavit, erigens lapsos, fractos consolidans, liberans servos, pauperes ditans, magnificans humiles, vagos congregans, revocans aberrantes. Cumque satis adhuc novella plantatio vestra sit Ecclesia, paci et quieti vestræ vigilantius provideri oportet. Nam plantæ, quæ nondum terræ radicitus adhæserunt, suspectam habent borealem tyrannidem, et ventorum fortiores excursus. Habetis æmulos, qui vestros ortus impedire conati sunt, qui Christi gratiam depravantes in vobis vestris profectibus intabescunt. Sane congregatio hæc nova Christi opus est, sicut ipse locutus est per prophetam : *Opus*, inquit, *manuum mearum hæreditas mea, Israel* [33]. Non ergo in vos desævit invidorum malitia, sed in Christum, sicut Moyses dicit ad populum incredulum et rebellem : *Nos enim quid sumus*, inquit, *nec enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* [34]? sic a Jebusæo Israel, Abel a Cain, Jacob ab Esau, justus ab injusto, innocens a nocente vexatur. Proficit autem lilium inter spinas : et, dum supra dorsum justi fabricant peccatores, dilatatur Ecclesia In omnem jam contra vos armatur malitiam iniquitas superborum. Vos autem erga eos, qui pacem vestram turbant, cor habeatis pacificum, sicut Propheta de seipso commemorat : *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus* [35] Vincite in bono malum : nam et sapientia vincit malitiam, confringetque Dominus cedros Libani : levabit manus suas in superbias eorum, et humiliabit omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Adhuc pauci estis, et vos multitudo expugnat. Nolite tamen timere, pusillus grex. Dominus enim Sabaoth venit, non in multitudine, sed in paucis. Et vos quidem crescere oportet, illos autem minui : qui etiam jam declinant manifestissime in defectum. Ille qui vocat illa, quæ non sunt tanquam ea quæ sunt : ille, *qui infirma eligit, ut confundat fortia* [36], ipse ut reprimeret superbiam Moab, vos in suo nomine denedicto congregavit. Verbum autem ejus est : *Ubi*

A *duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum* [37]. Testimonio Prophetæ, *bonum est et jucundum habitare fratres in unum* [38]. Sed non est in unum hàbitatio vestra, nisi sit in vobis communiter unio voluntatum. Vos, quibus unicum et præcipuum votum est initiatæ Ecclesiæ videre profectum, certissime noveritis, quod non nisi per unitatem habitura est incrementum. Recolamus Ecclesiæ nascentis infantiam, et videbimus qualiter ab unitate ortum habuerit et progressum ; et in unitate etiam complebitur. Nam in cubito uno consummata est arca [39], unus spiritus, una fides, unum baptisma, hæc tria Ecclesiam fundaverunt in eo, de quo scriptum est : *Audi, Israel, Deus tuus unus est* [40]. Profecit etiam in melius beneficio unitatis.

B Legitur enim quod *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, et erant eis omnia communia* [41]. Hanc unitatis gratiam Paulus in se et in aliis nutriebat. *Omnibus*, inquit, *omnia factus sum, ut omnes in Christo lucrifaciam* [42]. Et iterum : *Rogo vos, fratres, ut idipsum sentiatis, et non sint in vobis schismata* [43]. Petrus apostolus eadem affectione et sollicitudine ductus : *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobis charitatem habentis* [44]. *Pacem*, ait Paulus, *habete vobiscum et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* [45]. Habeatis igitur unitatem spiritus in vinculo pacis. Nec enim inveniri potesforma expressior conversationis angelicæ, quam unitas socialis. Illud etiam precibus devotis adjicio, ut in ecclesia vestra quotidie et solemniter celebretur

C obsequium debitæ servitutis. Sit in cantu, sit in psalmis observantia jugis : hoc est enim sacrificium laudis, quo Dominus postulat honorari. *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me* [46]. Angeli psalmodiæ libenter intersunt, si ordinata sit, et ex devotione procedat. *Prævenerunt*, inquit Propheta, *principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum* [47]. Et illud : *In conspectu angelorum psallam tibi, Deus meus* [48]. Si autem murmuratis in choro ; si serpentina consilia sibilatis ad invicem, si patinæ animum a devotione subtrahunt et furantur, si obrepunt cogitationes immundæ psallendo, non est hic psalmus jucunda decoraque laudatio ; huic psalmodiæ angelus inimicus assistit, elongatur autem amicus et proximus. Sic igitur in psalmis, in canticis, et in sa-

D cramento altaris, in eleemosynis etiam vestra exerceatur devotio, *ut videant homines opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* [49]. Sic enim plurimi societatis vestræ desiderio accendentur, et initiatæ facultates Ecclesiæ continuum in redditibus suscipient incrementum. Ergo primus inter primos, qui Blesensem restituerunt Ecclesiam, mihi satisfactum fuisse crederem usque ad plenitudinem voti mei, si viderem fabricam ecclesiæ vestræ consurgere ad perfectum, domos claustrales

[30] II Esdr. 2. [31] II Mach. 1. [32] Ezech. 18. [33] Isa. 19. [34] Exod. 16. [35] Psal. 119. [36] I Cor. 1. [37] Matth. 18. [38] Psal. 132. [39] Gen. 6. [40] Deut. 6. [41] Act. 4. [42] I Cor. 9. [43] I Cor. 10. [44] I Petr. 4. [45] Hebr. 12. [46] Psal. 49. [47] Psal. 67. [48] Psal. 137. [49] Matth. 5.

disponi et erigi, utensilia et ornamenta multiplicari, numerum canonicorum usque ad octogenarium crescere, et ordinabiliter in ecclesia ministrari. Hæc antequam moriar, videant oculi mei ut magnificet anima mea Dominum, claudamque diem novissimum cum exsultatione, et in Cantico Simeonis : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* [80]. Bene valeatis universi et singuli.

EPISTOLA LXXIX.

AD R. AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Irridet R. diaconum, quod cum ab ineunte ætate summus fuerit muliebris sexus hostis, amore feminarum etiam ad sacrilegas nuptias se pertrahi passus sit. Valde autem exaggerat matrimonii incommoda, ex lib.* VIII, *Polycrat. Jo. Sarisb. cap.* 11.

M. PETRUS Blesensis Bath. archid., dilecto amico suo R., salutem et cautus negotiari.

Quis cælum terris non misceat, et mare cælo ?

Credendum est de levi posse contingere, quidquid communis usus abhorret quidquid natura prohibuit ? Is, qui muliebrem suxum a pueritia detestatus est, qui in ejus ignominiam semper detractionis linguam armavit, nunc in foveam, quam semper evitarat, cecidit, et qui in superbia et in abusione quondam mulieribus insultabat, sponte sua jugulum laqueis muliebribus illigavit. Gaudeant itaque mulieres, quia de persecutore suo triumphavere feliciter. Captus est lupus ad ovibus, et a gallina simplici deprehensa est vulpis astutia. Perditissime hominum, quæ te incantivat Hecate, quæ cerebrum tuum exturbavit Erinnys, ut gutturi tuo laqueum inextricabilem injiceres, et abjecta jucundissima libertate ignominiosam eligeres servitutem ? In eo siquidem in quo diliquisti, justissime punivit te Deus : nam hodie obstruunt mulieres os loquentium iniqua, quæ toties a te sustinuerant linguæ procacis injurias, ut verbo B. Augustini utar. Navigasti, uxorem duxisti; satius tibi fuerat in exsilium duci, quam sic ducere ; nam et hæc ipsa ductio nihil aliud est quam a bono famæ, et a tranquillitate animi longius exsulare. Non est sine plurima incommoditate copula conjugalis, vixque posse obtineri creditur pax animi cum uxore. Refert Valerius Maximus [81], quod Socrates rogatus a quodam adolescentulo utrum uxorem duceret, an a nuptiis abstineret, respondit eum quodcunque eorum faceret pœnitere. « Hinc te, inquit, solitudo, hinc orbitas, hinc generis interitus, hinc hæres alienus excipiet. Illinc perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium importunitas, garrula socrus lingua, successoria alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. Phoroneus rex ille nominatissimus in thesauris, distributis potius quam retentis, die qua decessit, legitur dixisse Leontio fratri suo, nihil sibi defuisse ad plenam felicitatem, si defuisset

A uxor Leontio autem quærenti causam, respondit : « Sciunt hoc omnes mariti. » Teste Hieronymo [82], Aurelius Theophrastus in libro *De nuptiis* quærit an vir sapiens ducat uxorem ; et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem posse ducere, statim infert : « Hæc autem in nuptiis rarissime concurrunt universa. « Multa sunt, inquit, quæ matronarum usibus necessaria sunt, ut pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, ancillæ, supellex varia, lecticæ, et esseda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conquestiones : Illa ornatior procedit in publicum ; hæc honoratur ab omnibus ; ego in conventu feminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam ? Quid cum ancillula loquebaris ? De

B foro veniens quid attulisti ? » Non amicum habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur. Pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum. Cum marius filiam suam dote divitem, forma nobilem, fama celebrem, genere illustrem Metello in conjugium obtulisset, respondens Metellus : « Malo, inquit, meus esse, quam suus. » Cui Marius : « Imo ipsa tua erit. — Virum, inquit Metellus, eportet esse uxoris. » Nam ratione logicæ : Talia sunt subjecfa, qualia prædicata esse permiserint [83]. Sic urbanitate verborum *divertit ab oneribus dorsum* [84] suum. Adde quod nulla est uxoris electio : qualiscunque obvenerit habenda est ; si iracunda, si fetida, si superba, si fatua, si deformis. Equus, asinus, bos, canis, et vilissima mancipia, sedile ligneum, urceoli et lebetes pro-

C bantur prius, et sic emuntur : sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat, quam ducatur. Quoscunque dilexerit illa, licet ingrati sint, tibi tamen amandi et colendi sunt. Si totam domum ei regendam commiseris, serviendum est. Si quid tuæ dispositioni reservaveris, fidem te sibi non habere putabit, sed vertetur in odium, et tibi, si potest, venemo exitium cogitabit. Anus, aruspices, ariolos, institores gemmarum et sericarum vestium si intromiseris, periculum pudicitiæ est ; si prohibueris, suspicionis injuria. Livia virum suum interfecit, quem nimis habebat exosum. Lucilia suum, quem vehementissime diligebat : hæc poculo amatorio, illa veneno [84*] Dejanira monstrorum domitorem veneno domuit monstruoso, dum in sanguine Nessi, quem occide-

D rat Hercules sanguinem et vitam occisoris appetiit [85]. Ideoque Valentinianus imperator eminentiorem eligen vitam, pudicitiam vovit, nec unquam carnem suam ad motus illicitos relaxavit [86]. Unde cum jam octogenarius moreretur, audiretque suorum recoli, præconia triumphorum, quibus celeberrimus erat, dixit se in una sola victoria gloriari : requisitus autem de illa victoria, « hostem, inquit, meum pessimum, carnem meam semper oppressi et vici. » Porro liberorum causa uxorem ducere, ut vel nomen

---

[80] Luc. 2. [81] *Laert. in vit.* [82] Lib. I in Jovin. [83] Hieron. l. I in Jovin. [84] Psal. 80. [84*] Jovin. Dion. in august. ; Cic. Tusc. 2. [85] Ovid. IX *Metam.* [86] Bruson. l. I, *De abstin.*

nostrum non intereat, vel ut habeamus præsidia senectutis, certisque utamur hæredibus, stolidissimum est. Et quæ sunt hæc senectutis auxilia : quæ namque dementia est nutrire domi eum, qui aut prior te forte moriatur, aut perditis moribus sit, aut, cum ad maturam ætatem perveneris, ei nimis vivere videaris ? Heredes meliores, et certiores sunt, quos arbitrio tuo eligas, amici et proximi, quam quos invitus habere cogaris. Mulier, quantumcunque honesta sit et pudica, quam citius potest deponere vestem, solet adjicere honestatem. Unde et Herodotus [57] ita scribit : Mulier cum veste deponit verecundiam [58]. Si illam satyram Juvenalis [59], Credo *pudicitiam*, etc., frequentius religisses, nulla te proditoria mulierum malignitas in hanc miseriam dejecisset. Canius, poeta [60] lenis facundiæ et jucundæ, reprehensus est a Livio Pœno gravi et uxorato, quod multarum feminarum gauderet amoribus : « Nostram, inquit Livius, philosophiam participare non poteris, dum a tot participaris ; non enim Junonem eo jecore amat Tityus, quod multi vultures in multa divellunt. » Cui Canius [61] : Si quandoque labor, resurgo cautior ; si opprimor, aerem resumo alacrior, vices noctium dies exhilarant, sed tenebrarum perpetuitas instar inferni est. Non arguo nuptias, in quibus magnum est Christi et Ecclesiæ sacramentum [62], sed te nuptias contraxisse, et quod mirabilius est, te nunc esse uxoratum, inæstimabiliter miror, eoque maxime, quia vehementissimus

A eras in studiis, et nominatissimus philosophiæ professor. » Legimus quod, cum Cicero rogaretur, ut post repudium Terentiæ, sororem Hirtii duceret, prorsus omne matrimonium tenuit, dicens se philosophiæ et uxori pariter vacare non posse. Scribit beatus Hieronymus [63], quod totæ Euripidis tragœdiæ, in mulieres maledicta sint : et quod Epicurus, cum Metrodorus discipulus ejus Leontion duxisset uxorem, dixit : « Sapienti rarissime ineunda cujugia, eo quod plura et gravissima incommoda brevibus nuptiarum deliciis sint admista. » Pacuvius flens ait vicino suo [64] : « Amice, arborem habeo in horto meo infelicissimam a qua suspendit se prima uxor mea, quam habui ; ab eadem secunda uxor mea elegit suspendium. Ab eadem suspendit B se et tertia. » Cui respondit amicus : « Miror te in tantis successibus lacrymas invenisse. » Et idem : « Dii boni, arbor illa, a quot dispendiis te suspendit, da mihi surculos de arbore tua, ut in mortem uxoris meæ vivificetur et crescat. » Hæc arbor tibi necessaria esset. Noveris autem conturbernium istud, ne dicam matrimonium, infaustos habiturum eventus. Quidquid enim in eo factum est, contra Deum et apostolicas præsumptum est sanctiones. Eras equidem electus in sortem Domini atque in ordinem diaconus ascenderas (7), eoque forsitan prætextu ad vota matrimonialia convolasti, ut cum appetitum novæ libidinis satiasses, ratione conjunctionis illicitæ divortium celebrares. Porro præter

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(7) Diacono etenim transire ad nuptias vetitum erat nuperrime in concilio Westmonasteriensi sub Richardo Cantuariensi archiep., an. 1175, c. 1 : « Si vero infra subdiaconatum constituti matrimonia contraxerint, ab uxoribus suis, nisi de communi consensu ad religionem transire voluerint, et ibi in Dei servitio vigilanter permanere, nullatenus separentur. Sed cum uxoribus viventes ecclesiastica beneficia nullo modo percipiant. Qui autem in subdiaconatu, vel supra, ad matrimonia convolaverint, mulieres etiam invitas et renitentes relinquant. » Et antea, ann. 1127, in concilio ibidem celebrato sub Guillelmo legato apostolico : « Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et omnibus canonicis contubernia mulierum illicitarum penitus interdicimus. Quod si concubinis, quod absit ! vel coujugibus adhæserint, ecclesiastico priventur ordine, honore simul et beneficio. » Exstant canones in continuatore Florentii Wigorniensis. Et an. 1125, in alio consilio ibidem congregato, præside Joanne de Crema legato apostolico : « Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, canonicis, uxorum, concubinarum, et omnino omnium feminarum contubernia auctoritate apostolica prohibemus, » etc. Continuator Florentii.

Post obitum Anselmi Cantuariensis regio edicto coacti sunt clerici Angliæ parere statutis conciliorum Lundoniensium sub eodem pontifice celebratorum. Qua de re Eadmerus Novorum, l. IV : « Per idem tempus acta est causa presbyterorum Angliæ, et districtius tempore patris Anselmi a consortio mulierum coerciti sunt : quamplurimo namque il-C lorum ex obitu Patris Anselmi non modicum exhilarati, promiserunt sibi eo de medio sublato, licitum fore, quod ipso superstite, sibi illicitum fuisse condoluere. » Sed in contrarium res lapsa est : rex enim, qui plus Deo a multis timebatur, sua lege eos constrinxit, quatenus vellent nollent, consilii Lundoniensis, quod supra notavimus, saltem oculis hominum fierint exsecutores.

Et in alio ejusdem loci sub Anselmo, an. 1108 : « Statutum est ut presbyteri, diaconi, subdiaconi caste vivant, et feminas in domibus suis non habeant, præter proxima consanguinitate sibi junctas, secundum hoc quod sancta synodus Nicæna definivit. Illi vero presbyteri, diaconi, subdiaconi qui post interdictum Lundoniensis concilii feminas suas tenuerunt, vel alias duxerunt, si amplius missas celebrare voluerint, eas omnino a sese sic faciant alienas, ut nec illæ in domos eorum, nec ipsi in domos etiam earum ingrediantur, » etc. Exstant D decreta in Rogerio de Hoveden ad hunc annum.

Et in Eadmero lib. IV *Novorum* qui observat synodum hanc celebratam fuisse, promovente et precante Henrico I rege, cum presbyteri contemnentes statuta concilii Lundoniensis prius habiti suas feminas retinerent, aut ducerent eas quas prius non habebant, quod incontinentiæ crimen rex cupiebat subvertere. Conc. istud Lundoniense celebratum est anno 1102. Statutum autem, de quo agitur, est ejusmodi : « Ut nullus archidiaconus, presbyter, diaconus, canonicus uxorem ducat, aut ductam retineat, » etc. Exstat apud Willelm. Malmesburiensem lib. I *De gestis pontificum Angliæ*

---

[57] Lib. I. [58] Hieron. l. I in Jovin. [59] *Sat.* 6. [60] L. III, ep. 20. [61] Lib. III, ep. 20. [62] Ephes. 5. [63] Lib. I *in Jovin.* [64] Valer. *in ep. ad Ruffin.*

animæ discrimen periculosum est tibi ita parentibus tuæ uxoris illudere, qui sui generis titulos nimis humiliasse frequenter conquesti sunt, eo quod te in suæ parentelæ participium admiserunt. Video te inevitabilibus angustiis circnmseptum, quia, sive in matrimonio perseveres, sive ab uxore divertas, vitæ aut famæ periculum non evades. Vales, et negotiare consultius.

EPISTOLA LXXX.

AD G. AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Monet G. amicum suum, ne ob invidiam vel malevolentiam falsorum fratrum deserat monasterium ; illam ad virtutem multis profuisse ; deinde videat ne prætextu malevolentiæ alienæ suam palliet malitiam.*

PETRUS Blesensis Bath. archid. charissimo amico suo G., salutem et immarcescibiles patientiæ fructus.

Fama est, quod velis interdictum ponere de migrando, atque salutata a primo limine congregatione sanctorum, dicis, quod invidiam tuæ domus, et periculum in falsis fratribus sustinere non potes. Vel nulla, vel frustratoria est tui recessus occasio, cui cedere debuisset ad gloriam, habere unde æmulus inviderei. Nam solos miseros ignorat invidia ; verumtamen virum fortem excitat ad virtutis exercitium alieni livoris aculeus, nec mentis oculos torpere permittit invidia detractorum. Jacob [65], qui in baculo suo Jordanem transierat, non rediisset cum duabus turmis, nisi eum invidia Esau agitasset. Joseph non imperasset Ægypto [66], nisi ipsum fratrum invidia vendidisset. Scriptum quippe est, Abel esse non potest, quem Cain invidia non exercet. Invidebat forte tibi aliquis, sed habebas vindicem tuum. Et qui adversus innocentiam tuam erigebat tormenta invidiæ, suum gerebat in mente tortorem. Nam juxta verbum ethici :

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem torquet, discrucians animum ?

Nonne tormenta sunt, ex bonis aliorum marcescere, ægrescere, deperire ? Audi poetam [67] :

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Audi alium proprietatem invidiæ assignantem :

Insultare malis, rebusque ægrescere lætis [68].

Audi etiam Job [69] : *Stultum*, inquit, *interficit iracundia, et parvulum occidit invidia* ; pusillanimitas enim invidiam parit. In eo enim, quod alio inferiorem et minorem se reputat, malitia in ipso ignem livoris inflammat. Sustine ergo quod invidi et æmuli tui se ipsos occidant, ut gladius eorum intret in corda ipsorum. Sane Goliath interfectus est gladio, quo David exitium intentabat [70]. Aman suspensus est in patibulo, in quo supplicium destinaverat Mardochæo [71]. Verbum Salomonis est : *Qui mittit lapidem in altum, super caput ejus cadet* [72].

Nec enim lex æquior nulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Cum hæc pestis tolerabilior sit invidioso, quam invido : nimis delicatus es, si tui æmuli cruciatum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

in Anselmo. Et in Eadmero, l. III *Novorum*. *De eo* Anselmus, lib. III, epist. 62. Et ante Anselmum conc. Ænhamense ex Anglia universa, sub Ælfeago Cantur., cap. 2 : « Omnes ministros Dei præsertim sacerdotes obsecramus et docemus, ut Deo obedientes castitatem colant, et contra iram Domini se hoc modo muniant et tueantur. Certius enim morint quod non habeant debite, ob aliquam coitus causam uxoris consortium. » etc. Et ante Lanfrancus Cantuar., epist. 17 ad Joan. Rothomag. : « Vestro venerabiliumque Patrum exemplo provocatus per totam terram Angliæ pastorali auctoritate prohibui, ne cujuslibet ordinis quisquam canonicus uxorem accipiat, nec sortito antea, si presbyter aut diaconus est, nisi præbenda carere velit, habere ulterius liceat. » Iterumque idem Lanfrancus, ep. 21 ad Herfrastum, *De diacono per saltum ordinato* loquens : « Interrogatus, inquit, a me si uxorem haberet, uxorem se habere, nec eam se velle dimittere respondit. Propterea tali pacto consulendum et divina fultus auctoritate decerno, diaconatum et auferre, ad cæteros minores ordines congruis eum temporibus promovere ; diaconatus vero ordinem nunquam recipiat, nisi caste vivat, nisi de reliquo se caste victurum canonica attestatione promittat. Si vero cælibem vitam egerit, et acturum se omni tempore respondere voluerit, non quidem eum ad ordinem diaconatus iterum ordinabitis, sed ipsum officium per textum S. Evangelii, vel in synodo, vel in multorum clericorum conventu reddetis. » Concilium generale Anglicanum sub Dunstano Cantuar. anni 969, ut canonici omnes, presbyteri, diaconi, subdiaconi aut caste viverent, aut ecclesias quas tenebant, dimitterent. Ita Osbernus præcentor Cantuar. in *Vita S. Dunstani* apud Surium die 19 Maii. Et Acta sancti Oswaldi apud eumdem die 15 Octobris. S. creditur Magdeburgensibus, cent. 8, cap. 9, celebratum fuit concilium Lundoniense anno Domino 712, sub Bonifacio legato apostolico et Bertualdo Cantuariensi, quod edidit decretum de abdicandis sacerdotum uxoribus. Denique anno Christi 601, Gregorius Magnus Augustino interroganti : An clerici continuere non valentes possint contrahere ; et si contraxerit an debeant ad sæculum redire ? In hunc modum respondit : « Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent. »

Eadem quoque vigebat disciplina in Galliis, ut patet ex Innocentio I ad Victoricum Rothomagens., c. 9 ; Leone Magno ad Rusticum Narbonensem, cap. 92, respons. ad 9 inquisitionem ; conc. Turon., cap. 2 ; Agathense, cap. 9 ; Arvern., cap 13 ; Aurelian. IV, cap. 17 ; Lugdun. III, c. 1 ; Zacharia papa, epist. 9.

Eadem erat disciplina Ecclesiarum Hispaniæ : quod liquidum evadit ex concilio Eliberitano, cap. 37 ; Siricio, ex Innoc. I ad Exuperium Toletanum ; Toletan. I, c. 1 ; II, c. 3 ; III, c. 5 ; VIII, cap. 5.

Eadem Ecclesiæ Africanæ ex Siricio, epist. 4 ; ad Afric., cap. 9 ; conc. Carth. II, cap. 2, etc.

Eadem in Ecclesia orientali ex Ancyrano, can. 10 : Epiphan. hæresi 59. Lege Hieronymum adversus Vigilantium, c. 1.

---

[65] Gen. 32. [66] Gen. 37. [67] Horat. l. I, ep. 2. [68] Stat. II *Thebaid.* [69] Cap. 5. [70] I Reg. 17. [71] Esther. 7. [72] Eccli. 27.

ferre non postes. Detractores *Deo odibiles*, sicut Apostolus dicit [73], quanto malignius tuam depravant innocentiam, tanto se probant inferiores, et magnificentius tuæ virtutis titulos extollunt, teste poeta [74].

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Quorum vita favorabilior est ad gloriam, actiores invidiæ sentiunt morsus.

Urit enim fulgore suo, qui prægrava tarles
Infra se positas [75].

Legitur quod, cum Platoni ejus socii inviderent quæsivit a Socrate magistro suo, qualiter eorum invidiam declinaret. Cui Socrates : « Esto, inquit, ut Thersites : in quo manifestissime declaravit, ibi deesse invidiam, ubi virtutum gratra non adesset. » Innocentia Christi stimulos invidiæ non evasit. Unde et Pilatus quandoque agnovit, quod per invidiam tradidissent : eum [76]. *Nonne hic est fabri filius* [77]? dicebant. *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit* [78]. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia* [79]. Quem non urerent verba hæc, quæ de fornace invidiæ procedebant ? sicut senex in Andria docet : Si velles humilitati et patientiæ militare, invenires laudem.

sine invidia et amicos pares [80].

Legitur [81], quod Julius Cæsar, audita morte Catonis, compassus est ejus morti, et egregium civem ademptum de medio, et aiatum reipublicæ deploravit ; professus est tamen, quod Cato actibus ejus, et quod ipse gloriæ Catonis inviderat. Nihil in te gloriosus video, quam quod habes invidos, quod odientes te affligis et uris, atque in deliciis tuis crucias inimicos. Vereor tamen ne aliud, quam invidia fratrum, te excludat a claustro ; novi enim tui animi levitatatem ; et si publicæ voci creditur, non invidiam claustralium fugis, sed sæcularium sequeris voluptatem. Vide ne sub prætextu malevolentiæ alienæ tuam velis palliare malitiam, et egrediendo claustrum, ingressum tibi præparare ad gehennam.

EPISTOLA LXXXI.

AD SIMONEM CARNOTENSEM CANONICUM.

ARGUMENTUM. — *Simonem canonicum deserto litterarum studio opibus congerendis vacantem, hortatur ut studium litterarum, cupiditate opum rescissa, exemplo multorum philosophorum, prosequatur.*

M. PETRUS Blesensis Bathon. archidiac., SIMONI Carnotensi canonico, cum salute mentis et corporis desiderium honestatis.

Animam meam, quam tua invaletudo plurimum contristaverat, tua convalescentia jucundavit. Nunc autem me in plenam exsultationem animi reformares, si relictis puerilibus, maturioribus intenderes, qui fines pueritiæ jam excedis. Spes equidem agricolæ vehementius exhilarescit, si plantam, quam excolit, florere conspiciat, fructumque promittere tempestivum. E diverso graviter animo consternatur, si planta nunquam turgescit in florem, si se tantum diffundit in ramos, et in degenerem foliorum luxuriat ubertatem. Sane tempus est, ut honestioribus studiis te impendas, atque purientis primitias pubertatis, sub arctiore nodo custodiæ, et prudentia vigilantiore cohibeas. Obrepunt equidem desideria carnis, quæ latenter exterminant gratiam studiorum, et sub quadam ætatis indulgentia militant in dispendium honestatis. Si modicum delibasses de amore sapientiæ et dulcedine studiorum, spes virtutis in te mihi securior arrideret. Nam cum hactenus sub virga disciplinæ et sub jugo fueris magistrali, te doctoris instantia quasi quædam sigilli violenta impressio imformavit ad mores. Sed certissima exhiberes virtutum indicia, si timorem in amorem, si necessitatem in desiderium commutasses. Cum studium sit vehemens animi applicatio ad faciendum, meditandumve aliquid : studiosus esse non potest, cujus animum voluntaria discendi affectio non accendit. Qui autem in talibus negligens est, aut remissus, non multum dissimulis est ab eo, qui, languente appetitu atque insipiente palato, cibum recipit, cibosque contradictorios gulæ fastidienti stomacho violenter intrudit. Si semel suaviatem sapientiæ degustasses, omnia præter illam in fastidium tibi verterentur. Habet enim incomparabiles thesauros deliciarum, atque omnium bonorum gratiam largitur ad plenum ; et ad hæc forte verba illa Salomonis respiciunt : *Super salutem*, inquit, *et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, et proposui pro luce habere eam. Venerunt*, inquit, *omnia bona pariter mihi cum illa* [82]. Amor discendi admissus ægre amittitur, atque in desiderium transiens sua se voluptate perpetuat, et cum vita hominis limitatur. Legitur [83], quod Solon temporibus suis apud Athenienses prudentiæ gloria singularis, cum in ultimis laboraret, assidentibus suis amicis, et invicem conferentibus caput erexit ; et interrogatus, cur hoc fecisset, respondit : « Ut, cum istud, quidquid id est de quo disputatis, percepero, moriar. » Carneades philosophus [84], laboriosus sapientiæ miles, nonaginta annos continuavit et consummavit in studiis. Tu vero vix in scholis quadriennium complevisti, et abjectis studiis, temporalium rerum sollicitudini te immisces. Rem tuam affectas disponere, quæ procul dubio periclitabitur in manibus tuis, et insuper evolabit in ventos, quidquid hactenus didicisti. Scio quia, ut filius sæculi sitienter appetis divitias, sed consultius et fortius ageres, si cum Salomone sapientiam di-

[73] Rom. 1. [74] Ovid. l., I, *De rem amor.* [75] Horat., l. II, ep. 1. [76] Matth. 27. [77] Matth. 13. [78] Joan. 9. [79] Luc. 11. [80] Terent., act. I, scen. I. [81] Plut. *in Apophteg.* [82] Sap. 7. [83] Val. Max., lib VII, c. 7 ; Plato in 7 *De republ.* [84] Cic., 1 *Acad.*

vitiis anteferres. Studiis equidem et divitiis pariter A vacare non potes. Nec animam illam dignatur inhabitare prudentia, quam videt infectam desideriis et curis temporalibus involutam. Scriptum est [85] *quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Quodam philosophiæ professores exsecrabantur divitias, nec putabant cum earum sollicitudine aliquam posse obtineri prudentiam, aut digne in castris disciplinalibus militare. Verbum poetæ est [86] :

Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant, et dominis Cyrrhæ, Nysæque feruntur,
Pectora nostra duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus, et equos, faciesque deorum
Aspicere, et qualis Rutulum confundat Erynnis.

Ideoque cum pater Demetrii [87] filio suo tantas re- B liquisset divitias, quibus exercitum regis Xerxis poterat uno die procurare, Democritus patrimonium suum donavit patriæ: et Athenis in discendo et docendo dies suos continuans studiorum malitiam consummavit in aurea paupertate. Crates ille Thebanus projecto in mare non parvo pondere auri : « Abite, inquit, pessum divitiæ pessimæ ; ego vos submergam, ne submergar a vobis. » Anaxagoras, cum post longa tempora studiorum in patriam rediisset, propriasque possessiones ex longa absentia sua invenisset enormiter dissipatas : « Non essem, inquit, salvus, nisi istæ periissent. » Verbum Socratis fuisse dicitur [88] ; neminem studiosum fieri nisi se mediocriter pauperem opinetur. Nam sicut supervacuas opes rejici, sic paupertatem, si tolerabilis et munda non sit, studium non admittit. Hæc C enim urit animum, hæ subvertunt, sicut ethicus dicit [89] :

Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet ; si minor uret.

Quoniam igitur tibi copiose contulit Deus, ut scholarem possis continuare militiam, rogo, moneo, consulo, ut laudabile tuæ indolis initium pleniore studio prosequaris, et ad tempus divitiarum acquisitione suspensa, totum te impendas amori sapientiæ, cujus accessoria et subsecutiva erunt testimonio Salomonis [90] bona temporalia pariter et æterna. Vale.

EPISTOLA LXXXII.

AD ABBATEM ET CONVENTUM CISTERCIENSEM.

ARGUMENTUM. — *Richardus Cantuar. archiepiscopus post laudes magnas ordinis Cisterciensis, ostendit eum uno hoc nævo plurimum obscurari, quod consuetas decimas clericis et monachis subtrahant. Deinde excommunicationem, et brachii sæcularis vim comminatur, nisi eas persolvant.*

RICHARDUS Dei gratia Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo fratribus et amicis, abbati et conventui Cisterciensi, salutem et consilium salutare.

Licet vos diligamus in Christi visceribus, et in charitate non ficta, gravem tamen et publicam ad vos et de vobis querelam deferre compellimur. Nam cum per gratiam Dei domus vestra nominatissima sit in observantia ordinis (8), et perseverantia sanctitatis, periculosum est pro re modica titulum et gloriam tantæ opinionis perdere atque convertere in famæ dispendium compendium temporale. Inter universas ordinum varietates, quibus decorata est sponsa Christi, nullus ordo virtute fragrantior, nullus sancti nominis odore suavior est in Christo quam vester ; si rem unicam amoveritis de medio, per quam hostis humani generis sinceritatem vestram attentare præsumit. Scitis quod *omnium malorum radix est cupiditas* [91] ; publice tamen dicitur, et nos id ipsum cum lacrymis recensemus, quod usque ad congregationes vestras ausa est irrumpere illa transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis et auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, fovea, scandalorum. Renuntiastis mundo et cupiditatibus ejus, atque cum Josue vestram in vobis spiritualem Jericho subvertistis. Sententiam maledictionis incurrit, qui reædificat Jericho, et cum Achan filio Charmi lapidibus obruitur, qui de anathemate Jericho rapuisse convincitur [92]. Verbum Tobiæ est [93] : *Videte ne furtivus sit*. Furtum siquidem committitur, quoties res aliena invito domino contrectatur. Sed et rapinæ crimen in jure civili furtum improbius definitur [94]. Neminem prædonem vocamus, aut furem, sed veremur, ne vestram suggillet opinionem, si rem concupiscitis, aut rapitis alienam. Una omnium vox est, quia Cisterciensis ordinis professores, tanto differentius

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(8) Idem habet in laudem Cistercii, epist. 8 et D 96, Stephanus Tornacensis, ep. 1 : « Evagelium implentes, monasticam regulam, quam supererogavit Benedictus Pater fidelis Samaritani stabularius, ut nec unum ex eo iota præterire videantur. » Joannes Sarisb. *Polycrat.* lib. VII, c. 21 : « Cistercienses B. Benedictum, quem omnium justorum spiritu plenum fuisse constat, præcepta et vestigia sequuntur ad unguem. » Philipus abbas Bonæ Spei, libro *De continentia clericorum*, cab. 125 : » Benedicti sub quæ degunt regula, sic adhærent, in omnibus quæ illa vel jubet ad litteram, vel admonet, persevereent : existimantes quod illam ad unguem aliter non tenerent, nisi tam in parvis quam in majoribus summam diligentiam adhiberent. De hoc autem cœnobio quod Cistercium nominatur, in quo nostris temporibus Regula Benedictina ad veritatem litteræ revocatur, » etc. Guillelmus Malmesburiensis, lib. IV *De gestis regum Anglorum* : « Ita regulæ incubantes, ut nec iota unum, nec apicem prætereundum putent. »

[85] Sap. 1. [86] Juv., *Sat.* 7. [87] Val., l. VIII, c. 7. [88] Cic., *Pœto.* [89] Horat., l. I, epist. 10. [90] Sap. 7. [91] I. Tim., 6. [92] I Jos. 7. [93] Cap. 2. [94] Dig. *quod metus causa*, § *qui vim*.

præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referent, quanto expressius religionis apostolicæ vestigiis inhæserunt; cum in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in confessionibus, in disciplinis, in psalmis, in humilitate, hospitalitate, obedientia, charitate et cæteris, quibus fructus vitæ seminatur in terris, deprimatis carnem, spiritum erigatis. Angelicæ vitæ sinceritati vos homines compararent ubique, cum vobis in favorem plenissimum laus hominum communis assistat, unum, nisi, clamat in contrarium, tantamque vestræ gloriosæ opinionis faciem decolorat. Et quæ est ista maledicta conjunctio, nisi quæ a Christi gratia, et favore hominum vos disjungit? Inviti et dolentes hoc dicimus, sed ad dicendum murmur universale et communis querimonia non compellunt. Vota et linguæ omnium in vestræ sanctitatis præconium taxarentur, nisi raperetis quod alienum est, nisi monachis et clericis decimas auferretis. Hæc est conjunctio quædam, et dictio satis modica, sed quæ vitam vestram non modice dehonestat. Testimonio sacræ paginæ, decimæ tributa sunt egentium animarum. Et quæ est hæc injuriosa immunitas, ut exempti sitis a decimarum solutione, quibus obnoxiæ terræ erant, antequam vestræ essent, et quæ solutæ sunt hactenus ecclesiis, non personarum obtenu, sed territorii ratione? Si in vestram possessionem terræ devolutæ sunt, quare in hoc periclitatur alienum jus? nam ad vos terræ juxta communem opinionem cum suo onere transierunt. Utquid in alienam injuriam terras et nutrimenta vestra privilegiari facitis, ut auferatis quod alienum est? Nunquid Abel de nutrimentis suis Dominum non respexit [95]? nunquid justiores estis primo omnium justo? ut vos contra Dei justitiam erigatis? Per prophetam [96] præcepit Dominus decimas inferri in horreum suum; vos ab ejus horreo jubetis auferri. Habet justitia divinæ legis, ut in Levitarum sortem cedant decimæ [97]; unde et justitiæ Dei manifeste resistit, qui ministris ecclesiæ nititur jus decimationis auferre. Sane et ex his, et consimilibus satis liquet, quod si virtus obedientiæ est in solutione reddituum, aut xhibitione decimarum aut juris alieni, facile detrectare tis obedientiæ jugum. Milites Galliarum sibi jus decimationis usurpant, nec vestris privilegiis deferentes, eas a vobis potenter extorquent. Adversus eos deberetis insurgere, non adversus clericos, aut ecclesias clericorum; deberetis recolere vos quandoque fuisse clericos, atque sacramenta salutis in eorum ecclesiis percepisse. Sed et Christianæ professionis vinculum, et devotio filialis affectus privignales induit, et sub religionis præceptu transiit in contemptum. Non ponimus os nostrum in cœlum, nec de facto summi pontificis disputamus. Sed si dominus papa quadam indulgentia speciali quandoque privilegiavit vos, dum ordo vester in paupertate tendebat, dum in usus egentium quæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod causa necessitatis fuerat introductum. Nunc autem, quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt, etiam in immensum; privilegia hæc potius ambitionis, quam religionis instrumenta consentur. Quidquid indulgeant privilegia Romanæ Ecclesiæ, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est, usurpare. Quid si a sede illa publicum emanasset edictum, quod ubicunque inveneritis clericos, aut alterius habitus monachos equitantes, vobis liceret eos de suis evectionibus dejicere, et equos in usus proprios retinere? quid interest, equos rapiatis, an decimas? nisi quia decima res spiritualis est, et ideo enormius sacrilegium in decimis committitur, quam in equis? Cum Dominus præcipiat decimas solvi [98], quis contra ejus præceptum potuit dispensare? ubi divina et humana jussio sibi invicem contradicunt [99], obediendum est Deo magi quam hominibus [100]. Cumque sint duæ leges, exterior et interior; interior semper præjudicat: quodque puritas conscientiæ dictat mihi, exteriori præcepto fortius est, et omnem indulgentiam alienæ dispensationis evacuat. Si filii Israel de mandato Domini, et in retributionem longi obsequii, quod Ægyptiis impenderant, eis vasa argentea et aurea abstulerunt [1]: non expedit vos hæc ad consequentiam trahere nisi constet Dominum hæc mandasse, et vos nobis tanquam Ægyptiis longæ servitutis obsequium impendisse. Consultius ergo et modestius agentes. date operam, ut prædictæ ambitionis nota, quæ vestræ sanctitatis titulos dehonestat, abscindatur a vobis, nec pro rebus perituris commune in vos scandalum excitetis. *Væ illis per quos scandalum venit* [2]! In restitutione alienæ rei non credatis conscientiam vestram in aliquo lædi; nam, si quid utilitatibus vestris deperit in hac parte, devotio populorum, quæ nunc erga vos plurimum turbata est, totum hoc pleniore munificentia restaurabit. Quod si pertinaces vos, et inflexibiles exhibetis, vinculo anathematis innodabimus universos, qui aliquid vobis dederint, aut vendiderint, unde jus decimationis obveniat, atque in cœlum clamabimus et ad thronum summi judicis appellabimus, ne quis hujus vinculum excommunicationis absolvat. Principum etiam favorem in hoc plenissime obtinebimus, ut gladio spirituali manus civilis assistat, et quidquid contra principale oraculum, venditum aut donatum vobis fuerit, confiscetur. Antequam ergo res in deteriorem vergat exitum, vestræ famæ maturius providentes, velitis assuescere solutioni decimarum, illarum maxime, quas cum majore omnium rancore et odio usurpatis, et quas clerici

[95] Gen. 4. [96] Mal. 3. [97] Lev. 27. [98] Ibid. [99] Math. 22. [100] Act. 5. [1] Exod. 12. [2] Matth. 18.

sive monachi hactenus perceperunt. Nam si de novalibus tantum, sicut beatæ recordationis Adrianus papa constituit, decimas retinetis, nobis in ea re damnum erit tolerabilius, cujus emolumenta non sensimus. Verum juxta philosophi sententiam, non sine dolore amittitur, quod delectabiliter et commode possidetur. Valete.

EPISTOLA LXXXIII.

AD B. EXONIENSEM EPISCOPUM (9).

[A. D. 1167-1175.]

Argumentum. — *Walterus archid. monet Exoniensem episcopum uti judicem ecclesiasticum, ut matrimonium inter consanguineos illegitime celebratum ex mandato Romani pontificis dissolvat.*

Charissimo domino et amico B. Dei gratia Exo- A niensi episcopo, Walterus de Constantiis (10) Oxeneforden. archidiaconus, salutem in eo qui judicat fines terræ.

Cum plurima litteratura, ususque et experientia negotiorum, prudentem et circumspectum vos fecerint in decisione causarum ; miror, et mirantur cæteri, qui sunt in utroque jure periti, quare inter Robertum et Ismenem consanguineam suam celebrare divortium tanto tempore distulistis (11 : maxime cum mandatum domini papæ super hoc habeatis expressum, et cum sacri canones detestabile reputent cohabitationem talium sustinere. Testes equidem legitimi, nullique exceptioni obnoxii producti sunt, qui si in causa hac vobis fidem non fecerint ad plenum, juxta clausulam illam litterarum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(9) Bartholomæus Exoniensis episcopus, vir fuit scientia et litterarum nobilitate clarus, Joannis Sarisberiensis familiaris, a quo ad eum plures exstant epistolæ. Consecratus est anno 1167, obiitque 1175.

(10) Fuit hic episcopus Lincolniensis, postea archiepiscopus Rothomagensis, de quo plura alias opportunius dicturi sumus.

(11 Quo gradu consanguinitatis Robertus et Ismenes sese attingerent, non liquet ex textu. Certum tamen est, quod matrimonium ab eis contractum nullum fuit, si consanguinei erant usque ad septimum gradum inclusive. Hæc enim erat disciplina Ecclesiarum Britannicarum eo tempore, quod liquidum evadit ex verbis istis conc. Lundin. celebrati ann. 1125 : « Inter consanguineos, seu affinitate conjunctos usque ad septimam generationem matrimonia contrahi pohibemus ; si qui vero taliter conjuncti fuerint, separentur. » Vide etiam conc. ejusdem loci, ann. 1102 ; Ænhamense, cap. 8 ; legem ecclesiasticam Canuti regis ; C quinquagesimam secundam legem presbyterorum Nortumbrensium ; constitutionem 7 Odonis Cantuar, etc. ; cap. 15, concilii Calchutensis. Ex quibus locis colleges etiam anterioribus sæculis intra septem consanguinitatis gradus matrimonia interdicta fuisse in Anglia. Non sic initio VII sæculi : nam Greg. Magn. ad interrogationem 7 Augustini respondens permittit eis conjugia in 3 et 4 gradu : « Quædam, inquit, terrena lex in Romana republica, permittit ut sive frater et soror, sive duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est ut jam 3 vel et 4 generatio fidelium licenter sibi jungi debeat ; nam secunda quam diximus, a se omni modo debet abstinere. » Quod si quis sciscitetur quid causæ fuerit cur Gregorius non prohibuerit D conjugia inter consanguineos in 3 et 4 gradu, cum tunc temporis vetita essent Romæ, audiat quid responderit idem pontifex, ep. 31, lib. XII, Felici episcopo Siciliæ de eo interroganti : « Quod autem scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordatus es, tuo, de consanguinitatis conjunctione, ipsi et Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora recederat, specialiter, et non generaliter cæteris me scripsisse cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas exstitit testis. Nec ea intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint cocsanguinitatem inventi, non separentur ; aut infra affinitatis lineam, id est, usque ad 7 generationem conjungantur. Sed B adhuc illos neophytos existentes sæpissime eos prius illicita docere vitare, et verbis et exemplis instruere, et quæ post de talibus egerint rationabiliter et fideliter excludere oportet. » Et postea : « Sane in his secus quam debuimus aliquid egimus, non propter ipsam, sed commiserando actum esse cognoscas. » Et adhuc : « Nam si destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste comprobarer. » Ex quibus verbis postremis patet non primo per Gregorium, sed per Gregorii antecessores prohibita fuisse matrimonia inter consanguineos in 3 et 4 gradu. Sed an primo ille prohibuerit in 5, 6 et 7 ? Probabile id videtur. Certum vero est et indubitatum, quod nec sub ipso Gregorii pontificatu, nec longe post ejus mortem ejusmodi conjugia vetita sunt in Galiis. Sed ut rem ab origine repetam.

In primo gradu consanguinitatis in linea collaterali matrimonia prohibita fuerunt, ex quo aliis nubendi facultas fuit, propagato, quantum satis erat, humano genere. Aug. lib. XV *De civit. Dei*, cap. 16 : Cum igitur humanum genus post primam copulam viri facti ex pulvere, marium feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines, nisi qui ex illis secundo nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt : quod profecto, quanto est antiquius, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente. » Et postea : « Quod humano genere crescente et multiplicato, etiam inter impios deorum multorum falsorumque cultores sic observari cernimus ut, etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consuetudo ipsam maluit exhorrere licentiam ; et cum sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino liceret, sic aversetur, quasi nunquam licere potuerit. »

Postea connubium inter consobrinos ante hominum moribus, quam legibus humanis improbatum est. Unde August. ibidem : « Experti autem sumus in connubiis consobrinarum, etian nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per legem licebat ; quia nec id divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana. Verumtamen factum etiam licitum propter vicinitatem horrebatur illiciti : et quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur ; quia et ipsi inter se, propter tam propinquam consanguinitatem fratres vocantur, et pene germani sunt. » Ex Ambros., epist. 48, habemus Theodosium legem tulisse de improbandis nuptiis consobrinorum. « Theodosius imperator, inquit, patrueles fratres et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire

domini papæ, ubi dicitur ; et aliorum plurium ; auctoritate etiam Fabiani et Cœlestini, atque aliorum sanctorum Patrum, qui post eos propinquiores et sanioris testimonii erant, admittendi sunt, ut sit lucerna pedibus vestris ad convertendam justitiam in judicium, diligens inquisitio veritatis. Quanto enim flagitiosius et immanius peccatum est incestus, tanto scrupulosius certitudinem consanguinitatis exquiri oportet, ut in celebrando divortio sententia A judicis non vacillet. Nihil hic dissimulanter agere judici licet, ubi vertitur periculum animarum. Ideoque amicorum parcite fatigationibus et expensis, qui jam alterutram debuerant reportasse sententiam, qui etiam libenter secundæ et tertiæ productioni renuntiant ; si secundum testificata aliorum velitis expedire negotium. Si ad pleniorem notitiam rei alia productione opus est, ipsi judicio et productioni secundæ se offerunt ; utrum velitis, eligite,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

nomine, » Exstat lex ista in cod. Theod. *De incestis nuptiis*. Verum prohibitio vel universalis non fuit, vel mox correcta est. Nam consobrinorum conjugia permittuntur lege *Celebrandis*, quæ est Arcadii et Honorii, c. *De nuptiis*. Et Justinianus. *De nuptiis in instit.* idem concedit. Ecclesia nihilominus a lege Theodosii non duxit esse recedendum.

Neque vetuit duntaxat jungi matrimonio consobrinos, sed etiam sobrinos, hoc est, procreatos ex consobrinis : quod genus prohibitionis Gallicanæ synodi fecerunt. Non laudo can. 61 conc. Agathen, : loquitur enim indefinite : « Aut qui ex propria consanguinitate aliquam. » Laudo autem Epaon., cap. 30 : Si quis consobrinæ, sobrinæve se societ ; Avern., cap. 12 ; Consobrinam sobrinamve ; Aurel. IV, c. 27 ; Tur. II, cap. 21 et Lugdun. III, c. 4, quia præcitatarum synodorum definitiones amplectuntur. Laudo Antiss., c. 31 : « Non licet consobrinam, hoc est, quæ de duobus fratribus, aut de duabus sororibus procreatur, in conjugium accipere ; nec qui de ipsis natis fuerint conjugio socientur. » Ac denique Paris. V, c. 14 : « Consobrinam, sobrinam. »

Nondum tunc temporis usu recepta erat apud Gallos constitutio Greg. M. de 7 gradibus consanguinitatis dirimentibus matrimonium. Quod si non satis perspicuum fore' ex locis illis, in quibus, dum enumerantur gradus ejusmodi, sistitur in tertio : ad evidentissimum evaderet ex c. I conc. Vermer., ubi fermo est de 3 gradu, tanquam de impedimento dirimente, et de 4 tanquam non dirimente : « In tertio gradu conjuncti separantur, et post pœnitentiam actam, si ita voluerint, licentiam habent aliis se conjungere. In 4 autem conjunctione si inventi fuerint, eos non separamus, sed pœnitentiam eis indicamus : attamen, si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in 4 generatione damus. »

Paulo post cœpit quartus gradus aliquo modo haberi dirimens, in quantum scilicet voluit conjuges ex 3 et 4 mistos separari. Nam juxta regulam quæ habetur c. *Quod dilectio*, et cap. *Viri*, de consang. in linea transversa, seu collaterali, quando personæ distant inæqualiter a communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illarum remotior distat a communi stipite. Dixi, *aliquo modo*, quia distantes in 4 gradu a communi stipite, nolebant Compendiensis synodi Patres separari. Caput est ejusmodi : « Si in 4 progenie reperti fuerint conjuncti, non separamus : in tertia vero si reperti fuerint, separentur. Et eos, qui unus in quarta, alius in tertia sibi pertinent, et conjuncti inveniuntur, separamus. »

Sed conc. Mogunt, congregatum sub Carolo Magno an. 813, apertissime 4 gradum recenset inter dirimentes c. 54 : « Contradicimus quoque ut in 4 generatione nullus amplius conjugio copuletur ; ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur. » Refertur capit. l. v, c. 99.

Altum de gradibus ulterioribus silentium ante Leonem IV in Galiis ; sed postquam ille ad episc. Britanniæ, cap. 5, ita sanxit : « Ut definitum est a Patribus, nullus de propria cognatione sibi audeat copulare, alioqui anathema sit. » Unde beati Junioris Gregorii decreta eximie tenenda sunt : tunc cœpta est extendi prohibitio derimens usque ad 7 gradum. Ita enim legimus in capitulis Herardi Turon., cap. 36 : « Ne in 5 vel 6 generatione copuletur conjugio, et usque, ad 7 generationem progenies observetur. » Et capit. 7 c., 335.

Decreta citata edita sunt ann. 721 in conc. Rom. I sub Greg. II. Est autem c. 9 ejusmodi : « Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. » Et elucidatur per ejusdem Gregorii responsionem ad 1 interrogationem Bonifacii iis conceptam terminis : « In quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. » Sic enim Greg. ep. 9 : « Dicimus quod oportuerat quidem, quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem. Sed quia a temperantia magis, et præsertim in tam barbara gente plus placet, quam districtio censuræ, concedendum est, ut post 4 generationem jungantur. » Ne quis vero hæreat in verbis istis « quandiu se agnoscunt affinitate propinquos : » quæ etiam sunt Zachariæ, epist. 7 ad Pipinum regem et episc. Franciæ in cap. 22, « ut dum usque se se generatio cognoverit » meminerit Greg. III decessorem Greg II et prædecessorem Zachariæ epist, 1 ad eumdem Bonifacium declarasse, non transcendere istum gradum 7. Sic enim illa ad quintam Bonifacii interrogationem : « Progeniem vero suam unumquemque usque ad 7 generationem observare decrevimus. » Nicolaum primum quoque sic respondisse ad consulta Bulgar., tit. 19, n. 6 : « De consanguinitate sua uxorem nullus ducat, usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit. »

Quæ non Galliarum duntaxat sed etiam universæ Ecclesiæ fuit consuetudo de dirimentis matrimoniis contractis intra 7 gradum consanguinitatis, viguit usque ad conc. Lat. sub. Innocentio III, cap. 50, quo sic statutum est : « Prohibitio quoque copulæ conjugalis 4 consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat. »

Observa tria : Primum est, Romanos pontifices olim dispensavissé cum consagnuineis ut licite nuberent. Sic dispensavit Gregorius II in 5 gradu et inferioribus aliis duobus cum germanis per Bonifacium, et Gregorius M. in 3 et 4 gradu.

Secundum est, episcopos Galliæ dispensavisse in 2 et 3 cum iis qui per ignorantiam matrimonio conjuncti fuerant. Ita enim conc. Aurel. III, c. 10 et Aurel IV, c. 27, etc.

Tertium denique conc. Agathense et Epaonense locis citatis sanxisse matrimonia a sobrinis, consobrinis, aliisque commemoratis ibidem contracte ante conciliorum istorum definitiones, non esse dissolvenda.

dummodo ulterius non velitis, in eorum injuriam frustratorias dilationes innectere. Porro unum in hoc negotio est, quod præcipue nos molestat. Nam cum ille Robertus sit primogenitus primogeniti fratris mei, et ab ipso ratione patris quasi a capite series parentelæ nostræ tota dependeat, veremur ne conjunctionis incestæ vitium transfundatur ad posteros. Concipiet enim tota successio corruptelam, si a capite membra, si a fonte revuli, si rami a stipite legitime non procedant. Sacra equidem Scriptura testante[3], filii incestuosorum abominabiles sunt Deo. Et sicut beatus Gregorius asserit[4], ex incestuoso concubitu proles legitima non succrescit. Faciatis igitur, prudentissime pater, verbum abbreviatum et mandatum domini papæ, quod hactenus suspendistis, sine moratoria dilatione mancipetis effectui, aut recurrentibus litteris nos velitis instruere, quare in causa ista procedere non possitis. Valete.

EPISTOLA LXXXIV.

AD ALEXANDRUM PAPAM ROMANUM.

ARGUMENTUM. — *R. archiepiscopus Cantuar. nomen episcoporum in aula regia degentium a calumniis tuetur, ac ostendit exemplo veterum, quanto cum fructu regni in ea versentur.*

ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici, RICHARDUS Cantuariensis Ecclesiæ humilis minister, devotum humilitatis et obedientiæ famulatum.

Detractores *Deo odibiles*[5], etc. *Vide inter variorum ad Alexandrum epistolas, post ipsius Regesta, Patrologiæ* t. CC.

EPISTOLA LXXXV.

AD R. SARISBERIENSEM.

ARGUMENTUM. — *Graviter reprehendit in R. Sarisberiensi ventris ingluviem, quantaque mala ex ea nascantur, veterumque exemplis declarat, quanti facienda sit sobrietas.*

M. PETRUS Blesensis Batn. archid., R. Sarisb., salutem in Deo salutari nostro.

Si tibi increpatoria et solito duriora propono, facit hoc insolentia tua, et iniquitas, ex adipe prodiens, quæ cum multis exhortationibus meis amicabiliter et blande sollicita sit, correctionis tamen beneficium non admisit. Si de salute animæ tuæ, aut saltem de incolumitate corporis cogitares, plus animæ et minus corporis, minus ventri et plus spiritui deservires. In animæ tuæ perniciem conjurasti, atque in ipsius gravamen ventris imploras auxilium; cujus ingluvies, dum omnia devorando vivere appetit, sua voracitate mortificat animam, et interioris hominis lumen obtenebrat. Enorme tui ventris incrementum patientius sustinerent, nisi ex eo gravissimum immineret tuis possessionibus detrimentum. Porro possessorem possessio tua imitatur et sequitur; quia dum ventrem facis, ventrem faciunt domus tuæ. Non intelligis miser ruinam nobilium ædificiorum, quæ magnanimitas tui decessori exstruxit? dummodo ædifices ventrem tuum.

Nugaris cum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat[6]:

Sed ventrosi parietes prohibentur exstare[7], quorum altitudinem et robur humiliat ventorum liber excursus et injuria pluviarum. In domibus ruinosis non vetustatem, sed tuam universi causantur inertiam; dum te vident ad carnis delicias resolutum in cute curanda plus æquo sollicitum.

Et rident omnes Epicuri de grege porcum[8].

Quidquid in te spirituale fuerat, totum evacuat et pervertit carnalis ista curiositas, quæ nec te dies tuos dimidiare permittet, nec illud modicum vitæ quod tibi superest, cum jucunditate transigere. Nam in tanta mole corporis anima quasi tenebris obsessa carceralibus in spirituale lumen respirare non potest. Membra vero suis destituta officiis, ex longa desidia et torpore sonticas passiones exspectant. Multi enim ex nimia gulositate morbescunt, suamque crapulam vomitu remediantur, turpiter egerentes, quod turpiter ingesserunt.

Galenus equidem fidelissimus Hippocratis interpres, teste Hieronymo[9], refert athletas, quorum vita et ars sagina est, diu vivere, aut sanos esse non posse, animasque eorum nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue aut cœleste sapere, sed semper de ructu et ingluvie cogitare. Testimonio Hippocratis[10] crassa et obesa corpora necessariam habent crebram sanguinis demptionem, et alios attenuationis modos; alioquin paralysis, podagra, et alii morbi pestilentes erumpent. Ideo Galenus semper die decima vitæ medicinalis auxilii legitur sibi abstinentiam indixisse: nec facile aliquem infirmari, qui frequenter abstineat, aut regulam diætæ modestioris observet. Legimus quosdam morbo articulari[11], aut podagra laborantes, proscriptione bonorum, et simpliciore mensa membrorum officio restitutos. Refert Pompeius Trogus[12], quod teterrimus ille tyrannus Siciliæ Dionysius, dum gulæ et edacitati vacaret; lumen oculorum perdidit. Nihil enim magis prædatur oculos, quam ingluvies ventris, et, ut ait Pontinianus, edacitas cibos frangit, et oculos vorat. Ideo Lucius Sylla, Lepidus consul et alii plerique leguntur[13] tulisse leges cibarias, quas alibi Cato censorius vocat sumptuarias[14], in quibus vivendi modus et sufficientia naturæ depingitur. Nam quidquid epularum sumitur præter usum necessitatis, non est debitum naturæ, sed vitium voluptatis. Sumptuariis legibus se Paulus alligaverat, cum dicebat: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus*[15]. Æmilianus Scipio cum amicis ambulans pane vesci solitus erat, ne aliquam diei partem per-

---

[3] Lev. 18. [4] L. xii *Reg.* ep. 31. [5] Rom. 1. [6] Pers. *Sat.* 1. [7] Dig. l. 18. [8] Hor. lib. i, ep. 4 [9] L. i. *in Jovin.* [10] In *Aphor.* [11] Hieron. l. ii *in Jovin.* [12] Justin. l. ii. [13] Plut. *in Sylla.* [14] Agell. l. ii c. 24 [15] I Tim. 6.

deret otiosam; id ipsum dicitur Alexander magnus in consuetudinem duxisse [16]. Augustus cibo vulgari et modico vescebatur, qui pro deliciis reputabat secundarium panem, et minutos pisciculos, caseumque bubulum, manu pressum; ficus autem biferas virides vehementer appetebat [17]. Socrates dicebat, quosdam vivere ut comederent et biberent; se autem comedere et bibere, ut naturæ satisfaceret, et excursum vitæ fragilis sustentaret [18]. Ethicus dicit:

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas [19].

Non est equidem regnum Dei esca et potus [20]. *Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc et has destruet* [21]. Quidam autem toti sunt in gutture, merito gurgulionibus comparandi, quorum cogitatio tota de ventre, in ventre, et sub ventre est: quibus satisfieri omnino non potest, donec ventre despumante in venerem delectatio gulæ lumborum excitet voluptatem. Abjecta siquidem reverentia et timore tremendi judicii, relaxantur ad omnes illecebras, et in cunctis extraordinariis voluptatibus se volutant.

Sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam [22].

Ita convertetur dulcedo in amaritudinem, in asperitatem suavitas, delectatio in dolorem, eritque instar inferni, aut pœnæ infernalis initium, dolorum continuatio, et desiderium moriendi. Illud quoque ad cumulum doloris accedit, quod ex intemperantia gulæ quidam sibi nomen inane venantur, et gloriam sine fructu, putantes ex crapula et ebrietate hominum sibi titulos gloriosæ opinionis acquirere, cum viros honestos, quibus viscera sua claudunt, omni defectui vitæ humanæ subjacere videant, et publice mendicare. In talibus liberalitatem præcipuam reputant; in quibus libertas quidem peccandi est, sed animæ servitus ad corporis voluptatem. Sane, sicut Cicero [23] et Apuleius, et quod majus est, Augustinus [24] et Hieronymus testantur, *plus est anima quam corpus* [25]: isti autem damnum animæ non curantes devotissimam carni miseræ impendunt servitutem, sicut scriptum est: Sterilem pavit, et viduæ non bene fecit. Porro beatus ille Job [26] plenissime nomen et officium liberalitatis implebat, qui nihil indulgens ebrietati aut crapulæ, nec sequens hujus vitæ vanitates et insanias falsas se totum pauperum necessitatibus impendebat. Non alebat leones, ursos aut simias. Non confluebant ad eum histriones, dulcorarii, fabularum aut nugarum inanium concentores; sed ex puræ liberalitatis conscientia, ex corde sincero,

A et charitate non ficta, dicebat: *Humerus meus a junctura sua cadat, et brachium meum cum ossibus avellatur, si negavi pauperibus, quod volebant; si oculos viduæ exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea; si ostium meum viatori non patuit; si prætereuntem despexi, eo quod non haberet indumentum, et sine operimento pauperem; si non benedixerint mihi latera ejus, et si de velleribus ovium mearum non fuerit calefactus* [27]. O quam melior, et per omnia commendabilior est modesta, et sobria hæc liberalitas, quæ ad vitam æternam fructificat, quam illa, quæ subvertit animum, rationem hebetat, corpus destruit, et ædificat ad gehennam! Si te jejuniis affligeres, si jejunia et afflictiones pauperum sublevasses, provi-
B disses tibi consultius, nec barathrum ventris aut gulæ Scyllæa vorago domos tuas in præcipitium devolvisset. Nunc vero post dispendium animæ tuæ, specialiter illud plango, quod ventos et pluvias circumquaque admittunt, quod vespertilionibus sunt perviæ, quod in horrorem solitudinis redactæ sunt, quod in præcipitium pendent, quod nec sedilia, nec alia utensilia ibi sunt, nec seræ, nec ostia, nec fenestræ. Adhuc tamen gloria ædificiorum antiqua resurgeret, si voraginem gulæ, et exitialem ventris ingluviem cohiberes.

EPISTOLA LXXXVI.

AD MAGISTRUM ALEXANDRUM MONACHUM.

ARGUMENTUM. — *Multis rationibus persuadere conatur Alexandro monacho Carthusiano, ne ordinem suum id temporis celeberrimum, vel quod quotidie in eo*
C *rem divinam facere non possit, vel aliis etiam de causis, deserat, et ad laxiorem transeat.*

M. PETRUS Blesensis Bath. archid., magistro ALEXANDRO monacho, salutem et in salutari desiderio constantiam.

Si conceptæ indignationis spiritum possem dissimulare silentio, mallem tacere, quam scribere. Sed, ut verbo Job utar: *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei; ego quasi mustum absque spiraculo, quod novas disrumpit lagunculas* [28]. Me licet invitum, tua invitat et urget temeritas scribere invectivam. Nam, *sicut cervus desiderat umbram, et mercenarius finem laboris sui* [29], sic in votis habebam præcipuum cessare a verbis, quibus amicitia vulneratur. Verumtamen jacturam tuæ opinionis æquanimiter tolerare non possum: factus
D enim es fabula in clero et in plebe ludibrium, prurientium desævit in te linguarum procacitas; *et qui te comedunt, non dormiunt* [30]. *Si te laveris nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith* [31], non auferetur a te macula prævaricationis tuæ. Verumtamen non reputas injuriam damnum famæ, qui bibis quasi aquam subsannationem; et, ut verbo prophetico utar, *frons meretricis facta est tibi, noluisti*

—

[16] Front. l. IV, c. 3. [17] Suet. *in August.* [18] Laert. l. II *De Vit. philos.* [19] Juven. *Sat.* 8. [20] Rom. 14. [21] I Cor. 6. [22] Pers. *Sat.* 5. [23] *De offic.* [24] *In psal.* 145. [25] Matth. 6. [26] Cap 24. [27] Job 31. [28] Job 32. [29] Job. 7. [30] Job 30. [31] Jer. 2.

erubescere [32]. Dereliquisti fontem aquæ vivæ, et fodisti tibi cisternam dissipatam, quæ aquas continere non potest [33]. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, et quid tibi in via Assyriorum, ut bibas aquam turbidam? Cogitas de migrando, atque in confusionem et in scandalum fratrum tuorum succingis te ad exitum. Multum si dissimilis es, qui cupiebat anathema esse a Christo pro fratribus suis [34]. Cœpisti spiritu, carne consumandus [35], atque, sicut Isaias dicit, *concepisti ardorem, et stipulam peperisti* [36]. Juxta verbum alterius Sapientis, abstulit ventus desiderium tuum, et velut nubes pertransiit fides tua [37]. Primam enim fidem irritam faciens, sanctæ conversationis novitate contempla, per quam veterem in te hominem reformare debueras, sub quodam religionis colore divitias appetis, et seminas inter spinas, cum scriptum sit: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas* [38]. Jam senuisti, rugæque tuæ testimonium dicunt contrate. Unde ergo ebrepsit tibi hæc inconstantia in ætate provecta, ut semper sit apud te: Est, et non; semperque dissideas a teipso? sed Dei judicio, qui Christo non convenit, sibi convenire non potest. *Posuisti me*, inquit, *contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis* [39]. Status animi tui, sicut auræ incertitudo est, sicut æstus maris, fumusque pertransiens. Sane Dominus in populo gravi laudari desiderat [40]. Unde tuam, et A consimilium vitam sub typo Hierusalem propheta redarguens: *Peccatum*, inquit, *peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est* [41]. In libro Sapientiæ scriptum est quia *stultus ut luna mutatur* [42]. Et in eodem legis, quod *præcordia fatui* sicut *rota* plaustri, *et quasi axis versatilis cogitatus illius* [43]. Ætas provectior animum tuum maturitate aliqua debuerat stabilisse. Porro *si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas;* et animus tuus poterit gravitatem vitæ maturioris indure [44]. Ideo et verba mea dolore sunt plena. Cur sanctum et gloriosæ opinionis ordinem Carthusiensem prævaricando depravas? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi* [45]? Ibi sane inveneras locum pœnitentiæ, secretum solitudinis, pacem B animæ, contemplationis arcanum gaudium in Spiritu sancto, munus salutis, et efficax beneficium medicinæ. Verum manna cœleste fastidiens, et suspirans ad ollas carnium, domum illam appetis, quæ desiderio tuo satisfaciet, quæ tibi delicatius et indulgentius ministrabit. Ideoque tumultum frequentiæ popularis, silentio, et solitudini anteponis sollicitudinem, licet noveris scriptum esse, quia qui jugum Domini accipit, sedere debet solitarius et tacere [46]. Hoc in ordine Carthusiensi causaris et arguis, quod singulis diebus missas non faciunt (12), atque hujus religionis aut potius superstitionis obtentu

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(12) Ut eos culpa non eximerem, qui nimio antiquitatis studio quidquid hac ætate temporum ratio in Ecclesiæ ritus et disciplinam invexit, quantumvis leve et minime periculosum, continuo damnant et repudiant; sic non sunt ferendi, qui hodierna consuetudine ita omnia metiuntur, ut, quod nunc fit, fieri semper debuisse contendant, et quæ ab antiquis sanctissime et sapientissime instituta et frequentata sint, si jam in desuetudinem abierint, aspernari ac contemnere non verentur. Atqui ii, quam non pauci! unica jam fere regula invalescens usus. Exemplo sit auctor quidam Æthiopicæ historiæ, qui inter Abyssinorum errores recensendos morem illum jejunii ad vesperam usque producendi annumerat, cum tamen hæc jejunandi ratio sanctissima, a sanctis Patribus tradita, et servata multis in Ecclesia sæculis viguerit; ea vero quæ nunc usu recepta est, quam solam auctor ille velut ab Ecclesio receptam agnoscit, remissum plane et infractum vigorem antiquum D præ se ferat.

Ex eodem fonte fluit, quod cum nunc sit in more positum, ut qui Christianam pietatem majori studio profitentur, tremendorum altaris mysteriorum frequentius participes sint, alienum a pietate videatur aliam viam insistere. Hanc esse Busæi mentem haud dubium est, ei qui hæc illius verba leget, quibus antiquam Carthusianorum consuetudinem censura perstringere videtur. « Communis, inquit, theologorum sententia est, rectius laudabiliusque facere pios sacerdotes, qui ex amore Dei quotidie missæ sacra faciunt, quam qui ex reverentia ab iisdem abstinent, » etc. Antequam expendatur hæc quæstio, animadvertendum est, non sincera fide, C rem de qua agitur ab hoc auctore proponi. Nemini quippe dubium est, quin ille sit in sublimiori virtutum gradu constitutus, qui quotidie summo quodam charitatis ardore ad eucharistiam accederet, quam qui solo timore, non amore, aut illo tenui, se duci sentiens, raro se divinæ mensæ sisteret: sed hoc agitur, an duorum qui sint in charitate pares, humilis unius reverentia illum a frequentiori communionis usu deterrens, alterius sæpe communicantis zelo postponi debeat. Non longe petenda quæstionis hujus solutio; plena quippe et integra ex sancto Augustino, suppetit loco ab ipsomet Busæo laudato.

Augustinus, qui Zachæum, licet domi Christum exceperit, centurioni præferendum negat, qui se tam divino hospite indignum pronuntiavit: « Ambo, inquit, Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat; sic in ore uniuscujusque Christiani quomodo sumatur æstimandum est: nam et ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ulto die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. » Certa ergo et constans regula est perfectionis gradum ex amore, timore, reverentia erga Christum censendum esse: et si qui sint in his virtutibus pares, invicem præferri non debere, non unum præ alio ad perfectionem potius perventurum dici posse sive frequentius, sive rarius ad sacram mensam adeat, modo absit divini illius cibi fastidium. Ita sane animatam esse Ecclesiam dubitari

[32] Jer. 3. [33] Jer 2. [34] Rom. 9. [35] Gal 3. [36] Isa. 33. [37] Job 30. [38] Jer. 4. [39] Job 7. [40] Psal. 34. [41] Thren. 1. [42] Eccli. 27; Eccli. 33. [43] Jer. 13. [44] Jer. 8. [45] Thren. 3. [46] Eccli. 19.

tuum machinaris egressum. Tuæ litteræ faciunt te insanum. Sed juxta verbum Sapientiæ : *Melior est homo minoratus sapientia et sensu deficiens in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Domini* [47]. Scis, quia monachorum Pater, et sacri ordinis institutor, nec etiam sacerdotii gradum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

non potest, cum tot sanctos monachos, qui rarissime communicabant, nunquam eo nomine reprehenderit ; nec eorum pietati vulgi consuetudinem sæpius altaris mysteria frequentandis anteponere in mentem ipsi venerit, ut nec, hujus temporis Carthusianos, quacunque demum pietate polleant, antiquis ejusdem ordinis Patribus, qui infrequentius offerebant, sanctiores quispiam judicaverit.

Scio communionem corporis Christi remedium esse necessarium, quo nostra adjuvetur, et sustentetur infirmitas, et cor ardore charitatis ignescat. Quid enim aliud sine illo, quam terra sine aqua sumus ? Sed si illud ea qua par est pia animi dispositione receperimus, una communio instar plurium erit : non enim in hujus frequentatione mysterii perfectionem nostram sitam esse arbitrandum est, certior ad eam est via, si ejus, quo Ecclesia regitur, spiritus legibus et nutu vivimus : ab eo quippe totus communionem nostrarum fructus exspectandus est, qui tametsi raro communicemus, quidquid inde gratiæ sperare possumus, nobis abunde largiri potest. Verum quidem est religiosum aliquem, qui communi sui cœnobii instituto et lege ad frequentiorem communionem impelleretur, in culpa fore, si morem ab aliis usitatum sequi recusaret ; id enim, si peculiaris aliqua et gravis ratio non obstet, indicum est animi proprio nutu vivere volentis, et aliam ab ea quam cum aliis utiliter sequi poterat, viam affectantis.

Sed pari ratione laudandi non essent alii, qui contrariam alterius monasterii consuetudinem ægre ferentes, sæpius sibi quam cæteris, eucharistiam dari vellent, quod nonnisi ex zelo præpostero et fallaci pietate, aut occulta superbia proficisci posset, et pœna dignam temeritatem argueret. Ergo quod in alia rescripsit Paulus : *Qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV).

Tam solemni lege a Christo jubemur ad communionem accedere, ut qui non obsequitur, reus sit procul dubio violati præcepti, et immensam illam charitatem, quæ divinum illud præparavit alimentum, contemnere convincatur. Cæterum sæpius an rarius tam sancta mysteria sumendi ratio ab Ecclesiæ usu et disciplina peti debet, quæ illam ex majori filiorum suorum utilitate præscribit. Nostrum est obsequi, et quidquid jusserit implere. Si ea, quæ Christiani nominis ratio poscit fideliter servaverimus, si unicum nobis studium est Christum sequi, ac per hoc ad suscipienda quotidie altaris mysteria ea qua decet sanctitate parati simus nihil amplius nobis est satagendum, quam ut Ecclesiæ normam sequamur, et communionem frequentiam ex eo quod profitemur religiosæ vitæ instituto, aut prælatorum qui intimam animi nostri dispositionem norunt, arbitrio pendere sinamus.

Scio posse contingere, ut qui communionem differt, talem se præstare negligat, qualem, ut divina mysteria digne suscipiantur, esse decet : vix est enim, ut, qui raro ad Christum accedit, si in Christum ut decet animatus. Hinc minor sui custodia ; liberior et minus circonspecta conversatio, dum nulla communicandi necessitas nos ad eam sine qua conscientia tam sancta mysteria usurpare non sineret, cautelam adigit : nempe hoc in primis cavendum est, iis qui infrequentius ad altare accedunt. Fateor sane, non id poscunt Ecclesiæ leges, ut quotidie communices ; at si saluti consulere vis, ita te jubet quotidie vivere Christus, ut quotidie communicare dignus sis ; si ergo eo animo communionem differs, per bona interim opera parationem te exhibeas, ita vitam instituere debes, ut quidquid agis, quidquid oras, quidquid toto vitæ tenore contingit, digniorem te in dies præstare queat.

Contra vero tremendum est iis, si sæpius ad eucharistiam accedunt, ne consuetudine ducantur, ne perfunctorie, et non ea qua decet animi attentione tam sanctis mysteriis participent : ne magis communicare quam digne communicare satagant ; denique ne minus sancti rem omnium sanctissimam peragant. Meminerint quamtumvis frequenter ad Deum accedatur, in spiritu et veritate, et perpetua cordis novitate semper accedendum esse.

Quod si utrique in via a Christo sibi parata, quantum fieri potest, progredi satagant, tametsi in agendi ratione dispares eumdem in Christo spiritum, eamdem gratiam, eamdem misericordiam consequentur. Sed hæc sapientoribus discutienda relinquo, uniuscuisque in suo sensu abundet.

Quod autem ad historiam spectat, certum est Carthusianos, quos Joannes Sarisberiensis in *Polycratico* vocat *accuratum absolutæ religionis exemplar*, rarius sacrificasse. Et quidem quod in primordiis istius ordinis hoc in more positum fuerit manifestant ipsamet statua ; quod et ipsæ Busæus admittit.

Guibertus abbas de Nongento, qui floruit tempore S. Brunonis, lib I *De Vita sua*, cap. 11, ubi Carthusiensium mores et instituta prosequitur, inter alia hæc scribit : « Missas, nisi fallor, Dominica et solemnibus audiunt. »

Petrus Cluniacensis S. Brunone paulo recentior lib. I *De miraculis*, c. 28, ubi in sanctissimi ordinis laudes excurrit, ita loquitur : « Festivis tantum diebus antiquorum eremitarum æmulatione, ne ab aliis sacris operibus licet dignitate inferioribus impediantur, salutare omnipotenti Deo pro salute sua ac mundi, sacrificium offerunt, » et postea : « Sacris diebus, qui singulari privilegio a Domino vel ejus resurrectione Dominici dicuntur, ac ipsius vel sanctorum ejus solemnitatibus missas celebrant. » Petrus Cantor qui centum fere annis post. S. Brunonem scripsit, eadem propemodum habet capite 28 Verbi abbreviati : « Si sanctus ordo Carthusiensium in holocaustum hic etiam oblatorum a Deo, a labe mundi per abstinentiam et macerationem carnis purgatorum, et jam volantium super pennas ventorum, nonnisi in festis et profestis spirituali officio intitulatis audet conficere, quomodo peccator sacerdos audes, » etc.

Neque est quod hanc consuetudinem apud Carthusianos non amplius in usu esse contendat Busæus, cum etiamnum apud ipsos in solemnioribus festis unica tantum missa celebretur, in qua omnes etiam sacerdotes communicant.

Verum neque hoc solummodo apud Carthusianos, sed et apud omnes fere religiosos, qui ante 400 annos, in Ecclesia floruerunt, hanc eadem consuetudinem rarius sacrificandi viguisse notum est apud omnes. Unicum proferam S. Francisci exemplum ex litteris, quas ipse scripsit ad sacerdotes ordinis sui, quæ vulgo *Testamentum S. Francisci* nuncupantur, et habentur tomo XIII Bibliotheca SS. Patrum editionis Coloniensis. Sic autem loquitur : « Moneo et exhortor in Domino, ut in locis

[47] S. Benedictus.

attigit, experque missarum multo tempore, etiam A in die Paschæ, utrum paschalis esset solemnitas ignoravit. Paulus primus eremita, et Antonius, Petrus et Paulus apostoli, atque cæteri, quorum laus est in Evangelio, non leguntur singulis diebus salutis hostiam immolasse [48]. Frequentia contemptum parit, et ex ipsa raritate crescit reverentia sacramenti. Peccamus quidem assidue, et ubi continuantur peccata, continuum oportet esse peccati remedium; verumtamen mundi pretium inappretiabile, communemque humanæ salutis hostiam nisi in spiritu humilitatis, et corde contrito immolare non licet. *Mors in olla est* [49], nisi Elisei farinula condiatur. Olim omnia, quæ certis temporibus afflicta non erat, exterminabatur de populo suo [50]; nec celebrabatur agni paschalis sacrificium, nisi in B amaritudine agrestium lactucarum [51]. Magnum est sacramentum, et nunquam nisi corde contritio et humili est celebrandum. *Magnum* est, dicit Apostolus, *sacramentum hoc pietatis, manifestatum quidem in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum in gloria* [52]. Teste Ambrosio [53], nunquam nisi puro corde et mundis manibus et contritione devota offerenda est hostia, in qua est salus mundi. Tua vera sententia est, ut tibi Christum incorpores singulis diebus, *non dijudicans corpus Domini* [54]. Propter hoc *multi* sunt *imbecilles et dormiunt multi* in peccatis [54*]. Verbum Sapientis est: *Cum sederis ad mensam divitis, appone cultrum gutturi tuo* [55], ut inter cœlestes cibos et laicos sive communes C devota veneratione discernas. Vide, ne Dominus dicat de te: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa* [56]. Et illud: *Dederunt in escam meam fel* [57]. Prohibet siquidem Dominus, ne de agno paschali comedat advena vel immundus [58]. Nec ponendus est Christus nisi *in sindone munda, et in monumento novo* [59]; quia panis vitæ non est recipiendus, nisi conscientia munda et corde sincero. Hostia enim indigne accepta suscipientem damnat, non salvat; inquinat, non emundat. Propheta enim dicit: *Quid est quod dilectus meus fecit scelera multa in domo mea? nunquid carnes sanctæ auferent malitias ejus, in quibus gloriatus est* [60]? et alibi: Tu qui credis mundari per hostias, scito quod non mundaberis, sed amplius pollueris. Tamen, ne in domo tua fieres scandali D generalis occasio, ut obstrueretur *os loquentium iniqua* [61], tibi fraterna charitas singulis diebus offerre hostiam speciali devotione indulsit. Sciens itaque et prudens vitam declinas, et festinas in mortem, atque *ad excusandas excusationes in peccatis* [62], nullam de cætero poteris prætendere rationem. Si attendas domum Carthusiensem, quam relinquere desideras, consideres unde venias, aut quo vadas. Hierusalem pro Babylone, terram promissionis pro Ægypto, pro exsilio patriam, cœlum pro inferno, quietem et pacem pro labore et miseria derelinquis. Domus siquidem Carthusiensis et locus habitationis illius situs est in montibus et scopulis, et in petris, ut sit potius habitatio angelorum, quam hominum, ad dandam Altissimo vocem confessionis et laudis, sicut scriptum est: *Super ea volucres cœli habitabunt, et de medio petrarum dabunt voces* [63]. Sed et *columba* nidificat *in foraminibus petræ* [64]: et vir prudens ædificat *domum suam supra petram*, ubi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluviarum inundatio, nec alluvio formidatur [65]. *Vere terribilis est locus iste, nec est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli* [66]. Et licet domus illa sit in terra *horroris et vastæ solitudinis* [67], nominatissima tamen est in observantia religionis et ordinis. In omnem terram per gratiam Dei exivit fama ejus, et in fines orbis terræ suæ odorem suavitatis effudit [68]. Plantatio enim Dei est, et vinea Domini Sabaoth. Ideoque jam excrevit in immensum, et multiplices fructus fecit. Vide, si jam non *operuerit montes umbra ejus*; si non extendit *palmites suos usque ad mare*, et usque in Angliam *propagines ejus* [69]. Tu vero docuisti linguam tuam mendacium, ut inique ageres, sanctæque domus ordinem depravares. Scriptum est, quia *spiritualis homo omnia dijudicat, et ipse a nemine judicatur* [70]. Tu vero, cum sis carnalis homo, et venundatus sub peccato spirituales viros judicas, et in animæ tuæ dispendium domum sanctissimam scandalizas. Ad exemplar siquidem domus illius, de qua scriptum est: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* [71], habet hic unusquisque cellulam et mansiunculam suam, ut contemplationi et orationi liberius vacet. Sic enim in schola evangelica Veritas nos informat dicens: *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et, clauso ostio, ora Patrem tuum* [72]. Solitudinem hujus cellulæ Propheta elegerat, qui, sicut ipse commemorat, *similis factus est pelicano solitudinis, et sicut passer solitarius in tecto* [73]. *Elongavi*, inquit, *fugiens, et mansi in solitudine* [74]. Qui Rachelis amplexus, et delicias contemplationis affectat, juxta verbum Job, *contemnit multitudinem civitatis, et vocem exactoris*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

in quibus morantur fratres, una tantum celebretur missa in die, secundum formam sacræ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint sacerdotes, sic sit amore charitatis alter contentus audire celebrationem sacerdotis alterius, quia absentes et præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Jesus Christus, » etc.

---

[48] Greg. *Dialog.* l. II, c. 1. [49] IV Reg. 4. [50] Levit. 23. [51] Exod. 12. [52] I Tim. 3. [53] *In orat. ante miss.* [54] I Cor. 11. [54*] Ibid. [55] Prov. 23. [56] Luc 22. [57] Psal. 68. [58] Exod. 12. [59] Matth. 27. [60] Jerem. 11. [61] Psal. 62. [62] Psal. 140. [63] Psal. 103. [64] Cant. 2. [65] Matth. 7. [66] Gen. 28. [67] Deut. 32. [68] Psal. 18. [69] Psal. 79. [70] I Cor. 2. [71] Joan. 14. [72] Matth. 6. [73] Psal. 101. [74] Psal. 54.

non audit [75]. Unde et Jeremias: *Quis dabit me in solitudinem? aut in diversorium viatorum* [76]? si affectares vacare tibi, et appeteres scribere, orare, legere, meditari et psallere, nunquam civitatem eremo, nunquam sollicitudinem solitudini prætulisses. Nunc manifestissime liquet quid multis diebus in corde tuo nutrieris; diu dissimulasti, ac sub taciturnitate suspecta concepisti dolorem, et peperisti iniquitatem [77]. Juxta verbum Prophetæ: *Ova aspidum eruperunt; qui comederit de ovis morietur: et quod confotum est, erumpet in regulam*. Nocuit priori tuo quod te nimis familiariter et blande tractaverat, atque de ipsius humilitate superbiam concepisti. Egisset prudentius, si cervicem onerasset insolentem, et se in multis erga te austerius habuisset. Scripturum est in libro Sapientiæ, quia *malitiam otiositas* docet [78], servumque inclinant operationes assiduæ [79]. Et item *Servo malevolo debentur compedes, et tortura, ne vacet* [80], Adhuc replico, quia scienter et prudenter in interium animæ et famæ periculum, te devolvis, Scriptum quippe est: *Qui amat periculum, in illo peribit* [81]. Non est religiosorum sapientia, ubi eam venaris et quæris: non enim invenitur in terra suaviter viventium. Viam vitæ perfectioris aggressus es, sed cito emarcuit religio tua, *quasi vinea in primo flore, et quasi botrus projiciens flores suos* [82]. Vix adhuc mustum eras, quando corruptus es in acetum.

Si per longam experientiam didicisse ordinis illius dulcedinem, sapientius cogitasses. Nam testimonio Sapientiæ, *vir in multis expertus cogitabit prudentiam, et qui multa didicit, proferet intellectum* [83]. Possum tibi dicere, quod Apostolus Timotheo: *ab infantia sacras litteras nosti, quæ te poterant ad salutem instruere* [84]. Sed, sicut idem loquitur ad Hebræos. *Cum deberetis* inquit *magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut ad vos doceamini, et facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo* [85]. In legibus et decretis quandoque te habui conscholarem, sed te infatuavit is, qui juxta verbum Job adducit consiliaros in stultum finem, et judices in stuporem [86]. Et unde hoc tibi, ut recedas a loco cui te, religionis voto, et stabilitatis vinculo obligasti? Disce, quæso, negotiari caustius, ne tunc pœnitere incipias, quando non erit pœnitudinis locus. Hoc apud te deliberasse debuaras, antequam arbitrio alieno tuam subjiceres voluntatem: prius enim in potestate tua erat, declinare Domini servitutem. In manu consilii tui eras, tibique boni et mali, ignis et aquæ vitæ et mortis erat oblata discretio. Porro nunc voti vinculo necessitati astrictus es; et exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Quid, quæso, tibi defuit, quandiu cum Carthusiensibus eras? Incrementum non exigit quod satis est; opem extrinsecam sufficientia non mendicat, et abjectione non indiget plenitudo. *Nunquid*, dicit Job, *rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos* (non enim volo *mortem* peccatoris, *sed ut convertatur et vivat* [87]) *cum ante plenum præsepe steterit* [88]? Brutorum animalium natura te damnat quia cum eis pabulum commune sufficiat quiescunt. Ex adipe prodiit iniquitas tua, quem post labores studiorum et scholares angustias otiositas instabilem fecit, et sufficientia contumacem. Nam et poetæ testimonio:

Luxuriam animi rebus plerumque secundis.
Nec facile est æqua commoda mente pati [89].

Ferrem patientius, si ad Cisterciensis ordinis observantiam te transferres. Si enim in proposito religionem habes, tibi probatissima religionis schola est, summus ibi modestiæ usus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obsequala, disciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis servitus, hospitalitatis exhibitio, lugendi libertas, nocturnæ excubiæ, quies meditationis, devotio psalmodiæ. Quid, quæse, dulcedinis aut devotionis invenies apud eos, quibus versa est in nauseam murmurosa atque confusa iteratio et farsura psalmorum Paulus dicit: *Psallamus spiritu, psallamus et mente* [90]. Si psallentibus non adsit devotio, licet eumdem psalmum millies repetant, non est hic psalmus *jucunda decoraque laudatio* [91]. Doctrina Salomonis est: *Filii, ne iteres verbum in ore tuo* [92]. Cumque alibi dicat: *Omnis labor hominis in ore ipsius* [93], vereor ne hoc eis nimis periculose aptetur, *labor labiorum ipsorum operiet eos* [94]. Ephraim puer delicatus est [95]; scioque quod carnis deliciæ te a spirituali studio retraxerunt. Te inter conversationis tuæ primitias forsitan terruerunt inexperta vitæ asperitas, rigor ordinis, lex obedientiæ, solitudinis terror, et præ omnibus austeritas disciplinæ. Sane disciplina unica est clavis innocentiæ, religionis anchora, custos ordinis, et per quam specialiter motus animi revocatur a malo, et stabilitur et bonum: cum Propheta nos moneat apprehendere disciplinam [96]. Apostolus Prophetæ succinit et concordat: *Si estis*, inquit, *extra disciplinam, ergo adulteri estis* [97]. Certus es quod egressio tua multis scandalum generabit. Scriptum est autem generaliter, nec ullus excipitur: *Væ homini, per quem scandalum venit* [98]. Esses excusabilis, si ex simplicitate delinqueres, sed studiose hoc agis, *ut tua iniquitas inveniatur ad odium* [99]. In Exodo primogenitum asini vel interficitur, vel ove redimitur [100]; in quo datur intelligi, quod cuilibet religioso viro

—

[75] Job. 3. [76] Jer. 9. [77] Psal. 7. [78] Isa. 59. [79] Eccli. 33. [80] Ibid. [81] Eccli. 3. [82] Job. 15. [83] Eccli. 34. [84] I Tim. 3. [85] Hebr. 5. [86] Job 12. [87] Ezech. 33. [88] Job 6. [89] Ovid *De art. aman.* [90] I Cor, 14. [91] Psal. 146. [92] Eccli. 7. [93] Eccli. 6. [94] Psal. 139. [95] Jer. 31. [96] Psal. 2. [97] Hebr. 12. [98] Matth. 18. [99] Psal. 35. [100] Exod. 13.

divina animadversio intentatur, si pigritiam vel defectum boni operis animi simplicitate non redimat. Quid expediat tibi, tu videris. Sed, ut verbum Apostoli exhortationi nostræ accommodem, si qua tibi consolatio est in Christo, si quod solatium charitatis si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis [1], imple gaudium meum, imple pollicitum quod fecisti, ne des animum tuum in exterminium, et in opprobium famam tuam. Fœdus amicitiæ contraximus ab antiquo, tuæque salutem animæ zelo et sitio in visceribus Christi, et *in charitate non ficta* [2] propterea tibi consulo, quod arbitror expediens et honestum. Novi, recentesque venerunt, qui te sollicitant ad egressum. Vereor autem ne apud te prævaleant in consilio rationi voluntas, et in amicitia novitas vetustati. Sapientia dicit, si tamen verbum Sapientiæ digneris audire : *Amicum non derelinquas antiquum, novus enim non erit similis illi. Vinum novum, amicus novus : veterascet, et cum suavitate bibes illud* [3]. Considera, quæso, juxta verbum prophetæ [4] semitas Themam. itinera Saba, et exspecta paulisper, ut habito maturiore consilio, superfluctuante animi tui statu fluxa vivendi remissio te colligationibus impietatis non occupet ad terrena. Sis quietus apud te, te in ea vocatione, qua vocatus es [5], negotio tuæ salutis constanter insistas. Sic ad Philippenses scribens Apostolus : *operam*, inquit, *detis, ut quieti sitis, et vestrum negotium peragatis* [6]. Et in prima ad Corinthios : *Fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Dei* [7]. Semper assuesce, quæso, jugo Domini : injice sicut, cœpisti, pedem tuum in compedes illius, et ne acedieris vinculis ejus [8]. Si quid grave, aut amarum in ordine Carthusiensi est, totum levigabit amor, totum charitas dulcorabit. *Charitas omnia suffert, omnia sustinet* [9]. Nihil difficile est amanti. Vides, quod omnis creatura vanitati subjecta est [10]. *In imagine pertransit homo* [11]. *Dies ejus sicut umbra prætereunt* [12] : totumque quod appetis, cito ad nihilum deveniet *tanquam aqua decurrens* [13]. Declina ergo vagos excursus, quos desideras, et antiquæ consuetudinis libertatem, ne in domo laxioris vitæ cum enormi famæ dispendio domum tibi ædifices gehennalem,

EPISTOLA LXXXVII.

AD WILLELMUM ELIENSEM (13) EPISCOPUM.

[C. A. D. 1191.]

ARGUMENTUM. — *Consolatur G. Eliensem episcopum proditione quorumdam turpissime dejectum administratione regni Angliæ, et graviter in perfidos consiliarios regum invehitur.*

Reverendo Patri, et domino WILLEMO Dei gratia Eliensi episcopo, regis Angliæ cancellario et apostolicæ sedis legato, PETRUS Blesensis Bathon. archid., salutem, et in adversitate constantiam.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(13) Appellabatur hic Willelmus a Longo-Campo, eratque regni cancellarius a Richardo rege post mortem Henrici patris constitutus, tum Eliensis episcopus consecratus. Et quoniam plurimum apud regem auctoritate et gratia valebat, ab ipso Richardo ad expeditionem Jerosolymitanam proficiscenti, supremus regni administer relictus est ; vir sane magnus, sed non ab omnibus approbatus. Neubrigensis lib. IV, Hist. Ang., cap. 11, vocat eum « hominem ferocis animi, et gloriæ cupidum. » Quippe qui ut regni, ita et Ecclesiæ summus moderator existeret, « et cum esset audaciæ astutiæ que singularis, inquit idem, cap. 14, gravi summa Romam transmissa, vices quoque apostolicæ sedis petiit, et tali intercessione facile impetravit. » Matthæus Paris. ad ann. 1190, de eo ita loquitur : « Erat idem cancellarius magnus inter omnes occidentales, rex et sacerdos in Anglia : qui omnia pro nihilo ducebat, cum episcopali tantum dignitate non contentus, nimis alta se sperare denotavit ; in prima namque litterarum suarum fronte vanitatem et elationem expressit, cum dixit : Willelmus Dei gratia Eliensis episcopus, domini regis cancellarius, totius Angliæ justitiarius, et apostolicæ sedis legatus salutem, » etc. « Has autem dignitates, quas pretio obtinuerat, immoderate excessu exercuit, volens locellos, quos in earum impetratione evacuaverat, reficere ; pecuniam suam distribuit ad mensam, ut iterum rediens cum usuris utique extorqueret illam. Nam legationis officium, quod mille fusis argenti libris acquisierat adeo immoderate peregit, ut omnibus Angliæ ecclesiis, tam conventualibus quam cathedralibus fieret onerosus, » etc. Eadem fere habent Radulfus de Diceto, et Joannes Bromton ad ann. 1190 et 1191. Qui omnes narrant qua ratione cancellarius Gaufridum Eboracensem archiepiscopum contra regis prohibitionem in Angliam venire conantem in carcerem detrudi curaverit, ipseque postea a malevolis et regno ignominiose pulsus fuerit. Verum hæc ab invidis attentatum fuisse manifeste elucet, cum ipse Willelmus post reditum Richardi regis (quem ipsius gesta latere non poterant) in pristinam ejus familiaritatem redierit, dignitati restitutus, omniumque regis consiliorum ad supremum usque habitum particepi effectus sit. Credamus potius Blesensi nostro, qui virum apprime noverat, in epistola 89 ad Hugonem episcopum Willelmo parum æquum, ne dicam invidum et malevolum, ubi Willelmum appelat « episcopum dilectum Deo et hominibus ; virum sapientem, amabilem, generosum, benignum, et mitem, et in omnes liberalitates effusum, » etc.

Nec prætereundum quod Cœlestinus III, summus pontifex, audita ipsius innocentia, injuriisque gravissimis, quas in illum adversarii conjecerant, litteras in ejus gratiam ad universos Angliæ, episcopos rescripserit, quæ habentur apud Baronium, ad annum 1191.

Cæterum cum a Richardo legatus ad summum pontificem cum episcopo Dunelmensi missus esset, in finibus Pictavorum ægritudine correptus diem obiit extremum, sepultusque est in monasterio de Pinu, ordinis Cisterciensis non longe ab urbe Pictavia anno 1197.

---

[1] Philip. 2. [2] I Cor. 6. [3] Eccli. 9. [4] Job. 6. [5] II Thess. 1. [6] Philip 9. [7] I Cor 15. [8] Eccli. 6 [9] I Cor. 13. [10] Rom. 7. [11] Psal. 38. [12] Psal. 143. [13] Psal. 57.

Super lectum doloris mei in infirmitate versabar, cum doloribus dolores accumulans intermeantium creba relatio nuntiavit quam proditorie, et quam maligne vestram supplantaverat innocentiam factiosa conjuratio invidorum. Ab ea die *sagitæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum* [14]. Idcirco ego gemens, et oculus meus deducens aquam, nullam invenit requiem compatientis affectus. Nam, ut verbo beati Job utar : *Si dormiero, dico, quando resurgam :* et, *rursus exspectabo vesperam, repleborque doloribus usque ad tenebras* [15]. Sane antequam cum domino rege Anglia exivissem, præsens eram, vobisque prædixeram, qualiter æmuli vestri jam contra vos arma iniquitatis in invidiæ fornace conflabant. Invidia est, quæ Christum in mortem tradidit. Invidia Cain armavit in fratrem, Saul in David, Joab in Abner et Amasam. *Per invidiam*, dicit Salomon, *mors intravit in orbem terrarum* [16]. Hæc est bestia saltus, quæ devoravit exercitum Absalon [17]. De illa Sapiens dicit : *Ne ambules, et ne comedas cum homine invido. Comede et bibe, dicet tibi, et mens ejus non erit tecum* [18]. In oculis tuis, dicit Ecclesiasticus, lacrymabitur, et quasi abjuvans suffodiet plantas tuas [18*]. Filius ille perditionis (14), qui nunquam posuit Deum adjutorem suum, sed confisus est in verbis mendacii, mel et lac habebat in ore, caudam vero scorpionis abscondebat in corde. Ipse et complices ejus, quorum os amaritudine plenum erat, qui os suum semper docuerunt loqui mendacium, linguis suis dolose agebant. Syrenes, usque in exitium dulces, eorumque nequissimam simultatem prudentia vestra deprehendere potuit, sed inter amicum et hostem prosperitas non distinguit. Vidi, vidi, reverendissime præsul, quando illi detractores Deo odibiles, illi venditores olei dicebant tibi : Euge, euge, humiliantes se nequiter, et in tuum exitium excubantes. *Est* enim *qui nequiter se humiliat*, dicit Ecclesiasticus, *et interiora ejus plena sunt dolo* [19]. Eos quidem domesticos et unanimes tibi fecerat linguæ meretricantis astutia ; nunc autem est *gladius in labiis eorum* [20]. Et in libro experientiæ legis, quia *inimici hominis domestici ejus* [21], sicut ignis in sinu, serpens in gremio, mus in pera suos remunerant hospites. Quam cito malignandi occasio se obtulit, ut verbo Isaiæ utar : *Ova aspidum eruperunt, et quod confotum est in eis erupit in regulum* [22]. Si animicus tuus maledixisset tibi, sustinuisses *utique*, nunc autem homo pacis tuæ, qui edebat panes tuos tecum ambulans cum consensu [23], *magni-*

A *ficavit super te supplantationem* [24]. Sicut homo bonum vinum primum ponit : cum autem inebriati fuerint, tunc id quod deterius est [25], sic supplantatores impii post vinum adulatoriæ lenitatis propinaverunt tibi vinum de suburbanis Gomorrhæ, venenum aspidum insanabile. Et te quidem, Pater, usu et convictu novisse credideram illud semen Chanaan, genimen viperarum : generatio enim prava est, et exasperans, et quæ nunquam direxit cor suum, nec est rectus cum Deo spiritus ejus [26]. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas* [27], et isti, qui quasi aquam biberunt iniquitatem ab adolescentia sua, poterunt oblivisci malitiæ, quam a parentibus contraxerunt. Verbum Salomonis est : *Si impium contuderis in pila quasi* B *ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo nequitia ejus* [28]. Heu, heu, ubi est timor Dei ? Ubi memoria mortis ? Ubi gehennæ terror ? et horribilis illa exspectatio tremendi judicii ? Quomodo filium illum plorationis æternæ non revocavit a tanto scelere vinculum fidei, tot beneficiorum memoria, tanta fœderis promissio et obligatio juramenti ? Sane juxta Jeremiæ verbum, frons meretricis facta est ei, noluit erubescere [29], obduruit in malitia cor illius, et adhuc manus ejus extenta. Domine Jesu Christe, qui es amator veritatis aut potius amor et veritas, quomodo diminutæ sunt veritates a filiis hominum [30] ? *Corruerunt in plateis*, dicit Isaias, *veritas et justitia* [31]. Et Osee : *Non est veritas, non est misericordia in terra: Maledictum et menda-* C *cium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* [32], ideo *maledictus, qui confidit in homine* [33] : pravum enim est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud ? Sophisticæ dilectionis faciem tibi prætendebat æmulus, et de cœnosissimo lacu conscientiæ jam scatebant exhalationes inferni, ventus urens, aer pestilens, et aura corrumpens. Porro testimonio Job, si ascenderit in cœlum iniqui superbia [34], quasi sterquilinium in fine perdetur : transibit enim sicut visio nocturna, et invenient eum mala quæ fecit. Verbum Salomonis est : *Semper jurgia quærit homo perversus, angelus autem malus contra eum mittetur* [35]. Habe igitur, Pater, sustinentiam, et in opus fortitudinis te accinge. Si enim in spiritu mansuetudinis hæc sustineres, propter mansuetudinem et justitiam tuam, liberabit et exaltabit te, qui arguit pro D mansuetis terræ, et exigit mansuetos in salutem. *Qui afflictus et humiliatus est*, dicit Job, *erit in gloria* [36]. Et tu quoque frequentius psallas et dicas : *Bonum mihi, Domine, quia humiliasti me* [37]. *Tanquam aurum*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(14) Videtur esse Hugo Conventrensis episcopus, ad quem scribit epist. 89, qui nempe contra cancellarium a partibus comitis Moritonii res in Anglia, absente rege fratre, turbantis steterat. De eo plenius infra ad epist. 89.

---

[14] Job 6. [15] Job. 7. [16] Sap. 2. [17] II Reg. 18. [18] Prov. 23. [18*] Eccli. 12. [19] Eccli. 19. [20] Psal. 58. [21] Mich. 7. [22] Isa. 59. [23] Psal. 59. [24] Psal. 40. [25] Joan. 2. [26] Psal. 77. [27] Jer. 13. [28] Prov. 27. [29] Jer. 3. [30] Psal 11. [31] Isa. 59. [32] Osee. 4. [33] Jer. 17. [34] Job. 20. [35] Prov. 17. [36] Job 22. [37] Psal. 118.

in fornace probavit te Dominus [38]. Non est enim Jacob, quem Esau non persequitur : nec est Abel quem Cain malitia non exercet. *Justus septies cadit in die, fortiorque resurgit* [39]. *Multæ enim sunt tribulationes justorum* [40]. *In sex tribulationibus*, dicit Job, *liberabit te Dominus, et in septima non tanget te malum* [41]. Non deseras, quæso, patientiam : *patientia* enim *justorum non peribit in finem* [42]. *Non te moveant opprobria exprobrantium tibi* [43], quia testimonio Scripturæ, *non contristabit justum* quidquid acciderit ei [44]. Docent nos exempla majorum, quia viri magnanimi fortitudo gravioribus injuriis lacessita grandescit. Nihil arduum, nihil magnum est magno viro : nec timendum est ei quidquam esse difficile, cum soleat difficultas ex solo timore procedere. Si rei familiaris dispendia, jacturamque et pressuram tuorum ægre sustines, recole verbum Apostoli ad Hebræos : *Spectaculum*, inquit *opprobriis et tribulationibus facti* [45] rapinam bonorum nostrorum recepimus cum gaudio, cognoscentes nos habere meliorem et manentem substantiam. Erit, erit, quando « hæc meminisse juvabit. » Erit, quando respondebis exprobrantibus tibi verbum. Erit, quando cum gratiarum actione cantabis et dices : *Ostendisti mihi*, Domine, *tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti nos* [46]. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* [47]. *Lampas*, ait Job, *contempta apud cogitationes divitum, parata erit ad tempus statutum* [48]. Hæc omnia *peccator videbit et irascetur* [49] ; te enim oportet crescere, ipsum autem minui. Princeps quidem, quæ digna sunt principe cogitabit, et ex tua restitutione plenior et exuberantior gloria subsequetur. Tunc videbis et afflues, quia tuis remetieris in mensura, qua mensi sunt tibi. *Tuli*, dicit Dominus per Isaiam, *calicem indignationis meæ de manu tua : non adjicies, ut bibas illum ultra : et ponam illum in manu illorum qui te humiliaverunt* [50]. *Deus* enim, dicit Job, *non abjicit potentes, cum ipse sit potens* [51], sed *causas intuebitur singulorum* [52]. Scio quia faciet Dominus *de persequentibus* te *judicium* [53] ; *reposita est hæc spes mea in sinu meo* [53*]. Exspecto, ut juguletur Goliath gladio, quem paraverat in mortem David [54] ; et Aman puniatur in cruce quam paraverat Mardochæo [55]. Tua vero circumspectio, Pater, de cætero fidem diligentius examinet singulorum, quos decreveris admittendos in tuæ familiaritatis sacrarium. Nam sicut in Ecclesiastico [56] legis : *Amico fideli nulla est* æstimatio, *et non est* ad comparationem illius *ponderatio argenti et auri*. — *Causam tuam*, dicit Salomon, *tracta cum amico tuo, et consilium tuum extraneo ne reveles* [57]. Et Ecclesiasticus [58] *Non credas inimico tuo in æternum, quia sicut æramentum semper æruginabit nequitia illius*. Bene et diu valeas, benignissime Pater. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat* cor et intelligentiam vestram [59], ut serviatis in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus tuis. Ego autem ad dominam reginam (15) me contuli, donec videam ultionem de inimicis tuis, et in statum pristinum cum gloria et honore revertaris.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD ABBATEM THEOKESBERIENSEM (16).

ARGUMENTUM. — *R. archiepiscopus Cantuariensis Theokesberiensem abbatem rogat, monet, multisque rationibus impellit, ut monachum ordinis desertorem, sed jam resipiscentem, in ordinem recipiat.*

Dei gratia Cantuar. archiepiscopus, totius Angliæ primas, et apostolicæ sedis legatus, dilecto filio THEOKESBERIENSI abbati, salutem in visceribus misericordiæ et spiritu pietatis.

Miserabilis ac deploranda conquestio P. latoris præsentium commovit viscera nostra, et ad hoc efficaciter nos induxit, ut de ejus salute solliciti simus ac perditionem illius nobis imputemus de cætero, nisi salutem ipsius cum exacta diligentia procuremus. Verum est, nec inficiari vult, aut potest, quod in ecclesia vestra religionis habitum sumens tandem votum professionis emiserit ; sed a stabilitate, quam promiserat damnabili levitate resiliens, de cibo ad vomitum, de cœlo in cœnum, de paradiso in infernum, de claustro ad sæculum revolavit. Quærenda erat errabunda ovis, ac pastorali diligentia reconcilianda ovili, si fugeret, si sanctorum congregationem, si virgam disciplinæ, si jugum Domini detrectaret. Porro qui vitio levitatis egressus est, devota humilitate regreditur, ac per abjectioris habitus vilitatem, et lacrymas uberiores sui crimen exitus redimit et compensat. Non ergo præcludatur ei sinus misericordiæ, ne desperet. Scitis quia majus *gaudium* est angelis Dei *super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* [60]. Nam et capra, quæ peccatoris imaginem gerit in ostio tabernaculi immolatur ; cum ovis longe a tabernaculo jubeatur offerri [61]. *Misericordiam*, inquit Dominus, *volo, et non sacrificium* [62]. Non enim volo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat [63]. De throno et coæqualitate Patris de-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(15) Eleonoram matrem Richardi, quam regni sui administricem cum cancellario reliquerat.

Scripta est hæc epistola anno 1191, quo ex Anglia invidorum factione exire compulsus est Willelmus Eliensis.

(16) Theokesberiense monasterium in Anglia, in provincia Wigorniensi situm est ex Malmesburiensi l. IV. *De gestis pontificum Angl.*, qui et addit : « Theokesberia dicitur quasi Theotocosbiria, id est, Dei Genitricis curia, vocabulo ex Græco et Anglico composito. »

[38] Sap. 3. [39] Prov. 24. [40] Psal. 33. [41] Job 5. [42] Psal. 9. [43] Psal. 68. [44] Prov. 12. [45] Hebr. 10. [46] Psal. 70. [47] Psal. 93. [48] Cap. 12. [49] Psal. 111. [50] Isa. 51. [51] Job. 35. [52] Job. 36. [53] Psal. 118. [53*] Job. 19. [54] I Reg. 17. [55] Esther. 7. [56] Cap. 6. [57] Prov. 25. [58] Eccli. 12. [59] Phil. 4. [60] Luc. 15. [61] Lev. 3. [62] Ose. 6. [63] Ezech. 18.

scendit Altissimi Filius in hanc vallem plorationis, et conditionis humanæ miseriam, ut ovem centesimam reportaret ad caulas. Cum pauperes in necessitatibus suis adire soleant divitem ac potentem; venit omnipotens ad infirmos, dives ad pauperes, beatus ad miseros. Non exspectavit, ut ad eum veniremus; quos prævenit in benedictionibus dulcedinis suæ. Si ejus imitator, aut filius esses, ovis errabundæ regressum, et pœnitentiam non oportuerat exspectare; sed eam sollicitudine pastorali quærere, ac salutaribus monitis ab errore et invio ad vitæ semitam revocare; salus enim illius et mors de tuis manibus a districto et terribili Judice requiretur. Ad laboris itaque compendium tibi cessit, quod regressus est, quod januam pulsat, quod suum confitetur excessum, quod devote et humiliter misericordiam petit, quod omni satisfactioni secundum usum et Regulam B. Benedicti se offert [64], quod judicium a misericordia non excludit. Misericordiam quam monastici ordinis institutor ad ternarium numerum coarctavit, evangelicæ mansuetudo gratiæ septuagies septies ampliavit. Ideoque sanctorum testimonio satius est, ut pro exuberanti misericordia, quam pro exacto rigore justitiæ judicemur. Si cecidit, Domino dante, adjiciet ut resurgat. Si peccavit, et nos omnes peccavimus, et egemus gratia Dei. *Blasphemus fui*, dicit Apostolus, *sed misericordiam consecutus sum; ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* [65] Quis in sæculo peccavit enormius Paulo? quis in religione gravius Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum peccatorum veniam, non solum ministerium fidei, sed magisterium sanctitatis. Dominus in Evangelio dicit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me; nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui sum misertus* [66]? Ubi est vinculum Dominicæ orationis, aut potius obligationis, qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* [67]? dimittite, inquit et dimittetur

A vobis: quod *si non dimiseritis*, ex corde *nec Pater* meus cœlestis *dimittet vobis* [68]. Paulus ad Ephesios scribens, dicit: *Omnis amaritudo et indignatio tollatur a vobis*, ut sitis *misericordes*, *donantes* commissa *invicem* [69]. Verbum Salomonis est: *Homo homini reservat iram, et in homine simili sibi non* servat *misericordiam* [70]. Jacobus [71] vero dicit: *Judicium sine misericordia illi* erit, *qui non fecit misericordiam*. Dicit Dominus per prophetam: *Misericordiam* volo, *et non sacrificium* [72]. Lege misericordiam Joseph in fratres suos [73], Moysi in populum incredulum ac rebellem, David in Saulem [74] et Absalon et Semei, et aliorum, qui fuerunt viri misericordes, et nullum eorum, aut aliorum, qui misericordiam fecerunt, invenies periisse [75]. Si deliquit B monachus tuus, humanum est de linquere; sed inhumanum atque diabolicum est, nec a peccato recedere, nec pœnitenti misericorditer indulgere. Culpa est totam persequi culpam. *Erubesce Sidon, ait mare* [76]. Audi et erubesce, Christiane, facta gentilium, qui in exhibitione misericordiæ celeberrimi erant. Audi et poetam [77]:

Tu piger ad pœnam princeps, ad præmia velox,
Quique doles, quoties cogeris esse ferox.

Memor esto misericordiæ, quam filio prodigo revertenti pater evangelicus legitur [78] impendisse, regressum filii gratanter admittas in visceribus pietatis. Nam si, quod absit! in hac parte te durum et inexorabilem exhibueris; nos justitiam in judicium, et misericordiam in necessitatem, non sine tuo fortasse dispendio, convertemus. Vale.

C

EPISTOLA LXXXIX.

AD HUGONEM (17) EPISCOPUM.

[A. D. 1192.]

Acriter in H. episcopum invehitur, quod præcipuus auctor fuerit, ut Willelmus episcopus Eliensis, per summam ignominiam officio administrandi regni Angliæ privaretur.

Quondam domino et amico H. Covent. et Cestrensi dicto episcopo, Dei memoriam et timorem.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(17) Hugo de Nunant, ex illustri Northmanniæ familia ortus: unde apparet errorem esse in Baronio ad ann. 1171, ubi appellatur Romanus pro Northmanno. Fuit autem Hugo primum academiæ Oxoniensis alumnus, tum ejusdem loci ecclesiæ archidiaconus, licet apud Rog. de Hoveden dicatur Lexoviensis, corrupte pro Oxoniensis archidiaconus, si Quadripartitæ S. Thomæ historiæ credimus, quæ eum inter familiares S. Thomæ Cant. arch. annumerando, hæc habet: « Post Girardum Hugo cognomento Datinant (corrupte pro de Nunant) natione Northmannus tunc archilevita Oxoniensis, pro juventutis suæ annis in consiliis discretus, et in agendis providus et strenuus in exsequendis, Girardo decretam universæ carni viam ingresso, ad Conventrensem sedem pontificatem evectus est. » Verum quam male sancti sui magistri mores imitatus si probavit eventus. Neque solus Blesensis pessimos ejus mores insectatur, sed et alii qui res Anglicas hujus temporis scripserunt. De eo sic Gervasius Dorobernensis, ad ann. 1187: « Erat in ne- D gotiis agendis acer ingenio, captiosus in verbo, promptus ad maledicendum ut timidos faceret, mollibus utens ut firmos subverteret. » Henricus de Knyghton lib. II. *De eventibus Angliæ*, ad an. 1189: « Hugo callidus homo et inverecundus, audax ad ausus improbos, litteratura audaciaque instructus, armata manu monachos Conventrenses expulit. » Habentur eadem ipsis omnino verbis apud Joan. Bromton ad an. 1191.

Ad hæc referunt omnes Hugonem, dum Richardus rex in vinculis imperatoris ageret, Joannis regis fratri res novas in Anglia molienti et regnum occupare conanti adhæsisse, ejusque consilio, et

---

[64] Reg. 24. [65] I Tim. 1. [66] Matth. 18. [67] Matth. 6. [68] Ibid. [69] Ephes. 4. [70] Eccli. 28. [71] Cap. 2. [72] Ose 6. [73] Gen. 42. [74] I Reg. 24. [75] II Reg. 16. [76] Isa. 23. [77] Ovid. *De pont.* eleg. 3. [78] Luc. 15.

Livor quo tendat, invidia quo feratur, proditoriæ factionis hodie patefecit immanitas. Dilectus Deo et hominibus episcopus Eliensis, vir sapiens, amabilis, generosus, benignus et mitis, et in omnes liberalitates effusus, juxta divinæ dispensationem gratiæ, et suorum exigentiam meritorum reipublicæ administrationem, et summam rerum fuerat assecutus. Vidisti et invidisti ; ex tunc ira tua. Ibi invidia concepit dolorem et peperit iniquitatem. Ipse autem ambulans simpliciter, te in suæ familiaritatis sacrarium, atque in unanimitatem amicitiæ, et vinculum fœderis accersivit. Totus requiescebat super te spiritus ejus, et erant adversus eum omnes cogitationes tuæ in malum. *Væ*, dicit Ecclesiasticus [79], *duplici corde, atque labiis scelestis, et peccatori ingredienti duabus viis*. Interioris conscientiæ malum quondam prætextu amicitiæ facies hypocri a palliabat, et tu exercebas occulte in hominem innocentem linguæ seditionariæ et procacis injurias. *Maledictus*, inquit Salomon, *susurro et bilinguis in populis, turbat enim pacificos* [80]. Omnem conscientiam suam effundebat in sinu tuo ; te enim quasi se alterum reputabat ; tu vero eum in occasionem præcipitii proditoriis adulationibus impingebas. O detestanda proditio ! Judas osculo Filium hominis tradidit [81], et tu verbo exhibebas exterius diligentis officium, et lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. *Væ homini illi, per quem scandalum venit* [82]. Hoc equidem facinus interminabilem tibi maculam sinistræ opinionis inussit ; et si quid commendabile de beneficio naturæ perceperas, culpa hoc perenniter abolevit. Nimirum Joab multa fortiter fecerat, sed proditio in Amasam et Abner omnes in eo virtutum titulos denigravit [83]. O labia detractoria, o lingua maledica et dolosa ! Quid apponetur, Domine, ad hanc linguam dolosam ? Utinam apponantur sagittæ, quæ eam transfondiat ; et carbones desolatorii hanc incendant ! Utinam tu seraphin, qui cælesti carbone prophetæ labia emundasti, gehennali flamma totum os et linguam ejus emundando destrueres [84], et possimus cantare et dicere : *Destruxisti eum ab emundatione* [85]. Labia Evangelio consecrata nunquam desinunt effundere ventum in verba mendacii. Totum vanitati datur, quod erat debitum veritati. Porro, *vir linguosus non dirigetur in terra* [86]. Ergo qui stat, videat ne cadat. Ante ruinam enim exaltatur cor [87]. Exsultas infelix et jactitas, quod supplantaveris innocentem ; sed certe positus est in ruinam resurrectionemque multorum in suam scilicet et suorum restitutionem. In tuam vero tuorumque ruinam complicum, faba hæc recudetur in caput tuum. Omnis enim fraus in se reversa colliditur. De dolo non colliges, nisi fructum doloris, et orditus es telam, ut diploide vestiaris. Verbum Isaiæ est [88] : Qui ordimini telam, in umbra Ægypti confiditis, diem amaritudinis exspectate. Publice gloriaris et jactas, quod hanc turbam moveris, quod incautam deceperis et induxeris plebem, ut armis inermem, et insidiis appeterent innocentem *Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate* [89] ? Quid prædicas malitiam tuam, quæ in pluribus provincitis tua discurrente infamia jam plebescit ? Sed de te, et consimilibus tuis dici potest : *Lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* [90]. Porro verbum Sapientis est : *Qui lætatur in ruina alterius, punietur* [91]. Salomon : *Cum ceciderit*, etiam dicit alibi, *inimicus tuus, ne gaudeas*, ne videat Deus, et in te iracundiam suam vertat [92]. Sane semper familiare, et proprium suæ prosapiæ fuit, dissensionum materiam seminare, ramusque pestilens malitiam suam de malæ arboris radice contraxit. O generatio prava, o domus

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

machinationibus Eliesem episcopum, regni cancellarium depositum fuisse et ex Angliæ expulsum. Legitur apud Rog. de Hoveden epistola Hugonis de dejectione cancellarii quæ incipit : *Quæ litterarum apicibus adnotantur*, etc. In qua totam trag œdiam dejectionis illius prolixe et satis malitiose describit. Habetur etiam apud eumdem Hoveden epistola hæc apologetica Petri Bles. pro cancellario. Quam perverse autem se gesserit Hugo inde apparet, quod reverso in Angliam Richardo, in exsilium pulsus sit : quod tamen paulo post numerata pecunia redemit. Sic enim habet Hoveden, ad annum 1195 : « Rex remisit iram et malevolentiam suam Hugoni Conventrensi episcopo ; et reddidit ei episcopatum suum pro quinque mille marcis argenti, quas ei dedit. »

Eodem fere modo Neubrigensis, lib. v. *De rebus Anglicis*, cap. 5 : « Hugo Novantinus Cestrensis episcopus, vir inconstans in omnibus viis suis, qui a facie regis Anglorum, pungente mala conscientia, in Franciam fugerat, eumdem regem non modica summa placavit, et episcopatu recepto, regiis magis negotiis quam sollicitudinis pastoralis officiis de cætero inservire curavit. »

Cæterum vitam perverse actam laudabili fine Hugonem conclusisse ex auctoribus compertum est. Cum enim Romam pergens, in Northmannia gravi morbo esset correptus, convocatis quos potuit ex Northmannia episcopis, abbatibus et viris religiosis, fusis ubertim lacrymis pœnitentiam ab ipsis poposcit : quod cum ipsi præ sua erga illum reverentia imperium recusarent, petiit ut sibi loco pænitentiæ in remissionem peccatorum suorum purgatorii pœnas usque ad extremum judicii diem injungerent. Et quia in monachos Conventrenses, quos de Ecclesia sua expulerat, graviter se peccasse dolebat, ad hujus flagitii satisfactionem non aliud correctionis genus invenit, nisi ut in eorum habitu vitam finiret. Tum omnia quæ in auro et argento in gemmis, vasisque pretiosis habebat, ecclesiis pauperibusque erogavit, sicque sancto fine quievit in monasterio Beccensi anno 1198. Hæc pluribus Matthæus Paris. ad hunc annum, licet Baronius ea referat ex Rogerio. Vide et Gervasium ad annum 1197 et Knyghton ad annum 1189.

[79] Cap. 2. [80] Eccli. 28. [81] Luc. 22. [82] Matth. 18. [83] II Reg. 3, 20. [84] Isa. 6. [85] Psal. 88. [86] Psal. 139. [87] Prov. 16. [88] Cap. 30. [89] Psal. 51. [90] Prov. 2. [91] Prov. 17. [92] Prov. 24.

exasperans, o genimen viperarum! Quis te docuit fugere a ventura ira? Putas quod non videat et requirat hæc Dominus? *Propter hoc irritavit impius Deum: Dixit enim in corde suo: Non requiret* [93]. Sed certe requiret Dominus. Requiret etiam ille, et de cujus nunc angustiis gloriaris, quandoque dante Domino respirabit. Sapientia enim justum venditum non derelinquet, et in tempore erit respectus illius [94]. Decebat ordinis tui gravitatem, pacem conciliare in populis, sedare seditiones, maxime in Anglia; quæ te satis pauperem suscipiens, magnificis honoribus ampliavit. Jeremias loquens ad eos, qui in transmigratione Babylonica erant: *Quærite*, inquit, *pacem civitatis, ad quam migrare fecit vos Dominus, quia in pace illius erit pax vestra* [95]. Vice alia tibi scripsi, et ut cessares a talibus, monitis salutaribus supplicavi. Verumtamen cithara David nunquam Sauli versaniam sedavit ad plenum [96]; et adhuc manus ejus extenta est. Memento igitur homo, si tamen homo; memento, inquam, tuæ conditionis; memento hujus vitæ brevis. Memor esto districti et horrendi Judicis. Memor esto pœnæ terribilis, horribilis, intolerabilis, interminabilis, quæ tibi in æternum parata est, si a tali maleficio non desistis.

EPISTOLA XC.

AD M. WILLELMUM BLESENSEM ABBATEM

[C. A. D. 1169.]

Primo exponit qua de causa Siciliam cum consensu regis Siculi deseruerit. Deinde fratri suo abbati persuadere omnino conatur, ut insignia pontificalia, ut mitram, annulum, sandalia a papa accepta resignet, vel administrationi abbatiæ renuntiet.

Charissimo fratri suo M. WILLELMO Bles. abbat. A Matinensi (18), PETRUS Blesensis, salutem et Trinacriam salutarem.

Quam atrociter conjuraverint in exitium domini Stephani Panormitani electi [97], et regii concellarii Siculi proditores, relatione non indignet (19). His enim et aliis durioribus, quæ frequenter auditis, tinnierunt aures vestræ. Ego autem, cum in illa turbatione et egressu domini mei medio hemitritæo laborem, de mandato domini regis curæ et custodiæ Salernitani archiepiscopi commissus sum, qui non minorem circa me diligentiam exhibuit, quam si dominus, aut filius ejus essem. Ex quo autem convalui, accessi ad dominum regem, petens ab eo et magnatibus curiæ licentiam recedendi. Rex autem per Dominum Salernitanum, et per R. electum Syracusanum me sollicitari multipliciter fecit, ut in curia ejus, et in sigilli officio remanerent: sed non potui ad hoc precibus, aut promissis, aut muneribus inclinari. Terra siquidem illa devorat habitatores suos, timensque a malitia inhabitantium in ea, in hoc redegeram meorum desiderium summam, ut haberem licentiam, et cum securitate recessum. Quia igitur exire Siciliam in equis, et proficisci per Calabriam mihi, et omnibus qui mecum erant suspectissimum videbatur; ibi quamdam Genuensium navem, quam ceperant Siculi piratæ, cum hominibus et mercibus dedit mihi dominus rex, munitam omni genere victualium cum mattis, cum culcitris, cum tapetis. Præstito itaque a Genuensibus juramento de exhibenda mihi fidelitate, ac tutela mei corporis, et meorum qui circiter quadraginta poterant æstimari, ut evaderem mortem terræ, me morti maris exposui. Porro blandiente suavitate ver-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(18) Busæus, Maniacensi, licet in nullo ms. ita scriptum repererit, sed vel Mathirensi, vel Mathinensi. Quod et in omnibus nostris mss. habetur, scilicet vel Mathiensi, vel ut plurimum Mathin per abbreviationem, quod idem significat; in nullo autem prorsus legitur Maniacensi. Conjecturam autem sumpsit Busæus ex Fazello, in quo legitur haberi monasterium Maniacense in Sicilia. Verum si credimus doctissimo Bulæo academiæ Parisiensis pridem rectori, tomo II, suæ *Historiæ*, Guillelmus Blesensis factus est abbas in Sicilia eo tempore, quo Petrus Blesensis frater ipsius erat sigillifer et doctor regis Siciliæ, scilicet anno 1167, ex Roccho Pyrro post Baronium. At vero Maniacense monasterium exstructum est a Margareta regina Guillelmi matre solummodo anno 1174 ex eodem Rocco Pyrrho, qui in *notitia* 3, Ecclesiæ Monteregalensis hæc habet: « Anno 1174, regina Margareta Guillelmi II mater, in Maniacensi oppido exstruere cœpit monasterium ordinis S. Benedicti in Messanensi diœcesi. Sed voluit regina Monteregalensi monasterio esse subditum. E monasterio autem Cavensi monachos atque Theobaldum abbatem excivit Guillelmus, eisque hoc cœnobium dedit, ac plurimos terrarum, atque agros per diploma datum an. 1176. Anno 1177, idem Theobaldus episcopus Monteregalensis facultatem fecit monasterio Maniacensi suum sibi deligendi abbatem in diplomate directo ad Timotheum abbatem S. Mariæ de Maniachio. » Ex quibus apparet nullum fuisse abbatem monasterii Maniacensis an. 1168 vel 1169, quo Siciliæ valedixit Guillelmus Blesensis: cum apud eumdem Rocchum Pyrrhum primum Maniaci abbas dicatur Timotheus anno 1178. Qui autem attente legerit hanc epistolam et ep. 92, manifeste deprehendet Guillelmum Blesencem non multo tempore in Sicilia remansisse post Petrum fratrem suum, qui ex ea an. 1168 egressus est.

(19) Funestam hanc Francis historiam, aut potius nefandam Siculorum perfidiam referunt omnes pene hujus ævi scriptores; maxime vero qui rem oculis suis intuitus est Hugo Falcundus, et post eum Fazellus. Sed et Guillelmus Nangiacus in historia nondum edita paucis ita complectitur ad an. 1168: « In Sicilia tunc erat quidam Francigena (Stephanus Perticensis comitis filius) regis Guillelmi cancellarius, quem quidam potentes Siculi odientes, in odium ipsius litteras per Apuliam et Calabriam direxerunt, ut quotquot Franci invenirentur, capitaliter punirentur, quod et factum est. Sed rex Siciliæ hoc agnoscens, auctores illius seditionis pari sententia condemnavit. »

Scripta est hæc epist. circa an. 1169.

—

[93] Psal. 9 [94] Sap. 10. [95] Jer. 29 [96] II Reg. 16. [97] Lege Fazellum. l. VII; c, 5 *De reb. siculis*.

nali et languentibus ventis facta est stationaria navis nostra nec mense integro potuimus viam peragere, quam quinque dierum spatio melioris venti beneficio debueramus percurrisse. Veniens itaque Genuam, et a magnatibus terræ, et maxime ab his, quid apud Siculos in palatina magnificentia me viderant, cum honore susceptus sum, qui quantum obsequium et honorem impenderint mihi, facile verbis explicare non possem.

[*In codicibus mss., qui in Musæo Britannico asservantur* Reg. [14. c. iv. et Arund. 227] *hæc epistola in duas divisa est. Quæ hinc sequuntur, separata epistola est præfixa inscriptione.* Chariss. fratri suo magistro W. Mathinensi abbati P. Bles. salutem.]

Retulit mihi quidam nuntius vester, qualiter dominus papa vos mitra proprii capitis, et aliis ornamentis episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo ; sed insigna episcopalis eminentiæ in abbate, nec approbo, nec accepto. Mitra enim et annulus, atque sandalia in alio, quam episcopo, quædam superba elatio est (20), et præsumptuosa ostentatio libertatis. Talium usus est in ecclesiis dedicandis, in consecrandis virginibus, in ordinibus celebrandis, Quare igitur his utitur, aut potius abutitur, qui uti talibus prohibetur? Homini hæc habenti et non utenti, sunt potius oneri et ludibrio, quam honori. Ambigenæ non generant, teste Hippocrate [98], quod igitur genitalia in mulo faciunt, hoc sandalia in abbate. Nunquid emanavit hæc abusio episcopalium a Regula B Benedicti, [99] nunquid p:æcipiuutur emancipatione istæ in Evangelio et prophetis ? nolite, quæso, charissime frater, detractare obedientiæ jugum ; nam per inobedientiam mors intravit ; quæ adhuc seminare non cessat inter episcopos et abbates jurgiorum fomitem et materiam scandalorum. Adam per inobedientiam periit ; Saul per inobedientiam regnum perdidit [100]. Nec blandiatur sibi aliquis, quod per privilegium Romanæ Ecclesiæ de inobedientia excusetur. Deus enim, apud quem melior est obedientia quam victimæ, quidquid emancipet aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur. Si unum præcipit Deus, et aliud indulget, aut præcipit homo, obediendum est Deo potius quam homini [1]. Scitis quod Abdon missus ad Jeroboam a Domino [2], prohibitus est ab eo, ne in via comederet, suggerente alio propheta ut comederet, et dicente se propter hoc missum a Domino comedit. Sed licet auctoritate alterius prophetæ hoc fecisset, propter inobedientiam tamen a leone devoratus interiit. Cum enim speciale mandatum Domni suscepisset, ad suggestionem hominis non erat in præcepto Domino dispensatio admittenda.

Si Romanus pontifex a jurisdictione vestri episcopi vos eximit, nolite, quæso uti privilegio, quod materiam rebellionis inducat. Oza percussus est a Domino, eo quod in arcam Domini manus temeritatis erexit [3]. Maria percussa est lepra, quia contra Moysen objurgavit [4]. Terra Dathan et Abiron absorbuit vivos, quia contra Moysen et Aaron se in superbiam erexerunt [5]. Complices etiam eorum pœnalis flamma combussit ; exarsit enim ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores. Cum detestabilis sit ubique superbia, detestabilior est in professore humilitatis. Quod enim rubigo est in ferro, quod in veste tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monachali. Putatis in susceptione mitræ, sandaliorum et annuli vestri monasterii dignitatem plurimum promovisse ; in his tamen nihil video, nisi inobedientiæ malum, seminarium odii, tumorem elationis, et superbiæ ventum. Superbia natione cœlsstis est, semper in altum nititur, ut gravius cadat. Hodie autem in claustris imitatores ac sequaces suos invenit primus filius superbiæ, ille Lucifer, aut potius tenebrifer, qui sibi sedem destinabat in lateribus aquilonis, atque sibi similitudinem Altissimi usurpabat [6], Ubi, et in quo laboraverat miser, qui jam sedere, et quiescere disponebat ? Omnes alii mittebantur in ministerium, devoti et humiles ad imperium Creatoris. *Millia millium*, testimonio Scripturæ, *assistebant ei, et decies millies centena millia ministrabant ei* [7]. Iste autem erigebat sibi sedem, antequam laboraret. *Ponam*, inquid, *sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* [8]. Appetiit æqualitatem Altissimi, meruitque quod suum erat perdere, dum rapuit alienum. Solus Filius Dei *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* [9], cui ex natura con-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(20) Bernardus epist. 42 ad Henricum Senonensem, cap. 9 : « Sane si attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret professio ; si monasterium, solis liquet conguere pontificibus. » Præclarum certe factum beati Petri Cavensis abbatis apud Surium in ejus Vita, tome II : « In synodo ei more suo nudo capite residenti, sanctæ memoriæ papa Urbanus pontificalem infulam misit, quam utique vir Domini, et pro summi pontificis reverentia venerabiliter recipit, et officiosissime salutavit, et tamen ejusdem sacerdotalis mitræ usum etiam, rogante papa, contempsit. Quod non ob aliud fecisse creditur, nisi ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo damnaret, qui dum se inaniter extollunt, indebitos sibi sanctæ Ecclesiæ honores non metuunt usurpare. » Hugoni Cluniacensi ejusque sucessoribus idem Urbanus mitræ, dalmaticæ, chirotecarum et sandaliorum usum indulsit, bibliotheca Cluniacensis col. 514, et sequentibus. Egelsino abbati S. Augustini Cantuariensis Alexander II eadem gratiam contulerat, a. cujus usu abbates abstinendum esse duxerunt usque ad Rogerum, qui ut habet Radulfus de Diceto ad ann. 1179. « in abbatem assumptus ab Alexandro papa (III) v. Kal. Februarii Tesculani benedictionem, et in signum emancipationis indultæ, mitram, annulum, chirothecas suscepit., « Posterioribus sæculis petentibus fere ubique monasteriorum, Benedictini præsertim instituti abbatibus concessus est. Lege caput *Ut apostolicæ. De privilegiis*, in 6.

---

[98] Lib. I. *De ratione victus*. [99] Alb. M. l. XVIII *De anima*. Tract. 2, c. 3. [100] I Reg. 15. [1] Act. 5. [2] III Reg. 13. [3] II Reg. 16. [4] Num. 12. [5] Num. 16. [6] Isa. 14. [7] Dan. 7. [8] Isa. 14. [9] Phil. 2.

venit sedere non sub pedibus, sed a dextris. Præcipitetur ergo ille filius superbiæ, et cathedra pestilentiæ subvertatur. Auferatur ei stola jucunditatis, qua ipsum manus Creatoris induerat, spoliatusque gratuitis detrudatur in exteriores tenebras, et interminabiles flammas, quibus et illi pariter deputati sunt, qui in superbia et abusione detrectant obedientipm prælatorum. Quid enim aliud est positio sedis in Aquilone, et usurpatio similitudinis Altissimi, quam emancipationis, et insignium episcopalium acquisitio in abbate? Per salutem itaque Patris qui nos genuit, et per ubera quæ suximus in eadem matre, frater unice, vos adjuro et deprecor, ut in sinum plenæ humilitatis, pontificalia resignetis insignia; aut, si hoc sine scandalo fieri nequit, renuntietis in manu domini papæ monasterii administrationem, et substituto ibi ad instantiam vestram pastore idoneo, vos ad claustrale otium et salubrem militiam convertatis. Vale.

EPISTOLA XCI.

AD RADULPHUM (21) LEXOVIEN. EPISC.

[A. D. 1181-93].

ARGUMENTUM. — *Vehementer invehitur in episcopum Lexoviensem ob avaritiam et fœnerandi studium, ac in primis quod annonæ tempore horrea non aperuerit pauperibus.*

Charissimo domino et amico suo RADULPHO Lexoviensi episcopo, suus PETRUS Blesensis Bathon. archid., veram in Christi resurrectione salutem.

Si resurrectionis æternæ gloriam fiducialiter et indubitabiliter exspectares, modo non ageres, quod agis; nec sic te terrenorum fæcibus immergeres, qui in immundis avaritiæ et ambitionis nexibus te totum implicas et involvis; cum scriptum sit, quia *gloria eorum in confusione, qui terrena sapiunt* [10]; tu nihil nisi terrenum vis sapere aut amare. *Qui de terra est, de terra loquitur* [11]; terram vides, terram diligis, ac sicut talpa capta oculis, liberioris aeris beneficium non admittis. Mundi lumen esse debueras, sed si lumen tuum tenebræ factæ sunt, tuæ tenebræ quantæ erunt? lumen cœli videre non potes; quia *infixus es in limo profundi* [12], et *conglutinatus est in terra venter tuus* [13]. Scriptum est quia *oculi sapientis in capite ejus* [14] semper, *oculi* autem *stulti in finibus terræ* [15]. Terram sapis, terram loqueris, terram lingis. Non ab hac terrenorum fæce poteris exui, donec fodiatur peccatori fovea, donec, qui terra es, et in terram revertaris [16]. Leva, quæso, oculos tuos, et vide, et suspice lumen cœli; cogita, quia de terra exempti sunt amici Dei, quorum *conversatio in cœlis est* [17]. In hac habitatione terrena nihil est nisi labor, et dolor, et quædam imago miseriæ infernalis. In vita et operibus tuis, tota fere facies inferni depingitur. Nec enim deest tibi unda Tantali, Tityi jecur, rota Ixionis, urna Belidum, saxum Sisyphi [18], dum inter divitias esuris dum sollicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum *in saccum pertusum* [19] congregas, dum congregando divitias labore continuo et supervacuo te affligis. Quia ægre audis historias, fabulosa intersero; sed et de fabularum gentilium moralitate quandoque forma eruditionis elicitur (22) quoniam fas est et ab hoste doceri. Non enim veretur Apostolus ab ethnicis veritatem mutuari, quoniam a quocunque dicatur: A Spiritu sancto est, et quando eam ex libris impiorum accipimus, non aliena rapimus, sed quæ sunt nostra, ab injustis possessoribus nobis vindicamus. Dominus etiam populum suum peculiarem auro et argento et omni supellectili Ægyptiorum honorari voluit et ornari [20]. Posuit te Dominus, ut sis sal terræ; timeo ne fias sal infatuatum, quia jam ab hostibus conculcaris. Conditionem episcoporum enormiter lædis, atque ministerium Christi das in opprobrium et contemptum. Utinam non fuisset hæc pecunia, quæ te a via honestatis et salutis abducit! Nam in hujus mortalitatis excursu nunquam obtinebis vitæ bravium sine divitiarum contemptu, et viatico charitatis.

Scis, quia Hippodamia [21], quandiu cursum procorum concertantium, projecto auro retardabat, prævolabat ad palmam; cumque virgo triumphos obtinuisset multiplices, tandem contemptor auri de virgine triumphavit. Dominus quidem expeditissimam tibi viam salutis aperuit; fames enim valida desævit in pauperes, in quibus regnum suum tibi Dominus venale exposuit. Regnum Dei tanti est, quantum ex affectu compassionis pauperibus ejus exhibes. Pauper Christi vicarius est; et sicut se in eo rejici dolet, contemni erubescit, ita se in eo recipi delectatur. *Quandiu*, inquit, *uni istorum fecistis, mihi fecistis* [22]. Aperias itaque publice mendicantibus viscera et horrea tua, ne sententiam illius damnationis incurras: *Maledictus, qui abscondit fru-*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(21) Appellatur hic a Roberto de Monte Radulfus de Vannevilla, aliis de Varnevilla; successitque Arnulfo anno 1181. Erat prius archidiaconus Rotomagensis, et regis Angliæ cancellarius, Sic enim habet Robertus ad ann. 1181: «Radulphus de Vannevilla archidiaconus Rothomagensis, qui fuerat cancellarius regis, electus est ad prædictum episcopatum,» scilicet Lexoviensem. Renuntiaverat prius cancellariæ, «pro qua rex ei dederat terras magnorum reddituum,» inquit idem Robertus Montensis. Nominatur a Rogerio de Hoveden., ann. 1183, inter episcopos qui interfuerunt Cadomi excommunicationi latæ in omnes qui pacem et concordiam inter regem Henricum et filios suos faciendam impedirent. Obiit autem Radulfus circa an. Domini 1193.

(22) Vide quæ ad epist. 8 diximus de utilitate lectionis librorum gentilium.

[10] Phil. 3. [11] Joan. 3. [12] Psal. 68. [13] Psal. 43. [14] Eccle. 2. [15] Prov. 17. [16] Gen. 3. [17] Phil. 3. [18] Ovid. l. IV *Metam.* [19] Agg. 1. [20] Exod. 12. [21] Ovid. l. IV *Metam.* [22] Matth. 25.

menta in populis (23). Semina in benedictionibus, ut de benedictionibus et metas [23]. Effunde largiter, quod cupide congregasti. Nam *qui parce seminat, parce et metet. Hilarem enim datorem diligit Deus* [24]. Noli, quæso, ulterius temporale fenus amplecti, quod gravissime detestatur qui omnia quæ habes tibi commodavit et nunc in pauperibus suis sibi postulat commodari. Beatus *homo qui miseretur et commodat* [25] : non enim miseretur, qni lucrum sequitur temporale. *Qui* autem *miseretur pauperi, Domino feneratur* [26]. Sibi vero apud Deum pietatis januam claudit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. Apud eos, quibus in Christi ministerio successisti, erant omnia communia, dividebantque singulis, prout inicuique opus erat [27]. Omnes sub uno capite unum corpus sumus, in uno corpore alter alterius membra. Si ergo manus, pedes, aut oculi, vel hujusmodi membra alterius membri læsioni compatiuntur, tu erga pauperes, viduas viscera pietatis et compassionis affectum impendere quando incipies ? Jam fame et inedia perierunt infinita pauperum millia, nec adhuc uni eorum manum misericordiæ porrexisti. Unum noveris, quod mortes omnium requiret a te districtissimus Judex, quia omnium factus es reus, quorum vitam annonæ beneficio redimere potuisti. Certe jam albescunt regiones ad messem, nec adhuc in hac eduliatis clade unum pauperem refecisti. Nunc etiam primum horrea tua reserare proponis : non ut releves afflictorum miseriam, sed ut vendas carius, et commodes ad usuram. Infelicissime, pecunia et frumentum quod commodas, Dei est, et non tuum : proinde negotiare cautius. Ipse enim homo austerus est : metit, ubi non seminavit [28] : superveniet autem tibi alius fenerator fortior te et exactior, qui diripiat labores tuos, et eveniet tibi quod scriptum est : *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores illius* [29] Verbum Isaiæ est : *Væ, qui prædaris, nam et ipse prædaberis* [30]. Et testimonio B. Job, thesauros quos devorasti evomes, et de ventre tuo extrahet illos Deus [31]. Lues quæ fecisti omnia, nec tamen consumeris. Dolores enim mortis æternæ evadere non poteris. Nam sicut lana ovium tonsa permittitur crescere, ut iterum tondeatur ; sic moriendo vives, ut non desines mori Verbum prophetæ est : *Sicut oves in inferno positi sunt mors depascet eos* [32].

Sic inconsumptum Tityi, semperque renascens
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur [33].

Dicit Dominus per Amos prophetam : *Deficere sinitis egenos terræ, dicentes : Quoniam transibit opulentia, et venundabimus frumentum, ut possideamus in argento egenos, et quisquilias frumenti vendamus. Sed tenebrescere vos faciam in die luminis, et festivitates vestras convertam in luctum, dicit Dominus : commovebuntur cardines et superluminaria* [34]. *Avaritia enim in capite omnium, et usque ad novissimum percutiam eos gladio.* Gladius equidem Domini bis acutus te, præsul, exspectat, ut sine misericordia te medium secet, qui cum Christo et ejus panperibus misericordiam non fecisti. Cur non erubescis, perditissime hominum, quod nomen tuum fetet in populis, quod avaritiam tuam provinciæ damnant, quod missam tuam nullus audit, quod officium pastorale diffamas, dum gravissimum exactorem, et usurarium publicum te proclamant ? Alii pontifices nunc aliunde mutuantur, ut pauperum relevent egestatem, temporalia seminant, ut metant æterna : tu ad temporalia occupatus, non cogitas de æternis. Tibi sufficit, ibi collocare denarium, ubi plures faciat filios, et ad te non sine multiplici progenie revertatur. Redeunt ad Dominum multiplicati denarii, et quia de paucis multa lucrati sunt, intrant in gaudium Domini sui. Gaudium siquidem avari, tnesaurus ejus est. *Ubi est*, inquit, *thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* [35]. Ideo quoties quæritur, ubi est cor avari ? juste respondetur, in arca.

Populus, dicit avarus, *me sibilat : at mihi plaudo*
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca [36].

Isti sunt, avare, dii tui ; isti sunt, quorum imaginem Creatoris tui imagini prætulisti. Quandoque audivi ex ore tuo, quod quasi *ad excusandas excusationes in peccatis* [37], tuam munificentiam jactitabas, teque amplius una vice largiri, quam omnes episcopos regionis. Sane quod domino regi donas, sicut cæteri feneratores, aut Judæi, quoddam tributariæ functionis onus est, et imago quædam Judaicæ servitutis. Si magnatibus terræ donas, non procedit ex liberalitate ista largitio, quæ quasi in capturam mittitur, dum vicem multæ retributionis exspectat.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(23) Hæc maledictio est in eos, qui annonæ carioris tempore horrea pauperibus occludunt. Paulo obscurius habetur hæc sententia apud LXX : Ὁ συνέχων σῖτον, ὑπολείποιτο αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν, id est, *Qui continet frumentum, relinquat illud nationibus*. In quibusdam codicibus pro συνέχων habetur τιμιουλχῶν τὸν σῖτον, id est, *captans pretia frumenti*. Quod et sequitur Ambrosius, l. III *De officiis*. Cyrianus eadem fere habet lib. IIII, *Testim. ad Quirinum*, c. 61. « Captans annonam maledictus in plebe est. » Symmachus et Theodotio pro, συνέχων legunt, ὁ κωλύον, *qui prohibet*. Idem habet originale Hebraicum מונע *prohibenti* sive *non communicanti*.

[23] II Cor. 9. [24] Ibid. [25] Psal. 111. [26] Prov. 19. [27] Act. 2. [28] Luc. 19. [29] Psal. 119. [30] Isa. 33. [31] Job 20. [32] Psal. 48. [33] Ovid. *De pont.* eleg., 2. [34] Amos 8, 9. [35] Matth. 6. [36] Horat. *Sat.* I. [37] Psal. 140.

Audi quid de te, et consimilibus canat poeta :

Munera quod senibus, viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem ?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona vocare tuas?
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus :
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,
Si nescis, dona, Gargiliane, nihil [37*].

Decessor equidem tuus (24) gratia hospitalitatis munificæ, et effusæ liberalitatis magnificentia celeberrimos famæ titulos acquisivit ; sed quantum memoria illius ascendit in gloriam, tantum damnatissimum tuum nomen in confusionem et opprobrium te dejecit.

EPISTOLA XCII.

AD REGINALDUM BATHONIENS. EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Invehitur in Zoilum scriptorum suorum obtrectatorem.*

Domino suo R. Bathon. episcopo, P. suus archid., salutem, et devotæ subjectionis affectum.

Audio, quod apud vos detractor occultus opuscula mea lacessere clandestina depravatione præsumit ; in quo tanto feliciorem me reputo, quanto gravius torquetur invidus meus, et miserius intabescit. Omnia opera mea fundavi in lapide adjutorii, in quo obstruetur *os loquentium iniqua* [38], et dentes mordacis invidiæ contundentur. Me compilatorem æmulus vocat, eo quod omnia, quæ in epistolis aut sermonibus meis scribo, historiarum exemplis, aut sacræ Scripturæ auctoritatibus firmo. Hunc equidem modum a sanctis Patribus mutuavi, qui in universis operibus suis Novi ac Veteris Testamenti verba frequenter interserunt, ut eorum artifici junctura dictis suis robur adjiciant et ornatum. Et quæ invidia est, si, quod ex multiplici librorum lectione decerpsi ferventiore studio digerente, in materiam virtutis et exercitium prudentiæ coalescit ? Nam, sicut in libro Saturnalium, et in libris Senecæ ad Lucilium legimus [38*], apes imitari debemus, quæ colligunt flores, quibus divisis, et in favum dispositis, varios succos in unum saporem artifici mistura, in quadam sui spiritus proprietate transfundunt. Arguit æmulus, et temeritati ascribit, quod litteras meas passim et varie dispersas in unum colligo : quod formam dictandi præscribo simplicibus, quod publicæ utilitati munus devoti laboris et officium charitatis impendo. Cesset æmulus a verborum injuriis : nam si pergit dicere quæ vult, audiet quæ non vult. Plenus sum rimarum,

hac atque illac perfluo [39].
Qui me commorit, melius non tangere clamo,
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe [40].

A Utinam experiatur invidus meus ingenii sui vires, ac de flosculis sacri eloquii compilatis, simile componat opusculum ! Si tamen hoc attentaverit, quod modo levissimum putat, vereor, ne multum sudei, frustraque laboret

Infelix operis summa, quia ponera totum
Nesciet [41].

Incipere quidem poterit, sed si novi hominis facultatem, ignominiose et infeliciter consummabit. Quidquid canes oblatrent, quidquid grunniant sues, ego semper æmulabor scripta veterum : in his erit occupatio mea ; nec me, si potero, sol unquam inveniet otiosum. Nos, quasi nani super gigantum humeros sumus, quorum beneficio longius, quam ipsi, speculamur, dum antiquorum tractatibus inhærentes elegantiores eorum sententias, quas vetustas aboleverat, hominumve neglectus, quasi jam mortuas in quamdam novitatem essentiæ suscitamus. In libro Saturnalium legimus [42], quod Afranius togatarum scriptor in ea togata, quæ Compitalia inscribitur, suis respondens æmulis, qui eum multa de libro Menandri dipilando sumpsisse dicebant : « Fateor, inquit, sumpsi, sed ea quæ melius me posse invenire non credidi. » Et in eadem : « Quis fraudi Virgilio vertat, si ad sui ornatum carminis, quædam an Homero, vel aliis metuetur ? imo gratia in hoc habenda est ei, quod in opus perpetuo mansurum dicta eorum transtulit, quos jam neglectui et risui habebamus. » Et post pauca : « Denique et judicio transferendi, et modo imitandi consecutus est, ut quod apud eum alienum legimus, melius ibi, quam, ubi natum est, sonare miremur. » Scimus apostolos a prophetis, doctores ab apostolis, et a doctoribus alios doctores, sicut Hieronymum de libris Origenis, Augustinum et Bedam de libris Ambrosii, Ambrosium vero de scriptis Ciceronis et Senecæ, Gregorium quoque de scriptis Augustini et Hieronymi non solum sententias, sed verba ipsa in causam mutui accepisse. Confidenter et sub testimonio plurium dico, me semper dictare litteras solitum citius quam posset aliquis exarare. Ipsa certe festinatio vitium et suspicionem compilationis excludit. Ad veritatem, non ad jactantiam dico. Vidit quandoque dominus Cantuariensis, et vos ipse cum eo, multique alii me de diversis materiis tribus dictare scriptoribus, et uniuscujusque calamo festinanti satisfacere ; meque quod de solo Julio Cæsare scribitur [43], quartam epistolam dictare et scribere. Quod si alicui res ista in dubium venerit, facti, quæso, experientia faciat dicti fidem. Scio, unde spiritum elationis conceperit, et quare vester Cornificius intumescat. Verum sicut plena vento vesicula detumescit, si acu modica perforetur,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(24) Intelligit Arnulfum de quo vide quæ diximus ad epistolam 44.

37*. Mart. l. I. épig. 136. [38] Psal. 62. 38*. Macrob. l. I, *in princip. Senec.* ep. 33. [39] Ter. *in Eunuc.* 1, 2. [40] Horat. l. II *Serm.* sat. 1. [41] Horat. *De art. poet.* [42] Macrob. l. VI. [43] Plin. l. VII, c. 25 ; Plut. *in ejus Vita ex Oppio.*

sic uno verbulo de follibus imperiti gutturis ventum loquacitatis excutiam. Implebo faciem ejus ignominia; nam in eo ad plenum materia ignominiosæ confusionis exuberat :

Cum sit Socraticis notissima fossa cinædis [44].

Si opuscula mea in manu æmuli quandoque sinistro devolvantur eventu ; bona, inquit, hæc essent, si auctoritates, quas ipsn adaptat, sederent competentius, aut materiæ responderent. Si in scriptis veterum plerumque describitur invidia et venenosa malitia detractorum.

Felix et nato, felix et conjuge Peleus,
Et cui, si demas jungulati crimina Phoci,
Omnia contigerant [45].

Et illud : Julium Fortunatum fateor virum fortem, qualiter tamen judicium repetundarum evaserit, miror. Publius Antonius elegantissime postularet, nisi quia prævaricatus est in causa Lucilii. Ecce quomodo invidia mel intoxicat, et dum aliena virtute torquetur, bonum quod apud se non invenit malitiose depravat. Opinionis enim alinæ dispendium, suæ famæ reputat lucrum, totumque sibi detrahi credit, quod ad titulos vicinæ bonitatis accedit. Porro quod Martialis [46] suo imprecatur invido, hoc imprecor meo :

Qui ducis vultus, et non legis ista libenter
Omnibus invideas, invide, nemo tibi.

EPISTOLA XCIII.

AD M. WILLELMUM ABBATEM.

[A. D. 1170.]

ARGUMENTUM.— *Gratulatur fratri suo abbati, quod consilio suo obsecutus abbatiam in manus summi pontificis resignarit, et dignitati superioris, subditi humilitatem, Franciam Siciliæ anteposuerit.*

Charissimo fratri suo magistro WILLELMO Matinen. abbati, P. Blesen., salutem et perseverantiam in virtute.

Magnanimitati vestræ congratulor, quia juxta parvitatis meæ consilium, rejectis insignibus, quæ profusior Domini papæ gratia vobis indulserat, curam Matinensis monasterii sponte in ejus manibus resignastis. Nobilis et magnanimi cordis est tanti emolumenti dignitatem relinquere, ad cujus acquisitionem plurimos anxia sollicitabat ambitio. Honorabilior autem est in vobis contemptus honoris, quam illius adeptio ; acquisisse enim fortunæ fuit, fortitudinis contempsisse. Venari honores, congregare divitias, et in eis quærere voluptatem, commune vitium est, et publica ambitionis via est ; insignis autem virtutum titulus est, triumphare de sæculi pompa, mundique divitiis conculcatis se in paupertate sola divitem reputare. Dominus sæculorum fugere nos docuit sæculi dignitates. Nam, A postquam de paucis panibus quinque millia hominum refecerat, turbæ considerantes in miraculo Domini majestatem testimonio evangelistæ voluerunt eum in regem eligere, ipse vero aufugit in montem [47]. Cum in manu Gedeon Dominus Israel liberasset, dicebant ei : *Dominare tu nostri, et filius tuus, et filii filiorum tuorum, quia liberasti nos de manu Madianitarum. Quibus ille ait : Non dominabor vestri, nec dominabitur filius meus in vos, sed Dominus* [48]. Refert Valerius Maximus [49], quod cum viro cuidam approbatæ virtutis vestis imperialis cum diademate fuisset oblata, ille vestem respiciens : « O pannum, inquit, nobilem potius quam felicem ; quem si quis attendat, quantis sollicitudinibus et periculis, et miseriis sit refertus, nec in luto jacentem tollet ! » B Iste anxia et occulta divitun, tormenta cognoverat. Nisi enim divitiæ et honores variis anxietatum aculeis pungerent, nunquam spinis eas Dominus comparasset [50]. Mirabiliter elusa est sapientia hujus mundi ; filiis hujus sæculi assidue convertuntur eorum divitiæ in miseriam et tormentum ; filii vero lucis experiuntur jugiter, quod carere divitiis liberum facit et beatum. *Confitebor tibi, Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* [51]. Pauper et justus contemnit divitias, et nihil ei deficit, quia sufficit ei Deus. Dives autem, filius avaritiæ, cultor mammonæ, servus pecuniæ, majorem in eo sollicitudinem, et timorem, et miseriam invenit, in quo pleniorem sibi constituerat voluptatem. Si vultis in C sancta religione, et aurea paupertate transigere dies vestros, felicitati vestræ non poterit regum gloria comparari. *Melius* erit *modicum super divitias peccatorum multas* [52]. Perdidisti dies, quos in operibus expendisti. *Melior* erit amodo *dies una in atriis Domini super millia* [53]. Quandiu eratis in Sicilia, eratis tanquam vas perditum. Nam illa regio infernalis, quæ devorat habitatores suos, vestrum faciebat reditum desperari, nunc autem per gratiam Dei nativum aerem, et vina Blesensia bibitis, cui Sicilia, si vos tenuisset diutius, more suo vinum aspidum porrexisset. Modo, frater, in sepulcro jaceretis marmoreo ; ubi ad inanis gloriæ quæstum forsitan superscriptum esset, WILLELMUS BLESENSIS MATINENSIS ABBAS HIC JACET. Frater, poetæ testimonio,

D *Levis est jactura sepulcri* [54].

Nomen vestrum diuturniore memoria commendabile reddent tragœdia vestra de Flaura et Marco, versus de pulice et musca, comœdia vestra de alda, sermones vestri, et cætera theologicæ facultatis opera, quæ utinam diffusius essent ac celebrius publicata ! Plus honoris acrevit vobis ex vestris operibus, quam ex quatuor abbatiis. Species quidem auri deceperat vos; unde et quidam nostratum

[44] Juv. *Sat.* 2. [45] Ovid. l. II, *Metam.* [46] Lib. I, ep. 79. [47] Joan. 6. [48] Jud. 8. [49] Lib. VII, c. 2. [50] Matth. 13. [51] Matth. 11. [52] Psal. 36. [53] Psal. 83. [54] Virg. *Æneid.* II.

Siculas opes vitæ comparavere dispendio. Sed et dominus cancellarius (25), sicut et Hierosolymitæ referunt, in fata concessit : cum enim herpes estiomenus, qui vulgo lupus dicitur, femur ejus enormiter occupasset, omnia in eo medicorum instrumenta frustrata sunt, tandemque in sancta Dei civitate inter brachia regis et in cœtu principum circumstantium et plangentium spiritum exhalavit. Veridica etiam commeantium relatione cognovi, quod in ultionem domini Stephani Catanensis civitas terræmotu concussa est, et subversa (26) ; in qua filius ille superbiæ frater Matthæi notarii, qui vobis episcopatum supplantaverat fraudulenter, et, adversus innocentes proditoriam suscitaverat factionem, interceptus et obrutus animam ministram iniquitatis et ancillam Satanæ ructavit. Sumus, frater, in dulci Francia, quæ sola, teste Hieronymo [55], monstra non habet. *Bonum est nos hic esse* [55*]. Vivant in Sicilia, qui proditiones et venena procurant adulationis officiarii, et qui aures magnatum vento inanis gloriæ prurientes venenosa suavitate demulcent.

Vivant Arturius illic,
Et Catulus ; maneant qui nigra in candida vertunt [56].

Mihi sufficit, si illic vivam et moriar, ubi natus sum et nutritus. Vita circularis mihi accepta est, ut cum nascendi exordio vitæ meæ limitetur excursus. Vale.

EPISTOLA XCIV.

AD I. ARCHIDIACONUM.

ARGUMENTUM. — *Queritur apud archidiaconum de insolentia nepotum ejus militum, quod sacrum clericorum ordinem impie proscindant, otium sectentur, et a virtute veterum militum, quorum laudes depingit, longissime, ut et alii sui sæculi, discesserint.*

Charissimo domino suo JOAN. archidiac., PETRUS Blesensis, salutem in auctore salutis.

Nepotum vestrorum militum fastuosam gloriam tolerare non possum, qui vitæ militaris eminentiam jactitantes clericorum sortem multiplici detractione depravant ; vitam et opera eorum ducentes in opprobrium et contemptum. Sane in depravatione ordinis nostri non multum eorum excellentia promovetur ; qui si essent milites, aut quæ militum professio esset, cognoscerent, deferrent clericis ; et se a scurrilitate verborum quadam puellari modestia temperarent. Porro ordo militum nunc est, ordinem non tenere. Nam cujus os majore verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cœtu militum fortior et nominatior reputatur. Tolerabilius mihi esset, si alii, quam nepotes vestri in hanc superbiæ et abusionis audaciam prorupissent : maxime cum illi a pueritiæ cunabulis solam in vobis modestiam noverint, solam a vobis didicerint honestatem. Verumtamen, cum omnis ætas prona sit ab adolescentia in malum, ex quo suis adhæserunt commilitonibus, ab eis mores perditos contraxerunt. Nam et rhetoricis argumentum trahitur a convictu : et, *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea* [57] :

Uvaque conspecta livorem ducit ab uva [58].

Militaris hodie disciplina, quam Vegetius Renatus ac plerique alii docuerunt, prorsus evanuit, et se in quamdam delinquendi libertatem, et scurrilitatis speciem deformavit. Olim se juramenti vinculo milites obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, et quod vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent. Sed et hodie tirones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum et patriæ liberationem gladium accepisse. Porro res in contrarium versa est ; nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in christos Domini, et desæviunt in patrimonium Crucifixi. Spoliant et prædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter, atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus et extraordinarias impleant voluptates. Refert Lucas quod milites accedentes ad Joannem Baptistam, interrogaverunt eum dicentes : *Magister, quid faciemus et nos? — Neminem*, inquit, *concusseritis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris* [59]. Qui contra inimicos crucis Christi vires suas exercere debuerant, potibus et ebrietatibus pugnant, vacant otio marcent crapula, vitamque degenerum in immunditiis transigentes nomen et officium militiæ dehonestant. Nihil damnabilius est in milite quam otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires faltiscunt, obrepit inertia, et ad immunditiæ actus animus occupatur. Ideo P. Nasica [60] cum exercitum in hibernis regeret, licet usu

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(25) Ille est Stephanus comitis Perticensis filius, quem Margareta Guillelmi II regis Siciliæ mater ad moderandum secum regnum tempore pubertatis filii sui e Francia advocaverat, cancellarium regni instituerat, et ad archiepiscopatum Panormitanum eligendum curaverat. Verum is paulo post odio quorumdam procerum e Sicilia exire compulsus Hierosolymam profectus est, ubi et paulo post obiit.

(26) De subversione illa Catanæ urbis fuse locuti sumus ad epist. 46.

Hanc epistolam circa annum 1170 scriptam conjicio, scilicet paulo post subversionem Catanensem, quæ contigit anno 1169. Erat autem Petrus in Francia, ut ipsemet ait in fine hujus epistolæ : « Sumus, frater, in dulci Francia. » Nondum enim erat in Anglia.

[55] *Contra Vigilant.* [55*]. Matth. 17. [56] Juven. *Sat.* 3. [57] Eccli. 13. [58] Juven. *Sat.* 2. [59] Luc. 3. [60] Frontin. *Strateg.*, l. IV.

classium non egeret, ne tamen miles corrumperetur desidia, seu crapula, vel per otii libertatem superbiret, naves ædificari instituit. Legitur [61] Trajanus imperator milites suos, quoties vacabant a præliis, exercuisse in cursu, in saltu, in usu, natandi, in studio cæsim vel punctim feriendi, mittendique lapides manu vel funda, et missilia jaciendi; eos ad omnes modos erudiens, quibus bellum sustineri debeat, aut, inferri. De magno Pompeio refert Sallustius [62], quod cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis, vecte certabat. Verumtamen, ex quo ipse, et senatus, ac populus Romanus otio et quieti vacare cœperunt, qui quandoque in remotissimis nationibus hostiles insultus modico agmine propulsabant, superveniente Cæsarea paucitate reliquerunt præsidia fortissimæ urbis, et in sola fuga sibi fiduciam posuerunt. Sed et hoc præcipue Cæsaris excitabat audaciam, quia res ei erat adversus otiosum militem, ducemque emeritum, et qui longa pace dedicerat ducem. Refert Trogus Pompeius [63], quod novissimus rex Assyriorum Sardanapalus propter otium et mollitiem vitæ a regali solio turpiter est dejectus. Quid Romanos extulit? aut unde habuerunt super omnes populos principatum? nomen eis et gloriam acquisivit armorum usus et exercitatio præliorum. Vegetii Renati testimonio [64] inutilis est omnino militiæ nutritus tenere, et deliciis assuetus; eum autem censet præliis aptiorem, qui sub divo et sole nutritur, laboris patiens, umbræ negligens, balneorum nescius, æquo ferens frigoris injurias et caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus; qui non erubescit fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides et cæmentum, lignorumque materiam comportare. Ideo, teste eodem auctore [65], Romana juventus quondam abluebat in Tiberi sudorem, quem cursu vel exercitio campestri collegerat: nec minus balnea, quam effeminatrices aquas Salmacis abhorrebat. Sed etiam in temporibus Judicum Jerobaa sive Gedeon, ut figuralium mysteria tocerentur Domino mandante, prohibitus est in multitudine delicata atque inexercitata et timida Madianitis occurrere. Cumque clamaret Gedeon, cunctis audientibus: *Qui formidolosus est et timidus, revertatur* [66], recesserunt ab eo viginti et duo millia, et tantum decem millia remanserunt. Sed et de illis tanquam ad bellum expeditiores duntaxat elegit, qui in siti sua velut canes tamberent, et festinantius aquam ad os mitterent: illis prorsus abjectis, qui se ad bibendum flexo poplite inclinabant. In trecentis itaque facta est liberatio populi, quos non crediderim inter delicatiores epulas, et exquisita convivia didicisse aquam lambere. Quos ideo prælegit Dominus, quia necessitati satisfecerunt in humilitate naturæ. Hodie in deliciis nutritur, et tota ad carnis delicias se relaxat philosymbola nostra

In cute curanda plus æquo operosa juventus [67].

Quod si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, summarii eorum non ferro, sed vino, non lanceis, sed caseis, non ensibus, sed utribus, non hastis, sed verubus onerantur. Credas eos ire ad demum convivii, non ad bellum. Clypeos deferunt optime deauratos, prædam potius hostium cupientes, quam certamen ab hostibus, et eos referunt, ut ita loquar, virgines et intactos. Bella tamen et conflictus equestres depingi faciunt in sellis et clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi, aut videre non audent. Eleganter Scipio Africanus, sicut in libro Stratagematum Julius Frontinus refert [68], cum scutum cujusdam vidisset auro et gemmis multipliciter ornatum, dixit se non mirari quod tanta diligentia ornasset, in quo plus præsidii, quam in ense haberet Æneas quidem gemmas a digitis ad ensem, Birro a digitis ad pocula legitur transtulisse. Refert Pericles non picturam, non aurum et lapides, sed scutum divulsum, fractum galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. Porro cum nostri milites ab expeditione sine vulnere et cicatrice, sanis etiam et integris armis per Dei gratiam revertuntur, curritur ad bibendi conflictum.

Crateras igitur læti statuunt, et vina coronant [69],
Atque exhausta canunt prælia Marte gravi.
Illic Æacides, illic tendebat Ulysses,
Et pingunt fluido Pergama tota mero [70].

Garriunt igitur, et laxant procaces linguas in detractionem hominum innocentium, desæviunt in christos Domini, referuntque et conferunt labores suos ad otia sacerdotum. Datur itaque inter eos sententia, et communi lege sancitur, ut decimas auferant, ut Ecclesiæ et clero non deferant, ut excommunicationem non timeant, ut non revereantur Deum, ut injuriis afficiant sacerdotes, et quidquid in usus Ecclesiæ cessit de largitione avitæ aut paternæ liberalitatis, evacuent. Verumtamen magnus Dominus, et terribilis nimis, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, ipse salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem tollensque virgam peccatorum desuper sortem justorum, argnet pro mansuetis terræ [71], et obstruet os loquentium iniqua, dejicietque omnem extollentiam superborum. Cum autem dicat Dominus sacerdotibus suis: *Qui vos spernit, me spernit* [72]; et *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* [73]: si nepotes vestros diligitis et zelatis ad vitam, ne pereant cum Oza, dum ad arcam Domini manum temerariam porrigit [74]; ipsos ad reveren-

[61] Dion. in *Vita*. [62] Fl. Veget. l. I *De re militari*, cap. 9. [63] Just. l. I. [64] Lib. I *De re militari*, c. 3 [65] Ovid. 15 *Metam*. [66] Judic. 7 [67] Horat. l. 1, ep. 2. [68] Lib. IV, cap. 1. [69] Virg. *Æn*. VII. [70] Ovid. *in Pentel*. [71] Isa. 11. [72] Luc. 10. [73] Zach. 2. [74] II Reg. 6.

tiam Ecclesiæ et officialium Christi salutaribus monitis informate. Nam, cum eos receperitis in sortem familiaritatis et participium mensæ vestræ, non estis omnino immunis a culpa, si commensales vestros permittitis passim garrire in clericos, et in Ecclesiam protervire.

Verum est, quia nepos vester S. in brachio et fortitudine advocati Bethuniæ quandoque, forsitan semel, solemnes militiæ titulos acquisivit; sed non propter hoc adversus Ecclesiam Dei superbiæ ventum debuerat concepisse. Nihil enim est, quod magis laudis imminuat pretium, quam suos assidue jactitare successus, et singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario [75], quod cum plurima fecisset egregie, una sui jactitatione gloriam famæ perdidit; et quia sibi præsumpsit ascribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit. Ut ad domestica jactantiæ et ostentationis veniamus exempla : rex Ezechias [76], quem Dominus in umbra horologii, in appositione annorum, et fuga Sennacherib præ universis regibus honoraverat, quia nuntiis Merodach filii Baladan regis Babylonis pigmenta, unguenta quoque, et domum vasorum, cellasque aromatum, et omne quod erat in thesauris suis ad ostentationem et jactantiam demonstravit, juxta verbum Isaiæ filii Amos, thesauri ejus ablati, et in Babylonem translati sunt; filiique ejus captivati, et in palatio regis Babylonis facti sunt eunuchi. Triplex quoque optio divinæ animadversionis proposita est David, eo quod ad jactantiam Dei populum numeravit [77]. Sed Nabuchodonosor [78], quia se magnificavit in fortitudine et decore et gloria regni sui, humiliatus in animal brutum *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [79]. Utinam non intumescant adversus Christum et christos ejus; sed humiliter ac devote recolant qualiter per gratiam Dei, aut potius vestram, de pulvere paupertatis, et de stercore sunt erecti ! Nam et Abraham electus et vocatus a Domino, memor tamen suæ conditionis : *Loquar*, inquit, *ad Dominum, cum sim pulvis et cinis* [80]. In Levitico [81] etiam de sacrificio avium præcipitur, ut plumæ et vesicula pulmonis deponantur in pulvere, quatenus in quem Dominus exaltat, humilietur, et inter divinæ gratiæ magnificentias se pulverem recognoscat. Bene valeatis.

EPISTOLA XCV.

AD H. ANGLORUM REGEM.

ARGUMENTUM. — *Quoniam rex Angliæ conscius esse non poterat omnium, quæ in amplissimis provinciis agerentur, monet eum de variis vicecomitum et aliorum inferiorum præfectorum abusibus, modumque aperit, quo emendari possint.*

Charissimo domino suo H. Dei gratia illustris-A simo Anglorum regi, duci Northman. et Aquitan, comiti Andegan., suus P. Blesen. Bath. archid., salutem, in regno temporali regni cœlestis memoriam et amorem.

Loqui vereor, et tacere non expedit : mihi tamen tutius videretur æstuantis animi motum dissimulare silentio : sed imminet animæ meæ magnum ex mea taciturnitate periculum. Loquar ergo, quia, ut verbo Job utar, si tacuero, *os meum condemnabit me* [82]. Loquar quod vobis ad honorem et salutem cedere debeat, vestris vero subditis ad quietem. Licet præ cunctis regibus terræ subjectorum mores, vestrique regni statum noveritis : quia tamen humanum transcendit ingenium omnium habere notitiam, quæ in tot et tam diffusis provinciis fiunt, B audite pauca, quæ nec ego sine peccato possum silentio tenere, nec vos sine periculo ignorare. Multa siquidem Dominum quandoque latent, quæ subditis innotescunt. Nam testimonio Aquinatis,

Dedecus ille domus sciet ultimus [83].

Cum multa fiant in domibus privatorum, quæ dominorum notitiæ subducantur, non est vestræ negligentiæ aut incuriæ ascribendum, si in tam spatiosis et diffusis regionibus, quibus Dominus vos præfecit, singulorum excessus non novistis ad plenum. Ipsos enim justitiarios, quos vulgariter errantes, vel itinerantes dicimus, dum errata hominum diligenter explorant, frequenter errare contingit. Excessus namque hominum absconduntur, aut amore, aut timore, aut lege consanguinitatis, aut pietatis C officio, aut occultis muneribus redimuntur. Amittitur [84] enim vox redemptæ miserationis et in injuriam senatusconsulti Turpiliani abolitio impetratur. Forestariorum siquidem ac vicecomitum innumeri officiales, dum avaritiæ et cupiditati suæ satisfacere student, deprædantur pauperes, simplicibus insidiantur, fovent impios, opprimunt innocentes *exsultant in rebus pessimis, lætantur cum male fecerint* [85], peccata populi comedunt, luxuriantur in lacrymis viduarum, et in fame pupillorum, in pauperum nuditate, in afflictione simplicium. Legitur in libro Sapientiæ, quia *venatio leonis onager in eremo* [86] : sic et pauperes, vicecomitum aut nemoralium judicum, et aliorum collateralium sunt esca et potus, ac publica deprædationis occa-D sio. Devorat justum impius, rusticum curialis, exactor innocentem, simplicem fraudulentus. Ministerialium siquidem tanta est multitudo, quanta est locustarum, ut istis recedentibus illi succedant, et quod ex parte fuerat devoratum, alii devorent exitialiter et consumant : impleturque in eis illud propheticum : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bru-*

—

[75] Plut. *in C. Mario*. [76] Isa. 39, IV Reg. 20. [77] II Reg. 24. [78] Dan. 4. [79] Psal. 48. [80] Gen. 18. [81] Cap. 1. [82] Job. 9. [83] Juv. *Sat.* 10. [84] *Cod.* l. x, tit. 45, l. *Is demum*. [85] Prov. 2. [86] Eccli. 13.

chi comedit ærugo [87]. Isti sunt merguli, rapina piscium suam urgentes ingluviem, quos beatus Martinus abigens dicebat : Hæc forma dæmonum est. Isti sunt sanguisugæ principum, sitientes assidue, et bibentes sanguinem alienum [88]. De Samuele quidem scriptum est, quia judicabat populum Israel, circuiens Bethel et Galgala, el Masphat, revertebaturque in Ramatha, ubi erat nativitas et habitatio ejus [89]. In quo manifestissime præsumitur quod nec esculentum, nec poculentum ex sua jurisdictione captabat. Unde loquens ad omnes filios Israel, libera conscientia et secura dicebat : *Ego ab adolescentia mea vobiscum conversatus sum. Loquimini de me coram Domino, et coram christo ejus, utrum bovem alicujus tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis* [90]. Consimile est, quod beatus Job dicit [90*] : *Si clamat adversum me terra mea*, quasi diceret : Subjectus meus contra me super aliquo gravamine, aut oppressione non clamat. Accusatur hodie simplex et innocens, quod silvam inciderit, quod ferarum captioni consenserit, quod jura coronæ tacuerit, quod publicæ functionis tributum non solverit, quod hundredo et alimoto (27) defuerit, quod regios ministeriales honorifice non exhibuerit : qui tamen nec habebat, unde sibi et uxori ministraret ac filiis. Et hoc tamen tolerabilius esset, si eis respondere liceret, ac suam allegare inopiam. Porro apud tales verba pauperum leviora sunt vento, et quantumlibet firma juramenta vilescunt, quia juxta verbum ethinci,

contemnere fulmina pauper
Creditur, atque deos, diis ignoscentibus ipsis.
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei [91].

Cum scriptum sit : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* [92]. Hi qui judicant pauperes vestros, justitiam et prudentiam ignorantes solam esuriunt et sitiunt pecuniam. Majores enim vestri officiales tales duntaxat sibi substituunt, quos exspectatio lucri, vel affinitas, aut natura, aut nutritura commendat. Ideoque sapientia miserabili lamentatione conqueritur : *Tenentes*, inquit, *legem nescierunt me* [93], *ju-*

A *dices exstiterunt, et ego ignorabam* [94]. Potestas equidem judicialis, et æquitatis ministerium non ex carnis dilectione, sed ex sola debet dilectione hominum aut Dei certa dispensatione procedere. Certe cum Moyses dubitaret de filiabus Salphaad judicio Domino ad paternæ hæreditatis beneficium sunt admissæ [95]. Successio siquidem sanguinis hæredem facit, electio judicem. Sane illi constituendi sunt judices populorum, quos vita purior, et eminentior prudentia præ cæteris illustravit : nam reverentia et auctoritate præsidentium vitia temperantur in subditis. Scipionem Africanum tanta morum gravitas, et austeræ maturitas pudicitiæ commendavit, ut solo suæ castitatis exemplo publicum votum continentiæ firmaret in populis. Iste, B sicut Titus Livius [96] refert, cum a Pyrenæis montibus usque ad columnas Herculis, et usque ad Oceanum devicto Annibale, et aliis Romanorum hostibus provincias subjugasset, pueros captivos et puellas egregiæ pulchritudinis restituit barbaris, nec passus est eas in suum venire conspectum, ne vel oculus ejus aliquid de integritate pudicitiæ delibaret. Legitur Fronto tantam gravitatem vitæ operibus et facie prætendisse, ut non solummodo actus, sed affectus quoque illicitos in hominibus cohiberet. De seipso Job dicit : *Quando procedebam ad portam civitatis, in platea cathedram parabant mihi. Videbant me juvenes, et abscondebantur, senes assurgentes astabant mihi. Principes cessabant loqui, et superponebant digitum ori suo* [97]. Indignantur viri C nobiles et discreti, quia eorum jurisdictioni subjecti sunt, quos sciunt esse plebeios, et qui nullos prudentiæ aut virtutis titulos præferunt ; nisi quod familiaribus vestris parentela vel affinitate, obsequio aut muneribus adhæserunt.

Hæc in vestram notitiam, amantissime princeps, facile venire non possunt. Licet enim clamores pauperum benigne et misericorditer exaudire velitis, pauper tamen veretur aperire malitiam exactorum, ne graviora moliantur in eum, et fiant posteriora hominis pejora prioribus. Quod si aliquis compassione et misericordia ductus vobis pauperum pressuras, et tyrannicas ministrorum exactiones revelare attentet, Domini eorum graviter move-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(27) Hundredum sive hundredus tribus modis sumitur. Primo pro comitatus seu provinciæ parte continente centum villas, vel in qua habitarent centum pacis regiæ fidejussores, dicebaturque aliter cantreda, hoc est centena, scilicet a fidejussorum numero centenario. Quare hundredi dominus idem erat ac centenarius. Hundredum etiam dicebatur wapentachium a wapen, hoc est armis ; quia, quoties novus esset hundredi dominus, illi qui suberant, in subjectionis signum ea reddere tenebantur. Secundo sumitur pro curia seu placitis (nos assisias appellamus) auctoritate domini hundredi convocatis, quibus adesse tenebantur omnes D hundredarii. Tertio denique pro præstationibus seu tributis debitis domino hundredi. Halimotum vero est conventus aulæ curiæ dominicalis manerii vel baronis in villis et dominiis ; seu tribuum, wardarum et societatum in burgis et urbibus. Quare hundredum hic in secundo significatu usurpatur, ita ut deesse hundredo et halimoto, nihil aliud sit, quam abesse a placitis seu curia quibus interesse debebant hundredarii, id est qui subjecti erant domino hundredi. Vide de his vocibus plurima apud Spelmannum, Somnerum et Willelmum Wats in *Glossariis*, et Vossium in lib. *De vitiis sermonis*.

[87] Joel. 1. [88] S. Sulp. epist. 2 *ad Bassalam*. [89] I Reg. 7. [90] I Reg. 12. [90*]. Cap. 31. [91] Juven. *Sat*. 3. [92] Matth. 5. [93] Jer. 2. [94] Ose. 8. [95] Num. 27. [96] Dec. 3 Gell. 6 c. 8 ; Valer. 4, cap. 5. [97] Job. 29.

buntur, atque in odium illius, qui causam pauperum ad vos detulerit, omnes alios aulicos excitabunt. Licet autem in plerisque curialibus simultates et invidiæ præcipue regnent, ubi tamen occasione talium aliquis diffamatur, etiam hostes suos invenit defensores. Cumque in omnibus fere voluptates eorum dissideant, in excusatione tamen ac defensione mutua socialis gratiæ vinculum servant, et spiritum unitatis. Hi namque sunt squammæ Behemoth, de quibus in Job legitur, quia una uni conjungitur, et spiraculum vitæ non incedit per eas [98]. Si in auditorio vestræ celsitudinis, aut in præsentia vestræ justitiæ principalis causarum negotia ventilantur, ibi nec aura munerum locum invenit, nec acceptio personarum. Ibi omnia procedunt in judicio et justitia, nec excedunt statuta vestra vel in modico limites æquitatis. Porro si ad Pedaneos et minores judices pauperum negotia devolvantur, justificatur impius pro muneribus, atque in subversionem judicii, et captionem pauperis, et syllabarum aucupationes, et verborum tendiculæ proponuntur. Quidam sunt, qui super exhibitione, aut exsecutione justitiæ litteras non idulgent, nisi sub certa promissione pecuniæ. Sed sciat, quisquis hujusmodi litteras vendidit, quod Dei justitiam, cujus debitor est, et quam gratis exhibere tenetur, venalem exponit. Sanctorum enim Patrum auctoritate, qui unum vendit, sine quo reliquum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.

Certe acceptior est apud Deum justitia, quam præbenda ; ideoque cum in utroque possit Simonia committi, damnabilior tamen est apud eum omnis venalitas in exhibitione justitiæ, quam in venditione decimæ aut præbendæ. Hæc vos, justissime princeps, oportet diligenter inquirere, et inquisita corrigere, ne minorum excessus de vestris manibus a Domino requirantur. Frequenter enim culpa populi redundat in principem, quasi de majorum negligentia obveniant errata minorum. Legitur in libro Numerorum [99] quod fornicante populo Israel cum Madianitis, Phinees pugione perfodit Zambri et Madianitidem coeuntes ; quievitque ira Domini, factusque est sermo Domini ad Moysen : *Tolle*, inquit, *cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis.* Principes non peccaverant, sed populus ; principes tamen pro peccato populi puniuntur. Heli pro peccato filiorum suorum punitus est [100]. Sustinete patienter, invictissime princeps, quod vobis ex sincera devotione propono. Zelo enim et sitio salutem vestram ardentissimo charitatis affectu. Non est ludus in oppressionibus pauperum, quæ non expiantur muneribus, nec eleemosynis redimuntur. Nam *qui offert sacrificium de substantia pauperis*, teste Salomone, facit *sicut qui victimat filium ante oculos patris* [1], *Ne dicas* dicit Sapiens, *In multitudine munerum meorum, respiciet Deus, et offerente me munera* placabitur Altissimus [2]. Certe bonorum nostrorum non indiget Deus. Et qui dat regibus divitias terræ ab eis aurum non postulat, vel aegentum, sed ut audiant causam viduæ et pupilli, et ut arguant pro mansuetis terræ [3]. Expedit vobis, illustrissime princeps, ista diligenter attendere, talesque ministros publici juris instituere, qui vestro, vestræque justitiæ principalis exemplo Deum timeant, qui non sequantur retributiones, qui personarum gratiam non acceptent, qui de vestrorum familiarium parentela fiduciam impunitatis, et audaciam sæviendi non habeant. Apud antiquos, teste Cicerone [4], proverbialiter dicebatur : « Exuit personam judicis, quisquis amicum induit. » Æquitas enim, cui judex obsequitur, sinistram odii vel amoris dexteram nescit. Talis debet esse minister juris, ut in ejus manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra justitiæ [5]. Magni quidem Alexandri causa in castrensi judicio a commilitonibus ejus abjecto terrore damnata est. Nominatissimus eloquentiæ doctor Pythagoras in causa, quam habebat erga discipulum suum, sententiam postulabat instanter, ejus tamen petitio audita non est. Nec terror Alexandri, nec auctoritas Pythagoræ justiciæ lancem ab æquitate potuit declinare. Nihil adeo gloriose lucet in principe, sicut amare et exhibere justitiam sine omni acceptione personæ Zaleucus [6], cum in urbe Locrensium filius ejus in adulterio deprehensus secundum legem civitatis, quam ipse condiderat, privandus esset utroque oculo ; atque ob honorem patris pœnam ei debitam populus remitteret universus, ille aliquandiu repugnavit. Tandem prece et instantia populi victus, sibi prius unum, et postea filio alterum eruit oculum, et sic relicto utrique usu videndi, mirabili æquitatis temperamento justitiam in patre, et misericordiam servavit in principe. Quod si ferre vultis manipulos justitiæ in conspectu magni et districti Judicis, oportet, quod vestri regni judices districtissime judicetis, ut terror et reverentia regiæ majestatis eos ad salutaria excitet, quos gehennale incendium, et pœna infinibilis pravis deputata judicibus non deterret. Vale.

EPISTOLA XCVI.

ARGUMENTUM. — *Ricardus e monacho Cisterciensis ad archiepiscopatum Cantuariensem evectus commendat se orationibus Patrum Cistercii congregatorum.*

Venerabilibus et sanctis Patribus in Cisterciensi capitulo congregatis, R. Dei permissione Cantuar. Ecclesiæ minister, salutem in auctore salutis.

—

[98] Job. 41. [99] Cap. 25. [100] I Reg. 4. [1] Eccli. 34. [2] Eccli. 7. [3] Isa. 11. [4] Lib. 3 *Offic.* [5] Leg. Joan. Sarisb. l. v, *Polycrat.* c. 12. [6] Ælianus *in Var.*

A Inter desiderabilia hujus mundi, præcipuum apud me versabatur in votis, vestræ sanctitatis conventui præsentialiter interesse, sed novæ vocationis occupatio, et incumbens negotiorum prolixitas fructum optatæ jucunditatis invidet mihi, nec me castris felicibus ad tempus interessse permittit. O castra optabilia! o congregatio venoranda! o Cistercium, quam magna est domus tua, quam fecunda in filiis, quam magnifica in linguis, quam gloriosa in populis! Leva oculos tuos et vide omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, linguarum apud te diversitates innuit unius vitæ professio, et ex omni genere religio congregata miraculum Pentecostes in emissione sancti Spiritus repræsentat, ut utar verbo Apostoli [7] : *Testis est mihi Deus*, quomodo cupiam vos in visceribus Jesu Christi B fovens affectionem invicem in visceribus charitatis, non deserens collectionem vestram, quam per præsentiam spiritus amplector in Christo, memor communionis vestræ, cujus oblivisci non possum. Vos enim estis gloria mea et gaudium honor capitis mei et corona. Ille, *qui*, juxta verbum Job 8, *ponit humiles in sublimi*; ille, *qui vocat ea quæ sunt* [9], ipse ad onus mihi importabile me vocavit [10]. *Ego* autem *vir videns paupertatem meam* [11] et insufficentiam meam, considerans etiam qualiter ex simili causa gemant gigantes sub aquis [12], et curvantur qui portant orbem, a pusillanimitate spiritus et tempestate subverterer, nisi in lapide adjutorii, et orationum vestrarum suffragio fiduciam concepissem. Nam, juxta verbum Job [13], *quæ est fortitudo mea, ut sustineam Ecce non est auxilium mihi in me*, C sed infirmitas et defectus Vereor, ne offensus mihi Dominus hanc injunxerit mihi sollicitudinem multorum, qui non sufficiebam propriæ salutis procurare negotium. Sed posuit mibi Dominus in vobis verbum reconciliationis, ut si offensus mihi est, se propitium vestra oratione mihi exhibeat, meumque suppleat imperfectum. Nam potens est, omnia facere superabundantius, quam petimus et intelligimus. *Si qua ergo* vobis *consolatio* est *in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum* [14]. Gaudii namque mei plenitudinem post Deum in orationibus vestris pono, ut vestrarum beneficio precum in hac administratione mihi commissa velit misericordia Domini meum suppor- D tare defectum. Nam Apostolus, licet vas electionis factus, et virtute indutus ex alto, sanctorum tamen orationes sibi ad doctrinam gentium necessarias judicans: *Obsecro*, inquit, *vos per Dominum Jesum Christum et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me orationibus vestris apud Dominum* [15]. Nos igitur infirmi et fragiles, devote et humiliter supplicamus, ut per pias affectiones vestras circa nos excitet vinculum fraternalis professionis, communio charitatis, debitum subjectorum, necessitas et devotio supplicantis.

EPISTOLA XCVII.

AD ABBATEM DE EVESHAM (28).

ARGUMENTUM. — *Ostendit monasticorum ordinum varietatem esse laudandam, nec facile ab uno ad alium transeundum; laborem autem manuum in iis nec laudandum nec improbandum.*

Reverendo Patri et domino abbati de Evesham, M. PETRUS Blesens. Bath. archid., salutem in auctore salutis.

Invidiæ proprium est laudem alterius suam reputare injuriam; sed probata in vobis religio, et nativæ benignitatis interpres, morum jucunda suavitas sibi ad contumeliam non ascribet, quod Cisterciensum aut Carthusiensium ordinem visus sum præ cæteris commendasse. Nihil vobis in eorum commendatione detraxi. Illos approbo, et vos laudo; ipsorumque titulos in vestræ famæ præjudicium non erexi. Christus divisus non est; sive in alba, sive in pulla veste, in omni professione et ordine, *in omni gente quicunque operatur voluntatem Domini acceptus est illi* [16]. Inter album et nigrum habitum non distinguit ille, *apud quem non est distinctio Judæi et Græci* [17]. Attendit Dominus mentem non vestem, merita non colorem. In monte Cassino schema monasticum, quo B. Benedictus est usus, usque hodie, sicut dicitur, perseverat. Quis audeat tanti Patris habitum blasphemare in filiis? nam si delibatio sancta, et massa; si radix sancta, et rami. Sive cum Nazaræis candidior nive sit aliquis [18], sive cum B. Job super carbonem denigrata sit cutis ejus [19], uterque salutem iu domo Domini operatur. Sane in ovili Jacob sunt agni albi et nigri [20]. In vinea Sorec sunt uvæ albæ et nigræ [21]. Sed et sponsa, quæ liliis convallium præalbescit, ipsa eadem dicit: *Nigra sum, sed formosa* [22]. Apud sponsam Christi non est absurda varietas, cum ipsa circumamicta varietatibus describatur [23]. Ipsa varietas uniformitatis causa est. Nam in cithara ex diversitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum. Porro, juxta Apostolum [24], *divisiones gratiarum, et divisiones ministrationum, et divisiones operationum sunt, idem vero est Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Legitur enim

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(28) Ex Guillelmo Malmesburiensi lib. IV *De gestis pontificum Anglorum*, monasterium Eveshamense ordinis S. Benedicti in provincia Wigorniensi situm a beato Egwino tertio, Wigorniensi episcopo, fundatum fuit. Idem habeter apud *Monasticum Anglicanum* tomo I, p. 144.

---

[7] Rom. 1. [8] Cap. 5. [9] Rom. 4. [10] Matth. 23. [11] Thren. 3. [12] Job. 26. [13] cap. 6. [14] Phil. 2. [15] Rom. 15. [16] Act. 10. [17] Ibid. [18] Thren. 4. [19] Job. 30. [20] Gen. 30. [21] Isa. 5. [22] Cant. 1. [23] Psal. 44. [24] I Cor. 12.

in libro Numeri [26], qualiter diversa officia Dominus A in ministerium tabernaculi voluerit ordinari, ut essent alii Levitæ, alii Meratitæ alii Caathitæ, alii Gersonitæ, alii Aaronitæ. Apostolo autem teste, *quosdam dedit Dominus apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores* [27]. *Non enim omnia corporis membra eumdem actum habent* [28], ut ex multarum personis facierum, ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ Deo agantur. Sponsæ decorem videas in varietate actuum, professionum, morum, opinionum et ordinum. Ideoque describitur in sacro eloquio quasi cedrus, quasi cypressus, quasi palma, quasi plantatio rosæ, quasi oliva, quasi platanus, sicut cinnamomum et balsamum, quasi myrrha electa, quasi storax et galbanus, B et ungula, quasi terebynthus, quasi libanus non incisus [29]. Hanc varietatem per Isaiam insinuans, dicit Dominus: *Ecce ego sternam lapides tuos per ordinem, fundabo te in sapphiris, et jaspide, et lapidibus sculptis* [30]. Teste Apostolo, in domo Domini sunt vasa aurea et argentea, lignea et fictilia apta in ministerium: [31] sed et omnia membra corporis, cum sint multa, unum corpus sunt [32]. Universa enim opera, studia et consilia rediguntur ad unum. Nam *finis legis Christus ad justitiam omni credenti* [33]. Sanctus est ordo Cluniacensium, sanctusque Cisterciensium, et in utroque posuit Dominus ministerium reconciliationis et negotium salutis. Nemo graviter ferat diversitatem ordinum in hominibus; nam et in stellis ordo est. Luna etiam, teste Habacuc, stetit C in ordine suo: et diversi angelorum ordines distinguuntur [34]. *Videte* itaque *vocationem vestram* [34*]; unusquisque in ea qua vocatus est vocatione permaneat. Quidam inconsulta levitate animi cum enormi scandalo de domibus religiosis exeunt, et in aliena regula gloriantes, eam contemptui habent, cui se professionis vinculo astrinxerunt: nec advertunt verbum illud Apostoli: non gloriantes in regula aliena [35]. Propter hoc adversus magistrum Alexandrum in epistola quadam [36] nuper excandui, et verba quæ ipsum specialiter contingebant, passus sum in quorumdam offensam licentius, quam oportuit, exagari. Fateor quod psalmodiæ prolixitas, si ex devotione procedit, saluberrima est: si acediam habet sociam, occupatio tamen est honesta; et si vagos excursus mentis omnino non reprimit, per eam saltem homo studiis honestioribus assuescit. Labores autem manuales in monacho, nec arguere, nec laudare præsumo. Nam cum Apostolus ad Corinthios dicat: *Laboramus manibus nostris* [37]. et ad Ephesios: *Magis autem laboret manibus suis* [38]; et ad Thessalonicences; *Nocte et die laborantes, ne quemquam gravaremus* [39]. Idem tamen ad Timotheum scribens ait: *Exerce te ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est* [40]. De istis dicit Apostolus: *Qui non laborat, non manducet* [41]. Illis autem per Isaiam [42] mandat Dominus: *Stabunt alieni, et pascent pecora sua: filii eorum agricolæ, et vinitores vestri erunt. Vos autem sancti Domini vocabimini, ministri Dei.* Istis per Ecclesiam dicitur: *Non oderis laboriosa opera, et rusticationem a Deo creatam* [43]. Illis autem e contrario dicitur: *Sapientiam scribe in otio, et qui minoratur actu, inveniet eam* [44]. In hac diversitate *novit Dominus qui sunt ejus* [45]. Sed et juxta verbum Job, Deus in manu omnium hominum posuit signum, ut noverint singuli opera sua [46]: ejusdemque testimonio, *scriptus est liber Monumenti coram eo timentibus Deum, et recogitantibus nomen ejus* [47]. Item inter diversos ordines ille solus judicio meo prudenter et feliciter modum vitæ suæ dispensat, de cujus corde et manu Dominus servitutis obsequium gratanter acceptat.

EPISTOLA XCVIII.

AD SUFFRAGAN. ECCLES. CANTUAR.

[A. D. 1185.]

ARGUMENTUM. — *Archiepiscopus Cantuar, suffraganeis suis episcopis declarat, quantal necessitas sit succurrendi terræ Hierosolymitanæ, monetque ut sedulo pecuniam secundum formulam præscriptam a subditis suis in eam rem colligant.*

B. (29) Dei gratia Cantuar. archiepiscopus, Angliæ primas, venerabilibus et in Christo dilectis suffraganeis Ecclesiæ Cantuar., salutem in auctore salutis.

Ubi publica jactura est, et commune dispendium,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(29) Balduinus, primum abbas Fordensis, Cisterciensis ordinis in Anglia tum Wigorniensis episcopus creatus an 1181, postmodum defuncto Richardo, Cantuariensis archiepiscopus a monachis Cantuariensibus anno 1183 electus est. Primo quidem ab episcopis Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeis electus fuerat; verum cum monachi de hac electione contra jus suum facta ad sedem apostolicam appellare decrevissent rex Henricus II, qui Balduinum diligebat, interpositis precibus, monachisque libera eligendi quem vellent protestate relicta, eos ad eligendum Balduinum adhortatus est. Quod et fecerunt, licet ægre ferrent, quod nondum D quisquam ex ordine Cisterciensi Anglicanæ præfuisset Ecclesiæ, inquit Gervasius Derobern., tract. *De discordiis inter monachos Cantuariens. et archiepiscopum Balduinum.* Pacifice quidem aliquandiu cum eis egit Balduinus. Verum gravis inter eos exorta est discordia occasione cujusdam ecclesiæ, quam ipse Balduinus in detrimentum Cantuariensis Ecclesiæ ædificare moliebatur. De hac discordia videndi historici, et maxime Gervasius qui rem totam fusissime refert. Hic in bello contra Saladinum cum aliis multis episcopis et magnatibus cruce se signavit, obiitque anno 1191 in obsidione civitatis Accon in terra sancta.

---

[26] Cap. 3. [27] Ephes. 4. [28] Rom. 12, [29] Eccli. 24. [30] Isa. 54. [31] II. Tim. 2. [32] I Cor. 12. [33] Rom. 10. [34] Habac. 3. [34*] I Cor. 1. [35] II Cor. 10. [36] 86. [37] I Cor. 10. [38] Ephes. 4. [39] II Thess. 3. [40] I Tim. 4. [41] II Thess. 10. [42] Cap. 61. [43] Eccli. 7. [44] Eccli. 38. [45] II Tim. 2. [46] Job. 37. [47] Malach. 3.

sicut dolor in universitatem se porrigit, ita communi consilio et auxilio est utendum, ut verbis Jeremiæ utamur : Vox *lamentationis audita est de Sion, et planctus de Hierusalem* [47]. Facti sunt hostes ejus in capite, et inimici ejus locupletati sunt. Peccatis enim nostris exigentibus inimici crucis Christi adeo invaluerunt (30), quod terram sanctam, in qua steterunt pedes Domini, hæreditatem et patrimonium Crucifixi, in superbia et in abusione demoliri conantur, atque, juxta querelam ejusdem lamentatoris prophetæ [48], non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit, et non est, qui supponat manum ex omnibus filiis quos nutrivit. Clamat itaque ad vos Jerusalem mater nostra : suas nobis exponit angustias, et in remedium sui doloris postulat filiales affectus. Quia ergo filii estis, dolores maternos excipite, et, sicut dicit Isaias [49], tristamini *cum Jerusalem, et dolete cum ea omnes qui diligitis eam.* Veniunt enim gentes in hæreditatem Domini, ut polluant templum ejus. *Qui oderunt* Dominum, extulerunt caput, *et gloriati sunt* [50] omnes, *qui oderunt Sion* [51]. Dixerunt enim in corde suo cognatio eorum simul : Quiescere faciamus nomen Christi a terra : tollamus locum et gentem. Venite et disperdamus in multitudine gravi Christiani populi paucitatem. Speramus tamen in eo, qui spes nostra est, quoniam respiciet in faciem testamenti sui ; quia *urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea, murus et antemurale* [52]; licet multa malignetur nimicus in sancta, non est tamen abbreviata manus Domini, ut salvare non possit ; sed probat nos, ut appareat, si diligamus domum Jacob et locum habitationis gloriæ suæ, quam acquisivit sanguine suo, quam sua nativitate, conversatione, prædicatione, morte et resurrectione multipliciter illustravit. Juxta publicam juris civilis observantiam, rei proditionis apud Filium Dei erimus, si in terram, quam ex patris æterna donatione, et matris hæreditaria successione obtinet, gens apostata violenter irruat, populusque redemptus ab eo se ad tuitionem hæreditatis Dominicæ non apponat. Cum enim pater gentes in hæreditatem et possessionem terminos terræ dederit, mater ejus, quæ de tribu Juda et stirpe David recta linea duxit originem, regnum suum et filii sui requirit de manibus nostris, et ad defensionem illius fidelitatem, quam promisimus in baptismo, sine dissimulatione postulat exhiberi. Propter hoc missi sunt ad illustrissimum regem nostrum patriarcha Hierosolymitatus (30.), et alii magnates, quos nihil ad tanti laborem itineris, nisi prægrandis et urgentissima terræ necessitas induxisset. Sed et benignissimus princeps noster (31), quæ digna sunt principe cogitavit. Videns enim sanctæ civitati lamentabile periculum imminere, ad thesauros proprios magnificam et munificam manum misit, atque communi episcoporum terræ, comitumque et baronum consilio collectam instituit, quam juxta formam, quæ subscripta est, per singulas parochias episcopatus vestri faciatis diligenter et efficaciter observari, ut mater nostra Hierusalem, quæ gravissimo mœrore confecta est, sub officiosa filiorum visitatione respiret. Valete.

EPISTOLA XCIX.

AD URBANUM PAPAM ROMANUM.

[A. D. 1185-86.]

ARGUMENTUM. — *Balduinus archiepisc. Cantuar. gratulatur Urbano popæ, quod post Lucium III, unanimi consensu electorum fuerit in pontificem subrogatus, eique pro pallio recepto gratias agit.*

Sanctissimo Patri URBANO Dei gratia summo pontifici, BALDUINUS Cantuar. Ecclesiæ minister humilis, salutem et debitum devotionis absequium.

Domus Dei, etc. *Vide inter variorum ad Urbanum papam epistolas, post ipsius Regesta, Patrologiæ* t. CCII.

EPISTOLA C.

AD R. AMICUM SUUM.

[A. D. 1176.]

ARGUMENTUM. — *Tuetur famam cujusdam archiepiscopi novi, qui de nimia lenitate accusabatur : ac fuse ostendit, quæ lenitas laude, quæ reprehensione digna sit in episcopo.*

Charissimo domino et amico R. suus P. Blesensis Bath. archid., salutem et patientiæ fructum.

Innocentem arguis, virumque fortem vocas tepidum et remissum ; et utens verbo illo Levetici [53] : nihil mellis adolebis in sacrificio Domini, hominem probatæ religionis perhibes a divinis sacrificiis alie-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(30) De hac terræ sanctæ invasione legendi omnes hujus temporis historici, et ex illis Baronius ad an. 1185 et seqq.

(30*) Heraclius, qui cum summis Hospitalis et Templi magistris a Christianis terræ sanctæ incolis ad reges et principes Christianos pro bello inimicis Christi inferendo missi sunt. Et primum quidem Romam ad summum pontificem Lucium III pervenerunt, a quo, litteras ad reges Christianos acceperunt, et in primis ad Henricum regem Anglorum, et cum litteris ipsi vexillum regium, claves sepulcri Domini, claves etiam turris David, et civitatis Jerusalem obtulerunt. Hæc Rogerius de Hoveden ad an. 1185. Qui et epistolam Lucii ad Henricum refert. Idem etiam habet Radulfus de Diceto in *Imaginibus historiarum*, Gervasius in *Chronicis*, et Knyghton *De eventibus Angliæ* ad eumdem an. 1185.

(31) Quam benigne ab Henrico suscepti sint terræ sanctæ legati narrant omnes historici. Sed et ipse Henricus non modicam pecuniæ summam pro subsidio terræ sanctæ pollicitus est, decimamque, quæ Saladina appellata est, per universas dominationis suæ provincias colligi imperavit.

Ex supradictis patet hanc epistolam scriptam esse circa finem anni 1185 vel initium 1186, quia legati terræ sanctæ Kal. Februarii Cantuariam advenerunt.

[47] Jer. 9. [48] Isa. 51. [49] Isa. 66. [50] Psal. 73. [51] Psal. 128. [52] Isa. 26. [53] Cap. 2.

num. Sane cum Spiritus Dei reddat testimonium spiritui ejus, ipsi pro modico est, ut ab homine judicetur, aut ab humano die. Sed et *tu quis es, qui servum judicas alienum. Domino suo stat, aut cadit; stabit autem* [54]. Nam, si statum animi sui studio propensiore attendas, nihil in eo variabile reperies, aut incertum, sed quidquid in animo suo prævia ratione disponit, firmissima invenies stabilitate subnixum. Mel, inquis, non acceptatur in sacrificio Domini ; nec accepta est a Domino, quæ significatur in melle blanda et dissoluta lenitas prælatorum. Amice, est lenitas, et est lenitas. Est lenitas necessaria, et lenitas dissoluta. Nam et mel, licet prohibeatur a sacrificio, sicut assidue improperando proponis, mellis tamen primitiæ offeruntur; et ubi prohibetur mellis sacrificium, ibidem mellis primitiæ jubentur offerri. Velles, vellentque omnes, qui tecum desipiunt, quod dominus meus (31*) ex quolibet motu animi inter regnum et sacerdotium fœdus, pacemque dissolveret, nec mellis primitias in oblatione præmissiæ pacis offerret. Juxta omnem legem, juxta omnium gentium ritus, pax prius offerenda est etiam inimicis, maxime in fide Christi, in qua nihil præcipitanter agendum est, in qua nemo repente sit summus. Attende igitur diligenter, quia est quædam remissio cauta et necessaria, quæ defertur potestatibus hujus mundi, et maxime regi tanquam præcellenti. Nam *omnis potestas a Domino Deo est* [55]. Hæc lenitas regnum et sacerdotium facit unum ; unde hæc sua benignitate obtinet, quod nunquam per minas aut violentias a principibus extorqueret (32). In hac lenitate, nec Deus, nec homo offenditur, in qua fides a prælato tam Deo quam homini exhibetur. De hac lenitate et de hac fide scriptum est. *In fide et in lenitate ipsius sanctum fecit illum* [56]. Turpe quidem et absurdum est in prælato cum ira et austeritate corripere, sicut Apostolus ad Timotheum scribens, ait : *Servum*, inquit, *Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse et patientem ad omnes, et cum* lenitate corripere eos, *qui resistunt veritati* [57]. Legitur [58], quoniam aquæ Siloes cum silentio currunt, aquæ vero Rasin transeunt cum tumultu. Cumque sponsa in Canticis [59] dicat : *Amicus meus bibit vinum cum lacte*, id est rigorem exercet cum lenitate ; ipse conversus ad sponsam, et severitati mansuetudinem præferens : *Meliora sunt*, inquit, *ubera tua vino* [60]. Cum

A propheta diceret : *Ecce spiritus grandis conterens petras, et non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio ; et non in commotione Dominus ; et post commotionem ignis ; et non in igne Dominus* : et adjungit : *et post ignem sibilus auræ tenuis ; et in eo Dominus* [61]. Nam dum spiritus iræ et commotionis, ignisque et iracundiæ Deo displiceant ; ipsa accepta est lenis ac blanda correctio. Verumtamen in hac lenitate, aut potius in hoc melle fel fructuose correctionis absconditum est. Nam in sua lenitate zelum, et in blanditis suis aculeos habet ; et ecce in suavitate et paces ejus amaritudo amarissima [62] est adversus eos, qui ignorant et errant. Ubi enim verius diligit, severius corrigit, occulte tamen ; et efficacior est in eis ad emendationem principum

B lenitas columbina, quam severitas exterior, et indignatio vultuosa ; sicut in Jeremia notatur [63] : *Facta est*, inquit, *terra iniquorum in desolationem a facie iræ columbæ*. Hæc lenitas spiritum fortitudinis habet. Et, ut verbo Job utar [64], hæc est, quæ *dicit regi, apostata* ; quæ *duces impios vocat* : hæc *non accipit personas principum* ; *nec* agnoscit *tyrannum, cum* disceptaverit *contra pauperem*. Attende igitur, quia distinctionem recipiunt, suasque vices utiliter et prudenter alternant blanda et severa correctio. Nam de utraque in Ezechiele scriptum est [65] : *Ignis erat in medio, et de medio ignis quasi species electri* ; cum electrum sit genus metalli temperatissimum, significat correctionis suavissimum blandimentum. De severitate autem scriptum est ibi : *Ignis erat in medio animalium, et de igne fulgur egrediens* [66]. De-

C bet itaque mansuescere quandoque severitas. Nam et in opere templi, ubi leones sculpti sunt, et lora depinguntur, in quo notatur necessarium esse, ut disciplinæ severitas refrenata loro mansuetudinis temperetur. Verumtamen remissio, quæ os prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem et venditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam venatur in favore principum, hæc miseros præcipitat in foveam scandalorum. In hac fovea, sicut propheta dicit [67], cubavit lamia, et invenit sibi requiem. In hac, teste B. Job [68] *bestia* suum *ingreditur latibulum, et in antro suo morabitur*. Hæc est remissio, per quam unus ædificat parietem, et alius linit ; per quam *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [69]. Per

D hanc *canes muti non valentes*, imo non volentes,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(31*) Intelligit Richardum Cantuariensem archiepiscopum, cujus erat familiaris et cancellarius Petrus Blesensis. De quo vide quæ dixi ad epist. 5.

(32) Quod principes non sint exasperandi, et acrius objurgandi demonstrat Petrus noster epistola 10.

Scripta est hæc epistola circa an. 1176, scilicet paulo post consecrationem Richardi in archiepiscopum Cantuariensem.

—

[54] Rom. 14. [55] Rom. 13. [56] Eccli. 45. [57] II Tim. 2. [58] Isa. 8. [59] Cap. 5. [60] Cant. 1. [61] III Reg. 19. [62] Isa. 38. [63] Cap. 25. [64] Cap. 34. [65] Cap. 1. [66] Ibid. [67] Isa. 34. [68] Cap. 37, [69] Psal. 10.

latrare [70], per consensus uniformitatem, faciem et similitudinem peccatoris assumunt, sicut scriptum est: *Usquequo judicatis iniquitatem, et faciem peccatoris sumitis* [71]? Per hanc prælati miseri bonum pœnitentiæ, quod in principibus vident, palpando, et usque ad canos uberiorem Christi misericordiam promittendo evacuant. De quibus sub specie Ephraim propheta irascens: *Comederunt*, inquit, *alieni robur ejus, et nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ignoravit* [72]. Hic est ventus adulationis, ventus pessimus, ventus urens, multos erigens in superbiam, atque a proposito et desiderio sanctitatis avellens, sicut in eorum persona Job dicit [73]: *Abstulisti sicut ventus desiderium meum; elevasti me, et super ventum ponens elisisti me.* Sane certus es, quod in Dominum meum nulla cadit adulationis aut remissionis dissolutæ suspicio; cujus vita est omni exceptione superior; cujus verba, ut testimonio Jeremiæ [74] utamur, *quasi ignis, et quasi malleus conterens petram.* Veruntamen ratio est, quare non habeat in ore suo redargutiones ad tempus. Adhuc recens et novitius est injunctæ sibi administrationis officio; scitisque, quod non aratur in primogenito bovis, nec spicæ virentes in oblationem veniunt, donec ignibus torreantur [75]. Tota itaque intentio ejus nunc est, ut plantet episcopos, ut habeat adjutorium simile sibi: *væ* enim *soli* [76]. Nam non sufficit solus oneri, sub quo curvantur, qui portant orbem. Si interim a quibusdam sub prætextu amoris, sicut dicunt, arguitur: ipse de sua apud Deum intentione securus eum B. Job [77] respondebit, et dicet: *Verbosi amici mei, ad Deum stillat oculus meus.* Illud equidem moris est, ut se in prælatos linguæ prurientes exerceant; et ad hoc prælati constituti sunt, ut linguæ meretricantis injurias modeste et patienter ferant. Sicut Paulus inter blasphemos: *Vos*, inquit, *scitis, quia ad hoc positi sumus* [78]. Si ad caput nostrum Christum respicitis, nullius innocentiam maledicus, aut detractor acerbius impugnavit; quem Judaica superstitio, nunc fabri filium [79], nunc vinosum, nunc voratorem carnium [80], nunc ministrum Beelzebub [81], nunc socium ethnicorum, nunc destructorem Sabbati [82] vocans multipliciter in eum virus suæ malignitatis effudit.

EPISTOLA CI.

AD R. ARCHIDIAC. NANNET.

Argumentum. — *Judicium suum archidiacono exponit de ingenio nepotum duorum suæ institutioni commissorum, simulque docet nonnisi jactis probe fundamentis grammatices ad sublimiora studia prosiliendum.*

Charissimo domino et amico suo R. archidiacono Nannetensi, P. Blesens., salutem et si quid melius est salute.

A Duos e nepotibus tuis mihi erudiendos nudiustertius commisisti; alterum pueritiæ annos agentem, alterum plena integrum pubertate. Nunc autem per litteras tuas vehementer evehis et commendas majoris ingenium, et asseris te nunquam venæ subtilioris hominem invenisse; ideo supplicas et hortaris, ut circa eum tempestivius vigilantia magistralis appareat; leve namque æstimas illi ædificio manum supremæ consummationis apponi, cui aliena sollicitudo contulit incrementum. Verumtamen res in contrarium versa est. Melius enim spero de illius eruditione, qui ad me rudis et informis accessit, quam de alterius, cujus jam ex parte induruit vena, sibique quasi effigiem alieni doctoris impressit. Argilla et cera, atque hujusmodi quæ susceptioni formæ et B impressioni se offerunt, facilius et fidelius effigiantur ad imprimentis arbitrium, si nulla prius in se susceperint lineamenta formarum. Refert equidem Quintilianus in libro *De institutione oratoris* [83] Timotheum quemdam celebrem in arte libiarum solitum duplas ab his mercedes exigere, quos alios docuisset. Duplex enim in talibus labor est: alter, in eluenda doctrina minus commendabili qua imbuti fuerant, alter in exhibenda scientia, quæ lucrum pariter generaret et famam; ægre namque dediscitur, quod didicit ætas tenerior; quia,

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu [84].

In jure etiam civili ex ædilitio edicto veterana mancipia, quæ ad alienos mores informata sunt, reprobantur; et quandoque dubitabile fuit, utrum venirent in causam redhibitionis. C Nova enim mancipia favorabilia visa sunt, eo quod sint magis perceptibilia disciplinæ, et ad ministerium aptiora. Willelmum prædicas subtilioris venæ et acutioris ingenii, eo quod grammaticæ, et auctorum studio prætermisso volavit ad versutias logicorum; ubi non in libris, sicut fieri solet, dialecticam didicit, sed in schedulis et quaternis. Non est in talibus fundamentum scientiæ litteralis, multisque perniciosa est ista subtilitas, quam extollis. Ait enim Seneca [85]: Odibilius nihil est subtilitate, ubi est sola subtilitas. Quid enim prodest illis expendere dies suos in his, quæ nec domi, nec militiæ, nec in foro, nec in claustro, nec in curia, nec in ecclesia, nec alicui prosint alicubi, nisi duntaxat in scholis? Seneca D scribens ad Lucilium: « Quid est, inquit, acutius arista, et in quo est utilis? Tale est, inquit, ingenium, quod sola subtilitate lasciviens nulla in se residet gravitate. » Icarus [86] dum elevatus juvenili levitate fertur in cœlum, fluctibus marinis immergitur. Tales etiam dum se in artibus temere elevant, alliduntur. Quidam antequam disciplinis elementaribus imbuantur, docentur inquirere de puncto,

---

[70] Isa. 56. [71] Psal. 81. [72] Ose. 7. [73] Cap. 30. [74] Cap. 23. [75] Lev. 2. [76] Eccle. 4. [77] Cap. 16. [78] I Thess. 3. [79] Matth. 13. [80] Matth. 11, [81] Matth. 12. [82] Joan. 9. [83] Lib. II, cap. 3. [84] Horat. l. I, epist. 1. [85] Epist. 88. [86] Ovid. l. I *De trist.* eleg. 1.

de linea, de superficie, de quantitate animæ, de A fato, de pronitate naturæ, de casu et libero arbitrio, de materia et motu, de principiis corporum, de progressu multitudinis, et magnitudinis sectione, quid sit tempus, quid inane, quid locus, de eodem et de diverso, de divisio, et de dividuo et individuo, de substantia et forma vocis, de essentia universalium, de ortu, usuque et fine virtutum, de causis rerum, de refluxione oceani, de ortu Nili, de variis latentis naturæ secretis, de variis figuris causarum, quæ in contractibus vel quasi contractibus, maleficiis, vel quasi maleficiis oriuntur, de primis rerum initiis, et aliis quamplaribus, quæ plenioris scientiæ fundamentum, et eminentiores exigunt intellectus. Primitiva erat ætas tenera in regulis artis grammaticæ, in ana- B logiis, in barbarismis, in solœcismis, in tropis et schematibus; in quorum omnium doctrina Donatus, Servius, Priscianus, Isidorus, Beda, Cassiodorus plurimam diligentiam impenderunt: quod equidem non fecissent, si sine his posset haberi scientiæ fundamentum. Nam et Quintilianus [87], qui hanc doctrinam tradit, et tradendam asserit, tantis eam attollit præconiis, ut publice protestetur sine illa scientiæ nomen non posse subsistere. C. Cæsar de analogia libros edidit, sciens sine hac scientia nec prudentiam, in qua perfectissimus erat, nec eloquentiam, in qua erat potentissimus, posse a quoquam facile obtineri. M. Tullius, sicut ex ejus epistolis frequentibus patet, ad artem grammaticam filium, quem tenerrime diligebat, diligenter invitat. C Et quæ utilitas est, schedulas evolvere, firmare verbotenus summas, et sophismatum versutias inversare, damnare scripta veterum et reprobare omnia quæ non inveniuntur in suorum schedulis magistrorum? Scriptum est [88], quia *in antiquis est scientia*. Nec Jeremias [89] de lacu educitur, donec in funibus ei submittantur vestes veteres et attritæ. Nam de tenebris ignorantiæ ad lumen scientiæ non ascenditur, nisi antiquorum scripta propensiore studio relegantur. Gloriatur Hieronymus [90-91] se scriptis Origenis operosius institisse. Horatius [92] quoque jactatat se relegisse Homerum.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid [non,
Plenius ac melius Chrysipo et Crantore dicit.

Scio mihi plurimum profuisse, quod cum in arte versificatoria parvulus erudirer, præcipiente magistro mihi materiam non de fabulis, sed de historiarum veritate sumebam. Profuit mihi, quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi styli elegantia, et suavi urbanitate præcipuas firmare, et corde tenus reddere adolescentulus compellebar. Præter cæteros etiam libros, qui celebres sunt in scholis, profuit mihi frequenter inspicere Trogum Pompeium, Josephum, Suetonium, Hegesippum, Q. Curtium, Corn. Tacitum, Titum Livium, qui omnes in historiis quas referunt, multa ad morum ædificationem, et ad profectum scientiæ liberalis interserunt. Legi et alios, qui de historiis nihil agunt, quorum non est numerus. In quibus omnibus quasi in hortis aromatum flores decerpere, et urbana suavitate loquendi mellificare sibi potest diligentia modernorum. Nolite ergo ulterius allegare subtile Willelmi vestri nepotis ingenium; nec mihi imputetur ad culpam, si modico tempore non proficit ad perfectum. Purgatur enim ægrotus, antequam sanetur; et juxta sententiam Timothei, qui de aliorum discipulis retributionem laboris suis duplicem exigebat, inutilia prius evellenda sunt, ut utilia inserantur. Nam *in Mercurialibus nuptiis* philologia inutilis scientiæ libros evomit, antequam in eminentiam dignitatis optatæ mereatur assumi. Vereor siquidem, ne nimis vera si assertio Timothei. Joannes quidem Willelmum quodam discendi compendio jam præcecit; caput in caudam vertitur: et si Joannes in proposito perseverat, minor primogenitum, et Jacob Esau supplantabit.

EPISTOLA CII.

AD H. (33) RADINGENSEM ABBATEM.

ARGUMENTUM. — *Prolixam recenset querelam Pading. volentis ob gravia pericula renuntiare assumptæ dignitati. Deinde querelæ respondet, monetque ut diligenter consideret, num expediat illi renuntiare.*

Reverendo Patri, ac domino H. Dei gratia Rading.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(33) Littera hæc solitaria H. forte denotat Hugonem, cujus habetur charta quædam in *Monastico Anglicano* pro monasterio suo Radingensi, ubi fit mentio H. Walterii, scilicet Huberti Walteri Sarisberiensis episcopi, in cujus diœcesi situm est Radingense monasterium.

Fuit autem monasterium illud Radingense fundatum ab Henrico I, Anglorum rege, in honorem B. Mariæ virginis; unde et passim nuncupatur cœnobium, vel ecclesia S. Mariæ de Radingens. De eo ita loquitur Willelmus Malmesburiensis, lib. II, *De gestis pontificum Anglorum*: « In Berkensi pago sunt monasteria duo, Abendoniense et Radingense, » etc. « Radingis fuit quondam cœnobium sanctimonialium; sed jam a multis annis abolitum. Illud rex Henricus D pro indicta sibi pœnitentia restaurare intendens, duo olim diruta monasteria Leominstre et Celsi adjunxit, constituitque illud inter duo flumina Lenetum et Tamensem, in honorem Matris Domini et Joannis evangelistæ, loco ubi ad populosiores urbis Angliæ omnium pene itinerantium posset esse diversorium; posuitque ibi monachos Cluniacenses præclarum sanctitatis indefessæ indicium. » De eo etiam sic habet ms. in bibliotheca Cottoniana apud *Monasticum Anglicanum*, tom. I: « Anno 1126, rex Angliæ Henricus præ gaudio manus B. Jacobi apostoli fundavit nobilem abbatiam de Reddinges, et eam bonis multis ditavit, et in eam manum B. Jacobi apostoli posuit. » Ibidem: « Anno 1135, rex Henricus I obiit apud Castrum Leonis, et sculptus

[87] L. I *Inst. orat.* c. 7. [88] Job. 12. [89] Cap. 38. [90-91] Hier. *Ad pam. et Ocean. de error.* [92] Lib. I, ep. 2.

abbati, suus PETRUS Blesensis Bathon. archid., salutem, et felices ad vota successus.

Quoties recolo verba collationis illius, quam inter nos super habuimus concalescit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis [93]. Ignitum enim eloquium tuum vehementer, et spiritus vitæ erat in verbis, aut potius verba illa spiritus et vita sunt, quia non eratis, qui loquebamini, sed spiritus Patris, qui erat in vobis. Scio siquidem, quod verba illa concepta in personam alterius vos specialiter contingebant : ideoque, quasi scintillæ ardentes ex cordis abundantia procedebant. Amantissime Pater, cum inter perfectos hujus temporis viros per gratiam Dei præcipua sanctitate præemineas; certus sum tamen quod ad majoris cumulum perfectionis aspiras, Apostoli strenuus imitator [94], qui dum in profectu est, non reputat se perfectum, non quod jam apprehenderim, inquit, aut perfectus sim : omnium autem, quæ retro sunt, oblitus, ad ea, quæ anteriora sunt me extendens sequor ad bravium supernæ vocationis in Christo.

Et subjungit : Quotquot autem perfecti sumus, hoc sapiamus [95]. Te, reverendissime Pater, a tam felici proposito non retraho, nec dehortor; properantem enim a terris in cœlum, qui vel modicum detinet, plurimum nocet. Affectas honorem relinquere, multis quidem concupiscibilem, quia ipsum multipliciter ampliasti, ut excessus, tanquam locusta, tibi vaces ad lætandum in lætitia gentis, quam Christus hæreditavit, ut laudetur cum hæreditate sua. Sane ad hoc nulla sæcularis occasio, sed sola Christi charitas te invitat [96]. Justo enim lex non est posita; nec accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum. Veritas autem dicit : *Ponite jugum meum super vos* [97]. Ac si dicat : Non impono, vos imponite. Vos tollite, si vestris animabus vultis requiem invenire. Dedisti professioni evangelicæ manum ; tibique alienum videtur a via justificationum Dei sequi fallacias hujus mundi. In amaritudine quidem animæ tuæ planctu anxio et lamentabili gemitu tua tempora deplorabas. Tenorem vero querelæ illius, etsi non expresse recolam verborum vestigio, ab eorum tamen sententia non aberro. Suspirando dicebas : Infelix ego homo carnalis, et venundatus sub peccato, quid mihi ad divitias et honores ? cur mihi magisterium et cathedram super alios usurpavi ? nonne sufficiebat mihi iniquitas mea, nis peccarem in multitudine, et alligarem mihi peccata duplicia ? Professor evangelicæ paupertatis intraveram castra Dei, et me spirituali militiæ alligaveram ; nunc vero per hujus maledicti honoris assumptionem tanquam transfuga et desertor arma innocentiæ regularis abjeci. Heu ! heu ! posuerunt me custodem in vineis, qui me ipsum custodire non possum. Qui me regere non sufficio, constitutus sum ut alios regam, indoctus doctor, et cæcutiens se ductor. Complantaveram me similitudini mortis Christi, et elongaveram fugiens ut a viis hominum, tanquam ab immunditiis abstinerem ; nunc autem in medio populi polluta labia habentis ego habito : commistus sum inter gentes, et didici opera eorum. Immiscuit in me Dominus spiritum vertiginis, et errare me fecit, sicut errat ebrius et vomens, et vere vomens. Evenit enim mihi, quod Dominus per B. Job impio comminatur. *Divitias, inquit, quas devoravit evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus* [98]. Sane judicio diligentium Deum terribile ejus possum exspectare judicium ; cum in libro Sapientiæ [99] legam, quia horrende et cito apparebit Dominus, et judicium durissimum his qui præsunt fiet : ego spiritus vadens et non rediens, quomodo retro aspexi, qui apposueram manum aratro ? Qui mundum evomui, quomodo ad vomitum redii ? Qui exueram veterem Adæ tunicam, quomodo reindu eam ? Qui laveram pedes meos, quomodo eos iterum inquinavi ? Quomodo ad portas inferi reductus sum, qui jam in paradiso posueram pedem unum ? Quis ita quæsivit animam suam ut perderet eam ? Quis ita impie cogitavit repellere pretium suum, et hæreditatem illam præclaram ; cujus jam arrham et pignus acceperam ? Sed justo Dei judicio, qui pacem ad Christum non habet, ad se ipsum pacem habere non potest. *Posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis* [100]. Animam meam quasi sub jactu aleæ posui, dum ad incertum divitiarum sub certo discrimine mortis æternæ me contuli. Et *quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* [1] ? in dispendio animæ nulla est æstimatio. Sciebam omnem honorem hujus sæculi esse impedimentum grave, et quoddam peremptorium salutis æternæ. Quem enim legimus a sæcularibus deliciis ad delicias æternas demigrasse ? O quam fallax et vana est

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

fuit apud Radingas, ubi cœnopium cc monachorum considerat. » Ibi etiam habetur charta fundationis istius monasterii ab eodem Henrico primo factæ, et confirmationis ejusdem ab Henrico II. De qua re etiam ita legitur apud Robertum de Monte : « Anno 1165, circa octaves Paschæ rex Henricus fecit ædificari ecclesiam B. Mariæ de Radinges, et per tres dies regaliter procuravit conventum monachorum et hospites, data etiam dote non minima eidem ecclesiæ. » Quod autem in eodem monasterio a se fundato et regali munificentia ingentibus reditibus ornato sepeliri voluerit Henricus I tradunt Malmesburiensis, Joannes et Richardus, priores, Hagustaldensis et Neubrigensis ad ann. 1135.

---

[93] Eccli. 24 [94] Phil. 3. [95] Ibid. [96] I Tim. 1. [97] Matth. 11 [98] Job 20. [99] Cap. 6. [100] Job. 7. [1] Matth. 16.

gloria, quam homines ab invicem petunt, et accipiunt, et gloriam quæ a solo Deo est non quærunt. Vere vana, quia vani filii hominum. Monachus, si aliis vult præferri, nonne collega est illius, qui dicit : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* [2] ? Sed cujus ascendit cathedram, ejusdem timeat præcipitium et ruinam. Multi per honores transitorios elongaverunt a Christo dicentes anathema Jesu [3]. Certe, qui præesse aliis volunt, cor eorum vanum est, dum a virtute vacui, spiritu elationis et vento gloriæ volatilis intumescunt. Elegeram abjectus esse in domo Dei [4], eratque mihi pro summo honore abjectio et contemptus ; nunc autem in ira Dei elatus in cathedram pastoralem, cujus assumptionem etsi non procuraverim, eam tamen non sine ambitiosa voluntate recepi. Sufficiebat mihi paupertas mea. Sufficiebat mihi præesse tantum corpori meo, ut non regnaret in me peccatum. Sufficiebat mihi servare thesaurum Domini in hoc vase fictili ; animam meam dico : pro qua ille magnus mercator sanguinem suum fudit. Video in claustris cœlestes homines, aut potius angelos terrestres, quorum converastio est in cœlis [5], qui quadam nobili superbia despiciunt honores et divitias hujus mundi. Nos autem peccatores et abundantes in sæculo obtinuimus divitias, quas Veritas in Evangelio [6] damnat, cum quibus ventilator impiorum rex sapiens mihi rotam malorum immisit. Hæ sunt aquæ de puteo Samariæ, quæ plus potæ plus accendunt concupiscentiæ sitim [7] Sed beatus vir, cujus est Dominus spes ejus, cui nihil deficit, quia Christus ei sufficit. Hæ sunt muscæ, quæ exterminant suavitatem unguenti [8] ; aves, quas abigebat Abraham [9]; mures, qui de terra, id est affectione terrena ebulliunt, qui extales, id est interiora eorum corrodunt, qui arcam Domini ponunt juxta Dagon, qui scilicet sacræ Scripturæ [10] scientiam mundanæ sollicitudinis abusione confundunt. Propter hoc Dominus dicit [11] : Dedi eis aurum meum et argentum meum, ipsi vero de auro et argento meo operati sunt Baal. Antequam hunc honorem, aut potius hoc onus mihi imposuisset cœlestis indignatio, ad hoc enim in ira Dei vocatus sum, sentiebam de Domino in bonitate et simplicitate cordis mei, atque in memoria humanæ suavitatis jugiter exsultabam. Frequenter in orationibus meis inter ignitas compunctiones, inter jubilationes arcanas, inter pia suspiria, inter devota susurria, quadam desiderii vehementia in Deum, meæ devotionis ferebantur affectus. Ubi modo sunt illi divinæ inspirationis æstus ? illæ supernæ suavitatis experientiæ, et quædam delibationes frutionis æternæ ? sed illos cœlestis gratiæ motus, mea perdita, mea infelix anima jam non sentit, quos in die Domini bona, et in hora beneplaciti ejus, de Christi amore tanquam de ligno

A vitæ fructus salutis et paradisi delicias colligebat. Nunc autem omnem escam abominata est anima mea, et appropinquavit usque ad portas mortis. *Defecit caro mea* [12] *et cor meum conturbatum est* [13]. Defecit gaudium cordis mei. *Cor meum conturbatum est : dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* [14] *Facta est, Domine, anima mea, sicut terra sine aqua tibi* [15]. Aut enim obduratur ad lacrymas, aut irruentium sollicitudinem turbine quasi in ventos dispergitur ad vanitates et insanias falsas. Aperiantur, quæso, cataractæ capitis mei, et cordis mei disrumpantur abyssi, ut super faciem hujus terræ inundet diluvium aquarum multarum. Dedisti mihi, Domine, cœlum ferreum, et terram æneam, ut super hunc B montem Gelboe, qui per elationem honoris intumuit, nec ros, nec pluvia cadat. Tempus itaque meum perdidi. Defecerunt in vanitate dies mei, et anni mei cum festinatione ; dives factus sum ut fierem miser. Honores adeptus sum, ut perderem Deum, honoris enim sequila perditio est. Sane honores et divitiæ sibi habeant annexam, vitæ securitatem, vinum et pinguia, otium et saturitatem, contemptum Dei et dispendium sui. Inter honorem et paupertatem evangelicus sermo manifeste distinguit ; dum Lazarum beatificat in sinu Abrahæ, et divitem sepelit in inferno [16]. Qui debueram plangere dies meos quos perdidi, quia perdite vixi, favorabilis factus auræ venator, sequor curiam, intersum magnatum consiliis, inferiores judico, majores magis C quam meæ salutis auctorem veneror et adoro. In his patrimonium Christi dilapidans et profligans falsæ largitionis obtentu me totum in capturam inanis gloriæ, et magnificentiam pompæ sæcularis eviscero. Quid enim confert illa superflua numerositas evectionum, quas circumduco, et multiplicitas clientelæ ? Quid de hospitalitate dicam ? quæ merito hostilitas potius, quam hospitalitas censetur. Christus enim causam ei non præstat, sed inanis gloriæ obtentus ; divitibus quidem in hospitio cum honore et reverentia susceptis in omni opulentia deliciæ apponuntur de patrimonio Crucifixi ; Christus autem semel olim crucifixus in ligno foris in pauperibus suis crucifigitur et torquetur in luto. In quibus aut nudus omnino, aut D in semicinctiis tabescens fame, et frigore tremens de his quæ interius dantur canibus solatium angustiæ suæ postulat, et non est, qui moveatur super contritione Joseph. Ecce hospitalitas hodierna, in qua divites ad gloriam dæmonum splendide epulantur : et Christus, qui charitas est, contemptu inedia et nuditate afficitur ; ego autem oblitus terribilium judiciorum Dei, et immemor animæ meæ sedeo tanquam Balthasar in medio convivarum, vasis Domini abutens et patrimonio pauperum ad

---

[2] Isa. 14. [3] I Cor. 12. [4] Psal. 83. [5] Phil. 3. [6] Matth. 13. [7] Joan. 4. [8] Eccli. 10. [9] Gen. 15. [10] I Reg. 5. [11] Ezech. 16. [12] Psal. 72. [13] Psal. 54. [14] Psal. 37. [15] Psal. 142. [16] Luc. 16.

contumeliam Christi. Interim exeunt de domibus hospitum garsiones cibariis onusti et ebrii, ut de superfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulatior doloris et tormenti materia. Sub hujus falsæ hospitalitatis prætextu vicecomitibus, forestariis, et cæteris officialibus, aut potius officiperdis hominibus, tanquam dominis et magistris omne humanitatis officium exhibemus. Proponetur tamen querela de inofficioso, totamque hospitalitatis gratiam ingratitudo pervertet, nisi architriclinus usque ad nauseam et vertiginem capitis cum hospitibus suis bibendi bella continuet. Hæc omnia judicabit, cujus judicia occulta sunt, et ideo plus timenda. Sumptus tam detestabiles et enormes non de labore aut patrimonio nostro fiunt, sed de eleemosynis fidelium, de oblationibus atque decimis, et de tributis egentium animarum, de exactionibus et oppressionibus pauperum, de obventionibus etiam placitorum. Quique in sudore vultus pane nostro vesci debuimus, labroes miserorum nobis usurpamus ad delicias, atque in crapula et ebrietate sudorem bibimus alienum. Scriptum est : *Judicia ejus abyssus multa* [15]. Ille, qui intuetur abyssos, et sedet super cherubim, terribilis in consiliis super filios hominum, judicabit causam pauperum, quando *stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt* [16]. Vindicabit hæc omnia pater orphanorum, et judex viduarum ; patientia vero pauperum non peribit in finem. Ubi est ergo, quæsa, verbum illud Prophetæ : *Dispersit, dedit pauperibus* [17] ? Porro nec divitibus dare, nec nos ligna ferre in silvam, nec aquas in mare effundere oportebat. Verbum B. Hieronymi [18] est, sacrilegium esse, res pauperum non pauperibus dare. Et idem : « Patria sunt, peccatoribus dare, et dæmonibus immolare : nec minus turpe est conferre turpibus quam ob turpia dare. » Ecclesiasticus [19] dicit : *Benefac humili, et ne dederis impio : da bono, et ne recipias peccatorem.* Item Hieronymus [20] : « Clericus, qui de bonis suis sustentari potest, si accipit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit, atque per abusiones talium, judicium sibi manducat et bibit. » Si hoc de clerico statuitur, quid de monacho fiet ? qui si habeat aliquid proprium, nihil habet commune ad Christum. Plenum est discrimine superbam familiam de pauperum spoliis exhibere ; tutiusque mihi esset *humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis* [21]. Nonne pauperum spolia sunt oblationes et decimæ, quas per ecclesiasticæ sententiæ metum a pauperibus violenter extorqueo ? Scriptum est *Sumite psalmum, et date tympanum* [22]. Qua fronte temporalia recipio, qui spiritalia non impendo ? Quid de taliis et exactionibus, quid de obventionibus placitorum, et cæteris improbis extorsionibus loquar ? Audio

A Dominum per Isaiam [23] lamentabiliter conquerentem : *Populum*, inquit, *meum exactores sui spoliaverunt.* Quare atteritis populum meum, et facies egenorum confunditis ? Vos enim cum austeritate et potentia imperatis, in domibus vestris rapina pauperum invenitur. Detestabiles quippe est in monacho, ut sub quocunque honoris colore, aut titulo potestatis habeat feuda, servos et ancillas, homogia et fidelitates, atque ligantias, ut hominibus angarias et parangarias, cæteraque onera publicæ functionis imponat, ut ita in extraordinarios usus, aut potius abusus, sicut eleganter proposuistis patrimonium Christi dilapidet et profliget, damnabile est, ut sit depilator pauperum, exactor improbus, torvusque Procrustes. Audi Hieronymum [24] : Monache, si B eges, et accipis, das potius quam accipias ; si autem non eges, et accipis, rapis ; porro non indiget monachus, si habeat quod naturæ sufficit, et hanc sufficientiam Apostolus certa definitione præscribit. *Habentes*, inquit, *alimenta, et quibus legamur, his contenti simus* [25]. Quæ ergo insania est, thesaurizare in laboribus pauperum, et in sanguine alieno mihi et meis delicias procurare ? Nunquid me apud districtum Judicem poterunt excusare parentum sustentatio, falsæ hospitalitatis fama, numerositas evectionum, et multiplicitas clientelæ ? Nunquid propter hoc me oportuit bona pauperum rapere ? Rapio enim, etsi non manu propria, sed aliena, et quasi longa manu. Scriptum est autem : *Manus in manu non erit innocens malus* [26]. Non excusatur C Saul a morte David, nec a Christi morte Judæi, quamvis malitiam suam aliena manu studuerunt adimplere. Et si longa sit manus, qua rapio : sed non est abbreviata manus Domini, quominus judicet in justitia pauperes, et arguat in æquitate pro mansuetis terræ. B. Job dicit : *Si adversum me terra mea clamat* [27] : in quo clamorem pauperum adversus eorum dominos oppressores periculosum insinuat. Faciant hæc, et consimilia hi, quorum Deus non est memor amplius, et ipsi de manu ejus repulsi sunt, quorum non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum. Sed quæ conventio mihi ad rapinam : qui omne quod habebam proprium abdicavi. Certe nec milvus, nec accipiter, nec vultur, sive herodius, aut alia rapax D avis acceptatur in Dei sacrificium [28]. Avaritiam enim ex calumnia, et oblationem de rapina Dominus detestatur [29]. Contra edictum cœlestis imperatrois est non solum concupiscere aut rapere aliena, sed sua etiam cum lite repetere. Apostolus ad Timotheum dicit : *Servum* Dei *non oportet litigare.* Et idem : *Hoc ipsum delictum est in vobis, quod judicia habetis, et non potius fraudem patimini* [30]. Nunquid accepi damnabiles istas divitias, ut carni

---

[15] Psal. 35. [16] Sap. 5. [17] Psal. 111. [18] Epist. 26 *ad Pammach. de abit. Paulinæ*, c. 4. [19] Cap. 12. [20] Epist. 2 *ad Nepot.* [21] Prov. 16. [22] Psal. 80. [23] Cap. 3. [24] Hom. in psal. 145. [25] I Tim. 6. [26] Prov. 11. [27] Job 31 Isa. 33 [28] Levit. 11. [30] I Cor. 6.

meæ lautius indulgerem? Sciebam sane, quam terribiliter Apostolus comminetur his qui curam carnis in desideriis agunt. Testimonio Christi caro non prodest quidquam [31]. Nec regnum Dei caro, teste Apostolo, possidebit [32]. Hæc est sterilis terra et proxima maledicto, quæ non generat nisi spinas et tribulos : quam Dominus veniet percutere spiritu oris sui. Si sterilem pasco, et viduæ non benefacio, testimonio Job sententiam divinæ animadversionis incurro [33]. Contra animam, quæ se ad mundanas voluptates effundit, Dominus graviter excandescit, sui judicii exsecutoribus dicens : *Quantum exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormenti et luctus* [34]. Certe sapientia non habitat in terra suaviter viventium : *nec est regnum Dei esca et potus. sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* [35]. Empti sumus pretio magno, ut glorificemus, et portemus Christum in corpore nostro, ne circa curam corporis indulgentius nos habentes, audiamus quod Dominus delicatis improperat per prophetam : *Abjecistis me*, inquit, *post corpus vestrum* [36]. Nunquid immolabo carnem meam mensæ dæmoniorum, quam offerre debueram hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium meum? Si accepi divitias, ut parentum meorum indigentia relevetur, terret me B. Hieronymus [37] dicens, quod cum propinquitates corporum respicimus, corporis et animæ creatorem offendimus. Et adjungit : Multi dum parentibus miserentur, animas perdunt. Hi sunt, qui judicio meo animas suas pro amicis suis crudeliter et damnabiliter ponunt. Legi epistolam Hieronymi ad Heliodorum, et inveni quam gravi et austero rigore abscindenda sit in his qui convertuntur ad cor omnis affectio parentelæ. Vaccæ fetæ, quæ deferebant arcam Domini in Bethsames ad vitulos suos colla minime reflectebant : nec in domo Domini sacerdos aut Levita eligitur, nisi dixerit patri et matri : Nescio vos. Mortuus eram mundo, et mundus mihi. Amor autem sæculi, qui in corde meo aruerat, sub quodam falsæ pietatis obtentu per affectiones sanguinis revirescit. Infelices autem, qui parentibus erogant, unde post illorum gaudeant obitum, cum vana vivorum gaudia sæpe transeant in supplicia mortuorum. Destruat igitur in me Dominus omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigat omnem intellectum meum in obsequium Christi. Sane nunc demum sentio quam fructuosus sit homini, et quam gloriosus apud Deum titulus paupertatis. Nescit homo pretium ejus. Paupertas enim sola est via secura et expedita ad vitam, cæteræ viæ malignis latronibus plenæ sunt. *Mundus* enim *in maligno positus est* [38], plenus periculis, plenus laqueis, plenus scandalis, plenus colloquiis pravis, et exemplis malis, proditoriis verbis, et iniquis consiliis. Sed quid differo, quid exspecto? forte hac nocte repetent animam meam. Quantulacunque jactura temporis, dispendium est salutis. Extremæ insaniæ est negotium animæ in necessitatis differre articulum, donec desidiam suam falsa exspectatione foventem tonitruum divinæ indignationis absterreat. *Væ*, inquit, *prægnantibus et nutrientibus in illa die* [39]. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* [40]. *Quis* ergo *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* [41]? Tu autem Domine Deus Sabaoth, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, quando consolaberis me? quando replebis in bonis desiderium meum? *Tibi, dixi, cor meum, et gemitus meus a te non est absconditus* [42]. *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* [43], *Imperfectum meum viderunt oculi tui* [44], et cui affectum suggeris, da effectum, qui omnia potes, quia sine te nihil possumus.

RESPONSIO.

Tuæ conquestionis seriem, Pater, sicut æstimo, fida recordatione collegi, collectamque recensui. Quia vero consilium petis, audi cum æquanimitate, quod in charitate non ficta tibi consulit filialis affectio, et amica simplicitas. Video, quia faciem habes euntis in Hierusalem, sed vide, ne in vanum accipias animam tuam, et ne te circumveniat, qui frequenter se in angelum lucis transfigurat [45]. Multæ sunt, teste Apostolo, astutiæ Satanæ [46] cave, ne te a consilio justorum et congregatione supplantet. Sed *si spiritus potestatem habens super te irruerit, locum tuum ne deseras* [47]. Periculosa est ocorum mutatio, et signum animæ ægrotantis. Qui locum mutat, quasi qui fugit umbram corporis sui, seipsum fugiendo circumfert. *Regnum Dei intra vos est* [48] : intra te est, unde possis placere Altissimo. Uberioris gratiæ est, inter sæculares esse religiosum, inter impios esse justum. David cum his qui oderunt pacem erat pacificus [49]; Lot justus habitavit in Sodomis [50]; Joseph in Ægypto cum Pharaone [51]; Daniel in Babylone cum Nabuchodonosor [52]; Tobias in Ninive [53]; Chusia in consiliis Absalon [54]; Abdias cum Achab et Jezabel [55]; nihil tamen de illorum merito minuit aliena malitia : imo eorum adauxit meritum societas impiorum. Quod autem omnia affectas relinquere pro Christo, donum Dei perfectum est descendens a Patre luminum. Pro Christo siquidem omnia relinquentibus judiciaria sedes in regeneratione promittitur [56] : nec judices cum Christo sedebunt, qui

[31] Joan. 6. [32] I Cor. 15. [33] Job 24. [34] Apoc. 18. [35] Rom. 14. [36] Ezech. 23. [37] Epist. 128, *ad Fabiolam*. [38] I Joan. 5. [39] Matth. 24. [40] Psal. 119. [41] Psal. 54. [42] Psal. 37. [43] Psal. 72. [44] Psal. 138. [45] II. Cor. 11. [46] II. Cor. 2. [47] Eccle. 10. [48] Luc. 17. [49] Psal. 119. [50] Gen. 29. [51] Gen. 41. [52] Dan. 2. [53] Tob. 1. [54] II Reg. 16. [55] III Reg. 18. [56] Matth. 19.

pro eo omnia non relinquunt. Bonum est tamen fratribus præesse; nam et his qui bene præsunt, duplex corona, teste Apostolo, promittitur [57] : diversæ siquidem viæ sunt ad salutem, et divisiones gratiarum sunt : *unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem* [58]. Noe, Daniel et Job diversis professionibus vitæ æternæ denarium meruerunt. Si pro utilitatibus fratrum laboribus te exponis, curis te oneras, bonum est; sed melius forte est, si juxta consilium Apostoli, te ipsum ad pietatem exerceas [59]. Ipsius enim testimonio corporalis exercitatio ad modicum valet; pietas vero ad omnia : habens promissionem vitæ, quæ nunc est, pariter et futuræ. Bonum est sollicitari cum Martha, sed quietius sedere ad pedes Domini cum Maria [60]. Dulcius est, providere Dominum in conspectu suo semper, vacare et videre quam suavis est Dominus. Multi salutem fratrum saluti propriæ anteponunt; ego cum istis non sentio : nemo enim me ipso mihi germanior est : pro fratribus meis libenter corpus expono periculis, sed non animam, nisi nomine animæ voces vitam. Nam etsi Moyses stans in confractione in conspectu Domini orat, ut dimittat populo noxam, aut deleat cum de libro quem scripsit [61]; si Job radicatus in charitate non dubitat esse frater draconum, et socius struthionum [62]; si Paulus vult anathema esse a Christo pro fratribus suis [63] : isti quidem abundabant oleo et frumento : at ego pauperculus non habeo, nisi modicum olei, quo ungantur ulcera mea. Illi præ participibus suis uncti erant; vino enim, frumento, et oleo [64], spiritualibus scilicet divitiis, præ cæteris abundabant. Vis audire eorum divitias? Audi Dominum loquentem de Moyse, et dicentem : *Si locutus fuero servis meis prophetis, loquar eis in visione, vel per somnium, sed non sicut servo meo Moysi, qui fidelis est in tota domo mea : ei enim loquar facie ad faciem* [65]. De B. Job ait ad Satan : *Nunquid vidisti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo* [66]? Apostolus vero totus oleo misericordiæ affluebat, cum diceret : *Certus sum quod neque mors, neque gladius, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia porterunt me separare a charitate, quæ est in Christo Jesu* [67]. Qui ad tertium cœlum raptus, inter cætera Dei arcana didicerat quod non poterat a Christo separari, de magna confidentia et certitudine vult pro salute fratrum esse ad tempus anathema a Christo [68]. Ego autem vir videns paupertatem meam, habeo animam meam in manibus meis semper, ipsam illi committens, qui potens est depositum meum servare in illum diem. Etsi ego

A animalis sum, terrenus et carnalis, loquor tamen vobis, quantum prævaleo in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia comparando : vos autem qui spirituales estis, scitis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta [69]. Nec sermo meus præjudicium vobis facit. *Spiritualis quidem homo omnia dijudicat, ipse autem a nomine judicatur* [70]. *Ubi enim spiritus Dei ibi libertas* [71]. Qui vero spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Ego quidem exercitium spirituale præfero corporaiit, sicut spiritum carni : nec enim vir propter muliorem, sed mulier facta est propter virum [72] : ipsa est, cui a Domino dicitur : *Et ad virum tuum erit conversio tua* [73], ut animalitas ex se omnino nihil præsumat, sed spiritui tanquam viro subjecta sine murmuratione

B obediat. Habes præ oculis, Pater sanctissime, charitatis ascensorios gradus, scalam Jacob [74], et exemplar, quod Ezechieli ostensum est in monte visionum Dei [75]. Nec jam te moneo ad currendum in viam mandatorum Dei : eges enim freno potius quam calcari. Te ad hoc duntaxat exhortor, ut in vigiliis, jejuniis, disciplinis, et cæteris exercitiis spiritualibus ita modestiæ regulam teneas, ne in jacturam ministerii Deo debiti langueat corpus, deficiat virtus, subtrahatur affectus spiritui, effectus operi, ne tollatur tibi conscientiæ tuæ gloria, ne sis tibi domesticus homicida. Ego autem, bone Jesu, a quo omnis gratia, tibi actiones refero gratiarum, quia tantum et tam venerabilem virum sic afficis, sic inspiras. Scio tamen quod mutatio hæc, quæ sine dubio est mutatio dexteræ Excelsi,

C multis, et maxime terræ magnatibus displicebit et erit scandali communis occasio. Transibit eorum amor in odium, familiaritas in contemptum. Sed testimonio B. Job, *lampas contempta apud cogitationes divitum paratu est ad tempus statutum* [76]. Satius est placere Deo quam homini. *Si hominibus placerem*, dicit Apostolus, *Christi servus non essem. Qui enim hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* [77]. Si facies tua confundatur ad tempus, confusio hæc adducet gloriam, atque pro confusione hac et rubore in terra tua duplicia possidebis. Scio quod offendentur principes, nec te, quæso, illorum offensio scandalizet. Certe discipulis Christo dicentibus : *Scis, quia Pharisæi scandalizati sunt in sermone isto*, respondit dicens :

D *Sinite illios, cæci sunt, duces cæcorum* [78]. Qui ergo prohibet scandalizari unum ex pusillis credentibus in eum, suaviter portat scandalizari Pharisæos et principes sacerdotum. Gloriosum est apud gloriæ Dominum se ipsum abnegare, potiusque alienæ voluntatis arbitrio subesse quam præesse : et est majoris meriti minori vel compari exhibere obedientiam, quam majori; hanc enim obedientiam

[57] I Tim. 5. [58] I Cor. 12. [59] I Tim. 4. [60] Luc. 10. [61] Exod. 31. [62] Job 30. [63] Rom. 9. [64] Psal. 4. [65] Num. 12. [66] Job. 1. [67] Rom. 8. [68] Rom. 9. [69] I Cor. 2. [70] II Cor. 3. [71] I Cor. 11. [72] Gen. 3 juxta LXX. [73] Gen. 28. [74] Ezech. 40. [75] Job 12. [76] Gal. 1. [77] Psal. 52. [78] Matth. 15.

informat charitas; illam vero extorquet imperiosa A necessitas. Verum est tamen, quod in administratione honoris vix unquam potest plena perfectio inveniri. Certe B. Martinus [79] celebrior in miraculis fuit, antequam cathedram ascendisset eminentiæ pastoralis Legimus, quod Gaufridus Perronensis, Clarevallis prior, electus in episcopum Tornacensem, electioni nullatenus acquievit. Qui postea defunctus et apparens cuidam fratri inquirenti qualiter ei esset, respondit: « Revelavit mihi Trinitas sancta, quod si suscepissem episcopatum, fuissem de numero reproborum. » Quid ergo facient infelices, qui temporalium sollicitudinum fluctibus se sponte et gratanter immergunt, qui splendide epulando, dormiendo, bibendo, sedendo ad telonium, fiscalem calculum dispensando, quærendo quæ sua B sunt, aut potius quæ sunt Cæsaris, et non Dei [80], vitam suam in vanitatibus transigunt; se tamen arbitrantur esse perfectos, quia furta, aut rapinas, aut homicidia non committunt? *A fructibus eorum cognoscetis eos* [81]. Isti dum in incentivo cupiditatis exæstuant, dum trahuntur inanis gloriæ appetitu, omnes miseriæ, quas sustinent, eis in delicias convertuntur. De talibus dicit Job [82]: *Esse sub sentibus delicias computabant*. Isti sunt gigantes, de quibus idem Job dicit [83]: *Gigantes* sunt qui portant orbem, *gemunt sub aquis, et qui cum eis sunt*. His, quibus voluptatem facit cupiditas in tormentis Osee [84] propheta sub specie Ephraim insultat, et dicit: *Vitula Ephraim docta diligere trituram*. Sic enim anxietates eorum, aut cupiditas C levigat, aut inanis gloriæ quæstus, quod eis a talibus cessare non libet, etiam quando licet. Nimirum calice Babylonis inebriati sunt, nec terribilia, et subita Dei judicia, quæ eis de proximo intentantur, attendunt. Propter quod in Evangelio Dominus dicit: *Attendite vobis, ne graventur corpora vestra in crapula, et ebrietate, et in curis hujus vitæ, et veniat super vos repentina dies illa* [85]. *Cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus, et dolor, sicut in utero habentis, et non effugient* [86]; *prosperitas* siquidem *stultorum perdet eos* [87]. Cumque deduxerint in bonis temporalibus dies suos, testimonio Job [88], in momento ad inferna descendent. Sane magnæ arbores diu crescunt, et in modico tempore succiduntur. Contemnunt D itaque miseri habere unde spiritualiter gaudeant, et per temporales acquirunt augustias unde temporaliter et æternaliter gemant. Intelligentes ergo, in novissimis eorum compatiamur his, qui ignorant et errant. Eis enim *securis posita est ad radicem*, et tanquam infructuosæ arbores, sententiam excisionis et combustionis exspectant [89]. Hanc exhortatiunculam meam stylo recisiore exarare decreveram, sed amor qui finem nescit (*charitas enim nunquam excidit* [90]) vix finem potuit invenire scribendi. Evasit itaque brevitas in immensum, schedula crevit in pellem, et epistola transivit in librum. Vale.

EPISTOLA CIII.

AD H. ABBATEM RADING.

ARGUMENTUM. — *Excusat se ob præcedentis epistolæ prolixitatem.*

Reverendo Patri et domino H. Dei gratia abbati Radingensi, suus PETRUS Blesen. Bathon., archidiac. spiritum consilii eum salute.

Breve vobis scribere incœperam; sed breve crevit in longum. Exuberante enim dictandi materia, stylus licentius debito evagatus est in immensum.

Scriptus et in tergo est, necdum finitus Orestes [91].

Sane dictando et scribendo videbar mihi vobiscum præsentialiter loqui; et sic decrescebat prolixitas ex affectu, totumque scribendi laborem mihi devotio furabatur. Si igitur aures vestras cœlestibus exercitiis occupatas sermo productior onerat, dilectio, quæ me trahit ad culpam, ad veniam intercedat. Cum autem rotuli præcedentis primam faciem legendo transieritis, volvatis in tergum, et demum excurratis a primo rotulo in secundum. Hanc vero exhortatiunculam meam habuissetis, transacti sunt multi dies, nisi me turba negotiorum multipliciter ingruentium retardasset.

EPISTOLA CIV.

AD DECANUM ET CAPITULUM SARISBERIENS. ECCLESIÆ.

ARGUMENTUM. — *Congratulatur canonicis Sarisberiensibus, quod cogitent Ecclesiam suam e monte in planitiem deducere.*

Dilectis dominis et amicis, decano et capitulo Sarisberiensis Ecclesiæ, PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem in vero salutari.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi [92], quod sedem Ecclesiæ Sarisberiensis transferre disponitis. Ego autem huic proposito tota devotione congratulor. Erat enim locus ille ventis expositus, sterilis, aridus, desertus, augustus. Erat ibi turris quasi in Siloe [93], quæ habitatores loci onere longæ servitutis oppressit; sed qui suscitavit spiritum Othoniel [94], ut a populo Dei jugum tyrannicæ oppressionis excuteret, ipse ad opus memoriale vestri præsulis excitavit affectum. Sic olim filii prophetarum consilio Elisæi [95] de loco augusto et sterili descenderunt ad fluenta Jordanis, ut ibi spatiosius ædificarent, aptioresque sibi facerent mansiones. Captiva erat in monte illo Sarisberiensis Ecclesia, sed et olim capta et captivata erat arca Domini ab allophylis in monte Gelboe [96], juxta quam turris illa quasi alter Dagon in superbia, et in abusione erecta est; quæ utinam cum prædicto idolo confractionis et dejectionis sententiam excepisset! Certe

---

[79] Sulpit., dial. 2 *De virtut.* S. Mart. c. 7. [80] Phil. 2. [81] Matth. 7. [82] Cap. 30. [83] Cap. 26. [84] Cap. 10. [85] Luc. 21. [86] I Thess. 5. [87] Prov. 1. [88] Cap. 21. [89] Matth. 3. [90] I Cor. 13. [91] Juven. Sat. 1. [92] Psal. 121. [93] Luc. 13. [94] Jud. 3. [95] IV Reg. 6. [96] I Reg. 4.

arca Noe [97], quæ generis humani residuum quandoque salvaverat, postquam inter montes Armeniæ resedit, nullis usibus apta fuit. Descendamus ergo felici auspicio ad complana, ubi valles abundabunt frumento, ubi campi speciosa pinguescent, ubi comedet quisque sub vite sua, et sub ficulnea sua, eritque *melior dies una in atriis illis super millia* [98], Dum sollicitus considero et perpendo episcopi vestri cor prudens, et magnificam manum, honorent ipsius, quietem etiam clericorum, atque recordationem futuri temporis, et memoriale perpetuum, præ desiderio hujus temporis anima mea deficit, et liquescit. Quadam enim grata imaginatione depingit animus meus mihi quod factum est a diebus antiquis, quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituens terminos mansionum juxta numerum filiorum Israel; quomodo sub Josue [99], et Caleb duodecim tribubus data est in sortem terra Chanaan in funiculum distributionis. Revixit itaque spiritus meus, et refloruisse mihi visa est caro mea, quia diebus nostris video prophetarum tempora redisse. Occurrit animo meo communis et celebris illa exsultatio populorum, cum sub Dario rege ædificatur templum, sub Artaxerxe muros reparat Nehemias [100], ignemque multis annis in puteo absconditum eruderans et educens in crassitudine aquæ perficit holocaustum. Recolo virum in Ezechiel [1], *cujus species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ipsius, et mensus est longitudinem, latitudinem et altitudinem ædificii, parietes, portas, vestiqula, superliminaria, altaria, mensas, et Sancta sanctorum, gazophylacia et fenestras.* Videre mihi videor Salomonem sollicite anhelantem circa templi ædificium, Hiram ministrantem ligna, operosius ædificio insistentes latomos, cæmentarios, biblios et onerum portatores. Ex quo igitur noster Darius, dominus rex huic mutationi, quæ procul dubio mutatio dexteræ Excelsi est, prompto favore consensit, operetur, quæso, manus vestri instantius quidquid potest; nescimus enim quid futura pariat dies. *Mundus in maligno positus est* [2], et diabolus inæstimabilem translationis hujus fructum præsentiens ad omnes impediendi artes sua; versutias circumducit. Opus itaque quod instantius et maturius urgeri oportet nulla dilatione frustretur, ne vobis eveniat quod populo infideli propheta improperans ait : *Populus hic dicit : Nondum tempus est ædificandi domum Domini* [3]. Ego autem præcipuum habebam in votis huic distributioni mansionum præsentialiter interesse, sed majoris præceptio, et lex obedientiæ, invitum et renitentem a proposito me reducunt.

EPISTOLA CV.

AD PRIOREM ET CONVENTUM DE FONTANIS (34).

ARGUMENTUM. — *Consolatur monachos ob messis defectum desolatos.*

Venerabilibus dominis et amicis priori et conventui de Fontanis, M. PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem, et si quid melius aut fructuosius est salute.

Cum licentia vestra et benedictione recedo ab Eboracensi provincia, et vado ad eum qui me misit. Quod autem circa vos in obsequiis et visitationibus minus frequens exstiti, fecit domini abbatis absentia, circa Ecclesiam nostram jugis occupatio, studiosa lectio, quæ dispendium temporis otiosi cum patientia non admittit, et præcipue vestræ domus desolatio, cui totus quadam compatiendi, imo commoriendi affectione coanxior. Etsi ad tempus præsentialiter vos non video, præsens tamen spiritu vos in interioribus meis circumfero. Quanto enim præcellit anima corpori, tanto vobis sum vicinior in visceribus Christi, jacturamque absentiæ corporalis anima longe ditior in suis affectibus recompensat. Sane citra spem hominum vobis alimenta hoc tempore defecerunt, et hæc est præfatæ desolationis occasio; sed qui in deserto de paucis panibus quinque millia hominum pavit [4], qui tempore siccitatis Eliam pascendum viduæ corvoque commisit [5]; ille potens est exhibere uberiorem clementiam cœli. Et si de illo modico, quod habetis, feceritis indigentibus misericordiam, nec

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(34) Ex Neubrigensi discimus monasterium Fontanense sive de Fontanis aut de Fontibus fondatum fuisse in agro Eboracensi a monachis de cœnobio Eboracensi ordinis Cisterciensis illuc ab archiepiscopo Turstino conductis. Ita dictum est ex Jongelino in *Notitia Cisterciensi*, lib. VIII : « Quod quia fontibus abundabat, felici omine nomen traxit : vere enim vivæ totius pietatis et cœlestis desiderii aquæ abunde manabant, quæ in vitam æternam saliebant. Ex eo enim multi episcopi, » etc. Hanc porro frugum penuriam qua supra modum afflictum est monasterium Fontanense, et de qua monachos consolatur Petrus noster in hac epistola, contigisse anno 1163, auctor est Manriquez, tom. 5 *Annalium Cisterciens.* ad hunc ann. Quod si ita est, corrigendus est titulus ubi Petrus dicitur Bathoniensis archidiaconus : nondum enim in Angliam iverat hoc anno; sed tantum circa ann. 1170, post reditum e Sicilia. Neque etiam cum his concordat, quod ait idem Manriquez, Blesensem scilicet hanc consolatoriam epistolam scripsisse, cum in Angliam ab Alexandro papa missus, peracto jam negotio, reverteretur : nusquam enim legitur quod ab Alexandro missus fuerit Blesensis in Angliam, sed ab Henrico II evocatus sit, ut ipsemet alicubi dicit, et nos alias demonstravimus.

---

[97] Gen. 8. [98] Psal. 83. [99] Cap. 13. [100] II Mach. 1. [1] Cap. 40. [2] I Joan. 5. [3] Agg. 1. [4] Matth. 14. [5] III Reg. 7.

hydriam farinæ, nec lecythum olei largitio minorabit. Fons misericordiæ, fons sapientiæ, fons et abyssus exsultationis æternæ, mihi et fratribus Fontaneis uberiores rivos suæ miserationis infundat, ut a torrente voluptatis illius inebriemur, et hauriamus cum gaudio de fontibus Salvatoris.

EPISTOLA CVI.

AD R. SUBDECANUM SARESBERIENSEM.

Argumentum. — *Docet calamitate a Deo immitti, non solum ob principum, ut ille subdecanus putabat, sed etiam ob populi peccata.*

M. Petrus Blesensis Bath. archid, dilecto socio et amico R. subdecano Sarisberiensi, salutem in vero salutari.

Constanter asseris, quasi spiritum habeas prophetiæ, et Dei arcana prænoveris, ex delicto nostri principis evenisse, quod commissas sibi provincias tantæ hostilitatis turbo concusserit. Ille, qui aufert spiritum principum, sicut terribilis est in judiciis suis, ita inscrutabilis est in consiliis suis super filios hominum. *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* [6]? Non minus delicta populorum quam principis, materiam malorum præsentium arbitror exstitisse. Legimus [7] sæpe populos, sæpe reges, nunc pro aliis, nunc pro se, divinæ animadversionis sententiam incurrisse. Comedit princeps uvam acerbam, et dentes populi obstupescunt. De rhamno ignis egreditur, et cedri Libani devorantur. Peccavit David populum numerando, et septuaginta millia virorum de populo divina indignatione percussi sunt. Frequenter propter membrorum immoderantiam caput affligitur, et propter iniquitatem plebis pœna principibus irrogatur. Universitas enim plerumque affligitur ob unius paucorumve delictum ; nam peccante Achan, populus anathema incurrit [8]. Quia Gad et Ruben, et dimidia tribus Manasse in terra Chanaan ædificarunt altare sacrilegum, ira Dei universaliter deseviit in populum [9]. Ultionem suam sæpe inchoat Dominus a sanctuario [10] ; et qui potentes potenter punit, frequenter in eos qui præsunt durius excandescit. Fornicatur Israel cum Madianitis, et principes ejus contra solem in patibulis suspenduntur [11]. Moyses et Aaron, qui in populo Dei merito et officio præeminebant, propter multitudinis impetum demeruerunt apud aques contradictionis terræ promissionis introitum [12]. Heli pro peccato filiorum sella eversa, fractisque cervicibus exspiravit [13]. Quis huic malo causam præstiterit, ego nescio. Utinam tam princeps, quam populus, se tanti reum discriminis arbitretur ! Utinam cum rege David rex noster humilietur, et dicat angelo percussori : *In me converte gladium, ego enim sum qui peccavi* [14]. Utinam subjecti cum populo Ninivitarum se peccasse proclament, atque cœlestis iræ vindictam in
A planctu et gemitu, et in cilicii asperitate declinent [15] ! Utinam plorent sacerdotes inter vestibulum et altare dicentes : *Parce, Domine, parce, populo tuo* [16] ! Utinam sit, qui suppleat Moysi vices, ut populus Dei contra Amalec in manuum suarum erectione prævaleat [17] ! Porro jam non solum Amalecitæ timendi sunt, nec jam solum ab aquilone panditur omne malum [18], sed ab Africa prorumpentes vastant Hispaniam duæ caudæ titionum fumigantium [19]. Respiciat Dominus in faciem testamenti sui, et excitet nostrorum principum fidem (*fides enim est victoria quæ vincit mundum* [20]), qui si infideliter, aut dissimulanter egerint negotium Christi, Christus contra eos qui blasphemant sanctum Israel causam propriam agat, eligat de
B plebe sua humilem, ut vincat in humilitate superbiam. Ipse enim est, de cujus beneplacito pedites expugnaverunt fortissimum regem Syriæ [21], Holofernem vidua [22], culices Pharaonem [23]. Bene vale.

EPISTOLA CVII.

AD AMICUM B. MONACHUM.

Argumentum. — *Reprehendit B. monachum, quod aulicam vitam, ejusque vitia detractionem et adulationem sectetur.*

Magister P. Blesen. Bath. archidiac., dilecto amico suo B. monacho, salutem, et de medio Babylonis exire.

Dedisti professioni apostolicæ manum, et te specialiter ejus servitio deputasti, cui servire regnare est ; nunc autem excusso servitutis illius
C jugo, quæ te perducebat in libertatem filiorum Dei, te undis immersisti curialibus, opprobrium ignominiosæ servitutis incurrens ex ipsa libertate peccandi. Testimonio quidem apostoli, *qui facit peccatum, servus est peccati* [24]. Mores autem a convictu trahuntur, et ex conversatione malorum vitæ corruptela traducitur. Factus es de numero locustarum [25], quarum potestas in linguis tota est et in caudis, socius eorum, quorum os plenum est amaritudine et dolo. Sed et caudæ eorum caudæ vulpium, quibus Samson alligavit incendium [26], quorum finis interitus, quorum pœna ignis et vermis. Qui os tuum Evangelio consecraveras, nunc illud veneris detractionum, et adulationum spurcitiis dehonestas. Nimirum præelegisti habitare cum
D ranis, quæ sunt in penetralibus regum, et inter aulicos simulacrum religionis adumbratæ prætendens magnatum gratiam in magno discrimine animæ tuæ, et proprii corporis afflictione venaris. Quod autem conquereris in te prorsus assuetæ dvotionis lacrymas aruisse, non mireris, si Dominus cœlum suum tibi clauserit, si terram æneam tibi dederit, si super montes Gelboe non pluit. Cum enim sis favorabilis auræ, et curialis gratiæ appetitor,

[6] Rom. 11. [7] Jer. 31. [8] Jos. 7 [9] Jos. 22. [10] Ezech. 9. [11] Num. 25. [12] Num. 20. [13] I Reg. 4. [14] II Reg. 24. [15] Jon. 3. [16] Joel. 2. [17] Exod. 17. [18] Jer. 1. [19] Isa. 7. [20] I Joan. 5. [21] III Reg. 20. [22] Judic. 13. [23] Exod. 8. [24] Joan. 8. [25] Apoc. 9. [26] Jud. 7.

appetitus hic tanquam ventus urens rorem cœlestis misericordiæ et gratiæ fluenta siccavit. Quid tamen, si lacrymis affluas? Lacrymæ in multis leviter profluunt, et eadem levitate arescunt. Sunt fornicatores, et adulteri, ambitiosi et avari, cæterique vitæ nequioris homines, qui Deo suam eis gratiam offerente torrentibus exuberant lacrymarum. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad Deum non approximabunt* [27]. Compunguntur ad tempus, et in tempore tentationis recedunt. De talibus autem scriptum est: *Misericordia eorum quasi nubes matutina, et sicut ros mane pertransiens* [28]. Commissa plorant, et ploranda continuant. Porro, etsi utrumque irriguum Axæ filiæ Caleph obtinebant [29], hæ tamen lacrymæ perditæ sunt, nisi a pravis operibus resipiscant. Graviter ergo decipiuntur, putantes se aliquid esse, cum nihil sint, et de oblata sibi gratia præsumentes, dicunt cum uxore Manue: *Si Dominus voluisset nos occidere, non recepisset sacrificium de manibus nostris* [30]. Itaque non superbiat servus, si de gratia Dei ad mensam filiorum admittitur. De similibus enim scriptum est: *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* [31]. Ipsi autem se inter amicos Dei mendaciter æstimabant, sicut notatur in versiculo, qui præcedit: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula*. Vereor autem, ne sicut abjecisti a te timorem Dei, et terribilium judiciorum ejus, ita te abjiciat Deus. *Cum sancto sanctus est, et cum perverso pervertitur* [32]. Super omnia, quæso, illud verbum Salomonis, aut potius divinæ animadversionis tonitruum pertimescas. *Considera*, inquit, *opera Dei, quia non est qui possit eum corrigere quem ille abjecerit* [33]. Cain vocem Domini audivit, sed quia abjecerat ipsum Deus, correctionis gratiam non suscepit [34]. Et ut in verbo poetæ epistola claudatur,

Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellex [35].

Vale.

EPISTOLA CVIII.

AD. G. (35) ELIENSEM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Implorat auxilium cancellarii regii contra tyrannidem vicecomitis.*

Reverendo Patri ac domino W. Dei gratia Eliensi episcopo, apostolicæ sedis legato, et domini regis Angliæ cancellario, PETRUS Blesensis Bath. archid., salutem, et regale sacerdotium salubriter exercere.

Quia sicut oleum effusum est nomen vestrum, atque innata vobis largitas se in orbem terrarum magnificæ liberalitatis exhibitione diffudit, curro ego cum cæteris ad oleum, ad fontem benignitatis et munificentiæ inexhaustum. Offero et ego cum cæteris vas vacuum [36], ut ei de vestro oleo infundatur. Oleum enim stabit, nisi vasa frequentius offerantur; vobis ex impendio nihil deperit. Sicut enim charitas ex infirmitate est fortior, sic exinanita plus crescit, non sentit ex distributione dispendium, ex largitione recipit vires, transitque ejus exinanitio in augmentum. Non aurum a vobis, non pecuniam peto, sed gratiam intercessionis ad regem. Vos enim constituit Dominus inter columnas regni, inter cardines cœli, inter gigantes qui portant orbem, ut eorum onera, quos injuriatrix calumnia premit, blando compassionis humero supportetis, et tyrannidem vicecomitis de Staffort, qua in meos homines perniciose grassatur, juxta vestræ promissionis verbum potestate regia comprimatis. Justitiam pauperum ad vos clamantium, quæso, advertite, ut suum judicium nobis convertat in misericordiam, qui judicat fines terræ. Oppressi sunt prædicti homines contra antiqua privilegia Ecclesiæ nostræ de Wolverhampton, jugo gravissimæ servitutis. Sed juxta Isaiæ verbum, jugum illud putrescat a facie olei [37], et de vultu vestro judicium prodiens ab oppressis pauperibus virgam exactoris avertat. Vale.

EPISTOLA CIX.

AD H. CANTUAR. ARCHIEPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Morbo impediri se indicat quo minus ad aulam redire possit.*

Reverendo patri ac domino H. Dei gratia Cantuariensi archiepisco (36), totius Angliæ primati, et apostolicæ sedis legato, suus P. Blesen. Bath. archid, salutem et sincerum obedientiæ filialis affectum.

Habebam in votis post peregrinationem, quam feci, venire ad vos, et mandatum vestram obedienter amplecti, quidquid sustinere posset filialis affectio. Verumtamen quartenæ insidiantis et imminentis præambulos æstus jam præsensi; et quia nunc biennio continuato expertus sum ejus mali-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(35) De hoc Guillelmo vide quæ dicta sunt ad epist. 87.

(36) Hubertus ille ex decano Eboracensi factus est episcopus Sarisberiensis anno primo Richardi regis, cum quo expeditionem Jerosolymitanam suscepit, ibique tam strenue se gessit, ut ipsius gratiam promeritus sit: unde mortuo in expeditione Jerosolymitana Balduino, ann. 1191, eum ad archiepiscopatum Cantuariensem eligendum curaverit, cancellarium et summum Angliæ justitiarium instituerit Cæterum inter ipsum et monachos Cantuarienses lis diu agitata est ob ecclesiam quamdam a Balduino jam antea inchoatam in præjudicium Ecclesiæ Cantuariensis. Verum post longam disceptationem ex mandato Cœlestini III primum, tum Innocentii III ecclesia ille diruta est, et concordia inter Hubertum et monachos firmata, sicque postmodum cum iis pacifice vivit. Obiit anno 1205.

---

[27] Psal. 31. [28] Ose. 6. [29] Judic. 1. [30] Judic. 15. [31] Psal. 80. [32] Psal. 17 [33] Eccle. 7. [34] Gen. 4. [35] Pers., Sat. 4. [36] VI Reg. 4. [37] Isa 10.

tiam, vereor ne in me ipsius malitia recidivet : si vel tumultus curiales aggrediar, vel diætæ transgrediar legem, seu labori, aut frigido aeri me exponam. Moram itaque meam excuset apud gratiam vestram, non timor ægritudinis, quam patior, sed potius mortis. Si tamen Ecclesiæ Cantuariensi, aut personæ vestræ, quod absit ! grave discrimen immineat, meamque præsentiam articulus necessitatis exegerit, nec morienti parcat oculus vester, nec languenti. Circa periculum vestrum, aut status Ecclesiæ sine omni dissimulatione et subterfugio publice interest obedire. Quisquis enim in talibus circa obedientiam ambigit aut distinguit, lignum scientiæ boni et mali in suam perniciem gustare præsumit. Placeat Deo, ut sicut dispendium patimur primæ inobedientiæ, ita mihi claudat obedientia cursum vitæ. Vale.

EPISTOLA CX.

AD ABBATEM ET CONVENTUM DE ELEEMOSYNA (37).

ARGUMENTUM. — *Æger implorat auxilium orationum a monachis.*

Venerabilibus dominis et amicis abbati, et conventui Eleemosyna M. PETRUS Blesen. Bath. archid., salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Sicut domus vestra inter cæteras sanctæ opinionis odore præcipua secundum nomen ejus, ita inventa est et laus ejus. Extunc effudi animam meam in omnem affectum dilectionis ad vos ; proposuique locum illum mihi desiderabilem frequentius visitare, solatiari vobiscum, et mutua ædificatione gaudere. Sane non fui sanus, ex quo recessi a vobis. Prius passus in oculis, postea in acutam incidi. Tertiana successit acutæ, quæ post varias et præstigiosas mutationes, quibus me diutissime torsit, transiit in quartanam. Quoniam igitur miserum corpus meum miserabiliter igne et frigore febrili, aut potius gehennali affligitur, nec mihi salutis fiduciam corporalis medicina promittit, orationum vestrarum suffragia devotus imploro. Quantum enim aliena fides, vel oratio prosit, non solum experimento didici, sed ex evangelica relatione cognovi. Nam in Evangelio Matthæi [37*] quibusdam paralyticum in lecto deferentibus et offerentibus Christo, centurione pro servo [38], Chananæa pro filia supplicante [39], Maria et Martha pro Lazaro [40], ille qui vita est in morientibus, aut jam mortuis, jura mortis evacuavit ; quantumque sit alienæ orationis beneficium opere manifestavit. Frequenter per ignem et aquam febrilem transeo, sed si pro me semel aqua devotionis inter vos et Deum effusa fuerit, transibo in refrigerium, citoque veniam ad vos redditnrus debitum gratiarum. Moveat vos, dilectissimi, conditio humanæ societatis, communionis obligatio, quam in capitulo mutuo vobis fecimus, vinculum charitatis, patientis angustia, et devotio supplicantis. Valete.

EPISTOLA CXI.

AD G. CANONICUM AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Hortatur G. canonicum ut sacras litteras diligenter perlegat, si velit tentationibus carnis resistere.*

Charissimo socio suo et amico G. canonico, M. PETRUS Bles. Bath. archid salutem, et in desolatione solamen.

Quodam jure naturæ in contractum amicitiæ venit, ut amici se ipsos mutua consolatione præveniant, et onera tentationum ; quæ alterutrum nimis premunt, communicatæ charitatis beneficio patientius ferant. Exieras de vana conversatione hujus sæculi, ut in deserto immolares Domino abominationes. Ægyptii siquidem oves abominantur, sed in malignis spiritibus detestabilis est omnis simplicitas. Credebas itaque carnales concupiscentias penitus evasisse, sed nondum deferbuit malitia Pharaonis, et adhuc manus ejus extenta. In deserto enim invenisti labores Ægyptiæ servitutis, in solitudine tumultum, in pace bellum, in portu naufragium. Nam sicut conquerendo deploras, desideria carnis et terreni affectus, qui in corde tuo penitus aruerant, quodam recidivo venenosæ propaginis revirescunt. Hujus mali exhibet incentivum et causam, quod studio sacræ Scripturæ et exercitio militiæ spiritalis omisso cibum, animæ et manna cœleste fastidis. Necesse est enim animam ad carnalia et terrena dejici, quæ a spirituali vita degenerans ad cœlestia non aspirat. Propterea misit tibi Dominus coturnices [41], et pluit circa te, sicut pulverem, carnes. Coturnices equidem modicum elevantur a terra : hi sunt terreni affectus, et desideria carnis, quæ militant adversus animam. Vide ne terrena sapias, ne carnibus, quas cœlestis indignatio pluit, id est carnis affectibus, angelorum panem posthabeas. Sacram tibi Scripturam apposuit Dominus, in omni tentatione solatium. Hæc est mensa, quæ reficit, juxta illud : *Posuisti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me* [42]. Hæc est cithara David psallentis in ea, per quam spiritus nequam recedit a Saul [43] ; et ea reticente, eumdem rursus exagitat. Lectioni igitur et orationi vigilanter intende, ne te tentatio inimica subvertat. Vale.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(37) Abbatia Eleemosynæ in Carnotensi agro sita, a Theobaldo Magno, Campaniæ comite, fundata est ann. 1121, ut habent Manriquez, tom. I *Annal.* ad hunc annum, et Jongelinus in *Notitia Cisterciensi.*

—

[37*] Cap. 9. [38] Matth. 8. [39] Matth. 15. [40] Joan. 11. [41] Num. 11. [42] Psal. 22. [43] I Reg. 16.

EPISTOLA CXII.

AD R. (38) AURELIANENSEM EPISCOPUM.

[C. A. D. 1199.]

ARGUMENTUM. — *Vehementer pugnat pro immunitate ecclesiastica, nempe ut a rege Franciæ in bellum Hierosolymitanum contra Saracenos a clericis non pecuniarum, sed orationum tantum exactiones fiant.*

Reverendissimo Patri et domino R. Dei gratia Aurelianensi episcopo, M. PETRUS Bles. Bath. archid., salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Scriptum est [44] : *Est tempus tacendi, tempus loquendi.* Diu autem obmutui, et silui a bonis, sed jam nequeo fidei Christianæ injuriam dissimulare silentio. Jam circa continia terræ vestræ barbaries efferata desævit (39), et in exterminium Christiani nominis gentium grassatur immanitas. Quid ergo hic statis tota die otiosi? Vibratur in cervices vestras gladius hostilis, nec est qui ex adverso ascendat, qui exprobrantibus nomini agminum Dei Israel zelo fidei se opponat. Tu ergo, reverendissime Pater, cum inter cæteras Ecclesiæ columnas quodam statu digniore præemineas, redde testimonium fidei tuæ, et in Christi negotio ulterius non lentescas, non sit alligatum apud te verbum Domini; sed sicut magnificavit te Dominus in conspectu regum, ita officium magnificentiæ pontificalis exerceas. Clamat ad te Dominus per spiritus sui organum Jeremiam [45] : *Sta*, inquit, *in atrio domus Domini, et loquere ad omnes civitates Juda sermones quos* locutus sum *tibi*. Et sermones illos exprimendo, subjungit: *Vade et clama : Revertere adversatrix Israel, dicit Dominus, et non avertam faciem meam a te* [46]. In eodem spiritu clamat Ezechiel [47], dicens : *Si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, veneritque* hostis, *et tulerit animam* unam *de* populo, *sanguinem ejus de manu speculatoris requiram.* Noli ergo otiari in talento Domini, sed evangelicam Domini negotiationem exercens, ut talentum tibi creditum Dominus cum fenoris accessione recipiat. *Insta* ergo *opportune, importune* [48], opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple. *Noli æmulari in malignantibus* [49], episcopis dico, qui re-A gem tuum blandis adulationibus palpant, *canes muti, non valentes latrare* [50]. Acceptissima quidem est in episcopis apud Deum professio veritatis. Animam pro veritate ponere non formides, ut videas dies bonos, quia sanguinem pereuntis Dominus de manu muti sacerdotis exquiret. Arca siquidem Dei capitur, et populus gladio ruit, dum sacerdos in filiorum correctione torpescit [51]. Nec motum, aut vultuositatem regis extimeas, sed in omni libertate eum salutaribus monitis aggredere, quia, *ubi spiritus Dei, ibi libertas* [52]. Maluit Joannes Baptista [53] periclitari apud regem, quam dissimulare legem Domini, qui ad Herodem et Herodiadem, sicut Elias ad Achab et Jezabel, legati officio fungebatur. Vos ergo, *reminiscimini Deum, ne taceatis, et ne detis*
B *silentium* ori vestro [54]. Joannes in Herodem, Phinees in Judæum et Madianitidem [55], Samuel in Agag regem [56], Petrus in Ananiam et Sapphiram [57], Paulus in Elyman magum zeli gladium exercuit [58], atque correctionis exemplum eorum tibi vita præscribit. Lex Dei, et fides Christi omni suppellectili mundanæ superæstimanda est, honori etiam, et famæ, propriæque saluti. Rex Achab [59] cum regi Syriæ eum graviter opprimenti servos et ancillas, filios et filias, et uxorem, omnemque supellectilem obtulisset, postquam ventum est ad violandum legem Dei, licet reprobus esset in aliis, tamen pro lege Dei pugnæ discrimen inire non timuit. Melius est incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei. Si regis Francorum faciem revereris, adhibe tibi de coepiscopis tuis, qui Spiritu Dei agun-
C tur, ut tanta verborum moderatione utaris, ut si fortis est sermo, nihilominus sit suavis. Nam et sapientia, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviter* universa *disponit* [60]. Super omnia, quæso, notam adulatoris, et officium palponis evites. Mel enim adulationis a sacrificio Domini relegatur [61]. Frequenter in palatiis conversantur, qui mollibus et delicatis auribus principum, etiam in turpibus blando lenocinantur applausu, ponentes cervicalia sub capite et pulvinaria sub omni cubito manus. Vix invenitur in curiis, qui non vendat *oleum*, qui

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(38) Hæc littera singularis R. habetur in mss. nostris Sorb. 1, Maz. 1, Vict. 1 et 2, ut et in Merlin. edito. In aliis autem, scilicet Vall. Vict. 3, et Hard. in quibus habetur hæc epistola (nam in cæteris deest) nullus est titulus. Existimant autem quidam errorem esse amanuensium, qui loco P. posuerunt R., nempe quib tunc temporis erat quidam Petrus Aurelianensis episcopus. Ego vero errorem quidem esse consentio, verum non P. sed H. scribendam esse puto, quæ propius ad litteram R. accedit : hoc enim modo habetur scriptum in antiquis mss. Denotat autem Henricum filium Roberti Drocarum comitis, qui quidem Robertus erat frater filius Ludovici Grossi, Francorum regis ; sicque Henricus ille erat consanguineus Philippi Augusti. Unde apparet ad eum scriptam esse hanc epistolam D Deinde quia ibi fit mentio expeditionis Jerosolymitanæ, quæ contigit sub hoc præsule, scilicet anno 1190. Hæc desumpta sunt ex antiquitatibus Aurelianensibus Gallice editis in historia *De vita pontificum Aurelianensium*, auctore Francisco Le Maire, Aurelianensi Nominatur et Henricus ille a Demochare in lib. *De sacrificio missæ*. Cæterum anno 1198, Henricus Romam profectus pro liberatione fratris sui Philippi, Bellovacensium episcopi, qui a rege Angliæ in vinculis detinebatur, in itinere obiit, ut notat *Chronicum* canonici Laudunensis, et Senis in Tuscia sepultus est.

(39) Intelligit Saladini irruptionem in terram sanctam, multorumque Christianorum stragem, de qua legendi historici hujus temporis.

[44] Eccle. 3. [45] Cap. 26. [46] Jer. 3. [47] Cap. 33. [48] II Tim. 4. [49] Psal. 36. [50] Isa. 56. [51] I Reg. 4. [52] II Cor. 3. [53] Matth. 14. [54] Isa. 62. [55] Num. 25. [56] I Reg. 15. [57] Act. 5. [58] Act. 13. [59] III Reg. 29. [60] Sap. 8. [61] Lev. 2.

caput peccatoris oleo *non impinguet* [62]. *Laudatur* enim *peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [63]. Sed timeat quod per Jeremiam [64] dicitur Sedechiæ: *O Sedechia, seduxerunt te viri tui pacifici* [65]. Cum in exercitu Xerxis esset navium et curruum innumerabilis multitudo, eique ab aulicis adulatoribus diceretur, quia nec mare tantæ classi sufficeret, nec aer tot populorum tela, nec terra tot currus sua caperet vastitate, in tanto exercitu unus fuit Demaratus, qui in spiritu libertatis auderet dicere Xerci : « Victus eris a te ipso, et te opprimet tui exercitus multitudo. » Ab exhortatione, quæso, non cesses, licet ille suorum consilio assessorum ad tuam instantiam se obduret. Scio enim quod adhuc Jannes et Mambres apud Pharaonem Moysi resistunt [66], et successores Achitophel justorum consilia malitiose pervertunt. Circa meretricantium linguarum malitiam patet campus orationis latissimus ; sed ad alia festinantes hæc omnia sud dissimulatione transimus. Quid expediat tuæ famæ, tu videris. Tu vero diligentiam adhibe studiosam, ut consanguineus tuus tanquam primipilarius Ecclesiæ vexillum fidei ferat ante reges et principes terræ, ut sicut vigilantior fuit in bellicis actibus, modo non sit in Christianæ fidei defensione retrogradus. Si autem proposuit iterum iter hujus peregrinationis arripere, non de spoliis ecclesiarum, non de sudoribus pauperum viaticum sibi et suis exhibeat, sed de reditibus propriis, aut de præda hostili bella Christi conficiat. Non est enim abbreviata manus Domini, ut qui magna fecit in Israel, etiam in populo acquisitionis brachium suæ magnificentiæ non exaltet. Certe in exitu Israel de Ægypto Dominus de spoliis Ægyptiorum ditavit Hebræos [67]. Ingressus autem populus terram Chanaan de prædis hostilibus innumerabiles sibi divitias aggregavit. Imo bellorum lex publica est, ut munificentia principalis suis commilitonibus de castrensi obventione stipendia largiatur. Quæ ratio est ut qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spoliis et donis triumphalibus ampliare debuerant ? Putantne insipientes, et miseri quod Christus, qui summa justitia est, velit sibi de injuriis et sacrilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex his spolia prosperari ? Si enim testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit ; ubi, quæso, mittendus est, qui bona pauperum vel Ecclesiæ rapuit, aut fraudavit ? Pro his et consimilibus *filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli* [68]. Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerent eventus auspicium. Meo in ultima peregrinatione *effusa est contentio super principes, et errare fecit eos Dominus in invio, et non in via* [69]. Fuerunt *contritio et infelicitas in viis eorum*, quia *viam pacis non cognoverunt* [70]. Patrimonium Christi et Ecclesiæ suæ hodie vertitur in occasionem scandali, et materiam servitutis. Certe sub Pharaone [71] cum ex principali decreto omnes ad solutionem quintæ partis generaliter urgerentur, sacerdotes tamen fuerunt ab observantia et onere illius constitutionis immunes. In libro etiam Numeri [72] ad figuram perpetuæ libertatis præcipit Dominus Leviticam tribum ab omni publica functione liberam esse, summique pontificis duntaxat arbitrio subjacere. Quid aliud a pontificibus, vel a clero potest vel debet princeps exigere, quam ut incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo ? *Omnis pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro rege et populo* [73] ; et si iratus est eis Dominus, sacerdos medius intercedats, et in tempore iracundiæ fiat reconciliator. Iratus Dominus populum suum Israel delere decreverat [74] ; stetitque Moyses in confractione in conspectu ejus, motumque divinæ indignationis oratione placavit. Flamma divinæ animadversionis desæviebat in populum, et Aaron arrepto thuribulo medius inter viventes et mortuos se flammæ objecit, cessavitque quassatio [75]. Item contra Amalech Israel prævalebat Moyse orante et erigente manus suas ad Dominum [76]. Et postea temporibus Josue, [77] sacerdotibus ministrantibus muri Jericho corruerunt. Scio quod si rex tuus angariis, parangariis, exactionibus, capitationibus, cæterisque sordidis et extraordinariis muneribus Ecclesiam decreverit prægravare, quamplures episcopos hujus rei fautores inveniet (40). Ipsi enim evangelicæ libertatis obliti, quæ non solum filios Dei sed amicos facit, in ignominiam servitutis perpetuæ sibi permittent aurem subula perforari [78] Sic olim rege Antiocho [79] jura templi et sacerdotii subvertente, multi de Israel egressi sunt, qui solius adulationis, aut vani timoris intuitu in consensum illius tyrannidis transierunt. Tu vero, reverendissime Pater, pro domo Israel ex adverso ascendas, et pro Testamento Dei murum inexpugnabilem te opponas. Enorme namque famæ et animæ discrimen incurres si hanc injuriam Christi silentio aut neglectu dissimules. Doctrina et exhortatione tua recolat dominus rex se non ad oppressionem pauperum, sed ad tuitionem Ecclesiæ potestatem gladii

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(40) Loquitur de Philippo Augusto, qui ad bellum sacrum peragendum contra Saladinum terræ sanctæ invasorem, ab omnibus suis subditis tam laicis quam ecclesiasticis decimas exegit. Scripta est hæc epistola circa an. 1190, quo anno suscepta est expeditio Jerosolymitana contra Saladinum.

—

[62] Psal. 140. [63] Psal. 10. [64] Cap. 38. [65] Justin. I. II ; Herod., lib. VII *Histor.* [66] II Tim. 3. [67] Exod. 12. [68] Psal. 77. [69] Psal. 106. [70] Psal. 13. [71] Gen. 47. [72] Cap. 18. [73] Hebr. 5. [74] Psal. 105. [75] Num. 16. [76] Exod. 17. [77] Cap. 6. [78] Exod. 21. [79] I Mach. 2.

ab Ecclesia suscepisse. Et qui nunc vivens Ecclesiæ A suffragia jugiter experitur, etiam post mortem ejusdem beneficiis longe amplius indigebit. Morietur enim, et utinam incertos mortis eventus attenderet, ac novissima sua memorans per præsentes divitias futuram miseriam compensaret! Ecclesiasticus dicit [80]: *Rex hodie est, et cras morietur: cum autem fuerit mortuus, hæreditabit serpentes, bestias, et vermes.— Spiritus pertransibit in illo et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum* [81]. Agnoscat itaque locum suum et officium, in quo posuit eum Dominus, nec de thesauris Ecclesiæ qui solis debentur pauperibus, sed de fiscali ærario bella Domini prælietur, neque confidat in fortitudine aut multitudine armatorum, sed in Domino. Quia testimonio Salomonis, nomen Domini *plu-* B *rima fortitudo* [82]. Dominus fortitudo plebis suæ est [83]. Quod apertissime liquet in præliis antiquorum. Quomodo enim persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia [84]? nonne ideo, quia Deus vendidit eos, et Dominus conclusit illos? *nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non* salvabit *eos, sed dextera tua et brachium tuum*, Domine, *et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis* [85]. Sibi autem complacebit Dominus in eis, qui fideles fuerint in testamento ejus. *Sine fide autem impossibile est placere* Altissimo [86]. *Hæc est* enim *victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* [87]. Et quia fere universos regni magnates video in via Domini quodam tædio laboris et pusillanimitate lentescere; vos, quæso jugi prædicatio- C nis instantia manus remissas, et genua debilia roborate. Plane, quia eis in præcedenti peregrinatione non successit ad votum, credunt abbreviatam esse manum Domini, et inexhaustum fontem gratiæ cœlestis aruisse. Porro tunc in superbia et in abusione profecti sunt, nec ex defectu suæ fidei, sed ab eventu duntaxat divinæ dispensationis judicium metiuntur. Fides quidem eorum semel probata est, et inventa est minus habens. Adhuc experietur eam Dominus; nam ex eorum fide et humilitate victoriæ calculus pendet, ac de his specialiter exspectandus est præliorum triumphalis eventus. Peccaverat tribus Benjamin in uxore Levitæ, et se reliquæ tribus in ultionem sceleris accinxerunt [88]. Erat causa eorum justior, et exercitus longe nume- D rosior atque fortior. Et cum eis ducem prælii Dominus assignasset, ipsiusque natu in prælium descendissent, *terribilis in consiliis super filios hominum* Deus [89], justos ab impiis, plures a paucioribus superari permisit; et ceciderunt ea die viginti duo millia de Israel. Iterum ad conflictum veniunt ex præcepto Domini, et succumbunt, decemque et octo millia de Israel occisi sunt; nimirum quia de sua fortitudine et multitudine præsumebant, primo et secundo victi et humiliati sunt, ut per humilitatem denuo vincerent, qui per superbiam victi erant. Fides autem eorum ex prima et secunda frustratione non torpuit, sed ex geminato discrimine crescens denuo ad conflictum, quanto humilius, tanto fortius se accinxit. Tertio autem congressi sunt, et tanta sanguinis effusione purgati fere totam tribum Benjamin deleverunt. Scias quod secundum populi fidem secundæ peregrinationis metiemur eventus. Instrue ergo in fide et timore Dei populum, et populi ducem; et ut multa paucis includam, reverendissime et dilectissime Pater mi, tuæ discretioni committo religiosorum quietem, pacem simplicium, causam Christi et Ecclesiæ libertatem.

EPISTOLA CXIII.

AD. G. EBORACENSEM ARCHIEPISCOPUM (41).

ARGUMENTUM. — *Hortatur archiepiscopum, ut resistat hæreticis, eosque ex communi consensu cleri, tam gravi multet pœna, ut cæteri ab hæresi absterreantur.*

Reverendo Patri et domino G. Dei gratia Eboracensi archiepiscopo, suus P. Blesen. Bath. archid. sentire de Domino in bonitate, et impugnatores catholicæ fidei expugnare.

Dum in rebus humanis ageret pater vester, dum ei fallax mundi gloria et proditoria hujus vitæ prosperitas arrideret; diu fuistis dubius quid expediret aut deceret vos agere, clericale officium prosequi, aut exercitiis scholaribus militares titulos anteferre. Vidimus, et præsentes fuimus ubi regnum Palestinæ (42), regnum etiam Italiæ patri vestro, aut uni filiorum suorum, quem ad hoc eligeret, ab utriusque regni magnatibus et populis est oblatum. Quidam vero attendentes probitatem et industriam vestram, vobis multiplicium honorum eminentiam communi desiderio destinabant. Porro, cum rex junior, duxque Britanniæ, fratres vestri, qui temporibus suis præ cæteris mortalibus obtinuerunt gloriam militiæ triumphalem, sublati essent de medio, tandemque genitor vester beatæ memoriæ rex Henricus tributum mortis naturæ sol-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(41) Ille est Gaufridus, Henrici II, Anglorum regis, naturalis filius, de quo ad epist. 62.

(42) Anno 1185, cum Saladinus terram sanctam occupasset, Heraclius Jerosolymorum patriarcha ad principes Christianos profectus est causa implorandi auxilii contra infideles. Cumque in Anguam appulisset, Henrico regi, ex parte Christianorum terram sanctam incolentium, regnum Jerosolymitanum obtulit, ut habent Radulfus de Diceto, Knygthon et Matthæus Paris, ad eumdem annum.

[80] Cap. 10. [81] Psal. 102. [82] Prov. 15. [83] Psal. 66. [84] Deut. 33. [85] Psal. 43. [86] Hebr. 11. [87] I Joan. 5. [88] Jud. 20. [89] Psal. 65.

visset, vidistis quia *universa vanitas omnis homo vivens*. Nam *in imagine pertransit homo* [90]: ideoque reliquistis vanitates et insanias falsas, usique maturiore consilio illius servitium elegistis, cui servire regnare est. Quia ergo multa est messis quæ vobis commissa est, suosque palmites latius extendit vinea Domini Sabaoth, cujus vos ipse custodem constituit, circumspectius providere et agere vos oportet, ne degenerent propagines vineæ in labruscam, frumenta in lolium, aurum in scoriam, oleum in amurcam. Surrexerunt enim temporibus vestris falsorum dogmatum prædicatores, doctoros mendacii, hostes veritatis et fidei subversores. Blandi et simplices sunt ut agni, sed ut vulpes astuti sunt, et rapaces ut lupi. Isti sunt hæretici, qui in vestimentis ovium veniunt. Isti sunt lupi, quos mercenarius fugit [91]. Isti sunt vulpes, quæ demoliuntur vineas. Quia igitur estis successor et vicarius Petri (43), qui oves Domini custodiendas et pascendas accepit; plurimum vestra interest prævidere, et præcavere illorum versutias, qui legem Domini prævaricantur occulte, qui laqueos et pedicas tendunt in capturam simplicium, seque cum aliis in præcipitium damnationis æternæ devolvunt. Zelus itaque domus Domini accendatur in vobis. Ascendite ex adverso, et opponentes vos murum contra inimicos crucis Christi, reddite testimonium fidei vestræ, et pro testamento Dei viriliter et efficaciter state Accite clerum, congregate populum, ut ex eorum communi deliberatione qui Spiritum Dei habent, terribilis constitutio in vestra provincia promulgetur, quatenus tam gravi animadversione plectantur, qui hac peste laborant, ut ex eorum pœna cæteri terreantur. Vale.

EPISTOLA CXIV.

AD J. (44) CARNOTENSEM EPISCOPUM.

[C. A. D. 1179.]

ARGUMENTUM. — *Gratulatur Joanni Sarisberiensi quod in episcopum assumptus sit, quod Petrum Blesensem cognominem suum promoverit, quod Vitam B. Thomæ martyris eleganti stylo scripserit.*

Dilectissimo domino suo et Patri J. Dei gratia Carnotensi episcopo, P. Bles. Bath. archid., salutem, et si quid melius est salute.

Benedictus Dominus, qui erexit vos in titulum, et gloriam suæ laudis, plantans vos quasi olivam fructiferam in domo Domini, ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ad redimendum, juxta verbum prophetæ [92], dispersos in gentibus, et reducendum filios de longinquo. Clerus Blesensis, cœlestis arbitrii dispensatione proscriptus, vagus erat et profugus super terram, donec eis datus est episcopus animarum suarum, qui posset compati patientibus et ex longa experientia exsulandi sciret quam humanum sit exsulibus misereri. Vocatus ergo a Domino tanquam Aaron, non acquievisti statim carni et sanguini, non episcopalis munificentiæ gratiam a parentibus inchoastis, non ædificastis Sion in sanguinibus, sed primitias beneficiorum vestrorum consecrastis in eo (45), quem me alterum sentio, qui me totum gerit animo, vultu, nomine, cognomine et statura. Ille juxta suorum exigentiam meritorum, si ad vitam, si ad mores, si ad litteraturam respicias, dignus est ut ei plenioris gratiæ oleum infundatur. Manus vestræ myrrham primam distillaverunt, spero futurum iri quod balsamum uberioris gratiæ redundabunt [93]. Recole autem, quid de promotione nostratum auribus meis instillaverit secretius os illud veritati et Evangelio consecratum. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [94]. Dabitis voci vestræ vocem virtutis; nec invenietur apud vos, est, et non : sed in campis Geth, et in compitis Ascalonis nominis vestri gloria prædicabitur; ubi nuper ignominia exsilii vestri infamiæ publicæ palpebris versabatur. Bene valete. Illud autem noveritis, quod de mandato domini mei archiepiscopi scribere triumphum B. Thomæ martyris attentassem, nisi aliud mihi scriptum fortuitus obtu-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(43) Similis loquendi ratio reperitur apud S. Hilarium in *Fragmentis*, ubi dicit episcopos esse « successores Petri et Pauli. » Apud Lucifer Caralit, I. *De non parcendo in Deum delinquent*. Ubi scribit « eos qui successores exstitisse inveniuntur B. Petro. » Apud Gaudent. Brixiensem, *Serm. in die ordinat. suæ*, ubi Ambrosium nuncupat « Petri apostoli successorem. » Cujus rei rationem reddit Cyp., I. *De unit. Ecclesiæ*, quia scilicet episcopatus unus est, et una cathedra, cujus unitatis origo incœpit a Petro, cui primatus a Christo concessus est. « Ut unitatem, inquit, manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, et una Christi Ecclesia et cathedra una monstratur, et pastores sunt omnes; sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus nec nimis consensione pascatur. » Sic et Hincmarus in *capitulis* anni 874. Quorum illud primum est : « Beatus Petrus apostolus, cujus vice in Ecclesia funguntur episcopi, » etc.

(44) Ille est Joannes Sarisberiensis, qui, procurante Ludovico Juniore, unanimi Carnotensium canonicorum consensu in episcopum electus est. Vide quæ de eo dicta sunt ad epist. 22.

(45) Is de quo hic loquitur est alter Petrus Blesensis, ad quem Petrus noster scribit epistolas 76 et 77; et quem etiam Ecclesiæ Carnotensis cancellarium fuisse habet vetus codex ms. V. C. domini Hoyau canonici Carnotensis his verbis : « Petrus, Carnotensis Ecclesiæ cancellarius, hujus episcopi (Joannis Sarisberiensis) tempore scripsit in Psalmos, » etc.

[90] Psal. 38. [91] Joan. 10. [92] Jer. 30. [93] Cant. 5. [94] Isa. 24.

lisset eventus, in quo elegantia styli ingenium magistri Joannis Sarisberiensis exprimebat et linguam (46). Admirans ergo gratiam, quæ diffusa est in labiis vestris, substiti, ne laudes, quas lingua erudita dictaverat, indoctis humanæ sapientiæ verbis, et stylo degeneri deturparem, et injurius fierem martyri, qui per insufficientiam rudis ingenii tantæ magnificentiæ præconia decurtassem. Valete.

EPISTOLA CXV.

AD H. ABBATEM DE MESSENDER.

ARGUMENTUM. — *Quæstionem propositam de gradibus affinitatis, quando conjugium vitient, exponit.*

Charissimo domino suo, et amico H. Dei gratia abbati de Messender, PETRUS Blesens. Bathon. archid., salutem in auctore salutis.

Acute moveris et quæris instantius utrum matrimonium stare possit, quod inter Robertum et Adelitiam contractum est, eo quod quodam affinitatis genere se contingant. Sicut autem memoria fideli recenseo, processum affinitatis illius tali serie et computatione disponis. Joannes, frater Mariæ uxoris Andreæ, duxit Agnetem. Agnes vero, mortuo Joanne, nupsit Eliæ; processit ex his Robertus, qui sibi Andreæ filiam Adelitiam desponsavit. Si bene recolo quid super hac quæstione canonum censura definiat, Joannes, frater Mariæ uxoris Andreæ, et Andreas in primo affinitatis genere convenerunt. Agnes vero uxor Joannis fratris Mariæ et Andreas affinitatem secundi generis contraxerunt. Jus enim regulare est, quod persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, et non gradum (47). Et hujus definitionis obtentu matrimonium relictæ Joannis initum cum Elia tertium genus affinitatis manifeste confecit. Robertus ergo Eliæ filius, et filia Andreæ Adelitia in secundo gradu tertii generis affinitate conjuncti sunt. Gradus enim inter affines, non secundum matrimoniale vinculum, sed secundum consanguinitatis gradus computare solemus, juxta tenorem illius regulæ doctrinalis : « Persona adjuncta personæ per carnis propagationem mutat gradum, et non genus. » Ego autem, ut summatim tuæ inquisitioni respondeam, si tales invenirem in tam dispari et remoto affinitatis genere conjugatos, vinculum inter eos matrimoniale non solverem. Disciplinalia quidem sunt hæc, et quodam exercitio scholaris militiæ ad cautelam majoris observantiæ introducta. Dominus equidem in lege Moysis [85] circiter duodecim duntaxat personas excepit, inter quas conjugium cum domestica carnis suæ, et illegitima revelatio turpitudinis inhibetur. De secundo autem, aut tertio genere affinitatis testamenti veteris serie, aut Evangelio citra exceptiones illas duodecim personarum nihil memini me legisse. Quod enim Joannes Baptista dixit Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* [86], viventis subintellige, primum genus affinitatis insinuat. Publico siquidem legis edicto [87] præcipiebatur frater semen fratri suo, non viventi, sed mortuo suscitare, si tamen sine liberis decessisset [88]. Nos autem hunc legis articulum spiritualiter intelligimus, et tenemus. Christo enim, qui primogenitus est in multis fratribus, qui pro salute nostra

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(46) Indicat librum *De vita S. Thomæ martyris*, quem scripsit Joannes Sarisberiensis, quique habetur in quadrilogio, sive historia quadripartita, a quatuor e familiaribus S. Thomæ composita. [Vide *Patrolog.* t. CXC, EDIT.]

Scriptam censeo hanc epistolam circa ann. 1180, paulo post promotionem Joannis Sarisberiensis. Nam ann. 1177 electus est episcopus Carnotensis.

(47) Recte Cujacius ad tit. 14 : *De consanguinitate et affinitate* : « Notandum est differentiam etiam canones facere inter gradus affinitatis et genera affinitatis, quod sic demonstro : Nuptiæ prohibitæ sunt hodie usque ad quartum gradum affinitatis et cognationis etiam, incluso etiam quarto gradu, ut dicam fusius in capite penultimo. Non sunt etiam hodie prohibitæ nuptiæ, nisi in primo genere affinitatis, in secundo et tertio genere permissæ sunt, dicto cap. penult. Ergo differentia est inter gradus et genera affinitatis. Ac primo quidem genere affinitatis marito sunt affines cognati uxoris, et vicissim uxori cognati mariti; hi sunt proprie affines, etc. Secundo autem genere, affines sunt marito affines uxoris ex prioribus nuptiis, et vicissim uxori affines mariti ex aliis nuptiis : qui tamen non sunt proprie affines, sed affinium loco; ut in lib. V *De ritu nuptiarum*, nurus uxoris est marito nurus loco, et gener mariti uxori generi loco, etc. At hodie ex dicto cap. penult. sive concil. Later, habito sub. Innocentio III, in secundo genere affinitatis nuptiæ vetitæ non sunt, et abrogata est dicta lex 15. Et multo minus vetitæ sunt in tertio genere affinitatis, quod consistit, ut id etiam exponam, inter me et uxorem secundam quondam generi meæ uxoris. » Idem Cujacius ad caput illud penultimum : « Hoc capite affinitatis genera separantur a gradibus affinitatis. Et in primo genere affinitatis nuptiæ prohibentur usque ad quartum gradum, in secundo et tertio genere affinitatis non item. Quod et Petrus Blesensis explicat et confirmat epist. 115. Filia uxoris meæ ex alio marito, id est privigna, est mihi primo gradu affinis. Maritus ejus, qui uxoris meæ est gener, uxori quidem est affinis primo genere, at mihi non nisi secundo genere; uxor autem secunda ejusdem generi meæ uxoris, mihi est affinis tertio genere, quod memini jam supra me exponere in præfat, ad hunc tit. : et sic soror meæ uxoris est mihi affinis primo genere, maritus ejus, qui uxori meæ est sororius, mihi est affinis tertio genere; uxor autem secunda ejusdem sororii uxoris meæ mihi est affinis tertio genere. At similiter uxor fratris mei, quæ dicitur fratria, mihi est affinis in primo genere; uxor autem ejus secundæ in tertio. » Quia videlicet sentiebat canones, quibus prohibentur conjugia inter affines in secundo et tertio genere, non sic esse interpretandos, ut matrimonium ab affinibus hujusmodi contractum sit nullum, sed solummodo ut peccent qui contrahunt, quamvis contractum valeat et teneat.

[85] Levit. 18. [86] Matth. 14. [87] Joseph., *Antiquit.* l. XVIII, c. 9. [88] Deut. 25.

mortuus est, et primogenitus mortuorum, qui dicit Mariæ : *Vade ad fratres meos* [99], per verbum prædicationis semen fidei suscitamus, et nihilominus divinæ legis oraculum tam in vivo quam in mortuo fratre de non ducenda illius uxore generaliter observamus. Inveniuntur autem canones, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, et in eis diversorum distinctionem graduum industria scholaris explicuit. Sed, juxta conscientiæ meæ judicium, nova hæc adinventio et traditio magistralis matrimonio non præjudicat, cui certos limites, sicut prænotavimus, lex divina præscribit. Sane in primorum parentum conjugio duæ tantum personæ pro raritate hominum, pater et mater videlicet, a lege conjugali exemptæ sunt, ubi dicitur : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ* [100], id est nec patri filia, nec matri filius, matrimonialiter adhærebit. Processu temporis excepit legislator matrem, novercam, sororem, neptem, amitam, materteram, uxorem patrui, nurum, uxorem fratris, subaudi viventis, privignam privigni, privignæque filiam, et uxoris sororem [1]. Ex quo autem vox turturis audita est in terra nostra, et his qui se castraverunt pro regno Dei [2] beatitudo promissa est, multa salubriter inlroduxit ad observantiam continentiæ ratio publicæ honestatis, quæ versum paucitate conclusi :

Votum, conditio, violentia, spiritualis
Proximitas, error, dissimilisque fides,
Ætas, turpe scelus, sanguis, conjunctio, tempus,
Hæc si canonico vis consentire rigori,
Te de jure vetant jura subire tori.

Vale.

EPISTOLA CXVI.

AD H. (48) ABBATEM S. DIONYSII.

ARGUMENTUM. — *Mittit H. abbati librum quemdam a se compositum examinandum, et simul eum consolatur in afflictione quam habebat a rege.*

Charissimo domino suo et amico H. Dei gratia abbati S. Dionysii, M. PETRUS Bles. Bath. archid.. salutem et primitias novi fructus.

Mitto vobis opus novum, sed imperfectum, et penitus incorrectum. Placeat itaque vobis, cum ipsum legeritis, lectum ad artificis sui limam remittere, ut si id vestra dignatio acceptaverit, emendatius ad vos redeat cum aliis opusculis meis, ex quibus elegantior stylus, materia gratior, fructusque suavior et uberior invenitur. Rogo autem, quatenus tractatum, quem de statu, aut potius de casu vestro in Sicilia descripsistis, communicetis mihi, si fieri potest : ut cortina cortinam trahat, unus cherubin alterum respiciat, et inter veteres amicos mutua scriptorum missio grata vicissitudine intercurrat. Novi vestras augustias, novi cruces, novi rapinam bonorum vestrorum, audivi regiæ comminationis tonitruum ; atque præsentialiter aderam, ubi vestros domesticos excitabat contra vos in tumultum. Positus estis in conflatorio Domini, sed magnanimitatem vestram, quæ se in tam arctis rebus frequenter exercuit, finalis patientia declarabit. Ob immensas pecunias promittit vobis pacem, et vulpinæ reconciliationis osculum, qui aures suas pertinaciter obturaverat ad preces summi pontificis, et ad comprovincialium episcoporum et abbatum instantiam, ad clamorem sacrarum virginum, ad lacrymas monachorum. Fœda est confœderatio hæc venalis, et gratia hæc mercalis Deo et hominibus est ingrata. Honestiorem pacem vobis provideat, qui aufert spiritum principum, ac sublimium colla propria virtute conculcat. Multis equidem simulata pace melior fuit persecutio manifesta. Iniit quandoque rex Israel cum Benadab pacem [3], sed in scandalum versa est ei, et populo in ruinam. Sint ergo oculi vestri semper ad Dominum : ponite cor vestrum super vias vestras ut eas acceptet Dominus, et faciat pacem. Scriptum est enim in Proverbiis : *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem* ; et : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat cor et intelligentiam vestram* [4], atque hunc agonem vobis consummet ad gloriam et triumphum. Vale.

EPISTOLA CXVII.

AD G. (49) ABBATEM MAJORIS MONASTERII.

ARGUMENTUM. — *Reprehendit G. abbatem, quod priorem S. Cosmæ occasione cujusdam terræ et pascuorum traxerit ad judicium.*

Dilectissimo domino suo et amico G. Dei gratia abbati Majoris Monasterii, magister PETRUS Blesens. Bathon. archidiac., quietem animi pro salute.

Prior Sancti Cosmæ lacrymabiliter causatur et

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(48) Habetur hæc littera solitaria H. in omnibus exemplaribus præterquam in Maz. 1, ubi habetur Henrico. Sed male : nam ex serie abbatum S. Dionysii constat Hugonem Fulcaldi fuisse electum ann. 1185, et obiisse an. 1197. Ille est qui Philippum Augustum ab expeditione Jerosolymitana revertentem, et orationis causa SS. martyrum corpora invisentem, cum suo conventu excepit, ann. 1191, teste Rigordo *De gestis Philippi Augusti*.

(49) Erat ille Gaufridus natione Britannus, nobili prosapia ortus, clericali scientia eruditus, statura vultuque decorus, ex auctore anonymo in *Gallia Christiana*, tom. IV. Hic electus est anno 1187 usque ad annum 1202, quo administrationem sponte dimisit.

[99] Joan. 20. [100] Gen. 2. [1] Levit. 18. [2] Matth. 19. [3] III Reg. 15. [4] Phil. 4.

conqueritur quod eum occasione cujusdam terræ et pascuorum ad Ecclesiam suam longo præscriptionis titulo, sicut asserit, pertinentium in judicium trahis, et eum modis omnibus, quibus potes, infestare præsumis. Verumtamen, si votum professionis illius, cui obligatus es, diligenter attenderes, quæ sursum sunt, non quæ super terram, propensiore studio procurares juxta doctrinam Apostoli : *Servum Dei non oportet litigare* [5] : cum ipse alibi dicat : *Hoc ipsum delictum est in vobis quod causas habetis, et non potius fraudem patimini* [6]. Ipse bonorum suorum rapinam cum gaudio sustinet, ut ad similem æquanimitatem verbo et opere te invitet. Non decebat tanti ordinis virum litigare pro terra, cujus conversatio jam erat cœlis, sicut se opinio communis habebat. Absit, absit, ut spiritualis homo sic terram appetat, quod famæ dispendium, aut animæ suæ discrimen incurrat, sed hoc suggerit tibi ille triplex Geryon, ille triformis et monstrosus homo, terrenus, carnalis, animalis, cujus contra te sunt omnes cogitationes in malum, qui utinam ita crucifigatur in vobis, ut destruatur corpus peccati, et jam non serviamus peccato. Quique terrigenæ et filii hominum, ut quid litigatis proterra, quibus prope est, ut Dominus de terra vos perdat, ut terra vos absorbeat, et consumat? De vobis scriptum est : *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum* [7]. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium* [8]? Mendax enim est, et transitoria possessio hujus mundi : ubi non est nisi concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, et superbia vitæ. Verbum Prophetæ est : *O terra, terra, terra, audi sermones meos* [9]. Terra est homo, quia de terra sumitur, in terra conversatur, in terram revertitur : terram sapit, terram lingit, terram sitit. *Conglutinatus est in terra venter ejus* [10], descendit in inferiora terræ, et cœlestium oblitus, pro terra litigat, pro terra pugnat : nec cessabit a talibus, donec in terram, qui de terra est, revertatur. Tunc ei septem vel octo pedes terræ sufficient, cui modo non sufficit camporum latitudo, et vastitas regionum. Ibi, o homo, gleba corporis tui quæ est terra, de terra ad id, unde sumpta est reducetur. Hic est funiculus hæreditatis tuæ, qui nunc pro terra litigas, quasi hæreditate possideas terram, qui in proximo futurus es potiuncula terræ, serpentum possessio, et vermium cibus. In auditorio Turonensis archiepiscopi nuper te pro hac terra et pascuis litigare vidi, et doleo me vidisse, ita totius religionis et honestatis oblitum, ut qui vultu, gestu et habitu monasticam exhibere debueras gravitatem, omnia in abusum verteres, et omnibus fieres in derisum. Jactabas manus, prosiliebas in medium, torquebas oculos, distrahebas labia, et pauperi priori quodam vultuoso fastu et probris insultans, cerebroso spiritu et clamore nautico intonabas. Porro ille, qui in cœlis habitat, et humilia respicit, ipse liberavit pauperem a potente, et inopem a diripientibus eum, quia in odium dissoluti et inquietissimi status tui prior ea die ab instantia litis absolutus est, et quantum ad præsentem controversiæ illius articulum contrarium sententiæ calculum reportasti. Tibi tamen imminet judicium gravius, et suspectior dies, qui finem imponet litibus tuis, quas nunc in omni prætorio notus ad injuriam, et scandalum monasticæ professionis exerces. Quia igitur contra inopem et mendicum, tantam membrorum dissolutionem, tantam exercuisti linguæ procacis injuriam, dies mortis, qui cano capiti tuo imminet, debitam istorum exiget ultionem. Caro congelascet, crura rigescent, manus et brachia decident, pectus anhelabit, cervix languescet, spumabunt labia, obtenebrabuntur oculi, facies ut testa pallescet. Sic in modico terræ fodietur peccatori fovea [11], et erit sepulcrum domus ejus in æternum [12], donec veniat dies ille terribilis, qui unicuique retribuet juxta suorum exigentiam meritorum. Cessa igitur, imo cessent omnes religiosi a talibus, quibus conscientiæ sanctorum vulnerantur, denigratur bonorum opinio, scandalizatur ordo, animæ jugulantur. Qui enim pro terra litigant, aut pro pascuis, indigni sunt in terra viventium, aut loco pascuæ collocari. Vale.

EPISTOLA CXVIII.

AD G. ARCHIDIACONUM EBORACENSEM.

ARGUMENTUM. — *Reprehendit archidiaconum qui de sua innocentia gloriatur, cum tamen multa in eo essent reprehensione digna.*

Charissimo socio et amico G. archid. Eborac., PETRUS Blesensis Bathon. archid., salutem, et temperantiam labiorum.

Audivi te nuper inter abbates et archidiaconos, atque alios magnæ honestatis viros de puritate tuæ conscientiæ gloriantem, cœpique mirari unde tantæ innocentiæ securitas obvenisset. B. Job veretur omnia opera sua [13], et Isaias propheta omnes justitias suas panno comparat menstruatæ [14]. Si in tuis infirmitatibus gloriaris, non eris insipiens [15]. Si te ipsum commendas, non est commendatio hæc secura : *non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Illa autem perfecta et consummata commendatio judicanda est, quando *erit unicuique laus a Deo* [16]. Utinam de te sentires humilius [17], et, si quid boni habes, illud non habere te crederes! Nemo hominum novit quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est [18], sed nec ipse ad plenum sua interiora cognovit. Cor enim

[5] II Tim. 2. [6] I Cor. 6. [7] Psal. 20. [8] Psal. 4. [9] Jer. 22. [10] Psal. 43. [11] Psal. 93. [12] Psal. 48. [13] Job. 9. [14] Isa. 64. [15] II Cor. 12. [16] II Cor. 10. [17] I Cor. 4. [18] I Cor. 2.

hominis pravum est et inscrutabile [19]. Job quem (A) Dominus præ cæteris commendabat, quod non esset et similis in terra, vir simplex, et rectus, ac timens Deum, ipse poterat dicere: *Non reprehendit me cor meum in vita mea* [20]. Et Paulus, quem Christus sibi vas electionis effecerat [21], licet diceret: *Nihil mihi conscius sum* [22], non tamen arbitrabatur se justificatum. Et quis confidat se habere cor mundum, qui de immundo conceptus est semine, et qui conversatur in mundo pleno spurcitiis peccatorum? Qui stat, videat ne cadat, aut potius, ne jam ceciderit. Petrus de sua stabilitate præsumens, ubi stare fortius confidebat, infirmius cecidit [23]. *Si dixerimus quia peccatum in nobis non est*, dicit Joannes, *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* [24]. Hoc ipsum grave peccatum est, et obstinatæ mentis signum, (B) quod nullo peccato intelligis te gravatum. Membrum enim, quod ita stupuit, ut sentire non possit longe est a salute. Totus insensibilis factus es, si non cogitas timorem Dei, si te eruditis cogitationibus non exercet exspectatio futuri judicii. Sane vix unum transigimus diem, in quo non offendamus Deum aut proximum, irascendo, detrahendo, murmurando, invidendo, scandalizando, cupiendo, garriendo, sequendo gulam, obsequendo carni, contradicendo spiritui, appetendo quæ sunt sæculi, contemnendo quæ sunt Dei, obliviscendo quam enormia fecimus, quam dura meruimus, quam misericorditer Deus nos ad pœnitentiam dissimulando exspectat, quam terribilia comminetur, quam incerta mors, quam intolerabilis et interminabilis pœna nobis immineat. (C) *Novit autem Dominus qui sunt ejus* [25]; et eos Apostolus certa definitione declarat, dicens: *Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem suam cum vitiis et concupiscentiis* [26]. Tu videris, cujusmodi crucem feras, propter verba labiorum ejus custodiens vias duras. Neminem judico, sed, sicut asserunt plurimi, suavius est tibi jugum mammonæ jugo Christi. Sunt, qui se justissimos arbitrantur, eo quod crimina damnabiliora non committunt, sed cor eorum vanum est: *Non* enim *justificabitur in conspectu* ejus *omnis vivens* [27]. Vide ne solvas Jesum. Jesum solvit, qui verbis eum confitetur, operibus autem negat. Verbum autem Joannis est: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est* [28]. Video te ad negotia mundana circumspectum et anxium, circa salutem vero animæ desidem et remissum. Tua opinione es san- (D) ctus, innocens, impollutus; sed suppellex varia, delicatior cibus, vestitus cultior, uberes reditus, ambitio ad majora, ædificia ampla, multiplices clientelæ, circa desideria carnis cura impensior, tuæ opinioni multipliciter obloquuntur. Porro *ignis opus uniuscujusque probabit* [29], cum sederit Dominus *quasi ignis conflans et emundans argentum* [30], cum *Dominus laverit sordes filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris* [31]. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* [32]? O quam periculosum est incidere in manus Dei viventis [33]! Cum exarserit in brevi ira ejus [34], beatus cujus opus non ardebit. Felix, qui ædificaverit aurum et argentum, et lapides pretiosos. Sufficit mihi servo inutili, si, crematis lignis, feno, stipula, quæ mihi coacervavi ad gehennam, de illo igne semiustus evadam. Jam undecima mihi hora est, et inclinata est dies, et adhuc tamen ad operandum Dominus me invitat. Delicatus, infirmus, impatiens, perfectam hactenus pœnitentiam distuli. Consiliosum mihi est, ut fructus pœnitentiæ, qui exigitur a me, perditi jacturam temporis recompenset. Humiliabor ergo sub potenti manu Dei, observabo me ab iniquitate mea, ponam in pulvere os meum, si forte sit spes. Cur timebo in die mala? nonne melius est timere in die bona? Ecce nunc tempus acceptabile, in quo possum operari et fugere de medio Babylonis, ne fiat in horrendo discrimine, in hieme, vel in Sabbato, fuga mea. Tu, qui ambulas in magnis et mirabilibus super te, securus es de divinæ prædestinationis arcano, certus quod neque mors, neque gladius, neque aliud te poterit separare a Christo. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, qui per delicias adeptus es regnum Dei. Sed vide quid ei respondeas, qui de omni verbo otioso exacturus est rationem [35], qui non solum peccata, sed justitias judicabit. Video quod cæcus est, et te ipsum non vides; claudus es, nec ambulas in via recta [36]. Time, quæso, vetus illud proverbium, quia *cæcus et claudus non intrabunt in templum* [37].

EPISTOLA CXIX.

AD R. CANONICUM.

ARGUMENTUM. — *Arguit R. canonicum, quod contumeliis affecerit eos ad quos mittebatur, detractionesque eorumdem in bonam interpretatur partem, idque multorum exemplo facere ostendit.*

Magister PETRUS Blesens. Bathon. archidiac., R. canonico, salutem et circumstantiam labiorum.

De facundia et discretione tua magna conjiciens, tibi negotia mea mandaveram apud principem peragenda: ea enim pro maxima parte expedieram; sed eadem enormiter impedisti. Cumque jam vota mea navigarent in portu, me tua temeritate in pelagus rejecisti. Excessisti mandati limites, quia commotus ad modicum unius hominis verbum et calore iracundiæ ductus, temperantiæ frenum in verba contumeliæ relaxasti. Offendisti omnes qui aderant, et ut attritæ frontis homo, et verecundiæ prodigus, nec pepercisti ordini tuo, sed nec episcopis assidentibus, nec ipsi principi detulisti. Porro etsi aliquis eorum contra te, aut etiam contra me, sicut asseris, aliquod verbum amaritudinis protu-

[19] Jer. 17. [20] Job. 1. [21] Act. 9. [22] I Cor. 4. [23] Matth. 26. [24] I Joan. 1. [25] II Tim. 2. [26] Galat. 5. [27] Psal. 142. [28] I Joan. 4. [29] I Cor. 3. [30] Malach. 3. [31] Isa. 4. [32] Psal. 129. [33] Hebr. 10. [34] Psal. 2. [35] Matth. 12. [36] Psal. 9. [37] II Reg. 5.

lisset, non sic tamen excanduisse debueras, ut tuæ A mentis impetum in publicam eorum contumeliam retorqueres. In secundo libro Valerii Maximo legimus [38], quod legati Romanæ reipublicæ missi a senatu Tarentum, cum graves injurias accepissent, itaut unus eorum respergeretur urina, legationem tamen suam pergentes de illatis injuriis nihil conquesti sunt, ne ultra quam mandatum eis fuerat loquerentur. Sane illi, quos asseris mihi publice detraxisse, et ideo te contra eos fuisse commotum, amici mei sunt, de quibus nulla mihi suspicio est, quod proposito detrahendi hoc dixerint; nam multiplici experientiæ argumento probavi quod affectuose me diligant; nec æstimare debeo, neque possum, quod eorum dicta vel facta mihi cedere debeant in adversum. Dilectio ergo, quæ vicissitudine alterna B sæpius probata est, notam suspicionis aliquam non admittit. Quidam asserebat Platoni, sicut Valerius Max. scribit [39], Xenecratem discipulum ejus eidem multipliciter detraxisse, et dum hoc ipsum offerebat juramento firmare, subjecit Plato: « Non est credibile quod me non amet fideliter, quem tam efficaciter amo. » Cumque criminator instaret, Plato adjecit: « Etiamsi hoc dixerit, et hoc ipsum mihi expedire cognovit [40]. » Alexandro ægrotanti de communi sententia medicorum Philippus medicus et amicus ejus medicinam suis confectam manibus porrigebat. Supervenerunt litteræ Parmenionis hortantis ut rex insidias Philippi caveret, utpote quem Darius pecunia corrupisset; quibus lectis ille hausit incunctanter, et tunc tradidit litteras Phi- C lippo, ut legeret. Secure amico se credidit, mortisque timorem in ipso mortis nuntio virtus dilectionis exclusit. Pone autem quod mihi malignandi affectu dixerint: respondeo tibi, quod Suetonius [41] refert Cæsarem Augustum respondisse nepoti suo Tiberio per epistolam conquerenti, quod multi de illo perperam loquerentur. Ita enim rescripsit: « Mi Tiberi, non magnum est, si nobis maledicant homines, dum non malefaciant. » Utinam posuisses ori tuo custodiam, nec misisset meum negotium in discrimen inconsulta loquacitas! Scriptum est: *Vir linguosus non dirigetur in terra* [42]. Ideo B. Serapion dicere consuevit: non est membrum in meo corpore, quod timeam sicut linguam. Pro levi et modico verbo ad injurias blasphemiæ convolasti, nec famæ, nec D animæ tuæ parcens, nec cœtui præsulum, aut magnatum deferens, sed nec regiæ majestati [43]. Sic olim Callisthenes Aristotelis auditor missus ad Alexandrum, quia præscriptos sibi fines obedientiæ non servavit, fructum injunctæ legationis perdidit, et seipsum. Graviter de tua legatione offensus, epistolam claudo, recolens verbum B. Jacobi verum esse, dicentis: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam a malo, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* [44]. Tu ergo, qui religionis habitum prætendis, religiosus te habeas, loquaris parcius, et modestius movearis. Ego autem, qui te arguo, potius arguendus sum. Calicem, quem nunc bibo, mihi miscui, quia nolui audire Salomonem dicentem: *Claudus est pedibus, qui verba mittit per nuntium imprudentem* [45].

EPISTOLA CXX.

AD R. DECANUM TURONENSEM.

ARGUMENTUM. — *Rogat decanum, ut nepotem suum Simoniace multa Ecclesiæ beneficia venantem, maximoque ære alieno obstrictum, corrigat.*

Charissimo domino et amico R. decano Turonensi M. PETRUS Blesensis Bathon. archidiac., salutem in auctore salutis.

B Nepotem vestrum P. libenter vivæ vocis officio convenirem, nisi ipsius et vestram præsentiam mihi localis distantia invideret. Mihi autem ei litteras destinare non expedit, quia cum fere sit non litteratus, litteras aut non legeret, aut non intelligendo negligeret. Nam testimonio sapientis, Legere et non intelligere negligere est [46]. Vos, quæso, temeritatem ipsius, quæ nimis publica et notoria est, et quæ non mediocriter denigrat gloriam famæ vestræ, instanti studio reprimatis, ne delinquat in facie communis notitiæ, sed aut cesset a Simoniæ commerciis, aut ipsum a conversatione vestra, tanquam putridum membrum a corpore præcidatis. In triviis Geth, et in compitis Ascalonis publice prædicatur, quam multiplici venalitate venetur in C diversis ecclesiis dignitates, et quam obstinatus in ambitione sua nec perditionem Simonis, nec lepram Giezi reformidet [47]. Nuperrime autem factus est populi sibilus, et commune ludibrium; quia mane mercatus archidiaconatum, eumdem sero perdidit. Ipsum enim enormibus obligatum debitis, et ideo non esse solvendo, venditor intellexit. Jocandum est de archidiaconatu istius; sicut Vatinium unius diei consulem Cicero in libro *Tusculanarum* legitur [48] delusisse: « Magnum, inquit, ostentum anno Vatinii fractum est, quod illo consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit. » Quærenti deinde Vatinio quare ad eum Cicero non venisset, respondit: « Volui in consulatu tuo venire, sed nox me comprehendit. » Nepos vester in diversis D ecclesiis diversos adeptus est turpi commercio personatus. Non enim intravit per ostium; quandoque auditurus verbum illud terribile: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* [49]? Scitis quia vestis nuptialis est charitas, humilitas et honestas. Hunc autem non promovet honestas, sed cupiditas; non moralitas, sed venalitas; non scientia, sed pecunia; non electio, sed ambitio; non meritum, sed pretium; non virtus aut sanctitas, sed contractus. Verbum prophetæ est [50]: *Væ his,*

[38] Val. 2, c. 2; Liv. l. XII; Flor. l. I, c. 2. [39] Lib. IV, c. 2. [40] Id. l. III, c. 8. [41] Suet. in *Aug.* c. 4. [42] Psal. 139. [43] Plat. in *Alex.*; Q. Curt. l. VIII; Just. 15; Valer. l. V, c. 2. [44] Jac. 1. [45] Prov. 26. [46] Cato. [47] IV Reg. 5. [48] Macrob., l. II *Saturn.*, c. 2; Cic., l. VIII *ep. ad Curion.* [49] Matth. 22. [50] Mich. 3; Hab. 2.

qui ædificant *Sion in sanguinibus!* væ qui congregant non sua, usquequo aggravant contra se densum lutum! Cum sit persona, vel potius bellua multorum capitum, hydram tamen et Briareum, cæteraque monstruosa prodigia multarum facierum numero; aut potius personarum multiplicitate transcendit. Detestanda quidem præsumptio est; quod insufficientiam suam non considerat, quod vires suas et dignitatum, quas usurpat, onera non compensat. Cum Dominus mitteret Moysen in Ægyptum pro liberatione populi: *Quis* inquit, *ego sum ut vadam ad Pharaonem liberare populum de Ægypto* [51]? Licet eum elegisset Dominus tanquam dignum, ipse tamen tanta legatione se humiliter reputabat indignum. Qua fronte, quæso, præesse præsumit, qui prodesse non novit? Teste Hieronymo [52], non taurus degener, sed qui cæteros fortitudine superat, præcedit armentum [53]. Elephantorum etiam gregem ille qui omnibus excelsior est antecedit et ducit. Nonne tibi videtur insanus, qui omnino navigationis ignarus in discrimine tempestatis peritissimos nautas contemneret, ipse autem in suam et aliorum perniciem temeritate sua navis magisterium usurparet? In Matthæo [54] scriptum est: *Cum videritis abominationem desolationis sedentem in templo, tunc væ prægnantibus et nutrientibus!* ac si diceret: Cum videritis in Ecclesia ambitiosum et fatuum melioribus præeminentem: væ his, qui per prælati prudentis industriam a spiritu timoris Domini conceperant; et cum cœpissent facere vitæ fructum, per malitiam successoris fecunditas versa est in aborsum. Ideo conqueritur Ecclesiastes [55], et dicit: *Vidi malum, quod est sub sole, stultum positum in dignitate sublimi, et sapientes sedere deorsum.* O negotiatio detestanda, pro honore transitorio animam perdere, tantumque pecuniæ numerare pro reditu, quantum de obventionibus ejus non possit per quinquennium obvenire. De animæ perditione aut salute taceo; nam de anima ultima quæstio est apud eum. Non attendit miserrimus, quid super eum cogitet *terribilis in consiliis super filios hominum* [56] Deus. Quis scit, si hodie vel cras subitatio mortis eum rapiat, et non sit, qui eripiat? Sicne illum dementavit ambitio, ut per fas et nefas ecclesiarum personatus acquirat, nec proponat

A Deum ante conspectum suum, nec vereatur judicia Dei, nec illud saltem tonitruum divinæ indignationis attendat: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, et quæ parasti cujus esunt?* [57] Infelix, ob inanis gloriæ ventum suam animam jugulat, et insuper se infinitis et insolubilibus debitis obligare non cessat. Certe publica omnium æstimatione tota Turonensis archiepiscopatus subventio vix sufficeret eum ab ære alieno eximere. Miror, nec ad plenum mirari sufficio, si vel ad unius horæ dimidium possit ei somnus obrepere sub tanto pondere debitorum, inter tot fenorum cruces, quibus a Judæis, torquetur, inter tam multiplices et urgentes molestias creditorum. Cicero in libro *Tusculanarum* refert [58], quod Augustus Cæsar audiens quemdam

B Romanum equitem decessisse, qui sertestia ducenta æris alieni vivendo celaverat, culcitram bicubitalem, quæ in bonis defuncti reperta est, petiit. Quærentibus quare hoc ageret: « Culcitra hæc, inquit, ad somnum habenda est, in qua potuit dormire, quem tanta debiti moles jugiter debuerat anxiasse. » Credo autem, quod nepos vester suorum angustias debitorum solatietur, et relevet illo epigrammate Martialis [59]

Serte nihil debes, nil debes Sexte fatemur.
Debet enim si quid solvere Sexte potest.

Debita ejus sunt utique poma illa in Sodomis quæ sicut B. Augustinus libro vicesimo primo *De civitate Dei* refert, speciosa quandoque sunt et matura, sed attentata morsu in fumum et favillam subito evanescunt. Vana equidem et inanis est

C contra eum actio creditorum, quam evacuat inopia debitoris.

EPISTOLA CXXI.

AD J. (50) ROTHOMAG. DECANUM.

ARGUMENTUM. — *Hortatur Rothomag. decanum ne occasione Hierosolymitani belli ecclesias sinat opprimi exactionibus; ac ne profectio, ut alias, diutius differatur.*

Charissimo Domino et amico J. Rothomagensi decano, M. PETRUS Blesensis archid., salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Cum in contractu bonæ fidei exactissima diligentia requiratur, rogo vos in ea fide sociali et amici-

D tia, quam contraximus ab antiquo, quatenus in Domini nostri negotio, de quo alias vobis scripsi,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(50) Is erat Joannes de Constantiis, nepos Walteri Rothomagensis archiepiscopi. Fuit primum archidiaconus. Oxenefordensis ex Rogerio de Hoveden, tum decanus Rothomagensis, postremo in episcopum Wigorniensem electus est an. 1196.

De ejus electione ita scribit Richardus rex Angliæ ad Hubertum Cantuariensem archiepiscopum, apud Radulfum de Diceto in *Imag. histor.* ad ann. 1196: « Noveritis quod dilectus noster decanus Rothomagensis, vir benignus modestus, discretus, et secundum Deum ambulans, in præsentia nostra, et clericorum vestrorum in episcopum Wigorniensem solemniter et canonice ab eis, quorum intererat, est electus. Unde vos rogare duximus, quatenus electionem illam ratam habeatis et gratam, eamque confirmare velitis, » etc. Obiit autem Joannes anno Christi 1198. Porro ille est, cujus gratia Petrus noster scripsit tractatum *De institutione episcopi*, sive canonem episcopalem, sicut patet ex inscriptione, et ex toto contextu tractatus, ubi Walterum tanquam perfecti episcopi exemplar ipsi Joanni imitandum proponit.

[51] Exod. 3. [52] *In cap.* XXXIV *Ezech.* [53] Senec. ep. 90. [54] Cap. 24. [55] Cap. 10. [56] Psal. 65. [57] Luc. 12. [58] Macrob. l. II *Satur.* c. 4. [59] Lib. II, epig. 3. c. 5.

vigilantia vestra sic excubet, ut non solum corporis commoditatem sed et salutem animæ, vestra in eo cautela procuret. Magnificavit vos Dominus in conspectu regis, et cæteris in ducatu suo post vestrum avunculum vos præfecit (51). Geratis ergo vices Aioth fortissimi judicis Israel ambidextri [60], qui erat tam in dextra quam in sinistra expeditus. Et vos sic eum per temporalia deducatis, ut non amittat æterna. Verbum Salomonis est : *Da partes septem, necnon et octo* (52) ; nam non solum oportet et agere ea quæ expediunt, ad præsentem hujus septenarii vitam, sed ea quæ respiciunt ad octavam. Insta ergo, et instantius eum mone, ut in timore et humilitate se per omnia divinæ subjiciat voluntati ; nam *vita in voluntate ejus* [61]. Sit sollicitudo vestra, ne transeat in affectum cordis, ne sequatur concupiscentias mundi, ne in vano accipiens animam suam, pro ratione voluntatem habeat, et omisso venerandæ maturitatis consilio imprudentioribus acquiescat. Certe regnum Roboam filii Salomonis divisum est, quia spretis senioribus juniorum consilium prælegit [62]. In primis viriliter state pro domo Domini, ne per vestram incuriam humilietur status ecclesiasticæ dignitatis. Ecclesia quidem a diebus antiquis libera est, et filii ejus, qua libertate Christus nos liberavit, dicens in Evangelio [63], quia *filii liberi sunt*. Si autem angariatur exactionibus et oppressionibus potentium, cogitur ancillari ; jam ipsa est Agar, quæ servit cum filiis suis. Sed quid dicit Scriptura ? *Ejice ancillam et filium ejus* [64] : si principes vestri novæ peregrinationis obtentu volunt orbem describere, et Ecclesiæ Christi tributariis functionibus characterem servitutis inurere ; qui filius Ecclesiæ est ex adverso ascendat, mori potius eligat quam servire. Arguuntur a Seneca, Catilina et L. Sylla, quia pax eorum fuit bello deterior [65], subjectumque sibi populum plus exactionibus tyrannicis, quam hostes præliis afflixerunt. De collectis igitur faciendis, et de ducendo exercitu princeps vester non suum sequatur A arbitrium, sed semper animum ejus præcedat, et omnia ejus gesta præordinet studiosa deliberatio sapientum. Panætius in libro *Tusculanarum* asserit : neque ducem bello, neque principem domi posse salubriter magnas res agere, si eat post impetum cordis sui, si non omnia ejus negotia depingat ante rei adventum maturioris causa consilii. Unum rogo et consulo, ne opus Dei, sicut alia vice, frustratoriis dilationibus protrahatur. Scriptum est : *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* [66]. Cæsar [67] audita rebellione Ponticæ regionis, illuc armatas acies sine dilatione direxit, fuitque tanta festinatio victoriæ, ut in pompa triumphali tria hæc verba diceret : « Veni, vidi, vici [68]. » Assyriorum regina Semiramis erat circa cultum capitis sui occupata ; B et nuntiatum est ei Babyloniam rebellare. Ipsa vero adhuc soluta una parte crinium ad bella cucurrit ; nec prius composuit incultam capitis partem, quam urbem et cives illius in suam redigeret potestatem [69]. Inducere possemus exempla multorum, sed sufficiat pro exemplo biennalis illa ditio novissimæ peregrinationis, quæ toti Christianitati versa est in singultum. Illud etiam, quod viam suam ab exactionibus incœperunt, et viaticum sibi de rapinis pauperum et ecclesiarum spoliis confecerunt. Fuit propterea hæc via illorum scandalum ipsis. Verbum quidem Salomonis est : *Initium viæ bonæ facere justa* [70]. Inter justorum autem et impiorum vias sententia divina distinguit. *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* [71]. Vale.

C

EPISTOLA CXXII.

AD WILLELMUM RHEMENSEM ARCHIEPISCOPUM (53).

ARGUMENTUM. — *H. Cantuar. archiepiscopus Rhemensem archiepiscopum laudat a charitate præstita S. Thomæ martyri, cum in exsilio esset, eumque rogat ut suæ famæ detractoribus non facile credat, et veterem erga se amorem conservet.*

Venerabili Patri et domino WILLELMO Dei gratia Rhemensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, HUBERTUS divina miseratione Cantuar. archiep. (54),

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(51) Erat enim vicarius generalis Rothomagensis archiepiscopatus in absentia Walteri archiepiscopi, qui erat in comitatu Richardi regis Angliæ ad peregrinationem Jerosolymitanam profecti.

(52) Apud Septuaginta ita legitur, δὸς μερίδα τοῖς ἑπτὰ, καί γε τοῖς ὀκτώ, hoc est *Da partem ipsis septem, et quidem ipsis octo.* Quam lectionem dupliciter intelligunt Interpretes, vel pro tempore, vel pro personis. Pro tempore quidem, ut semper dandum esse significet : Quasi diceret : « Benigne faciendum est per septem dies, qui cum præterierint, et octavus appetierit, rursus incipiendum est, nec dandi finis faciendus. » Ita Clarius. Pro personis vero, ut omnibus vel quamplurimis detur : quod per *septem et octo* designatur, scilicet numerus finitus pro indefinito. Et est sensus : « Liberaliter indigentibus omnibus tribue, » inquit Pagninus. Sumptum autem est a conviviis veterum, in quibus partes dabantur singulis convivis, et mittebantur pauperibus. Scripta est hæc epistola circa ann. 1191, quo tempore Walterus Joannis avunculus perrexerat cum Richardo rege Angliæ ad expeditionem Jerosolymitanam.

D

(53) De eo jam alias locuti sumus, maxime ad epist. 15.

(54) Fuit hic primum Eboracensis decanus, tum episcopus Sarisberiensis ann. 1189. postmodum mortuo in expeditione Jerosolymitana Balduino, et electo in archiepiscopum Cantuariensem Reginaldo episcopo Bathoniensi, qui etiam paulo post e vivis est sublatus, Hubertus ad petitionem Richardi regis, qui quidem adhuc in vinculis imperatoris detinebatur, a monachis Cantuariensibus electus est anno 1193. Regibus charus et ab omnibus honoratus, vixit laudabiliter in pontificatu undecim et amplius annis. Obiitque ann. 1205.

---

[60] Jud. 3. [61] Psal. 24. [62] *III* Reg. 12. [63] Matth. 17. [64] Gal. 4. [65] Lib. v. *De benef.* c. 16. [66] Jer. 48. [67] Sueton. *in Vita*, c. 37. [68] Plut. *in Vita Poliæn.* l. VIII. [69] Anni 1188, vide Tractat. *De itin. Hieros.* [70] Prov. 7. [71] Psal. 1.

totius Angliæ primas et apost. sedis legatus, salutem in auctore salutis.

Regi gloriæ et gratiæ largitori gratiorum refundimus actiones, quia juxta verbum Job [72] pacem faciens in sublimibus suis, in terris etiam principes nostros ad pacem vestro labore, vestra mediante industria reformavit (55). Propterea et apud homines publici favoris gratiam obtinetis, et in terra sanctorum, pacem *Dei, quæ exsuperat omnem sensum* [73], fiducialiter exspectatis. Ab eo siquidem die, quo me in sinu vestræ dilectionis et gratiæ suscepistis, jugiter in præcordiis meis erga vos devotio sincera coaluit; illudque inter desiderabilia nostra reputavimus præcipuum, si oblata occasione quod habemus in votis, possemus operibus exhibere. Ad omne tamen dilectionis et obsequii debitum nos eminentiæ vestræ fortius obligavit, quod amici nostri, scilicet B. Thomæ martyris, vices nobis, licet non sufficientibus, dispensatio divina commisit. Non excidit a communi memoria, quantis et quam piis humanitatis officiis vobis innata liberalitas relevavit ejus exsilium (56): et adhuc eleemosynas vestras enerrat omnis Ecclesia sanctorum. Proposuerat autem vobis ad meritum respondere, sed vitam et propositum ejus mors intempestiva præscidit. Profitemur vero nos gratiæ martyri exhibitæ perpetuo debitores, tanquam successores illius; et utinam ejus, quam habuistis ad ipsum, dilectionis hæredes! Sane audivimus quod frater ille vester, de quo mihi quandoque scripsistis, in suggillationem nostæ opinionis eminentiæ vestræ quædam de nobis sinistra suggessit; verumtamen non est credendum *omni spiritui, sed* probandi sunt *spiritus, utrum ex Deo sint* [74]. Illud etiam quodam jure naturæ in contractum amicitiæ venit, ne ad delatorum suggestiones adversus amicum alicujus nota suspicionis obrepat, donec eum evidentia facti deliquisse convincat. Scitis equidem, quod odio quodam quasi hæreditario decessores, illius a diebus antiquis contra Ecclesiam nostram contentiose egerunt. Iste etiam a primordio suæ promotionis in contumeliam nostram omnes conatus suos studuit experiri. Quod si nobis detrahit, si nos apud homines judicat, ut verbo utamur Apostoli, *pro mini-*

A *mo est*, ut ab illo homine judicemur [75]. Novimus suæ mentis impetum, et vos quandoque a fructibus ejus cognoscetis eum. Novit scrutator cordium Deus. nos vexationibus, quas sustinet in præsenti fraternæ compati charitatis affectu; promptumque apud nos invenisset de sua tribulatione solatium, si se dirigi, si consuli sibi permitteret, si modestiam præscriberet actionibus suis, si denique ullum dedisset ei vexatio intellectumr. Claudemus epistolam, et ut ejus prolixitas ad compendium redigatur, in Christi visceribus, in recordatione martyris, et in ea charitate, qua nos mutuo dilexistis, nos et Ecclesiam nostram devote et humiliter vobis ad gratiam commendamus.

EPISTOLA CXXIII.

B AD. R. (57) LONDONENSEM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Declarat se ad sacerdotalis eminentiæ gradum ex diaconatu progredi nolle, non ex contemptu: sed ex reverentia. Deinde ostendit neminem cogendum ad sacerdotium.*

Reverendo Patri et domino Dei gratia Londoniensi episcopo, suus PETRUS Bles. Bath. archid., salutem in eo sine quo non est salus.

Scio quia ex intima dilectiones, et charitate non ficta procedit quod vultis et petitis me induci, aut, si oportuerit, attrahi et compelli ad ulteriorem divini mysterii gradum. Imprimis sanctitatem vestram indubitanter scire desidero quod inæstimabiliter me deterret sacerdotatis eminentiæ gradus; et quod illum differo, vel recuso, facit reverentia, non contemptus. Magna est, et supereminens cœlestis di-C gnitas sacramneti; et quis poterit ad eam! Scio quia hostia hæc singulariter animas ab æterno interitu salvat, um Unigeniti Dei mortem salubre mysterium repræsentat. Sane Christus, qui surrexit *a mortuis jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur* [76], et tamen in seipso immortaliter et incorruptibiliter vivens pro nobis in mysterio alteris quotidie immolatur. Scioque et aperte profiteor, tempore immolationis in ipsa hora incensi, cœlos ad vocem sacerdotis aperiri, angelos præsentes assistere, unum et idem ex visibilibus et invisibilibus fieri, et operatione sancti Spiritus terrena cœlestibus jungi [77]. Magnum itaque hoc est sacramentum supra omnem æstimationem, supra omnem intelli-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(55) Quod Guillelmus Remensis archiepiscopus mediator fuerit pacis inter Philippum Augustum, et Richardum Anglum testantur omnes pene scriptores.

(56) De impensis a Guillelmo Remensi S. Thomæ in exsilio beneficiis legendi maxime qui Vitam S. Thomæ scripserunt.

(57) Hæc littera R. habetur in omnibus exemplaribus tam mss. quam editis. Designat autem Richardum Eliensem Negelli Eliensis episcopi filium naturalem. Qui cum esset canonicus Lundoniensis, Ecclesiæ Lincolniensis decanus, archidiaconus Eliensis, electus est in episcopum Lundo-D niensem paulo post obitum Henrici II, regis Angliæ, cujus fuerat thesaurarius. Dispensatione tamen prius habita super defectu natalium ab Alexandro III, cujus diploma exstat apud Radulfum de Diceto in *Imaginibus historiarum* ad ann. 1189. Hic in ecclesiæ suæ, et ædificiorum ad sedem suam spectantium structura magnam impendit pecuniam, inquit Godwinus. Obiit an. 1198. De ejus obitu sic Radulfus ad hunc annum: « Richardus bonæ memoriæ Lundoniensis episcopus tertius cum sedisset annis octo, mensibus octo, diebus decem, diem clausit extremum. »

[72] Cap. 25. [73] Phil. 4. [74] Joan. 4. [75] I Cor. 4. [76] Rom. 6. [77] Greg. l. IV. *Dialog* c. 58.

gentiam, supra omnem eminentiam, in quo salus est mundi, pretium sæculi, pretium sine pretio, pretium impretiabile. De ipso Apostolus loquens : *Magnum* est, inquit, *sacramentum hoc pietatis, manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum gentibus, creditum mundo, assumptum in gloria* [78]. Verbum prophetæ est : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* [79], quanto nundiores esse oportet, qui in manibus, et in corpore portant Christum ? Quibus Apostolus dicit : *Empti estis pretio magno : glorificate et portate Christum in corpore vestro* [80]. Sacerdotem hoc sentire oportet, quod et in Christo Jesu ; non solum, ut se per humilitatem exinaniat, sed ut cruxifixionem Domini repræsentans stigmata ejus portet in corpore suo, et in ara cordis seipsum Domino crucifigat. Verbum Salomonis est : *Sedisti ad mensam divitis, scito quia eadem te præparare oportet* [81]. Nam et in Levitico sacerdos pellem hostiæ retinet [82] : quia ordo sacerdotalis expostulat ut, dum in mensa altaris hostiam immolat salutarem, quadam contritionis cruce hostiæ se conformet. Olim paschalis agnus non comedebatur, nisi cum lactucis agrestibus et amaris ; præcingebantur etiam renes : in quo et amaritudo pœnitentiæ, et continentiæ munditia designatur. In utroque etiam poste sanguis agni ponebatur, ut sacerdos sacramentum Dominicæ passionis non solum ore ad redemptionem, sed corde ad imitationem suspiciat : quia tunc demum ei hostia proderit, si, seipsum hostiam faciens, velit humiliter et efficaciter imitari quod agit. Verbum Apostoli est : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* [83]. O quam felix, qui probatus inventus est ! *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos, et cor meum* [84], ut tanto sacramento dignus inveniar ! Terribile enim est, quod sequitur : *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum indigne, judicium sibi manducat et bibit* [85]. Domine Jesu Christe, sacramentum corporis et sanguinis tui, quasi pignus et obsidem cœlestis gratiæ dimisisti, et in eo constituisti nobis, non mortem, sed vitam, non judicium, sed salutem. Quam perditus ergo est qui redemptionem in perditionem, qui sacrificium in sacrilegium, qui mysterium in parricidium, qui vitam convertit in mortem. Prohibet Dominus in lege Moysi ne de agno paschali comedat peregrinus, advena, vel immundus. Quanta ergo, et quam damnabili temeritate sacerdos indignus ministrare præsumit, qui, ut verbo utar Apostoli, Filium Dei conculcat, et sanguinem testamenti pol-

A lutum ducit, in quo sanctificati sumus, et spiritui gratiæ contumeliam facit [86]. Sacerdotibus dicitur, per prophetam : *Vos sancti Domini vocabimini, ministri Domini*, dicetur vobis [87]. Et subjungit : *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus* [88]. Video autem hodie, quod et flens dico, innumeros illitteratos, aut potius idiotas, et nihilominus carnaliter conversantes, usurpare tanti officii gradum : ita quod sacramenti dignitas ex indigna numerositate vilescit, et evenit quod Osee propheta conquerendo deplorat, et dicit : *Multiplicavit populus altaria ad peccandum, factæ sunt eis aræ in delictum* [89]. Ideo raro sacrificat Carthusiensis ordo (58). Sicut enim solet generari ex assiduitate contemptus, sic accenditur ex ipsa B raritate devotio. Sane non habent potestatem edere de cœlesti altari, qui tabernaculo carnis deserviunt [90]. Illis enim, qui carnalibus desideriis insumuntur, calix Domini vertitur in fel draconum, angelorum panis aufertur et eis manna cœleste putrescit, *pluitque super eos Dominus sicut pulverem carnes.* [91] Notandum autem quod eodem solo carnes indurantur, et manna liquescit, quia juxta diversorum exigentiam meritorum quosdam Deus in sua malitia obdurari permittit, alios ad salubres lacrymas pia devotione resolvit. Cumque ille quasi languente et fastidiente stomacho tanquam furfur et corticem sacramenti recipiat ; anima istius ex cœlesti adipe, ex divini tritici medulla pinguescit. Spiritus illius est, sicut mons Gelboe, super quem C nec ros nec pluvia cadit ; isti vero quasi hæreditati suæ Deus pluviam voluntariam segregavit [92]. Ex inordinata et indisciplinata multitudine sacerdotum hodie datur ostentui nostræ redemptionis venerabile sacramentum. Nam qui debuerant esse vicarii apostolorum, et filii Petri, facti sunt socii Judæ, et præambuli Antichristi. Verbum quippe Gregorii est : « Qui Christi corpus indigne conficit, Christum tradit, ut Christus, dum traditur, dicat : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa* [93]. » Augustinus super illum versiculum, *Dederunt in escam meam fel* [94] : « Gravius, inquit, peccant, offerentes indigne Christum regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. » Et idem : « magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris quam qui tradidit ipsum crucifixori D bus Judæis. » Et adaptat sacerdotibus pravis illud lamentabile verbum Christi : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* [95]. Dominus equidem salutem nostram sitit et esurit : et ideo damnabiliter peccat qui ad corpus ejus cum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(58) Juxta antiqua statuta Guidonis, cap. 14, parag. 5 : « Raro quippe hic missa canitur. Quoniam præcipue studium et propositum nostrum est silentio et sollicitudini cellæ vacare, juxta illud Jeremiæ : *Sedebit solitarius et tacebit* (*Thren.* III). » Vide quæ de hac re dixi ad epist. 86.

---

[78] I Tim. 3. [79] Isa. 52. [80] I Cor. 6. [81] Eccli. 31. [82] Levit. 7 [83] I Cor. 11. [84] Psal. 25. [85] I Cor. 11. [86] Exod. 12. [87] Hebr. 10. [88] Isa. 61. [89] Ose. 8. [90] Hebr. 13. [91] Psal. 77. [92] I Reg. 1. [93] Luc. 22. [94] Psal. 68. [95] Ibid.

felle conscientiæ pravæ, et cum aceto iniquitatis A accedit. Verbum B. Hieronymi est : « Perfidus Judæus, perfidus Christianus : ille de latere, iste de calice sanguinem Christi fundit. » Porro Joseph piis manibus corpus Christi bajulavit, iste vero pollutis manibus, et quibus paulo ante scorti pudenda tractavit Salutem hominum tangit, et recipit ore, quo paulo ante basia meretrici impresserat. Ille qui fuerat Christi membrum, tollit membrum Christi, dicit Apostolus, et facit membrum meretricis. Qui enim adhæret meretrici, unum corpus, unumque membrum efficitur cum ea [96]. In hoc membro abominabiliter ponitur et detestabiliter corpus Christi. Repositum fuit illud pretiosissimum corpus in sindone munda, et in monumento novo [97] : B iste autem in ore adhuc potu hesterno fetente, et in sentina ventris adhuc præcedente crapula æstuante demergit eum, quem angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt. Nonne potius Antichristianus, quam Christianus judicandus est, qui quantum in se est, Christum jam factum impassibilem ita tractat indigne, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, et sepelit inhoneste? Verum, quia cœlestis animadversionis sententiam, sicut Dathan et Abiron [98] in ipsa sui sacrificii usurpatione non sentiunt, divinum putant evasisse judicium, dicentes cum uxore Manue : *Si Dominus voluisset nos occidere, non suscepisset sacrificium de manu nostra* [99], Certe Maria, quam Christi charitas vehementer accenderat, prohibetur C Dominum tangere [100]. Joannes etiam Baptista, quo major inter natos mulierum, testimonio Christi, non surrexit, vertici Salvatoris angelicis potestatibus tremendo manum veretur apponere [1] : et filius plorationis æternæ, manu sacrilega, et ore polluto sacramentum, in quo vita æterna est, recipit, ipsumque sibi damnabiliter incorporare, aut potius incarcerare præsumit. Prius per pœnitentiam, et longum usum erat expianda omnis iniquitas, ut perveniretur ad cornu altaris, id est, ad tanti gratiam sacramenti. *Lavabo*, inquit, Propheta, *manus meas*, id est, opera, *et* sic *circumdabo altare tuum, Domine* [2]. Et idem : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua : et* sic *introibo ad altare tuum, Domine* [3]. Lavandi sunt equidem omnes interiores affectus. Nam in Levitico, antequam offeratur hostia, diligenter omnia ejus intestina lavantur [4]. Apparuit Dominus Moysi [5], apparuit et Josue [6], præcipiens utrique ut solveret calceamenta de pedibus suis : calceamenta quippe fiunt de pellibus mortuorum animalium. Terribilis vero locus est, in quo Deo Patri ejus Unigenitus immolatur : ideo quisquis accedit ad tantæ sanctificationis ministerium, necesse prius habet deponere omnem immunditiam operum mortuorum. Res diffficilis et ardua est, ministrare in sacerdotio, animas regere, et, juxta verbum Salomonis, mittere se in turbam populi, et alligare sibi peccata duplicia [7]. Verbum enim Domini est : *Sacerdos meus, qui unctus est, si peccaverit, delinquere faciet populum meum* [8]. Super quem locum B. Gregorius [9] dicit : Scire sacerdotes debent, quod si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot subditos ad suæ perditionis exempla transmittunt. Et quis novit opera sua? quis scit *utrum amore, an odio dignus sit* [10]? Delicta quis intelligit? Pravum est cor hominis, et incrustabile [11], abyssus profunda, tenebrosa et inexplorabilis est conscientia peccatoris. Nam, ut de cæteris taceam, si discusero et scopavero spiritum meum, si lavero me nitro, et multiplicavero mihi herbam borith [12], sordibus intingit me Dominus (59). Sic a mortuo perit lavatio, sic lavo laterem, et dum plus sordes excutio, plures excessus inveniens, quos nondum plene, sicut debui, planxi, mihi ex ipsa criminum recordatione sordesco. Ideo tanti sacramenti majestate deterritus, insufficientiam sanctitatis, quam ille gradus exigit, meticulosus allego. Certe Moyses jam electus in ducem populi, et ad Pharaonem mittendus : Jeremias [13] etiam vocatus a Domino, ut populum rebellem erudiat, humiliter se excusant. Nec dubium est, quin

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(59) Differt hæc lectio ab originali sacræ Scripturæ. Vulgata sic habet : *Maculata es in iniquitate tua, coram me, dicit Dominus Deus.* Et LXX interpretes, nisi quod pro *in iniquitate* legunt *in iniquitatibus tuis* : ἐν ἀδικίαις σου. In Hebræo autem נכתם עונך לפני D *signata est iniquitas tua coram me*, etc. Ita Pagninus. Hebræi autem sic exponunt : *Iniquitas tua descripta est*, vel *impressa*. Et ut doctus inter ipsos exponit : « Ita est manifesta, ut illam negare non possis. » Quasi diceret : « Etiamsi coneris dissimulare tuam idololatriam, non falles me. » Sic Vatablus. Paraphrasis Chaldaica : « Quoniam si putatis mundari a peccatis vestris, sicut mundant nitro, et dealbant sapone, ecce quasi nota maculæ, quæ non mundatur, sic multiplicata sunt peccata vestra, coram me, dixit Dominus Deus. » Syriaca versio sic habet : « Etiamsi nitro te dealbes, et plurimum sulphuris adhibeas tibi, cicatrices tamen impresserunt in te peccata tua coram me, dicit Dominus Deus. » Arabica : « Quamvis te nitro absterseris, et multum smegmatis adhibueris tibi, nihilominus contaminabo te coram me perversitatibus tuis, ait Dominus Deus tuus. » Lyranus in hunc locum : « Nitrum species est terræ, qua utuntur purgatores vestium : et deducitur a niteo, quia facit vestes nitidas. Borith autem significat saponem, qui similiter habet vim purgativam. Per ista intelligitur multiplicatio sacrificiorum veteris legis ad expianda peccata, quæ non valent ad hoc sine debita pœnitentia. » Legendus Hieronymus in illum locum.

—

[96] I Cor. 6. [97] Matth. 27. [98] Psal. 105. [99] Judic. 13. [100] Joan. 20. [1] Matth. 3. [2] Psal. 25. [3] Psal. 42. [4] Levit 1. [5] Exod. 3. [6] Josue 5. [7] Eccli. 7. [8] Levit. 4. [9] *Pastor.* adm. 5. [10] Eccl. 9. [11] Psal. 18. [12] Jer. 17. [13] Cap. 2.

tantum præemineat sacerdotalis dignitas officio veterum Patrum, quantum res spei, substantia umbræ, quantum promissionibus exhibitio veritatis. Isaias vero, Domino quærenti quem mitteret, ministerio prædicationis se offerens, prius calculo purgatur altaris [14]. Nemo enim aptus est ministeriis spiritualibus, donec sancti Spiritus ardore purgetur. Ob reverendam hujus ministerii eminentiam, B. Marcus, cujus cor et linguam Dominus sancti Spiritus igne purgaverat, quasi tamen adhuc imperfectum suum sentiens pollicem sibi abscidit, ne ad sacerdotium cogeretur. Legimus, quod cum B. Ammonius ad regimen populi traheretur invitus, aurem sinistram ferro sibi radicitus secuit, dicens : « Lex divina neminem præcisa aure permittit fieri sacerdotem. » Reversi sunt ergo clerus et populi ad Timotheum tunc temporis patriarcham, qui Ammonium, non solum si auribus mutilatus, sed si naribus truncatus esset, propter sanctitatem ipsius censuit promovendum. Revertentibus illis, et iterum trahentibus virum Dei, atque cogentibus : « Linguam, inquit, meam, propter quam vobis placeo, si me ulterius cogitis, propriis dentibus amputabo ; » et sic tandem sibi relictus est. Ad hæc Paulus Eremita, Antonius, Apollonius, Mutius, Hilarion, Paphnutius, et uterque Macharius, et Arsenius, beatus e lam Benedictus, cæterique viri nominatissimæ religionis, quorum memoria in benedictione est, nunquam gradum sacerdotii attigerunt ; in sua tamen simplicitate salvati sunt. Sicut enim [15] B. Odilo Cluniacensis abbas in exhortationibus scribit, istorum singuli una hora diei, Dominicæ passionis, nostræque redemptionis beneficia quasi in fasciculum memoriæ devote ac fideliter colligebant, et sic in timore et humilitate, hæc ad fruendum suaviter, firmiter in sua conscientia recondentes, corpus Domini spiritualiter manducabant. Sic Dominus præcipit apostolis dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* [16]. Et adjungit abbas : « Sicut enim sacramentum quandoque indignus, sic rem sacramenti non recipit, nisi dignus. » Voce humana explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta reverentia suscipi debet corpus Christi. Conficere vereor, quod affecto suscipere ; nam cum utrobique pura conscientia exigatur, tamen vita perfectior, et conversatio eminentior propter varias illius ordinis circumstantias a sacerdote requiritur. Utinam

A modernorum sanctitas tanta esset, ut æmulandæ virtutis exemplo nobis desiderabilem appetitum sacerdotalis gradus immitteret. Præterea Leviticus ordo non omnino immunis est ab onere, nam districte ad exactissimam tenetur observantiam honestatis. Unde Apostolus in Epistola ad Timotheum : *Diaconos*, inquit, *oportet esse pudicos, ut episcopos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes* [17]. Ex quibus aperte colligitur, quod continentia, quod sobr etas, et circumspectæ vitæ custodia diaconis indicta sit ; quod præcidenda est ab eis omnis ambitio, et omnia, in quibus temporalis lucri turpitudo versatur. Loquitur Dominus ad Moysen, dicens : Non eligatur sacerdos, aut Levita, nisi *qui* dixerit *patri suo et matri suæ : Nescio* B *vos* [18]. In quo amputatur non solum occasio culpæ, se affectio parentelæ. Ideo et ego *elongavi fugiens* [19] a parentibus meis ; nondum tamen in hac peregrinatione mea valeo ad plenum oblivisci populum meum et domum patris. Cum juxta institutionem Apostolicam [20] pertineat ad ordinem Leviticum *ministrare mensis ;* et nihilominus annuntiare *verbum Dei :* magnum mihi est, et super conatus meos sufficienter implere diaconum. Sæpe a juventute mea me domini mei Cantuarienses archiepiscopi monuerunt instantius, ut promoveri ad sacerdotium consentirem. Ego autem sollicitus exspectabam, ut vel opportuna exsilii vel martyrii occasio se offerret, quatenus exemplo B. Thomæ in arena hujus mundi pugnantibus devotus assisterem ; C beatique Laurentii vestigia humiliter adorans, Levitici gradus officium publice profiterer, et dicerem domino ac patri, si forte ad pugnam sine me festinaret : Quo progrederis sine filio, pater ? quo sacerdos sine ministro properas ? experiere certe utrum idoneum ministrum elegeris, cui commiseris Dominici corporis et sanguinis consecrationem (60). Nobis enim diaconis consecratio illius salvatricis hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus. Et quæ absurditas est, si diaconi, et maxime archidiaconi in suo ordine perseverent ? Nam hunc ordinem archidiaconatus canonica censura præscribit ; et sicut episcopatui D presbyteratus annexus est, sic et archidiaconis diaconatus ordo quadam consequentia inseparabili counitur. Ideo simplices diaconi, urgente necessitatis vel utilitatis instantia juxta Carthaginense concilium ad eminentiores ordines

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(60) Sic etiam legunt Maz. 1 ; Vall. Vict. 2 et 3 ; Dom et Merl. Solum Sorb. 1, habet *ministrationem ;* sed male, propter ea quæ sequuntur in hac epist. : « Nobis enim diaconis consecratio illius salvatricis hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus. » Eodem etiam modo legitur in manuscriptis sancti Ambrosii, lib. I *De officiis*, cap. 41. Unde hic locus desumptus est, maxime in quatuor sancti Ambrosii mss. antiquissimis et optimæ notæ, quos evolvimus, quorum duo sunt in bibliotheca Sancti Germani a pratis, alii duo in Victorina. Ita etiam habebatur in primis editionibus operum sancti Ambrosii, ut videre est in Basileensi apud Joannem de Amerbach, anno Domini 1492.

[14] Isa. 6. [15] Trithem. *De viris illust.* [16] Luc. 18. [17] I Thim. 3. [18] Exod. 33. [19] Psal. 54. [20] Act. 6.

possunt cogi; sed quod ad hoc de jure arctari possit archidiaconus, nunquam legi. Imo e diverso B. Gregorius [21] præcipiendo decrevit Natalem episcopum Salonitanæ Ecclesiæ, et usu, et honore pallii destitui, quia Honoratum ejusdem Ecclesiæ archidiaconum invitum fecerat in presbyterum ordinari. Inter cætera vero, quæ circa similem casum scribit Simplicius papa Joanni Ravennati archiepiscopo, hæc verba leguntur [22]: « Privilegium dignitatis meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Ideoque denuntiamus, quod si posthac aliquid tale præsumpseris, et aliquem, seu episcopum, seu presbyterum, vel diaconum invitum facere posse credideris, ordinationes Revennatis Ecclesiæ, vel Æmiliæ tibi noveris auferendas. » Salva vero pace et reverentia Gelasii papæ, hi qui in sacro eloquio exercitatos habent sensus, vel non approbant, vel reverentia filiali se excusant, quod ab eo scriptum est, ut videlicet illis, qui sacerdotium differunt, aut a susceptione illius ordinis se excusant, minores honoribus et stipendiis præferantur, ut honorem, quem fugerant, appetere nitantur, et quæstum. Sane non honor, aut quæstus debet esse ordinis occasio, sed Christi charitas, et animæ salus. Gregorius in *Registro* [23] quemdam episcopum comminando redarguit, eo quod archidiaconum suum reclamantem ad sacerdotium promovisset. Illi vero epistolæ quædam interserit, dicens: « Sicut justum est, ut nemo credere (61) compellatur invitus, ita censendum puto, ne quis a sui ordinis gradu desistere compellatur. » Porro dignitatis turbato ordine, archidiaconi hodie sacerdotibus præeminent, et in eos vim et potestatem suæ juridictionis exercent. Eapropter archidiaconum in presbyterum promoveri non est honorem ejus augeri, sed minui. Licet enim in adeptione potioris gradus possit in quibusdam; sicut tetigimus, locum habere coactio, tamen quod quis a superiori statu descendere compellatur, expresso scimus contraire decreto. Sicut apertissime liquet ex epistola Gregorii papæ [24] ad Joannem Syracusanum episcopum, quæ sic incipit: « Quorumdam ad nos relatione pervenit. » Et ex illo noto et solemni capitulo Augustini [25]: « Displicet tibi. » Quomodo ergo destituetur quis a gradu, quem canonice adeptus est, maxime cum ex ipsa destitutione decrescat? Nam in Cabilonensi concilio jure communi sancitum est ne quod aliquis legi-

A time obtinuit, nisi gravi culpa interveniente, amittat. Nec vero quædam honoris amissio est; nam, si diligentius attendatur archidiaconorum præeminentia, et depressio simplicium sacerdotum, quædam degradationis species est in archidiaconis ista promotio. Ut autem de jure civili quædam ad propositum a similibus inducamus, Ulpianus [26] disputans de curatore bonis dando, refert Cassium scribere, neminem invitum cogendum fieri curatorem; et subjungit: voluntarius ergo quærendus est. Credo autem, quod sacerdotes animarum curatores sunt. Unde et Ambrosius dicit: « Necesse est ut munda sit sacerdotis manus, quæ salutem animæ curat. » Et Salomon: *Maxima peccata cessare faciet curatio* [27]. Item compellere aliquem ad tirocinium,

B Justinianus [28] inter turpitudinis causas enumerat; nam et hoc ipsum crimen concussionis importat. Quæ ergo ratio est, ut archidiaconus sub tanto discrimine animæ sic ascendere aut potius descendere coarctetur? Apostolus quidem monet, ut *unusquisque in sua vocatione permaneat* [29]. Et ad Ephesios [30] loquens juxta distributionem sancti Spiritus, in Ecclesia Dei officia diversæ professionis assignat, ut regina stans a dextris Sponsi multiplici varietate ordinum sit ornata. In figura hujus rei Dominus in libro Numeri [31] circa tabernaculi ministeriam diversa distinguit officia, ut sint alii Levitæ, alii Meraritæ, alii Gersonitæ, alii Caathitæ, alii vero Aaronitæ. Nec erat ibi ordinum alteratio, ut unus ordo ad alterum transiret, nisi hoc urgentissima ratio dispensationis exigeret.

C Postremo nullus *sibi honorem*, *sed qui vocatur a Domino tanquam Aaron* [32]; et ideo forte adhuc inter Levitas, et non inter Aaronitas sors et conditio vestra esset, nisi Dominus dixisset vobis: *Amice, ascende superius* [33], et sic vos pontificalibus infulis induisset. Benedictus autem Dominus, qui elegit vos in sacerdotem sibi, sufficientem et idoneum ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ad prædicandum annum placabilem Domino, ad benedicendum populis in monte Garisim, efficacem convertere incredulos ad prudentiam justorum, et parare Domino plebem perfectam. Vidimus quamplures in Ecclesia Romana in ordine diaconatus usque ad ætatem decrepitam, et exhalationem extremi spiritus ministrasse. Certe dominus Cœlestinus, qui hodie

D sedet, sicut ex ipsius ore frequenter accepi, in offi-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(61) Est hic error: nam pro *credere* debet legi *crescere*. Sic enim habetur in omnibus Gregorii exemplaribus tam editis quam mss. Sic etiam apud Ivonem Carnot., part. VI, c. 279. Ita et in mss. nostris Vall. Dom. et Maz. 1, Sorb. 1 legit *conscendere*.

Quo anno scripta sit hæc epistola certo denniri non potest: quia tamen Cœlestinus III, S. P. de quo hic fit mentio, electus est ann. 1191. Richardus autem Lundoniensis obiit ann. 1198; inter hæc duo tempora scriptam esse conjicere possumus.

---

[21] Lib. II *Reg.* ep. 15. [22] Dist. 74, c. *Ubi ista.* [23] Lib. II, ep. 19. D. 74, c. *Gesta.* [24] Lib. XI, ep 34. D. 74, c. *Quorumdam.* [25] 23 q. 4, c. 34. Aug. ep. 204. [26] L. IV, c. 7, l. 2. [27] Eccle. 10 [28] D. L. XXIX, 16, l. IV. [29] I. Cor. 7. [30] Cap. 4. [31] Cap. 3. [32] Hebr. 5. Luc. 14. [33] Luc 14.

cio levitæ sexaginta quinque annos expleverat, antequam ipsum Dominus in summi pontificatus apicem sublimasset. Quare invitamur ad sacerdotium inviti? Certe Josue [34] ponit in optione populi Israel servire diis Mesopotamiæ, sive Deo. Et nos quidem liberi sumus; *non enim* accepimus *spiritum servitutis, sed spiritum* qui ex Deo est, *in quo clamamus: Abba, Pater* [35]. — *Ubi* autem *spiritus Dei, ibi libertas* [36]. Si in hoc spiritu Deus Pater est, et nos ergo filii. Si autem filii sumus, et liberi testimonio Christi vocati per Christum in libertatem gloriæ filiorum Dei, ut simus filii et hæredes [37], filii quidem Dei per Christum, hæredes autem Christi per Deum. Nemo igitur, quæso, archidiaconos invitos ordinare præsumat; coacta enim servitia Dominus non acceptat. Nimirum obsequia, quæ Deo impendimus, non ex opere sed potius ex voluntate pensantur. Scio autem quis dixerit: *Voluntarie sacrificabo tibi* [38]. Et ego quidem homo sum, non asinus, ut spontaneus inviter ad onera, non compellar invitus. Solet quidem gentilium tyrannorum profana et efferata crudelitas sacrificandi necessitatem violenter indicere Christianis. Ego vero Christianus ad sacerdotium forte cogi potero, sed citra liberæ ac devotæ voluntatis arbitrium nullis unquam altaribus immolabo. Vale.

EPISTOLA CXXIV.

AD WALTERUM ARCHIEPISCOPUM ROTHOMAG. (62). [A. D. 1195.]

ARGUMENTUM. — *W. Rothomag. archiepiscopum, exsidantem ab Ecclesia sua consolatur, ejusque fugam justam fuisse contra obtrectatores tuetur.*

Reverendo Patri et domino WALTERO Dei gratia archiepiscopo Rothomag., suus PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem et inter adversa constantiam.

Dum inter principes nostros grassaretur immanis hostilitas (63), vos tanquam mediator, tanquam angelus pacis, varios inter meatus et laboriosos frequentissime fecistis excursus. Eo tempore de pace aut turbatione vestræ Ecclesiæ, nec etiam tenuissimus sermo erat. Triumphastis tandem de proposito, et per industriam vestram in tempore iracundiæ fuistis reconciliatio. Tunc primum rumor insonuit, quod adhuc Ecclesia vestra tempestatis antiquæ turbinibus vexaretur. Supervenerunt alii firmiter asserentes, quod dominus rex ad omnem unguem dissensionis illius scrupulum complanasset. Fuerunt etiam, qui dicerent: vos de provincia Rothomagensi egressum in Alemaniam transmigrasse (64). Postremo retulerunt mihi secretius quidam de familiaribus vestris, quod dominus rex vos de partibus illis revocarat, et ad vestræ voluntatis arbitrium pacem Deo, et vobis honorabilem devotissimus offerebat. Tanta rumorum varietate suspensus inter eventus ambiguos anxius æstuabam. Scriptum est enim, rumoribus credi oportere, et non oportere. Quidquid autem cœlestis dispensatio de vestra peregrinatione decrevit, mihi accessisset ad votorum plenitudinem si solatium vobis in hoc vestræ desolationis itinere præstitissem. Scio quam meritorium et commendabile sit apud Deum et homines, comitivam præstare amicis afflictis, et maxime dominis, et quibus in prosperis communicavimus, compatiamur et in duris. Peregrinante Noemi, Ruth Moabitis ab ejus latere non recessit [39]. Quærit Hieronymus [40], quid propter hoc retribuerit ei Deus? et subjungit:

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(62) Is est qui ab omnibus historicis appellatur Walterus de Constantiis, natione Anglus, qui primo fuerat canonicus Rothomagensis, tum Oxenefordensis archidiaconus, exinde episcopus Lincolniensis ann. 1183, postremo post Rotrodum Rothomagensis archiepiscopus ann. 1185, vir sane magnus. et ob id utrique regi Angliæ Henrico II et Richardo gratissimus. Et primo quidem cum esset canonicus Rothomagensis, vices cancellarii egit apud Henricum II ex Radulfo de Diceto in *Imaginibus histor.* ad annum 1173, his verbis: « Adulfus de Varnevilla Rothomagensis sacrista, thesaurarius Eboracensis, constitutus est Angliæ cancellarius. Qui modum vivendi parum a privato dissimilem, quem prius semper habuerat, non immutavit, malens Waltero de Constantiis canonico Rothomagensi vices in curia regis committere quam circa latus principis militantes expensis profusioribus, lautioribus mensis, ad sui nominis gloriam propagandam per dies singulos invitare. » Richardo autem quam fuerit charus hinc elucet, quod cum in expeditione Jerosolymitana jam in Siciliam pervenisset, litterasque ab Eleonora matre et a primoribus regni contra Guillelmum Eliensem cancellarium, et regni administrum querimoniis plenas accepisset, Walterum archiepiscopum in Angliam remisit, ut una cum cancellario regnum administraret. Postmodum expulso conspiratione primorum regni cancellario, ipse Walterus a regina matre et comite Moritorii regis fratre cancellarius, supremusque regni administer institutus est. Verum reverso ex itinere Jerosolymitano Richardo rege, et restituto in pristinam dignitatem Eliensi episcopo, Walterus ad sui administrationem archiepiscopatus reversus est: quo per annos XXIII sapienter administrato, obiit anno 1208.

Notandum hic occurrit in pluribus exemplaribus legi Willelmum, vel Willermum pro Waltero, sed corrupte, cum nullus hoc tempore legatur archiepiscopus Rothomagensis Willelmus nomine; sed est error amanuensium, qui historiarum ignari decepti sunt littera W. quam Willelmum denotare arbitrati sunt.

(63) Loquitur de bello inter Philippum Augustum, et Richardum, quod acriter in Northmannia hoc tempore gestum est, scilicet postquam uterque ab expeditione Jerosolymitana rediisset. De hoc bello omnes historici passim loquuntur. Quod autem hic ait Blesensis, Walterum fuisse mediatorem inter ambos reges, idem testantur scriptores Angli et maxime Rogerius ad annum 1194, qui inter arbitros pacis cum regibus conciliandæ Walterum nominat.

(64) Non in Alemanniam, sed Cameracum sese

---

[34] Cap. 24. [35] Rom. 8. [36] II Cor. 3. [37] Rom. 8. [38] Psal. 53. [39] Ruth. 1. [40] Ep. 25. *ad Paulam.*

« Christus ex ea nascitur. » Experimento noverunt Ecclesiæ nostræ nuntii missi frequenter ad dominam reginam, penes quam eo tempore conversabar Vos etiam scire credideram quanto zelo, quantaque industria vestrorum sæpius æmulorum machinamenta frustrassem. Teste Petro capellano ejus et concanonico nostro, quia vos et causam vestram multiplici ratione tuebar, ita quandoque excanduit in me, ut verecundiæ muliebris oblita in spiritu Hecates vel Tisiphones contra me probris et contumeliis intonaret. Nunc etiam dominus Cantuariensis ægre fert absentiam meam, gratanter acceptat consortium meum, eique videtur honesta et utilis mea conversatio circa eum. Sive cum eo sum, sive cum A domino rege, vel cum alio sum, anima mea vobiscum est. Sane Jonathas cum patre suo Saul corporaliter versabatur, et erat anima ejus cum David [41]. Cum autem Chusi Arachites David fugienti a facie Absalon [42], vellet præstare comitivæ solatium, remisit eum cum Sadoch et Abiathar sacerdotibus, sciens quod residentia eorum circa Absalon fructuosior esset sibi, sicut postea rei exitus declaravit. Viderit prudentia vestra, quid expediat vobis, et mihi. Ego in vespera vitæ meæ sum. Votivum mihi est, novissimos dies meos offerre Altissimo, qui dies antiquos perdidi, quia perdite vixi. Utinam sic curratis, non quasi in incertum; sic pugnetis, non quasi aera verberans; sic cor vestrum stabi-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

receperat Gualterus, scilicet qui regi Francorum Philippo et Richardo regi Angliæ inter se dissidentibus conditiones quasdam, quæ ipsi parum æquæ videbantur, admittere nolebat. Postea vero ab iisdem regibus rejectis illis conditionibus, pacifice revocatus est, damnaque Waltero, et Rothomagensis Ecclesiæ patrimonio illata resarcita sunt. Et quidem ex parte regis Francorum, qui ad eum revocandum decanum Tironensem et camerarium suum misit Cameracum cum his litteris, quæ referuntur a Radulfo ad ann. 1196 :

« PHILIPPUS rex Francorum W. Rothomagensi archiepiscopo.

« Memores sumus, quod dilectos et fideles nostros Anselmum decanum Tironensem, et Ursonem camerarium ad vos transmisimus, per quos vobis nostra voluntas innotuit, videlicet quod in nostro eratis amore et gratia, et quod vobis Andeleium, et aliam terram vestram, et alia quæ ad vos pertinebant, libere reddideramus Illud idem vobis mandamus, et in ampliori gratia et amore de die in diem proficitis. Pro certo etiam vos scire volumus, quod si in terram nostram venire volueritis, terra nostra vobis et omnibus vestris patens est et parata, sicut specialissimis clericis nostris et amicis. » Quid autem dederit Philippus pro compensatione damnorum Ecclesiæ Rothomagensi illatorum, non constat apud scriptores. Certum tamen est plene ab eo satisfactum, ut innicat charta illa Walteri, quam e chartophylacio regis asservato in capella regia Parisiensi producimus :

« Charissimo domino PHILIPPO Dei gratia illustri Francorum regi W. dignatione divina Rothomagensis Ecclesiæ minister, salutem, gratiam, et omnipotentis Dei benedictionem.

« Noverit excellentia vestra satisfactum esse nobis, canonicis nostris, et cæteris ecclesiasticis personis omnibus de provincia nostra plenarie ad honorem Dei, et Ecclesiæ nostræ, et nostrum, super universis damnis per vos, et vestros, et eos, qui ad vos pertinent, nobis illatis. Et quod nos et prædictæ personæ omnes tam Andel, quam omnium redituum et aliarum rerum nostrarum plenam habemus restitutionem. Et ideo interdictum sub quo terram vestram in provincia nostra concluseramus, relaxavimus, et quietamus in perpetuum vos, et vestros, et universos, qui ad vos pertinent, de universis rebus illis, quas de rebus nostris et Ecclesia de terra domini regis Angliæ in provincia nostra cepistis ante vigiliam S. Nicolai anni Dominicæ Incarnationis millesimi centesimi nonagesimi quinti; nec propter hoc aliquid a vobis, aut a vestris exigemus, nec in quodam vos mittemus super hoc, nec vexari a subditis nos permittemus. Hoc autem B scripto præsenti cum appositione sigillorum tam nostri quam Ecclesiæ nostræ capituli protestamur. » In aliis tamen litteris, quas scripsit ad amicum suum Radulfum decanum Lundoniensem, quæ habentur apud eumdem Radulfum, ann. 1196, significat ex lege compositionis inter Franciæ et Angliæ reges initæ, Rothomagensem Ecclesiam « in damnorum suorum recompensationem annuo et perpetuo quingentarum librarum reddituι fuisse ditatam. » Credibile tamen est has quingentas libras annui redditus datas esse a rege Franciæ, cum constet eodem tempore a rege Angliæ pro eorumdem damnorum compensatione datos fuisse trecentos modios vini Ecclesiæ Rothomagensi, ut testatur hæc charta, quam habuimus beneficio V. Cl. D. d'Herouval, in hunc modum :

« Donatio Richardi regis Angliæ Ecclesiæ Rothomagensi pro damnis tempore belli illatis.

C « RICHARDUS Dei gratia rex Angliæ, dux Northmanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis. episcopis, etc.

« Sciatis nos concessisse, et in perpetuam eleemosynam dedisse Deo et Ecclesiæ B. Mariæ de Rothomago, pro anima nostra, et antecessorum nostrorum, et successorum, et pro anniversario nostro, et pro restauratione amissorum et damnorum, quæ dominus noster Philippus rex Franciæ fecit archiepiscopo et Ecclesiæ Rothomagensi, tempore guerræ inter nos et præfatum regem, trecentos modios vini percipiendos singulis annis in modiatione nostra Rothomagensi, per integra dolia, sicut ea recipere solemus, et talis vini quale recipere solemus in modiatione nostra ; ita videlicet quod archiepiscopus ad usus proprios habebit de eodem vino centum modios singulis annis, et canonici ad usus suos et communiam suam habebunt reliquos ducentos modios vini. Si vero præfata modiatio nostra non poterit sufficere ad perficiendos trecentos D modios vini, præfatus archiepiscopus et canonici percipient pro singulis modiis vini qui defuerint, viginti solidos Andegavenses a nobis et hæredibus nostris, donec integre perficiantur trecenti modii vini. Et illos denarios percipient de reddituι nostro Rothomagensi. Datum Rothomagis anno regni sexto. » Appensa sunt autem huic instrumento duo sigilla, in quorum altero legitur scriptum nomen integrum Walterus. Verum non diu perduravit concordia illa inter Richardum et Walterum : paulo post enim gravis inter eos exorta est dissensio propter villam Andeliam, quæ erat patrimonium Ecclesiæ Rothomagensis ; sed de hac re fusius loquar infra ad epistolam 138. »

Scripta est hæc epistola ann. 1195, quoscilicet Cameracum sese receperat Walterus.

---

[41] I Reg. 16. [42] II Reg. 15.

liatis in Domino, ut sitis inter filios excussorum [43]. A Diligenter deliberate vobiscum, et juxta evangelicam parabolam [44] sedentes, prius computate sumptus, et videte, si ei possitis cum decem millibus occurrere, qui cum viginti millibus venit ad vos. Qui ergo arripuistis opus fortitudinis, fundate intentionem vestram in lapide adjutorii, stabilite vos in fundamentis Sion, et animum vestrum adversus omnes persecutiones et injurias ad solidum conquadretis. Videte quod solus Christus, qui summa justitia est, sit in causa tanti propositi. Verbum enim B. Petri est : *Si pro Christo patimini, beati* [45]. Et adjungit : *Nemo ex vobis patiatur, ut fur, aut alienorum appetitor* [46]. Mortem siquidem pretiosam facit in confessoribus vita, in martyribus causa. In omnibus ergo vexillum Christi, et titulum innocentiæ B præferatis. Novi magnanimitatem vestram ; et scio, quia vestro magno cordi nihil est magnum, nihil grave vel arduum. Ecclesia quidem, quæ est mater nostra, libera est, sed hodie cogitur ancillari cum Agar [47]. Ideoque migratis, ne videatis Ecclesiæ vestræ mala, sicut propheta [48] lamentatur, et dicit : *Migravit Judas propter afflictionem et multitudinem servitutis.* Sed cum Dathan et Abiron turbæ populares absorbeantur a terra [49], et descendant in infernum viventes, qui irritare præsumunt Aaron sanctum Domini, qui insurgunt adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Jam per ipsos operatur Antichristus mysterium iniquitatis. Vos autem viriliter agite, et confortamini, recolentes, quod in Proverbiis legitur, quia nomen Domini *maxima fortitudo* [50] ; *justus* autem *de angustia* liberabitur, *et* tradentur impii *pro eo* [51]. Ipsi nunc jactitant se prævaluisse in vanitate sua, quorum gaudium, ut verbo Job utar, est *ad instar puncti* [52], *quorum finis interitus* [53], *quorum sepultura sepultura asini* [54], quorum retributio ignis et vermis. Inauditum est quod Ecclesiæ persecutores ultricem illius manum evaserint, qui potentes potenter punit, qui semper superborum et sublimium colla propria virtute calcavit. Nam si ad tempus supra dorsum justi fabricare peccatores permittit, ei coronam gloriæ ex ipsa impiorum malleatione componit. De his autem, qui sacerdotibus Domini sunt rebelles scribit Amos propheta [55], et dicit : *Uxor tua in civitate fornicabitur, filii ac filiæ tuæ in gladio cadent, terra tua in funiculo metietur. In terra polluta morieris, et populus tuus de terra sua captivitate migrabit.* Quidam de familiaribus nostri principis fugam vestram detractorie arguunt, et ea quæ vobis dictat amor justitiæ elationi mentis ascribunt. Sic de suorum dentium sanitate gaudeant, sicut ista ex affectu filiali prenuntiat. Certe nemo sapiens vestrum causatur egressum : docet enim Dominus de una civitate in aliam fugere [56]. Ipse quandoque a Judeorum facie se abscondit [57], et ejus imitator Apostolus persecutores suos in sporta demissus evasit [58]. Sancta vero est et Deo accepta elatio, contra malitiam superbiæ, divitias et honores, atque principum familiaritatem propter justitiam contemnere ; nobilis superbia est, nobilissima vero, si ipsa confusio contemnatur inconfusibiliter propter Christum, qui sicut Apostolus scribit [59], proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Apostolis et apostolicis viris a Domino dictum est : *Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis* [60]. Sapientia etiam in libro sui nominis dicit : *Apud me sunt opes superbæ, et gloria* [61]. Vos autem hanc habere superbiam quibusdam viva voce respondi, et quia in transitu festinabant, ego eos persecutus sum litteris, quæ adhuc exstant, in quibus animi vestri dotes aperte descripsi, et qualiter vobis olim lenocinante dignitatis fastigio, et prosperitatis aura statum conscientiæ vestræ ventosæ laudis extollentia movere non potuit ; sed eratis, sicut Petrus apostolus docet [62], forma gregis in populo, vestrisque subditis secure cum Paulo dicere poteratis : *Non, quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri* [63] ; non ambuletis in magnis et mirabilibus super vos ; quodam enim eleganti artificio ministrandi in divitiis et honoribus sensistis humiliter, et omnem in potestate gloriam repressistis. Si ergo detractores, sicut Apostolus dicit [64], *Deo odibiles* vos denravant, recolite verbum Isaiæ [65], C dicentis : Opprobria et blasphemias eorum ne timueritis, in proximo est, ut obstruatur os loquentium iniqua. Adhuc respondebitis exprobantibus vobis verbum : *Non est servus major domino suo* [66]. Christus pro nobis opprobria non erubuit ; nec vobis erubescenda sunt pro Christo. Si perversa malignitas subvertere cogitat Ecclesiæ dignitatem, cogitat e contrario Deus eam in statum erigere meliorem ; nec dubium est quin cogitatio divina prævaleat. *Juravit* enim, *Dominus exercituum dicens : Si non, ut cogitavi, ita erit, et quomodo mente tractavi sic eveniet* [67] ; si totum mare hujus sæculi contra Ecclesiam fervens ebulliat et feratur in impetu, Christus ambulat super aquas ; ventique et mari obediunt ei [68]. Quod si Christus in navi dormiat, excitetur orationibus clamantium : Exsurge, quare obdormis, D Domine ? Tempore diluvii concussa inundationibus arca erecta est in sublime. Ejus enim concussio, ipsius erectio est ; quia sicut B. Hilarius dicit [69], proprium est Ecclesiæ, ut tunc vincat, cum læditur ; tunc intelligat, cum arguitur ; tunc secura sit, cum deseritur ; tunc obtineat, cum superata videtur.

[43] Phil. 3. [44] Luc. 14. [45] I Petr. 3. [46] Ibid. 4. [47] Gal. 4. [48] Thren. 1. [49] Num. 16. [50] Prov. 15. [51] Prov. 11. [52] Job. 20. [53] Phil. 3. [54] Jer. 22. [55] Cap. 7. [56] Matth. 10. [57] Joan. 6. [58] Act. 9. [59] Hebr. 12. [60] Isa. 61. [61] Prov. 8. [62] Petr. 5. [63] II Cor. 1. [64] Rom. 1. [65] Cap. 51. [66] Joan. 13. [67] Isa. 14. [68] Matth. 8. [69] Lib. VII *De Trin.*

Arca fœderis [70] quandoque ab allophylis capta et posita juxta Dagon a virtutibus non cessavit, tandemque in Jerusalem cum multa exsultatione reducta est. Rogo igitur, ut non deficiat nobilis conscientiæ vestræ status, sed ponite cor vestrum super vias vestras. Si audieritis superbiam Moab [71], scitote, quia major est superbia ejus, quam fortitudo ejus. Sane, in quo judicio quis judicaverit, judicabitur, et mensuram recipiet pro mensura. Spiritus Sapientis est, qui dicit: *Per quæ peccavit quis, per hæc et punietur* [72], Pharao submersus est, qui submerserat infantes Hebræos [73]. Goliath occisus est gladio, quo David appetierat [74]. Aman ,in cruce suspensus est, quam paraverat Mardochæo [75]. Si vestra spes in Christo radicata est, convalescet ad palmam, fructificabit ad gloriam. Deus autem, qui vos virtute præcinxit ad bellum assistendo, instruendo, confortando vos promoveat ad triumphum. Vale.

EPISTOLA CXXV.

AD EUMDEM.

ARGUMENTUM. — *Monet eumdem, ut in exsilio suo otium sedulo fugiat, lectionique divinarum litterarum et orationibus, quarum utilitates hic describit, vacet.*

Reverendo Patri et domino WALTERO Dei gratia Rothomag. archiepiscopo, suus PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem et desolationis solatium.

Monueram vos frequentibus epistolis ab occupatione curiali desistere et redimere *tempus, quia dies mali sunt* [76]; nescio tamen, si commonitorias illas receperitis; mihi enim non nisi semel, et breviter respondistis. Benedictus autem Dominus, quia tandem extorsit necessitas, quod non poterat obtinere devota supplicantis humilitas. Detinebant vos, administratio dignitatis regisque familiaritas, et cætera, sicut Apostolus dicit, impedimenta hujus mundi, quæ, quasi compedes aurei, etsi minus displiceant, magis nocent. Non sustinet Dominus tempus pœnitentiæ debitum curiositati ulterius indulgeri, et quem lectioni et orationi vacare divina mansuetudo monuit, coactio ejus violenta induxit. Sic loquitur Dominus per prophetam: *Vivo ego, dicit Dominus, quia in manu forti, et brachio extento, et in furore meo regnabo super vos, et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vincula fœderis mei* [77]. *Donum* quidem Dei *perfectum est, et descendens a Patre luminum* [78], quacunque ex causa vacare et videre quam suavis est Dominus [79]. Quia ergo exercitatum habetis in sacro eloquio intellectum, habeatis in tribulatione malorum et dolore sacræ Scripturæ solatium. Scriptura est cithara David, per quam Saulis insania temperatur [80]. Scriptura est vomer Samgar aratorius [81], quo terra nostri cordis excolitur, quo sexcenti sternuntur Philistæi, et in fugam alii convertuntur. Hæc est maxilla asini, in qua Samson sitiens reficitur, et mille allophyli occiduntur [82]. Sit ergo sacra lectio vobis cibus, gladius, medicina, requies. Cibus, *quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [83]; nec tantum cibus, sed vita et spiritus, sicut Veritas dicit: *Verba quæ ego loquor, spiritus et vita sunt* [84]. Hæc est mensa tabernaculi contra aquilonem posita [85], ut quisque omnes tentationes in ea securas excipiat, sicut scriptum est: *Posuisti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* [86]. Si autem consistant adversum vos castra, si exsurgat adversum vos prælium, sit in manibus vestris gladius Spiritus sancti, quod est verbum Dei. Si infirmantur genua vestra, si dissolutæ sunt manus, si moti sunt pedes, si effusi sunt gressus vestri, confidite quia verbo Domini cœli firmati sunt. Si anima obdurescit ad lacrymas, et cœlum æneum dederit Deus, ut ros spiritualis, aut pluvia non descendat, emittet Dominus verbum suum et liquefaciet ea, et in verbo emittet spiritum, et fluent aquæ; imo fluent aromata ipsius, ut conversatio vestra, et vestrorum odorem suavitatis effundat. Non sitis in exsilio otiosus, nisi negotium animæ otium censeatis. Otium enim sine litteris, Hieronymo teste, mors est, et vivi hominis sepultura. Vacatio a sollicitudinibus sæculi, otium est, de quo Salomon dicit [87]: *Sapientia scribitur in otio, et qui minorantur actu percipiunt eam.* Ideo discipuli Domini in Sabbato, in die scilicet otii, transeuntes per sata fricabant spicas, et vescebantur eis [88]. Subtiliores enim sententiæ de occultis educuntur in tempore cessationis, quibus animæ saginantur. Porta, quæ in Ezechielo [89] respiciebat ad Orientem, non aperiebatur, nisi in Sabbato. Anima enim sabbatizante a concupiscentiis sæculi, Sapientia Dei liberius inquirenti se aperit, familiarius autem pariter conversantur contemplatio et oratio. Urgente namque necessitatis instantia, viriliter ad orationis arma currendum est. Nam Israel miseriarum cumulo ingruente ad tabernaculum fœderis properabat. Orationis efficacia magna est. Iratus erat populo suo Dominus [90], stetitque Moyses in confractione, et placatus est Dominus. Pugnabat Israel contra Amalech, Moyse erigente manus prævalebat Israel, eo autem remittente manus Amalech obtinebat [91]. Quidam justus credens se orationibus a malignitate detrahentium liberari dicebat: *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam* [92]. Quam multum valeat deprecatio justi, manifestat Eliæ ora-

[70] I Reg. 5. [71] Jer. 48. [72] Sap. 11. [73] Exod. 14. [74] I Reg. 15. [75] Esther 7. [76] Ephes. 5. [77] Ezech. 20. [78] Jac. 2. [79] Psal. 45. [80] I Reg. 16. [81] Jud. 3. [82] Jud. 15. [83] Matth. 4. [84] Joan. 6. [85] Exod. 26. [86] Psal. 22. [87] Eccli. 38. [88] Matth. 12. [89] Cap. 46. [90] Psal. 105. [91] Exod. 17. [92] Psal. 108.

tio, qui cœlum pro arbitrio suo ad beneficium A pluviæ claudit et aperit [95]. Oratio, quæ assidue fiebat ab Ecclesia pro Petro, eum a vinculis liberavit. Et Christus Apostolis dicit : *Vigilate, et orate* [96]. Vidua ab aliquo judice de adversario suo, mediante orationis instantia, obtinuit ultionem. Amicus evangelicus importunitate tres panes obtinuit [97]. In Ecclesiastico de oratione scriptum est : *Oratio humilis penetrat nubes, et non discedet, donec aspiciat eum Altissimus* [98]. Oratio autem suas circumstantias habet, intantiam, humilitatem, jejunium, et cætera munimenta virtutum. Propterea propheta dicit : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor ut columba* [97]. Unum noveritis, quia non nisi in oratione ejicitur dæmonium, quo vexamur [98]. Vos ergo sicut Apostolus dicit : *Sine intermissione orate* [99], B quandiu persecutio non est intermissa. Invalescente enim oratione cessabit quassatio ; publicanus justificatus descendet, absolvetur peccatrix, et Chananææ dicetur : *Fiat tibi sicut vis* [100]. Ego autem in omnibus Ecclesiis, quibus vinculo fraternitatis, aut familiaritatis constrictus sum, orationum suffragia vobis devotus imploro.

EPISTOLA CXXVI.

AD R. GLOCESTRIÆ ABBATEM (65).

ARGUMENTUM. — *Odonis nobilissimi viri in episcopum Parisiensem ex cantore Bituricensi electi vitam moresque, quod R. abbas petiverat, describit.*

Reverendo Patri et domino R. Dei gratia Glocestriæ abbati, P. Blesensis Bath. archid., salutem in eo sine quo non est salus.

Quæritis, utrum novum hunc Parisiensem epi- C scopum noverim, et quid de vita et moribus ejus sentiam, et quid de ipsius electione audiverim, vobis scripto petitis aperiri. Curiosi hominis est ista inquirere ; sed scio quod vestri domini Henrici, beatæ memoriæ, nuper Wigorniensis episcopi amor et devotio, ista inquirere vos compellunt. Scitis enim quam placide, quam devote totus spiritus ejus requiescebat super Odonem cantorem Bituricensis Ecclesiæ, eratque in votis et deliciis ejus ipsum cum fratre suo Bituricensi archiepiscopo, quoties se offerebat opportunitas, multiplici præconio recensere. De vita ipsius quod novi, de ipsius autem electione referam quod audivi. Mauritio piæ recordationis exempto de corpore mortis hujus (66), Parisiense capitulum de alterius substitutione tractabat. Erant quidam filii, et hæredes Simonis Magi, qui licet religionis professores, multorumque inveterati dierum, cum pecuniis tamen, quas congregaverant, propter hoc a diebus antiquis se ad nundinas illius electionis accinxerant, et per quosdam Giezi successores titulum de contrahenda emptione frequentius iterabant. Porro in tam electa congregatione prudentum, versutia mercalis elusa est, et illis qui sola licitatione obtinere sperabant, et tanquam stipitibus veternosis, sterilibusque rejectis, ducti odore Odonis, quasi agri pleni, cui benedixit Dominus, eum sibi communi assensu pontificem rapuerunt in exsultatione universæ terræ. Conglorior ejus gloriæ, si qua tamen gloria ejus intelligi potest, quem ad cathedram traxit invitum publicus favor communisque devotio. Electus quippe est votis

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(65) Monasterium illud est in civitate ejusdem nominis in diœcesi Wigorniensi, et situm est super flumine Sabrina. Fuit primum ab Osrico rege Northumbrorum fundatum sub an. Christi 700, inquiunt Spelmannus et Godwinus. Verum his antiquior Willelmus Malmesburiensis lib. IV *De gestis pontificum Anglorum*, scribit ejusdem regis (quem vocat Elfredum) filiam nomine Elfredam cum conjuge suo Ethelredo rege Merciorum monasterium illud ædificasse. Idem habet Joannes Bromton ad an. 908. Sed cum paulo post a Danis vastatum et eversum fuisset, desertum jacuit usque ad tempora Aldredi Eboracensis archiepiscopi, qui prius fuerat Wigorniensis episcopus. De hac re ita Simeon Dunelmensis : « Ann. 1058, Aldredus Wigorniensis episcopus ecclesiam, quam in civitate Glaworna (Glocestriam intelligit) a fundamentis construxit, in honorem principis apostolorum Petri honorifice dedicavit, et postea regis licentia Wistanum Wigornensem monachum D a se ordinatum abbatem constituit ibidem. » Hæc eadem habet Radulfus de Diceto in *Abbreviationibus chronicorum* ad an. 1058.

(66) Petro Lombardo theologorum sui temporis principi successit Mauricius humili apud Soliacum oppidum ad Ligerim loco natus, qui scientia et virtutibus ad hanc dignitatem evectus est. De eo sic monachus Antissiodorensis in *Chronico* : « Floret Mauricius Parisiensis episcopus, qui ob industriam et litteraturam eximiam, et disertitudinem linguæ præcipuam, de infimo magnæ paupertatis ad pontificalis demum evectus est apicem dignitatis. Hic inter præclara opera sua ecclesiam, cui præerat, a fundamentis exstruxit, duosque pontes lapideos condidit, alterum super Sequanam, alterum super Matronam. » De ejus electione ad episcopatum, et iis, quæ in ejus obitu contigerunt legendi auctores hujus temporis, et inter alios Cæsarius Heisterbakensis monachus, *Dialogorum* lib. VI, cap. 19 ; et lib. IX, cap. 43. Jacobus de Vitriaco *Historiæ occidentalis*, lib. II, c. 38 ; et Rigordus in *Gestis Philippi Augusti*. Rexit Ecclesiam Parisiensem summa cum laude per annos 32, obiitque anno Christi 1196 apud S. Victorem, quo paulo ante obitum se receperat cum canonicis, ut liberius Deo vacaret, et se ad reddendam villicationis suæ rationem serius præpararet. Jacet in meditullio chori ejusdem ecclesiæ Sancti Victoris. De cujus etiam obitu ita *Chronicum ms.* Joannis a S. Victore ad ann. 1196 : « Tunc obiit Parisiensis episcopus bonæ memoriæ Mauricius, qui plurima monasteria in diœces. Parisiensi fundavit, scilicet Herivalem [Herivaux] de ordine S. Victoris Paris. et Hermerias [Hermières pres Lagny] prope Latiniacum ordinis Præmonstratensis. Item monasteria sanctimonialium de Hedera [Hierre], et sanctimonialium de Giffo [Gif.] Aliis abbatiis et religiosis multa dedit. Sepultus est apud S. Victorem in choro, et ejusdem loci in morte canonicus effectus est. Cujus super pectus hoc scriptum est jussu ejus: *Credo quod Redemptor meus vivit* (*Job* XIX), etc. »

[93] Jac. 5. [94] Matth. 26. [95] Luc. 11. [96] Eccli. 35. [97] Isa. 38. [98] Matth. 17. [99] I Thess. 5. [100] Matth. 15.

omnium, sed non suis, et commendabili quadam A intrusione adeptus est dignitatem, quæ tanto eum sequebatur instantius, quanto eam humilius fugiebat. Circa primitias studiorum ejus, et tyrocinia militiæ scholaris adhuc infirma et rudia novi eum, et devote dilexi Parisios, ubi magis spirituali unctione, quam eruditione magistrali puer litteras rapiebat. Nam inter exercitia liberalium facultatum doctrina cœlestis meliora ei charismata influebat. Propterea super senes intelligens, pueritiæ dies antiquabat moribus, tempora præveniebat meritis, et quod deerat ætati, virtutibus compensabat. Sæpe retulit mihi secretius Petrus quidam de Verno pædagogus ejus, discipulus autem et familiaris meus, quam sollicite, quam devote, occulte tamen, et raptim se in operibus pietatis adhuc puerulus exer- B cebat. Eleemosynas vero frequenter condiebat lacrymis, et pietatis adipe, holocausta misericordiæ impinguabat. Pueritiam salutaverat, cumque jam in ejus facie pubescentis adolescentiæ lanugo vernaret, sedem apostolicam visitavit, eo scilicet tempore quo Gregorius octavus successit Urbano. Eram tunc in curia, et vidi, nec invidi, quod honor ei a summo pontifice, Patribusque conscriptis exhibitus non multum inferior episcoporum reverentia videbatur. Sane Spiritus sanctus bonarum mentium institutor, virtutum plantaria in eo multiplicabat usque in virum perfectum. Videns autem, quæ a Deo donata sunt ei, cœpit supererogare collatis. Cumque vas suum in sanctificatione et honore ab infantia possedisset, insolentiam tamen carnis, et C extraordinarios ejus motus, quadam præeminentiæ auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, jejuniis, disciplinis ancillari cogebat. Sciebat enim continentiam optimam esse balsami speciem, quæ carnem a corruptione conservaret. Alii currentes ad diripiendam prædam hujus sæculi, quæstum reputant pietatem; iste vero uberem redditum, quem in Anglia possidebat, prudenti consideratione dispersit, dedit pauperibus, tresque scholares indigos quidem, sed industrios et honestos propria exinanitione ditavit. Cæterum fidejussor pauperum Deus aliud ei beneficium tempestivum non sine magna fenoris accessione redhibuit; et quia super pauca fidelis fuerat, eum supra multa constituit. Qui ergo, sicut lignum D quod ad humorem mittit radices, in Ecclesia Bituricensi fructificari cœperat, nunc Parisios a Domino transplantatur, ut fructum plus afferat, ut lucerna super candelabrum posita gloriosius cunctis irradiet, cujus lumen sub humilitatis modio sollicitus a communis famæ palpebris abscondebat. In episcopum denique consecratus (67) nomen suum, sicut publice dicitur, operibus interpretari non cessat, fidelisque sequester inter Deum et homines vota populi offert, et populo gratiam Dei refert, vigilantia jugi reducens in viam justitiæ, quos inde versutus impostor abduxerat. Bituric. archiepiscopi frater est (67*), atque de illustrissimis principibus originem trahens, hinc regis Angliæ consanguineus, inde Francorum regem linea generis propinquiore contingit: suæ tamen fastigium parentelæ nobiliore quadam animi generositate fastidit, et ex ipsius contemptu, judicio eorum, qui rectius sapiunt, sui generis eminentiæ plurimum superaddit. Vale.

EPISTOLA CXXVII.

AD ODONEM PARISIENSEM EPISCOPUM.

[A. D. 1197.]

ARGUMENTUM. — *Petit amicitiam cum Odone novo episcopo a pueris contractam confirmari, eumque hortatur, ut suo officio episcopali faciat satis.*

Reverendo Patri et domino Odoni Dei gratia Parisiensi episcopo, suus P. Bles. Bath. archid., salutem, et si quid dulcius aut desiderabilius est salute.

Inter desiderabilia hujus mundi quadam speciali affectione versatur in votis meis ire et videre desideratissimam mihi faciem vestram. Credo enim, quod conscientia secura Deo cantare possitis cum propheta David: *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur* [1]. Sed distantia interveniente locali, clausura etiam maris, et prohibitione majorum, coarctatur propositum æstuantis affectus citra limites facultatis. Teste Apostolo, charitas nunquam excidit: ideoque confidentius peto ut illa dilectio, quam mihi tenerior ætas primitiavit in vobis (68), a suæ originis integritate non claudicet, sed aspirante dignatione vestra in commercium mutuæ charitatis, et contractum amicitiæ fortius convalescat. Sitis quæso successor et continuator illius gratiæ, quam proximi et intimi vestri mihi super omnem

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(67) De Odonis vita et rebus gestis vide inter *Patrologiæ* tomos mox edendos, ad annum 1208. EDIT. PATR.

(67*) Hic est Henricus de Soliaco primum monachus et abbas Caroli loci ordinis Cisterciensis, tum post Guarinum electus archiepiscopus et patriarcha Bituricensis, anno 1183. Ubi consecratus est a Lamberto cardinali archiepiscopo Mediolanensi quondam Bituricensis Ecclesiæ archidiacono, qui postea fuit summus pontifex Urbanus III. Qui eum in quodam diplomate vocat providum, discretum, moribus et genere similem. Propterea illum S. R. E. cardinalem et apostolicæ sedis per Bituricensem provinciam legatum instituit. Obiit autem anno 1199 ex Rigordo et ex anonymo auctore *Historiæ archiepiscoporum Bituricensium*, qui et hæc addidit: « Claruit ab anno 1183 ad annum 1199, præsidentibus Romæ Lucio III, Urbano III, Gregorio VIII, Clemente III, Cœlestino III et Innocentio III; imperantibus Frederico I et Henrico VI, nec non regni Francorum moderamina strenue feliciterque gubernante Philippo Augusto hujus nominis secundo. »

(68) Quænam fuerit illa familiaritas, quam habuit Petrus noster cum Odone clarius explicat epistola præcedenti.

[1] Psal. 118.

meritorum meorum exigentiam consueti sunt exhibere. Rex Angliæ Henricus II, consanguineus vester, me primus in Angliam traxit, cujus munificam et magnificam manum frequenter expertus ex ipsius amissione didici quanta mihi obvenisset commoditas ex diuturnitate viventis. Surrexit autem novus Pharao, qui non cognovit Joseph ; et utinam in tam longa peregrinatione mea nullus me hominum cognovisset ! Eram quandoque de morte illustrissimi regis consternatus animo, et mœrore confectus, atque Anglia salutata præ tædio animæ alias transmigrassem, nisi domini Wigorniensis (69), et domini Dunelmensis (70), et archidiaconorum ejus tunc viventium grata et amplectenda familiaritas me ab illa et omnium desolationum molestia relevassent.

Quæ enim pressura ita gravis et importabilis esset posset, quam suo colloquio, auxilio, consilio et solatio tanti viri non levigarent ; qui mihi tranquillabant omnes infortunii motus, et in terra peregrinationis meæ patriam faciebant ? Sed præcisa est velut a texente vita eorum, et crudelis sicaria mors me perimere credidit, in eis mihi surripiens vivendi solatium. Gratias autem ago Deo, qui adversus necessariæ fatalitatis urgentias benigne pro afflictis excipiens suscitat, juxta verbum Amos, de filiis prophetas, et de juvenibus Nazaræos [2]. Pro patribus nascuntur filii [3], pullulatque de novo seges A gloriosa nepotum, et evanescentibus amicis veteribus novorum progenies adultiores et dulciores fructus amicitiæ coalescunt. Quia igitur secundum nomen magnorum, qui sunt in terra, magnificavit vobiscum Deus misericordiam suam, qui fuistis magnus in minimis, sitis major in magnis ; nunquam vestra nobilitas ab avita magnanimitate degeneret. Cordi magno nihil est magnum. Quærite non datum, sed fructum ; nec vobis vos, sed omnibus vivere cogitetis. Testimonio Pauli, *Christus eri et hodie, ipse et in æternum* [4]. Qui vos ad magna provexit, ad majora servavit. Expedit tamen, ut sitis indefessus exhibitor gratiarum, ut Deo detestabilis ingratitudo, nec etiam in modico circa vos præsumat irrumpere, sed ei semper vos offeratis obnoxium, B cujus beneficiis etiam angeli se impares recognoscunt. Vale.

EPISTOLA CXXVIII.

AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM (71).

ARGUMENTUM. — *Queritur promissa ab archiepiscopo Senonensi æquo tardius præstari. Promiserat autem se eum in familiam suam recepturum, et beneficio ecclesiastico ornaturum.*

Venerabili Patri et domino GUILLELMO Dei gratia Senonensi archiepiscopo, PETRUS Blesensis, salutem, et se totum ad pedes.

Exspectans exspectavi dominum meum diu, nec intendit mihi Sperabam quod daret effectui verbum suum, et gratiam, quam mihi M. Gerardus (72) ex

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(69) Henrici nempe, qui ex abbate Glastoniensi factus est episcopus Wigorn. ann. 1192 et obiit ann. 1195.

(70) Erat hic Hugo cognomento Pusar, vel de Puteaco, Stephani regis Angliæ ex sorore nepos, ideoque Odonis consanguineus. Cum esset Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius, et archidiaconus Wintoniensis, electus est in episcopum Dunelmensem ann. 1152, reclamante et contradicente archiepiscopo Eboracensi Henrico, inquit Neubrigensis. Unde Romam ad consecrationis munus suscipiendum ire compulsus, ab Anastasio summo pontifice anno 1153 consecratus est. Annos totos XLII Ecclesiam Dunelmensem rexit, ubi multa præclare gessit. De eo fuse Neubrigens., lib. V *De rebus Anglicis*, cap. 10. Obiit autem ann. 1194.

Scripta est hæc epistola an. 1197, id est circa initia pontificatus Odonis.

(71) De eo vide ad epist. 15.

(72) Est hic Gerardus cognomento Puella, natione Anglus, Petro Blesensi valde familiaris, ut qui Lutetiæ ambo docuerant, et postea in Anglia Richardo Cantuariensi archiepiscopo adhæserant, et in ejus familiam cooptati fuerant. Lego tamen in *Quadrilogio* S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi eum inter familiares viri sancti annumeratum his verbis : « Girardus cognomento Puella, nomine et fama celebris, natione Anglicus. Iste post longos potus turbidarum aquarum Siloe, hausit tandem purissimam de fontibus Siloe. Quem sanctus (*Thomas*) priusquam peregrinaretur, primus in ordinem clericatus promovit et primus ei beneficium eccle- C siasticum contulit. Qui post Domini sui transitum, bonæ mansuetæ et honestæ conversationis suæ et scientiæ meritis in Conventrensem episcopum promotus est. » Fuit etiam amicus Joannis Sarisberiensis, cujus ad Gerardum exstant plures epistolæ, quibus eum hortatur ut, qua valet apud Henricum regem Angliæ auctoritate, exsulanti et afflicto Thomæ archiepiscopo subveniat. Post mortem Thomæ adhæsit Richardo Cantuariensi archiepiscopo cum Petro Blesensi, qui ambo in ejus familiam ascripti sunt. Unde et ab eo simul Romam ad Alexandrum III missi sunt, pro causa quæ vertebatur inter ipsum archiepiscopum, et Rogerum abbatem S. Augustini Cantuariensis, qui debitam præsuli professionem facere detrectabat. Qua de re vide quæ dixi in *Vita* Petri Blesensis, ex Will. Thorn. in *Chronicis* ad ann. 1179, pag. 1821, ubi tota dissensionis hujus historia refertur. Ceterum Gerardus Puella factus est episcopus Conventrensis, D et a Richardo Cantuar. archiep. cujus erat clericus, inquit Gervasius, consecratus, quem episcopatum septem tantum mensibus administravit. Sic enim Nicol. Trevet. Anno 1183 : « Magister Gerardus dictus Puella electus et consecratus est in episcopum Conventrensem. » Et infra : « Anno 1184, Gerardus Conventrensis, cum sedisset 18 septimanis, in fata concessit. » De cujus obitu sic Gervasius ad eumdem an. 1183, pag. 1465 : « In proximo autem postquam inthronisatus est, acerba tactus ægritudine lecto decubuit, et obiit mense quarto ordinationis suæ Idibus Januarii, et Conventræ sepultus est. »

---

[2] Amos 2. [3] Psal. 44. [4] Hebr. 13.

parte ipsius nuntiaverat operibus exhiberet. Eram in amaritudine multa, sed magister G. mihi grata et dulcia nuntiavit, ita quod secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes ejus lætificaverunt animam meam. Morosa quidem et incerta voti mei completio me quasi in frixorio decoquebat, et si diutius sic mecum viveretur, et in talibus esset vita spiritus mei, longe dulcius esset mihi mori quam morte continua vivendo torqueri. Verumtamen si non es oblitus misereri, si cogitas, ut complacitior sis adhuc, assigna tuis obsequiis meæ residuum senectutis. Recordare quia venit tempus miserendi, quia venit tempus. Jam advesperascit mihi, et vitæ meæ inclinati sunt dies [5] : ut verbis Job utar, rugæ meæ testimonium dicunt contra me, et canities annuntiat senectutem [6]. Me ad obsequium suum plerique magnates promissionibus suis et donis alliciunt, sed vestra promissio, et nativi dulcedo aeris me fortius trahunt, et maxime præbendæ Carnotensis desiderium, in quo mihi spem dedistis, et ideo uberes et certos redditus vestræ nudæ pollicitationi posthabui. Nam, ut verbo Gedeonis utar, melior est mihi racemus Ephraim, super vindemiis Abiezer. [7] *Melior est* mihi *dies una in atriis tuis super millia* [8]. Melior est mihi et acceptior apud vos mediocritas, quam apud alios divitiarum effusa infinitas. Quoniam igitur impendistis hactenus animam meam, nec ullam per nuntium meum de vestra voluntate certitudinem reportavi, ne cor meum ulterius fluctuet in incerto, ibo et visitabo quem diligit anima mea. Dominus autem qui pascit me a juventute mea prosperum faciat iter meum, et adimpleat me lætitia cum vultu tuo, quia vultum tuum, domine, requiram. Vale.

EPISTOLA CXXIX.

AD R. AURELIANENSEM ARCHID.

ARGUMENTUM. — *Graviter invehitur in R. Aurelianens. archid. quod pestem Simoniacam in Ecclesiam induxerit, eamque multis exemplis ostendit esse exsecrabilem.*

Charissimo domino et amico R. archid. Aureliam., magister PETRUS Blesensis, salutem in auctore salutis.

In te, dum esses parvulus, generosæ indolis primitias admirabar ; verumtamen in agro, quem exactissima diligentia colueram, inimicus homo superseminavit zizania, unde et injecta semina diligentiæ doctrinalis, de quibus incrementa frugum justitiæ fiducialiter exspectabam, in lolium tribulosque degenerant. Hanc, quæso, exhortatiunculam meam, amice charissime, cum æquanimitate sustineas. Moneo enim te, si forte exaudias, si forte velis avellere iniquas plantationes, radicesque vipereas, quas non plantavit. Pater meus cœlestis, ideoque tanto fortius explantandæ sunt, quanto enormius sunt plantatæ. Non parcam tibi, ut parcat

A tibi Deus ; licet sis major me, et eminentior dignitate, frater tamen meus es. Nolo ut vox fraterni sanguinis clamet ad Dominum contra me. In tertio Regum dicit Dominus ad filium prophetæ : *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius* [9]. Ad omnes etiam se porrigit verbum istud Jeremiæ dicentis : *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* [10], id est ab interfectione peccati. Solebas tibi consuere perizomata de foliis, id est de lenitate adolescentiæ tuæ, et ætatis lubricum allegare ad excusandas excusationes in peccatis, sed jam in ætatis virilis plenitudinem evasisti. Aruerunt folia, quæ vitæ turpitudinem obtegebant, imo (quod deterius est) in palpebris famæ communis tuos enormes actus publice et patenter exponis,
B ut tibi conveniat, quod scriptum est : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt* [11]. Verbum autem prophetæ est : *Nolite ascendere in Galgala, et ne ascendatis in Bethaven* [12] : in quo prohibemur nostrum publicare peccatum, ne simus aliis ruinæ occasio, et perditionis exemplum. Osee propheta sub typo Israel alloquitur ad animam publice delinquentem, dicens : *Si deliquisti Israel, non delinquat saltem Juda*. [13]. Utinam lectioni assuesceres ! frequens enim lectio mores eliminaret incultos, et regulam debitæ correctionis induceret. Certe Josias rex Juda, cum in ejus præsentia Deuteronomium legeretur, licet puer esset, audiens comminationes legis, timore percussus est, scissisque vestibus sedit, et flevit coram Domino, eo quod non observasset præcepta ipsius [14]. Percussit itaque fœdus coram
C Domino quod ambularet in omnibus præceptis ejus, ejecitque omnia vasa immunda de domo Domini, altaria etiam lucosque destruxit. Tu vero sordes avaritiæ, et immunditias Simoniæ ab Ecclesia Dei non ejicis, sed inducis : cum scias Dominum adversus venalitates hujusmodi graviter excanduisse, et tanquam abhorrendas abominationes in animalibus ejecisse flagellis. Et nunc acuit, ut fulgur, gladium suum, ut carnes devoret gladius ejus, ignisque consumat usque ad inferni novissima. Tetendit arcum suum, et in eo paravit vasa mortis adversus eos quos posuit capita et cardines aliorum. Verbum Amos prophetæ est : *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem et amoveatur subliminare ejus. Avaritia enim in capite*
D *omnium : et ego interficiam eos gladio* [15] Avaritia hæc Simoniaca ipsa est vermis, et interficiens, bruchus pessimus, ærugo et tinea cordis, quæ bona omnia æruginat et consumit.

Nobilis ecclesiæ [16] *quondam venerabile nomen*
Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet.

Et unde tibi, amice charissime, obrepsit hæc pestis ? Quis te fecit discipulum Simonis, et Giezi successorem ? Quis te constituit emptorem lepræ et spi-

[5] Luc. 24. [6] Job 16. [7] Judic. 8. [8] Psal. 83. [9] Cap. 20. [10] Id. c. 48. [11] Isa. 3. [12] Ose. 4. [13] Ibid. [14] IV Reg. 22. [15] Amos, 9. [16] Ovid habet : *Illud amicitiæ*.

ritualis olei venditorem? Non poterant tibi sufficere A redditus canonice acquisiti, et ecclesiasticæ facultates, nisi ædificares Sion in sanguinibus, atque venalitate exsecrabili, et damnabiii quæstu divitias congregares? Usu et experientia quotidiana cognovimus spiritualium venditores, quanto

Plures opes accumulant, tanto

majori semper egestate confundi.

Non habet eventus sordida præda bonos.

Et ideo quandoque

Quæcunque maligne
Traxit avaritia luxu pejore refundit [17].

Achan de anathemate Jericho tulit, et lapidatus est [18]. Core spirituale officium usurpavit, et igne cœlitus misso consumptus est [19]. Jason ab Antiocho sacerdotium emit [20], et exstinctus est ignis quem B accenderat Jeremias [21], Saul munera detulit ad prophetam, et in ira Dei constitutus est [22]. Jeroboam omnibus, qui manus ei implebant, sacerdotium conferebat, et domus ejus subversa est [23]. Balthasar, quia vasis tabernaculi abutebatur, captus et occisus est [24]. Dathan et Abiron a terra absorpti sunt, quia spirituali officio sunt obusi [25]. Deterreat te, quæso, lapidatio Achan, incendium Core. lepra Giezi [26], et pecunia Simonis [27], reprobatio Saulis [28], subversio domus Jeroboam, ruina Dathan et Abiron, exstinctio ignis sub Jasone. Ille ignis est Spiritus sanctus, qui per malitiam in vobis exstinguitur; ideoque scriptum est: *Spiritum nolite exstinguere* [29]. Cedat tibi ad documentum discrimen alterius, et non tuum. Aliorum pœna te instruat, ne similiter puniaris. *Mulctato* enim *pestilente, sapiens sapientior erit* [30]; C lavabitque justus manus suas in sanguine peccatoris.

EPISTOLA CXXX.

AD JOANNEM CARNOT. EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Purgat se calumnia quorumdam, qui divulgarant eum contra Joan. episcopum Carnotensem, pro præpositura Carnotensi subsidia regum, comitum, et papæ implorasse. Nepotem episcopi in gratiam receptum gaudet, et se ei deditissimum ob beneficia accepta declarat.*

Dilectissimo Patri suo et unico redemptori suo post Deum, JOANNI Dei gratia Carnotensi episcopo, PETRUS Bles. Cantuar. archiepiscopi cancellarius, salutem in vero salutari.

Audivi, et turbatus sum vehementer, quia quidam *detractores Deo odibiles*, sicut dicit Apostolus [31], vestræ gratiæ serenitatem mihi obnubilare conati sunt, D ex bonitate vestra sumentes occasionem malitiæ, ut quia vos Altissimi misericordia votis meis quandoque facilem et benignum exhibuit, simili, imo longe, dissimili facilitate vos contra me possint ad odium inclinare (*a*). Ausus est susurro et belinguis mihi turpitudinem negotiationis imponere, existimans inique quod essem sui similis. Si enim in rebus ecclesiasticis cognovi negotiationem, non introibo in potentias Domini memoreturque injustitiæ meæ solius et non misericordiæ suæ. In cœlis Christum, in terris habeo conscientiam innocentiæ meæ testes, ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. A præposito domino Roberto nepote vestro, præter cujus conscientiam nihil factum est, veritatem diligentissime inquiratis, cujus testimonium contra me invoco, quia sicut publice dicitur, citra tamen meritorum meorum exigentiam, gravissime offensus est mihi. Nomen enim meum multipliciter attentavit lingua dolosa et elongavit a me amicum et proximum. Verumtamen salvum faciet Dominus filium pauperis, et humiliabit calumniatorem, et mendaces ostendet, qui maculaverunt innoxium. Illud in stuporem mihi vertitur, et super omnia in dolorem, quod circumspectissimæ prudentiæ vestræ potuit persuadere humana versutia, me vel contra honestatem aliquod contraxisse commeacium vel contra vos a Romana curia litteras impetrasse. *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui incidit in ea? quomodo se elevet contra elevantem se baculus, qui utique lignum est* [32]? Sic esset, si ego carnalis et venundatus sub peccato insurgerem adversus Deum, et adversus Christum ejus, et adversus eum qui ab opprobrio et exsilio me redemit. Scio, et recolo incessanter, quæ et quanta feceritis mihi. Unde cantabiles mihi sunt et erunt semper miserationes vestræ in terra peregrinationis meæ. Non enim dilexistis me, quia prior dilexerim vos: sed dilexi vos quia dilexistis et prævenistis me in benedictionibus vestris. Scio, quid boni feceritis mihi, scio quid feceritis toti terræ, scio quid feceritis domesticis hostibus vestris, et meis, qui certe securissime possum cum propheta dicere de vobis: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen sanctum, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* [33]. Ego interim sustineo patienter, donec consilia eorum, qui dicunt bonum malum, et malum bonum, exsufflet et dissipet Dominus; evertet enim impios, et non erunt. Sapientia autem vestra vincat malitiam;

(*a*) Pro *Ausus est susurro*, usque ad *et proximum* edit. Paris. habet hæc quæ sequuntur.
« Ausus est susurro et bilinguis vestræ discretioni consulere me ad obtinendam Carnotensis Ecclesiæ præposituram subsidia regum et comitum contra vos implorasse. Credo, si eorum auxilia postulassem, petitioni meæ gratanter assisterent. Sed de justitia mea et vestræ conscientiæ puritate securus emendicata hominum suffragia non requiro. Placet mihi, si tamen beneplacitum est in oculis vestris, ut causa mea in aleam controversiæ et eventum judicii deducatur. Quod si misericordiam et non judicium erga me cogitatis, scripto vestro, quod de præpositura mihi fecistis autenthico, abbatibus etiam qui adfuerunt, et vestræ conscientiæ commito. » GILES.

[17] Ovid. *De Pont.* II, 3, 19. [18] Claud. *De Bello Gilden.* [19] Num. 16. [20] II Mach. 4. [21] II Mach. I [22] Reg. 15. [23] III Reg. 13. [24] Dan. 5. [25] Num. 18. [26] IV Reg. 5. [27] Act. 8. [28] 1. Reg. 15. [29] Thess. 5. [30] Prov. 21. [31] Rom. 1. [32] Isa. 10. [33] Isa. 1.

et si ad voces adversariorum meorum exarserit in A brevi ira vestra, cogitetis, ut complacitior sitis adhuc, nec vestras a me servo vestro misericordias abscindatis. Ego enim omni censuræ et correctioni vestræ me offero, si in aliquo vos offendi. Utinam corripiat me justus in misericordia et increpet me! Quod si in me corripiendo etiam excederitis terminos æquitatis, hoc ipsum satis desiderabile reputarem, quia, juxta verbum Job, etiamsi me occideritis, sperabo in vobis [34]. Testimonio enim Sapientiæ: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*[35]. Dulciora sunt equidem mihi verbera vestra, quam ubera eorum, qui lacte lamiarum vos pascunt, et qui quandoque propinaverunt mihi de calice Babylonis. Illud autem suavissime fero, et meis etiam annumero votis, si vestrum nepotem recepistis in B gratiam, dummodo mea conditio non lædatur. Etenim, quod nepoti vestro propitius estis, hoc et naturæ conditio, et ordo postulat charitatis, Apostolo dicente : *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* [36]. Imo preces addo devotissimas, si tamen vestri servi preces acceptare dignemini, ut non revocetis ad animum præteritos vestri nepotis excessus ; in quo enim displicuit, placebit vobis, et *ubi superabundavit delictum, superabundabit et gratia* [37]. Summam precum et desideriorum meorum sub ea verborum paucitate concludo, ut me vestrum, imo vestrissimum reputetis. In proximo enim, Deo dante, me totum beatæ Virginis obsequiis deputabo, et vestris, futurus vitula Ephraim docta diligere C trituram, thesaurum et gloriam meam constituens in eo qui potens est depositum meum servare in diem illum, et in vobis, cujus vita, cujus conversatio, cujus verba mihi pretiosissima. Quis enim thesaurus pretiosior esse potest, quam prudentia verba et sermones illius audire, qui sermone et opere semper ad vitam ædificat, cujus verba spiritus et vita sunt, juxta Sapientiæ vorbum : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis* [38]. Ad hunc thesaurum sitio et desidero, sicut cervus ad fontes aquarum : ad hunc veniam, et in eo vivam et moriar, quidquid frendeant, aut grunniant immundissimæ sues, quidquid venenose confingant nequissimi detractores. Ibo in proximo, duce Christo Jesu, et vincam in simplicitate versutiam, impatientiam mansuetudine, veritate fraudem, humilitate super- D biam, malitiam bonitate. Secundo, aut tertio, quæso, hanc relegatis epistolam, quæ de atramentario doloris scripta est, et de angustia spiritus emanavit. Valeat charissimus dominus meus, et omnes qui eum diligunt ex effectu. Valete.

EPISTOLA CXXXI.

AD E. PRIOREM DE MONASTERIOLO.

ARGUMENTUM. — *Arguit nepotem monachum, quod neglecto studio sacrarum litterarum et solitudinis, ambiat amicitias principum et mundi.*

M. PETRUS Bles. Bath. archid. dilecto et prædilecto nepoti suo E. priori de monasteriolo (73), salutem in auctore salutis.

Si ea quæ scribo, austera tibi videntur et dura, tu tamen cum æquanimitate sustineas ; nam hæc omnia dictat exuberans dilectionis affectio, et ex abundantia cordis os loquitur. Zelo et sitio salutem tuam in visceribus Christi. Unde et hujus series exhortationis tota emanat de medullis animæ, et ex adipe charitatis. Diu obmutui, et silui a bonis. Eram enim apud te tanquam vas perditum, quasi mortuus a corde, utpote, qui tuum dedignabaris avunculum scripto vel nuntio salutare. Utinam a corde tuo sis mortuus et vita tua abscondita sit cum Christo in Deo! Super senes intelligis, et sicut Apostolus ad Timotheum scribit [39], ab infantia sacras litteras nosti, quibus te et alios potes instruere ad salutem. Tu vero abjecto prorsus exercitio militiæ litteralis magnatum venaris amicitias, et ut placeas principibus ambitiosis curiarum fluctibus te involvis. Porro litteratus, qui se lectione assidua non exercet, quasi domus deserta est, in qua juxta verbum prophetæ [40], pilosi clamant alter ad alterum, et dæmones onocentauris occurrunt. Immundus etiam spiritus domum vacantem invenit, et frequenter ad habitandum in ea septem spiritus nequiores se assumit [41]. Propter hoc ambis honores, auram gratiæ popularis adoras, atque magnatum consiliis te officiose immisces : et hæc omnia gentes inquirunt. Displicet mihi, si, ut mundo placeas, Deo displicere non times. *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* [42]. Si hominibus, inquit Apostolus, placerem, Christi servus non essem. Non potes placere Deo et mundo. *Qui vult amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur* [43]. Quæ enim collatio Spiritus Dei ad spiritum mundi ? sicut lucis ad tenebras, sicut Christi ad Belial. Si gloriam,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(73) Hæc littera E. videtur denotare Ernaldum, qui ex priore Ecclesiæ de monasteriolo factus est abbas Sancti Launomari ex epistola sequenti. Est autem illud monasteriolum prioratus dependens ab abbatia S. Launomari Blesensis, et est in territorio Perticensi diœcesis Carnotensis, appellaturque S. Launomarus de monasteriis vulgo *Moustiers*. Nominatur autem Ernaldus abbas S. Launomari ad ann. 1202 in charta quadam prioratus de Fonte-Mellaudi Majoris Monasterii, ut legi in membrana quadam de abbatia S. Launomari, quæ asservatur in bibliotheca S. Germani a Pratis.

Quod autem in charta quadam magni *Pastoralis* Paris. habetur R. abbas S. Launomari ad ann. 1203, error est amanuensis qui pro E. posuit R. Qui error irrepsit in Gallia Christiana, in *Catalogo abbatum* S. Launomari.

[34] Job. 13. [35] Eccli. 42. [36] I Tim. 5. [37] Rom. 5. [38] Prov. 2. [39] I Tim. 3. [40] Isa. 34. [41] Matth. 12. [42] Psal. 52. [43] Jac. 4.

quæ ab homine est quæris, gloriam illius, qui dat gratiam et gloriam, perdis. Verbum Christi est : *Gloriam ab invicem quæritis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non vultis* [44]. Ipse Dominus gloriæ dicit : *Si quæro gloriam meam, gloria mea nihil est* [45] Sit gloria tua testimonium conscientiæ bonæ, cui nunquam communicabit, qui curru superbiæ vectus per campum elationis excurrit. Vereor autem, ne in errore tuo te foveant sermones adulatoris. Sunt enim qui te palpant dicentes tibi : *Euge, euge* [46], et addunt cornua peccatori. Isti sunt, qui in hypocrisi te salutant, habentes osculum in labiis, jaculum in corde, et in occulta dilectione venenum. Sedeciæ regi quandoque dictum est : *Viri tui pacifici seduxerunt te* [47], et qui te glorificabant, in errorem inducunt. Utinam corripiat te *justus in misericordia*, et increpet te, tuumque *caput peccatoris oleum non impinguet* [48] ! Dedisti manum monasticæ professioni ; cursum, quæso, tuæ conversationis attende. Vide, quantum vitæ tuæ perdideris, et quem fructum habeas, in quibus nunc forsitan erubescis. Verbum Jeremiæ est : *Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua ; sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se supra se* [49]. Vereor, ne sensu contrario et perverso levaveris te supra te, non humiliter sentiens, sed exaltans te, ambulans in magnis et mirabilibus supra te. Nam a primitivis adolescentiæ motibus jugum Domini quod acceperas, a tuis cervicibus excussisti, relictaque via, quæ ducebat ad civitatem habitationis, secutus es juvenilis devia levitatis. Extraordinariis motibus lasciviæ prurientis stimulos addidit indisciplinata vivendi libertas, et impunitas delinquendi, cumque sint proni sensus hominis ab adolescentia in malum, cujusdam consuetudinis violentia et licentior impetus te rapuit, tuumque obscurans et obruens intellectum, ut consentires malitiæ, nec sentires ; sed quadam assiduitate peccandi velles etiam præcedere quadam æmulatione temeraria malignantes. Ita cor tuum paulatim negligentiæ subverterunt. Mens enim paulatim defluit, et animus usu continuato ad deteriora prolabitur. Navis equidem, in sentinam ejus aqua guttatim influente, latenter et repente submergitur. Novimus autem quod in terra tua multi sunt perversores simplicium : unde et a malitia habitantium in ea multiplicem morum scoriam contraxisti. Erat autem tolerabilius non arripuisse propositum pœnitentiæ, quam post pœnitentiam retro ire. Res magni discriminis est ignominiam sæculi sub religionis habitu circumferre, impietatem sub pietatis umbraculo, et Antichristum sub Christi vestibus occultare. Utinam vero gustasses quam suavis est Dominus, et misericordias ejus experientia didicisses ! Nam si Veritas, imo, quia Veritas verum dicit, jugum ejus suave

A est, et onus ejus leve [50], sed quibus ? non servis, sed filiis, his, scilicet, qui aguntur spiritu Dei. Isti sunt, qui spiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum sunt Spiritus sancti. Hi empti sunt pretio magno, id est, pretioso sanguine Christi portantes et glorificantes eum in carne sua. Sunt autem qui mortificationem Jesu circumferre decreverant in corpore suo, et quodam torrente malitiæ irruentis impulsi, conversi sunt in arcum pravum, facientes membra sua arma iniquitatis peccato, et exsufflato a se spiritu Dei, susceperunt in se spiritum hujus mundi, dicentes anathema Jesu [51]. Quandoque in arbitrio fuit, jugum Domini non recipere ; semel autem susceptum non licebat abjicere. Deus ergo nunc exigit oblatum, qui non exe-

B gerat offerendum. Voluntas in necessitatem translata est ; et vinculo professionis arctaris reddere vota quæ distinxerunt labia tua. Desiderio itaque desiderarem te permanere in ea vocatione, qua vocatus es secundum mensuram regulæ, qua mensus est tibi Deus. Quod si eam custodire non potes, impotentia te excusat ; si potes eam implere, et non vis, superbia te condemnat. Si vero alleges te per abbatem tuum a monasticæ legis observantia relaxatum, scias quod licet abbati dispensatio credita sit, ea tamen statuere aut sustinere non permittitur, quæ lucrum impediunt charitatis. Nulli prælato, aut subdito voluntatem propriam sequi licet [52]. Nam et monachorum egislator quasi edicto præcipit generali, ut omnes magistram regulam se-

C quantur, et ab hac lege, nec abbas, nec prior excipitur. Ubi est obedientiæ cautio, quam emisisti ? ubi professio, cui manum dedisti ? Ubi est, quod in regula vestra dicitur, ut omni obedientia monachus se majori subjiciat ? Verbum apostoli Petri est : *Castificantes*, inquit, *corda vestra in obedientia charitatis* [53], ut scilicet subjectus voto alicui, obediat et affectio filialis paternam reverentiam semper præ oculis habens, nullis arctata limitibus se currenti desiderio in latitudinem charitatis infundat. Quod si prælatus injungat, quæ saluti animæ obviant, et præcepto Domini adversentur, consilium in expedito est, ut B. Petri sententia observetur. *Deo*, inquit, *magis obedire oportet, quam hominibus* [54]. Et hoc ex verbo Samuelis elicitur : *Si peccaverit*, inquit, *vir in virum, poterit illi propitius esse Deus : si*

D *quis autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo* [55]. Quidquid ergo tibi prælatus injunxerit, quod animæ saluti non obviet, sic illud amplecti debes, ac si Deus ipse præceperit. Nam etsi etiam impossibilia injungantur, juxta Regulæ tenorem, confidens de adjutorio Dei, ex charitate obedias [56]. Ad prælatos loquens Dominus dicit : *Qui vos spernit, me spernit : et qui vos audit, me audit* [57]. Beatusque Benedictus [58] protestatur Deo impendi obedientiam, quæ ma-

[44] Joan. 5. [45] Joan. 8. [46] Psal. 34. [47] Jer. 38. [48] Psal. 140. [49] Thren. 3. [50] Matth. 11. [51] Cor. 12. [52] S. Bened. in *Reg.*, c. 3. [53] Petr. 2. [54] Act. 5. [55] I Reg. 2. [56] S. Bened. *in Reg.*, c. 68. [57] Luc. 10. [58] *Reg.* c. 5.

ıs exhibetur. Perniciosum est suum qualiter- A ıe scandalizare prælatum. Nam si super scan- pusillorum terribilem pœnam statuit Deus, erit de scandalo prælatorum ? Sane, in omni- quæ a prælato jubentur, generaliter damnabilis ıntemptus. Et sicut charitas commendat obe- iæ meritum, ita rebellio accumulat inobedien- ıalum. Species contumaciæ est de modo man- inquirere, hæsitaræ, discernere, aut differre. ıntractu enim obedientiæ non habet disputatio, lisceptatio locum. Nam si in discussionem, uspicionem ea quæ tibi sunt mandata dedu- , ad lignum scientiæ boni et mali manum aricationis extendis. Nimis delicata est hæc ientia transiens in deliberativum genus causæ. est hoc in auditu auris obedire. Non est hæc B .aris obedientia sine mora, sed astutia tergi- ıtrix, et aperta superbia. Si autem vitæ ne- ·is est abbas, ei tamen ex charitate obedire opor- Scriptum est enim : *Quæ dicunt, facite ; quæ m faciunt, nolite facere* [59]. Contemptum igitur r omnia cave. Nam etsi Dominus quandoque peccatoribus et transgressoribus, testimonio hetæ, rogaverit [60], ne perirent, licet pro suis fixoribus oraverit [61], licet Ecclesia oret pro ımaticis et Judæis ; nec Deum tamen, nec Ec- ım pro contemptoribus unquam intercessisse ries. Super contumacia tamen et contemptu orum Patrum prudentia dispensavit, et contra lientiæ malum proposita est transgressoribus cina. Gratias autem ago Deo, quia, sicut ex C ımdam relatione audivi, delicta juventutis tuæ, noris ambitiosi nundinas, a primo vitæ ma- ris limine salutasti, longique temporis jactu- fructuoso pœnitentiæ compendio redemisti. autem verbum illud Sapientis a tuæ sinu me- e non excidat : *Fili, de indulto et propitiato ıto semper sis sollicitus* [62]. Sunt enim plerique, d profectum pœnitentiæ sibi sufficere credunt, a sua turpitudine destiterunt, nec recolunt ısus veteres. Quasi spatio temporis evanuerint, la oblivione credunt se cum Domino ad plenum ıis iniquitatibus transegisse. In persona hujus tentis Job ad Dominum loquens dicit : *Signasti i in sacculo peccata mea* [63]. Et Moyses in Deu- ıomio : *Nonne hæc condita sunt apud te, et ıta in thesauris tuis* [64] ? Non tam facile sine fletu D ːmitu, et cordis acerbo dolore sanantur, quæ ıerunt in medullis præcordiorum ; nec leviter ı remittitur, nisi cum quantitate peccati hu-

militas pœnitentiæ compensetur. Mihi ergo ad votorum plenitudinem cedit, quod elationis fastus et ambitionis hiatus sub modestiæ censura cohibueris. Recolo enim te olim causari et arguere Deum quod nullum de tribu nostra erigebat in cathedram seniorum. Quidquid autem nunc desideres, Deus omnem intellectum meum et tuum in suæ obsequium servitutis humiliet et captivet. Tu vero frequenter ex ipsius papæ, qui nunc sedet, ac plerorumque cardinalium ejus, qui in diebus meis legatione functi sunt, fratris etiam mei, et abbatis S. Dionysii, aliorumque Magnatum, qui in terra sunt, relatione cognoscere potuisti, quod cum in Sicilia essem Sigillarius, et doctor regis Guillelmi secundi, tunc pueri, atque post reginam et Panormitanum electum, dispositio regni satis ad meum penderet arbitrium, quidam mei æmuli machinantes me a familiaritate regis excludere, procuraverunt, ut Ecclesia Neapolitana me in archiepiscopum eligeret, ac per majores capituli ordinationem meam communi decreto et voto unanimi postularet. Vocatus autem non ivi ; rogatus et tractus multipliciter non consensi. Episcopatus quoque Roffensis bis mihi oblatus est (74), oblatumque renui, et honorem ex onere metiens motus ambitiosos ad sobrios mediocritatis terminos limitavi. Amantissime nepos, utinam modestia vestra nota sit omnibus hominibus ! *Dominus prope est* [65]. Prope est, ut veniat dies tuus. Et, ut utar testimonis Salomonis : *Cito et horrende fiet judicium his qui præsunt* [66]. *Horrendum* quippe *est incidere in manus Dei viventis* [67], accumulare sibi peccata duplicia, flammas gehennales pro iniquitatibus incurrere alienis. Propterea tutius reputem latere et fumare sub modio, quam ascendere super candelabrum, measque tenebras oculis intrudere aliorum. In divitiis enim mea lux esset obscuritas, et illuminatio mea in delictis meis. Multorum siquidem turpitudo latuit, donec honoris assumptio palpebras vulgaris famæ aperiens in publicam deduxit notitiam, quod status humilior occultabat : nam dignitas indignos ostendit. Adde etiam, quod multorum dominatio, est eorum damnatio. Quot enim paupertas ad cœlum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet. Cave igitur ne absorbeat te profundum neque urgeat super te puteus os suum. Dies tuæ mortis incertus est ; senesque pariter et juvenes mors amara involvit. Quid facies, cum te a charorum tuorum consortio resolutionis humanæ conditio separabit ? Cum igitur nigrescere et horrescere cœperit nox æterna, cum

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(74) Est error nic : nam cum epist. 72 dicat se, esset in Sicilia, bis ad episcopatum vocatum , episcopatus ille debuit esse in Sicilia, aut salin terris regis Siculi, non autem in Anglia ubi episcopatus Roffensis. Potest autem loqui de episcopatu Rossanensi, qui est in Calabria superiore, parte scilicet regni Neapolitani, qui cum nullos habeat suffraganeos, forte tunc erat episcopatus, et ditionis regis Siculi; sic autem scribitur in quibusdam mss., ut Maz. 1 et in altero apud Busæum.

—

[59] Matth. 23. [60] Isai. 53. [61] Luc. 23. [62] Eccli. 5. [63] Job. 14. [64] Deut. 31. [65] Philipp. 4. [66] ıp. 6. [67] Hebr. 10

extra diem te traxerit importunus et crudelis exactor per irremeabiles semitas tenebrarum, ut te in illud immane et horrendum chaos in regionem mortis æternæ præcipitet; qualiter tibi erit, cum ab ecclesia sanctorum perpetua excommunicatione præcisus, videbis Filium Dei suis militibus donativa gloriæ largientem, tibi cedere ad miseriæ cumulum alienæ plenitudinem voluptatis? O quam lugubre erit videre et perdere Deum, atque ante sui Salvatoris perire conspectum! Ubi tunc erunt animositates et deliciæ tuæ, de quibus sola remansit recordatio in tui accusationem, et obligatio in tormentum? Tota hominis miseri substantia devorabitur inexstinguibilibus flammis, nec erit suppliciorum modus, vel intermissio, sive finis. Nam ibi finis semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, ut damnati hominis conditio semper in doloris materiam, et mortis æternæ pabulum recidivet. Charissime, hæc recole, hæc loquere et exhortare, teque fratribus tuis amabilem et amitabilem exhibens, eos ad vitæ bravium coram Deo in justitia et sanctitate præcede. Coxi pulmentum tibi, et qui tecum sunt filiis prophetarum; si vero colocyntidas sapiat exhortatio minus blanda, farinam patientiæ et devotionis Elisæus apponat [68]. Quia vero nulla te salutatione a longo tempore visitavi, in campum orationis se atius effudit affectio, ut litterarum intercurrentium raritatem prolixior epistola recompenset. Bene vale.

EPISTOLA CXXXII.

AD E. ABBATEM S. LAUNOMARI. [C. A. D. 1262.]

ARGUMENTUM. — *Præclara documenta novo abbati tradit, ab omnibus aliorum superioribus diligenter notanda.*

Dilecto nepoti suo E. Dei gratia abbati Launomari (75) Magister PETRUS Blesen. Bathon. archidiaconus salutem.

Licet, testimonio Hieronymi [69], nescio quid latentis energiæ viva vox habeat, et efficacior sit vox viva, quam scripta; illi tamen, qui virtutem charitatis experiuntur, certi sunt, quod præstantior est præsentia spiritus quam corporis, et quanto spiritus est pars diligentis potior, tanto præsentia ejus dignior est corporali. Nam si copula carnis efficit, ut sint *duo in carne una* [70], quanto fortius duos unit amoris compago, et unitas spiritus in vinculo pacis? Anima est potior pars mei. Si anima tua non dissidet, nihil duarum animarum idem volentium præjudicat unitati. In hac tamen unione, non solum animæ, sed corpora fœderantur, cum possim de nepote meo dicere: Os meum et caro mea. Glorior de tua gloria, lætor de tuorum lætitia. Utrum tamen expediat tibi lætari, tu videris. Obsecro te per viscera misericordiæ Christi, ut attendas periculum hujus sedis, recolens illud verbum Salomonis, quia *horrende et cito judicium his qui*

A *præsunt fiet* [71]. *Miserere animæ tuæ placens Deo* [72]. Bonas fac vias tuas, et studia tua. Lætentur qui te diligunt, quod sis servus *fidelis et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* [73]. *Quanto major es, humilia te omnibus* [74]. Audi humilem et terribilem Christum: *qui major est vestrum, fiat sicut junior* [75]. *Principem te constituerunt fratres tui: esto quasi unus ex illis* [76].

Benedictus, Basilius, Arsenius, duo Macharii, multique alii magistri religionis id ipsum sentiunt, votum scilicet religiosæ professionis acceptum semel, nulla occasione postea irritandum. Si monachorum electio, et non ambitio, sicut mihi scripsisti, fecit te fratrum tuorum principem, non tamen abstulit esse fratrem. Si jugum Domini portasti B hactenus, illud amodo patientius feras, et vivas regulariter inter eos, quos ad formam vitæ regularis informas; alioquin notaberis illis Evangelii verbis: *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere* [77]. Tum siquidem legislatoris edicto firmatur [78], ut quæ doces tuis discipulis esse contraria, tuis factis indices non agenda, ut de magnis maximisque præceptis taceam. Si juxta constitutionem Evangelii [79] mandatum legis vel modicum solveris et docueris sic homines, in regno cœlorum modicus eris. Nulla electio, sicut jam tetigi, nulla prælatio te absolvit ab illa votiva promissione, nec potestas illa tibi commissa vota promissionis evacuat, quæ distinxerunt labia tua. In legibus tuis [80], quarum C quandoque fuisti auditor, verbum imperatoris est: Etsi legibus soluti simus, legibus tamen vivere volumus. Et illud Codicis [81]: Digna vox majestate regnantis, se legibus alligatum principem profiteri. Te honor assumptus a professione non exemit, sed ad ejus observantiam fortius alligavit. Qui satis eras tuis excessibus oneratus, juxta verbum Salomonis alligasti tibi peccata duplicia [82]. Subditi te honorant, sed plus onerant. Prius ergo custodi teipsum, ut securius procures custodiam aliorum. Commissa est tibi villicatio gravis. Villicationis hujus rationem exactissime requiret terribilis in judiciis suis Deus. Teste autem Gregorio prælatus tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucrifacit. Prælati etiam scire debent, quod si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subdi- D tos suæ perditionis exempla transmittunt. A te igitur prius, et deinceps a subjectis explantare studeas dissolutionum propagines veternosas, quas insolentiæ mater longa impunitas radicare permisit. Omni diligentia custodi cor tuum, ut exemplo sis aliis, et liberius auferas scandala de regno Dei, quod intra vos est; nec in animæ tuæ discrimen reserves hoc officium angelis messoribus, quibus hoc ministerium in die tremenda cælestis dispensa

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(75) De eo vide quæ diximus ad epistolam præcedentem.

[68] IV Reg. 4. [69] Epist. 103, *ad Paulinum*. [70] Gen. 2. [71] Sap. 6. [72] Eccli. 30. [73] Luc. 12. [74] Eccli 3. [75] Matth. 23. [76] Eccli. 32. [77] Matth. 23. [78] Reg. *Bened.* c. 2. [79] Matth. 5. [80] D. l. XXXI, t. l, 23. [81] tom. XIV, l. 4. [82] Eccli. 7.

tione debetur [83]. Pone igitur in animo tuo quod tui monasterii novus fundator accedas, sciens, quia laudabilius est informare corrupta, quam formare informia, ideoque tuorum antecessorum laxiores habenas non cogites. In omnibus enim tibi maturiore consilio utendum est, et vigilantiore cautela. Eorum simplicitas, aut potius negligentia et ruina quorumdam, circumspectionem te faciat. Mittas manum ad fortia, et scias, quin dissoluta est omnis domus, in qua non imperat disciplina. Teste beato Gregorio, Ars artium est regimen animarum [84]. Animas autem non potes regere, nisi disciplina mediante, ut sit justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Flagella filios tuos, et Sapientis testimonio, eorum animas liberalis [85]. In omni tamen exercitio disciplinæ misericordia primas partes obtineat, ut quod rigor exasperavit verbo aut verbere, pia mansuetudo mulceat. Non sis pronus ad iracundiam, non impetuosus ad contumeliam, non præceps ad sententiam, non vehemens ad vindictam. Verba et opera tua prædictet charitas, et informet affectio ; nec attendas quid tibi sit utile, sed quid multis. Charitas enim, quæ sua sunt, non quærit [86] : nec utilitates tuas procurabis efficacius, quam si commoditati et saluti fraternæ tua diligentia impendatur. Non sis fastuosus in vultu, non vultuosus in verbis, non minis exasperans, non superfluus in victu, non in equis, vel familia elatior, non notabilis in vestitu, Dilectus Deo eris et hominibus, si conscientiam tuam et actus tuos omni cautela servaveris. Æmulare charismata meliora, non familiaritatem principum, non popularis auræ gratiam, non laudis alienæ stipendia, sed thesaurum conscientiæ bonæ in abjectione tui, et Christi charitate fundatæ. Non potes autem vere esse humilis, si credis palponibus, si propriam excellentiam non contemnis. Si vero altior, quam melior esse appetis, non præmium, sed præcipitium exspectabis. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam eorum magniloquam, qui dicunt tibi, Euge! Euge* [87]! Teipsum de te consule, respue blandimenta, adulationibus aures claude. Qui te beatificant, in errorem inducunt. Si noveris te esse, qualem laus aliena depingit, non tibi, sed Deo ascribe, cum Apostolo dicens : *Gratia Dei sum id quod sum* [88]. *Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis* [89]? ac si Apostolus dicat : omnia quæ habes, a Deo accepisti. De his ergo non in te, sed in Domino glorieris. Consilio autem ejusdem Apostali proba opus tuum, et sic habebis gloriam in teipso, et non in altero [90], aut quod securius est, nec in te, nec in altero, sed in Deo.

Nimis quidem periculosum est gloriam suam alienæ linguæ committere. et ad arbitrium palpantis, aut blandientis laudem obtinere, vel perdere. *In Domino laudetur anima tua, audiant mansueti, et lætentur* [91]. Sit laus tua in exitu tuo, ut te laudent in portis opera tua, quando *erit unicuique laus a Deo* [92]. Omnia cum consilio fac. Castorum enim consiliorum mater Sapientia in libro sui nominis dicit : *Ego in consiliis habito, et intersum cogitationibus eruditis* [93]. Probatos autem in religione tecum habeas in consilio, in obsequio, in contubernio, tuæ custodes honestatis et testes. Sicut autem alios dignitate præcellis, sic vitæ meritis antecedas. Et quia minus fortasse ponderis apud te habet cohortatio mea, circa instruendi abbatis officium, pono ipsa beati Gregorii verba [94] : Tanto, inquit, debet transcendere opera subditorum actio prælati, quantum distare solet a grege vita pastoris. Et subjungit : Sit ergo cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in consilio, fructuosus in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, per justitiæ vero zelum contra delinquentes erectus, interiorum curam exteriorum sollicitudine non minuens, dispensationem exteriorum interiorum providentia non relinquens. Denique abbas, dicit idem Gregorius, in omnibus Christi vitam studeat imitari. Apostolo enim teste : *Qui dicit se manere in Christo, sicut Christus ambulavit, debet et ipse ambulare* [95]. Propterea idem Apostolus de se dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [96]. Et ut forma regulæ spiritualis exprimatur, jugiter in corde habeat verbum illud Apostoli : *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobrie, et pie et juste vivamus in hoc sæculo* [97]. Præcedat abnegatio impietatis et desiderii sæcularis, ut vivas pie, sobrie, et juste : pie ad Deum, juste ad proximum, sobrie ad teipsum. Pietas quidem testimonio B. Augustini consistit in fide, et spe, et charitate. Justitia vero naturalis est, ut non velis aliis facere, quod tibi fieri nolis : et aliis facias, quod tibi fieri velis. Ad sobrietatem rerum temporalium moderator usus pertinet, necessitati satisfaciens, non serviens voluptati. Te honor assumptus ad subditorum custodiam obligavit. Audi Salomonem : *Fili mi, spopondisti amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus es sermonibus tuis. Fac ergo, quod dico tibi, fili mi, decurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, et tuæ palpebræ ne dormitent* [98]. Juxta expositionem Gregorii [99], apud extraneum manum suam defigere, est, curam animæ alienæ, quam prius non habueras, in periculum tuæ conversationis accipere.

[83] Matth. 13. [84] *Past.*, p I, c. 1. [85] Prov. 23. [86] I Cor. 13. [87] Psal. 11. [88] I Cor. 15 [89] I Cor. 4. [90] G l. 6. [91] Psal. 33. [92] I Cor. 4. [93] Prov. 8. [94] *Pastor.* p. II. c. 2. [95] I Joan. 2. [96] I Cor. 4. [97] Tit. 2. [98] Prov. 6. [99] *Past.* p. III, adm. 5.

Commissos itaque tibi salutaribus monitis excitare A juberis, ut a peccati torpore surgentes, in sanctis cogitationibus et operibus excubantes, de brevi et transitorio labore manipulos referant exsultationis æternæ. Ille autem, qui te ad hoc officium vocari permisit, sic te vocaverit, ut non repellat : sic te honoraverit, ut non humiliet ; sic exaltaverit, ut non confundat, non dejiciat, vel allidat. Vale.

EPISTOLA CXXXIII.

AD R. DECANUM ET CAPITULUM SARISBERIEN. ECCLESIÆ.

ARGUMENTUM. — *Probat, ob tenuitatem beneficii, non recte se cogi ad faciendam residentiam in Sarisberiensi ecclesia.*

Dilectis dominis fratribus et amicis R. decano, et B capitulo Sarisber. Ecclesiæ, PETRUS Blesen. Bathon. archidiac., salutem, et in judicando prudentiam.

Miror quod pro præbenda quinque marcarum (76) me urgetis ad residentiam faciendam, scientes quod pro viatico usque Saresberiam tota mihi præbenda non sufficeret : quæ si insufficiens est ad viam, multo magis ad residentiam, sed captatis potius quæstum ex absentia mea, quam ex præsentia mea fructum. Ubique terrarum in omni Ecclesia parcitur debilibus et infirmis, vel, qui alias facultatem residendi non habent, vos autem pœnam in eos statuitis, quos ipsa impossibilitas a pœnali C obligatione absolvit. Pœnam siquidem, non impotentia vel defectus, sed solius contumaciæ odium introduxit. Nostrorum præsulum Osmundi, et Jocelini constitutio in eos qui præbendas habent divites (77), intorquetur, qui de obventionibus earum possunt domos ædificare Saresberienses (78), et ea, quæ ad residentiam necessaria sunt, de facili procurare. Sicut tamen decretum Telesphori papæ de adjectione septimæ septimanæ usus contrarius abolevit (79), sic, imo fortius constitutionem prædictorum pontificum consuetudo utentium in contrarium penitus abrogavit. Cum itaque mihi præcisa sit residendi facultas : quæ mihi culpa infligit hanc pœnam, ut quia non facio, quod mihi impossibile est, debeam præbendæ meæ perdere quintam partem ? Tolerabilius est constitutione hac Pharaonis imperium : nam cum tota Ægyptus fisco applicare quitam partem suarum possessionum regis edicto publico urgeretur, sacerdotes et levitæ legis illius onera non senserunt. Nunquid vultis, quod aliarum Ecclesiarum redditus hic expendam? Hoc mihi Gangrense concilium interdicit, cujus auctoritate, ubi potiora bona recipio, conversatio mea debet esse frequentior, et pauperum quotidiana subventio. Parcite ergo, domini mei et amici, fratri vestro, quem a necessitate residentiæ ipsa impossibilitas eximit. Quod enim non possum, non debeo, quod indebitum est, injuste exigor, et ideo ab hac injusta exactione legatum appello. Valete.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(76) « Marca est nummus Anglicus XIII sol. et IV ster. aut denariis pro marca qualibet computatis, inquit Matth. Paris. ad an. 1135, » ut et Willelmus Thorn., pag. 2107 ; Spelmanus in *Glossario :* « Marca est pecuniæ numeratio, quæ hodie continet apud nos XII solidos et IV denarios. » Est autem marca auri et marca argenti : marca auri continet XV marcas argenti.

(77) Quænam sit illa episcoporum constitutio non reperi apud auctores Anglicos. Videtur tamen fuisse pro Residentia canonicorum Sarisberiensium. Osmundus natione Northmannus et Sagiensis urbis gubernator in Angliam cum Guillelmo I Anglorum reje trajecit : a quo Dorsetiæ comes factus, et propter summam prudentiam cancellarius et ex primoribus regni consiliariis factus. De eo sic Willelmus Malmesburiensis, auctor contemporaneus, lib. II *De gestis pontificum Anglorum*, ubi locutus est de Hermanno Sarisb. episc. qui ecclesiam suam D jam inchoatam morte præventus perficere nequiverat. ita prosequitur : « Succedente sibi Osmundo viro probatissimo ecclesia ad summam deducta, et cætera quæ competebant adjuncta. Clerici undecunque litteris insignes venientes non solum libenter retenti, sed et liberaliter coacti ut remanerent. Denique emicabat ibi magis quam alias canonicorum claritas cantibus et litteratura juxta nobilium librorum copia conquisita, cum episcopus ipse nec scribere nec scriptos ligare fastidiret ; castitate præeminens. De cujus virtute mentiri erubesceret famæ volubilitas : unde fiebat ut pœnitentibus asperior æquo videretur, dum quod in se non inveniret, in aliis durius vindicaret. Ambitionis immunis sua stulte non perdere, aliena non quærere, abbatias intra diœcesim sitas nulla pensione gravi emungere. » Henricus de Knyghton. lib. II *De eventibus Angliæ*, de eo sic scribit : « An. 1072 Hermannus episcopus primus Sarisberiensis obiit, cui successit Osmundus regis cancellarius XXIV annis, qui ecclesiam novam ibi construxit, clericos insignes tam litteris quam cantu aggregavit ; ita ut ipseque episcopus libros scribere, ligare et illuminare non fastidiret. Hic quoque composuit librum ordinalem ecclesiastici officii, quem *Consuetudinarium* vocant, quo fere nunc tota Anglia, Wallia utitur et Hibernia. » Eadem habet et Bromton, ad ann. 1076, nisi quod ait eum consecratum esse an. Christi 1075, quod verisimilius est. Nam ex Matthæo Parisiensi, obiit Osmundus anno 1099.

De Jocelino autem Sarisberiensi episcopo dixi ad epist. 51. Obiit autem ann. 1184 ex Matth. Paris. ad hunc annum.

(78) Nempe quia de novo translata fuerat sedes episcopalis, nempe Sherbonensis Sarisberiam, in qua canonicorum et aliorum ædes erant ædificandæ.

(79) Itea censent canonistæ, cum archidiacono, et Turrecremata, in illum locum, qui refertur, dist. IV, c. Statuimus. In quibus sic habetur : « Hoc verbum, *Statuimus*, hodie est tantum consilii. » Sic autem legitur in epistola Telesphori ad omnes universaliter fideles, cap. 1 : « Cognoscite a nobis et a cunctis episcopis in hac sancta et apostolica sede congregatis, statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici a carne jejunent. Quia sicut discreta esse debet vita clericorum a laicorum conversatione, ita et in jejunio debet fieri discretio. »

EPISTOLA CXXXIV.

AD WILLELMUM ELECTUM S. MARIÆ.

(A. D. 1196.)

ARGUMENTUM. — *V. Abbatem recenter electum egregie instruit in omnibus ad officium ejus pertinentibus.*

Reverendo Patri et domino WILLELMO Dei gratia electo S. Mariæ Blesensis (80), suus PETRUS Bles. Bath. archid., salutem in eo qui in electis suis mittit radices.

Electus estis a vestris fratribus in abbatem: propterea in vobis magnifico misericordiam Salvatoris, si tamen misericordia est, et non potius quædam probatio, ut quæstus honoris quandoque transeat in querelam. Erat longe securius subesse quam præesse: meritorium tamen valde est, si sic præsis, ut prosis. Charissime mi Pater, dum in minore officio ministrabas, sæpe fuisti tibi ipsi scandalo, frequenter tædio, semperque periculo: nunc autem super candelabrum constitutus intrasti arenam eventus ancipitis.

Nam si possessionum sollicitudines, si animarum discrimina penses, foris sunt pugnæ, intus timores. Juxta verbum Salomonis [100], immisisti te in turbam, et alligasti tibi peccata duplicia. Ideo plerique volunt latere sub modio, et intra conscientiæ fines claudunt interioris gloriæ bonum foventes in sinu memoriæ verbum illud propheticum: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [1]. Et nunc, Pater amantissime, in varia distrahi te oportet, pro aliis molere, sollicitari cum Martha, postponere unum illud necessarium, et transire de Mariæ otio ad quemdam animæ labyrinthum [2]. Porro non sic exterior te sollicitudo rapiat, ut animam tuam, pro qua Christus mortuus est, curarum sæcularium abyssus absorbeat. Quamdam itaque interiorem solitudinem semper tibi circumferas, ut in se collectus animus ad exteriora non defluat, nec attendat, quod appareat foris, aut quod exterius sonat. Inter multos eris tecum, factus de illorum numero, quos beatus Job [3] insinuat dicens: Hi sunt, qui ædificant sibi solitudines, ut vocem exactoris non audiant. Sic ergo ministres, ut non vituperetur ministerium tuum; ut servum singulorum te reputes, cum sis dominus omnium. Sic in te contemplativa et activa vices suas alternent, ut nullum tempus habeas feriatum. Melior est spiritus, quam corpus, et corporis *exercitatio ad modicum* prodest. *Pietas autem valet ad omnia, habens promissionem vitæ, quæ nunc est*, pariter *et futuræ* [4]. Æmulare igitur *charismata meliora* [5]. *Caro* enim *et sanguis regnum Dei non possidebunt* [6]. *Caro non prodest quidquam* [7]. *Fructu,* A *autem spiritus sunt: charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, fides, modestia, mansuetudo, continentia, castitas* [8]. Bonum est sollicitari cum Martha, sed quietus est sedere ad pedes Jesu cum Maria: providere Dominum in conspectu suo semper, vacare et videre quam suavis est Dominus [9]. Postquam ergo disposueris ea, quæ necessitas fraterna deposcit, descende in hortos aromatum, ut pascaris deliciis spiritualibus, et gratissima colligas lilia gaudiorum. Cum vero animam tuam resolveris ad quietem, nullus, quæso, dilectam excitet, donec ipsa velit. Nec sustineas, ut quis te præpropere ab amplexibus Rachelis, et ab uberibus sanctæ voluptatis avellat. Scis, quia sanctæ Regulæ professores, si se sæcularibus negotiis curiose involvunt, magna B spiritualis exercitii dispendia patiuntur. Navis enim, licet inter procellosos turbines statim non pereat, rerum tamen suarum jacturam sustinet, ut in portum vacua inanisque perveniat.

Elegerunt *te* fratres tui, *esto in illis quasi unus ex illis* [10]. Ædifica eos verbo, actu, vultu, habitu et incessu. Sic te amabilem exhibeas et imitabilem, ut tota conversatio tua ædificet alios ad salutem. Age, quod non solum tibi expedit, sed quod multis. Nunquam singulariter vivas. Non habeas, ut vulpes, foveam, non ut volucres nidum, non loculos sicut Judas. A primitivis motibus adolescentiæ meæ novi, Pater venerabilis, mores tuos redolentes mansuetudinem, sociales ad convictum, humilitate conditos et ad omnem compositos honestatem. Vulgare est, C quod honores mutant, aut potius monstrant mores. Administratio, quæso, præsens nunquam ab illa morum nobilitate degeneret, nulla elationis, nulla gloriæ titillatio de tua promotione obrepat. Si gloriari oportet, de tuis infirmitatibus glorieris, ut inhabitet in te virtus Christi. Si enim ad onus infirmum, si minus idoneum, minusque dignum te reputes, ipsa tui abjectio convalescet ad gratiam, exuberabit ad fructum, accumulabitur ad coronam. Ipse Dominus gloriæ dicit: *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est* [11]. *Gloriam*, inquit, *ab invicem quæritis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non vultis* [12]. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [13]. Tu vero, Pater, si in Deo gloriaris, non eris insipiens, ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* [14]. Illam vero gloriam, quæ est *testimonium* D *conscientiæ* tuæ [15], Deo et non tibi ascribe. Nam, ut verbo Apostoli utar: *Quid habes, quod non accepisti* [16]? Si ergo te ad vocem demulcentium tuas aures aura favorabilis afflaverit; sit in ore et corde tuo

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(80) Vocatur hodie Burgimedium, vulgo *Bourgmoyen*, et est cœnobium canonicorum regularium S. Augustini de quibus luculentum habes elogium apud Jacobum de Vitriaco, lib. II *Histor. occid.* cap. 21, maxime de quatuor conventibus illorum canonicorum inter quos refertur conventus S. Mariæ Blesensis. Recensetur autem in *Gall. Christ.* Guillelmus ille abbas Burgi medii ad annum 1196, et sic videtur hæc epistola scripta hoc anno quo scilicet electus est Guillelmus.

—

[100] Eccli. 7. [1] Isa. 24. [2] Luc. 10. [3] Cap. 3. [4] I Tim. 4. [5] I Cor. 12. [6] I Cor. 15. [7] Joan. 6. [8] Gal. 5. [9] Psal. 45. [10] Eccli. 32. [11] Joan. 8. [12] Joan. 5. [13] Psal. 113. [14] II Cor. 10. [15] II Cor. 1. [16] I Cor. 4.

verbum illud Apostoli : *Gratia Dei sum id quod sum* [17]. Nihil est, quod divinæ majestati familiarius atque confidentius assistat, et gratius quam vera humilitas. Ipse auctor universitatis se corde humilem confitetur et mitem [18]. Igitur non veniat tibi pes superbiæ ; sed *quanto major es, humilia te in omnibus* [19], et administrationem hanc onus reputa, non honorem ; omnemque motum superbiæ prurientis, verbo illo Salomonis exstirpa : *Potentes potenter tormenta tolerabunt, atque cito et horrende judicium fiet his qui præsunt* [20]. Cogita semper quia requiret te Dominus de ovibus suis exactissimam rationem. *Propter hoc irritavit impius Deum : dixit enim in corde suo ? Non requiret* [21]. Deus autem per Ezechielem [22] dicit : *Ecce requiram oves meas de manu pastoris*. Dominus dicit : *Reqviram*. Impius dicit : *Non requiret*. Cujus putas assertio prævalebit ? Verbum prophetæ Isaiæ [23] est : *Juravit Dominus exercinum dicens : Si non, ut putavi, ita erit ; et quomodo nente tractavi, sic eveniet. Nolite*, quæso, *æmulari in malignantibus* [24]. Sunt enim abbates quærentes potius, *quæ sua sunt*, quam *quæ Jesu Christi* [25]. *A fructibus eorum cognoscetis eos* [26]. Hi animarum cura omnino posthabita summam sui officii reputant, si in suam et suorum perniciem possessiones ecclesiæ suæ per fas nefasque culturis et ædificiis magnificent et dilatent. Animarum vero curam, quæ a spiritu timoris conceperant fructum salutis, quasi abortum perniciose procurant ; ut eis merito aptetur verbum prophetæ [27] dicentis : *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos*. Hi sunt, quos agitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis et erroris. Melius est tibi domum tuam augere moribus quam possessionibus. Melius eet cœlum implere quam horreum : et hæc facere potes, et illa non omittere. Veternosas autem vitiorum propagines, quæ ex quorumdam decessorum tuorum negligentia pullularunt, succide maturius, ne vitulamina, quæ numquam fructificant, surculis incisionis sua præpediant incrementa. Fac omnia præeunte consilio, non tamen credas omni spiritui, sed prius proba utrum ex Deo sit [28]. Semper autem potius de oratione quam de prudentia tua, de Deo tantum, et non de principum familiaritate confidas, quia *maledictus, qui confidit in homine* [29], et juxta sententiam Sapientis : *Nomen Domini plurima fortitudo* [30]. Scribitis autem vos ex continua versuti hostis astutia graves molestias sustinere ; ideoque vobis necessaria esse sacræ Scripturæ suffragia, cujus lectio frequens conatus hostiles evacuet, atque turbines æstuantium tentationum quadam gratiæ serenitate tranquillet ; propterea librum vestrum cum instantia

A repetitis, quem unum ex quatuor appellatis. Scio quia sine tentationibus vix hora dimidia claustralis vita transigitur. Unde et militia regularis arma spiritualia exigit, de quibus Apostulus ad Corinthios scribens dicit : *Arma militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, captivantes omnem intellectum in obsequium Christi* [31]. Sacra itaque lectio vobis necessaria est. Ipsa enim est mensa tabernaculi, quæ ad aquilonem [32-35], unde panditur omne malum, posita est. Quod Psalmista insinuans dicit : *Posuisti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me* [36]. De mensa hac, et spiritualibus armis loquitur Isaias [37] : *Pone*, inquit, *mensam, contemplare in*

B *specula; surgite, principes, et arripite clypeum*. Sacra lectio, cibus est, quia teste Veritate : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* [38]. Per hunc cibum spiramus et vivimus. *Verba*, inquit Dominus, *quæ ego loquor, spiritus et vita sunt* [39]. Certe solo sacri eloquii testimonio Christus contra omnes diaboli tentationes usus est in deserto. Si ergo consistant adversum vos castra, scuto bonæ voluntatis armate vos, et gladio spiritus, quod est verbum Dei. Meæ quidem exhortationis campus latissime patet, sed irruens occupationum necessitas, et succingens epistolam ad compendium, ad alia me retorquet.

[Filios autem obedientiæ vestræ, fratres et dominos meos rogo in visceribus Christi, et in charitate

C non ficta, hoc sentire inse. quod et in Christo Jesu : ut sicut pro nobis *exinanivit se formam servi accipiens* [40], sic se pro Christo humilient in obsequium servitutis. Exhibeant corpus suum hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, ut tota eorum sensualitas a ratione absorpta, spiritui subjiciatur ad serviendum Deo viventi. Sensualitas est mulier, ad quam dicitur : *Et ad virum erit conversio tua* [41]. Tota itaque ratio humilietur, totus intellectus captivetur in obsequium Christi. Indixistis propriæ carni bellum, contendentes non esse, quod estis, et recuperantes fortiter, quod in prima origine perdidistis, ut rapiatis per violentiam regnum cœlorum et intrudatis vos in hæreditatem sanctorum. Cum Samaritana reliquistis hydriam concupiscentiæ [42], et in vobis

D spiritualem vestram Jericho destruxistis [43]. Scriptum est autem : *Maledictus, qui reædificat Jericho*. Tu igitur, charissime frater, qui dedisti legi apostolicæ manum, qui manum tuam misisti ad fortia, utere consilio Sapientis, et *injice in compedes* obedientiæ *pedem tuum, nec acedieris a vinculis ejus* [44]. Recolas, quia vir obediens, testimonio Sapientiæ, loquitur

—

[17] I Cor. 15. [18] Matth. 11. [19] Eccli. 3. [20] Sap. 6. [21] Psal. 9. [22] Cap. 34. [23] Cap. 14. [24] Psal. 36. [25] Phil. 2. [26] Matth. 7. [27] Amos. 1. [28] I Joan. 4. [29] Jer. 29. [30] Prov. 18. [31] II Cor. 10. [32-35] Jer. I. [36] Psal. 22. [37] Cap. 21. [38] Deut. 8, Matth. 4. [39] Jean. 8. [40] Phil. 2. [41] Gen. 3. [42] Joan. 4. [43] Jos. 6. [44] Eccli. 6.

victorias, dum de diabolo per obedientiæ bonum, de A mundo, ac de se ipso triumphat in Christo. Sine omni delectu, sine omni exceptione, faciat Regulæ professor, quod injungitur sibi. Quid vero, vel quale, vel quantum sit, quod injungitur, non discernat : alioquin præsumit comedere de ligno scientiæ boni et mali. Censura enim discretionis est penes Patrem spiritualem, qui omnia dijudicat, ipse autem a nemine judicatur [45]. Nihil ergo discernat. Sit indiscretus, ut intelligat, sit stultus ut sapiat, nec reputet injuriosum, si quandoque correctione contristetur, aut verbere, qui per inanem lætitiam immoderatius frequenter se recolit excessisse. *Omnis disciplina in præsenti* amara est, sed in futuro facit *pacatissimum justitiæ fructum* [46]. Lentescens in via Domini a pastore suo durius increpari sustineat ; B stercoribus enim boum lapidandus est piger [47]. Qui ergo Spiritu Dei deducitur, cum æquanimitate sustineat corripientem magistrum ; et si dura sunt ei, quæ audit, reputet se durioribus esse dignum.

Et vos quidem, dilectissimi, segregavit Deus in hæreditatem sibi, ut lætetur in bonitate electorum suorum cum hæreditate sua, si tamen non accepisti iterum spiritum hujus mundi. Ponite igitur corda vestra super vias vestras, ne sitis terra proxima maledictioni, quam percutiet Dominus spiritu oris sui. Recolite, quia non solummodo arbor, quæ fructus malos facit, sed etiam *arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur et in ignem mittetur. Securis quidem posita est ad radicem* [48] ; et arbor, sive ad *austrum, sive ad aquilonem ceciderit, ibi erit* [49]. Judicabit enim Dominus fines terræ et hominem in suis operibus comprehendet. Dum fuistis in C sæculo, nullam contra vos invidiam hostis antiquus exercuit : non enim eos impugnat, quos esse suos ex operum testimonio putat. Nunc autem, quia videt idola sua in Christi templa immutari, post amissam prædam quasi leo rugiens circuit, et ad omnes nocendi artes anxius explorator suas versutias circumducit. Quem vero de statu conscientiæ bonæ subito præcipitare non potest, quibusdam imaginationibus phantasticis latenter obrepentibus paulatim sollicitat. Nam, juxta verbum beati Job, lapides excavant aquæ, et mons cadens defluit, saxumque transfertur de loco suo, et alluvione paulatim terra consumitur [50], quia fortitudinem mentis emolliunt, et subvertunt tentationes occultæ. Anima vero a D fundamento virtutis avulsa, corruit in peccatum. Apponens itaque iniquitatem super iniquitatem, multiplicat immissiones per angelos malos, et sic de arce deposita tanquam de loco eminentiore, confligendo insurgens de misero et decepto triumphum reportat ignobilem : sic per illecebras hujus vitæ, miseri elongantur a Deo, dicentes anathema Jesu, et tandem conversos in arcum pravum, et in reprobum sensum datos mala capiunt in interitu Scitis quia vita hominis, tentatio est et militia super terram [51]. Sunt vero tentationum quædam super nos, quædam infra nos, quædam juxta nos, quædam intra, quædam extra, et omnes contra nos. Caute igitur ambulate : mundus enim plenus est laqueis, plenus insidiis, plenus periculis, atque scandalis inevitabilibus, et mortibus infinitis. Introistis claustrum ; bonum est vos hic esse, et non recedere a concilio et congregatione justorum. Amice, si claustrum egrederis, transgrederis et quasi sub jactu aleæ animam tuam ponis. Leo in janua est, ut te rapiat, et non sit, qui eripiat. Irruit ventus urens a regione deserti, si forte inveniantur paleæ, quas ad ludibrium suum rapiendo dispergat. Multiplici enim exquisitæ fraudis artificio conatur angelus apostata sanctorum congregationem transferre in theatrum, populum acquisitionis in fabulam sæculi, et scholam innocentiæ in derisum. Sit, quæso, frater, anima tua in manibus tuis semper [52]. Thesaurum incomparabilem habes in vase fictili ; dumque claustrum egrederis, drachmam, pro qua magnus ille mercator animam suam posuit, ad ancipitis aleæ discrimen exponis. Terreat te, frater, egressus Dinæ, et oppressio ejus [53]. Recole, quod Jacob domi residens benedictionem patris hæreditavit [54]. Esau vero dum foris evagatur et venatur, primogenitura patrisque benedictione et hæreditate privatur [55]. Nunquam ingrediaris sæcularium domos : nequitiæ enim in habitaculis eorum : nec Deus in domibus eorum cognoscetur. Dicas igitur cum Propheta : *Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo* [56]. Inter scorpiones habitas ; ergo juxta doctrinam Hieronymi [57], sis honestus in domo, sis rarus in populo sive in publico. Si ægrotaverit, aut obierit aliquis de parentibus tuis, non sit tibi eorum ægritudo, vel mors, egressionis occasio. Sine mortuos sepelire mortuos suos ; fallax et proditoria est affectio parentelæ. Carnalis amor extra Dei amorem cito te capiet, et affectio mundi, quæ jam in te aruerat, in perniciem animi virescet. Mortuus es mundo, et parentibus tuis, atque complantatus es similitudini mortis Christi, et vita tua abscondita est cum Christo in Deo. Noli iterum in sæculo vivere, et arma victoriæ reddere inimico. Verbum Hieronymi est [58] : Tenet hostis gladium, ut me perimat, et ego de parentum lacrymis cogitabo? Ero de parentum sepultura sollicitus, quem sollicitari oportet, ne sepeliar in inferno ? Noli, quæso, exire, quia mors in exitu est, et in limine te exspectans. Quam cito egrederis ostium, mors per oculorum fenestras ingreditur. Nullum precor habeas cum homine sæculari commercium. Qui enim tangit picem inquinabitur ab ea [59], bonosque mores prava colloquia corrumpunt, et vita reproba

—

[45] I Cor. 3. [46] Hebr. 12. [47] Eccli. 22. [48] Matth. 3. [49] Eccle. 11. [50] Job. 14. [51] Job. 7. [52] Psal. 118. [53] Gen. 34. [54] Gen. 27. [55] Gen. 25. [56] Psal. 25. [57] Hier. ep. ad Eust. *De custod.* virg. c. 11. [58] Epist. 1 ad Heliod. [59] Eccli. 13.

trahitur a convictu. Seneca ac Lucilium scribens dicit[60] : Socrati, Lælio et Catoni posset bonos mores excutere turpium conversatio frequens, et dissimilium multitudo. Verbum Apostoli est : *Non ignoramus astutias Satanæ*[61], cui ex hoc ipso datur opportuna et multiplex malignandi occasio, quia incircumcisi obsederunt vos, et habitatis quasi in medio Chananæi. Inter claustrum vestrum, et forum, modica protenditur intercapedo parietum. Habitatis quasi in medio Babylonis : et mirum, imo miraculum est, si sabbatum quietis vestræ non turbat tumultuatio popularis. Ita estis sæcularium importunitate obsessi, ut cum lamentatore propheta deplorare possitis : *Ædificavit hostis in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. Conclusit vias meas lapidibus quadris : ursus insidians factus est mihi, leo in abscondito, semitas meas subvertit, et posuit me desolatam*[62]. Habitatis in medio populi polluta labia habentis, qui vobis verbum illud derisorie frequenter adaptant : *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum*[63]. Utinam advolet unus de seraphim, et sumpto calculo de altari in eis rubiginem cordium, et scoriam purificet labiorum[64]. Vos autem circumspecte agatis, *providentes bona, non solum coram Deo, sed coram hominibus*[65], et negotio salutis vestræ vigilantius insistatis. Sit jugiter ante oculos cordis vestri timor Dei, ignis gehennæ, recordatio passionum Christi, vestrorum memoria excessuum, dies mortis, et exspectatio tremendi judicii. Audite Hieronymum dicentem : Laudet populus, luxurient homines, rumores excurrant, et dicas : *Mihi adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino Deo meo spem meam. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*[66]. Prope est, ut amatores sæculi, et sancti ordinis transgressores ab æternæ vitæ radice præcisi in exteriores tenebras detrudantur, et ab Ecclesia sanctorum perpetua excommunicatione seclusi metiantur ex intolerabili doloris augustia, quam perniciose illos deceperit appetitus transitoriæ voluptatis. Vos ergo Dei timor in via Domini lentescere non permittat, sed corda vestra excitet ad meliora incessanter, vita brevis, finis dubius, judex terribilis, flamma inexstinguibilis, vermisque non moriens, et pœna, cujus non est intermissio neque finis. Valete.

EPISTOLA CXXXV.

HUBERTI CANT. ARCHIEP. AD DECANUM, ET CAPITULUM SARISBERIENSE.]

[A. D. 1189—1200.]

Argumentum. — *Cantuariensis archiepiscopus eximit canonicum quemdam a lege residentiæ et multis de causis clericos ab ea eximi posse docet.*

H. Dei gratia Cantuar. archiepisc. totius Angliæ A primas, et apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo filiis decano et capitulo Sarisber. Ecclesiæ, salutem, gratiam et benedictionem.

Cum ubique terrarum maojribus reverentia debeatur, et maxime regi tanquam præcellenti, eos qui negotia regis aut regni procurant, fiscalis ratio seu publicæ rei necessitas a lege communi eximit, cum in omnium hominum statu vices suas sufficienter impleat, quamvis absens, qui omnium commoditatibus se impendit. Quia igitur magistri Thomæ de Esseben fides et industria multipliciter probata est in publicis regni negotiis, quandiu in talibus se exercet, nolumus, ut ipsum ad residentiam compellatis. Scitis præterea quod de singulis cathedralibus ecclesiis regni possumus eos pro B arbitrio nostro vocare in partem sollicitudinis nobis injunctæ, quos ad hoc magis expedire noverimus. Nec absurdum videtur, si nobis suffraganeorum nostrorum canonici, si membra capiti obsequantur.

Certum est quod quidam domino regi sunt necessarii, quidam nobis, quidam infirmantur, quidam in scholis militant, quidam in peregrinatione sunt, quorumdam præbendæ ad residentiam non sufficiunt (81). In omnibus his habendum est discretionis et cautelæ judicium, quatenus in singulis circa residentiæ observantiam habeatur consideratio propriæ facultatis. Si ergo pro aliquo talium scribimus, aut scripsimus vobis, ita preces nostræ apud vos efficacem obtineant locum, ut et petitiones vestræ apud nos opportuno tempore desiderabilem C sortiantur effectum. Eum enim erga vos gerimus paternæ benignitatis affectum, ut nihil vobis velimus præcipere aut petere, quod in vestri honoris redundare debeat detrimentum.

EPISTOLA CXXXVI.

AD ALEXANDRUM PAPAM.

[A. D. 1177 ?]

Argumentum. — *Henricus II, Angliæ rex, queritur de rebellione Henrici, reliquorumque filiorum contra se, et auxilium Alex. III papæ implorat.*

Sanctissimo domino suo Alexandro, Dei gratia catholicæ Ecclesiæ summo pontifici H. rex Angliæ, dux Northmanniæ et Aquitaniæ, comes Andegaven. et Cenoman., salutem et devotæ subjectionis obsequium.

D In magnorum discriminum angustiis, etc. *Vide inter variorum ad Alexandrum epistolas post ipsius Regesta, Patrologiæ t.* CC.

EPISTOLA CXXXVII.

AD M. ALEXAND. DE S. ALBANO.

Argumentum. — *Gratulatur M. Alexandro novitio, de ingressu in religionem : hortatur ut fortiter ferat novum obedientiæ jugum, et insolitum rigorem disciplinæ : mundo perfecte moriatur et sibi.*

Dilecto et prædilecto socio et amico M. Alexandro

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(81) Videtur hoc dictum propter Petrum Blesensem, qui se excusarat a residentia Ecclesiæ Sarisberiensis, cujus erat canonicus, ob tenuitatem redditus, ut scribit epist. 133.

[60] Ep. 7. [61] II Cor. 2. [62] Thren. 3. [63] Psal. 105. [64] Isai. 6. [65] Rom. 12. [66] Psal. 72.

de S. Albano, M. Petrus Bles. Bath. archid., salutem, et de mundo triumphum.

Totis medullis animæ conversioni et conversationi vestræ congratulor. A prima enim vestri notitia dilexi vos, non ad faciem, non ad quæstum, sed pro virtutibus vestris in Domino virtutum. Litteratura siquidem vestra, et famæ commendabilioris celeberrimus odor multos vobis conciliavit ad amicitiam, salva Tullii sententia, qui in libro *De amicitia* scribit, vix a pluribus sæculis quatuor amicorum paria exstitisse. Hodie vero amici multiplicati sunt super numerum. Charitas enim diffusa est in cordibus nostris, quæ sola est veræ amicitiæ condimentum. A diebus itaque nascentis Ecclesiæ cœpit dilectio multiplices affectionum propagines in unitatem mentium dilatare, ut jam tunc *multitudinis* B *credentium* esset *cor unum, et anima una*[67]. Gratias igitur ago Deo, qui vos de medio pravæ ac perversæ nationis eduxit, ut odio habeatis ecclesiam malignantium, et lavetis inter innocentes manus vestras, quæ de fæditate sæculi multiplices maculas contraxerunt. Gaudeo plane quia mirabile et imitabile omnibus præmisistis religionis auspicium. Diu enim ante conversionem vestram desiderabili multis reditu abjecto, abjectus esse in domo Domini elegistis. Honorem magisterii, laudemque hominum, et inanem hujus sæculi lætitiam exspuisti, ad lætandum in lætitia gentis, quam Christus hæreditavit, ut laudetur cum hæreditate sua.

Posuisti, amice charissime, pedem tuum in via recta, imo pedes tuos sapientiæ compedibus injeC cisti[68]. Vide ne acedieris a vinculis ejus. Manum tuam misisti ad fortia, ut regno cœlorum vim inferas, et in hæreditatem sanctorum violenter intrudas, nimirum, per adoptionem factus es Dei filius, et cohæres Christi. *Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*[69]. Secure jam dicas: *Dominus pars hæreditatis meæ: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Propterea *funes ceciderunt tibi in præclaris: etenim hæreditas tua præclara est*[70]. Beatus es ergo, cujus portio et hæreditas Deus est. Adhuc tamen, dum novitius, dum parvulus es, non differs a servo, cum sis dominus omnium, sed es sub tutoribus, et curatoribus, usque ad tempus præfinitum a Patre[71], tempestive mittendus in plenariam possessionem æternæ hæreditatis. Moneo igitur in visceribus Jesu Christi, ut te non deterreant D conversionis primitiæ, novum obedientiæ jugum, inconsuetus ordinis rigor, et austeritas disciplinæ. Quidquid asperum nunc videtur, obedientia sibi convertet ad lucrum; et quæ nunc amariora sunt, usu mediante dulcescent. His enim, qui de tenebris progrediuntur ad lumen, lux in primis molesta est, donec oculi lumini assuescant. Inter dura et aspera tibi solatio sit illud propheticum: *Propter verba la*A *biorum tuorum, ego custodivi vias duras*[72]. Expedit tolerari dura, ne veniant duriora. Quod si murmuraveris, si detrectaveris obedientiæ jugum, in vano accepisti animam tuam. Insuper, et quod tibi durum est, nec inobedientia, nec murmuratione mollescet. Si pro regno cœlorum nunc sustines gravia, scias graviora fuisse quæ nuper pro quæstu transitorio. nec sine discrimine animæ sustinebas. Quia ergo testimonio B. Petri filii obedientiæ castificant corda sua[73], vince per obedientiam bestialium motus affectuum, quia, juxta verbum Salomonis, *vir obediens loquitur victorias*[74]. Vincit enim mundum, diabolum et seipsum. Obedientia, quæ Filium Dei decuit, non sit tibi, quæso, dedecori: *non est* enim *servus major domino suo*[75]. Hoc igitur in te sentias, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit, et usque ad pœnam et ignominiam crucis cursum obedientiæ limitavit[76]. Tu vero cohumiliatus et conpauperatus Domino majestatis vagum et liberum tuæ voluntatis arbitrium subjice pro eo gratuitæ servituti. Si recolas quanta sustinuerit pro te, etsi millies te pro eo dare posses ad mortem, non sufficeres tamen ad paria respondere. Magna tibi fecit, qui potens est, et æstimatio tanti beneficii compensationis vicem non recipit. Fatiscant igitur membra vigiliis, exterminentur jejuniis, labore frangantur, liquescant in lacrymas oculi, imo si totum cerebrum et medullæ corporis in fletum effluant, non sunt tamen condignæ passiones hujus sæculi ad gloriam, quæ quidem acquiri potest[77]; æstimari autem aut compensari non potest. Quid enim retribuet pulvis et vermis Domino gloriæ, qui prp eo animam suam in morte conclusit, ut beatitudine frueretur, quam nec oculus vidit, nec auris audivit?[78]

Attende igitur sollicitus, quantum Domino tuo debes, et dum in profectu es, nunquam te perfectum existimes. *Non quod jam apprehenderim, aut perfectus sim*, dicit Apostolus; *sequor autem, si forte comprehendam, in quo comprehensus sum. Unum autem, quæ retro sunt oblitus, ad ea, quæ priora sunt, me extendo, sequens ad bravium supernæ vocationis in Christo*[79]. Attende igitur tuæ vocationis initia, ut scias, quæ a Deo donata sunt tibi. Gloriosum donum Dei est, divitias et delicias hujus sæculi abdicasse. Quis sapiens cognoscet hæc? et intelliget misericordias Domini; qui perversos tam pie convertit, et pro substantiola hujus vitæ, divitias salutis æternæ retribuit. Ita ergo mundum evomas, ut non revertaris ad vomitum. Ita tibi sæculi moriatur affectus, ut nunquam tibi deinceps ad desiderium recidivet: teque ita configures, et complantes similitudini mortis Christi, ut sis mortuus mundo, mortuus a corde tuo, et vita tua feliciter abscondatur in Christo. Conversionem

—

[67] Act. 4. [68] Eccli. 6. [69] Rom. 8. [70] Psal. 15. [71] Gal. 4. [72] Psal. 16. [73] I Petr. 1. [74] Prov. 21 [75] Matth. 20. [76] Philipp. 2. [77] Rom. 8. [78] I Cor. 2. [79] Philipp. 3.

eorum damnabilem reputa, qui pro claustro sæculum deserunt, et in claustrum mores sæculi deferunt; pro Christo modicas facultates despiciunt, et contra Christum spem majorem concipiunt. Sub temporalium contemptu cupiditas intensior latet: ignis enim dum tegitur, vehementius ardet.

Parum itaque tibi sit renuntiare divitiis, nis renuntietur et vitiis, quia minus periculosum est esse divitem Christi, quam pauperem Antichristi. Omnes itaque angulos cordis tui revolve, scrutare, et ab eis rejice quod a sæculo contraxisti. Vetus homo crucifigatur in te cum actibus suis, ut destruatur corpus peccati, et in quamdam novitatis infantiam renascaris. Dedit tibi Dominus exercitatos sensus, et gratiam scientiæ præeminentis. Credo autem quod et spiritum Dei habeas. Nemo autem dicit anathema sæculo, nisi in spiritu Dei. Quanto igitur melior es, tanto vigilantius caveas astutias Satanæ, qui non magni facit, si devoret simplices: cibus enim ejus electus [80], nec miratur, si absorbeat fluvium, sed habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. *Accedens* igitur *ad servitutem Dei præpares animam tuam ad tentationem* [81], recolens qualiter vocaverit Dominus populum Israel, prius per blandimenta signorum in Ægypto, deinde per patientiam tentationum in deserto, postea in subjectione populorum, et pace impleta est eis divina promissio. Sic hodie offert Deus quædam dulcia et blanda sanctæ conversionis initia, postea certamina tentationum, demum securam in Christo quietem et pacem, *quæ exsuperat omnem sensum* [82]. Levasti te supra te, ut videas quam suavis est Dominus, ut in die bona Domini, cum audieris vocem spiritus tanquam susurrium, et sibilum tenuis auræ quodam defæcati cordis affectu, quasi de ligno vitæ spirituales colligas fructus. *Sunt* autem *fructus*, teste Apostolo, *charitas, gaudium, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* [83]. In his fructibus recepisti, Christi miles, arrham cœlestis gloriæ habentem promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ. In his delibando prægusta quasdam experientias hujus sæculi, felicesque primitias visionis æternæ. Quibusdam itaque desideriorum pennis advolat, et usque in jubilæas amœnitates, usque in faciem dilecti per excursus contemplationis excurrit. Sic subito a se rapitur, ut jam vivat, non in se, sed in Christo, unus cum eo spiritus existens, soloque hujus mortalitatis obstaculo differens a Sanctis sanctorum, quadam ineffabili sed momentanea suavitate fruitionis exsultat, et in guttula deliciarum cœlestium experitur, quam inæstimabilis sit eorum beatitudo, quorum desideriis torrens æternæ voluptatis inundat. Quia ergo vocavit te Deus, ut curras in odorem unguentorum suorum [84]: *Ego vir videns paupertatem meam* [85], clamo ad te: *Trahe me post te* [86]: *infixus sum in limo profundi*, sed ora, *ne absorbeat me profundum, ne me demergat tempestas, ne urgeat super me puteus os suum* [87]. O dulcedo cordium, Deus animarum, suavitas et gloria te diligentium, spes mea a juventute mea; aufer a me cor incircumcisum, cor coagulatum, cor lapideum: da mihi cor carneum, cor novum, cor humile et contritum: inspira mihi amorem tui, contemptum mundi, peccati odium, et perseverantiam pœnitentiæ, quam nec prærumpat mors, nec morbus anticipet donec cum miseratio continuet ad profectum. Vale.

EPISTOLA CXXXVIII.

[AD WALTERUM ROTHOMAG. ARCHIEPISCOPUM (82)].

[A. D. 1197.]

ARGUMENTUM. — *Congratulatur W. Archiepiscopo de reditu ab exsilio, et pace Rothomag. Ecclesiæ reddita. Causam reddit cur justi affligantur, monetque ut pacem Deo auctori adscribat.*

Dilecto et prædilecto domino suo GUALTERO Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, suus PETRUS Blens. Bathon. archidiac. salutem, et si quid dulcius aut desiderabilius est salute.

Cujusdam novi operis occupatione sollicitus, vix ad scribendum epistolam stylum moveo; movet tamen et excitat obedientia lentescentem, invitat amor, et compellit imperiosa devotio. Devoto siquidem et anxio compassionis affectu revolvo frequenter, quam viriliter pro testamento Dei vestram animam posuistis, et exposuistis discrimini, vestros parentes exterminio, familiares proscriptioni, possessiones rapinæ, famam ludibrio. Quidam vero, qui vobis et ecclesiæ vestræ professionis vinculo tenebantur astricti, jacturam mundanæ supellectilis pusillanimiter exhorrentes, pro compendio temporali libertatis ecclesiasticæ titulum distraxerunt, subjicientes te ultronæ servituti. Nam si annus remissionis eis millies offeratur, præeligent suas aures subula perforari [88]. Sic adversitatis irruente pro-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(82) De eo vide quæ dicta sunt ad epist. 124. Quibus addendum est, quod cum Walterus in Alemannia pro negotio Richardi regis versaretur, gravis discordia inter canonicos et populum Rothomagensem exorta est, ita ut plurimis injuriis damnisque affecti sint clerici, ecclesiæ spoliatæ, multæ ædes canonicorum dirutæ. Unde a tribus suffraganeis Rothomagensis Ecclesiæ episcopis auctoritate et consensu Walteri excommunicati sunt cives Rothomagenses, nec ante absoluti, quam illata Ecclesiæ damna plene resarcirentur. Habentur de hac excommunicatione instrumenta Cœlestini III papæ in fine *Appendicis ad notas*. Quibus etiam adjunximus quasdam alias chartas ejusdem Walteri, sicut et concilium Rothomagense, quod initio pontificatus ipsius habitum est. Quæ omnia quoniam tardius in nostras manus venerunt, ad hunc locum rejicere coacti sumus, cum proprie pertineant ad epistolam 124.

—

[80] Habac. 1. [81] Eccli. 2. [82] Gal. 5. [83] Philipp. 4. [84] Cant. 1. [85] Thren. 3. [86] Cant. 1. [87] Psal. 68. [88] Exod. 21.

cella subornata simulatio dilectionis hypocritæ apparens, et non existens inventa est. Metientes enim ex fortuna personam conversi sunt in arcum pravum pariter cum eis, qui supra dorsum innocentiæ fabricabant. Sed juxta verbum beati Job [89], *lampas contempta apud cogitationes divitum parata est ad tempus statutum*, atque lucerna diu pressa et obtenebrata sub modio totum occidentem serenius et gloriosius illustravit. Sane, si esset in eis, quæ omni Christiano debetur affectio, reverentiæ impensioris officium pastori debebatur afflicto. Quanto indigniora innocens tolerabat, tanto uberioribus obsequiis et honoribus dignus erat. Beatus equidem Job [90] gloriosor erat in sterquilino jacens, quam circumsedente exercitu in solio sedens. Reputabant vos sua subjectione indignum, qui ex ipsa persecutionem vestram pensare debuerant dignitatem. In omni enim dignitate nihil est dignius quam pro ecclesiastica libertate honoris abjectio et contemptus.

Solus itaque ascendistis ex adverso, et opposuistis vos murum pro domo Israel. Clamastis, et non erat, qui exaudiret; circumspexistis, et non erat, qui adjuvaret. Sic imitator fortissimi Aod judicis Israel ambidextri [91], per prospera et adversa, per infamiam et bonam famam, a dextris et a sinistris protectus scuto bonæ voluntatis a Domino vestros labores consummastis ad fructum. Vere turris fortissima nomen Domini ; quis enim speravit in Domino, et confusus est ? permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te, Domine. Tu enim consiliarius in duris, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, in prosperis custos, consolator in adversis. In prima siquidem peregrinatione vestra, sicut sæpius vobis scripsi, præsagiebat animus meus felicioris eventus auspicium, fixum habens, quod perseverantia vestra continuaret opus assumptæ fortitudinis ad triumphum. Sic animos electorum Dominus flagellis interrogat; sic relinquuntur a Domino Chananæus, et cæteræ gentes, ut Israelem in eis erudiat. Duo enim nos affligunt, vitia et flagella. Per illa cognoscimus quid de nobis simus ; per ista, quid de mundo sperare possimus. Flagellat autem Dominus justum, flagellat et impium. Nam de flagello impii, dicit Dominus per prophetam : *Plaga impii percussi te, et castigatione crudeli* [92]. Et rursum : *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est plaga tua* [93]. Justum vero ideo flagellat Deus, et tam prospera quam adversa circa eum paterna moderatione dispensat, ut homo se cognoscat, ut suos excessus corrigat, ut alios suo exemplo deterreat, ut virtus hominis innotescat, ut vexatio det intellectum ad cautelam, cautela vero ad coronam et gloriam

A cedat. Unctione vero magistra, quæ docebat vos de omnibus, Deus a primo peregrinationis exordio vos instruxit, et in lapide adjutorii cor vestrum stabiliens, vos ad omnium injuriarum tolerantiam conquadravit. Tutius equidem excipit contumelias, qui scuto patientiæ se præarmat. Hujus virtutis efficacia est, ut si quid durum accesserit, fortiter illud suscipiat ; quod non accesserit, lucrum æstimet, et inter dura se durioribus dignum putet.

Sunt ergo plurimi, qui hanc regni et Ecclesiæ pacem vestris ascribunt meritis propter verbum illud Salomonis : *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos etiam illius convertet ad pacem* [94]. Vos autem cautius et vigilantius providete, ne abroget ingratitudo, quod gratia prærogavit. Omnia, quæ B vobiscum misericorditer operatus est Deus, ei referatis ad gloriam, et non vobis. Absit enim ut sortem habeatis cum his, qui quandoque dicebant : *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia !* [95] Non ergo in arcu vestro speretis, quia gladius vester non salvabit vos, sed Dei dextera et brachium suum, et illuminatio vultus sui [96]. Optimum est ei, qui in alto positus est, non altum sapere, sed timere. *Beatus enim, qui semper est pavidus* [97]. Ubique vero periculosa est securitas ; ideo sanctus Job [98] omnia opera sua verebatur ; qui, cum esset deditus sacrificiis, humilitati, hospitalitati et eleemosynis ; justus, rectus, timens Deum, licet eumdem ad plenum Domini flagella purgas-C sent, suum tamen recogitans imperfectum dicebat : *A facie Domini turbatus sum, et timore sollicitor* [99]. Sane securitatis filiæ sunt, negligentia, ingratitudo, elatio. Hæ induxerunt regem David [100], ut numeraret populum suum, conversumque est ei, et universo populo Israel in singultum. Hæ regem Ezechiam [1], quem honoraverat Dominus regressione solis et fuga Sennacherib, subverterunt, ut nuntiis Merodach Baladan filii Baladan regis Babylonis [2], ad inanem gloriam ostentaret domos aromatum, aurum et argentum, pigmentaria et unguenta, et audivit in continenti divinæ animadversionis tonitruum. Terreat vos exemplum filiorum Job [3], quos in domo fratris sui majoris convivantes et lætantes Satan interfecit : quod hodie spiritualiter impletur D in his, qui prælati sunt aliis ad custodiam disciplinæ, si hostis occultus eos inani lætitiæ vacare cognoverit. Nulla ergo vobis obrepat securitas, sed servite Domino in timore, vestrosque cogitatus jactate in eum, cui *adhærere bonum est* [4], ponere in Domino Deo spem suam, et horrere abominabiliter, quidquid ad pompam pertinet sæcularem. Stabilite ergo cor vestrum in exercitio spirituali, in obsequio ejus, qui nubilum persecutionis, quo denigrata, sed formosa erat Ecclesia, serenavit ; qui inter pressuras eidem ex ipsis injuriarum malleis

[89] Cap. 12. [90] Cap. 2 et 29. [91] Jud 3. [92] Jer. 30. [93] Ibid. [94] Prov. 16. [95] Deut. 32. [96] Psal. 89. [97] Prov. 28. [98] Cap. 9. [99] Job 23. [100] II Reg. 24. [1] Isa. 38. [2] Isa. 39. [3] Cap. 1. [4] Psal. 72.

coronam gloriæ fabricavit. Nimirum, beato Hilario teste [5], proprium est Ecclesiæ, ut tunc intelligat, cum arguitur; tunc obtineat, cum superata videtur; tunc liberior surgat, cum ejus liberatio desperatur. Nam et arca Noe invalescente diluvio tollitur in sublime [6]; et arca fœderis humiliata Dagon confregit et Philisthæos in posteriora percussit [7]. Quia igitur humanæ conditionis est dolore cum dolentibus, gaudentibus congaudere et vestræ persecutioni anxios compassionis affectus impendi, totis medullis animæ congratulor vestræ paci.

Villa siquidem Andelia, quoties erumpebat seditio inter reges, primos excipiebat houtilitatis incursus (83), obnoxia jugo rapinæ et incendio; sed nunc posuit Dominus fines vestros pacem [8], atque rerum vestrarum summan collocavit in tuto. Præterea suscepit ecclesia vestra non minimum sui redditus incrementum. Inquirentes enim Dominum non minuentur omni bono, sed semper faciet Deus, etiam *cum tentatione, proventum* [9]. Venistis itaque

A portantes pacem et illuminantes patriam; et utinam fiat pax in diebus vestris! Sed pax vera pax Dei, quam nemo potest dare; non illa, de qua dicitur: *Pax, pax, et non est pax* [10]; nam *in pace* hujusmodi, *ecce amaritudo amarissima* [11]. Quæ est enim hæc pax, si quiescit ancilla, et domina sub jugo gravi et degeneri ancillatur? Quæ utilitas, quod caro a tribulatione malorum et dolore respirat, si nobili animæ, pro qua Christus mortuus est, malorum totam sollicitudinum labyrinthus immittat? *Quicunque Spiritu Dei aguntur*, teste Apostolo, *hi sunt filii Dei* [12], ideoque et filii pacis. Ubi enim pax, ibi Deus. Nam *in pace factus est locus ejus* [13], ipsiusque testimonio *pacifici filii Dei vocabuntur* [14]. Annuntiavit vobis Dominus annum placabilem, pacem suam dedit, pacem suam reliquit vobis, alteram foris,
B alteram vero intus. Agnoscite, quæ a Deo donata sunt vobis, et utimini beneficio pacis indultæ, quia sunt reliquiæ homini pacifico Indignum plane omnino est et absurdum, ut prænobilis anima deputata

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(83) De Andelia sive Andeleio, sive Andeliaco dixi jam ad epist. 58. Fuit autem hic locus, ut notat Blesensis, frequens occasio malorum, dum inter se bella gererent Franciæ et Angliæ reges; nempe, quia erat in confinio terrarum regum illorum. Erat tamen de dominio regis Angliæ. Unde causa fuit novæ dissensionis inter Richardum regem et Walterum archiepiscopum. Cum enim locum illum munire contra frequentes Francorum excursus vellet Richardus, Walterus quia magnum exinde Ecclesiæ suæ (cujus patrimonium erat Andelia) detrimentum emersurum asserebat, fortiter obstitit, cumque vi cedere cogeretur, ad sedem apostolicam confugit, coram Cœlestino III causam suam peroraturus. Prius tamen totam Northmanniam interdicto subjecit, ut habent Rogerius Hoveden, ad ann. 1196, Matth. Paris, et alii. De eodem interdicto sic legitur in Chronico manuscripto quod mihi benigne communicavit V. Cl. Carolus Baron. presbyter Parisiensis: « Anno 1196 interdicta est civitas Rothomagensis, et tota Northmannia, pro castro, quod Ricardus rex illustris firmavit in rupe Andelli, contra dignitatem Rothomagensis Ecclesiæ, episcopis contradicentibus et inobedientibus ut regi placerent. Archiepiscopus autem exsul ad curiam Romanam profectus est, et Lexoviensis episcopus et Ebroicensis (*a*) contra ipsum, ut causam ejus ad nihilum perducerent si possent, sed spe sua et voluntate frustrati sunt. » Sed et tres episcopi Eliensis regni cancellarius, Lexoviensis, et Dunelmensis electus a Richardo ad summum pontificem pro tuenda causa sua missi sunt. Quorum primus in itinere obiit, ut dixi ad epistolam 87. Qua de re legendus Radulfus de Dicero ad an. 1198, ubi et habentur litteræ Walteri ad eumdem Radulfum amicum suum, quibus totam peregrinationis suæ causam ipsi exponit. Referunt autem Neubrigensis lib. v *De rebus Anglicis*, cap. 27; Hoveden parte II *Annal.* et alii. Cœlestinum papam pensatis etrinque rationum momentis, hortatum fuisse Walterum, ut regi suo reconciliaretur, et de Aadelera cum eo transigeret. Unde Walterus brevi in Northmanniam reversus, cum Richardo pacem iniit, villam Andeleiam cum aliis opulentioribus possessionibus feliciter commutavit. De qua commutatione ita *Chronicum ms.* supra citatum: « Anno 1197, per assensum domini papæ et Ecclesiæ Rothomagensis, recepit Walterus archiepiscopus excambium pro Andeleio. Et episcopi, qui prius inobedientes, fuerant
C suspensi, venerunt ad pedes ejus postrati in processione solemni in festo Conceptionis B. Mariæ virginis, mitris et baculis pastoralibus redditis in manu ejus, et ipse misericordia motus eis gratiam suam et officium reddidit. Quodnam autem fuerit illud excambium, specialius refert Trevetus in *Chronico ms.* ad an. 1197, his verbis: « Attendens autem Richardus rex villam Andeleiam et quasdam villas alias adjacentes ad jus Ecclesiæ Rothomagensis pertinentes hostium irruptionibus nimium opportunas, commutationem fecit cum archiepiscopo et dicta Ecclesia, dans pro dictis villis molendina sua apud Rothomagum: ita quod archiepiscopus solvat eleemosynas de eis ab antiquo statutas, villam de Diepe [*Dieppe*], et villam de Busselles, ita quod solvat in eleemosynam assignatam trecentas septuaginta duas libras Andegavensis monetæ. Dedit etiam eis manerium de Louers [*Louviers*], et forestam de Alexmund [*Aliermont*] cum feris et omnibus pertinentiis
D aliis. » Eadem prorsus habet Thomas de Walsingham in *Hipodigmate* Neustriæ. Ita fere Rogerius, Matthæus Patris, Bromton et alii. Forma autem pacis et compositionis inter Richardum regem et Wallerum archiepiscopum omnino habetur apud Radulfum de Diecto, ut et confirmatio ejusdem excambii facta ab Innocentio III summo pontifice.

Cæterum de possessionibus illis quæ pro Andeleia datæ sunt Ecclesiæ Rothomagensi, Walterus decimam assignavit capitulo Rothomagensi, ut habet *Chronicum ms.* Northmanniæ, his verbis: « Anno 1199, Walterus archiepiscopus dedit capitulo Rothomagensi decimam de Diepa. » Hujus donationis instrumentum infra legitur in *Appendice chartarum.*

Ex omnibus supradictis apparet, hanc epistolam scriptam esse anno Christi 1197, quo excambium illud factum est.

(*a*) Error amanuensis; nam apud omnes historicos habetur *Eliensis.*

[5] Lib. VII *De Trin.*. [6] Gen. [7] I Reg. 5. [8] Psal. 147. [9] I Cor. 10. [10] Ezech. 13. [11] Isa. 38. [12] Rom. 8. [13] Psal. 75. [14] Matth. 5.

Sponsi cœlestis amplexibus, oblita suæ originis, et illius, cujus imago est [15], ad mechanicos rapiatur affectus. Frequentius igitur exeatis in agrum cum Isaac ad meditandum [16], descendite in hortos aromatum, ut gustetis spirituales delicias, et gratissima colligatis lilia gaudiorum. De ligno vitæ percipite spirituales *fructus*, qui, teste Apostolo, *sunt : charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* [17]. Istorum fructuum sunt quasi accessio et sequela, reverentia Deum diligentis, diligentia eum quærentis, sapientia eum invenientis, devotio tenentis, gaudium perfruentis. Quiescite igitur inter medias sortes, inter præamabiles Pachelis amplexus [18], ibi *vacate, et videte, quam suavis est Dominus* [19], et ab uberibus desideratæ quietis nullus negotiosæ vitæ strepitus vos avellat. Thesaurum conscientiæ bonæ cautius abscondatis, præfigentes eidem titulum, hoc impressiore sigillo signatum : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [20]. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat* cor vestrum, et intelligentiam vestram [21], ut sit animæ vestræ forma pulchritudinis et signaculum sanctitatis, ut repleat in bonis desiderium vestrum Deus cordis vestri, *et pars* vestra *Deus in æternum* [22].

EPISTOLA CXXXIX.

AD R. ABBATEM ET CONVENTUM CICESTRENSEM.

ARGUMENTUM. — *Implorat monachorum preces, ut digne sacerdotio initiari possit, causasque reddit, cur hactenus illud refugerit.*

Reverendo Patri et domino R. Dei gratia abbati Cicestrensi, totique conventui ejusdem ecclesiæ, PETRUS Blesensis Bath. archid., salutem in auctore salutis.

Diu pulsatus sum precibus, consiliis et monitis amicorum, ut in sortem sacerdotii transiens, ei, cui servire regnare est, impenderem debitæ obsequium servitutis. Reluctatus tamen hactenus sacerdotium distuli ; in eo enim consideravi opera mea, et expavi. Quis enim etiam perfectissimus non formidet se divinis immiscere arcanis, se illius ineffabilis sacramenti exhibere ministrum, quod Spiritus sanctus conficit, cui angeli humili famulatu assistunt, quo divinis terrena junguntur, et quod in assumpti corporis unionem recipit divinæ præsentia majestatis ? Reverendo vertici Christi manum impositurus Baptista contremuit [23], princeps apostolorum miraculosa piscium captione perterritus : *Recede*, inquit, *a me, Domine, quia homo peccator sum* [24], seque introitu Christi centurio putabat indignum [25]. Qua igitur fiducia meritorum, qua mentis audacia contrectare præsumam vitam animarum, pretium
A mundi, angelorum panem ? ubi, quanto dignior et eminentior est hujus ministerii gradus, tanto gravius imminet ex ipsius dignitate discrimen. Misericordiæ Domini multæ, quia non sum consumptus. Utquid igitur contra prohibitionem sapientis mittam me in peccata populi, et aggregabo mihi peccata duplicia ? [26] Huc accedat innocens manibus et mundo corde ; vocatus a Domino tanquam Aaron, quem elegit ipsum. Nam, etsi a corpore meo prohibeantur actus illiciti, de spurcissimo tamen corde, quasi de sentina scatente cogitationum fœditas velut aura corrumpens exhalat. Denique vereor, ne cum debeam aliis in tempore iracundiæ fieri reconciliatio, prurientis conscientiæ impostura mihi, et aliis obnubilet serenissimam
B Christi faciem, et usurpati ausus officii, nobis sacrificium in sacrilegium, et vitam convertat in mortem.

Tu igitur, gloriose et semper glorificande Jesu, non secundum miseriam meam, sed secundum misericordiam tuam operare in me velle et perficere, quod beneplacitum sit in oculis tuis, nec de meis excessibus tua judicia æquilibres. *Si* enim *iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* [27]? Volens itaque redimere dies meos, quos perdidi, quia perniciose et perdite vixi, disposui jugo Domini cervicem supponere, laxiores vitæ salutare licentias, et cum essem liber, in omnibus omnium servus esse. Tu vero, Domine, clementer aspira, confirma quod in me trepidat, quod frigescit accende, quod nutat consolida, doce quod desipit,
C erige quod desperat, alliga quod vagatur, quod superbit humilia, excita quod lentescit, illumina quod caligat. Vos etiam, dilecti domini et amici mei, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, ut ordinetis testamentum ejus, super sacrificia, ut Deo placabiles hostias immoletis, quos ipse fons charismatum copiosius irrigavit, ut jam in vobis virtutum flores erumpant in fructum ; vos, quos sibi constituit genus electum, regale sacerdotium, ut sitis corona gloriæ in manu Domini, et diadema in manu Dei nostri ; vos, inquam, obsecro per misericordiam Christi, succurrite mihi precibus, adjuvate me votis, ne sub mole importabilis sacrinæ succumbat infirmitas vacillantis. Exigitur a me conscientia pura, vita immaculata,
D fama integra, ut sim Christi bonus odor in omni loco. Hæc autem non merita hominis, sed illius sunt munera, *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* [28], cujus larga et effusa benignitas dives est omnibus invocantibus eum. Tribuit enim abundanter, et non improperat, justificans impium gratis [29], ut *ubi superabundavit* peccatum, *superabundet* et *gratia* [30]. Omnium siquidem meritorum

[15] Gen. 1. [16] Gen. 24. [17] Gal. 5. [18] Gen. 29. [19] Psal. 45. [20] Isa. 24. [21] Phil. 4. [22] Psal. 72. [23] Matth 3. [24] Luc. 5. [25] Matth. 8. [26] Eccli. 7. [27] Psal. 129. [28] Rom. 4. [29] Rom. 3. [30] Rom. 5.

suffragio destitutus post Deum, in vobis jeci et locavi meæ fiduciæ fundamentum; certissime sciens quantum etiam in meritis fides, vel oratio proficiat aliena, cum ejus efficaciam in filia Chananææ [31], in Lazaro [32], in puero centurionis et reguli [33], cæterisque quampluribus frequenter evangelizet Ecclesia. Sane in Christo omnes unum sumus, et ex uniformi connexione membrorum ecclesiæ consistens integritas indicit omnibus mutuæ communionis regulam, et indivisos charitatis affectus. Adjuro itaque vos in unitate fidei, in sanctorum communione, et in unius confessione baptismi, ut imperfectum meum videant oculi charitatis vestræ et orationibus vestris supportetis infirmum, quem oneris magnitudo deterret. Apud Christum nunquam alicui deficit, quod per eum alii proficit; crescit enim gratia ex impendio, et lecythus olei tanto plenius exuberat, quanto copiosius ex ipso mater virtutum charitas, vasis quæ offeruntur infundit. Vestra igitur oratio nunquam in terram vacua cadit; quia, etsi non prosperatur ei pro quo mittitur, saltem in sinum revertitur supplicantis. Noveritis autem, quod ab ineunte ætate semper in scholis aut curiis militavi. Scholasticus vero labor licet sit inefficax ad salutem, quædam tamen in eo mundana honestas est, et innocentia sæcularis. At, quidquid in curiis agitur, fere peremptorium est salutis, ambitiosum, adulatorium, fictum, detractorium, subdolum, invidum, crudele et impium, et generaliter temporalis quæstus, et inanis gloriæ venativum.

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis [34]. Ecce enim tabernaculum Dei cum hominibus, instar illius quod Moysi in monte ostensum est. Hic primum altare est æneum, cor scilicet contritum et humiliatum, in quo bestiales animi motus, et actus irrationales pœnitendo mactantur. Secundum altare ab omni æris rubigine alienum, auro rutilat charitatis. Nihil in eo carnale offertur, cum jam offerentis conversatio sit in cœlis [35], cujus hostia est mens sancta, devota oratio, gratiarum actio et vox laudis. Ad altare tertium, quod potius est propitiatorium, quam altare, et non solummodo sanctum est, sed etiam Sancta sanctorum, dulci affectu pura et defæcata intentione intrat sacerdos cum sanguine, jam verum sanguinem Agni immaculati offerens, et communicans passionibus Christi. Unde frequenter quadam beata exstasi exiens a se, et transiens in dilectum, unusque spiritus factus cum eo intra quasdam divinæ suavitatis experientias officium propitiatoris exsequitur, dum per eum quasi per quemdam mediatorem Dei et hominum [36], his pro quibus ad Deum intercedit, fructus propitiationis

A ex illa fruitione beata, sed brevissima obtinetur. His indignum me judicans, totus a vobis pendeo, totus vobis innitor. Rogate Dominum unctionis, ut ungat me oleo misericordiæ suæ; unctio enim docet de omnibus [37]; ipsa me doceat facere voluntatem Dei, captivare totum intellectum meum in obsequium Christi, fungi sacerdotio, et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

EPISTOLA CXL.

AD PETRUM CLERICUM REGIS ANGLIÆ.

ARGUMENTUM. — *Hortatur Petrum diaconum, ut repudiato studio jurisprudentiæ, quod multis perniciem affert, totum se tradat theologiæ sacræ et divinarum litterarum lectioni, vitamque convenienter ordini suo instituat. Habes hic luculentum dogma de S. Eucharistia.*

B M. PETRUS Bles. Bathon. archidiac. dilecto socio et amico suo magistro PETRO clerico domini regis Angliæ salutem in eo, sine quo non est salus.

Divisus es, et cor tuum in diversa distrahitur; varia enim deliberationum fluctuatione raptus, hæsitas, utrum ad scientiam legum vel ad exercitium sacræ paginæ te convertas. In hac perplexitate distinguit finis intentio; tendis enim ad unum propter vanitatem sæculi, ad alterum propter veritatem Dei. Æmulare ergo consilio apostoli charismata meliora [38], et in corde tuo devoret draco Moysi draconem Pharaonis [39], id est veritatis scientia scientiam vanitatis. Non enim *ascendet in mentem Domini,* neque *stabit in loco* C *sancto ejus, qui in vano accepit animam suam* [40]. Scitis quia *lex Domini lex immaculata* est, *convertens animas* [41]. Justiniana vero pervertit multos, et gehennæ filios facit. Quod sub quodam ænigmate propheta insinuans: Vocavit, inquit, *judicium ad ignem, et devoravit abyssum multam* [42]. Quod tunc evenit, cum judices de profunditate civilis scientiæ præsumentes contra se provocant Dei judicium, et iram divinæ animadversionis incurrunt. Vides, quam imperscrutabilis abyssus, quam dumosa silva, quam immeabile pelagus sit Pandecta, in qua civile jus continetur: cui tota ætas hominis non sufficit, cujus fructus totus in elatione et ambitione consistit. Verbum autem abbreviatum fecit Dominus super terram, ut propter scientiam salutis et vitæ, jam te D transalpinare non oporteat, aut maria transmeare. Nam, sicut in Deuteronomio legitur, *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo* [43]. Et apostolo teste: *Regnum Dei intra nos est* [44]; quod non in sermone, sed in virtute Dei consistit. Duo sane sunt, quæ hominem ad legum scientiam vehementer impellunt, ambitio dignitatis, et inanis gloriæ appetitus. Hi sunt Rechab et Baana, quæ Isboseth dormientem percutientes in inguine occiderunt [45]. Lege

[31] Joan. 11. [32] Matth. 8. [33] Joan. 4. [34] Psal. 41. [35] Phil. 3. [36] I Tim. II. [37] I Joan. 2. [38] Rom. 12. [39] Exod. 7. [40] Psal. 23. [41] Psal. 18. [42] Amos. 7. [43] Deut. 30. [44] Luc. 15. [45] II Reg. 4.

ergo quod ordini, quod professioni tuæ conveniat, quod ab ambitionis æstibus animum tuum revocet, quod vanitates et insanias falsas procul a cordis tui affectione releget, ut in timore Domini, qui est initium sapientiæ, ad spiritualem intelligentiam, in qua est animæ salus, diligens et devotus assurgas. Arripe, quæso, arma spiritualia, quæ, teste Apostolo, captivant totum intellectum hominis in obsequium Christi [46]. Assume *gladium spiritus, quod est verbum Dei* [47]. Hæc sunt arma David, quibus expugnaturus Goliath, arma Saulis graviora rejecit. Hæc est Sapientia, quæ, teste B. Jacobo [48], desursum est. Et primum quidem pudica est, deinde vero pacifica; pudica est quam incorrupta professio despondet uni viro virginem castam exhibere Christo; pacifica est, quæ rogat quæ ad pacem sunt, et cum his, qui oderunt pacem, jubet esse pacificum. Legum vero scientia impudica est, quia meretricio more quæstuaria est, et mercalis; et quidquid studendo congregavit ad nundinas vanitatis, vili contractu venaliter et impudenter exponit. Hæc vix unquam pacifica est, quæ semper litigat de contractibus, vel quasi de maleficiis, vel quasi de variis figuris causarum, de actionibus et obligationibus, de judiciis, de sententiis, de appellationibus, et aliis, quæ cum sopire lites debeant, semper cineres litium excitant jam sopitos. Contra hanc sapientiam Dominus in Evangelio palam loquitur, et proverbium nullum dicit : *Sine causa*, inquit, *colunt me docentes doctrinas et mandata hominum* [49]. Et in propheta : *Comprehendam sapientes in astutia sua, et prudentiam prudentum reprobabo* [50].

Denique pro parte maxima leges ab ethnicis institutæ sunt : Deus autem dedit legem vitæ et disciplinæ. *Deus* enim *deorum Dominus locutus est, et vocavit terram* [51], ut homo, qui terra erat, fieret cœlum, et beneficio legis igneæ, quam Dominus attulit de Seir, caro transiret in spiritum. Sapientia quidem mundi stultitia est apud Deum, et sapientia carnis mors est. Apostolus enim damnat ea quæ sunt formam quidem scientiæ habentia, secundum doctrinam hominum, si non ædificant ad salutem. Humana itaque lex inflat, divina ædificat. Professores illius sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt. Discipuli ejus mites sunt et humiles corde, eosque custodit pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Illi sunt qui semper circumeunt montem Seir, nec unquam terram promissionis introeunt. Isti cum Apostolo nihil arbitrantes se scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum, viam vitæ quodam compendio scientiæ salutaris anticipant, et quadam spirituali experientia, quam suavis sit Dominus, jam prægustant. Et quid suavius, quid jucundius ad exsultationem, quid fructuosius ad salutem, quam comprehendere et am-

A plecti fide, spe et amore te, Deus? Scriptum est : *Scire te, Deus, sensus est consummatus* [52]. Eminentiam hujus scientiæ Veritas manifeste insinuat dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, Pater, et quem misisti Jesum Christum* [53]. Illi Jerusalem ædificant in sanguinibus [54], quorum flumina convertuntur in sanguinem; scientia enim eorum et facundia tota vertitur in peccatum, et impletur querela, quam proponit Deus per prophetam : *Dedi eis*, inquit, *aurum et argentum meum ; ipsi vero de auro et argento meo operati sunt Baal* [55] De auro nimirum et argento Domini faciunt idolum qui sapientiam et eloquentiam suam redigunt in opus cupiditatis et avaritiæ, quæ est servitus idolorum. Istis conveniunt verba blasphemiæ : *Labia nostra a nobis sunt ; quis noster Dominus est* [56]? Propter hoc
B dat eis Deus cœlum æneum, et terram ferream, ut sint sine affectione, sine devotione, ut sint terra sine aqua, quasi montes Gelboe, super quos nec ros, nec pluvia descendit [57]. Verba quidem lepida plerumque habet censura civilis, sed sunt folia sine fructu, nugæ canoræ, et Syrenes usque in exitium dulces. Mentior, si unquam videris illius scientiæ professorem in ipsius exercitio felices exitus habuisse. Beatus Hieronymus fere usque ad internecionem flagellatus est ab angelo, quia rhetorici lepore sermonis illectus vanitati operam dabat [58]. Castigans autem castigavit eum Dominus et morti non tradidit. Sane *lex Domini sapientiam præstat parvulis* [59]. Ipsa ædificat, ipsa vivificat, ipsa illuminat. Est enim præceptum Domini lucidum illu-
C minans oculos : ut anima, quæ ad imaginem Dei facta est, juxta promissum Apostoli, *revelata facie* speculetur *gloriam Dei, et in eamdem imaginem* reformetur *a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu* [60].

Audi virtutem sacræ Scripturæ, et efficaciam verbi Dei, ad cujus intelligentiam te moneo in timore et tremore accingi. Veritas in Evangelio loquitur, dicens : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* [61]. Princeps etiam apostolorum, interrogante Jesu discipulos, utrum abire vellent, *Domine*, inquit, *ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes* [62]. Itero verba, quibus idem Christum Dei vivi Filium profitetur, non revelat ei caro et sanguis, sed Spiritus Dei Patris [63]. Verba denique Dei ita
D spiritualia et vivifica sunt, ut sint spiritus et vita, ipso attestante, qui dicit : *Verba, quæ ego loquor nobis, spiritus et vita sunt* [64]. Sicut Apostolus dicit : *Sermo Dei vivus est et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum* [65] : obtinet enim vicem validissimæ pactionis, per quam eliminantur ab humano spiritu et purgantur universi noxiales affectus. Et,

[46] II Cor. 10. [47] Ephes. 6. [48] Cap. 3. [49] Matth. 15. [50] Job. 5. [51] Psal. 49. [52] Sap. 6. [53] Joan. 17. [54] Mich. 3. [55] Ezech. 16. [56] Psal. 11. [57] II Reg. 1. [58] Hieron. epist. 22 ad Eustoch. [59] Psal. 18. [60] II Cor. 3. [61] Luc. 11. [62] Joan. 6. [63] Matth. 16. [64] Joan. 6. [65] Hebr. 4.

ut experientia hujus rei tibi faciat fidem : si tepidus es, sacram Scripturam lege instantius, et scias, quia eloquium Domini inflammabit te : Ignitum est enim eloquium ejus vehementer [66]. Si ambulas in tenebris, audies quid loquatur in te Dominus Deus in Evangelio et prophetis : Eritque lucerna pedibus tuis verbum ejus, et lumen semitis tuis [67]. Si alicujus immunditiæ maculam contraxisti, mundabit te sermo Christi. *Jam vos*, inquit, *mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis* [68] Si te tam gravis tentatio apprehendat, ut pene moti sint pedes, pene effusi sint gressus tui [69], verbum Dei firmabit te, ut non cadas. Quod enim amplius est, *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [70]. Si es in mortali peccato, quod est mors animæ, sacra lectio vivificabit te, et implebitur, quod Dominus in Evangelio dicit : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* [71]. Istudque indubitabiliter scias, quod Spiritus sanctus utrumque Testamentum edidit et exposuit, unumque alteri ineffabili sapientiæ artificio coaptavit : ideoque Ezechieli prophetæ rota in rota apparuit, simulque elevabantur et incedebant rotæ, eratque spiritus vitæ in rotis [72]. Et quis, quæso, spiritus hodie in legum professoribus dominatur ? spiritus elationis, spiritus cupiditatis et jactantiæ, spiritus vertiginis et erroris. Rejecta ergo scientia, quæ in perniciem trahit, apprehende scientiam, quæ ædificat ad salutem. Disce, ut doceas, ut cortina cortinam trahat; *Et qui audit, dicat : Veni* [73]. Sis imitator illius, qui dicit : *Sine fictione didici, et sine invidia communico* [74]. Absit omnis fictio, quia Spiritus sanctus semper disciplinæ effugiet fictum [75]. Gratis accipias, gratis doce [76]. Qui enim sic fecerit, et docuerit homines, testimonio Christi, magnus erit in regno cœlorum [77]. Audi, quæso, super hoc testimonium Danielis : *Qui docti sunt*, inquit, *fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* [78]. Noli autem scrutari quæ supra te sunt, nec inanes cogita theorias ; non disputationum argutiis, nec verborum calumniis te distendas. Talia enim Apostolus interdicit scribens in prima Epistola ad Timotheum : *Si quis*, inquit, *aliter docet, nec acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ejus, quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus et languens circa quæstiones et pugnas verborum; hujus grave est judicium* [79]. Audi, quæso, quid super hoc Sapientia Dei in libro sui nominis dicat : *Sentite*, inquit, *de Domino in bonitate; et in simplicitate cordis quærite illum* [80]. Hodie varia est inter multos sententiarum contentio : factæque sunt aquæ Siloes, quæ cum silentio currebant [81], aquæ contradictionis, apud quas demeruerunt Moyses et Aaron terræ promis-

A sionis introitum [82]. Sic hodie apud multos carnes Agni immaculati, contra prohibitionem legis, elixantur aqua, vel membratim discerpuntur sævitia bestiali : igne siquidem assari debuerant, et si quidquam residuum esset, igne, id est Spiritu sancto, fuerat comburendum. Non igitur de corde tuo vaticinari præsumas, sed juxta sacri eloquii doctrinam universa dicas et doceas, orans cum Propheta, et dicens: *Juxta eloquium tuum, Domine, da mihi intellectum* [83], non supra, non extra, non contra. Sunt enim, qui temere scrutantur alta Dei. Sed, testimonio Salomonis, mel nimis comedenti *non est bonum, et scrutator majestatis opprimetur a gloria* [84]. Et Ecclesiastes dicit : *Sapiens efficiar, et sapientia longe recessit a me* [85]. *Accedet* enim *homo ad*
B *cor, altum, et exaltabitur Deus* [86]. Mirabilis same facta est scientia Dei, et non poteris ad eam [87]. Proinde doctor Ecclesiæ Paulus cum obsecratione nos admonet dicens : *Dico per gratiam Dei, quæ data est omnibus, qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* [88]. Alta nimirum sapere mors est, et facile periclitatur, qui se in eminenti considerans obstupescit. Denique loquens angelus ad Tobiam : *Sacramentum*, inquit, *regis abscondere bonum est : opera vero ejus revelare honorificum* [89]. Distingue ergo inter sacramenta et opera. Nam et in Deuteronomio cœli caligabant rore [90]. Et in Psalmo : *Tenebrosa est aqua nubibus aeris* [91] : id est obscura est intelligentia in sacramentis cœlestibus scriptisque propheticis. In his vero quibus operatus est Eeus sa-
C lutem in medio terræ, ut exinanitio in formam servi, miraculorum coruscatio, passio, resurrectio, ascensio, quod fidem instituit, quod orare nos docuit, quod ad humilitatem, ad mansuetudinem, ad pænitentiam et ad misericordiam nos verbo et exemplo instruxit, vult honorificari Deus, et illic iter est quo ostenditur salutare Dei. Sacramentorum autem ratio et inquisitio cesset, claudatur puteus, ne bos in eum aut asinus cadat, ne periculose nimis ossa regis Idumææ redigantur in cinerem [91*], et bestia, quæ montem tetigerit, lapidetur [92]. Magna in sacramentis est eminentia, intelligentia quorum fide potius expedienda est quam adinveutione humana. Et ut, gratia exempli, in uno sacramentorum videas abyssum profundissimam, et humano
D sensui imperceptibilem, pane et vino transsubstantiatis virtute verborum cœlestium in corpus et sanguinem Christi, accidentia, quæ prius ibi fuerant, sine subjecto remanent, et apparent. Cumque corpus Christi caro sit, et non spiritus, spiritum tamen et non corpus reficit, spiritualiter pascens atque vivificans. Corpus idem apud nos est in diversis locis, quia in diversis altaribus contra naturam corporis; idem tamen corpus eodem tempore

[66] Psal. 118. [67] Ibid. [68] Joan. 13. [69] Psal. 72. [70] Psal. 32. [71] Joan. 4. [72] Ezech. 1. [73] Apoc. 22. [74] Sap. 7. [75] Sap. 1. [76] Matth. 10. [77] Matth. 5. [78] Dan. 12. [79] I Tim. 6. [80] Sap. 1. [81] Isa. 8. [82] Num. 20. [83] Psal. 118. [84] Prov. 25. [85] Eccle. 7. [86] Psal. 63. [87] Psal. 138. [88] Rom. 12. [89] Tob. 12. [90] Deut. 33. [91] Psal. 17. [91*] Amos 2. [92] Hebr. 12.

est in cœlis. Licet enim ex natura corporali et circumscriptibili sit uno duntaxat in loco, tamen in pluribus locis est virtuali potentia, et spirituali modo. Tanta enim est unio divinitatis et carnis, quæ tota divina et gloriosa facta est, ut ex plenitudine, divinitatis, quæ, teste Apostolo, corporaliter ibi habitat [93], illud corpus, licet in uno loco sit corporaliter et naturaliter, in pluribus tamen est divina et spirituali virtute. Et, sicut ipse Deus, quamvis in pluribus, imo in omnibus locis sit virtualiter et essentialiter, tamen secundum aliquem modum existendi, id est personaliter est in uno loco, id est in ipso homine assumpto per gratiam; ita quod divinitatis est retribuit ineffabiliter corpori suo, ut ex unionis virtute, et in uno homine spiritualiter sit verbum, et in pluribus locis sit illius corporis et sanguinis incomprehensibile sacramentum. Gregorius in homilia Paschali [94]: Eodem momento et in cœlum rapitur ministerio angelorum consecratum corpus Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur. Sicut autem divinitas Verbi totum implet mundum, ita corpus illud in locis pluribus consecratur; nec sunt multa corpora, sed unum corpus, et unus sanguis. Ideoque sive plus, sive minus quis inde percipiat, omnes æqualiter Christi corpus integerrime sumunt. In his et similibus ratio prorsus deficit; non deficit tamen fides, sed attingit quod non præsumit ratio; et quod mirabilius est, ex rationis defectu virtus Dei convalescit. Apprehendit fides per gratiam, quod non potuit ratio capere per seipsam; infirmatur ratio, ut sit fortior fides; ratio succumbit, ut fides amplius mereatur: nec invidet ratio merito fidei, sed libenter et humiliter acquiescit. Quod enim fides meretur, non sibi ipsi meretur, sed potius rationi. Sane fides evacuabitur, et ratio permanebit. Fides nimirum non est, nisi in via, ratio autem erit in patria perfecta et plena. Ibi ration seu scientia metet quod nunc seminat fides; dignumque est ut ratio ibi fructum percipiat de merito fidei quam adjuvat, dum se prorsus abnegans a seipsa hic deficit, ut quandoque fidei beneficio in se crescat. Fidei igitur sine contradictione consentiens gratiæ Dei tota innititur, et dat gloriam Deo, sciens ipsum posse facere, quod non potest ratio humana percipere.

Pauca hæc tibi stylo recisiore perstrinxi, eo quod sis diaconus, et ad sacerdotii gradum in brevi es, aspirante Domino, ascensurus. Scis autem, quod diaconatui annexa sunt, mensæ ministerium, et annuntiatio verbi Dei. Ad hoc enim, apostoli diaconos elegerunt [95], ut mensis ministrarent et nihilominus verbum vitæ populo prædicarent. Audi ergo, qualem te esse oporteat, antequam ascendas in montem Garizim, ut ibi cum filiis Aaron populo benedicas [96]. Paulus in prima Epistola ad Thimotheum; *Diaconos*, inquit, *oportet esse pudicos* [97]; intelligas, mente et corpore, ut vas suum in sanctificatione et honore custodiant, ut se in illa exerceant sapientia, quæ pudica est et pacifica, non in illa, quæ stulta est apud Deum [98], et inimica Deo, quæ linguam hominis, seu potius animam, pro qua Christus mortuus est, vili commercio meretricia venalitate prostituit. Propterea ibidem subjungit Apostolus, dicens: *Non bilingues, nec turpe lucrum sectantes* [99]. In quo suggillantur aperte, qui lingua prævaricatoria et duplici sibi causas creditas produnt, et animas, in quarum pretium Christus innocentissimum sanguinem suum dedit contractu damnabili supplicio æternæ damnationis addicunt. Denique Levitici ordinis gradus non solum extraordinarias abdicat vanitates, sed exterminat etiam naturales affectus, ut non præsumat quis in eo ministrare, nisi prius in ipso prorsus exstincta sit affectio parentelæ. Locutus est enim Dominus ad Moysen, dicens: *Non serviat mihi sacerdos, aut levita, nisi prius dixerit patri suo et matri: Non novi vos* [100]. Qua igitur conscientia se præsumat lucris immergere damnabilibus, et inextricabili sollicitudinum labyrintho, qui a carnalium parentum cura divinius prohibetur?

Rogo igitur et moneo te, frater, per virtutem sacramentorum cœlestium, quibus in proximo daturus es professionis manum, sic te præpara, sic lege, sic stude, sic vive, sic loquere et exhortare, ut voceris a Domino tanquam Aaron, quem elegit ipsum, ut ad laudem ipsius fungaris sacerdotio, dignumque offeras in odorem suavitatis incensum. Vale.

EPISTOLA CXLI.

AD W. ROTHOMAG. ARCHIEPISCOPUM.

[A. D. 1197 ?]

ARGUMENTUM. — *Conqueritur redditus sui beneficii per quinquennium ad Elia quodam detentos, rogatque archiepiscopum, ut pro sua auctoritate eum compellat ad faciendam restitutionem.*

Reverendo Patri et domino W. Dei gratia Rothomag. archiepisc., suus PETRUS Bles. Bathon. archid., salutem, et in omni humilitate, si quid dulcius aut desiderabilius est salute.

Certificatus de incolumitate vestra gratias ago gratiarum auctori. Nam, ut verbo Apostoli utar [1]: Vivo, si vos statis in Domino: hæc est enim gloria et gaudium meum, et corona capitis mei. In eo vero, quod aliquid novi operis dignatio vestra petiit a me, licet excusatio mea præcesserit, adhuc tamen ad pleniorem excusationem mihi potest sufficere, quod illa scribendi urbanitas, quæ olim florebat in juvene, nunc marcescit in sene. Vix enim gratia viroris reperitur in arbore, cujus radix exaruit. Præterea exasperata injuriis mens humana, potius in verbis sequitur turbationis impetum quam

[93] Coloss. 2. [94] Greg. in 4 *Dialog*. c. 58. [95] Ac. 6. [96] Deut. 27. [97] I Tim. 3. [98] Jac. 3. [99] I Tim. 3. [100] Deut. 35. [1] Phil. 4.

sermonis ornatum : ex abundantia siquidem cordis loquor. Cor autem hominis quasi vas plenum est, et quid intra se contineat, ex effusione ostendit.

Domino Eliæ capellano curam et custodiam præbendæ meæ tanquam homini fideli et veraci commiseram; nunc autem cum Propheta querulari compellor, *quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum*[2]. Possum etiam interrogare cum Christo et dicere : *Cum Filius hominis venerit, putas inveniet fidem in terra*[3] ? Nihil equidem dico in sugillationem illius, licet famam ipsius plurimum denigrare videatur, quod quinque annis et amplius de præbenda mea nihil reddidit, fideique et modestiæ sacerdotalis oblitus, non solum irrogat mihi damnum, sed hanc ipsam injuriam mihi cedere facit in opprobrium et contemptum. Frequenter illuc mitto nuntios, eosque semper remittit vacuos et inanes. Bene eis loquitur, sed ex voce nullum sequitur opus, quia vox ejus vox Jacob, manus autem manus Esau[4] ; leviusque profecto extorquerem clavam de manu Herculis, quam denarium de manu ipsius. Non rapinam arbitratur mea rapere, verbis que contumeliosis me afficere, suum enim excessum hac sola excusatione colorat, quod magnis aliunde abundo redditibus, quasi damni dati injuria non possit infligi divitibus, aut in usus honestos erogari non possint, quæ a locupletioribus possidentur. Sane multi æstimantur divites, qui vere sunt pauperes : licet enim eis divitiæ affluant, ipsi tamen cor suum divitiis affluentibus non apponunt. Denique David in regali solio constitutus : *Inclina*, inquit, *Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego*[5].

Credo divitias esse commendabiles ex honesta occasione quæsitas, si sine luxu expendantur, in quantum exigit moderata necessitas. Abraham divitias possedit ad usus licitos, multique sanctorum Patrum in temporalium largitione effusi sibi thesaurizaverunt in cœlo. Heu ! heu ! cum ille, qui sua non largitur pauperibus, damnetur a Christo[6] : quid de illo fiet qui rem fratris sui retinet, et vivit ex rapto ? Qua præsumptione sacrificium offeret in altari, quandiu frater ejus adversus eum aliquid habet[7] ? *Non* potest *bibere calicem Domini, et calicem dæmoniorum*[8]. Quomodo verbum illud vulgare evadet : Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum[9] ? Qualiter juxta doctrinam Apostoli levabit manus puras sine disceptatione ad Deum[10], qui me ad materiam disceptationis invitat ? Habeo siquidem litteras summi pontificis contra ipsum. Mihi tamen seni videtur absurdum contra senem et fratrem meum occasionem scandali suscitare. Nam, ut verbo Apostoli utar, *ego jam delibor, et in me responsum mortis accepi*[11] : et nihilominus mors in januis est, dicente Apostolo : *Omne quod antiquatur et senescit, prope interitum est*[12]. Ambo sentimus præambulos mortis, defectus videlicet sensuum et molestias senectutis. Quanto recessimus longius a die nativitatis nostræ, tanto propinquiores mortis termino facti sumus. Testimonio enim Salomonis, *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo, ita homines tempore malo*[13]. Utrique nostrum modicum vitæ resta, et illud non stat. In proximo dicemus sæculo : Vale ; et relinquemus inviti, quæ nunc pertinacissime retinemus, Domina enim avaritia, quæ majorem in senibus solet exercere tyrannidem, testimonio Zachariæ, ipsa est oculus eorum in universa terra[14]. Et eodem teste, *A majore usque ad minimum omnes avaritiæ student*[15]. Hæc procul dubio est hydria Samaritanæ, de qua, *qui biberit, sitiet iterum*[16]. Quidquid enim desiderari potest, satiare non posset humanæ cupiditatis hiatum.

Quanto gloriosius senes ita juste et honeste viverent, et requiescerent in senecta uberi, ut essent aliis odor vitæ in vitam, justitiæ forma, et eruditio ad salutem. Scriptum namque est : *Corona justitiæ est senectus, quæ in viis justitiæ reperitur*[17]. Video valetudinarios senes, quorum consumptis carnibus, pellibus os adhæsit, eisque solum videtur superesse sepulcrum ; membra frigescunt, cupiditas fervet, caro senectute opprimitur, et ambitio juvenescit, vix imponet avaritiæ finem vitæ finis ; ardebit in eis quidam pœnalis infernus, donec fodiatur peccatori fovea, donec in operibus manuum suarum comprehendantur peccatores, et descendant in infernum viventes. Subito enim anima, quæ tota temporalium desideriorum fervoribus æstuabat, in divortio ipsius et carnis exiens, nuda et misera, onerata peccatis, et ab Ecclesia beatorum perpetua excommunicatione præcisa in æternæ noctis horrorem, et in chaos terribile detrudetur. *In illa die peribunt omnes cogitationes illius, et cognoscetur Dominus judicia faciens*[18], cujus monita intelligere noluerunt. Quia igitur *horrendum est incidere in manus Dei viventis*[19] adjuro vos per illum districtissimum judicem, qui etiam justitias judicabit, ut justitiam meam in judicium convertatis, ut vestra ordinaria jurisdictione ex officio judicis rogare velitis, quæ ad pacem sunt. Dedit enim vobis Dominus linguam eruditam, ut corrigatis errantes, sed et lingua vestra clavis cœli facta est. Denique constituit vos Dominus inter messores angelos, ut omnia scandala tollatis de regno Dei, quæ est Ecclesia, quatenus secundum regulas justitiæ, quæ reddit unicuique quod suum est, mea mihi restituantur. Nihil enim deperit utilitatibus ecclesiasticis, si quæ sunt aliena reddantur.

[2] Psal. 11. [3] Luc. 18. [4] Gen. 27. [5] Psal. 44. [6] Matth. 25. [7] Matth. 5. [8] I Cor. 10. [9] August. epist. 54, 9, 6, c. 1. [10] I Tim. 2. [11] II Tim. 4. [12] Hebr. 12. [13] Eccle. 9. [14] Zach. 4. [15] Jer. 6. [16] Joan. 4. [17] Prov. 16. [18] Psal. 9. [19] Hebr. 10.

EPISTOLA CXLII.

AD P. PRIOREM ET CONVENTUM DE EVESHAM (84).

ARGUMENTUM. — *Consolatur monachos vehementer afflictos: hortaturque eos, ut patienter afflictionem ferant, et instruit quomodo gerere se debeant.*

Dilectis fratribus et amicis P. priori et conventui de Evesham, P. Blesens. Londoniens. archid., salutem, et si quid dulcius, aut desiderabilius est salute.

Afflictioni vestræ totis animæ præcordiis, et intensa charitate compatiens epistolam vobis consolatoriam sub aliqua styli urbanitate decreveram scribere, sed quia turba negotiorum mihi jugiter tumultuose incumbit, totus fere absorptus ab eis, aut non sum mecum, aut divisus et distractus sum, et sic dissipatæ sunt cogitationes meæ torquentes cor meum, ut vix, non dicam epistolam possim scribere, sed breve brevissimum. Vos autem, qui spirituales estis, quorum *unicuique data est manifestatio spiritus ad utilitatem* [20], in hujus tempestatis æstuante malitia, novistis qualiter vos oporteat conversari, et luctari cum mundo. *Mundus* enim *in maligno positus est* [21], plenus laqueis, plenus scandalis et peccatis, circumseptus periculis, pravis colloquiis, iniquis consiliis, exemplis pessimis, et mortibus animæ infinitis. Proinde redimamus tempus, quia dies mali sunt [22], nec poterit vobis deesse solatium, si volueritis ferventer instare orationi, sacræque Scripturæ. Porro necesse est ut veniant scandala, et probentur corda hominum, atque inter flagella Domini præbeat improvidis vexatio intellectum. Omnes equidem filii iræ sumus [23] et si Dominus nobis iratus appareat, nos amorem ejus non odium æstimantes, ipsius flagellum cum æquanimitate portemus. Verbum prophetæ est: *Iram Domini portabo, quia peccavi ei* [24]. Flagellat nimirum Dominus quem corripit, et in suis verberibus nobis memoriam abundantiæ suæ suavitatis abscondit, ut quos facit humiles, sibi conservet amabiles. Vult enim ut de patientia nostra quasi de ligno vitæ fructus spirituales, et justitiæ manipulos colligamus. *Sunt autem fructus spiritus,* teste Apostolo, *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* [25]. Omnibus his privatur, qui sustinentia caret. Propter quod Salomon dicit: *Væ his qui sustinentiam perdiderunt* [26]. Sustinenda ergo sunt patienter flagella Domini Dei, quibus nos erudit ad

A salutem. Dejicit enim ut erigat, vulnerat ut sanet, ut pressura vertatur in gratiam, et afflictio in coronam, ut qui prius flagellatus fuerat, cum propheta decantet: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me* [27]. Christus itaque purgationem peccatorum faciens purgat quos diligit salutaribus monitis, tentationibus et flagellis. Quod enim Dominus per Satanam colaphizari permisit Apostolum, fecit eum audire: Quia *virtus in infirmitate perficitur* [28]. Qui et de seipso dicit: *Quando infirmor, tunc fortis sum et potens* [29]. Utinam sic nos corrigat, et emendando emundet, ut non destruat: nec sera pœnitentia nos oporteat querulari et dicere: *Destruxisti nos ab emundatione* [30]. Et illud: *Multo sudore sudatum* B *est, et non exivit de ea rubigo* [31]. Et rursus: *Percussi eos, et non doluerunt* [32]. Dolete igitur et plangite saltem dispendia spiritualis exercitii. Ex hac enim turbatione perditis quietissimos Rachelis amplexus, divinæ suavitatis experientias, et beatæ contemplationis excessus. Quomodo namque mens hominis perplexa et anxia, et humanis sollicitudinibus intricata spiritualibus inhærebit, aut cogitabit æterna? Sunt autem hujus mali occasio quidam inter conversos perversi, inter columbas corvi, angues inter anguillas, susurrones, detractores Deo odibiles. Hi ut habeant materiam equitandi, superseminant zizania inter fratres, concinnant dolos, fastidiunt manna, sanguineas dapes appetunt, mansuramque Gomor in ollas carnium, atque in allia et C pepones Ægypti convertunt. Sic abominantes claustralis paradisi delicias exeunt, et post se trahentes sæculum, quod reliquerant, forensibus se ingerunt consistoriis, atque in viarum discursibus, et in tumultibus curiarum, quidquid in claustro meruerant, damnabili commercio, pro æterna perditione commutant. Denique facti transfugæ, et emansores a claustro effrenes, vagi, et Sarabaitæ (85) dantur in reprobum sensum, ut jam nec animæ discrimen attendant, nec vereantur infamiam, nec tremenda Dei judicia timeant, donec fodiatur peccatoribus fovea et pœnitendi facultate prorsus ablata, a Deo perpetua excommunicatione præcisi corruant in gehennam. in tantæ igitur necessitatis articulo, psallite sapienter, orate ferventer, instate vigiliis, ignitis compunctionibus, jubilationibus, arcanis lacrymis, gemi- D tibus, disciplinis. Sic enim Dominus hanc procellam convertet in auram, et absque dubio divinum sen-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(84) Ubi sit monasterium istud de Evesham dixi jam ad epist. 97.

(85) Quatuor genera monachorum describens S. Benedictus in principio suæ Regulæ, hoc ait de Sarabaitis: « Tertium monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia magistri sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculi fidem, mentiri Deo per mensuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certe singuli sine pastore. non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicant sanctum, et quod noluerint putent non licitum. »

[20] I Cor. 12. [21] I Joan. 5. [22] Ephes. 2. [23] Ephes. 3. [24] Mich. 7. [25] Gal. 5. [26] Eccli. 2. [27] Isa. 12. [28] II Cor. 12. [29] Ibid. [30] Psal. 88. [31] Ezech. 24. [32] Jer. 5.

tietis auxilium, quibus denegatur humanum. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* [33], nec mentietur Veritas, quæ sub jurejurando firmavit, dicens : *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis* [34]. Quis ergo negligat pacem petere, nisi quid eam renuit impetrare ? Corrigite, quæso, et in Deum dirigite vias vestras, quia testimonio Salomonis, *cum placuerint viæ hominis Deo, tunc inimicos ejus convertet ad pacem* [35]. Obsecro autem vos per misericordiam Dei ut erga pastorem vestrum, qui pro communi libertate tam periculosæ viæ discrimini se exposuit, fidelem et sincerum atque indivisibilem habeatis affectum. Sitis etiam inter vos unanimes, et *unius moris in domo* [36]; *nec sint in vobis schismata* [37] sed *unitas spiritus in vinculo pacis* [38]. Ubi enim est pax, ibi est Deus. Nam *in pace factus est locus ejus* [39]. Omnis equidem congregatio vel conventus debet esse cithara David, ubi multæ et diversæ chordæ quadam regulari moderatione, quasi quodam plectro, de compositione diversarum mentium dulcissimæ faciunt harmoniæ concentum. Si sit ibi chorda, quæ rauce sonet, aut strepat, ne inducat discordiam, omni studio ad consonantiam reducatur.

Miror autem, et conqueror, quod apud Dominum Cantuariensem virum magnæ prudentiæ et consilii præcellentis nullum super hac turbatione remedium invenistis. Solet enim quandoque desperatas lites compescere, et inexorabiles magnatum discordias in gratiam reformare. Utinam vero nullam haberetis fiduciam in Romanis ! Nam, ut aliqua quæ in libro experientiæ legi, sub silentio claudam, illud possum vobis ad memoriam revocare, quod Machabæorum principes, quandiu in Domino confisi sunt, de hostibus suis reportavere titulos triumphales ; at ex quo inierunt fœdera cum Romanis miserabiliter in prælio corruerunt. Vos autem confidite in Domino. Qui enim confidit in eo, non confundetur. *Turris fortissima nomen ejus* [40], *Christus heri, et hodie, et in æternum* [41], nec abbreviata est manus ejus, ut salvare non possit. Petite tantummodo in nomine Salvatoris, promitto enim quod nullam apud eum patiemini repulsam, si salutaria postuletis.

EPISTOLA CXLIII.

AD CONRADUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

[A. D. 1192]

ARGUMENTUM. — *Moguntinum archiepiscopum per veterem in scholis olim initam amicitiam obsecrat, ut omni ope cum aliis imperii principibus nitatur vinculis eximere regem Anglorum Ricardum ab Austriæ duce et imperatore captum,*

Reverendo Patri et domino C. Dei gratia Moguntino archiepiscopo (86), PETRUS Bles. Bath. archid., salutem in auctore salutis.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(86) Conradus hic erat e Bavaria ortus, Friderici I imperatoris consanguineus, qui Arnoldo Moguntino archiepiscopo a seditiosis civibus interfecto, in ejus locum sufficitur, an. 1162, unanimi canonicorum consensu et petitione ipsius Friderici. Verum quia a partibus Alexandri legitimi pontificis stabat contra Octavianum antipapam, cui favebat Fridericus imperator, bienno post electionem suam, id est anno 1164 ex Gaspare Bruschio, Romam ad Alexandrum papam confugit. Dodechinus in *Appendice ad Marianum Scotum* ad an. 1164, ait, Conradum Moguntinum electum ab imperatore Friderico pulsum esse episcopatu, quod Alexandro papæ fide et juramento confœderatus esset. « Tunc imperator, inquit Conradus episcopus in *Chronico Moguntino*, instituit dominum Christianum, suæ quidem curiæ cancellarium, loco domini Conradi Bavari, virum utique miræ prudentiæ, in rebus ambiguis et arduis subtilissimi consilii et velocissimi inventorem. Erat etiam vir miræ patientiæ in adversis. Nulla in prosperis superbia extollebatur ; vultus benignitate omnibus gratiosus, et alias honestis moribus adornatus. Hunc ergo, quia tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum favorem cognovit habere, constituit episcopum Moguntinensem ; duravit hoc schisma annis octodecim. Tandem dominus Christianus se interponens inter papam et imperatorem, ambos ad concordiam revocavit. Actumque est de episcopatu Moguntinensi, ut dominus Christianus archiepiscopatum Moguntinensem obtineret pacifice et quiete, et dominus Conradus Saltzburgensem archiepiscopatum accipiens gubernaret. Erat enim in ipsa Ecclesia a puero enutritus. » Tum de morte Christiani disserit, et ad Conradum reversus, ita prosequitur : « Post hæc principes quidam dominum Conradum Saltzburgensem archiepiscopum imperatoris recuperata gratia reformant, ita ut ipse imperator eumdem archiepiscopum Conradum ad Moguntinensem Ecclesiam redire postularet ; quod ipse dominus Conradus maximo desiderio affectabat. Suscipitur ergo dominus Conradus in Ecclesia Moguntinensi tanquam fuisset angelus Dei. » Similia etiam de eo narrant et alii ejusdem ævi scriptores. Romualdus Salernitanus archiepiscopus in *Chronico* apud Baronium ad an. 1177 : « Tempore concilii Turonensis Conradus nobilis clericus Alemanniæ, et imperatoris consanguineus, qui in Moguntina Ecclesia erat electus, nolens Octaviano et imperatori schismatico consentire, Ecclesiam suam deserens, ignorante imperatore, ad Alexandrum papam in Franciam festinus advenit. Quem papa satis benigne recipiens, postmodum secum Romam usque adduxit ; dehinc in cardinalem episcopum Sabinensem promovit ; postremo in Moguntinum archiepiscopum sublimavit. Quo audito imperator ira commotus, Christianum nomine cancellarium suum in Moguntina Ecclesia eligi fecit, et a suis suffraganeis consecrari. » Joannes Sarisberiensis eadem fere scribit S. Thomæ Cant. archiep. in litteris quæ habentur apud Baronium ibidem : « Electus Moguntinus, qui nuper recessit a domino papa, et a curia, nuntium Guidonis (scilicet antipapæ Callisti III), ad se venientem de terra sua ejecit, et comminatus est ei, quod si ipse, vel alius nuntius ex parte schismaticorum ad se ulterius pervenerit, oculos sibi erui faceret. Nomen domini papæ manifeste prædicat. Hoc novit imperator, et multum dolet. » Joannes Bromtom in *Chronico*, pag. 1130, postquam de pace inter Fridericum imperatorem et Alexandrum papam Venetiis facta locutus est, ita prosequitur :

[33] Psal. 109. [34] Joan. 15. [35] Prov. 16. [36] Psal. 67. [37] I Cor. 1. [38] Ephes. 4. [39] Psal. 75. [40] Prov. 18. [41] Hebr. 13.

Quia quandoque in scholaribus castris militavimus sub eodem doctore, et ex diutina ejusdem hospitii cohabitatione socialis amicitiæ jura contraximus, fiducialius vobis scribo. Excursus enim modici temporis nostro non præscribit amori; nec apud me mutationem vestri status agnoscit affectio. Sine postquam desideratissimam faciem vestram novissime vidi, vos in archiepiscopalis eminentiæ gradum dispensatio divina promovit. Sed, si bene recolo, quam solida semper apud me fuerit fidei vestræ et amoris integritas, certus sum quod honoris assumptio circa statum amicitiæ vestræ nullum præjudicem mihi facit. Cum itaque hinc amor audaciom loquendi mihi pariat, inde vero ad planctum et gemitum dolor singultuosus urgeat violenter, indulgete mihi, si in aliquo verbo sobrietatem modestiæ, et limites honestatis excedo: *ex abundantia enim cordis os loquitur* [43]. Nam in amaritudine est anima mea, quæ totum hujus epistolæ cursum mihi de doloris atramentario subministrat.

Quis vero inter communes lacrymas dolorem dissimulet, aut supprimat planctus.ubi clerus dolet, lamentatur religio, gemit populus, nobilitas anxiatur? Non potest omnium mœrore non plangi, qui colitur et fovetur amore communi. Decidit corona capitis nostri, et in luctum versus est chorus noster. Rex noster in frixorio est, et occasione illius in quamplures provincias hujus malitiæ sartago desævit. Suo domino patienti contabescit et commoritur universitas, et per compassionem afflictio capitis in membra discurrit. Vir sanguinum et cruentæ conscientiæ dux Austriæ (87) non est veritus in christum Domini sacrilegas manus injicere, et pedes calceatos in Evangelio pacis ferreis humiliare compedibus. Terribilis in judiciis Deus destruat illum in finem, et evellat de tabernaculo suo, et radicem ejus de terra viventium, pro eo, quod non est recordatus facere misericordiam, sed persecutus est hominem innocentem et peregrinum adhuc in obsequio crucifixi et in procuratione reipublicæ constitutum. Cum enim pro testamento Dei labores

A anxios tolerasset, exhaustis bellicis sudoribus et expensis ad propria remeabat, ut denuo majus testimonium fidei redditurus prudentiore consilio, et felicioribus auspiciis viam secundæ peregrinationis instrueret.

Et nunc, reges, intelligite, reminiscimini, qui judicatis terram [44], si unquam ab infantia nascentis Ecclesiæ aliquis rex pacificus, fidelis, innocens, peregrinus, tam subdole captus, tam malitiose detentus, tam crudeliter est venditus, tam indigne afflictus, et cum populis suis tam cupida et detestabili exactione gravatus. Ubi est lex naturæ? ubi est æquitas? ubi peregrinorum reverentia, quos etiam Christi crucifixores venerati sunt, dum in agrum figuli ob peregrinorum sepulturam Christi B venditi pretium transtulerunt [45]? Porro cum Abraham peregrinaretur in terra Chanaan, rex Abimelec ei gratiam plenæ humanitatis exhibuit [46]. Jacob apud Laban [46], Moyses apud Jethro [47], David apud regem Achis [48], et cæteri Patres antiqui *nondum acceptis repromissionibus, sed longe eas aspicientes, et confitentes quia essent peregrini et hospites super terram* [49], apud barbariem gentium multiplex suæ peregrinationis solatium invenerunt. Et qui eum vendidit, et qui emit, in sortem Judæ Iscariotis, et in maledictione fraudis Judaicæ reputentur, ut sit cum eis ipsorum pecunia in perditionem; cum Dathan et Abiron terra eos viventes absorbeat, successores Judæ, filios avaritiæ, servos mammonæ, semen Chananæi, genimina viperarum, membra diaboli, ministros Satanæ, præambulos Antichristi. C Sæviente in populos istorum tyrannide publica mortalitas invalescit, urbes evacuantur pestilentia et fame, quæ superveniunt universo orbi.

Nec dissimulare possumus, aut tacere, quod, Juxta verbum Apostoli, jam ministerium iniquitatis Antichristus operatur, ut reveletur in tempore suo [50]: abundat enim iniquitas, et refrigescit charitas multorum [51]. Optimus est, qui non est nimis malus. Id argumentum adventus illius filii perditionis generaliter mundus in maligno positus est [52], desævit morbus pestilens, et edulitas invalescit. Le-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

« In hoc concilio Conradus frater consobrinus prædicti imperatoris archiepiscopatum Sauseburgiæ [Saltzburgensem, *vel* Salisburgensem] a manu domini papæ recipit, et ipso imperatore annuente, dominus papa concessit eidem Conrado totius Teutonici regni quandiu vixerit legatiam. Iste vero Conradus, cum tempore schismatis ad archiepiscopatum Moguntinensem electus esset, ab Octaviano antipapa noluit consecrari, sed maluit inter Catholicos pro Christi nomine citius egere [*Hoveden legit* pauper vivere] quam inter schismaticos divitiis et transitoriis abundare. Venit ergo in partes Galliarum ad urbem Senonensem, et invento ibi Alexandro summo pontifice, qui ea tempestate citra montes ad celebrandum concilium illuc pervenerat, pro amore Dei, et pace Ecclesiæ cum eo remansit. A D quo honorifice susceptus, inter episcopos cardinales connumeratus est. » Hæc habent Gervasius Dorob. et Rogerius Hoveden. Addit Ciaconius in Alexandro III Conradum cum quibusdam episcopis et optimatibus Germaniæ in Syriam pro recuperatione terræ sanctæ profectum esse, scilicet apostolicæ sedis legatum a Cœlestino III deputatum, quo in itinere Leonem Armeniæ regem coronavit. Obiit autem anno 1205 ex Bruschio, licet alii eum anno 1200 decessisse contendant.

(87) In Sorb. 1 habetur *dux Astutiæ, id est Austriæ*. De hac Richardi regis captione dixi ad epistol. 64.

Scripta est hæc epistola anno Christi 1192, nempe quo in vinculis erat Richardus Anglorum rex.

---

[43] Matth. 12. [44] Psal. 2. [45] Matth. 27. [46] Gen. 20. [46] Gen. 29. [47] Exod. 2. [48] I Reg. 21. [49] Hebr. 11. [50] II Thess. 2. [51] Matth. 24. [52] I Joan. 5.

gitur quod mors cum eo est, et faciem ejus præcedit egestas [53]. Nobis in germana Germania hæc mala germinant universis. Heu, heu, principes aquilonis! vere ab aquilone panditur omne malum [54]. Sed hoc malum regi nostro bene utenti convertetur in bonum. Nam judex innocentiæ Deus faciet in proximo judicium injuriam patienti, faciet misericordiam Dominus Christo suo. Zelus Domini exercituum faciet hoc, et scient omnes *quia sunt reliquiæ homini pacifico* [55]. *Domine, in virtute tua lætabitur rex* [55*]: *justus de angustia sua* [56] liberabitur: cadet autem impius in laqueum, quem tetendit, *et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet* [56*]. O rubigo animarum avaritia, O tinea cordium cupiditas, quæ sic homines excæcasti, ut Dei et judiciorum ejus obliti, neque suæ parcerent animæ, neque famæ. Consumetur quidem pecunia, sed nota proditionis non delebitur. Tanti sceleris immanitas derivabitur ad posteros, et in ungue adamantino hæc iniquitas scribetur [57]. Filii plorationis æternæ non de fiscali ærario [58], non de thesauris regalibus hæc accipiunt, sed de patrimonio crucifixi, de sustentatione pauperum, de viduarum lacrymis, de substantia religiosorum, de pupillorum alimentis, de dotibus virginum, de ecclesiarum utensilibus; de crucibus, de calicibus consecratis. Quot solidos sibi congregant, tot accumulant sibi maledictiones, tot interminabiles cruciatus sibi in die iræ terribilis thesaurizant. Quidquid ad decorem domus Dei venerandæ antiquitatis munificentia erogavit, nunc inexplebilis avaritiæ hiatus absorbet, ut hæreditate possideant sanctuarium Dei, et tot sacrilegiis exsecrabiles fiant, quot in partibus Occidentalis Ecclesiæ profanantur.

Exsurge igitur, homo Dei, exsurgant et alii Patres conscripti, quibus dati sunt gladii ancipites in manibus eorum. Succurrite plagæ Ecclesiæ, arripiat judicium manus vestra, et evaginato linguæ gladio, zelum, quem Petrus in Ananiam et Sapphiram [59] census ecclesiastici fraudatores exercuit, in publicos ecclesiarum prædones et invasores sacrilegos exerceter Rex illustrissimus catenis carceralibus et fame torquetur; ferrum pertransiit animam ejus [60]; sedet enim in mendicitate et ferro, et non est qui moveatur super contritione Joseph. Pallescit jejunio speciosa facies victualibus interdictis, virtusque corporis in robur animæ migratura, et vernans in facie decor natura succumbente marcescit. Si qua ergo in vobis benignitas, si quod solatium charitatis, si quis respectus ad Christum, si qua viscera miserationis, si qua memoria judiciorum Dei, excitetur in vobis piæ compassienis affectus. Ascendite ex adverso, cursumque tam detestabilis sacrilegii cohibeat pontificatis auctoritas, ne vestri principes malignentur in sancta, ne diutus occidentales populi doloribus intabescant et fletu, ne de manu vestra sanguis innocens requiratur. Vale.

EPISTOLA CXLIV.

ALEONORÆ REGINÆ ANGLIÆ AD CÆLESTINUM PAPAM.

[C. D. 1192.]

ARGUMENTUM. — *Aleonora Angliæ regino papæ opem miserabiliter implorat pro liberatione regis Anglorum Richardi filii sui.*

Reverendo Patri et domino CŒLESTINO, Dei gratia summo pontifici, A. (88) in ira Dei regina Anglorum, ducissa Normanniæ et comitissa Andegaven., miseræ matri exhibere se patrem.

Silere deceveram, etc. *Vide inter variorum ad*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(88) Littera A. denotat Alienoram, quæ dicta est ab Anglicis scriptoribus Alienor, Alienora, Alienordis, a Francis Eleonor, sive Eleonora. Fuit autem filia Guillelmi ultimi ducis Aquitaniæ et comitis Pictaviensis, qui cum pœnitentiæ causa ad S. Jacobum in Hispaniam proficisceretur, in itinere obiit et sepultus est in ecclesia S. Jacobi, ut inter cæteros refert Joannes Frasquetus, in *Chronico ms.* apud S. Victorem ad annum 1135: « Sequenti anno Guillelmus comes Pictaviensis ad S. Jacobum proficiscitur, et in sexta feria Parasceve in ecclesia S. Jacobi moritur, et ante altare sepelitur. Qui moriturus proceres suos, quos secum habebat, contestatur, ut filia sua major Alienordis Ludovico Francorum regi cum Aquitaniæ ducatu tradatur: quam prædictus Ludovicus apud Burdegalam cum optimatibus regni præsentibus jungit sibi nuptiis quam solemnibus. » Exstat ipsius Guillelmi ducis testamentum apud Baronium ad ann. 1136, quo quidem declarat, se velle Eleonoram filiam suam majorem Ludovico Francorum regi nuptum tradi cum Aquitania et Pictavia; alteri vero nomine Petronillæ relinquit possessiones et castella quæ habebat in Burgundia. Ubi obiter notandum est Baronium ibidem historiam illam, quæ de stupenda Guillelmi pœnitentia circumfertur, refutare, cum apud nullos hujus temporis historicos habeatur; imo et plures illorum eumdem, apud S. Jacobum in peregrinatione sua diem ultimum clausisse narrent, ut Frasquetus supra, Robertus de Monte in *Appendice ad Sigebertum*, Sugerius in *Vita Ludovici Junioris*, cujus supremus regni administer fuit, Guillelmus Gemeticensis in *Chronico*, apud Andream du Chesne historiæ Northmannorum lib. VIII, cap. 42: « Circa hæc tempora Willelmus, dux Aquitanorum, non multo post mortuus est. Hujus filiam unicam cum ipsius ducatu Ludovicus filius regis Francorum accepit in uxorem. » *Chronicon* Lemovicense, tom. II bibliothecæ novæ, c. 48: « Guillelmus, Aquitaniæ dux, apud S. Jacobum peregrinus obiens, tumulatus est. » Eadem fere habet Radulfus de Diceto in *Imaginibus historiarum*, pag. 267.

Clarius autem rem narrat auctor gestorum Ludovici VII, cap. 4, apud Andream du Chesn., tom. IV *Historiæ Francorum*, pag. 591: « His diebus Guillelmus, dux Aquitaniæ, apud S. Jacobum iter arripuit: qui, volente Deo, antequam ad terminum ad quem suæ peregrinationis accederet, peracta parte itineris exspiravit, nullum virilis sexus in ducatu Aquitaniæ relinquens hæredem. Verumtamen

---

[53] Job. 41. [54] Jer. 1. [55] Psal. 36. [55*] Psal. 20. [56] Prov. 11. [56*] Psal. 7. [57] Jer. 17. [58] Lege G. Neubrig. l. IV *Rerum Anglic.* c. 35; Paris, Polyd. et alios. [59] Act. 5. [60] Luc. 1.

Cælestinum III epistolas post ipsius Regesta, Patrologiæ t. CCVI.

EPISTOLA CXLV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

[A. D. 1192.]

Ejusdem argumenti.

Sanctissimo Patri, ac domino C., Dei gratia S. pontifici, A. eadem gratia regina Angliæ, ducissa Normanniæ et comitissa Andegaviæ, salutem et misericordiæ visceribus abundare.

Tædet animan meam vitæ meæ, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CXLVI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

[A. D. 1192.]

Ejusdem argumenti.

Reverendo Patri et domino CŒLESTINO Dei gratia B summo pontifici, A. misera, et utinam miserabilis Anglorum regina, ducissa Normanniæ, comitissa Andegaviæ, miseræ matri exhibere se misericordiæ patrem!

Invidente locorum distantia prohibeor, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CXLVII.

AD ROBERTUM EPISCOPUM BANGORIENSEM.

[C. A. D. 1197.]

ARGUMENTUM. — *Reprehendit R. episcopum, qui beneficium ecclesiasticum jam alteri collatum sibi retinere conabatur.*

Dilecto quondam socio, nunc autem venerabili domino R. Dei gratia electo de Bangor (89), M. PETRUS Blesen. Bathon. archid., radicare in eo qui in electis suis mittit radices.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

duas filias babuit, quarum una major natu Alienordis et alia Alaidis vocabatur. Ludovicus VII Alienordam duxit, et secundam Alaidam Radulfo Viromanduorum comiti cognato suo matrimonio copulavit. »

Cæterum Alienora post annos decem a Ludovico repudiata est, licet duas ex ea filias suscepisset. Causam istius divortii varie referunt historici. Albericus monachus Trium Fontium in *Chronico ms.* hæc habet, quæ desumpsit ex Elinando : « Relictam Ludovici Francorum regis, vel ut verius dicatur, repudiatam duxit in uxorem comes Andegavensis, et dux Northmanniæ Henricus, rex Angliæ mox futurus : unde guerra inter eos. Hanc reliquit rex Ludovicus propter incontinentiam ipsius mulieris, quæ non sicut regina se habebat, sed fere communem se exhibebat. Fuit autem Alienor dicta, Guillelmi filia Pictaviensis comitis et Aquitaniæ ducis. Quæ cum regi Franciæ duas filias peperisset, Mariam comitissam Trecensem, et Eleidem comitissam Blesensem, postea prædicto regi Henrico quatuor peperit filios et filias tres. » Matthæus Parisiensis ad ann. 1150 de eo ita loquitur : « Celebratum est divortium inter Ludovicum regem Francorum, et Alienor reginam suam, propterea quod diffamata est de adulterio etiam cum infideli, et qui de genere fuit diaboli. Erant enim consanguinei in 4 gradu. » Eadem fere habet Bromton, pag. 1040, et Gervasius in *Chronico*, pag. 1370 : « Anno 1152, postquam reversus est rex Franciæ Ludovicus a peregrinatione Jerosolymitana, orta est quædam discordia inter ipsum et reginam suam Alienor, ex quibusdam forte, quæ melius tacenda sunt, quæ in illa peregrinatione contigerant. Et ecce subito sub consanguinitatis imagine moliri cœpit matrimonii solutionem. Divortio itaque inter regem Ludovicum et reginam suam Alienor labore multo et artificioso juramento in facie Ecclesiæ solemniter celebrato, » etc. Paulus Æmilius lib. v. *Histor. Francorum* : « Reversus ex Syria in Franciam Ludovicus, nihil antiquius habuit quam ut Leonoræ matrimonium dirimeret. Baugenciaci concilium habitum. Remorum, Senonum, Rothomagensium, Burdegalensium archiepiscopi consedere. Interrogati testes ; fides propinquitatis facta, constitutum constare conjugium pie non posse. Ita non sine admiratione terrarum dimissa Leonora, quam per tot annos uxorem habuerat, unde duas filias procrearat. » Quidquid sit, repudiata a Ludovico rege Alienora, relictis ipsi communibus liberis ocius Aquitaniam repetiit, et paulo post Henrico Northmanniæ duci et Andegavensium comiti, Angliæ regi mox futuro nupsit, ex quo quatuor filios et tres filias genuit. Verum cum dissidentes a rege patre filios ipsa incenderet, relictoque marito filios ad bellum prosequeretur, reconciliatis cum patre filiis, ipsa aretæ custodiæ ab Henrico tradita est, in qua per annos XII mansit, donec ad preces Balduini Cantuariensis archiepiscopi soluta est, ut habet Gervasius ad an. 1185, his verbis : « Regina Alienor ad preces B. Cantuariensis archiepiscopi a diutino carcere tempore modico liberata est, quo per annos fere XII tenebatur inclusa. » Sed paulo post denuo in carcerem detrusa est, in quo per IV annos, id est usque ad obitum Henrici viri sui mansit : quo mortuo, a filio Richardo rege soluta est, et regni moderaminis particeps effecta. Qua de re sic Nicolaus Treuet in *Chronico ms.* : « Anno 1179, Henricus Anglorum rex senior abalienatus ab uxore sua, in custodia eam detinuit annis multis, et nonnisi mortuo Henrico, scilicet an. 1189 educta a filio Richardo. » Et infra : « Ann. 1189, Alienora regina post mortem Henrici regis per man- C datum filii sui Richardi educta fuit de custodia, in qua fuerat circiter per X annos. » Radulfus de Diceto, ad an. 1189 : « Alienor regina quæ per annos plurimos arctæ fuerat deputata custodiæ, statuendi quæ vellet in regno potestatem accepit a filio. Custodiam dico sedecim annorum continuatam. » Similiter et Matthæus Paris., ad an. 1188 : « Mater Richardi regina Alienora, quæ per annos XVI a toro patris separata, sub arcta custodia tenebatur, statuendi quæ vallet a filio potestatem accepit. Datumque est regni principibus in mandatis, ut omnia disponerentur ad votum reginæ. Quæ continuo accepta potestate omnes captivos per Angliam a carceribus liberavit, sicut quæ experimento dedicerat, carcerales custodias hominibus nimis esse molestas. » Vixit autem post maritum XIV annis, id est usque ad annum Christi 1204, quo ibiit ex Thoma de Walsingham in *Hypodigmate* Neustriæ, his verbis : « Anno 1204 Alienora ducissa Aquitaniæ, mater D regis Angliæ, ex hac luce migravit. » Scilicet apud monasterium Fontebraldense, ad quod sub finem vitæ pœnitentiæ causa se receperat, habitumque sanctimonialis induerat, ut habent tabulæ Fontebraldenses. Sepulta est in eadem Ecclesia Fontis-Ebraldi prope sepulcra Henrici mariti et Richardi filii, ut legitur in Necrologio hujus monasterii ad diem 30 Martii, ann. 1204.

(89) Est hic Robertus Salopiensis, qui consecratus est episcopus Bangorensis anno 1197. Hic anno 1210 captus est a Joanne rege Angliæ in ecclesia sua cathedrali, qui pro lytro dedit regi accipitres ducentos, inquit Matth. Westmonasteriensis. Obiit an. Christi 1213, et moriens corpus suum in medio fori Salopiensis inhumari mandavit. Ex eodem Matth. Westmon.

In die ordinationis vestræ debuistis veterem hominem cum suis actibus exuisse, et induisse novum, qui secundum Deum creatus est. Sic enim David a die unctionis suæ mutatus est in virum alterum, et Spiritus Domini directus est in eum [61]. Vos autem incipientes ab injuriis, turbastis mihi in ipsa ordinatione vestra dominum archiepiscopum et ad iracundiam provocastis. Ecce sacerdos bonus, qui in die suæ sanctificationis placere Deo et hominibus debuit, et in die iracundiæ fieri reconciliatio. Vos autem primitias vestras discordiæ consecrastis, et in tempore amicitiæ facti estis rixæ et seditionis occasio. Testimonio Salomonis [62] : *Sex sunt, quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus.* Enumeratis vero sex odibilibus, septimum ponit, scilicet, inter amicos discordiam seminare. Si accepistis, imo quia accepistis non spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, quo aguntur hi, qui sunt filii Dei, si vos etiam graviter offendissem, debueratis esse promptiores ignoscere quam ulcisci. Sola inter vos dissensionis occasio est, quod beneficium alii jam collatum vobis non confero, contra formam canonum, contra meam conscientiam, contra vestram animam, contra Deum. Aperte vos tangit parabola illa, quam regi David Nathan propheta proposuit de divite, qui multas oves habuit, et pauperi unicam abstulit, quam habebat [63]. Pauper ille clericus, cui præbendulam illam donavi (90), jam ad sedem apostolicam appellavit. Creditisne quod æquitas Romana adeo degeneret, ut hominem inopem et mendicum, litteratum et honestum, in ecclesiasticis atque scholasticis eruditum opprimi sustineat a potente ? Non oportet vos sic abhorrere ecclesiæ vestræ paupertatem, quam in alienum gravamen tota die coram hominibus allegatis. Titulus paupertatis gloriosus est apud Christum ; et quæ Filium Dei decuit, vos dedecere non debuit. Princeps apostolorum et præsulum dicit : *Aurum et argentum non est mihi* [64]. Magnus etiam Augustinus [65] ideo testamentum nullum fecit, quia, unde faceret, pauper Christi non habuit. Vestri officii est, vivere de Evangelio, sicut constituit vobis Dominus, non incedere pompatice in vestium cultu, in equorum fastu, in multitudine clientelæ. Decet vos, tanquam sacerdotalis et episcopalis sanctimoniæ professorem, præcidere omnino vestigia conversationis antiquæ. Quid vobis de cætero, et habitationi Wolverhamtun ? Omnes, quæso, pravæ opinionis occasiones abscindite, et juxta consilium Apostoli [66] : *Abstinete vos ab omni specie* mali, et bona non solum coram Deo, sed coram hominibus providete. Plurimum quidem vestri honoris interest, ne vel modica præteritæ levitatis nota repullulet, aut assumptæ innocentiæ novitatem sinistra opinio vel minimo flatu contaminet. Ut autem verbo Apostoli utar [67] : *Sic vos existimet homo ut ministrum Christi.* Sic vos modeste habere velitis, ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus ; omnesque motus animi sic ad temperantiam redigantur, ut vos talem dies consecrationis futuræ inveniat, qualem discipulo suo describit Apostolus, dicens : *Oportet episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem, non iracundum, non litigiosum, non turpe lucrum sectantem* [68]. Parcite ergo pauperi clerico, ne ipsum ad apostolicam sedem oporteat laborare. Si enim hæc ad aures summi pontificis illius querela detulerit, sedes illa, quidquid de hoc misero reditu vel de aliis, quos hactenus habuistis, fuerit factum, sine omni retractione damnabit. Parcite vobis, amice charissime, parcite et mihi ; et qui in hac præbendula meus quandoque fuistis (91), me nunc vobis in ipsa ad perpetuæ dilectionis obsequium obligare velitis. Vale.

EPISTOLA CXLVIII.

AD SAVARICUM BATHONIENSEM EPISCOPUM.

[C. A. D. 1195.]

ARGUMENTUM. — *Hortatur episcopum, ut ad suam diœcesim revertatur, nec deserat Ecclesiam suam propter peregrinationem.*

Reverendo Patri ac domino S. Dei gratia Bathon. episcopo (92), PETRUS Bles. archid. suus, salutem in eo sine quo non est salus.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(90) Erat illa præbenda in decanatu Vulruneham, cujus erat decanus Petrus noster, ut ipsemet loquitur epist. 152 ad Innocentium papam. Ex qua apparet ad ipsum spectasse collationem istarum præbendarum

(91) Probabile est Robertum ante episcopatum fuisse canonicum in ecclesia illa, cujus erat decanus Petrus Blesensis.

Scripsit hanc epistolam circa annum 1197, quo electus est Robertus.

(92) Savaricus ille ex archidiacono Northamtoniæ factus est episcopus Bathoniensis ad petitionem Richardi regis Angliæ agentis in peregrinatione Jerosolymitana anno Christi 1192. De eo ita Radulfus in *Imag. hist.*, ad an. 1192 : « Dum rex Richardus peregrinaretur in Syria, dum vacaret sedes Cantuariensis, Savaricus Northamtoniensis archidiaconus et thesaurarius Sarisberiensis a Bathoniensibus monachis, Vellensibus clericis reclamantibus, electus est in episcopum. Walterus Rothomagensis archiepiscopus, justitiarus regni præbuit regis assensum. Savaricus Romam veniens, mandato summi pontificis ordinatus est presbyter in patriarchi Lateranensi. Manum consecrationis apposuit Albanus Albaniensis episcopus III Kal. Octobris. » Cum autem Richardus rex Savarico abbatiam Glastoniensem dedisset, ipse ad eam voluit transferre sedem episcopalem, unde et se Glastonensem episcopum sæpius vocitabat. Erat hic imperatoris Henrici consanguineus, fuitque obses apud eum pro liberatione regis Richardi cum Waltero Rhothomagensi archiepiscopo et aliis, ut habet Rogerius ad an. 1194, qui et eum facit Burgundiæ cancellarium ad ann. 1197, his verbis : « Henricus Romanorum cœpit ægrotare, et misit Savaricum Bathoniensem episcopum, consanguineum, et cancellarium suum

[61] Reg. 16. [62] Prov. 6. [63] II Reg. 12. [64] Act. 3. [65] Possid. in *Vita*. [66] I Thess. 5. [67] II Cor. 4. [68] I Tim. 3.

Super laboribus et fatigationibus vestris mea viscera concutiuntur assidue devoto compassionis affectu. Quis enim æquo animo ferat, ut nobilis illa anima vestra scholaribus exercitata militiis, spiritualibus imbuta doctrinis, tot et tantarum gratiarum dotibus pollens ita degeneret, ut sui obliviscatur, suorum sit immemor; nec desponsatæ sibi ecclesiæ, nec animarum curam, quas non sine magno discrimine custodiendas accepit, nec judiciorum Dei terribilium recordetur? Miserere, benignissime Pater, animæ tuæ, pro qua Christus animam suam posuit, et quam quasi sub jactu aleæ posuisti. Tibi, reverende pontifex, me charitas compati et timere compellit: utinam et tu timeas! *Beatus enim homo, qui semper est pavidus* [69]. Quis etenim de Domino et amico suo non timeat in tam longo incolatu, inter tot viarum discrimina, inter tot vagos, et varios, et incertos excursus? Quæ utilitas, quæ honestas, quæ necessitas ad tam longæ peregrationis exsilium vos coegit? Veritas apostolis dicit: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* [70]. Non in tempore pacis, sed persecutionis fugam suis discipulis Salvator indulsit; eam tamen credo vestræ mentis constantiam, quod si vobis persecutio immineret, non leviter ad fugam hostilitatis impetus urgere vos posset. Nunc autem conditione mercenarii vestra fuga longe periculosior censetur a multis. Ille fugit, qui luporum terretur incursu, vos non lupos, sed vestras oves fugitis, qui beneficio præsentiæ vestræ lupos in oves mutare possetis. Quod enim in toto regno posset adeo vobis esse difficile, quod ille communis omnium favor erga vos, illa ingenii vestri nativa subtilitas, et multipliciter exercitata industria non posset ad vestrum libitum immutare?

Recolite, Pater, quia beati Petri vicarius estis (93). Vobis in eo quandoque dictum est: *Si diligis me, pasce oves meas* [71]. Quid est oves pascere, nisi evangelizare subjectis? reddere Deo populum acceptabilem, verbo, opere et exemplo dirigere vias Domini, et parare Domino plebem perfectam? Sciatis, quod semper exulare, et peregrinari summa est miseria, atque testimonio Salomonis [72]: Ire de hospitio in hospitium vita pessima. Si hodie, quod Deus avertat, mors, quæ omnibus insidiatur, repente vos raperet, quæ lucra animarum, quas accessiones de talentis spiritualibus vobis creditis referretis ad Dominum? Non sustineat Dominus, quod de illorum numero sitis, de quibus Dominus dicit [73]: Dedi eis aurum et argentum meum; ipsi autem de auro et argento meo operati sunt Baal. Aurum sapientiæ et argentum eloquentiæ copiose contulit vobis Deus. Absit ut ista de cætero in vanitates et in insanias falsas hujus sæculi convertantur! Absit quod dominus meus tonitruum illius sententiæ terribilis audiat, quam servo inutili, et ideo nequam, qui talentum Domini involvit sudario, et in terra abscondit, indignatio cœlestis intentat. Servus damnatus est etiam, qui talentum Domini custodivit, quia non est ex talento lucratus [74]. Nec *arbor* tantum quæ malos fructus facit, sed et *quæ* fructus bonos *non facit, excidetur et in ignem mittetur* [75]. O quanta est eorum confusio, qui vos diligunt ex affectu, dum vident, et dolent ecclesiam vestram tanto tempore desolatam, et vos quasi avem, quæ avolavit a nido suo, et reliquerit pullos suos, quasi viatorem in solitudine, hominem sine causa exsulem et peregrinum, sponte vagum et profugum super terram. Absentiam vestram plangunt laici, clerici gemunt, religiosi lamentantur, et ad vestrum reditum pendent desideria omnium, totisque medullis animæ suspirant ad suarum pastorem et episcopum animarum.

Cum multis magnis et sapientibus viris negotio vestro Glastoniensi locutus sum (94); omnium sententia est rem vestram circa impossibile versari, regnum et sacerdotium in hoc pariter convenire, ut mitra una nullo modo corona regis aut Cantuariensis Ecclesiæ mutiletur (95). Si ergo videtis, quod vestri conatus votivos effectus non habeant, non sit vobis confusio redire ad propria. Scitis, quia *est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam* [76]. Non confundatur, nec erubescat dominus meus, si non potest pro libitu obtinere quod cæterorum pontificum nullus posset. Quod si hoc ascribitis confusioni et erubescentiæ, sciatis quod pro confusione hac et rubore dabitur vobis in terra vestra cum honore et gloria duplicia possidere. Revertimini, quæso, ne vituperetur ulterius ministerium vestrum; et ad reditum vos invitent brevi-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

de Burgundia, ad Richardum regem Angliæ, et obtulit ei recompensationem pecuniæ, quam de eo ceperat pro redemptione sua. » Sedit autem Savaricus annis XIII.

(93) Vide quæ de hac re diximus ad epist. 113.

(94) Intelligit translationem Bathoniensis sedis ad Glastoniensem Ecclesiam, de qua superius. Ubi et notandum est quod, etsi toto episcopatus sui tempore ibi sederit Savaricus, tamen statim post ejus obitum monachi Glastonienses abbatiam suam a rege Joanne recuperarunt, sibique abbatem præfecerunt anno 1205, quo obiit Savaricus.

(95) Savaricus quippe Bathoniensis sedis suæ in Glasconiense monasterium translatione regnum Angliæ et Cantuariensem Ecclesiam una mitra, nimirum abbatiali, truncare conabatur.

Ex supradictis conjicere possumus hanc epistolam scriptam esse circa annum Domini 1195.

[69] Prov. 28. [70] Matth. 5. [71] Joan. 21. [72] Eccli. 27. [73] Ezech. 16. [74] Matth. 25. [75] Matth. 3. [76] Eccl. 4.

tas hujus vitæ, peregrinationis pericula, Dei timor, memoria mortis, amici lugentes et animæ desolatæ, quia, qui multum peregrinantur, raro sanctificantur. Vale.

EPISTOLA CXLIX.

AD J. ET P. AMICOS.

[C. A. D. 1200 ?]

ARGUMENTUM. — *Conqueritur se jam senem et emeritum, malevolorum falsa criminatione dejici honore archidiaconatus, duorumque aulicorum ea in re auxilium implorat.*

PETRUS Bles. Bath. archid., J. et P., salutem et moveri super contritione Joseph.

Ab amaritudine animæ meæ et ab inconsolabili dolore cordis mei totus absorbeor, et utinam omnes cataractæ capitis mei fluant in fletum ! Utinam maxima pars cerebri, atque maxillarum totius miseri B corporis mei liquescat in lacrymas, ut possim flere et plangere, quód videre non possum !

A rege Henrico vocatus in Angliam, et ab eo, atque filiis ejus ditatus largitionibus effusis, nec non ab archiepiscopis, et episcopis, et universis magnatibus terræ omni veneratione usque ad malitiam hujus temporis exaltatus, nunc occasione quarumdam litterarum, quæ et per taciturnitatem veritatis, et per expressionem falsitatis obtentæ sunt a domino papa, crudelissime circumvento toto populo et clero tantæ civitatis, quorum cura et custodia mihi commissa est : senex et emeritus a juvene, simplex et valetudinarius ab ambitioso, mansuetus et innocens a versuto : et ut temperatius loquar, turpi crimine diffamatus ab omni honore archidiaconatus C mei violenter expellor. Porro lator præsentium tragœdiam istam vobis apertius explanabit ; singultuosus enim dolor os meum syncopis et λειποθυμία impediens, me loqui aut scribere non permittit. Datus sum per astutiam malignantis in opprobrium et contemptum, nisi miseria mea vestram excitet misericordiam, et passiones meæ vestræ compassionis affectum provocaverint. *Miseremini mei saltem vos amici mei* [76*], quos, etsi meritorum meorum exigentia mihi amicos non fecit, tamen miserum hunc amare compellat pia compassio, quæ venire frequenter in contractum amicitiæ consuevit. Nulli, nisi vobis duobus, in curia scribo : unicam enim post Deum in vobis spei meæ anchoram fixi ; nec sum immemor verbi quod Veritas in Evangelio [77] D dicit : *Super quacunque re duo ex vobis consenserint super terram, fiet illis.* Ethnicus etiam dicit :

Non caret effectu quod voluere duo.

Valete.

EPISTOLA CL.

AD CLERICOS AULÆ REGLÆ.

ARGUMENTUM. — *Mitigat quæ in epist. 14 asperius in aulicam vitam dixerat, fateturque conveniens esse ut clerici aliqui, atque etiam episcopi in aulis regum versentur, modo gregem suum non deserant, et aulæ vitia non imitentur.*

Charissimis dominis et amicis clericis de curia A domini regis, M. PETRUS Blesens. Bathon. archidiac., salutem in auctore salutis.

In angustia corporis et mortis periculo constitutus scripsi vobis epistolam, in qua visus sum vitæ curialis militiam, ne dicam malitiam vehementius dehortari. Eo enim tempore gravi ægritudine tactus, et ideo gravi pœnitentia ductus, non solum curiam, sed mundum, et omnia quæ mundi sunt, immunda et damnabilia reputabam. Sicut per experientiam didicistis, infirmitas expressa est imago naufragii ; nam, dum navis illiditur saxis aut ventorum fluctuumque rabie procellosa concutitur, universa mundi pretiosa vilescunt, et in pœnitudinem transit, quidquid fuerat occasio voluptatis. Si ergo de corde contrito et humiliato ad vos exhortatoria manavit epistola, quempiam vestrum propter hoc scandalizari non decuit.

Diligo enim vos in Christi visceribus, et quidquid ad ædificationem vestram in ea scriptum est, non de odio curialium, sed de sincera charitate processit. Sane periculosum est in curia mori, nec leviter ascendet ad eminentiam perfectorum, qui se castrensibus alligavit vinculis, et curialem incidit labyrinthum. Sed nec vitam curialium damno ; qui, licet orationi et contemplationi non vacent, rei tamen publicæ utilitatibus occupantur et frequenter opera salutis exercent. Nec possunt omnes viam vitæ arctioris arripere ; angusta enim et ardua est via Domini ; sed magnum est, si hi, qui in montis eminentiam non ascenderunt, comitentur Lot, et salventur in Segor modica civitate [78]. Scio, quia hi, qui in regiæ familiaritatis sacrarium admittuntur, multa facere possint, et dicere, quibus pauperum necessitas sublevetur, foveatur religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur. In his et consimilibus misericordiæ operibus possunt sibi curiales ædificare ad vitam, si tamen non detrahant, si non invideant, si manus suas excutiant a muneribus, si malum pro malo retribuere non affectent. Vitium enim curialium commune est hoc, quod pro levissimo alterius excessu graviter excandescunt, atque simpliciter delinquentis errorem impatientissime ferunt, nec ad libram metiuntur injurias, quarum expetunt ulticnem.

Fateor quidem, quod sanctum est domino regi assistere, sanctus enim et Christus Domini est : nec in vacuum accepit unctionis regiæ sacramentum, cujus efficacia, si nescitur, aut in dubium venit, fidem ejus plenissimam faciet defectus inguinariæ pestis, et curatio scrophularum. *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, subjiciam civitates et regna* [79], dicit Dominus per prophetam. Ibi Cyrum regem, christum suum Dominus vocat. Unde et adolescenti, qui ad preces Saulis eumdem occiderat, noluit David parcere [80], eo quod in christum Domini manus temerarias injecisset. Mihi non videtur absurdum, si domino *regi*, juxta apostolum, *tan-*

[76*] Job. 19. [77] Matth. 22. [78] Gen. 19. Isai. 45. [80] II Reg. 1.

quam præcellenti, honorem et obsequium exhibetis [81]. Regibus enim non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis in omni humilitate et reverentia sentio serviendum [82]. Nam et Hebræi præcipiuntur orare pro Babyloniis [83], quia in pace principum quies est populorum. Sed et ipse Christus solvi a fidelibus Cæsari tributa decrevit [84]. Non solum ergo toleranda, sed desideranda est plerumque cum principibus conversatio clericorum. Legimus quidem sacerdotes et prophetas frequentiam et familiaritatem cum regibus habuisse. Tunc enim salubriter disponitur vita regum, cum religiosorum hortamenta sectantur, et ducuntur consilio sapientum. Verumtamen, licet episcopos et alios, qui curam in se gregis Dominici susceperunt, regum consiliis frequenter expediat interesse, sua tamen interest, ne ministerium vigilantiæ pastoralis evacuent, sed sint in conspectu regum suæ conditionis memores, et Petri naviculam, cui præsunt inter tempestuosos fluctus curiæ non relinquant. Nam et vectes, quibus arca Domini deferebatur, licet moveri et trahi in varias partes possent, extrahi tamen, aut avelli omnino non poterant [85]. In quo manifestissime figuratur, quod Ecclesiæ prælati, esti ad varias reipublicæ necessitates distrahuntur ad tempus, a sponsæ amplexibus, et a populi sibi crediti sollicitudine minime separentur. Ab antiquo desiderabile fuit in oculis principum gratiam invenire : nam et ethico teste,

Principibus placuisse viris non ultima laus est [86].

Non solum ergo laudabile, sed gloriosum reputo domino regi assistere, procurare rempublicam, sui
C esse immemorem, et omnium totum esse. Per me tamen nullus implicabitur, per me nullus explicabitur a vinculo curiali. Sequatur et teneat unusquisque propriæ voluntatis arbitrium. Nam et Josue in optione populi Israel ponit, servire diis Mesopotamiæ aut diis Amorrhæorum, aut Domino Deo, nulli volens imponere citra liberam voluntatem alienæ servitutis angariam [87]. Ego siquidem in hac et alia, quam præmisi vobis epistola, varia, et fortasse contraria scripsisse redarguar, sicut et Didymus in quodam librorum suorum [88], quos innumerabiles fecerat, quamdam legitur reprobasse historiam,
A quam in alio quodam librorum vehementissime commendabat. Sane, cum Salomon verba ista penitus contineat : *Responde stulto juxta stultitiam suam* [89], et : *Non respondeas stulte juxta stultitiam suam* [90], si in proverbiis et epistolis verba benignius exponantur, nec in vestro Ecclesiaste, nec in vestro Blesensi dicta sibi aliqua repugnabunt.

EPISTOLA CLI.

AD INNOCENTIUM III PAPAM.

[C. A. D. 1199.]

ARGUMENTUM. — *Obsecrat et adjurat summum pontificem, ut archidiaconatum Londiniensem sibi jam seni oblatum amplioribus curet ornari reditibus.*

Domino papæ INNOCENTIO (96), P. BLESENSIS, Londoniensis archidiac., salutem, et se totum ad pedes
B ejus.

Si ex abundantia cordis aliquid ore incircumciso imprudentius scribo, vos, qui spirituales estis, sustinete hujusmodi in spiritu lenitatis. Dedit enim vobis Dominus linguam eruditam, ut sciatis eum sustentare qui lapsurus est verbo, sed et lingua vestra clavis cœli facta est, et potestas, in cujus plenitudinem vocati estis, non ab homine, sed a Deo est. Audite ergo patienter, si plangam paululum dolorem meum, qui elevatus sum super ventum, ut turpius cadam, et fiam cæteris in theatrum et derisum. Quando mihi offerebatur Londinensis archidiaconatus, ipsum renuebam ; illudque verbum Isaiæ frequenter coram episcopo inculcapam : *Non sum medicus* ; et etiam, *In domo mea non est panis aut vestimentum : ideo nolite me constituere principem multitudinis hujus* [91]. Patriarcha Jacob, qui cum Domino frequenter habebat familiare verbi commercium, omnes dies vitæ suæ parvos et pessimos reputabat [92]. Ego vero usque ad hunc archidiaconatum omnes dies meos meliore lapillo, felicique transactos auspicio computabam : nunc autem sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. In vespera vitæ meæ sum, si tamen, quod vivo, vita est. Oppressus enim morbis, variisque incommoditatibus senectutis obsessus præcipuum habeo in votis, Vale sæculo dicere. Jamque per Dei gratiam delibor, et mortis respon-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(96) Erat hic ex illustri Hernicorum comitum familia in Campania Italiæ ortus ; qui primum Ecclesiæ Anagninæ canonicus, mox Lateranensis Ecclesiæ canonicus regularis fuit. Tum Lutetiam Parisiorum, studiorum causa, se contulit, ubi in omni disciplinarum genere peritissimus evasit ; adeo ut sacras litteras publice summa cum laude et admiratione docuerit. Dehinc a Clemente III cardinalis factus, et tandem post mortem Cœlestini III ad summum pontif, evectus est anno 1198, licet XXX tantum annos haberet ex Ciaconio. Illud autem de ejus promotione notandum, quod Cœlestinus III
D moriens convocatis cardinalibus persuaserit ut nullum alium eligerent quam Lotharium diaconum cardinalem SS. Sergii et Bacchi, doctrina et moribus insignem. Quod et factum est. Quanta autem egerit in pontificatu Innocentius III fuse narrant omnes historici, sed et ipsius scripta, maxime innumerabiles epistolæ decretales præclaras viri dotes abunde declarant. Sedit autem annis XVIII et mensibus sex.

Scripta est hæc epistola sub finem vitæ P. Blesensis, id est circa ann. 1199.

[81] I Petr. 2. [82] Ibid. [83] Jer. 29. [84] Matth. 22. [85] Exod. 37. [86] Horat. I. I. ep. 18. [87] Jos. 24. [88] Epist. 18. Hieron. *in Catal.* [89] Prov. 26. [90] Ibid. [91] Isai. 3. [92] Gen. 47.

sum in membris mei recepi, ejusque metatores se nituntur ingerere corpusculo tabescenti. O quam quietus et tutius mihi esset, semper latuisse sub modio quam in archidiaconatum Londinensem inconsultius ascendisse. Vere super ventum ascendi. Nam archidiaconatus ille draco est, non habens unde possit vivere, nisi vento. Ille siquidem honor est in solis et nudis, et puris intellectibus. Nam cum sint in illa civitate quadraginta millia hominum, atque centum et viginti Ecclesiæ; nec a laicis decimas, vel primitias, vel oblationes, quamvis sacerdotio fungar, accipio, nec ab aliqua Ecclesiarum synodalia, vel cathedraticum, sive procurationes vel auxilia, seu hospitia, nec aliquas consuetudines debitas archidiaconis possum elicere a subjectis. Ego tamen supra vires meas correctioni et eruditioni tam cleri quam populi anxia et indefessa sollicitudine me impendo. Nunquid magum esset, si spiritualia seminantes temporalia meteremus? Ubi est: *Sumite psalmum, et date tympanum* [93]? Ubi est: *Dignus est mercenarius mercede sua* [94]? Novit Deus, et novit tota regio, quod archidiaconus Londoniensis, nisi haberet aliunde subsidium vitæ, non posset se per mensem de universis illius honoris obventionibus exhibere. Quia igitur vocavit vos Deus in plenitudinem potestatis, et inter angelos suos, ut auferatis scandala de regno ejus, quod est Ecclesia, obsecro et adjuro gloriam sanctitatis vestræ, quatenus hoc malum, hoc scandalum abscindatis, et quod a diebus antiquis inordinate factum est, reducere vobis placeat, antequam moriar, ad gloriam honestatis. Si enim ex hoc patior, magis tamen successoribus meis compatior. Nescient enim fodere, erubescent egere, et ex necessitate cogentur turpiter et publice mendicare.

Præcipite, quæso, Eliensi et Wintonensi episcopis, ut ad locum accedant, et secundum statum aliorum archidiaconatuum istum ordinent; et quod statuerint apud regem faciant inviolabiliter observari. Sanctissime et potentissime Innocens, cum sis nocentium malleus, et innocentium consolator, aut ab hoc archidiaconatu apostolica benignitate me liberes, aut secundum gratiam tibi datam a Deo sic ipsum sola jussione tua per aliquos bonos viros ordines ac disponas, quatenus apud posteros gratiæ et gloriæ tuæ memoria super omnem memoriam perseveret.

EPISTOLA CLII.

AD EUMDEM.

ARGUMENTUM. — *Supplicat summo pontifici, ut ecclesia de Wolverhampton, cujus ipse erat decanus, propter incorrigibiles mores cleri commutetur in cœnobium Cisterciensis ordinis.*

Reverendo Patri et domino I. Dei gratia summo pontifici, P. Blesen. Londón. archid., salutem, et devotæ humilitatis obsequium.

Eram decanus Ecclesiæ de Wolverhampton in diœcesi Cestrensi, quæ tamen nulli erat obnoxia, vel subjecta pontifici, nisi archiepiscopo Cantuariensi et regi. De antiquissima enim consuetudine, quæ apud multos pro jure habetur, reges Angliæ semper illum donavere decanatum. Ad decanum vero spectabat donatio et institutio præbendarum. Porro, quia clerus ille omnino indisciplinatus erat, sicut Wallenses, et Scoti, tanta in eis obrepserat vitæ dissolutio, ut vitium evaderet in Dei contemptum, in animarum perniciem, atque in infamiam cleri, et in totius populi sibilum et derisum. Et, ut verba Scripturæ transsumam, cantabantur eorum turpitudines in triviis Geth, et in compitis Ascalonis [95]. Frequenter eis ad memoriam reducebam illud Osee: *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda* [96]. Ipsi vero publice et aperte fornicantes prædicabant sicut Sodoma peccatum suum, et in palpebris popularis infamiæ ducebant uxores, alter alterius filiam, sive neptem; tantaque erat cognationis connexio inter eos, ut colligationes impietatis eorum nemo dissolvere prævaleret. Erant enim quasi squamæ Behemoth [97], quarum una um conjungitur, et spiraculum vitæ non incedit per eas. Terra proinde clamabat abversus eos, et cœli revelabant iniquitates eorum. Exactissima diligentia laborabam vitiorum in eis propagines venenosas excidere, sed facilius converterem lupos in oves, et feras in homines. Non enim mutabit Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas [98]. Quoties aliquos eorum in ecclesia poteram congregare, ut mihi liceret cum eisdem sermonis habere commercium, ipsi more aspidis obturabant aures suas, nolebant enim intelligere ut bene agerent [99], imo quasi montes Gelboe, super quos nec ros, nec pluvia cadit [100] salutaribus monitis adversantes de suis criminibus aut discriminibus non curabant. Miseri quippe projecerant intima sua, atque in reprobum sensum dati currebant effrenes, quasi equi emissarii in omnium præcipitia vitiorum.

Instabam correctioni eorum totis medullis animæ, toto charitatis affectu; erat enim dolor continuus cordi meo, sed oderunt corripientem in porta, et salutem loquentem abominati sunt. Incumbebam orationi, et ponebam in pulvere os meum, si forte esset spes, loquebar in amaritudine animæ meæ gemens: et ne adeps deesset compassionis sacrificio, amaritudinem contriti cordis lacrymis condiebam. Terribiles comminatorias scribebant eis rex et archiepiscopus: ego autem constantissime promittebam quod pontifex Romanus tolleret locum et gentem, et ejicerentur de habitationibus suis; sed de comminatione crescebat eorum contumacia, et de commonitione contemptus. Pauci erant, sed

[93] Psal. 80. [94] Luc. 10. [95] II Reg. 1. [96] Ose. 4. [97] Job. 41. [98] Jer. 13. [99] Psal. 35. [100] II Reg. 1.

eorum iniquitas in multitudinem plebescebat, multiplicabantur genimina viperarum. Ova aspidum erumpebant in regulos, et de radicibus venenosis spuria vitulamina pullulabant. De semine Canaan progrediebatur generatio prava et exasperans, filii Belial, filii, scelerati. Qui volentes hæreditate possidere sanctuarium Dei, quoties aliquo canonico decedente substituebatur aliquis vir honestus, defuncti nepos aut filius, patrimonium suum esse dicebat, quod erat patrimonium Crucifixi. Fugiens ergo in silvam, factusque socius furum, et spoliantium homines ferro et flammis, in substituti canonici perniciem grassabatur. Videns itaque, quod jam miseri appropinquabant ad portas mortis, meumque considerans imperfectum capiebam anathema esse a fratribus tantæ malitiæ, cui finem imponere non poterat etiam finis vitæ. Erat dolor continuus cordi meo, quod temerarius ego curam eorum susceperam, quorum iniquitates irrumpere non valebam Intelligebam Judicem districtum rationem villicationis meæ, et eorum perditionem de manu mea terribiliter exacturum, majusque esse omni thesauro, quod certo discrimini exponebam. Odivi ecclesiam malignantium, mihique facta est cohabitatio eorum, sicut spelunca leænæ; sic dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ut eant post concupiscentias suas. Non est enim Deus in conspectu eorum; nec est inter eos, qui terribilia Dei judicia timere velit, aut credere, donec fodiatur peccatori fovea, quousque Deus cognoscatur judicia faciens; et qui lætatur et exsultat in rebus pessimis, subito ad inferna descendat. Prointe accessi ad dominum Cantuariensem, rogans humiliter et obnixe, quatenus auxilio ejus et assensu domini regis spurcitiæ illius abominatione sublata, Cistertiensis ordinis ibidem religio plantaretur. Ad hoc plurimum favoris addebat, quod locus ille abundat silvis, atque pascuis et irriguis aquis, atque redditibus, qui per industriam cauti viri magnum cito caperent incrementum. Sub exspectatione ergo istius mutationis, quæ vere est dexteræ Excelsi, decanatum in manu ejus solemniter resignavi. Ipse autem, tanquam præcipuus religionis amator invigilat et insudat operi, et jam quosdam de Cisterciensi ordine introduxit, qui locum ecclesiæ, et officinarum limitent, et disponant.

Propterea vos, sanctissime Pater, quem constituit Deus inter messores angelos, ut per vos de regno ipsius scandala colligantur, nostrum, quæso confirmate propositum, et monasterio, quod archiepiscopus in exsultatione universæ terræ de assensu regis ædificare intendit, favorem et gratiam benignitatis

A apostolicæ misericorditer indulgere velitis. Porcorum stabulum, Satanæque prostibulum convertite in templum Dei, et in officinam Spiritus sancti. Auferantur impudicitiæ, atque latrocinia perditorum, et ædificetur his, qui quærunt faciem Dei Jacob, paradisus voluptatis, ubi fruantur contemplationis deliciis, Rachelis amplexibus; ubi sit præsepium Christi, fossa cubiti unius, quam vidit Ezechiel in altari [1]. Exstirpate malitiam et seminate innocentiam, sanctissime Innocenti. Suscitate de lapidibus filios Abrahæ. Arripite, quæso, zelum Phinees, ut cancerosa hæc pestis, quæ decorem domus Domini enormiter decolorat, præcidatur in istis; similesque apostolici rigoris terreantur exemplo. Cedet equidem ad gloriam, si per vos Christi gloria dilatetur, B et de merito hujus boni obtinebitis æternaliter dies bonos.

EPISTOLA CLIII.

AD HENRICUM II REGEM ANGL.

[C. A. D. 1173.]

ARGUMENTUM. — *Rothomagen. et Lexov. episcopi legationis suæ ad Franciæ regem summam libere exponunt, causas belli ab eo in exitium regni regisque Angliæ indicti produnt: monentque ut suis aliorumque precibus Deum sibi propitium reddat.*

HENRICO Dei gratia illustri regi Anglorum, etc., R. Rothomag. archiepisc., ARNULFUS Lexoviensis episcopus, salutem in eo per quem reges regnant.

Tanto tempestivius ac diligentius injumncta nobis egationem duximus prosequendam (97), quanto C periculosior in tanto discrimine dilatio videbatur. Francorum adivimus, blandissimaque salutatione præmissa ipsius prævenientes offensam, nulla cautela potuimus vestræ salutationis extorquere responsum. Singulos nostræ legationis articulos explicavimus seriatim, commoda pacis, et incommoda dissensionis frequentius inculcantes. Ipse vero verbum nostrum in omnibus, sola salutatione excepta, patienter admisit. Expedito itaque diligenter nostræ legationis excursu, spatio modici temporis interjecto contumeliose cœpit nobis fraudes et versutias exprobrare, quibus se conquerebatur sæpissime circumventum. Dicebat, quod fidem inter vos mutuo compromissam frequenter occasione levissima violastis, vosque in omnibus adeo exhibuistis instabilem, quod non D adhibebit de cætero vobis fidem. Non sit vobis, rex illustrissime, onerosum, si, quod audivimus, loquimur. Hæc est enim nuntiorum conditio, ut de injuncto sibi mandato nil subticeant, nil rescindant vel diminuant de responso.

Addebat etiam, se firmissimum habuisse propositum expugnandi vos, antequam Carnotum filius

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(97) De hac Rotrodi et Arnulfi legatione legendi passim historici hujus temporis ad ann. circiter 1173.

[1] Ezech. 43.

vester adventasset; istasque occasiones dissensionis et odii proponebat, quod filiam suam ad virum suum redire non sinitis, quod ei dotem ejus non redditis, quod subditos suæ ditioni populos a montibus Alverniæ usque ad Rhodanum, in ipsius odium concitastis, quop in coronæ suæ dispendium comitem S. Ægidii in ligium hominem recepistis. Tandem etiam juramento firmavit, se nunquam de cætero vobiscum fædus aut concordiam habiturum, nisi de vestræ uxoris et filiorum vestrorum assensu. Nunc igitur in custodiendis munitionibus vestris, et potissime in corporis vestri tutela saniore consilio est utendum. Communi enim voto in exitium vestrum tota Francia conspiravit. Nec satis est ei exterminare terræ faciem igne et gladio; sed in vestram personam, quod absit! scelus exsecrabile machinatur. Consulimus sane, si qua abstulisti, si læsisti aliquem, ablata restituere, et odia reformare in gratiam. Hoc enim inimicos vestros potissime invitat ad pugnam, quod intestinos hostes sentiunt vos habere; et qui vobiscum dulces capiunt cibos data opportunitate magnificabunt super vos supplantationem. *Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem fortitudinem brachii sui*[1]. Quid est amabilius filiis? quid uxore familiarius? recessit tamen uxor a latere vestro, et filii insurgunt in patrem. Ideo non frustratorie loquebatur homo ille hominum prudentissimus, qui dicebat: *Amico ne credas. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Filius enim contumeliam facit patri; et inimici hominis domestici ejus*[2]. Sane suffragia illius imploranda censemus, in cujus manu sunt corda regum[4]. In ejus nomine parvitati David Goliæ subjacuit magnitudo[5]. In ejus nomine Samaria adeo fame confecta obsidente Benadab[6], quod triginta argenteis caput aisini vendebatur, sub ictu oculi liberata est, exuberantique victualium affluentia redundavit. In eo siquidem sperans non infirmabitur. Si exsurgat adversus vos prælium, in hoc sperate. Si exsurgant adversus vos castra, non timebit cor vestrum; ipse enim docebit manus vestras ad prælium. Accipite vobis in auxilium preces Ecclesiæ; quam, si in aliquo offendistis, debita satisfactione impensa et de cætero omnem reverentiam exhibete. Sponsa enim Christi est, in injurias sponsæ Christus reputat suas; nec est, quod magis hostes vestros incitet ad conflictum, quam quod arbitrantur vos Ecclesiæ Dei minus exstitisse devotum. Bene valeat charissimus dominus noster, et de his, qui se contra eum in superbia et abusione erigunt, reportet in virtute Altissimi gloriam et triumphum.

EPISTOLA CLIV.

AD REGINAM ANGLORUM.

[A. D. 1173.)

ARGUMENTUM. — *Monetur regina Anglorum Aleonora, ut una cum filiis in patrem Henricum conspirantibus viro reconcilietur.*

Reginæ Anglorum (98), Rothomagensis archiepiscopus, et suffraganei sui, salutem, et quæ ad pacem sunt quærere.

In publicam notitiam venit, nec alicui Christiano licitum est ignorare, quam firma et indissolubilis sit copula conjugalis. Matrimonia semel inita separari non posse sanxit Veritas, quæ mentiri non potest: *Quod Deus*, inquit, *conjunxit, homo non separet*[7]. Sicut autem divini mandati se transgressorem constituit, qui separat conjugatos, ita culpabitis conjugata est, quæ se a viro suo separat, fidemque socialis vinculi non observat. Cum una caro conjuges efficiantur, necesse est ut unionem corporum comitetur spirituum unitas et paritas in consensu. Naturæ conditionem, apostoli mandatum, et Evangelii legem mulier illa evacuat, quæ viro non est subdita. *Caput* enim *mulieris vir* est[8], de viro sumpta est, viro est unita, viri subdita potestati. Omnes itaque communi et lamentabili quærimonia deploramus, quod, cum sis mulier prudentissima, divertisa viro, recedit latas a latere, membrum capiti non deservit, imo, quod enormius est, viscera domini regis, et tua pateris insurgere contra patrem, ut merito cum propheta dicat: *Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me*[9]. Utinam, sicut alius propheta commemorat, prævenisset hora novissima dies nostros, et operuisset terra faciem nostram, ne videremus hæc mala! Scimus quia, nisi revertaris ad virum tuum, eris generalis ruinæ occasio; et quod singulariter nunc delinquis, in commune dispendium convertetur. Revertere itaque, regina illustris, ad virum tuum et dominum nostrum; ut in tua reconciliatione reformetur laborantibus quies, et in tuo reditu lætitia redeat universis. Si te ad hoc non promovent preces nostræ, te saltem afflictio populorum, imminens pressura Ecclesiæ et desolatio regni sollicitet. Aut enim mentitur Veritas, aut *omne regnum in se divisum desolabitur*[10]. Sane hæc desolatio in dominum regem converti non potest, sed in filios ejus et successores ipsorum; contra manum femineam, et consilium puerile provocatis offensam domini regis, cui etiam

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(98) Ea est Alienora, de qua et de iis quæ in hac epistola aguntur, vide quæ superius diximus ad epist. 144. Scripta est hæc epistola sicut et superior ann. 1173, quo Henrico patri bellum inferebant ejus filii.

---

[1] Jer. 17. [2] Mich. 7. Matth. 10. [4] Prov. 21. [5] I Reg. 17. [6] Reg. 6. [7] Matth. 19. [8] Ephes. 9. [9] Isa. 1. [10]. Luc. 11.

fortissimi reges colla subjiciunt. Eapropter, antequam res in deteriorem exitum vergat, redeas cum filiis ad maritum, cui parere et cohabitare teneris; te converte, nec tibi aut tuis filiis sit suspectus. Certissimi enim sumus quod omnimodam exhibebit vobis dilectionem et securitatis plenissimam firmitatem. Mone, quæso, filios tuos, ut patri suo subditi et devoti existant, pro quibus tot passus est angustias, tot discrimina, tot labores. Unde ne inconsulta facilitas dilapidet ac disperdat quod tantis est sudoribus acquisitum, hæc tibi piissima regina, et zelo Dei dicimus et sinceræ charitatis affectu; parochiana enim nostra es, sicut et vir tuus. Non possumus deesse justitiæ. Vel redibis ad virum tuum, vel jure canonico constringemur et tenebimur in te censuram ecclesiasticam exercere. Quod quidem inviti dicimus, et quod, nisi resipueris, cum dolore et lacrymis faciemus. Valete.

EPISTOLA CLV.

AD PRIOREM ET CONVENTUM DE CHARITATE (99).

[1174 ?]

ARGUMENTUM. — *Rothrodus archiepisc. Rothomag., tempore belli invitatus a monachis ad quietem, purgat se, quod a grege sine scandalo abesse non possit; rogatque ut, si pax componi inter regem patrem et filium ac regem Francorum non possit, precibus suis rem Domino commendent.*

R. Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus charissimis amicis suis E. priori de Charitate, et universo conventui salutem in eo, qui salus est omnium.

Cum super impensis olim obsequiis vobis teneamur multipliciter obligati, cumulatius tamen redundat ad meritum, quod de tribulatione nostra vocatis nos in quietem, quod ad omne obsequium liberaliter vos offertis. Et quidem, si nulla dissensio Normanniam turbasset, si plena pace frueremur, ad vos anima nostra totis nisibus anhelaret : nedum hac tempestate, cum apud vos conversari beatitudinem repulemus, et imaginem alterius paradisi. Nihil est quod nostras angustias hodie gravius exacerbet, quam et recordatio, et amissio quietis illius, quam vobiscum duximus inter vos tanquam extra sæculum, tanquam inter angelos conversantes. Nunc itaque ad nostrorum votorum plenitudinem accederet, facere quæ rogatis, si sine prægrandi et enormi scandalo posset fieri. Sed in hac strage publica desolatas oves relinquere, potius esset mercenarii quam pastoris : non dicimus quod hostibus velimus occurrere, qui hostes non videmus, qui dominos nostros aspicimus utrobique, qui domini regis Francorum, et domini regis Anglorum, et junioris regis filii sui eminentiæ tenemur obnoxii et devoti. Si pacis reformatores esse non possumus, Deum saltem rogabimus quæ ad pacem sunt. Vices agemus episcopi, vivis condolebimus, et commoriemur mortuis, et mutuo compassionis participio pressuram publicam, et commune discrimen proprium faciemus. Utinam nostro sanguine posset hæc strages redimi et compensari morte nostra cum generali dispendio; soli enim pateremur, quod passuri sunt universi. Orate igitur, dilectissimi fratres, Dominum nostrum, ut respiciat in faciem testamenti sui, et tumultum præsentis discordiæ tranquillet ad pacem. Si enim spes pacis nobis arrideret, hoc unum habemus in votis vobiscum illud tantillum vitæ expendere, quod nostræ residuum est senectuti. Valete.

EPISTOLA CLVI.

AD G. ELIENSEM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Implorat auxilium episcopi, ut liberet se ære alieno.*

Charissimo domino suo G. Dei gratia Eliensi episcopo suus P. Bles. Bath. archid., salutem et misericordiæ visceribus abundare.

Necessitate urgentissima tractus vado Cantuariam crucifigendus a perfidis Judæis, qui in gravi patibulo debitorum me torquent et affligunt usuris. Eamdem crucem exspecto Londoniis, nisi misericorditer me liberaveritis; apud quem misericordia et copiosa redemptio exspectatur. Auferatis igitur, pater et amice charissime, crucem istam, et sex libras, quas debeo Samsoni Judæo, in vos suscipiatis, quatenus in hac liberatione mea obligationem in obsequium et debitum in gratiam convertatis. Valete.

EPISTOLA CLVII.

AD G. VICARIUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Monet vicarium suum, ut pro grege sibi commisso sedulam curam gerat, et vitæ exemplo præeat eos quos docet.*

M. PETRUS Bles. Bath. archid. G. vicario suo salutem in eo, qui salus est animarum.

Licet circa debitum ecclesiasticæ administrationis sis instructus ad plenum; quia tamen vices meas exsequeris in hac parte, plurimum interest mea tanto consideratius te sollicitudinem animarum gerere, quanto certius est hujus officii negligentiam in commune salutis nostræ dispendium redundare. Salus quidem animarum, quarum custodiam suscepisti, de tuis manibus in districto et summo examine requiretur; nec materiam excusationis habelo legitimam, qui, etsi curam ani-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(99) Prioratus hic qui primum est Cluniacensis abbatiæ membrum, situs est ad Ligerim in diœcesi Antissiodorensi. Dictus est autem de Charitate, ob ingentes eleemosynas quas ibi omnibus undequaque venientibus largiebantur monachi. Dicitur fundatus primo a Pippino rege Franciæ, circa annum Christi 754. Tum everso a Wandalis ann. 741 monasterio, aliud de novo a Gaufrido episcopo Antissiodorensi, et a patre ejus Hugone et fratre Guillelmo Nivernensibus comitibus ædificatum fuit anno 1056, et sancto Hugoni abbati Cluniacensi datum.

marum non habuerim, ei tamen idoneum debui providisse pastorem. Eapropter moneo te, frater, et exhortor in Christo, vineam Domini Sabaoth, cujus tutela providentiæ tuæ commissa est, vigilanter et circumspecte custodias. Sunt enim vulpes, quæ demoliuntur latenter hanc vineam, occulti videlicet inimici versutiæ, qui non solum subjectorum pernicie delectantur, sed electorum observant calcaneum, et prælatos sibi delicatius acceptant in cibum, sicut Scriptura testatur, quia cibus Behemoth cibus electus. O perditos homines, qui non attendentes, quantum eis ex animarum cura discrimen immineat, sic se ad susceptionem honoris cum aviditate præcipitant. Et cum Apostolus dicat, nemo *sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [11]; ipsi non electi, non vocati, periculosæ administrationi se ingerunt et important. Infelicissimus sacerdos ad animæ suæ providentiam omnino non sufficit, et multarum animarum curam attentare præsumit; procul dubio mercenarius est, bursæ lucrum quærit, non animæ. Cum enim sentiat se peccatis oneratum, mole hujus corporis aggravatum, terrenis curis implicatum, carnalibus desideriis occupatum, contra persecutiones infirmum, timoribus trepidum, anxium suspicionibus, obnoxium infinitis necessitatibus, ærumnosum, proclivum ad vitia, invalidum ad virtutes, qua præsumptione aggreditur onus ferre, quod per horam non sufficit sustinere? Sed excæcat miserum exsecranda ambitio qui, dum obventiones altaris percipit, de viduarum lacrymis, et patrimonio crucifixi pascitur, non attendit quod hæc in die tremenda a Domino exactissime requirentur. *Propter hoc irritavit impius Deum; dixit enim in corde suo: Non requiret* [12]. Certe requiret Dominus usque ad novissimum quadrantem. Ipse tamen longanimis et in multos misericors ad tempus cum patientia sustinet nequitiam sacerdotum; sed *cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non refugient* [13]. Hæc ideo tibi, dilectissime frater, intimanda decrevi, ut statum vitæ tuæ consilio maturiore disponas, et si circa curam Dominici gregis te negligenter hactenus habuisti, redimatur jactura temporis, et quod perperam factum est, in melius reformetur. Si vis alios regere et docere, prius te ipsum regas et doceas: *Cœpit Jesus facere et docere* [14], prius fac, et postea doce. Male doces, si male agens bene loqueris; fortior est enim vox operis, quam vox oris. In ordinatione sacerdotis labia et manus Domino consecrantur. *Labia* enim *sacerdotis custodiunt justitiam* [15]. Manus vero mundi simas esse oportet, quæ mundissimam carnem et sanguinem Christi tractant. Sint ergo verba tua subjectis ad fructum; sint opera ad exemplum, teste Gregorio [16]: Si perverse agis, tot mortibus te dignum constituis, quot ad subditos tuos perditionis exempla transmittis. Sane vitam singulorum, qui de tuo grege consentur, diligenter explora; si quid inveneris corrigendum, primum illud corripias in spiritu lenitatis; *si* te *non audierit, dic Ecclesiæ* [17]; et si plaga incurabilis adhuc adhortationum fomenta non senserit, ferrum abscissionis appone. *Argue, insta, obsecra opportune, importune* [18]. Si quod tuum est feceris, et increpatio tua id non fecerit, ad quod missa est, sed vacua revertatur tanquam jaculum feriens et resiliens, non est quod tibi de cætero imputetur ad culpam. Ille enim te excusat, qui dicit: *Nolunt audire te, quia nolunt audire me* [19]. Et: *Qui vos spernit, me spernit* [20]. Si exhortatio tua fructum fecerit, animam tuam lucraberis cum anima aliena. His et similibus te ad frugem vitæ melioris invitare poteram; sed, ut multa concludantur in paucis, consilium meum est, ut te a sollicitudine animarum omnino exoneres, aut te talem studeas efficere, qui ante terribile tribunal summi judicis de tua et aliorum animabus sufficias respondere.

EPISTOLA CLVIII.

AD JOANNEM CARNOTENSEM EPISCOPUM.

[A. D. 1176.]

ARGUMENTUM. — *Graviter queritur in curia Romano quosdam muneribus corruptos hominem illitteratum et laicum contra canones præficere conatos abbatiæ, sed frustra.*

Charissimo Patri et domino suo J. Dei gratia Carnotensi episcopo, suus P. Blesen. Bath. archid. salutem et promissæ misericordiæ reminisci.

Quia scio vos occupatum circa sollicitudinem ecclesiarum, paucis utor verbis, ne vestræ sanctitatis aures impediam utilitati publicæ deputatas. Expletis feliciter et super omne desiderium meum negotiis, quæ mihi Dominus meus specialiter injunxerat (100), accepta benedictione et licentia recedendi a domino papa, salutatis cardinalibus laetus ad reditum accingebar, cum superveniente electo S. Augustini, dominus papa magistrum G. (1) et me ab incœpto itinere revocavit: benigne siquidem receptus est ab eis qui, sicut scitis, gratius acceptant hominum munera quam merita personarum. Sperabant enim quod promotio ejus esset rixæ mate-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(100) De hac legatione Petri Blesensis ad curiam Romanam pro archiepiscopo Cantuariensi adversus Rogerum abbatem Sancti Augustini, vide quæ dicta sunt in Vita ejusdem Blesensis, et in notis nostris.

(1) Ille est Gerardus Puella, de quo vide quæ dixi alias.

Scripta est anno 1176, cum Roma rediret Petrus Blesensis.

[11] Hebr. 5. [12] Psal. 9. [13] I. Thess. 5. [14] Act. 1. [15] Mal. 2. [16] G. 3, p. *Pastor.* adm. 5. [17] Matth. 18. [18] II Tim. 4. [19] Ezech. 4. [20] Luc. 10.

ria et majoris emolumenti occasio; atque fluvium A absorbentes, habebant fiduciam, quod in os eorum Jordanis influeret. Stabat ex adverso constanter et prudenter magister G.; stabam et ego, sicut ministrabat in dulcedine sua pauperi Deus. Verumtamen et leges, et canones, et quidquid de sacro eloquio ad nostræ partis assertionem poteramus inducere, funestum quidam majores inter cæteros et sacrilegum reputabant, nosque hostes Romanæ Ecclesiæ publice judicabant, nisi cessaremus ab hujusmodi verbis, quibus Ecclesiam S. Augustini, quam suam specialiter asserunt, Ecclesiæ Cantuariensi subjicere conabamur. Damna siquidem animarum non attendentes in monachis, omnia illicita eis licere permittunt, in jugo disciplinæ prorsus abjecto, vagi et petulantes ad omnes carnis currant illecebras, B omnesque excessus, quos per annum faciunt, annua redimant pensione. Cum itaque nobis publice fuisset inhibitum, ne in causa ista canones aut leges deduceremus in medium, sed privilegia duntaxat, si quæ haberemus ad manum, quorum nullum eo tempore nos habere sciebant, viderentque nos in hac parte omni solatio humano destitutos, et quod in votis haberent hominem illitteratum et laicum, sed in emendis honoribus circumspectum, præficere abbatiæ, quam Simoniaca venalitate acquisierat, non occulta, sed publica et forensi, prosilui ad accusationem, atque adversus electum paginam inscriptionis arripui. Cum enim manifesta et notoria proponerem contra eum, illi quos amicos sibi fecerat de mammona iniquitatis, opinionis ejus et infamiæ C vulneribus vinum et oleum infuderunt. Exhaustis itaque Flandriæ mercatoribus in argento, a Romanis tandem infinitam multitudinem auri mutuavit. Sic pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in fulgore auri fecerunt, ut non audirent illi duo, vel etiam unum de libertatibus et dignitatibus sanctæ matris Ecclesiæ Cantuariensis, pro quibus beatus martyr certavit usque ad mortem, et quas moriens confirmavit in cerebri sui effusione, et sanguine proprio rubricavit. Injunxerant electo, ut se tonderi et radi faceret, benedictionem a domino papa sequenti Dominica recepturus. Inter angustias igitur et cruces, inter mortes innumeras constitutus, videns quod non converteretur in judicium justitia nostra, ad nativæ rationis argumenta me contuli, D fecique sine promissione aliqua, sine donorum aliquorum impendio, quod benedictio elongata est ab eo. Causa igitur Cantuariensis Ecclesiæ Deo et nostro martyri commendata, Julio ingrediente, cum febre gravissima curia sum egressus. Bene valeatis.

EPISTOLA CLIX.

AD HENRICUM BAJOCENSEM EPISCOPUM.

ARGUMENTUM. — *Episcopum Bajocensem sic officii sui commonefacit ut tamen veniam deprecetur quod id facere ausus sit.*

Dilecto et super omnia diligendo H. (2) Dei gratia Bajocensi episcopo, PETRUS Blesensis salutem, et si quid pretiosius est salute.

Litteras vobis sæpissime destinassem, sed vereor ne importunitati detractor ascribat, si minus tempestive vestram interpello sollicitudinem publicis Ecclesiæ utilitatibus occupatam. Verum posthabito detractionis universæ discrimine, loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Licet enim supra hominem sit, tamen se non diffitetur hominem, et qui, dum in hac dissimilitudinis terra, et inter Chaldæorum officinas, in munditia castitatis puritati conversationis angelicæ se conformat, gloriæ sæcularis aura non quatitur, favorem populi calcans, quem alii cum labore venantur. Offerat itaque dominus meus caput et caudam hostiæ, et quod fideliter cœpit et feliciter, exitu feliciore consummet, et cujus nomen sicut unguentum effusum est, sit Christi bonus odor in vitam, ut quod mutabile est, convertatur in solidum, et quod mundanum in cœleste, et quod temporale est in æternum. Posui os meum in cœlum, et sapientiam insipientissimus doceo: qui immundis conscientiæ vermibus plenus sum, eum moneo, cujus conversatio in cœlis est, qui ut myrrhæ fasciculus jam inter sponsæ ubera commoratur. Ipse est enim, qui in mundo existens mundum ignorat, et carnis propriæ persecutor in odore unguentorum decurrens cantat: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* [21]. Imposuissem utique ori meo silentium, nisi quia scriptum invenio: *Mone sapientem, et te diliget: argue imprudentem, et te habebit exosum* [22]. Nabal ex commonitione legitur deterior [23], Pharao pertinacior [24]. Manasses ex correptione resipuit [25], Balaam ex asini loquela maledicendi revocavit propositum [26]. Moyses ad monitionem Jethro publicæ administrationis officia consultius dispensavit [27]. Audiat itaque dominus meus asinum rugientem, et recensentem verbum illud Apostoli: *Quotquot perfecti sumus, sumus tamen imperfecti* [28]. Et alibi: *Cum omnia bene fecerimus, dicamus quia servi inutiles sumus* [29]. Job siquidem attestante: *Qui Deo serviunt, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem* [30]. Eliasse solum justum existimans clamabat ad Dominum: *Domine, altaria tua subverterunt, prophetas tuos occiderunt, et ego solus remansi inter eos, et quærunt animam meam* [31]. Quem Dominus increpans: *Adhuc*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(2) De illo Henrico vide notas ad epistolam 50.

[21] Cant. 8. [22] Prov. 9. [23] I Reg. 25. [24] Exod. 11. [25] II Paral. 33. [26] Num. 22. [27] Exod. 18. [28] Philipp. 3. [29] Luc. 17. [30] Job. 4. [31] III Reg. 19.

inquit, *restant septem millia, qui non curvaverunt genua sua ante Baal* [32]. Petrus ibi lapsus est, ubi confidentius promiserat se staturum [33]. *Qui* ergo *stat, videat ne cadat* [34]. Diffusius vobis scriberem, sed vereor, ne videatur converti epistola in sermonem. Indue, quæso, charissime, tunicam talarem Joseph, et sicut huc usque fecisti, persevera ut consummes, pugna legitime ut triumphes. Principium et finis omnium Deus tuo finem coaptet initio, teque sibi sanctum, et nobis conservet incolumem. Vale.

EPISTOLA CLX.

AD ODONEM PARISIENSEM EPISCOPUM.

[C. A. D. 1197.]

ARGUMENTUM. — *P. Blesensis, quoniam vigenti sex annis in Anglia vixerat, petit ab Odone episcopo revocari in Galliam, ut si non vivere, saltem sepeliri possit in sua patria.*

Suo domino O. (3) suus devotissimus P. Bles., salutem, et si quid desiderabilius est salute.

Gloriæ vestræ conglorior, quia sicut ex multiplici commeantium relatione agnovi, famæ vestræ titulus, laus et honor incessanter accrescit. Sicut unguentum effusum est nomen vestrum, effundite tamen et dilatate amplius ejus gloriam, ut sicut Abram in Abraham, Odo transeat in odorem, quatenus *Christi bonus odor* sitis *in omni loco* [35], descendat de capite Aaron in oram vestimenti ejus generosæ liberalitatis unguentum [36], ut nos, qui ad vestræ tactum fimbriæ aspiramus, trahamur post vos, et curramus in odore unguentorum vestrorum [37]. Oleum siquidem gratiæ crescit ex impendio, nec exuberantiam ignorabit, donec vasis deficientibus desinat erogari. Vigenti sex annis in Anglia peregrinans, linguam, quam non noveram, audivi. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* [38], tanto tempore, et non est qui compatiatur exsuli; non est qui commoveatur super contritione Joseph! Nunquid semper ero vagus et profugus super terram? Nemo finem imponet peregrinationi meæ, ut saltem semel ante supremi spiritus exhalationem in aere nativo mihi liceat respirare? Plerique peregrinationi diutinæ assueti patriæ præacceptant exsilium, factique vitula Ephraim docta diligere trituram [39], tædium exsilii palearum solatio recompensant. Ego aliter sentio.

Me natale solum quadam dulcedine tangit:
Semper et immemorem non sinit esse sui [40].

Præsules Galliarum, apud quos factus sum tanquam mortuus a corde, tanquam vas perditum, mihi nimis obduruerunt ad gratiam; sed surgat aquilo, et veniat auster perflans cor vestrum. Veniat verbum Dei, et liquefaciat illud, et fiante spiritu misericordiæ fluant in me vestrarum aromata gratiarum. Nescio sane, unde veniat, aut quo vadat benignus quidam spiritus suggerens assidue mihi, quod Deus gratiæ vestræ specialiter meæ revocationis ministerium reservavit. Obdurentur igitur contra me qui carnaliter sapiunt, et ille mihi ad misericordiam liquefiat qui spiritu Dei agitur. Nam et in deserto carnes olim obdurari ad solem et manna liquescere Scriptura testatur [41]. Propterea exspectabo in silentio salutare meum, et audiam quid in me loquatur Dominus meus. Sæpe enim me jacentem erigit, et fiduciam mihi exhilarat languescentem, quod magni episcopi contribules vestri, quorum memoria in benedictione est, me quodam gratiæ specialis privilegio coluerunt, et exempti de terra in vobis plantaria veteris amicitiæ reliquerunt. Cum Bituricensis Ecclesiæ præcentor essetis, ad solatium alienigenarum manum munificentiæ vestræ usque ad novissimos fines Angliæ porrexistis, nec abbreviata est manus vestra, sed tanto facta est ex consecratione protensior, quanto præcentore major est præsul.

Quis nescit longas præsulis esse manus [42]?

In promptu est, quantum vobis ex mea revocatione honoris et utilitatis accedat. Credo enim quod, sicut Apostolus dicit, data sit vobis manifestatio spiritus ad utilitatem [43]. Sane, ut prophetico verbo utar: *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum* [44]. Auferat innata vobis liberalitas ignominiam peregrinationis et exsilii mei, ut me prorsus vindicetis in vestrum, totumque vestro militet honori et obsequio, si quid sum, si quid valeo, si quid scio, si quid habeo, si quid possum. Quidquid mihi feceritis, quoddam breve precarium erit, vestrumque beneficium cum multa gratiarum actione Dei et hominum tempestive redibit. Cui non licet in patria vivere, saltem liceat sepeliri. Et, ut in versu Lucani claudatur epistola.

. . . . *Liceat tumulo scripsisse, Catonis*
Martia: sic liceat mihi scribere, Petrus Odonis.

EPISTOLA CLXI (4).

ARGUMENTUM. — *Graviter conqueritur eum quem summum suum amicum arbitrabatur, factum infestum hostem et obtrectatorem. Videtur scripta ad episcopum.*

Inhonestum est illos severis altercari dissensio-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(3) Ille est Odo de Soliaco episcopus Parisiensis, de quo fuse locuti sumus ad epist. 126.

Videtur scripta hæc epistola circa an. 1197, nempe paulo post promotionem Odonis, qui consecratus est episcopus ann. 1196.

(4) Hæc et sequentes epistolæ non recensentur a multis inter epistolas Petri Blesensis : unde et carent titulis, saltem inscriptionibus, et in paucis exemplaribus reperiuntur.

[32] III Reg. 19. [33] Matth. 26. [34] I Cor. 10. [35] II Cor. 2. [36] Psal. 132. [37] Cant. 1. [38] Psal. 119. [39] Ose. 10. [40] Ovid. *De Pont.* I, eleg. 4. [41] Exod. 16. [42] Ovid. *Her.* ep. 16. [43] I Cor. 12. [44] Isai. 4.

nibus, ad quorum æmulationem suæ vitæ statum cæteri debuerant conformare. Me equidem in tuæ familiaritatis sacrario repositum opinabar, te solum judicabam me alterum Tu versutiæ toxicum fovens, vulpinæ machinam fraudis sophisticæ dilectionis involucro palliabas. Verum pictæ liberalitatis elusus eloquio, rerum experientia tandem edoctus, ambiguam amoris effigiem deprehendi, dum venenoso murmure me corrodis, dum absenti derogas, dum innoxium non cessas impetere maledictis. Vel igitur eloquiorum turpitudini silentium indicas, vel aceto respersus satyrico,

Flebis et insignis tota cantaberis urbe [45].

Ab integritate dilectionis amor degenerat, quem claudicare cogit adulatio, quem occasio facilis inquietat: me siquidem mentis adeo sibi connivit identitas, ut eadem communicaremus anima, ut illum me alterum judicarem. Verum susurro livoris aculeo instigatus discordiæ toxicum seminavit, et junctos dispergens hostem mihi peperit in amicum. Quoniam igitur excellentiam prælatorum illustrat, contumelias mitigare, resarcire discordias, vestris advolutus genibus majestatem vestram efflagito, quatenus me et magistrum G. inter quos nubeculam odii seminavit adulatio, velitis ad concordiam revocare.

EPISTOLA CLXII.

AD E. AMICUM SUUM.

ARGUMENTUM. — *Ait se ideo in extera regione versari, quod parum acceptus sit popularibus suis in patria: et gratias agit. Emico, quid pene solus se amicum et tanquam fratrem demonstrarit.*

Idem E. amico suo intimo, salutem, et ultinam corporaliter semetipsum.

Mihi ad votum frequenter occurrit terram nativitatis meæ revisere, cum tamen illuc nulla alia me trahat affectio, quam desiderium vos vivendi. *Non sum acceptus in patria* mea [46]; et, sicut Propheta succinit: Non cognoverunt me fratres mei [47]; utque alius propheta [48] conqueritur: Domus nativitatis meæ facta est mihi spelunca aspidum et habitatio scorpionum. Gremium misericordiæ mihi, et aliis concaptivis meis regio nativa præclusit, quos exspuens alibi facere patriam nos coegit. Inter amicos et fratres te solum experientia mihi fratrem exhibuit et amicum, cujus beneficio respondere non sufficerem, si totus auro effulgerem et argento. *Mendaces* enim sunt *filii hominum in stateris* [49], quia obsequia libenter accipiunt, nec accepta retributionibus prosequuntur. Dominus retribuat pro me; et quod meæ exiguitatis impotentia non præsumit, exuberans munificentia illius exsolvat, qui de thesauris suæ gratiæ multiformiter erogat universis. Devotionionis, quam erga vos habeo, testis est mihi juxta Apostolum [50], in cœlo, testis in terra. Ipsa duntaxat Deo et conscientiæ meæ patet, quam replicare ideo supervacuum censeo, quia verba et adulationem saperent et probabilitatem excederent in immensum. Salutate omnes amicos nostros. Certitudinem adventus mei vobis designare non possum, quoniam inopini labores viarum et fluctuationes implicant curiales. Latori præsentium facite præstari comitivam usque Londonias.

EPISTOLA CLXIII.

AD REGINALDUM BATHONIENSEM ELECTUM.

[A. D. 1177?]

ARGUMENTUM — *Congratulatur Reginaldo, a quo magnis beneficiis affectus fuerat, quod in Bathoniensem episcopum electus sit.*

Charissimo domino suo R. Dei gratia Bathoniensi electo P. Blesensis salutem in eo, qui salus est electorum.

Magnificat anima mea Dominum [51] quia magnifice et mirifice misericordiam suam exaltavit in eo, qui mecum misericorditer egerat; et cum ego ad suscepti beneficii retributionem non sufficerem, Christus, pauperum fidejussor, pro me exuberantissime respondit ad meritum, eum in cathedram erigens præsularem, qui me de lacu paupertatis erexit [52]. Ad meorum plenitudinem gaudiorum nemo quidquam posset apponere, cum illum in portu securissimo videam navigare, pro quo solo ludibria fortunæ ancipitis, et casuales verebar eventus, pro quo solo inter spem et metum anxius fluctuabam. O quam glorificanda sunt opera Domini, *et miserationes ejus super omnia opera ejus!* [53] Cum in omnibus necessitatibus meis ejus misericordias sim expertus, desiderio meo longe nunc benignius aspiravit, quia quod incessanter suspiraveram ab antiquo, felici tamen consummavit effectu. Deum et conscientiam meam testes induco; non ideo electioni vestræ congratulor, ut in ea jam spem promotionis meæ concipiam, sed quia votis meis video satisfactum. Secure jam possum, et mori, et vivere; quia hoc solum cum desiderio exspectabam, ut esset, qui vestræ liberalitati, qui vestræ magnificentiæ, qui vestris laboribus responderet. Adhuc tantillum mihi vitæ Dominus indulgeat, ut in eminentia pastorali vos videam, quem Deus elegit in sacerdotem sibi.

EPISTOLA CLXIV.

AD MAGISTRUM PHILIPPUM.

ARGUMENTUM. — *Increpatur quidam qui Cantuariensem archiepiscopum de nimia mansuetudine arguebat.*

Dilecto socio et amico magistro PHILIPPO magister PETRUS Blesensis perseverantiam salutis, et linguæ modestiam.

Dure arguis dominum meum Cantuariensem ar-

---

[45] Horat. l. II, *Serm. sat.* 1. [46] Luc. 4. [47] Psal. 94. [48] Jer. 7. [49] Psal. 61. [50] I Thess. 2. [51] Luc. 1. [52] Psal. 39. [53] Psal. 144.

chiepiscopum, cujus consilia et judicia depravando, desipientiæ ac levitati ascribis quidquid loquitur, quidquid statuit aut disponit. Omnium apud te reus factus est, quia in eo solo deliquisse videtur. Minus acute videtur alienos actus decernere qui in uno judicat universos. Utinam taceres, aut si assumis judicantis officium, te et non alium judicares! Job ad amicos suos loquens: *Utinam*, inquit, *taceretis et videremini sapientes* [98]! utinam et tu, amice, apponas ori tuo custodiam, ut silentio saltem pallies aut dissimules inconsultos, ne dicam cerebrosos animi tui motus! Si dominus meus Radulphum ab ea qua fungebatur administratione suspendit, si justitiam convertit in judicium, sententia hæc juxta exigentiam culparum Radulphi de prudentium virorum consilio ac deliberatione processit. Nam super feneratitio censu, lapsu etiam carnis et varia vitæ turpitudine in jure convictus multos exemplo pravæ operationis et liberæ impunitatis licentia traxisset in culpam, nisi segetem succrescentium vitiorum et fructificantem in eo malitiam animadversio canonica succidisset. Porro ille conversus ad cor studuit incunctanter extraordinarios carnis motus cingulo sobrietatis accingere, longique jacturam temporis pœnitentiæ austerioris compendio et honesta conversatione redimere. Sollicitavit in domino meo pietatis affectus dejectissima ejus pœnitentia, quæ dominum ipsum movisse ad misericordiam publice credebatur. Cumque dominus rex ei supplicatorias destinasset ut præfatum R. in antiquæ administrationis officium et suæ serenitatem gratiæ renovaret, habita cum prudentioribus deliberatione imitatus est eum qui iratus misericordiæ recordatur, et qui in schola Evangelii Petrum atque in Petro nos docet non semel, non septies tantum, sed septuagies septies indulgere [99]. Dominum meum arguis levitatis quod pœnitenti compassus est, quod cum proximo suo et amico veteri et probato misericordiam fecit; cum tamen scias esse securius in die tremenda de exhibita misericordia respondere, quam de exacta justitia et districto rigore. Domino meo levitati ascribis quod post sententiam suspensionis ab eo latam, domini regis precibus, cui, juxta Apostolum [99-100], tanquam præcellenti præcipuus honor exhibendus est, quasi sententiæ suæ contradicens liberaliter acquievit. Novisti quia eminentiæ regalis obtentu quandoque rigor temperatur ecclesiasticus et canonum severitas mansuescit. Legimus magnum Gregorium et alios reverendos Ecclesiæ Patres, non solum ratione humilis pœnitentiæ aut supplicatione principum, sed ob simplicem amicorum gratiam quandoque in his et similibus ac majoribus multiformiter dispensasse. Noli ergo in domino meo detestabiliter accusare quod quotidiana in hominibus benignitas consuevit. Quod si opera modernorum sequi, aut communem usum trahere ad consequentias dignaris, audi, quæso, et te moveat inauditæ, sed diligenter audiendæ benignitatis exemplum. Eusebio dictante in *Ecclesiastica historia* legi quod, cum beatus Gregorius Cæsariensis episcopus, urgente temporis procella et angustia, in Alpibus interceptus divertisset in fanum Apollinis, et a sacerdote loci ethnico et profano, officiosissimo fuisset susceptus hospitio, memor obsequii et hospitii, Apollinem quem suspenderat a responsis et ludificationibus animarum, ad sacerdotis instantiam relaxavit. Sacerdos igitur admiratus illius majestatem cujus humiles servi possent ita magnifice diis gentium imperare, atque ipsos verbo suspendere aut torquere, contempto et relicto Apolline, Gregorium et in eo Christum secutus est, et sic Gregorius Apollinis sacerdotem quem habuit in fide Christi discipulum, habuit postmodum in Neocæsariensis Ecclesiæ regimine successorem. Cum igitur videas quod homo ad hominis preces dæmonem quem ligaverat relaxavit, non mireris si dominus meus, qui communi omnium judicio mansuetissimus omnium est habitantium super terram, ad instantiam domini regis et magnatum terræ, apud hominem humiliter ac veraciter pœnitentem, veteri amicitiæ satisfecit.

EPISTOLA CLXV.

GUIDONIS ARCHIEP. SENON. AD GREGORIUM PAPAM.

[A. D. 1187.]

ARGUMENTUM. — *Purgatur episcopus Laudunensis de impositis sibi criminibus.*

Sanctissimo Patri ac domino G. Dei gratia summo pontifici G. divina permissione Senonensis Ecclesiæ minister humilis ejusque suffraganei quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, devotissima pedum oscula beatorum.

Cum paternitatis vestræ prudentiam, etc. *Vide in Gregorio papa VIII, ad an.* 1187, *post ipsius Regesta.*

EPISTOLA CLXVI.

AD PAPAM.

ARGUMENTUM. — *Intercedunt quidam pro abbate Salmurii.*

Summo pontifici.

Cum ex vicinitate locorum et bonorum relatione didicerimus fratrem M. (5) venerabilem abbatem Salmurii, et ante promotionem suam vitæ laudabilis exstitisse, et post promotionem suam ascensiones

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(5) Denotat Mainerium, qui undecimus S. Florentii prope Salmurium abbas fuit, et creatus est an. 1176. Quod monasterium per XXVI annos et sex menses administravit.

[98] Job. 13. [99] Matth. 18. [99-100] I Petr. 2.

in corde suo ascendisse, et de virtute in virtutem; et abbatiam suam bene per quatuordecim annos vel amplius laudabiliter rexisse in pace et ordinis observantia : ita quod cœnobium illud in spiritualibus et temporalibus, inter alias abbatias Turonensis provinciæ præfulgebat; miramur plurimum audito quod quidam sinistro, ut dicitur, ducti consilio pacificum ipsius abbatiæ statum concutere non verentur; licet abbas et ante appellationem et post eis obtulerit secundum monastici ordinis instituta, accitis vicinis abbatibus et bonis viris, paratus erat stare eorum consilio; et si quid emendandum fuerat emendare. Pro pace igitur et tranquillitate ipsius Ecclesiæ vel abbatiæ vobis, Pater sanctissime, supplicamus, ut per malorum repulsam, et eorum qui recto sunt corde approbationem, tranquillitati ipsius Ecclesiæ clementius intendatis. Bene et diu valeatis.

EPISTOLA CLXVII.

AD ALEONORAM REGINAM ANGLIÆ.

[A. D. 1183.]

ARGUMENTUM. — *Consolantur Aleonoram Angliæ reginam Christiani e terra sancta, ob intempestivum obitum filii Henrici III, Anglorum regis, indicantque se exsequias ejus, præsentes sedis apostolicæ legato, celebrasse.*

Rumor flebilis et tristis adventus in terra nostra nuper insonuit, amaritudine plenus et plenitudine doloris non vacuus, ac diri novitate vulneris corda nostrorum sauciana, cunctis quidem dolendus fidelibus, cunctisque Christicolis deplorandus; sed nobis eo ferendus molestius, eo acerbius molestandus, quo inter luctuosi pericula et anxietates funebres constituti, unde subventionis exspectavimus auxilium; unde tranquillitatis portum de tot fluctibus confidimus obtinere; unde denique terræ sanctæ per incrementa temporum a primævis temporibus beneficia continuata provenerunt, et grata remedia se effundunt, illuc, proh dolor! refundere antidotum consolationis compellitur, illuc compassionis affectum expandere cogimur; illuc denique mitigationis unguentum et curationis solatium ministrare arctamur. Sed qui ad vestris luctibus desistendum, et nostris repellendum periculis nequaquam sufficimus, quomodo et temperamentum tam acerbi doloris vestræ celsitudinis sufficientes poterimus reperiri? Qui nostris mitigandis vulneribus vel curandis omnino defecimus, qualiter materno vulneri medicantis manum et medicinæ remedium apponemus? Scimus quidem animum vestrum ex acerbo raptu filii dolentem non modicum, et intimis præcordiis sauciatum : nec immerito; quia turbato fatalitatis ordine mater pro filii lacrymas offert, quas matri filius reservabat. Juvenem necdum firme puberem prius conspicit intempestivæ mortis subisse judicium, quam senectutis judicium advenisse. Et qui successor talis dignitatis exspectabatur ab

A omnibus, nunc sicut flos decidens ante fructum, sicut fructus decerptus, statu temporis immaturi juste lugetur et deploratur ab omnibus qui posteritatem talium diligunt, et generis sui immortalia cupiunt incrementa. Magna igitur undique dolendi materia, sed non desunt consolationis antidota, si rationem vis doloris admitteret, si non carnalis tissimum sequeremur voluntatem. Sed cum prudentiam et regum exempla revolvimus antiquorum, sane rex ille inclytus et Spiritu Dei plenus, licet in morbo nati lugeret graviter, et luctuosos duceret dies, tamen in funere nati non solum se, sed et alios consolatione multiplici a doloris pelago relevavit : dum se iturum ad filium de cætero non rediturum ad eum, nec fletus alicujus subsidio rever- B surum tam prophetico spiritu, quam humanæ fuit rationis perspicacitate professus [1-47]. Mementote, inclyta domina, vos filium genuisse mortalem, nec ullam momentaneæ mortalitatis celsitudinem accepisse, nec satis diuturnam doloris habere materiam, in unius subtractione filii, quam Dominus tanta dotavit sobole, tanta denique prosperitate ditavit. Quis scit, si Spiritus sanctus idcirco humanæ generationis novacula, vitæ telam in nato regio, quam nondum perfecte texuerat, tempestive præciderit, ne fascinatio nugacitatis in posterum averteret sensum ejus, et mundanæ fictionis dolositas deciperet animam illius? Et ideo, quia placita erat Deo anima ejus, ideo factus dilectus de tenebris ad lucem, de carcere ad regnum, de mortalitate ad vitam, de C exsilio denique ad patriam est translatus. Sed quid agamus, nunquid non indigne reprehensioni patebimus, cum potum fonti, cibum pani, consolationem consolatrici omnium præsentamus? Scimus equidem, inclyta domina, quod in totum orbem per Dei gratiam fama regalis nominis est diffusa : quod etsi ex naturali affectu materna viscera super funere tanti nati, et raptu talis liberi sint commota, tamen ex cœlestis charismatis unctione, qua vos præ cæteris prædecessoribus vestris omnipotens copiose perunxit, ad exemplum virtutis et patientiæ tanta in vobis consolatio redundavit, quod refusa in alios, aliis refrigerium præstitit, aliis exsultationem refudit, alios ad exemplum virtutis et patientiæ provocavit. Præterea, excellentissima et specialis do- D mina, verbis consolatoriis, velut minus sufficientes et ideoni, desistentes, magnitudini vestræ compassionis præcordia; et devotionis insignia intimamus, quibus totus populus Acconensis audita morte charissimi filii tui in plenæ subjectionis et affectionis ostensionem effluxit. Nam universis prælatis et rectoribus Ecclesiarum, regnique Hierosolymitani baronibus, ac universo populo advocatis in ecclesia S. Crucis, celebratisque ex more exsequiis, ac in crastinum missarum solemniis per legatum sedis apostolicæ celebratis, magnaque data indulgentia

—

[1-47] II Reg. 12.

ex parte legati et aliorum prælatorum, prædictus legatus nobis sibi assistentibus pro requie mortui speciales orationes injunxit populo universo. Sed et pro vita regis, reginæ, et filiorum et fratrum conservanda per tempora longiora specialius et amplius orare mandavit. Regnum et regem cum consorte, et liberis Bethlehemitanæ puerperæ devotius recommendans, sicut semper in suis sermonibus consuevit.

EPISTOLA CLXVIII.

AD N. PONTIFICEM ROMANUM.

ARGUMENTUM. — *Rex quidam sibi totique Occidenti gratulatur, quod N. ex ipsius terra ad summum pontificatum pervenerit, eumque hortatur, ut dignos tantum ad dignitates ecclesiasticas promoveat.*

Tali papæ talis rex.

Aures nostra aura dulcis afflavit, quia, sicut accepimus creationis vestræ novitas tanquam aurora rutilans desolationis Romanæ Ecclesiæ tenebras propulsavit. Gaudet sedes apostolica viduitatis suæ solatium consecuta. Gaudent omnes Ecclesiæ lucem novam oriri videntes, et ipsam usque ad perfectam diem crescere præstolantes. Sed gaudet præcipue noster Occidens, quod velut Oriens novum lumen influere promeruit orbi terræ, et solem Christianitatis, qui versus Orientem nuper occubuit, divino munere Occidens restauravit. Nos itaque, Pater sancte, honori vestro magnifice collætantes, et divinæ majestatis magnificentiam devotis inde laudibus persequentes paternitati vestræ, de cujus fervore filiali devotione confidimus, vota nostra familiarius aprrimus. Si enim carnalis filius carnales affectus patri fidenter aperit, quanto fidentius spiritualis spiritualia potest desideria reserare? Sane inter cæteras affectiones nostras non mediocriter affectatus, quod cum divina dextera reverendissimam personam vestram, tanquam lignum vivificum in medio paradisi spiritualiter plantandum duxerit, et de terra nostra in suum pomœrium transplantandum, summopere studeatis fructuosis operibus et doctrinis Ecclesias omnes ita reficere, quod beatam dicant omnes generationes vestræ beatitudinis nationem. Illud quoque sincero corde sitimus, quod spiritus procellarum, qui dignitatum culmina vehementius consuevit perflare, nunquam a sanctitatis studio vos avellat, ne (quod absit!) altius dignitatis fastigium, gravius præcipitium subsequatur. Sed et illud intime affectamus ut, cum universarum Ecclesiarum ordinatio ad vos pertineat, tales ordinare curetis sine dilationis dispendio cardinales, qui onus vestrum sciant, et velint, et valeant supportare, non respicientes ad patriæ propinquitatem, generis qualitatem, aut potentiæ quantitatem, sed quod Deum timeant, avaritiam odiant, justitiam sitiant, et zelo ferveant animarum.

Nec modicum nostrum movet affectum ut, cum Ecclesiis supra modum officiat indignitas ministrorum, summa sollicitudine vigilare curetis, cum super dignitatum vel præbendarum collatione vestram

A continget requiri providentiam, ne quis indignus irruat in patrimonium Crucifixi. Cum autem felix terra, felicis redemptionis origine, conversatione ac sanguine Christi consecrata, quam Christiana devotio præcipue venerari tenetur, tantis, sicut oculata fide novistis, perturbatur nationum incursibus, abominationibus polluitur, des derio desideramus quod ad ipsius liberationem vestræ sollicitudinis vires accingatis. Illud autem olim illustre imperium Constantinopolitanum nunc graviter desolatum, quis affectare non debeat, ut, vestra providente prudentia, consolationem recipiat opportunam? Siquidem et honoris vestræ considerationis, et commoditatis communis æmulatione affectare debemus, ut qui promotione divina universali præsidetis Ecclesiæ,
B circa omnium Ecclesiarum informationem ac reformationem assidue vigiletis. Confidimus autem in Domino, et speramus quod sicut de virtute in virtutem, et de honore in honorem divinitus sublimati secundum ipsorum exigentiam lucere curastis, sic ad apostolicæ sublimatitis apicem evocati subjectas Ecclesias illustrare ad inflammare curabitis, ut non sit, qui se abscondat a vestro lumine et calore, relicturi talia post decessum vestrum vestigia sanctitatis, quod terra nativitatis vestræ, quæ de felici jucundatur origine, de felici fine poterit felicius in Domino gloriari. Demum paternitatem vestram ex speciali confidentia requirimus et rogamus, quatenus nos et familliares nostros, et statum regni nostri in sermonibus et orationibus vestris specialiter ha-
C bere dignemini commendatos.

EPISTOLA CLXIX.

AD REGINAM QUAMDAM.

ARGUMENTUM. — *Consolatur reginam lugentem de morte filiorum.*

Salutem et felicem dierum longitudinem cum votivæ salutis et gaudii incremento.

A præsentis mundi exordio rerum Creator omnium, licet rebus ipsis naturas indidit varias, in hac tamen conditione concludi voluit universas, ut et mobilitati et corruptioni subsisterent, et tandem defectui subjacerent, sicque reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter processerunt. Hinc est, quod ipsi amœnæ luci diei noctis succedit tenebrositas, prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitati adversitas, gau-
D dium doloris aculeus vulnerat, et mors demum de præsenti reportat vita triumphum. Hæc quippe regula, quæ nullam exceptionem recipit: hæc est summi conditoris voluntas immobilis. Hæc est, quæ nec summas dignitates, nec immensos potentatus excipit, sed.

..... *Sceptra ligonibus æquans,*

omnibus æqua, omnes in hoc efficit coæquales. Ferenda est igitur æquanimiter lex communis, et illius depositioni parendum humiliter, cujus consiliarius nemo fuit, qui etiam ut hanc nobis non parcendam ostenderet, ipsam proprio Filio non pepercit. Quid est ergo quod de multorum talium transitu glorioso

doloris irremediabiliter singultuosos gemitus, tristia lamenta, dolorosas voces, et amaras lacrymas, prout intelleximus, emittitis incessanter? Equidem animus magnificus, nobilitatis titulus, prudentiæ modus talia nec approbant, nec admittunt. Rogamus itaque sublimitatem vestram precibus quantis possumus, et in Domino Jesu obsecramus, quatenus prædictas anxietates, pusillanimitatis filias, penitus deponentes, ad ipsum Dominum corporeos et mentales oculos dirigatis, ipsum in omnibus operibus suis toto mentis ardore totoque studio collaudando. Nam etsi doletis carnaliter, quia tantos, tam sublimes, tam magnificos amisistis, regratiari potius debetis Altissimo, et jus clementiam collaudare, quia ipso præstante, habere tales, ut prædictum est, meruistis. Attendatis etiam diligenter, quod quidquid habemus, a Deo mutuum est, non donum; deposuit enim, non dedit, quæcunque sub ipso beneficia possidemus. Agamus ergo de usu gratias, et reddamus, cum repetierit, non ingrati, sed ut ad gratias vos obnoxios recognoscatis iterum pro felici copia liberorum, in quibus, si bene advertitis et gaudiorum vobis adest materia, et multa insuper restitutio amissorum.

EPISTOLA CLXX.

AD REGINAM QUAMDAM.

ARGUMENTUM. — *Hortatur reginam ne plus æquo lugeat ob mortem regis Arragoniæ.*

Tibi forsitan profuit hactenus ignorasse mortem regis Arragoniæ, et tantum temporis subripuisse dolori, sed nobis quidem obfuit manifeste, quia doloris glodium, qui nostram in ipsius morte sauciavit animam, tecum sentire cogimur. Iterato etiam vulnus, quod ipsa temporis diuturnitate obduxerat cicatricem, redivivis hians suspiriis reviviscit. Quid enim prodesset hortari, ne tam acerbo vulnere sauciata non doleas, cum dolore non careat plaga recens, aut suadere, ne fleas in funere tam deflendo, cum ipsi nostras in ipsa doloris recentia nullatenus potuerimus, et adhuc in hujus memoria vix possimus lacrymas continere? Habet quippe dolor, sicut affectus cæteri, leges suas, quæ nullius imperium patiuntur; et quemadmodum quemlibet viventem pallore timor, et verecundia rubore perfundit, ita vis doloris intimis inclusa præcordiis ad exteriora nullius imperio retardata prorumpens se ipsam per lacrymas erumpentes effundit. Sic patriarcha Jacob credens filium suum Joseph a bestia devoratum dies multos continuavit in luctu [48]. Sic Job [49] exemplum patientiæ singularis in natorum acerba morte expressit scissione vestium vim doloris. Nunc igitur persuadere intendimus, ut quasi fortior in supradictis in tanta dolendi materia dolorem prorsus excludas; quia te modum habere volumus in dolendo, ac ipsum Job, de quo jam præcessit mentio, imitari; qui, postquam doloris vehementiam ex- A pressit, sicut præmissum est, continue beneficia memorans Creatoris, et humiliter divinæ obsequens voluntati: *Si bona* inquit, *suscipiamus de manu Domini, mala quare non suscepimus* [50]? Et tu, qui multa bona de manu Domini etiam largiflue suscepisti, cur igitur indignaris, si dulcia tot amaritudo respersit? an ignoras, quod peregrinatio est vita hominis super terram? Et, sicut in longo peregrinationis itinere, nunc est pulvis, nunc lutum, nunc serenum, nunc pluvia; ita modo spes, modo timor, modo dolor, modo gaudium in hac vita [51]. Denique, quid potes dolore supervacuo proficere, nisi affligere temetipsam, et subditorum tuorum animos consternare? Ecce David regis tibi referimus exemplum, ut regina regem prudenter imiteris; B qui servientibus suis admirantibus, quod cum filius suus adhuc viveret, jejunabat et flebat; postquam autem fuit mortuus, comedit lota facie, et respondit, inquiens: *Dum adhuc viveret, jejunabam et flebum, si forte donaret Dominus illum mihi; nunc autem quia mortuus est, cur jejunem? nunquid potero eum amplius revocare? Ego ibo ad eum, ipse vero ad me non redibit, consolatusque est* [52] rex facto et verbo hujusmodi se et suos. Et tu ergo, filia charissima, consolari te ac tuos incipias his exemplis, non deficiens, sed proficiens, cum a David corriperis, ne sic dejiciaris præteritorum memoria, quod præsentium jucunditatem amittas, sed in te fiduciam potius erigas futurorum, pensans quam transitoria sit et caduca gloria temporalis, ut illam, C quæ finem non habet, sollicita studeas promereri.

EPISTOLA CLXXI.

ARGUMENTUM. — *Quemdam consolatur mærentem ob mortem multorun.*

Contra casus mundi, tam varios quam amaros, contra insultus pestiferos, quibus humana conditio affligitur incessanter, cujus cithara in luctum convertitur, quam mortis insidiæ lacerant, quam errores angustant, et quam respirare non sinunt, arma patientiæ oportet assumere, tot adversa mansuete sufferre, et beneplacitum Dei, ad cujus nunc nutum orbis concutitur, et universa tremiscunt, non solum patienter, sed cum gratiarum actionibus tolerare. Sane, etsi rumor amarus, rumor anxius et D absynthio plenus super casu, nec non occasu talium circumquaque diffusus materiam ploratus accumulent, et cordis interiora compungant, tamen aggravatam manum Domini prudentis est animi cum modestia tolerare, ne desiderando contrarium, convincatur nolle, quod Altissimo placuit, et quod Dei judicium ordinavit. Prudentiam igitur cordis vestri, quam circumspectam scimus, quam in prosperis non elatam, quam in adversis non depressam pro certo cognovimus, duximus exorandam,

—

[48] Gen. 37. [49] Cap. 1. [50] Job. 2. [51] Aug. serm. 2, *De consol mort.* [52] I Reg. 12.

quatenus occasum talium, quos de mundi miseria A transtulit gratia Creatoris ad regnum, tam forti animo toleretis, quod patientiæ munus muneretur in vobis.

EPISTOLA CLXXII.

[A. D. 1189.]

ARGUMENTUM. — *Acerbissime deplorat infaustam mortem Friderici imperatoris, dicti Barbarossæ.*

Rumor terribilis, et horribilis, et nefandus nostri et aliorum auribus nuper inculcatus, omni bicipiti gladio penetrabilior nostri cordis vitalia sic acerbe, sic medullitus, sic lethaliter sauciavit, quod vix speratur antidotum, vix restat vivendi fiducia, vix spes aliqua subsistendi. Audivimus enim, et in ipso pene auditu defecimus præ dolore, B quod illa imperii columna immobilis et regni Apuliæ stabile firmamentum, ille Lucifer matutinus omni micanti stella micantior ; ille, inquam, ingens chrysolithus omni jaspide et lapide pretiosior, Fredericus videlicet noster serenissimus imperator sui fati diem, proh dolor ! clausit extremum. Ad cujus obitum universis ejus fidelibus, et præsertim regnicolis, qui tuo præsidio defensante inconcussæ pacis quiete vigebant, quasi sol et luna, et universa cœli luminaria tenebrescunt, dum illud lumen lucidissimum obturatur, quo ubilibet coruscante, hactenus nullius erroris vel horroris offendiculum timebatur. Heu ! quid agimus, ad quem confugimus, cujus præsidia præstolamur ? Quis fiet amodo grande præsidium ? Quis regnicolis mite le- C vamen ? Quis gentis Apuliæ tuta defensio ? Occubuit enim leo fortissimus, cujus facies inclyta, cujus præpotens dextera feroces terræ bestias deterrebat, et rebellium colla sibi subjiciens ubique terrarum monstra placabat. Plangite igitur, regni fideles tanti principis præsidio destituti ; ululate, juvenes ; plorate senes, nuptæ ac virgines cum ephebis. Nam vitæ vestræ dux et regimen, vita et salus, lux et defensio, tutela et virtus, ancora spei, refugium et auxilium, heu ! mortis imperio subjugatur. Heu ! heu ! importunæ mortis protervitas effrenata, et effrenis præsumptio sororum triplicium vitæ hominum fila trahentium, quæ sumptis a parcendi vocabulo suis nominibus antiphrastice ponuntur, cur saltem in tanto principe vera sibi D nomina non asciscunt, ut illius capitis saluti præessent, quod mille damnandis capitibus jam pepercit ? O mortalium miranda conditio, et, si fas est dicere, conditio deploranda, dum mortis imperio curvantur imperia, et ejus jugo colla nobilium subjugantur, quorum dominio pauperum ac divitum, debilium et potentum capita supponuntur. Hoc tamen divina creditur providentia definitum, ut sicut est similis cunctorum nascendi conditio, ita similis finis et interitus universis et singulis subsequatur. Quia igitur de tanto et de tam irrecuperabili damno fere inconsolabiliter est dolendum ; multorum mentes ita sunt in dubio positæ, quod incertum est eis de facto guerrarum et pacis quid fieri debeat in futurum, cum domini imperatoris hæredibus existat non impotens adversator, qui totis, ut creditur, viribus nititur contra eos mala malis quotidie, si prævalet, cumulare. Hinc est quod dilectionem vestram, de qua plene confidimus, exoramus, quatenus vos, ad cujus notitiam curiæ secreta perveniunt, et aliquorum consilia revelantur, si quid potestis conjicere de futuris, quod jucundum esse debeat, aut damnosum, nobis vestris litteris enodetis, ut juxta quod nobis possibile fuerit, securiorem viam in dubiis eligamus. Nam jacula, quæ ab hostibus jaciuntur, si prævisa fuerint, minus inferunt læsionis.

EPISTOLA CLXXIII.

AD EPISCOPOS SUFFRAGANEOS ET ABBATES.

ARGUMENTUM. — *Archiepiscopus Rothomag. auxilium episcoporum et abbatum implorat, ut pontificis Romani inopiæ subveniant.*

Rothomagensis archiepiscopus suffraganeis et abbatibus salutem.

Novistis, et in fines terræ credimus exivisse, quantis turbationibus et pressuris Romana Ecclesia diutissime sit vexata. Credimus in communem notitiam devenisse, qualiter dominus papa pro tuitione ecclesiasticæ libertatis se ad omne discrimen objecerit, Ecclesiæque Dei persecutionibus commoriens incessanter sit afflictione propriæ personæ, et debitorum onere prægravatus. Clamat itaque ad vos vestra mater Ecclesia sumptibus importunis exhausta, plenamque reportans de vestra largitione fiduciam, postulat ut in vestra consolatione respiret, pro quibus desolatam se sentit et mœrore confectam. Sane schismaticæ potestatis procella jam pro parte detumuit ; jam portum securiorem naviculæ Petri promittit aura clementior, si pacis opportunitati, quam Deus obtulit, obsequia vestræ liberalitatis aspirent. Efferatam siquidem Romanorum malitiam, et inexplebilem pecuniæ sitim domini papæ munificentia et consilio toties expugnatam succubuisse certa relatione comperimus. Nec ad omnimodam pacis et securitatis plenitudinem quidquam deest, nisi ut dominus papa sumptibus exinanitus immensis, sibi et suis victualium sufficientiam de vestra largitione restauret. Bene valete.

EPISTOLA CLXXIV.

AD DOCTORES ACADEM. NEAPOLITANÆ.

ARGUMENTUM. — *Lamentatur de obitu M. Walteri professoris grammatices.*

Sedentibus super aquas amaritudinis in salicibus organa suspendentibus Neapolitani studii doctoribus universis magister P. solamen sancti Spiritus, et

illam, quæ omnem sensum exsuperat, pacem Domini nostri Jesu Christi.

De sæculo nequam, et valle miseriæ ad scholas florentis patriæ, ubi garrulitatis improbæ nullus auditur tumultus, illius vocatione, cujus imperium in cœlo et in terris et in omnibus extenditur creaturis, grammaticorum eximius consocius noster et frater, M. Walterus noviter evocatus, ab oculis nostris pertransiit velut umbra, imo evanuit : ad cujus transitum studii Parthenopes obscuratus est sol, et luna versa est in eclipsin. Nam ars grammaticæ, quæ lunæ vocabulo designatur, privata de coris radiis tristis sedet in tenebris, et habet, unde suum possit reiterare dolorem, duobus maritis tam modico tempore viduata. Nondum præcedentis et recentis doloris sanata sunt vulnera, et sic calamitati calamitas, et tempestas additur tempestati, dolor doloribus, et vulneribus vulnera inteiuntur. Mirum in modum hic est ordo præposterus et turbatus ; quia naturaliter magistrum sequitur discipulus ; hic autem magister est discipulum subsecutus, et hoc ideo, quia mortis irregularitas de suo more perverso pervertit ordinem ; quæ præponenda erant postponit ; præponit e contrario postponenda. Proh dolor ! vitis frondosa quam subito aruit, cujus fructus exuberarat ad plenum. Nam in multitudine filiorum, quos genuit indefessus ille uterus magistralis, cunctis prævaluit, et tanquam cedrus Libani superexcrevit, cui non sunt adæquatæ virgultæ de deserto. Ipse quidem fuit alter Joseph in terra Ægypti [33], cui omnes inviderunt potentes, quem sæva bestia devoravit, videlicet mors, quæ per aphæresim cunctis aufert mortalibus caput, et a membris dividit et scindit ; in cujus decisione vos, qui floretis in cathedris, tanquam multorum capita plena oculis retro respicite, et diligenter attendite quantum sit tenuis et fragilis gloria singularis ; quæ est quasi quidam vapor ad modicum durans, fenumque quod mane florescit, vespere decidit et arescit. Ad tutelam igitur bene vivendi, doctores inclyti, subtracti magistri, per illam syncopen a qua nullus grammaticus excusatur, statum et transitum reciprocantes in vobis, unum efficax per locum a simili colligite argumentum, similiter istud iter currere, quod vester socius præcucurrit ; cum de similibus idem judicium habeatur.

EPISTOLA CLXXV.

AD AUDITORES GRAMMATICES.

Ejusdem est argumenti cum superiori epistola, deplorat enim mortem professoris grammatices.

Vagientibus in cunis adhuc artis grammaticæ, nastique recens discipulis, quilibet homo, qui sequitur veritatem, vitam bonam et exitum meliorem.

Quia materia ita se habet, quod ab amaritudine sumat exordium ; nec dolorosa possunt sine animi A perturbatione narrari ; non miremini, si anxietate quadam et oratione singultuosa vobis scholaribus, qui habitatis orbem, a mari usque ad mare, præcipue filiis, quos in dolore peperit mater ars grammatica, dura nimis et amara præsentibus nuntiamus. Est enim quod non sine dolorum aculeo dicimus, grammaticæ artis noviter exstincta lucerna, et desiccatus est fons irriguus, frugifer Euphrates magistri N. qui non ab infimo positivi, sed ad superlativi nomine meruit derivari, cum super se nullum habuerit ascendentem ; imo sicut aquila transcendit omnia genera pennatorum, vir potens in opere et sermone ; rara in terris avis, quæ sine pluralitatis consortio meruit dici singularis. Ad cujus transitum, velut sole petente occasum, tenebræ factæ sunt super universam faciem terræ. Nam ipse solus de tenebrosis et confusis Prisciani tractatibus educens lucem purgavit tenebras ; ipsius veterem et antiquum Donatistam compescuit, et apostatam reformavit, et quasi de caligine montis Sanai alter Moyses legifer, a Deo et non ab homine sibi scriptam grammaticam hominibus reporta vit, in qua sub tali et tanto artifice, non solum prima, sed artes quoque cæteræ pariuntur. Unde quid facient parietes, cum corruit fundamentum ? Quid infelix grammatica orba parente suo ? de quo completum est illud propheticum : *Vox in Rama,* hoc est in excelsis, *audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel* plorat maritum suum, et non est, qui consoletur eam ex omnibus charis suis [34]. Nam quis similis sibi, ut suscitaret Dominus spiritum suum per aliquam pythonissam, ut loqueretur vobis ad tempus magister magistrorum ille doctissimus, qui ducebat alios in stuporem ? Verum, quia omnes morimur, et sicut aquæ quæ non revertuntur, dilabimur, ac testante philosopho [35], crudelitatem fati æqualitas consolatur, mœrore deposito, qui talem et tantum dilexisti auctorem, ad ejus obsequia concurratis, orantes pro illo doctore mirabili : qui et a mane usque ad vesperam clamavit, sicut pullus hirundinis, et meditatus est, ut columba, ponendo animam pro scholaribus docendo desiit, et docuit desinendo.

EPISTOLA CLXXVI.

AD JURIS CIVILIS PROFESSORES.

ARGUMENTUM. — *Deplorat obitum eximii cujusdam professoris juris civilis.*

Juris civilis professoribus universis P. salutem, et attendere ultimum ante primum.

Amaritudo amarissima [36], et materia concreta doloribus humanis noviter mentibus occurrerunt. Nam unicus et singularis homo, in quo, velut in suo pnoppio, leges convenerant et vivebant, eloquentiæ tuba, consilii plenitudo, vox populi, ad finem et in fine optimus persuasor omnium excel-

[33] Gen. 37. [34] Jer. 31, Matth. 2. [35] Sen., lib. *De consol. ad Polyb.* c. 2. [36] Isa. 38.

lentissimus Jacobus de Regione (6), Jesu Christo A vitalem spiritum resignavit, et attrita est nimium repente gloria vultus ejus. In cujus occasu non solum Lombardia sole privata suo, verum etiam maxima pars viventium continuis lacrymis ingemiscit et doloris gladius multorum viscera perforavit [57]. Nec immerito, cum ipse quasi legifer et supremus doctor, de præscriptis juris codicibus sensus informarit informes, et quasi adhuc vivens informare non desinit, quia licet, ut homo, desierit, non tamen desinit ut magister; quia mortuus ipse docet, quantum sit appellatio mortis difficilis et violenta, quia resistentia nulla ei fieri potest, quia ex modo necessitatis omnem superat syllogismum, exceptiones non recipit, dilationes aliquas non attendit. Verum, quia mirabilis est ista regula mortalium, nunquam fallitur, et omnes fallit, fallacia videlicet veridica, quæ in credentia non habetur. Ipsa quidem est lætitiæ nebula, tristitiæ genitrix, dilatatio lacrymarum, universæ carnis exterminium, et singularium destructiva. Ideoque, viri prudentes, in doctore mortuo prudenter addiscite quidquid possit, et quantum fortior exstat angelis; et diligenter attendite, quod legum facundia mortis imperio non resistit.

EPISTOLA CLXXVII.

Argumentum. — *Monet quemdam ne vita defunctum immoderate deploret,*

Proprio Filio suo Dominus non pepercit [58], ne jus causæ communis gloria et humana natura exceptionem haberet, quæ a mortalitate primæ corruptionis egressa moriendi necessitatem incurrit, et ideo naturæ debitum reddere licet et decet, quia scriptum est: *Fili, in mortuum produc lacrymas* [59]. Sed vestræ non debent a Salvatoris lacrymis discrepare, si estis Salvatoris amici, qui non pro morte Lazari, sed pro ipsius revocatione ad miserias temporales planxisse dicitur [60] et luxisse. Qui enim ultra debitum naturam impugnat, non naturam, sed naturæ impugnat auctorem; nec est tutum illi inferre injuriam, qui nemini novit inferre eam. Videte igitur et cavete, ne terreno affectui, et postmodum perituro cedat æternus et salutaris affectus. Ideoque sinceritatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Dei et vestram, omnem tristitiam deponentes, gaudeatis in illo, qui cœlestis profunditate consilii disponit et ordinat, vocat et revocat subjectas suæ providentiæ creaturas; qui affectibus paternis et patriis filios corrigit, et ad vitam disponit æternam; attentius provisuri, et in sacramentorum suffragiis, aliisque operibus pietatis, quod perire non potest, et æternum est sine fine vivens. Unde sancti viri Job consolationem memoriæ commendate, post rerum et filiorum amissionem dicentis: *Dominus dedit, Dominus abstulit sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* [61].

EPISTOLA CLXXVIII.

Argumentum. — *Consolatio super morte.*

Si *omnis caro fenum* [62], *et omnis gloria ejus quasi flos agri* [63]; si lunam pallescere, si solem videmus aliquando eclypsari, quid est homo quod ingemiscis lacrymis, mortuo fratre tuo? cur non tacet pupilla oculi tui doloris amaritudinem transfundendo? Nescis quod omne compositum, attestante philosopho, dissolvitur, et præter angelos omnis occidit B creatura? Unde illud propheticum: *Homo vanitati similis factus est, et dies ejus, sicut umbra, prætereunt* [64]; et *quasi vas figuli confringetur* [65]. Humanum quidem est flere, sed continuare fletus, penitus inhumanum; cum dicat Apostolus: *Nolite contristari, sicut et cæteri qui de resurrectione spem non habent* [66]. Unde Augustinus [67]: « Non illos amisimus, sed præmisimus, qui de hoc sæculo recesserunt. » Est et solatium aliud, quod a mortis regula nullus excipitur

Æquat enim sceptra ligonibus.

[68] Nam pari sententia senes et juvenes, fortes et debiles, potentes et infirmos, divites et egenos involvit. Omne namque quod nascitur, moritur, et nihil est perpetuum sub sole. Magnus est enim C Dominus qui mortificat et vivificat, et magna virtus ejus ut possit extollere quod decrescit et sanare, etc.

Cum igitur frater tuus ad regionem sanctorum spirituum transmigrarit, utpote, qui partem habuit in resurrectione prima, desine flere, ne nomen Domini exacerbes, si velis, licet incassum, sententiam mutare. *Dominus* namque est qui *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit* [69], cujus nutu disponuntur omnia, et suos in tribulationibus consolatur.

EPISTOLA CLXXIX.

Argumenti ejusdem.

Vox audita est, ploratus et ululatus multus [70] in obitu viri egregii fratris vestri, qui tanto majoris D tristitiæ reliquit materiam, quanto majori dote natura privilegiavit eumdem, et prærogativo morum spiritualium titulo insignivit. O mors invida, mors amara, quæ in eo telam vitæ succidit, dum adhuc ordiretur, pulcherrima vite præcisa, palmite non relicto. Scimus quidem causam adesse doloris; modus tamen debet esse dolentis, quia *Dominus*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(6) Hic fuit unus e quatuor primis qui studium juris civilis Bononiæ repararunt, ibique docuerunt. Videndus Bulæus tom. II *Historiæ Universitatis Parisiensis*, pag. 348.

---

[57] Luc. 1. [58] Rom. 8. [59] Eccli. 38. [60] Joan. 11. [61] Job. 1. [62] Eccli. 14. [63] Isa. 40. [64] Psal. 143, 101. [65] Psal. 2. [66] I Thess. 4. [67] Ep. 6, *ad Italicam.* [68] Aug. serm. 2, *De consol mort.* [69] I Reg. 2. [70] Matth. 2, Jer. 31.

dedit, Dominus abstulit [71]; in cujus manibus mors et vita. Qui enim dedit originem, dedit et obitum, et sic communis est lex tam vitæ quam mortis, nec jus mutatur imperio vel favore. Cum ergo usus sit Dominus jure suo, non fecit injuriam, licet videatur manus ejus ad præsens plena fuisse rigore. Cæterum, quia decet, ut voluntati ejus nostros conformemus affectus, consulimus et pro gratia petimus speciali, ut temperato dolore, et fluxu lacrymarum restricto, jam vobis parcatis, consanguineis et amicis existentes consolationis speculum, et confortationis exemplar.

EPISTOLA CLXXX.

AD REGINAM QUAMDAM.

ARGUMENTUM. — *Consolatur reginam lugentem mortem viri et filii.*

In mundi rota volubili constituti, si successus varios sentiant, et ex temporis mutabilitate instabili diversas vicissitudines patiantur, non mirantur, nec stupent, qui recto reguntur judicio compositæ rationis. Norunt enim quod nil potest consistere solidam, cujus est sub motu perpetuo fundamentum. Ideoque felici quadam providentia casus volentes prævenire ambiguos, et accidentia futura contemnere, sic dispositioni nobili virtuosæ constantiæ suos animos statuerunt, ut æquanimiter omnia supportantes, nec minantem fortunam pertimeant, nec congaudeant in prosperis. Hæc est laudanda magnanimitas, quæ prosperis non extollitur, nec frangitur adversis, sed in omni eventu permanens eadem sufficit ipsa sibi. Sane de talibus partibus, secundum varietatem ipsius, vos rumores audisse credimus plurimos, et inter alios jucundum Christiani exercitus processum, per vestrorum inclytæ recordationis domini regis consortis ei domini Joannis filii, ne dicamus obitum, sed gloriosum transitum ad superna, multipliciter desolatum. Et, licet serenitatem vestram sic prædictæ magnanimitatis virtute possimus dotata præsumere, ac tanto uti judicio rationis, ut hac adversitate irrevocabili ultra naturæ debitum non frangatur: charitas tamen, qua vos sincere diligimus, nos cogit credere quod vis doloris virtutem nesciat et tristitiæ motus modum debitum non permittat. O utinam non sic agitemini superflui doloris fluctibus! non sic absorbeamini immoderatæ tristitiæ faucibus, quin attendatis sollicite quod mors nil aliud est quam peregrinationis mors quid sit terminus, finis miseriæ, laborum meta, exsilii limes, janua patriæ, nativitatis vitæ, principium beatitudinis, primitiæ præmiorum omnibus, qui in Domino moriuntur!

Cum igitur prædicti Christi pugiles, fidei zelatores pro agone suorum regnorum, prout speramus, stipendia percipiant æternorum, lætandum est potius de commercio tam felici, ubi pro terrenis dantur cœlestia, pro transitoriis sempiterna. Sed et si consolationem velimus temporalem admittere, non potestis totaliter quasi vidua plangere, vel quasi desolata desolationis incommoda deplorare. Ditavit enim vos Altissimi clementia prole multiplici, ut jucunda liberorum numerositate tolerabilior sit unius sublatio, et viri carentiam residua suppleat multitudo. O si mater vestra tanto fuisset tempore potita conjugio, si tot liberorum optato usa solatio, si tot filiorum septa consortio, cessisset profecto doloris materia gaudiis liberorum. Hæc itaque diligenter sublimitas vestra consideret, et inutilibus finem ponens lacrymis, ulterius dolore nocuo non adjiciat damna damnis.

EPISTOLA CLXXXI.

Argumenti ejusdem.

Satis credimus, et sine dubitatione tenemus, quod audita morte talis, multi doloris, multæque amaritudinis calicem suscepisti; sed nec prima, nec sola; quoniam antequam scire debuimus, et priusquam ad te dolor ille perveniret, per nos transitum habuit; fecitque in nobis, quantum secundum Deum licuit rationi. Equidem satis in vivo monstravimus, quantum in morte doleremus, et notavit affectus in amico, quæ sequeretur tristitia de amisso. Meritoque inter alios principes sæculares, quos dileximus, illum speciali quadam prærogativa prætulimus in eo quod contra Saracenæ gentis perfidiam, tanquam singularis Christianitatis athleta quasi proprium proprii Christiani commune prosecutus est interesse. Porro non est verisimile quod summi liberalitas largitoris non respondeat ejus laboribus recompensatione condigna, cum non sit in retributione difficilis, qui de sola gratia merita supplicum excedit et vota suæ abundantia pietatis. Sane nullam fecit injuriam, si usus plenitudine sui juris, spiritum, quem commisit corpori ad tempus, suo tempore revocavit. *Quis* enim *homo, qui vivit, et non videbit mortem* [72]? Nonne pulvis in pulverem revertitur [73]? Nonne *quasi flos* egressus homo *conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet* [74]? Habet quippe humanæ conditionis fragilitas debita solvere certa morti. Hinc nescit importunæ mortis exactio quidquam de debito humanæ relinquere sorti sine differentia discretionis illud extorquens. Cæterum tibi non omnino exscessisse videatur, post se illustris indolis filium derelinquens, qui suum pro tempore poterit repræsentare parentem, ut propago respondeat pro radice. Restat igitur ut in eo spiritum consolationis assumas, qui summus est in tribulatione consolator, memor, quod magnus ille rex David amare filium suum flevit ægrotum, sed mortuum non ploravit, ne divinæ videretur contrarius voluntati [75].

—

[71] Job. 1. [72] Psal. 88. [73] Gen. 3. [74] Job. 14. [75] II Reg. 12.

Ut igitur non acerbes Dominum Deum, quæ posita es ad regimen aliorum, consoleris alios in teipsa existens præsentibus in exemplum, et posteris in doctrinam. Adhuc illud considerare te volumus, quod quanto plus tuorum visa es destituta præsentia, tanto majorem divina clementia tibi faciet in prosecutione proventum.

EPISTOLA CLXXXII.

Argumenti ejusdem.

Cum amaræ mortis imperium nullus præsentis vitæ hospes valeat evitare, et homo sit corruptibilis et mortalis, debetis, si placet, vestram tristitiam moderari, quam in mente vestra concepistis, de vestri fratris Nicolai obitu. Deus enim nolens ipsum in hoc sæculo præsentis vitæ corruptionibus ulterius agitari, revocavit eumdem ad ejus nomini confitendum. Præterea cum ecclesiastica et divina sumpserit sacramenta, vivit in Domino : Nam *beati mortui, qui in Domino moriuntur* [76]. Quare amicitiæ vestræ duxi præsentibus consulendum, quatenus attendentes dictum propheticum : *Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt* [77], quod frater vester terminum mortis non potuit præterire, vestro dolori finem imponere debeatis, ne, quod a Domino factum est, videamini reprobare.

EPISTOLA CLXXXIII.

Argumenti ejusdem.

Inter cæteros flebiles humanæ conditionis defectus, incertus et labilis status hominis a mortalibus est potissime deplorandus; in quo dum quisque de conceptu matrum procedit ad partum, et in lucem apertam ex obtruso ventris cubili prodit, innumeris offertur miseriis, et angustiarum vallo nimium angustante circumdatur. Sicque in illo, dum vivit variis mortis expositus casibus, flos factus a die exitus matris suæ raro post florem frondescit, rariusque plenam crescit in arborem post frondium venustatem. Nunquid homo et dies ejus sicut fenum, et ut flos agri, sicut legitur, efflorebit [78]? Videtur, inquam, ut fenum, quod est hodie, et cras in clibanum mittitur [79], et ut flos agri; cujus delectabilis pretiositas, et amœnitas florida nimia venti vel æstus percussa uredine ad modicum evanescit halitum. Scio quod nuper acerbæ mortis G. nostri tuique consanguinei, luctuosum nuntium omnium nostrum dolore grandi plurimum exacerbavit animum. Dumque casum necis consideramus, qua periit, animæ magis in eo quam carnis exitum deploramus, incerti et dubii valde, si in statu salutis ipsum tam rapida rapuit mors, quæ tam absorbuit repentina. Verum, quia hæc sunt occulta Dei omnipotentis judicia, qui, juxta suum teneplacitum, quando et quomodo vult rationales ab hoc sæculo nequam revocat crea-

A turas, nobilitatem tuam rogamus in Domino, monemus quoque et hortamur attente, quatenus conceptam de subtractione dicti G. excludas a corde mœstitiam, et lugere jam desinas, quem reddere nequit vobis singultus lugubris, vel quantalibet lacrymarum pietas; sed super hoc Dominicæ potestatis flagello animi consolationem recipias, et Deo, cui sic placuit, benedicens, hæc circa ipsum fraterni amoris ostendas indicia, ut spiritu diligas, quem in carne amasti, animam G. juvando quibuslibet virtutis remediis et suffragiis charitatis.

EPISTOLA CLXXXIV.

B. DUCISSÆ GLIRIGEOTI AD THEOBALDUM COMITEM.

Domino et fratri suo comiti Theob., senescallo
B Franciæ, B. ducissa Glirigeoti, quondam uxor, salutem.

Principatus nomen amittere promeretur qui a justo judicii declinat tramite, præsertim cum idcirco Deus posuerit in terra principes, ut recto definiant et decidant examine quod ad eos pervenerit quæstionum. Sicut mihi nuper auditum est, Guido de Bonavalle fidelem meum Jo. de Alludia de homicidii reatu impetit et intendit convincere, si qua via possit. Quocirca fraternitatem imploro præsentibus ut prædictus Joannes propitium in hàc causa vos habeat : adeo ne queratur indebite se tractatum.

EPISTOLA CLXXXV.

Responsio quædam exsecutoria.

C Non est leve defendere reatum hominis, quem communis opinionis auctoritas infamat, et impetit, et incusat. Charitatis vestræ recepi litteras, ut fidelem vestrum Jo. nomine sic in sua justitia confoverem, ne adversus eum iniquitas et injustitia prævaleret. Petitioni vestræ consensi quod potui, sed præfatus ille destituit æquitatem, et audire judicium recusavit, qui se novit judicio condemnandum. Interiorem siquidem habebat judicem, et illius judicio secessit a causa, nec humanum judicium exspectavit.

EPISTOLA CLXXXVI.

Commendatio tutelæ.

Conservare fideliter amici depositum, æquitatis auctoritas et amoris ratio nos compellit. Cum a ve-
D stris exirem finibus, et se mihi multorum offerrent studia, totam rerum mearum custodiam charitati tuæ committere præelegi. Unde dilectionem tuam deprecor et exhortor præsentibus ut in rerum mearum custodia te fidelem velis eatenus exhibere quod multorum gratia dignum te facias et favore.

EPISTOLA CLXXXVII.

Responsio.

Cum amicis nostris promissio nos astringit, juxta

---

[76] Apoc. 14. [77] Job. 14. [78] Psal. 102. [79] Matth. 6.

confundimur erubescentia, si promissa non ducimus ad eventum. Cum tuarum rerum recepi custodiam, promisisse tibi me fateor et recordor universa mihi commissa fideliter et in bona custodia servaturum. Non recedam a pacto quod tecum habui, nec res tuæ, si potero, sustinebunt in aliquo detrimentum.

EPISTOLA CLXXXVIII.

In ministros Dei sævitiam exercentes, et in suis sceleribus obstinati, supremi judicis iram exacuunt et in suam exasperant ultionem. Offendistis autem in summo pontifice tutorem pontificum et summum vindicem; qui ad tempus sustinet excessus hominum et offensas non præterit impunitas. Scitis autem quod præsumens offendere ministrum cujuslibet, offendit et dominum, et si nostra curatis admittere consilia, maturate deponere Pharaonem.

EPISTOLA CLXXXIX.

Omni excessui fenestram aperit, qui quod vovet injuriæ licere permittit. Appellatur simplicitas in rege remissio, cum sit ejus excessum corrigere, non habenas excessui relaxare. Alexander ille quem papam dicitis, in personam nostram admisit indebita, quæ plectenda censuimus ex regni consilio, non remissæ simplicitatis modestia sustinenda. Nobis tamen consulitis ut a tali vindicta de cætero desistamus, etsi majus eo velletis consulere crederemus.

EPISTOLA CXC.

Responsio.

Non est nostra justitia quæ potentis personam considerat et ut votis ejus deserviat inclinatur. Si tyrannus imperatoris furorem exercuit in Romanam Ecclesiam, et furoris gladium in eam exercuit, nunquid ei nocere necesse est; ut a sua desistat sævitia? Nunquid est dignius ut qui scelus præsumit admittere, supplicantem se præbeat, quam ab eo qui patitur admittendi de venia supplicetur. Æquitatis vigor et ratio postularet ut qui sanctam lacessere præsumpsit Ecclesiam, ipse quoque de venia supplicaret. Verum sicut tuæ testantur litteræ, pœnitentem animum imperator induit et contritum: sic pœnitentia perorat ad veniam quod excessus præteritos ei remittimus, et amoris sinum et gremium aperimus.

EPISTOLA CXCI.

Amicus amico salutem et hoc totum quod ipse est.

Parum confert venustas eloquii, quæ petentem non provehit ad petita, nisi preces sint pretio coloratæ, super tuæ petitionis sollicitus implemento laboravi quod potui; sed roganti parum licere permittitur, si pro eo donorum auctoritas et interventio non perorat. Et quid plura? Repulsam sustinui, quia manus agellat vacua, cui nil conceditur obtinere.

EPISTOLA CXCII.

Viris potentibus in arcto positis ut fideles sui subveniant, ad eorum contraria propulsanda, sacramenti præcipit et hortatur religio, rebus semper in

A omnibus observanda. Contumacis regis Anglorum audacia regnum nostrum aggressa est; et de nostris quosdam inclusit in oppido nihil minus quam tale quid exspectantes. Improvisus quidem inclusit improvidos, et ut nobis illorum aperuit littera, provideri sibi desiderant festinanter. Cujus audaciæ proponentes occurrere fidelitatem tuam præsentibus admonemus, ut collecta militia nobis Parisius offerri festines. Eum enim retundere multam nobis accedet ad gloriam et perennis eum sequetur confusio, si conatus sui se viderit impotentem.

EPISTOLA CXCIII.

Responsio.

Salutem et obsequium.

Quos communis injuria irritare non metuit, ex-
B citari debent communiter ad vindictam. Ex quorumdam relatu didiceram, et relatui nolebam fidem apponere, quod de vestris munitionibus unam rex Anglicus obsedisset, sed debere me credere non credebam quod hic esset audacia præsumptionis. Si præcissem id antea, quod et modo scire non audeo, qui ducaturus in tempore locus fuit, novum rursus in balneum introisset.

EPISTOLA CXCIV.

De amore de levi amisso.

Qui re sibi dilecta carere sustinet, et ab ea brevi se jungitur intervallo, se indignum constituit amoris nomine quod mentitur. In amoris nostri principio procellosa maria solebas ingredi, cum et flu-
C ctus maris et ventorum sævitia nimis tibi minaciter intonarent. Desævisse consideras elementa; sed eorum duritiem induxisse te sentio; quod admiror, meretricum, ut video, te decepit astutia, novus amor blanditias interjecit, et te nimis invenit volubilem, quem eventum nullo credideram immutandum. Satis mihi contraria promittebam, sed incassum sibi promittit quispiam, quod est in sortis alea constitutum.

EPISTOLA CXCV.

[A. D. 1219.]

De captione Damiatæ.

Sanctissimo Patri ac domino H. Dei gratia summo pontifici, A. patriarcha, Jo. rex Jerusalem, bucon. Nichol. arch. p. Alban. J. Acconen. . . . .
D epi. hospital. Sancti Joannis, templi, hospital. Alamannicorum magr. de eeucado commertar. Savari de Maloleone de Jovis villa. E de Castro consules comitatuum, salutem et subjectionis cum reverentia famulatum.

Exaudivit Dominus de excelso sancto suo voces servorum suorum, non permittens tot expensas apud Damiatam a Christianis factas ita inutiliter fieri, et tantam Christianorum stragem relinqui. Sed in his nobis misericorditer providens ac clementer in parte magna nostrum desiderium adimplevit. Cum enim propter multiplicem sui defensionem nec per terram nec per aquam posset manifeste capi civitas Damiatæ nec virtute nec probi-

tate alicujus; sed solius Dei dextera pugnante A pro nobis, impugnantibus omnibus de exercitu præter illum, qui quantum ad studium communis negotii pertinet procuravit, Non. Febr. intempestæ noctis silentio furtive, imo potius miraculose capta est civitas Damiatæ : ita quod nullus de nostris in captione illa exstitit interfectus, nec etiam leviter vulneratus. De Sarracenis vero tot ceciderant in ore gladii, quod etiam nobis displicuit admirari. Tamen et alii Sarraceni majores ad quamdam munitissimam turrim confugerant usque meridiem, nec reddere voluerunt, sperantes quoc soldani Babylonis et Damasci in castra nostra insultum facerent; et si contingeret Christianos succumbere, ipsi per turrim illam civitatem reciperent, ut sperabant. Sed totus exercitus noster præter paucos B qui civitatem invaserant adeo plene cucurrerunt ad litias et fossata quæ inter nos et Sarracenos facta fuerant ad munitionem castrorum nostrorum, quod Sarraceni nullatenus in castra nostra irruere ausi fuerant. Facto autem mane in die Martis: cum tunc primum intellexissent soldani quod civitas capta esset, laniatis vestibus et injectis unguibus in capillos, amarissime flentes nec de succursu civitatis, sed de fuga post cogitarunt, timentes ne exercitus noster faceret insultum in eos. Nunc autem ex quo Dominus aperuit nobis portam Ægypti, sanctitati vestræ flexis genibus supplicamus et petimus, et per effusionem sanguinis Christi obsecramus, quatenus maturatum consilium tam hominum quam pecuniæ transmittere C studeatis, sciturì pro certo quod populus Christianus in multitudine veniet expugnaturus civitatem Cairi : facile satis erit partem Ægypti residuam obtinere, et per consequentiam regnum Hierosolymitanum, quod ad præsens per Ægypti subsidium retinent, ut gravius periculum evitetur, et ad inquisitionem Ægypti securius procedatur; imperatorem venire compellatis, prout nobis sæpissime promisistis; et alii cruce signati similiter compellantur exsequi vota sua, votorum redemptione cessante de quo nullum sentimus commodum ; sed de redemptione hominum sustinemus evidentissimum detrimentum. Utrum autem vicesimam, quæ ex generalis concilii consensu ad terræ sanctæ subsidium specialiter fuerat deputata, licuerit D vel decuerit quod non expedit ad alios usus converti vos ipsi videte. Datum Damiatæ III Idus Novembris.

EPISTOLA CXCVI.

CONGRATULATIO SUPER CAPTIONE DAMIETTÆ.

[A. D. 1219.]

Honorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Turonensium provinciam constitutis, salutem, etc.

Exsultet in Domino suorum turba fidelium et in vocem benedictionis gratiarum et laudis lætabunda prorumpens, cum Apostolo dicat : ***Benedictus Deus***, etc., ***qui nos in omni tribulatione consolatur*** [60]. Nimis quidem natus est sibi soli, nimis intentus est propriis, nimis negligit communem causam populi Christiani, qui diebus istis in mentis angustia et tribulatione non fuit : cum sciret Christianum exercitum civitatem Damietæ magnam et munitissimam obsedisse, in ipso quasi medio paganismi, ubi a fidelibus aliis tanto terrarum maris et vallis intervallo divisus, et ab infidelibus ex omni fere parte circumdatus non tam obsidens dici poterat quam obsessus. Cujus vestrum animus ad dubium non pendebat et pavebat eventum, non tam pro singulorum salute sollicitus quam pro universo exercitu spe ac timore alternante suspensus, imo quis ipsius non obliviscebatur exercitus, quis ejus recordabatur periculi pensans sub quanto staret discrimine, quamve tenui filo penderet honor totius populi Christiani? Profecto in eo erat statu res posita, ut idem exercitus de viribus suis jam omnino diffideret : et memor magnalium quæ divina potentia pro fidelibus suis facere consuevit de ipsius sola miseratione speraret. Unde ipse qui de sua sperantes misericordia non relinquit, qui prope est omnibus in veritate invocantibus nomen ejus, qui suos in tribulatione dilatat, ut cum se consumptos putaverint velut Lucifer oriantur Ecclesiæ, ecce in eorum manibus tam mirabiliter quam misericorditer antedictam tradidit civitatem non solum thesauris, sed etiam victualibus longe plus spe et opinione repletam. Et ut hujus rei gloriam evidenter nomini suo daret, nullus Christianorum in ejus captione interiit, aut etiam lethale vulnus accepit, sicut venerabilium fratrum nostrorum, P. Albanensis episcopi et apostolicæ sedis legati, cujus ministerio Deus potissimum uti voluit in hoc facto, necnon patriarchæ Hierosolymitani et regis et fratrum Hospitalis et Templi ac domus Teutonicorum Hierosolymis litteræ nobis missæ liquide manifestant. Et ut manifesto divini favoris lætarentur et confortarentur indicio, cum timerent ne ipsis civitatem intrantibus circumstans Sarracenorum exercitus castra invaderet, eorumdem fluvius divino nutu adeo inundavit subito, ut inaccessibilia reddiderit castra ipsa; et manifeste patuerit quod pro Christicolis contra insensatos ipsa elementa pugnarent [61], pluribus miraculis aliis ibi factis, quæ longum esset per singula enarrare. *Psallite* igitur *Deo nostro, psallite regi nostro, psallite* [62]. Psallite quidem, sed utique sapienter, non elatione tumidi, sed humilitate devoti, recognoscentes prudenter et humiliter confitentes quod non manus humana, sed Dominus fecit hæc omnia, ut *qui*

[60] II Cor. 1. [61] Sapient. 5. [62] Psal. 146.

gloriatur in Domino glorietur [63], eique laudes et A gratias factis per singula opportuna loca processionibus solemniter exsolventes. Porro cum Dominus fecerit nobiscum signum in bonum, cum tantum nobis ostium aperuerit, nunquid deerimus gratiæ suam nobis dextram porrigentis, qui memor est improperiorum suorum quæ fiunt a Sarracenis insipientibus, tota die exsurgens judicare cœpit causam suam et inimicos suos terribiliter dissipare. Nunc certe, nunc tempus est de somno corporis exsurgere [64], nunc necesse est athletis nostris existentibus ibi succurrere festinanter et idololatris a Dei facie fugientibus toto conatu, totis viribus, toto posse rerum et personarum instare, dum recenti adhuc vulnere trepidant: dum ex captione civitatis prædictæ, quæ caput et robur Ægypti B fuerat, consternati, nullum locum sibi contra Christianorum, imo contra Christi potentiam tutum putent. Denique nunquam subventione amplius indiguit exercitus Christianus, cum nequaquam sufficiant et prædictam incolere civitatem et procedere ad alias impugnandas, sine quibus cum illam teneri a Christianis non possit, non restat nisi aut eam cum tanta gloria conquisitam ignominiose deserere, aut circumstantes expugnare viriliter et Christiano nomine præeunte Deo feliciter subjugare. Nos quidem futuris præterita coaptantes, illa videmur tempora intueri, quibus Machabæi sancta sua profligatis gentibus cum magna populi sui lætitia restaurarunt [65]; et de divinæ pietatis abundantia confidentes speramus quod modernis C temporibus hæc in populo Christiano debeat lætitia innovari. Monemus igitur universitatem vestram, rogamus et obsecramus per aspersionem sanguinis Jesu Christi, quatenus accensi hujusmodi lætitiæ desiderio ad subventionem exercitus sæpe dicti renovatis animis et viribus in tantæ opportunitatis articulo intendatis. Nos autem præter fratres a principio indulgentias innovantes omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint, et expensis; ac iis nihilominus qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in expensis suis juxta facultates suas viros idoneos destinaverint, necnon et istis qui in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum peccatorum, de quibus fuerint corde contriti et ore confessi, D veniam indulgemus: et in retributione justorum æterni præmii pollicemur augmentum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem prædicti negotii de bonis suis congrue ministrabunt; aut impendent consilium vel auxilium opportunum.

EPISTOLA CXCVII.

Inductiva.

Sublimitati vestræ credimus notum esse quod tandiu cum cæteris cardinalibus inclusi stetimus pro summo pontifice eligendo; et quod nondum potuimus unanimiter concordare, sed in quantum per præterita conjicere possumus de futuris, imo in quantum nos docent ea, quæ singulis diebus tractamus præsentialiter et videmus, visibiliter timere possumus quod tractatus in Ecclesia Romana non modicum periculum in longi temporis spatium transeat, ac in ejusdem Ecclesiæ multarum regionum, ne totius dicamus Christianæ religionis detrimentum, electio summi pontificis differatur. O quot per diversa mundi climata nova insurgunt scandala! quot provincias turbat seditio! quot regiones et regna concutit bellica rabies! quibus, etsi Romana Ecclesia materno compatiatur affectu, ipsis tamen quia vidua nequit effectualiter providere, pro his quoque dolemus et gemimus. Sed maxima nobis est per Dei gratiam consolatio conservata, quia videlicet ferventi desiderio et desiderabili fervore vos Ecclesiæ devotum novimus, et tanto erga ipsam constantiores, quanto majoribus procellis et tumidioribus fluctibus visa est agitari, ut sic fides vestra multo purior sit auro quod per ignem probatur, quod quidem multorum conatus illicitos reprimit, ac præsumptuosam limitat audaciam et compescit. Consolamur etiam quia serenitati vestræ cordi esse scimus terræ sanctæ tribulationibus et periculis subvenire. Ad quod vos inclytosque liberos vestros divinæ crucis assumpto signaculo viriliter accinxistis. Cæterum, ut cum gratia vestri loquamur sincero cogente affectu, quo vos diligimus toto corde, quamvis hujus terræ sanctæ credamus utilem, terræ tamen vestræ ac Ecclesiæ Romanæ ipsum minus utilem formidamus; forsan enim plerique jamdudum suas nequitias conceperunt, quas ausi non sunt in vestræ excellentiæ provincia parturire, quibus per absentiam facultas permittitur, quod nequiter est propositum nequius perpetretur. Penset hæc ergo et alia multa regalis sublimitas, et eam non pigeat consilium in melius immutare, ut videlicet tali transfretante cum honorabili comitiva; cui quoties oportuerit tam pecuniarum quam militiarum poteritis subsidium destinare; vos vestrique liberi, quos tenella non sinit ætas adhuc armorum onera supportare, ad terræ vestræ multarumque aliarum tranquillitatem et pacem in regali solio velitis remanere; sic equidem terræ vestræ multarumque aliarum et Ecclesiæ Romanæ utilitatibus multipliciter consuletis. Quare has utilitates suademus et credimus aliis præferendas, sed si placet, parcatis nobis, quia sic loquimur; urgens enim necessitas et evidens utilitas, ac insuper affectus sinceritatis quo vos diligimus tanta animi puritate ad hoc specialiter nos inducunt.

EPISTOLA CXCVIII.

Tenet de magnificentia vestra considerationis nostræ judicium, quod de continentia status nostri

[63] II Cor. 10. [64] Rom. 13. [65] I Machab. 2.

et talis curæ processibus vos delectat audire rumores, quos felices in Domino vos novimus continue affectare. Quapropter ut super his exspectatio vestra certitudine digna non careat; cui de his tam nuntiorum quam frequens litterarum nostrarum narratio veritatem potuit hactenus attulisse, celsitudini vestræ deferimu squod, divina nos prosequente clementia, votiva satis nobis affluunt beneficia corporeæ sanitatis, quanquam de reformatione talis Ecclesiæ, cui cum aliis talibus incessanter insistimus, nos privat anxiæ sollicitudinis cogitatio curiosa. Tandem speramus in Domino qui pietatis suæ dona continere non novit, quod ad id sic salutaris semitam præparabit et faciet tractatorum mentes unanimi voluntate concordes, quod eidem Ecclesiæ de tam bono et utili pastore in proximo providebitur, et ipsi Deo cedet ad laudem; et Christianæ professioni copiosæ salutis provenient incrementa, et de ipso Domini talis vestro ac vestra vota poterunt tranquilla suavitate lætari. Ut autem de processibus continentiæ vestræ quam prosperam affectamus, placitis nobis utinam rumoribus satisfiat! Rogamus quatenus, quibus vobis propitiet beneficiis benignitas Salvatoris, vestra nobis si placet insinuet responsiva; per quam nobis etiam si placet intimetis, si qua nos vobis velitis efficere placitura.

EPISTOLA CXCIX.

Quia convenit ut talem super gravi talis obitu consolemur, opportunum tibi duximus committere, ut talem personam sine dilatione personaliter adeas, litterasque de credentia quas sibi dirigemus exhibeas; eas enim lator præsentium tibi tradet. Ordinabis itaque consolationis apud eam sermonem ex parte nostra sicut opportunum videbis; compassionem nostram quam ad totius christianitatis et Ecclesiæ Romanæ statum, necnon personis ipsius et turbatam animi sui tranquillitatem pensato talis principis damnoso defectu dirigimus; ordine congruenti exponens, et consolationis subjungens remedium, quod in superstite prole tam laudabiliter disposita, et potentiæ ac amicorum, nec minus gratiæ divinæ robore suffulta ipsa potest assumere Dei beneplacitis ascribendo humanæ fragilitatis debitum quod subire erit necessarium omni carni. Postremo vero te nullatenus omittere volumus, ut ei bonam voluntatem vestram, et promptam sollicitudinem in omnibus negotiis suis et suorum offeras ex parte nostra, rogans et instans ut beneplacitorum suorum promotionem fiducialiter nobis committat; quia fideles et voluntarios omnium efficacia nos reperiet; et etiam magis attentos quam hactenus fuerimus, quoniam sibi de cætero magis novimus expedire. His itaque et aliis quæ videris opportuna et digna attente pensatis, ad eorum præsentiam te conferas sine mora.

EPISTOLA CC.

Talis cardinalis venerabili fratri episcopo Parisiensi salutem in Domino.

A Non bene pondus in se continent, si diligenter attendis, verba quæ scribimus, cum ex gravi materia prodeant admirationem non modicam nostris ingerente mentibus, et quasi novum genus dissimilitudinis judicante; cujus negotii qualitas et facti minus congrui novitas evidenter causam insinuant qua de te tuisque processibus, quos circumspectionis gravitas, quos veritatis prævidentia, quosque justitiæ rectitudo prævenire merito debuerunt, mirari compellimur et turbari: sic se rebus habentibus sicut sunt ad nostrum auditorium introductæ. Hic siquidem accepimus contigisse, quod cum ad auditum tuum pervenisse prætenderis, venerabilem fratrem nostrum, A. tituli Sancti Praxedis presbyterum cardinalem, fuisse viam universæ
B carnis ingressum, tu non ex picto quod de statu tali tantæque personæ certior habereris; quinimo propriæ voluntatis arbitrium æquitati præferens, et quod exigebat in hac parte justitiæ debitum prætermittens, ad domum, in qua sui archidiaconatus Parisiensis curæ tenebatur, quamque venerabilis frater noster, R. Sancti Angeli diaconus cardinalis ad se spectantem sibi ad tempus duxerat concedendam, baillivum et quosdam alios tuos nuntios destinasti. officium dicti A. cardinalis per eos districtius inhibens ne jurisdictionem aliquam exerceret; ejus sigillifero nihilominus injungendo, quod sigilla dictæ curiæ resignaret frangenda, sicut fieri pro tempore obeunte Parisiensi archidiacono consuevit. Et licet idem sigillifer, saisitis iisdem
C sigillis et in quadam bursa reconditis, per baillivum et nuntios s pradictos ad te super his recursum fiducialiter habuisset; et ut hic revocares cum instanter postulasset, asserens dominum suum vivere, ad quæstionis litteras quas ab eo de novo receperat, et in quibus specialiter habebatur quod sospitate vigebat, tibi patenter ostendens, cum non solum quod non desistens a gravaminibus sic incœptis; iterum etiam respondens eidem sigillifero expressius præcepisti quod, cum de morte præfati cardinalis tibi plene constaret, prædictis sigillis penitus resignatis, de ipsorum emolumento percepto a tempore quo eumdem archidiaconum decessisse dicebas et redderet rationem; finaliter autem officium et sigillifero loco gratiæ quæ manifesta potius et enormis apparet injuria diceris concessisse; et in exer-
D cenda jurisdictione officii conjudicem et sigillifero consigillatorem adjungens, ac emolumentum ex sigillis proveniens in sequestro quotidie poneretur. Profecto tali convenienter locum apud talem præsulem habere non debuit multiplici, quam pontificalis modestiæ prævidere decuit oculis incongruitate pensata. Erat enim de continentia cardinalis, etiam si minori dignitate vel officio fungeretur, priusquam taliter procedens contra ipsum diligentius veritas inquirenda; potuitque curialibus præfato R. cardinali deferri, ne taliter in domo sua dicti archidiaconatus possessio turbaretur, et ne sibi locum ibidem talis in jure vindicaret. Erat etiam per te ipsum propriæ famæ protendendus, ne tuo pro-

cessu jus læderent alterius; et ne in posterum exinde noxium sumeretur exemplum. Inter cætera quoque potissimum Ecclesiæ Romanæ vitanda fuerat offensa, in cujus opprobrium et contemptum dignoscuntur membrorum suorum cedere læsiones; nec minimum erat attendere turbationes cardinalium eorumdem, quorum tibi debueras benevolentiam studiosius conservare. Unde, cum ex te ipso possis aperte colligere quod eamdem Ecclesiam nos et præfatos cardinales offenderis in præmissis; fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente præcipiendo mandantes, quatenus sic providere salubriter et prudenter agere studeas, quod judicialem horum examinationem satisfactio condigna præveniat, quodque in cordibus illorum quos injuria tetigit nihil nubili remanere contingat, et per nos seu per futurum summum pontificem adhuc aliter corrigenda non oporteat aliud consilium vel remedium adhiberi.

EPISTOLA CCI.

Lamentatio de morte amici.

Recensentes in amaritudine animi annos nostros et multiplicis affectionis materiam, quam licet immerito in nobis et in nostris patimur cogitationibus; nunquam tanti doloris occasio nostris sensibus inolevit; quantum de talis obitu legis divinæ zelatoris et religionis cujuslibet amatoris, nuper nobis fuit veritas declarata. Et ut ea, quæ ex gestis exterioribus quæ nonnunquam secreta mentis turbatæ indicant, circa personam nostram facile potuerunt audito tanto incommodo illico deprehendi ab astantibus, omittamus; accessit etiam nobis stupefactis ex eventu sinistro calix tribulationis et angustiæ, non inebrians sed insaniens misto plenus; qui felle amaritudinis et horrore absinthii propinato, nostra intima nullo interveniente consolationis remedio duplici vulnere penetravit, nec immerito ut a capite et digniori incipiat lacrymabilis noster sermo undique angustiis sic oppressus.

EPISTOLA CCII.

Invectiva papæ regi.

Intra paternæ claustra memoriæ residere devotionis regiæ magnitudine promerente, vota nostra circa te frequenter excitata dirigimus, ut supernæ benedictionis rore perfusa sospitatis gratia vigeas, et tandem ad vere lucis pervenire gaudia merearis. Hoc itaque desiderium ab olim in nostro pectore ferbuit, eoque potius suscepit incrementa fervoris, quo licet immeriti sedis apostolicæ residentes, et pastoralis onera gerentes officii, pro tua et cunctorum salute fidelium tenemur amplius vigilare. Principalis igitur exhortationis nostræ quærit et petit instanter, ut intentæ considerationis oculos habentes ad Redemptorem nostrum Dominum Jesum Christum gerens in tuis visceribus figuratum, sua beneplacita prosequi delecteris, et pensans proinde quod hujus mundi figura præterit: quodque abierunt et adhuc abeunt reges et principes, cæterique corruptioni subjecti; nullo quod sub sole nascitur habente stabile firmamentum, in divini nominis amore persistas ædificans prudenter in inferioribus veluti transitoriis et caducis sua vilitate contemptis, ut in regno cœlestiis gloriæ perennem, quæ non deficiet nec peribit, tibi constituas mansionem. Cæterum, cogitantes non sine magno compassionis affectu circa illatas oppressiones et angustias terræ sanctæ, quas vidimus et propria manu palpavimus in minori officio constituti, ac desiderantes de celeri ne totaliter pereat sibi subsidio provideri, tali mentem nostram super hæc aperire decrevimus per litteras speciales, quas per talem nobis et fratribus nostris suarum dona virtutum charum multipliciter et acceptum, ei duximus dirigendas. Ideoque regalem magnificentiam cum paterna fiducia rogamus et hortamur attente, quatenus apud eumdem ad id partes tuas officialibus studiis interponas: ita quod exinde retributionis æternæ percipias incrementum. Ut autem tibi nostra plenius intentio pateat, credas, quæsumus, indubitanter sic ab ore nostro prolata, quæ talis super præmissis omnibus ex parte nostra, tuæ duxerit excellentiæ referenda. Nec mireris quod bulla non exprimens nomen nostrum est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis vel benedictionis nostræ solemnia transmittuntur, quia semper hi qui fuerunt in Romanos electi pontifices consueverunt in bullandis litteris, ante suæ consecrationis munus modum hujusmodi observare.

EPISTOLA CCIII.

Responsio ad præmissam.

Tenorem vestræ litteræ pleno collegimus intellectu. Adhuc vero noveritis quod causas mortis de tali in ipsis adjectas litteris minus decentes, minusque rationabiles judicamus. Non enim ista duo bene conveniunt, quod officium sibi commissum exerceat, nobisque assistat necessitatis articulo incumbente. *Nemo* enim *potest servire duobus dominis*, sicut meminimus nos legisse [**], adeo quidem posset a nostra distare præsentia quod nos solvere humanæ naturæ debitum, aut alia corporis et animæ incurrere pericula contingeret, antequam ipsius possemus frui visitatione et consilio si necessitas immineret. Unde grave imo gravissime gerimus quod nostris in hac parte non annuistis desideriis, consideratis mœstitiis, amaritudinibus et angustiis involventibus mentem nostram. Quod autem a vobis obtinere nequivimus, archiepiscopus aut episcopus seu alia persona vobis inferior apud vos, sicut credimus, impetrasset. Quid plura? Ex quo eum habere nequimus, nobis non placet incommoditatibus compati; ad alios recurremus minusque favoris habebimus apud nostros.

[**] Matth. 6.

EPISTOLA CCIV.

Inductiva quædam.

Præclara dilectionis indicia, quæ ad talem in sinceritatis plenitudine hactenus expandistis, datur nobis aperte intelligi, quod ipsius repositam in pectore nostro memoriam in talibus eo uberiori beneficiorum munificentia excitare, quo ipsorum statum prosperiorem zelare credimini; et de honore ac commodo eorumdem dicuntur materna diligenter studia nos hortari. Præterea cum potius spei suæ in vobis pendeat plenitudo, nec aliud quam vestrum post Deum iis videatur adesse præsidium, quo res ipsorum dirigatur utiliter et negotium feliciter foveatur, vos affectuose rogamus, quatenus cum de successione talis hæreditatis tali viro diebus istis graviter infirmante tam per aliquos ex parte talium B discrimen, quam talis non sine turbatione successuri dissidii jam videatur suscitari pruritus, qui talibus (quod absit!) non modicum afferre posset, timetur si iis ad quos ipsius hæreditatis digne devolvi debet successio, sicut ad illos qui de virili frumen linea soli supersunt adesse velint, prout expedire videritis; et hic dubietatis articulo et prodesse: quod ipsorum debito statui utiliter caveatur; nec inde incurrere possint aliquod detrimentum super hoc ad eumdem talem, si placeat, nuntios et litteras vestras mittentes; per quas date sibi intelligi, quod statui et tranquillitati ipsius loci expediat, de commodo et quiete talium sibi suggerente consilio sic statuat, ordinet et disponat; quod si de ipso (quod absit!) aliquid sinistrum succederet, eorum gaudere possitis commodis provenisse, ac in eorum felici statu vestra desideria delectentur.

EPISTOLA CCV.

Responsio ad prædicta.

Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in voces flentium[87]*: infirmata est* doloribus *virtus mea, et ossa mea* in gemitibus conturbantur [88], cum ipse vestræ tenor epistolæ inopinatum fatum et calamitatem mihi perpetuam nuntiaret. Sunt ergo *lacrymæ meæ panes die ac nocte* [89], qui utinam intra ventris septa consumptus essem, ne talia oculus meus videret, vel diem clausissem extremum, ne tantorum periculorum gustator miserabilis exstitissem. Heu me dixerim, fili mi, utquid me mater peperit filium amaritudinis et doloris? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, cur doloribus deditus, cur tribulationibus circumventus? et utinam mortuus fuissem in utero matris, et fuissem quasi non essem de utero translatus ad tumulum! Heu me miserum! perdidi filium animæ meæ individuum, vitæ meæ solatium, oculorum meorum lumen et meæ baculum senectutis. Quid plura? *propter Sion non tacebo et propter Jerusalem non quiescam* [90], sed continuabo dies meos in lacrymis et dolore, donec deficiam lacrymando. Vobis tamen grates refero, quia per lit- A teras mihi consolationis remedium assignastis; et consolari non valeo, quia dolori meo similis non est dolore.

EPISTOLA CCVI.

De eo qui creditur mortuus.

Dictu res horribilis et amara ac mea pervertens gaudia in mœrorem, nuper meis auribus jam pervenit quod magister Nicolaus, unicus frater meus, qui erat spes vitæ meæ, refugium et tutela, morte carnis vitam finivit, ad quam ulterius non redibit. De quo tantum sunt mea viscera conturbata, ac repletus sum doloribus infinitis, quod a planta pedis usque ad verticem capitis non est membrum quod non sit positum in dolore. Et merito; quoniam ipsum sine spe recuperationis amisi, qui fuit os de ossibus meis et caro de carne mea, ac bona quæ habeo ipso mediante percepi; necnon et in futuro sperabam consequi meliora. Verumtamen quia hoc ad me non aliunde nisi fama referente pervenit, de vita dubito, nec de morte consto firmissima ratione. Vestram igitur amicitiam duxi præsentibus rogitandam quatenus, sive verum sit vel contrarium rationi, mihi vestris litteris intimetis, ut de morte doleam, et mihi condoleant consanguinei pariter et amici velut humana conditio exigit et requirit, et de vita valeam more solito exsultare, et qui de tali relatione tristantur mihi congaudeant sicut solent ad ipsam.

EPISTOLA CCVII.

Consolatio de morte amici.

Nimis dira sorte constringimur; nec minus dira C cordis angustia cruciamur. Nam lacrymarum fontem producit dolor intrinsecus ex oculis subductus animus amaritudinis tenebris, læsa viscera tela penetralibus mœstitiæ interius commovetur, et sic quod mente concipimus, nec verbis exprimere, nec continere possumus serie litterali. Doloris enim immensitas et profunda luctus infusio dicendi facultatem excludunt; compendiosa tamen litterula imo potius dolorosa vobis intimare compellimur: quod pater ille noster, lapis promotionis nostræ primarius, universalis Ecclesiæ membrum præcipuum, columna justitiæ, basis immobilis, amicorum fida defensio, securum generis sive gentis confugium, tutus patriæ clypeus, et firmus paternæ baculus senectutis, consilio clarus, maturitate conspicuus, D scientia rutilans, et supremus constantia, G. pater vester et filius diversis respectibus, sicut Domino placuit, die post Annuntiationem beatæ Virginis, proh dolor! fati munus implevit, in cujus obitu pater et paternæ quamvis cohabitationem naturæ lugere dolentem et dolere lugentem vos deceat, cum dolores vestros et luctus rectæ considerationis arbitrio, consolationis multiplici juxta causa subducii. Nam ejus sollicitudinis onera sive vicem devotione integra, charitate plena et obsequio filiali circa paternitatem vestram supplere volumus et

[87] Job 30. [88] Psal. 30. Thren. 1. [89] Psal. 41. [90] Isa. 62.

habere, et eo beneplacitis vestris in antea parere devotius, quo avidius implere partes ejus intendimus in vestris desideriis obsequendis, et sic æstimari non debet amissus qui vivere vicaria substitutione sancitur. Præterea reverenda senectus et annosa prudentia incommodo senili compatiens, prole superstite grate respiret in Domino a principe quem exigentibus meritis, et summi pontificis amplectitur gratia, et prosequitur benevolentia dominorum. Temperat etiam fletus nostros pia miseratio pii patris, qua tum in domino nostro hæc me fratre nostro, tum in filio vota vestra complevit, de cujus judicio si revocare voluit quod concessit et tollere quod creavit, conqueri non debetis, quia si de manu Domini bona suscepimus, moleste contraria non feramus. Est et solatium aliud quod et mortis regula nullus excipitur :

Æquat enim sceptra ligonibus.

Nam pari sententia senes et juvenes, fortes et debiles, potentes et infirmos, divites et egenos involvit. Omne namque quod nascitur moritur et nihil est perpetuum sub sole. Magnus est enim *Dominus* qui *mortificat et vivificat*[11], et magna virtus est ut possit extollere quod depressit, et sanare quod vulneravit. Hortamur igitur et rogamus attente, quatenus sic concepti doloris incendia rore rationis infusa funditus exstinguatis, sumentes in dolore remedium, et in mœrore solamen quod transeat cæteris in exemplum, ut exacerbare nomen Domini non possitis. Nos enim fratribus nostris scribimus et mandamus quatenus mandatis vestris velut nostris in omnibus obsecundent.

EPISTOLA CCVIII.

De beneficio scripturæ ad præteritorum memoriam conservandam.

Illa, quorum memoriam perpetuat scriptura, superveniens senium non delebit. Consuetum est enim ut ea quæ expedit retineri, litterarum apicibus commendentur, ut beneficio scripturæ a calumniosis litibus secura in posterum perseverent. Inter commoditates inventionis humanæ, nil censetur utilius beneficio Scripturarum, quibus memoria reformatur ; et in novitatem redit quod obscuravit oblivio ; et quod vetustas temporis antiquavit. Adeo temporibus nostris humanæ ambitionis ardor invaluit, ut legitimæ donationes et opera misericordiæ versutiam calumniantium evitare non possint, nisi memorialibus scripturis et numerositate testium in posterum muniantur.

EPISTOLA CCIX.

ARGUMENTUM. — *Archidiaconi querela contra officiales episcoporum.*

In H. et E. concilio statutum est quod unaquæque dignitas suo privilegio gaudeat, et episcopus, qui solus beneficium dare potest, honorem datum minuere aut auferre præsumat. Damasius papa consilio beati Hieronymi cum omni senatu Romani A ordinis statuit, et postea omnes episcopos orbis ad consensum induxit, ut eorum officium et officii memoriam in perpetuum delerent. Omni enim auctoritate carebant, et tanto vilius abjecti sunt, quanto magis ambitiose et superbe circa sacra spiritualiter præsumebant ; et subjungit quod in comitiva Christi duo tantum sunt genera ministrantium statuta, scilicet apostoli et diacones, et alii discipuli qui sub iis in suo ministerio servierunt, et post multa concludit quia quod ratione et auctoritate caret exstirpare necesse est. In hoc differentia est quod coepiscopi sacerdotes erant et tum ministrare sacra dobita episcopis non præsumebant ; nunc autem acolyti et amplius subdiaconi episcopale officium contra Deum et canonum scripta usurpare præsu- B munt ; nomen coepiscopi, a sede Romana judicatum et damnatum et exterminatum æternaliter quodam nominis adventitii subornatu denuo latenter obrepsit. Resuscitantur cineres jam sopiti, et ova aspidis diu in occulto basilisci confota patibulo in regulum eruperunt. Hi sunt viperæ officiales iniquitatis omnem malitiam aspidis atque basilisci transcendentes. Vadit hodie solus ad synodum vel cum paucissimis archidiaconus. Officialis autem cum dracone, qui de cœlo cecidit, trahit secum tertiam partem stellarum, atque decanos et sacerdotes archidiaconi secum trahens, dum nec se nec alios pascere sciat, quærens *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*[12], manifeste non ovium pastor est sed luporum. Vulgo dicitur : « Mala custodia pasco C lupum. » Quomodo custodiet animas alienas, qui mores nec scientiam nec ordinem habet, ut propriam animam custodire sufficiat ? Iterum vulgariter dicitur quod archidiaconi sunt oculi pontificis sui ; moderni autem pontifices idem archidiaconos oculos suos obstruunt et confundunt, et noviter assumentes oculos Argi, evangelistarum oculos, quos ad suam et subjectorum suorum salutem ante et retro et in circuitu habere debuerunt, in quæstum pecuniarum non sine sua damnatione convertunt. Legi quandoque puerulus in Catone de hoc genere hominum in hac forma :

Est genus hoc hominum quod dicitur officiperdi.

Credo tale officium esse in perditionem et scandalum, quod studet totum et spirat in malitiam et D rapinam. Innocentissime Innocenti, puto quod tales non ab officii nomine, sed ab officio verbo nomen et nominis causam trahunt. Usus Ecclesiæ activus fuit, ut archidiaconus esset officialis hominum et peccata hominum per archidiaconum inquisita, quæ per ipsum corrigi non poterant, ad episcopos referrentur. Eritne hic officialis inofficiosus aut episcopus aut coepiscopus, cujus nomen atque memoria et officium ad totius Ecclesiæ catholicæ materculæ detrimentum est. Dabitur forsan episcopo archidiaconus ad quem appellant omnes ab archidiacono qui profanas et sacrilegas causas habent.

[11] I Reg. 2. [12] Phil. 2

Quandoque nos archidiaconi diximus ei : *Quis te constituet judicem super nos* [93]? Omnes enim archidiaconi dissecuerint et appellant unanimiter ad thronum suæ innocentiæ. Innocenti, modernis, temporibus cessavit in Ecclesia officium et nomen archidiaconi, provide quia multi contra Deum hoc officio abutuntur, nomen et officium hoc diebus in perpetuum deleatur. Certe nunquam hunc archidiaconatum, ad quem invitus non traherer et coactus, atque post multas inducias, quas petebam a sanctis et religiosis viris, potius onus quam honorem suscipere, sum expulsus et gloriæ vestræ est, Pater sancte, ut imponantur homines super capita nostra et qui heri sedebat ad pedes meos hodie sine meo et aliorum archidiaconorum assensu assumptis novis cornubus ventilet totam Ecclesiam nostram, meque præsente suspendat et excommunicet sacerdotes meos, atque excommunicationis sententiam intentans, antequam ad eos litteræ istæ perveniant, indulta sibi hac tenebrarum potestate in his et gravioribus contra me abutatur : hodie unus est et cras alius, et sic de septimana in septimanam vices eorum episcopus ablabat. Scio et inficiari non possum quod R. Eb. episcopus qui in diebus nec in Anglia nec in Normannia justitiarius domini regis fuit et prorsus litteraturæ ignarus, potius sæcularis quæstus occasionem quam Dei presbyteros officiales constituit. Cujus opus in hac vel in aliis nunquam alicui catholico ad exemplum vel consequentiam debet trahi. Heus, heus, appellat oppressus ad justitiam et misericordiam apostolicæ sedis. Officialis autem appellatione dissimulata negotium suum agit et abusione superba opprobriis et comminationibus os appellationis violenter conclusit. Nunquid illitterati aut potius laici temeritas aut cupiditas imitatores habere debuit? Ad hujus igitur cupiditatis exterminium sufficere potest quod quæstus in causa fuit quod hujus singularitatis auctoritatem ab apostolica sede vel ab antiquorum canonum habuit Lincoln, Eliensis et cæteri suos archidiaconos fovent. Aut servetur hic status aut in perpetuum nomen ejus deleatur. Ego autem sacerdos Domini atque senior et contestis miserationum Christi quodam zelo æquitatis indignor quod hoc officium sic vilescit et plebescit in Ecclesia Dei, ut honor archidiaconorum, qui a beato Stephano incœpit, atque in beatis Laurentio et Vincentio cæterisque martyribus usque ad sanctitatis perfectionem gloriosæ profecit, hodie supervenientibus novis officialibus, datus est in contemptum, in opprobium, in theatrum, in derisum.

EPISTOLA CCX.

[AD P. EPISCOPUM.]

Argumentum. — *Excusatio et querela ejusdem de mendacio et falsitate scriptorum.*

Reverendo Patri ac dom. Dei gratia P. ep., P. B., salutem et si quid dulcius est salute.

A Ex eorum qui vos viderunt relatione multiplici vestri corporis staturam vultumque et lineamenta cognovi; honestissimos etiam mores vestros, matura eloquia, et quosdam bene compositæ mentis affectus, in libro publicæ opinionis adhuc assidue lego, et plura quæ nunquam oculus vidit, nec auris audivit, in anima mea mihi quadam imaginaria repræsentatione depingo. Jacturam siquidem corporalis absentiæ charitas mirabili artificio recompensat; quos videre carnaliter prohibemur, delectabilius intuemur et amplectimur oculis animæ et brachiis charitatis. Redimat ergo visus dispendia et absentiæ carnalis dilectio quæ fortis est ut mors [94]. Seperantur enim morte præsentes amici et per indivisos dilectionis affectus uniuntur absentes, B atque in præcordiis animæ et in visceribus Christi quodam dulcissimo commeatu affectio media intercurrit. Amor enim charitas quæ non agit, sed si *charitas nunquam excidit* [95], hæc est communicatio Spiritus sancti, quæ diversos conjungit animos, quæ vere diligenti amicum repræsentat absentem. Nec enim ulla tempora, nulla loca, nulla spatia, nullæ aquæ possunt exstinguere charitatem. In ea igitur charitate, quam de vestra sanctissima opinione concepi, vobis offero, si quid sum, si quid scio, si quid habeo, si quid valeo, si quid possum. Quidam post recessum vestrum ex parte vestra rogaverunt ut me epistolas meas, quas commendaveram aliis, eidem facerem commendari. Quæsivi eis exemplar correctissimum, quæsierunt scriptorem, C et datis omnibus quæ necessaria illi erant, ille, duobus aut tribus quaternis mendose et turpiter scriptis, remotus est ab opere illo, nec postea invenire potuimus nisi falsarios et operarios iniquitatis. Dabo tamen, Domino dante, operam cum indigenis vestris ut illas epistolas correctas habere possitis, Noveritis autem quod quoties se mihi offert opportuna mihi scribendi occasio libentissime scribo, quod aliis ad ædificationem, mihi cedere debeat ad salutem, et, ut utar Ovidii verbo,

Non emendo tamen ; labor est quam scribere [major,

plane quia magna est apud nos scriptorum raritas et falsitas. Ad solatium exspectationis vestræ gratis et de intimo timoris affectu mitto vobis quædam de aliis opusculis meis, processu temporis, Domino D dante, meliore et acceptiora misserus.

EPISTOLA CCXI.

AD S. EPISCOPUM ET ABBATES.

Argumentum. — *Assignatio rationum quæ induxerunt Baldeminum archiepiscopum Cantuariensem Ecclesiam constituere clericorum et de quibusdam quæ circa hæc miraculose acciderunt,*

Reverendis Patribus et amicis N. S. episcopo et abbatibus de N. et E., P. B. devotissimus eorum, salutem in eo sine quo non est salus.

Sollicite quæritis quæ ratio induxerit Baldwinum

[93] Luc. 12. [94] Cant. 8. [95] I Cor. 13.

gloriosæ recordationis, Cantuariensem archiepiscopum, clericorum Ecclesiam ad Lameheya constituere in contumeliam Cantuariensis Ecclesiæ, sicut quidam garriunt, quasi altare contra altare erigere aut potius Dagon [96] contra arcam sedens exaltare : monet nos quod archidiaconus, qui approbatissimæ religionis erat, et inter cæteras columnas C[isterciensis] ordinis, sanctitate, dignitate, sapientia præeminebat, ecclesiam sæcularium, quam quidam monachi prostibulum Veneris et synagogam Satanæ vocant, satis sæculariter quadam perturbatione animi conscendebat, ut quidquid vox funesta succenseat, Ecclesia tamen est sanctorum martyrum Stephani et Thomæ, martyris primi martyrisque primatis. Vos enim vidistis magni nominis umbram, quæ hanc Ecclesiam martyrum, adhuc infantiæ cunabulis vagientem, a fundamentis subvertit. Sed infra brevissimum tempus in festo beatissimi Stephani mortuus, et in festo sancti Thomæ sepultus est, ac si unus peremisset eum et alius tmulo infodisset. Pensandum est quam fuerit in operibus suis, qui in omni tempore vitæ suæ vas suum in sanctificatione et honore custodivit [97], quia prima lanugine pubertatis pars inter cathedrales præcipuum obtinuit eminentiæ principatum. Qui etiam Oxoniensis archidiaconus factus est, et non acquievit carni et sanguini [98], sed relictis omnibus se in Christi obsequium cingulo militiæ Cisterciensis accinxit. Consequenter invitus et tractus promotus est in abbatem, deinceps in episcopum, demum in archiepiscopum et primatem. Totus expertus et probatus in tantis aliquid noverat idem monachus et pontifex, clericos in Christi obsequium congregabat, et ut propositum apertius expediam, paulo remotius atque seminarium dissentionis inter eum et monachos succincta oratione excurram. Præfecit eum Dominus ad dandam scientiam salutis plebi ejus [99]. Ipse vero spiritualibus exercitiis assuetus, provinciam indisciplinatam inveniens, correctionis sarculum generaliter exercere disposuit. Incœpit itaque a sanctuario Domini, a capite regni, ut, sicut Ecclesia Cantuariensis fuerat quandoque primipilaria fidei et est metropolis provinciæ, ita cæteris Ecclesiis materia fieret disciplinæ. Suos itaque filios cohibebat a firmis in casibus quarum occasione quidam pauci tamen cum corporibus suis turpe fœdus inierant et sinistra opinione scholam claustralis innocentis prægravabant. Verba igitur vitæ æternæ habens, has et aliorum vitiorum propagines, quas abusione longa nutrierat mater dissoluta impunitas, radicitus exstirpabat summum capitis genus asserens vagam excurrendi licentiam et sub jugo Dominicæ servitutis plenam esse animæ libertatem. Cumque super creditum sibi gregem pastorales continuaret excubias, oves in lupos mutatæ sunt et filii obedientiæ conversi sunt in arcum pravum. Porro vir Dei, non in sermone sed in virtute reputans regnum Dei [100], non solum verbis sed factis intra se jugiter omnibus mirabilem, amabilem, immutabilem exhibebat, ut redirent prævaricationes ad cor, et quidam timore, quidam amore, sui patris arbitrio consentirent. Remansit tamen apud aliquos circa medullas animæ plaga interior, quam dissimulatio palliabat ad tempus, donec occasio rebellionis erumperet, quod et rerum postea indicavit eventus. Elapso enim modici temporis interjectu, quidam eorum suscitaverunt aquas contradictionis, aquas Siloe : qui silebant verterunt in aquas Rasin [1], et emittentes aquas facti sunt capita jurgiorum. Qui ergo suspirabant ad ollas Ægypti [2] redeuntes ad firmas *firmaverunt sibi sermonem nequam* [3], ut ad sedem apostolicam appellarent, ut jugum sui pontificis et abbatis a sua cervice dejicerent, obedientiam abnegarent, et cum eo de propriis contenderent. Profecti ergo ad summum pontificem nil aut modicum proficerunt, nisi quod eumdem adversus Cantuariensem usque ad inexorabile odium turbaverunt. Protestor vobis in eo qui summa vita est, quæ audivi et vidi. Urbano papa Veronam egresso et proficiscente Ferrariam, equitabam cum eo, et cœpi pro archiepiscopo devotius et infantius supplicare. Commendabam ei virum Dei tanquam vas a Domino electum, vas fide solidum, humilitate, prudentia, fortitudine, charitate quadratum. Ipse vero graviter excandescens, « Nunquam, inquit, placeat Domino quod descendam de hoc equo et ascendam in ipsum vel alium, si eum ab archiepiscopatu infra modicum tempus non depono. » Vix verbum emiserat, et crux aurea, quæ ante faciem ejus a subdiacono ferebatur, ante pedes nostros fracta corruit. Cumque omnes turbati horrerent, quidam frater Templi, R ejus camerarius, accepta pallii sui fibula, eamdem sicut potuit crucem baculo alligavit. Ipsa vero die Sutoro venimus, ubi arreptus gravi dysenteria de navigio usque ferri fecit, nec unquam postea ascendens in equum alium brevi tractu temporis exspiravit. Quæ scimus loquimur, et quæ vidimus testamur, atque ipsum, cujus testimonia credibilia et judicia terribilia facta sunt nimis, hujus assertionis testem et judicem invocamus. Si quæritis quæ me illuc traxit occasio, dico amor amborum, nam in scholis Urbani socius et discipulus fueram maldyebyrig, tunc vero ejusdem archiepiscopi commensalis. Volens ergo uni subvenire per alterum, non sine gravi discrimine vitæ injeci me in illius controversionis labyrinthum. Sciebam quod magister omnium gratiarum, verbi divini præco, tuba Evangelii, sal terræ, patriæ lumen, religiosorum gloria, deliciæ Dei, morum fama, schola virtutum monarchorum quietem et publicum regni commodum procurabat. Bonarum enim mentium institutor Spiritus sanctus sic adaptaverat et aptaverat sibi ut Deo totus inhærens unus cum eo spiritus esset, nec agens aut loquens quod

[96] I Reg. 5. [97] I Thess. 4. [98] Gal. 1. [99] Luc. 1. [100] I Cor. 4. [1] Isa. 8. [2] Exod. 16. [3] Psal. 63.

charitas non rediret, et ut campum hujus cursus pede inoffenso currat expeditior intellectus. Ad pleniorem evidentiam propositi quædam, quæ opportuna mihi offert occasio, summatim interserendo decrevi ad hoc viventium memoria scriptisque probata authenticis. Quod enim beatus Anselmus ab Angliæ rege Willelmo secundo proscriptus in Galliorum partibus exsularet, soli clerici ejus cum eo in suis tentationibus permanserunt, nec a suffraganeis aut monachis suis ulbum habuit in tam longa desolatione solatium. Morte igitur prædicta regis, eadem die, qua in Anglia peremptus est, vir Dei apud Lugdunum cœlitus revoluta sanctus ad propria rediit, et receptus in exsultatione universæ terræ in honore beati Stephani ecclesiam clericorum Cantuariensium juxta muros civitatis destruxit, cumque ibi præbendas de parochialibus ecclesiis ad suam donationem pertinentibus ordinaret, vocatus est a Domino raptusque in cœlum, quo mundus non erat dignus, ejus desiderium non implevit effectum. Processu vero temporis beatissimus martyr, sicut publice scitur, toto exsilii sui septennio suffraganeis suis et monachis suis factus est tanquam mortuus a corde [4], nisi quod plurimi illorum, a quibus remedia meliora sperabat, addiderunt dolorem super dolore ejus. Soli vero clerici cum eo et pro eo proscripti eidem in agone suo fideliter et filialiter astiterunt. Propterea, restituta ei simulatoria pace, regressus in Angliam, sicut verba et scripta suorum publice perhibent, ad instaurationem ecclesiæ Beati Stephani, quam sanctus Anselmus incœperat, ferventiori studio vota sua circumtulit. Sed martyrio consummatus in brevi affectum non mandavit.

Vidimus successorem martyris Ricardum bonæ memoriæ, licet de gremio Cantuariensis Ecclesiæ fuisset, ejusdem propositi desiderio æstuantem : in hoc tamen diversus a suis decessoribus erat, quod apud M. non propter varias loci commoditates transferre situm ecclesiæ disponebat; verumtamen homo simplex et mansuetus et valde tractabilis ad urgentissimam sui prioris atque conventus instantiam suspendit. Negotium autem affectionis ex dilatione corruit et cecidit ad defectum.

Huic succedens beatæ recordationis Baldewinus archiepiscopus opus antecessorum quod mors invida bonorum operum pervertrix, quasi telam a texente succiderat, reformare studebat, et ecce inimicus homo superseminavit zizania, vertens in materiam scandali quidquid ad commune compendium charitas ordinabat; pene a memoriæ meæ sinu evolverat quiddam, quod sine conscientiæ scrupulo silentio claudere aut dissimulare non possem.

EPISTOLA CCXII.

AD INNOCENTIUM PAPAM.

ARGUMENTUM. — *Rogat P. B. Londoniensis archidiaconus Innocentium papam ut liberet eum a requissima et versutissima vexatione B. cantoris.*

Reverendo Patri et domino INNOCENTIO Dei gratia summo pontifici, suus P. B., salutem et inter afflictionum pressuras esse judicem et ultorem.

Solitus olim scribere dominis meis ex abundantia cordis, atque spirituales aquas et haustus de fontibus Salvatoris derivare in plateas, nunc de doloris atramento scribere atque fletu et gemitu crebroque singultu verba interrumpere potius quam proferre compellor. Indignatio enim totum ebibit spiritum meum et inter molestias senectutis veteranus et emeritus invitor ad bellum, ut aperirentur cataractæ miseri capitis mei, ut cerebrum meum ossiumque medullæ liquescendo effluerent in fletum. Quidam nuntius domini L. episcopi, vestram circumveniens sanctitatem, ex parte domini sui vobis flebile suggessit prædictum episcopum habere in votis novam cantariam in ecclesia L. statuere, vestramque super hoc indulgentiam postulavit. In primo verbo *mentita est iniquitas sibi* [5], G. vero bonæ memoriæ tertio ante istum est [*sic*] filium viri præclarissimi Ecclesiæ prædictæ canonicum instituit et cantorem. Iste autem factus est cantor de nihilo. Rex autem donavit huic episcopo pauperem ecclesiolam parochialem sub ea forma, ut duo capellani inde invenirentur, quorum unus serviret illi ecclesiolæ, alter in ecclesia Londoniensi singulis diebus pro anima domini regis atque antecessorum et successorum celebrarent missam quotidie pro defunctis. Non est reditus ibi de quo duo sacerdotes possunt tenuissime sustentari. Unde ergo surget fundamentum et materia cantoriæ, non est data cantandi, sed flendi occasio, nisi de antiquis reditibus nostris ipsi reditus et honoris dignitas in nostram contumeliam assignetur. Indulsistis episcopo et jura quæ alii cantores habent in stallis, in processionibus et aliis in ecclesiis Anglicanis. Istarum prætextu litterarum petit iste cantor stallum et alia jura L. archid. qui majorem in ecclesia post decanum et a singulis personis ecclesiæ de suis dignitatibus aliquid auferri sibique conferri, quod expresse contrarium est illi clausulæ litterarum vestrarum, ubi indulgetis episcopo, ut hæc fiant sine alicujus læsione vel damno. Sub generali petitione sua et simplici petit ille, qui omnium novissimus est et quasi abortivus, ut habeat primam vocem in electione decani et secundam in electione episcopi, et alia multa quæ a primis fundamentis ecclesiæ noscuntur archidiaconi illius quiete et honorabiliter hactenus habuisse. Ergo sævas spectante cruces et pio compassionis affectu viro jam veterano et emerito benigne condescendatis, absurdissimum enim esset, quod tanti nominis virum juvenis ambitiose et superbia superductus antiqua et debita dignitate ita crudeliter spoliaret, cum enim totius civitatis clerus et populus post eum episcopum soli archidiacono teneantur dilectionem exhibere, quis videre siccis oculis poterit ignominiam et dejectionem archidiaconi et omnem archi

[4] Psal. 30. [5] Psal. 26.

diaconatus honorem coram clero et populo a juvene, qui nondum plene creatus est et jam garrit, nondum est et jam accessit, tam crudeliter usurpari? Intolerabile est apud bonos et graves quod sine judicio, sine peccato, dilecto Deo et hominibus excitatur ita enormiter, nec est qui moveatur super contritione Joseph. Provide respiciatis ad innocentiam ejus, innocentissime Innocenti. Convertite justitiam ejus in judicium, sollicite, diligenter inquirite si litteræ primæ quas indulsistis, et si secundæ quas C. episcopo misistis, vera vel falsa suggestione fuerant impetratæ, placeat vobis ut locum habeat illa indulgentiæ vestræ clausura, ut dignitates quas petit habeat sine alterius læsione. Sane cum Ecclesiam Metropolitanam debeant subjectæ diœceses sequi, auferetur ab ecclesia vestra universæ turbationis occasio, ut secundum jura et dignitates cantoris cantor ecclesiæ sustineret suæ ambitionis insaniam lentari. Variæ quidem sunt consuetudines in ecclesiis Anglicanis; quædam habent decanum, quædam non, quædam thesaurarium, quædam non. In quibusdam cantor est minor, in quibusdam thesaurarius est major; absit autem ut Sponsa Christi amicta varietatibus, clericali, monicali, albi et nigri, linei aut lanei, pro unius ambitione sustineret pallium Joseph aut Christi tunicam ita scindi!

Dominus L., providens turbationem hanc ex litteris sibi missæ indulgentiæ securatam, suppressit eas triennio, nec eis unquam voluit uti. Porro sæpe dictus B., litteras indultrices clandestina subreptione adeptus, fecit eas denuo revocari et mitti domino G. quadam inextricabili prolixitate armamur. Ut enim huic malo consentire aut contradicere nos oportet, consentientes omni quod habemus jure spoliamur, contradicentes auctoritate illarum litterarum censura Ecclesiæ percellimur. Sed, volente Deo, inde procedent injuriæ unde jura sumuntur. Exploravit hostis occultus infirmitatem et defectum corporis mei, nec a persecutione cessabit donec vitam extorqueat mihi, et eveniat quod Achab idolotatræ dictum est de vita et morte Naboth: *Occidisti insuper et possedisti* [6]. Unde archid. Lon. ante creationem et in creationem illius cantatoris cum omnibus personis ecclesiæ contra eum solemniter appellavit. Audivit enim et adhuc memoriter tenet illud Sapientiæ verbum: *Fili, si spiritus potestatem habens super te venerit, locum tuum non deseras* [7]. In hac forma verborum commendat in Dei et vestris manibus sortes suas.

EPISTOLA CCXIII.

FRIDERICI IMPER. AD SALADINUM.

Argumentum. — *Fridericus imperator petit restitutionem quorumdam locorum a Saracenorum præside S. alioquin ipsi grave bellum minitatur.*

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, et hostium imperii magnificus triumphator, totiusque monarchiæ formatus mode-

A rator, S. præsidi Saracenorum, quondam viro illustri, Jerusalem fugere exemplo Pharaonis.

Devotionis tuæ litteras, multis ad nos retroactis temporibus destinatas, super arduis negotiis, tibi quidem, si fides verbis fuisset consona, profuturas; majestatis nostræ ut decuit magnificentiam, suscepimus. Epistolarum nostrarum alloquiis magnitudini tuæ consulere dignum duximus; nunc autem quia terram sanctam profanasti, nos qui per æterni Regis imperamus imperium, in præside Judææ, Samariæ et Palæstinorum, in tanti sceleris præsumptuosam et plectibilem audaciam, debita animadversione decernere, sollicitudo imperialis officii nos admonet. Quamobrem, nisi occupatam terram ante omnia restituas, adjuncta satisfactione, sacris institutionibus

B pro tam nefariis excessibus taxata, ne minime legitimum videamur gerere bellum, a capite Kal. Novembrium, evoluto anni spatio, terminum præstituimus ad experiendam belli fortunam in Campotaneo, et in virtute sanctæ crucis, et in nomine veri Joseph. Vix enim credere possumus hoc te latere, et ex scripturis veterum, et ex historiis antiquis nostri temporis et facti novitatem ignorare. Nunquid scire dissimulas ambas Æthiopias, Maurithumanam, Parthiam, Syriam, Persiam, ut Marci Crassi dictatoris nostri facta sunt prima turrita; Judæam, Samariam, Mauritaniam, Arabiam, Chaldæam, ipsamque Ægyptum. Ubi, proh pudor! civis Romanus Antonius, vir insigni virtute præditus, citra nitorem temperantiæ et secus quam decebat militem a tanto culmine rerum emissum, minus sobrius Cleopatræ

C inservivit amoribus: hæc quidem etiam scire dissimulas Armeniam et alias innumerabiles terras nostræ ditioni subditas? Norunt hoc reges, quorum cruore gladii Romani crebrius sunt inebriati. Et quidem in ipsa rerum experientia, Deo auctore, intelliges, quid possint nostræ victrices aquilæ ac cohortes diversarum nationum; quid furor Teutonicus in pace arma capessans,

Quid caput indomitum Rheni; quod vindicus Hister, Hister qui fugam nunquam novit; quid Bavaria, quid Suevus astutus; quid Franconia circumspecta, quid in gladio ludens Saxonia; quid Thuringia, quid Westphalia, quid agilis Brabantia, quid nescia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpini salaces, quid Fresonia in armento prævalens,

D quid Bohemia ultro mori gaudens, quid Polonia suis feris ferior, quid Anchonitana Marchia, quid partes Illyricæ, quid Lombardia, quid Tuscia, quid Venetia, quid Pisanus nauclerus; denique qualiter dextra nostra, quam senio arguis effetam, gladium vibrare didicerit, dies illa plena reverentiæ et jucunditatis triumpho Christi te docebit.

EPISTOLA CCXIV.

AD WALTERUM ROTHOM. ARCHIEP.

Argumentum. — *Consolatio in exsilio.*

Rev. Patri et domino Waltero D. G. Rothom. arch., P. B., sal. in eo sine quo non est salus.

[6] III Reg. 21. [7] Eccle. 10.

Audivi et d lui quod quidam de familiaribus vestris quærentes potius *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*[8], frequenti litterarum instantia vobis suadere non cessant ut redeatis ad allia et pepones Ægypti, et ecclesiasticæ libertatis auctoritate rejecta patiamini vobis aures in perpetuæ servitutis opprobrium subula perforari [9]. Ecclesia quidem vestra, quæ est mater nostra, libera erat, sed hodie cogitur ancillari cum Agar [10]. Ideoque migrastis ne videatis Ecclesiæ vestræ mala, sicut propheta lamentatur et dicit : *Migravit Judas propter afflictionem et multitudines servitutis*[11]. Utinamque sic curratis non quasi incertum sit et pugnetis non quasi aera verberans[12], sed ita cor vestrum stabiliatis in Domino, ut ipse tandem vos annumeret inter filios excussoris. Diligenter in primis deliberate vobiscum, et, juxta evangelicam parabolam[13], sedentes prius computate sumptus, et videte si possitis ei cum decem millibus occurrere, qui cum viginti millibus venit. Videte quod solus Christus qui summa justitia est, sit in causa tanti propositi; verbum enim beati Petri est ; *Si pro Christo patimini, beati*[14]; et adjungit : *Nemo ex vobis patiatur ut fur aut homicida, aut ut alienorum appetitor*[15]; *sed si* pro justitia *sustinetis, hæc est gratia*[16]. Facit equidem mortem hominis pretiosam in confessoribus vita, in martyribus causa. In hac ergo pressura vexillum Christi et innocentiæ titulum per omnia præferatis. Aliter sane affligitur impius et aliter justus ; cumque pari modo agitentur unguentum et cœnum, ex uno fragrat suavitas et ex alio fetor exhalat ; in eodem igne aurum rutilat et palea fumat. Sunt plerique qui Dominum in prosperis benedicunt juxta illud : *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*[16*]; sed deficiunt in duris et in miseriis non subsistunt. Si autem flagellis Dominus vos interrogat in voce exsultationis et confessionis et salutis dicite cum Psalmista : *Bonum mihi, Domine, quod humiliasti me ; justus es, Domine, et rectum judicium tuum*[17]. Nam testatur Apostolus : *Non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram illam gloriam quæ revelabitur in nobis*[17*]. Beatus Job filiorum morte, possessionum amissione, propriique cordis afflictione percussus, de justitia Dei sentiens in bonitate dicebat : *Cum expleverit Deus voluntatem suam in me adhuc multa præsto sunt ei*[18]. Apostolus inter angustias constitutus clamat : *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus*[18*]? Et idem : *Supra modum gravati sumus, ita ut tædeat nos vivere*[19]. Considerans itaque quod breve hoc et momentaneum tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis, dicit[19*] non solum hoc si gloriamur sed et in tribulationibus nostris. Si ergo æmuli nostri jactitant nunc se prævaluisse in vanitate sua, sciatis quod gaudium eorum, ut verbo Job utar,

A est *ad instar puncti*[20], *quorum finis interitus*[20*], *quorum sepultura asini*[21], quorum retributio ignis et vermis. Inauditum est quod Ecclesiæ persecutores impune unquam evaserint ultricem illius manum qui potentes potenter punit[21*], qui semper superborum et sublimium colla propria virtute calcavit. Nam si ad tempus supra dorsum justi Dominus peccatores fabricare permittit, ei coronam gloriæ et æternæ pulchritudinis ex ipsa impiorum malleatione componit. Sæpe legimus et vidimus quod in quo modo quis judicavit[22], judicatur, et mensuram recipit pro mensura. Sapientiæ spiritus est qui dicit : *Per quæ peccavit quis, per hæc et punietur*[22*]. Pharao, submersus est quia submerserat infantes Hebræos[23]. Golias occisus est gladio quo appetierat David[23*]. Aman in cruce suspensus est, quam paraverat Mardochæo[24]. Caveant

B igitur sibi quorum rebellio de provincia vestra vos exire coegit ; de his enim qui suis prælatis et sacerdotibus contumaciter sunt rebelles, scribit Osea propheta et dicit : *Uxor tua in civitate fornicabitur, filii ac filiæ tuæ in gladio cadent; terra tua in funiculo metietur, in terra polluta morieris, et populus tuus de terra sua captivitate migrabit*[24*]. In promptu est ut judicet Deus causam vestram et vereor ne tempestivius et gravius quam velitis. Scio enim quod magnificentiam cordis vestri nunquam sic potuit absorbere tristitia, ut circum filios vestros affectio paterna degeneret. Scriptum est in libro Job[25] : *Non te sic supprimat ira ut aliquem opprimas*. Pastor equidem pius subditis suis dura comminando denuntiat, quæ tamen ab iis pie conatur avertere, cumque zelo cha-

C ritatis contra delinquentes sæviat, pro iis tamen si oportuerit mori desiderat. Simila quidem quæ offertur in craticula vel in clibano prius aspergitur oleo juxta doctrinam Levitici, ne per ignis violentiam comburatur ; et vos conscientiam vestram ita charitatis et misericordiæ oleo perfundatis, ne ignis iracundiæ vertat in animæ læsionem quod in vobis dispensatio cœlestis disposuit ad salutem. Mallem subditos vestros devotione filiali redire ad vos, quam conversos in arcum pravum et in malitia obstinatos pœnam cœlestis sententiæ incurrere. Quidam sumunt sibi de hostium suorum perditione solatium ; ista, quæso, consolatione renuat consolari anima vestra; sed proponite ante oculos cordis vestri David, qui cum in eum tentatio irrueret, persecutio

D grassaretur, affligeret æmulus, malediceret suus, animam ejus quæreret filius, non reddidit retribuentibus sibi mala. Sollicitus enim de persecutoris salute et de morte inimici afflictus, exprobrari voluit, nec sustinuit vindicari. Nimirum *charitas patiens est, benigna est*[25*], quæ tunc in David, et in ejus imitatoribus hodie, malitiam persecutorum humiliter tolerat, et eorumdem salutem officiose

[8] Phil. 2. [9] Exod. 21. [10] Gal. 4. [11] Thren. 1. [12] I Cor. 9. [13] Luc. 14. [14] I Petr. 3. [15] I Petr. 4. [16] I Petr. 2. [16*] Psal. 48. [17] Psal. 118. [17*] Rom. 8. [18] Job 14. [18*] Rom. 7. [19] II Cor. 1. [19*] II Cor. 4. [20] Job 20. [20*] Phil. 3. [21] Jer. 22. [21*] Sap. 6. [22] Matth. 7. [22*] Sap. 11. [23] Exod. 15. [23*] I Reg. 17. [24] Esther. 7. [24*] Amos 7. [25] Cap. 36. [25*] I Cor. 13.

procurat. Tu vero, amantissime Pater, custodi innocentiam et vide æquitatem, quia sunt reliquiæ homini pacifico; facite de necessitate salutis et virtutem, et peccatum convertat s ad meritum, *et pax* vestra pacem *quæ exsuperat omnem sensum* [26] apprehendat. Pax vestra in januis est. Nam sicut in Proverbiis legitur: *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos ejus convertet ad pacem* [27]. Secundum exigentiam stricti juris vestris incumbit adversariis pacem humiliter implorare; quos vestra constantia superbos invenit et incorrigibiles, vestra inclinet humilitas. Modestia itaque vestra nota sit omnibus hominibus; mansuetudinem vestram audiant mansueti et lætentur. Obtentu mansuetudinis non exspectate rogari, sed rogate quæ ad pacem sunt. Suscipite in mansuetudine insitum verbum, ut B nec inferatis nec referatis injuriam: hæc est enim vestra mansuetudo nec inimicum fieri nec ultorem: hac via dirigit Dominus mansuetos in salutem; si superexaltet misericordia vestra judicium, si promptior estis ignoscere quam ulcisci, et sic justitiæ zelus erga filios moveat patrem, ut salvatricem nunquam deserat charitatem. Inter subditos quidem vestros sunt plerique dyscoli et perversi, qui quasi inquieta jumenta in junctura non trahunt. Eos difficile est induci ad unitatem Spiritus sine qua omnis junctura scissura est. Detrahatur ergo aliquid severitati, ubi multorum strages jacet, donec annuntietis annum placabilem Domino, donec hostes in filios et ira in gratiam convertantur. Unum super omnia rogo ut cum ad pacis cautiones ventum fuerit iis formam lex divina præscribat. C Sic citra honorem Dei et observantiam ecclesiasticæ libertatis vestra versetur intentio, sic sacerdotes Domini plena auctoritate induantur justitiam ut in Christum aut ejus Ecclesiam non redundet impunita præsumptio. Non enim contumelia vobis sed Christo illata est. Moyses autem loquens ad incredulos et rebelles: *Non est*, inquit, *murmur vestrum contra nos, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus* [28]? Cedat ergo vestra pax Deo ad gloriam et honorem Ecclesiæ, clero et populo ad quietem, ut ex hac parte, sicut prudentissime distinguit angelus: Sit *gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [29]. Si alias pacem feceritis, erit in pace amaritudo vestra amarissima et dicetur: *Pax, pax, et non erit pax* [30]. D Poterimus etiam conqueri cum Lucano:

Libertas cum pace perit.

Recolite, quæso, Pater, quam fecit rex Israel Achab cum rege Benadab, quæ postea eidem Achab a populo suo versa est in singulum. Ut multa colligamus in summa, pax, quæso, vestra plenæ restitutionis beneficium cum honore Dei et ecclesiasticæ libertatis integritate contineat. Circa satisfactionem vero pœnitentium plurimum de austeritate recidat A misericordia, transeat vindicta in gratiam, in mansuetudinem disciplina.

EPISTOLA CCXV.

Ad famæ labitur dispendium judicis gloria, qui, spreto paupere, prostat donis inhians locupletum. Meorum quidem plenitudini votorum accrevisse confiteor, quod a me vestræ liberalitatis gratia mei qualitatem carminis imploravit. Exarationem itaque, quam præ manibus habemus, angusti conditio temporis et præcipitata scribendi festinatio jucunde postulant reformari. Tanti namque judicis examen reformidat, utpote nec persuasionis rhetoricæ picturis venustata, nec efficacibus armata sententiis, sed macilentæ rationis jejunio deturpata. Si quid igitur tenue, si quid supervacuum discretio vestra reperit, lima diligentior castiget; nec enim onerosum censebo, si meæ delictum ignorantiæ tantæ personæ castiget examen. Vir tanti nominis, vir adeo promulgatæ rationis qui nec famæ mendicet dispendium, nec sanguine supplicet alienæ.

Dic, homo, quid sit homo, qui *vanitati similis* est, cujus *dies sicut umbra prætereunt* [31], tuam prius originem investiga, tuæ generationis ordire principium, et tunc vel regum applaude natalibus. Regum omnium principium ac totius humanæ multitudinis primus homo primum exstitit seminarium: hujus ergo revolve primordia. Quo se jactat sanguine, quibusve natalitiis prdgeniem nobilitat nascituram? Terra siquidem mater ejus fuit, vetus et longæva humani generis nutricula. Cui de limo plasmato in fragile corpus luteum, beneficium Dei vitæ cœlestis insufflavit spiraculum. Ecce humani generis nobilitas, ecce humanæ sublimitas jactantiæ, ecce gloria parentelæ! Sed quomodo sustinebit descendere purpuratus, quomodo regiæ majestatis assessor humiliabitur? Quomodo regalis gloriæ festivitas popularibus erit pius et plebeiæ complanabitur servituti, ut eadem sanguinis dominatio cum populo sit communis, ut similis sit procreatio servorum et regis, ut regium germen et vulgus ex iisdem constet elementis? descendat rex a gloriæ suæ solio, sacco indutus pro purpura, et regali caput majestate sertatum cinere respergat et cilicio, nudis pedibus calcet humum, et revolvens atavos se a paupere agricola fateatur progenitum. Factus est de limo terræ hominum homo pater primus, cujus de limi fæcibus est homo in sobolem propagatus. Perversæ generationis origo concepit negligentiam in primum Creatoris præceptum, cujus statim recepit talionem in retributionem et in scandalum. Recepit suæ posteritatis improperium, pro lapsu obedientiæ mortem, pro negligentia servitutem, denique datum est ei pro conditione viaticum, ut ex sudore laboris continui, vitæ mortalis et caducæ miserum sustineret denarium. Cur ergo recolis proavos, quorum si revolvas originem, tutius est

[26] Phil. 4, [27] Prov. 16, [28] Exod. 16, [29] Luc. 2, [30] Jer. 6, [31] Psal. 143,

tacuisse quam jactasse principium? declinanda est suasio quæ plus habet detrimenti quam commodi, plus turpitudinis quam honesti, præcipue in conspectum sapientium, a quibus nequit, quod salutis eliminet incommoda, quod honore debito spoliet honestatem. Pro tempore et moribus hominum innovari concedet, maxime his temporibus in quibus utilitas præponderat honestati. Benedictus Dominus Deus Israel qui temporibus nostris et pauperibus pacem et Ecclesiæ antiquam reformavit honestatem. Divinum munus et omnium bonorum bonis declamandum confitemur vitiis accessisse judicem, moribus fundatorem. Exaltatum est solium justitiæ, rebusque suus ordo sub rege clementissimo restituitur, qui novit reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari et quæ sunt Dei Deo. Porro candidioris fortunæ adeptus est gloriam, qui diem perditum judicat, in quo pro perditis moribus agere non contingit. In cujus curia sic addiscitur militia ut non dediscatur honestas. In castris ejus nec obsequium præmio nec virtus reverentia defraudatur, qui non attendit merita, sed meritis antecedit universos.

EPISTOLA CCXVI.

AD ABBATEM ET CONVENTUM CROYLANDIÆ.

Argumentum. — *Implorat Petrus or. omnium suffragia.*

Petrus dilectis in Christo dominis et amicis H. Dei gratia abbati et conventui Croylandiæ, salutem in eo sine quo non est salus.

A domino Cantuariensi vocatus, et tractus, tempestive Northmanniam transfretare decrevi, longius forsitan profecturus. Non est enim in homine via ipsius, et licet vias suas homo disponat, solius Dei est dirigere gressus ejus [32]. Vos itaque in spiritu humilitatis et affectione devotissime precor, ut votivis precibus viam meam Domino commendetis. Imperfectum meum et insufficientiam corporis mei pia compassione videant oculi vestri, ut virtute orationum vestrarum convalescat infirmitas ad laborem, et labor fructificet in salutem. Docet vos experientiæ liber quantum de se desperantibus et in aliis sperantibus, diffidentibus de meritis suis et de aliorum sanctitate confidentibus, fides vel oratio proficiat aliena. Virtutem alienæ intercessionis in filia Chananææ [33], in Lazaro [34], in puero centurionis [35] et reguli [36], cæterisque quam pluribus, jugiter evangelizat Ecclesia. Petrus apostolus de manibus Herodis et ab omni exspectatione Judæorum oratione Ecclesiæ liberatus evasit [37]. Denique Doctor gentium inter imminentium discrimina tentationum sanctorum orationes humiliter implorabat: *Obsecro*, inquit, *vos per Dominum Jesum Christum, ut adjuvetis me orationibus vestris apud Deum* [38]. Ego autem pulvis et cinis et vermis in comparatione beati Pauli et cunctis miserabilior hominibus, sanctarum instantia precum vehementius egeo, atque micas, quæ cadunt de mensa dominorum meorum offerentium Deo placabiles hostias, avido et famelico appetitu mendico. Scitis quod omnes unum in Christo sumus, et ex uniformi convexione membrorum consistens Ecclesiæ integritas vobis circa vestri proximi necessitatem regulam misericordiæ et compassionis indicit, ut onus meum indivisis affectibus et quasi unanimi cordis humelis supportetis. Quocirca vos obtestor in unitate fidei, in sanctorum communione, et in unius confessione baptismi, ut pias affectiones vestras excitet circa me vinculum charitatis, lex naturæ, compassio prompta, vinculum fraternitatis et spiritualis obligatio promissionis olim in vestro capitulo factæ, amoris exhibitio, debilitas mei corporis, viæ discrimen, et devotio supplicantis. Charitas nunquam excidit, nec excidere potest oratio, vel aliud, quidquid pro Christo ex charitate impenditur. Oratio vestra in sinum vestrum revertetur. Nunquam enim alicui deficit, quod per illum alii proficit; imo crescit gratia ex impendio, et lechytus olei tanto plenius exuberat, quanto copiosius ex ipso mater virtutum charitas vasis quæ offeruntur infundit.

Bene valete, universi et singuli, et apud misericordem Deum meorum, quæso, vulnerum doloribus oleum misericordiæ infundatis.

EPISTOLA CCXVII.

Argumentum. — *Commendatio cujusdam abbatis post mortem.*

Erit fortasse, qui macilentam et exsanguem præsentis epistolæ fastidiat nuditatem; sed sicut usui adversatur inter lacrymabiles chari funeris exsequias solemni vestium apparatu fulgere, ita in tam lugubri et singultuosa materia non decuit orationem exquisitis verborum flosculis lascivire. Si enim facunda sermonis suavitas lectoribus blandiretur, dum animos sua dulcedine fascinatos in sui consideratione suspensos alliceret, legentibus exhibendæ compassionis furaretur affectum. Cumque ita vobis non legenda, sed lugenda destinemus, in præsentibus litteris non ornatum attendere, sed ploratum, non verborum venustatem, sed fletuum ubertatem. Non enim vobis exaravimus quæ diu dolor improbus elimaverit; sed quæ de pleno lacrymarum et amaritudinis haurientes atramentario, dolor ipse dictavit, dolor, inquam, qui quadam jacturæ irreparabilis singularitate, doloribus præponderans universis usque ad illum calamitatis gradum nos detrusit, ut plurimum dignitatis plurimumque consolationis dolori nostro videatur accedere, si præ cæteris miserabiles videamur. Vos igitur, domini fratres dilectissimi, rogamus et obsecramus in Christo Jesu, quatenus nostræ condoleatis miseriæ, non ut quodammodo quasi massa doloris in vobis decrescat, sed usque ad afflictos condolentium per passionem derivetur. Verum

[32] Prov. 16. [33] Matth. 15. [34] Joan. 11. [35] Matth. 8. [36] Joan. 4. [37] Act. 12. [38] Rom. 15.

vicem supplebit solatii si nostrorum infortuniorum acerbitatem tantæ æstimationis apud vos esse noverimus ut affectum miserationis possit ab omnibus extorqueri. Cur autem habent dolendi principatum præ cæteris lugentibus ambiamus, nullus si nostrorum fletuum causam cognoverit mirabitur, sed avaram lacrymarum et pene insensibilem vestri cordis duritiam causabitur, nun satis lacrymis indulgere. Decessit enim, decessit, et corpore mortis hujus liberatus est, Pater et pastor noster bonæ memoriæ, dominus G. Blesensis abbas. Cujus vitæ meritum si ad plenum styli officio prosequamur, pene blandientibus erimus affines, nec invidiam mendacii poterimus declinare. Nam, sicut vita ejus supra hominem pene exstitit, ita supra fidem est quanta virtutum fuerit in eo, dum viveret, plebescens infinitas. Cæterum, si mores ejus ad unguem compositos leniter et tepide delibemus, sibi simulacrum detractionis inducet remissior in commendatione sedulitas; propriis non derogare est paucas ipsorum virtutes attingere, dum pars earum elegantior sepulta silentio prætermittitur, et ad lucem publicæ cognitionis videtur erumpere. Sanioris enim censuimus esse consilil prosequi castigatius, et infra veritatem sui meriti restringere titulos, ut nos potius lector parcos veritatis et veræ laudis avaros inveniat, quam prodigos falsitatis. Ille etenim fuit, qui sic præfuit, ut plus prodesse appetens quam præsse, nunquam coesse dedisceret, nec singularitatem prælationis, sed conditionis qualitatem attendens omnibus se sorium exhibuit vel ministrum. Legerat enim : *Qui major est vestrum, fiat sicut junior*, vel *qui præcedit sicut qui ministrat* [39]. Magistrum itaque nullus hunc sonsit, nisi cujus perversitas magistratus virga fuerat reprimenda. Quippe quamdam in eo suavem et delectabilem pietatis et justitiæ misturam temperaverat mater virtutum discreiio, ut nec magistrum diffiteretur in patre nec patrem in magistro desciret. Sic utrumque servavit in altero, ut in eo nec indignationem prælati paterna benignitas deseret, nec inier paternos affectus dormiret magistralis severitas disciplinæ. Sic in arca discreti pectoris virgam et manna repositum servavit; sic oleum misericordiæ vino districtionis commistum; ut in sanandis vitiorum vulneribus Samaritani nostri diligentiam reformaret et quod scriptum esi et noverat : *Os quod mentitur occidit animam* [40], non minus mendacium quam homicidium abhorrebat. Sic misericordiæ visceribus affluebat, ut quodam compassionis participio velut appropriatum suis adnumeraret incommodis quidquid proximum infestabat. Sentiebat enim cum Apostolo dicente : *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror* [41]? Cæterum tanta virtute largitatis enituit, ut probrose venditum reputaret obsequinm, quod amicus precibus extorsisset. Manu enim munifica petitionem præveniebat amici, tanquam necessitatem præsagiens rogati. Quam diffuse vero in eleemosynarum largitione affectus universos laxavit, continua pauperum lamenta testantur, qui sicut nos de pastore sublato inconsolabiliter conqueruntur. Quam sollicitus in susceptione hospitum exstiterit, quam liberalem, quam devotum erga susceptos se exhibuerit, ipsa melius attestatur experientia, quam sufficiat sermo noster exprimere, etiam si refloreat duplicata in nobis gratia Tulliani eloqui. Non enim querulus sed sedulus, non suspiciosus, sed officiosus œconomus, omnia, quæ impendebat humanitatis obsequia, quadam jucunda et solemni vultus hilaritate quæ omni pretiosior est obsequio serenabat. Noverat enim in hospite Christum suscipi et in fine dicturum : *Hospes eram et collegistis me* [42]. Quam solerti vigilantia rebus sibi commissis excubaverit, fide perhibet oculata domi exuberans victualium plenitudo. In exigendis quidem ædificiis perspicax redintegrationi dirutorum efficaciter insudabat, quod aptissime confitetur tam constructio novorum quam eorum reparatio quæ consumpserat edax invidia vetustatis. Et quod familiarius ad cumulum emendationis accedit, libertatem remissius agendi quæ cæteris abbatibus clementius indulgetur, ita suos monachos intra vitæ arctioris terminos coarctavit, ut non haberet vita subjectorum districtior quid de abbatis laxiore licentia murmuraret. Ut autem sub expeditiore compendio diffusam suæ laudis materiam concludamus, vita ejus nil aliud quam quidam honorum conventus et quædam virtutum congeries, formam morum et exemplar vivendi præbuit universis. Licet autem tam multiplici virtutum eminentia scalam sibi erexerit ad æterna, sciens se non habere hic manentem civitatem, sed futurum inquirens, tum quod præsentis vitæ iter sine aliqua terrenæ conversationis macula nequaquam exstiterit, vestræ gratiam fraternitalis exoramus in Christo, quatenus vestrarum orationum instantia prætaxati patris nostri suppleat imperfectum; vestræ etiam supplicamus charitati, ut ita præsentium latori munificentiæ vestræ suffragentur beneficia, ne viatici officii carentia injunctum sibi retardetur officium.

EPISTOLA CCXVIII.

ARGUMENTUM.— *Gratulatio pro Carnotensi episcopo electo, et impedientibus responsio.*

Charissimo domino et Patri, Dei gratia Carnotensi electo, suus P. B., salutem in auctore salutis.

Diu antequam desideratissimam nobis vestram faciem videremus, sicut unguentum effusum fuerat nomen vestrum. Nec enim abscondi poterat lucerna sub modio [43], super Ecclesiæ candelabrum exaltanda. Ubi autem placuit ei qui vos segregavit, ut

[39] Luc. 22. [40] Sap. 1. [41] II Cor. 11. [42] Matth. 25. [43] Matth. 5.

et in ecclesia Beatæ Virginis Matris suæ residuum vitæ vestræ offerretis sacrificium vespertinum; venimus sicut regina Austri videre sapientiam et honestatem [44], quam in vobis fama publica prædicabat. Venientes itaque, sicut audivimus, sic vidimus, nisi quod minor erat fama quam veritas; famæque decursus aut per invidiam, aut per insufficientiam multa de substantia rei tacendo retardat. Gratias autem ago opifici gratiarum qui talem nobis contulit in pastorem et episcopum animarum nostrarum, qualem ecclesiæ nostræ necessitas exigebat. Necessarius equidem nobis erat, qui alienata revocaret, consolidaret fracta, lapsa erigeret, congregaret dispersa, errata puniret, prohiberet illicita, inordinata componeret, roboraret infirma et perdita restauraret. Nil est quod in vobis causari possit æmulus, præter habitus vilitatem. Porro Jesus sacerdos magnus in sordidis vestibus apparuit Zachariæ. Quidam præterea insufficientiam ætatis vestræ submurmurant. Verumtamen, sicut frequenter dico, si juxta fatalitatis excursus tributum senectutis solvitis, nihilominus homo interior, qui secundum Deum creatus est, de die in diem renovatur in vobis. Meminique legisse in Job [45], quod *in antiquis est sapientia, et in multo tempore est prudentia*. Sunt aliqui forte, qui in spiritu scissuræ adhuc habitantes murmurant in electione, machinati sunt in regalium ablatione, sed in tertio in consecratione videlicet, nocere non poterunt. Prostratus est Golias in tertio lapide et magi in tertio signo defecerunt [46]. Quod autem importabilius est, hi que hodie vobis porrigunt libellum repudii, jactant se in posterum vestram gratiam plenius habituros, eo quod jus regale, et vestras vobis segetes ademerunt. Factum Absalon possunt isti trahere in exemplum; qui ut Joab sibi gratiam sui patris acquireret, segetes illius legitur incendisse [47]. *Væ* tamen homini *per quem scandalum venit* [48]. Vos autem, si quis adversum vos spiritum suæ temeritatis insibilat, cum patientia sustinete. In patientia enim vestra possidebitis animam vestram. Scio quod juxta verbum prophetæ [49] Dominus aperuit vobis aurem ut sciatis sustinere obloquentis injurias. Dedit vobis etiam linguam eruditam ut sciatis quando oporteat vobis proferre sermonem. Dissimulate igitur quia habetis in Domino hujusmodi dissimulationis exemplum, sicut in Isaia legitur [50]: *Mentita es*, inquit, *et non es mei recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, et quasi non videns*. Exemplo etiam illius qui dorsum posuit ad flagella, sustinete, ut supra dorsum justi fabricent peccatores. Tanto minoris apud vos debet esse vestrorum æmulorum detractio, quanto viliores inter cæteros reputantur. Sane majores et meliores ad instantiam illorum qui vos diligunt ex affectu, redierunt ad cor. Conversa est procella in auram, motus quoque tempestuosos et inconsultos blandior et prudentior oratio temperavit. Ad Bathoniensem itaque episcopum qui, sicut mihi per suas significavit litteras, desiderio desiderat vos videre, festinanter excurro, vester cum eram vobiscum, nunc autem vestrior, vestrissimus cum redibo. Rogo autem vos in ea humilitate, in qua Dominum orare quis potest, ut detis voci vestræ vocem virtutis, et me ad obsequium Virginis gloriosæ de dimidio integrare velitis. *Unam petii a Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo* Dominæ meæ [51]. In omnibus enim requiem quæsivi, et in hæreditate ipsius morabor, atque in domo ejus vitam meam ducere et finire proposui, in qua omnia fidei Christianæ sacramenta percepi. Et licet alibi mihi majores divitiæ offerrentur, dico tamen cum Gedeone, quod melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer; *melior* que *est* mihi *dies una in atriis* istis *super millia* [52]. Quia igitur in manibus Dei et vestris est, ut inveniam requiem aut vagus sim et profugus super terram [53], cum ex migratione mea nihil erga alios de vestra largitione deperiat, et me omnino vindicetis in vestrum, in manibus Dei et vestris constituo sortes meas.

Bene valeat charisssimus meus dominus, et omnes qui eum diligunt ex affectu.

EPISTOLA CCXIX.

AD HENRICUM REGEM ANGLIÆ.

Audivimus quomodo Jerusalem destructa est, et quomodo crux, in qua Christus nos redemit, capta est. Rex Jerusalem in Babylonem ductus est; omnes civitates et munitiones, præter Ascalonem et Tripolim, captæ sunt, et adhuc utrum Jerusalem poterit canibus immundis resistere, dubitatur. Dominus rex Siciliæ, auditis his rumoribus, statim se cilicio induit, et per quatuor dies plangens et a facie hominum se abscondens, illi terræ succurrere pro posse suo anxie et constanti devotione promisit. Cardinales autem, de assensu domini papæ, inter se firmiter promiserunt quod, abjectis omnibus divitiis et deliciis, prædicabunt crucem Christi non solum verbo, sed opere et exemplo, et euntes mendicando accipient crucem Christi, et prædicabunt et præcedent alios in terram Jerusalem. Statuerunt etiam, de assensu domini papæ, firmissimas treugas inter omnes principes Christianos usque ad septennium, ita quod quicunque guerram contra Christianum medio tempore noverit, maledictioni Dei et domini papæ atque excommunicationi omnium prælatorum universalis Ecclesiæ subjacebit. Firmiter etiam inter se promiserunt, quod de cætero nulla munera recipient ab aliquo qui causam habeat in curia, sed ea tantum recipere poterunt, quæ fuerint pro eorum necessitate donata vel missa et non ascendent in equum, quandiu

[44] III Reg. 20. [45] Cap. 12. [46] I Reg. 17. [47] II Reg. 14. [48] Matth. 18. [49] Isa. 50. [50] Cap. 57. [51] Psal. 26. [52] Psal. 83. [53] Gen. 4.

terra, in qua steterunt pedes Domini, fuerit sub pedibus inimici. Valete.

EPISTOLA CCXX.

Excursus sæculi, tendentis ad exitum incessanter, humanæ conditionis miseriam tot errorum laqueis irretivit, tot adversionum contagiis maculavit, quod multi, despectis Sion faribus, excelsa Samariæ conscendentes suas liniunt preces bitumine dogmatum hæreticæ pravitatis, et sub quadam humilitatis specie suæ elationem animæ palliantes, cujus tumoribus ultra modum interius efferuntur, habitatores Jerusalem non metuunt aspernari, et in se ipsis suum adipem concludentes, non verentur illud incurrere maledictum, quod qui despiciunt Sion et confidunt in montem Samariæ, dicentes: *Non est nobis pars in David, nec hæreditas in filio Isai* [54], quibus posset Dominus merito comminari: *Mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi potius verbum Dei* [55], quia ipse vult neminem perire; imo in amplexus occurrit revertentium filiorum. Opus cœlestis seminis suis adhuc committit fidelibus dispensandum. Verum, licet in omnem terram insonuerit sermo Dei, cum cœli ejus gloriam enarrarent, et adhuc per locorum antistites qui a sede apostolica in partem sollicitudinis sunt vocati, effundatur imber evangelicæ veritatis, sic tamen velut in ortu crescentis Ecclesiæ Doctor egregius profitetur. *Oportet hæreses esse ut qui probati erant, manifesti fierent* [56]. Ad præsens plurimi de peccatorum pondere deprimuntur, et obscuratur insipiens cor eorum, ut ad rectitudinem anfractus non revocent quo sequuntur, nec vocitent cum Propheta: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus saluti meæ* [57]! Sed velut domus exasperans et prævaricans legem Christi, ad amaritudinem doctrinæ prosiliunt insensate; pabula cœlestis eloquii contemnentes et animas simplicium occultis tendiculis captivantes. Sane inter cæteros, sicut nostris est auribus intimatum, tanta in Narbon. provincia excrevit copia perfidorum quod deficiente materiali gladio, spiritualis contemptui habeatur, et obrepat in catholicas propagines corruptio lambruscarum, dum ad tuitionem illorum qui nondum tanquam plumbum in pestilentiæ pelagus sunt demersi [58], et erectionem eorum, si potest fieri, qui jacent in latibulis cæcitatis, nullus ibi murum pro domo Domini se opponat nec ascendere audeat ex adverso. Licet autem rumor hujusmodi ficuum fatuarum ad audientiam quorumdam religiosorum ascenderit, et ipsorum animos ad fontes suæ scientiæ derivandos foras commoverit contra ipsos et aquas dividendas cum fervore, ipsis in plateis, quia tamen si non mittuntur, auctoritate propria non sunt ausi assumere officium prædicandi, ne cum Dathan et Abiron quos terra vivos absorbuit acciperent portionem [59], non est qui causam Dei alleget populo devianti oliva non zelus domus ejus nos comedit [60], qui nobis immeritis concessit in eminenti specula residere, volumusque cum infirmantibus infirmari et apponere paterna consilia, quibus exhibeatur vulneribus medicina: et curam, quantum in nobis fuerit, recipiat etiam plaga tumens d. t. p. a. s. m. qu. juris probatis quos ad id videris idoneos exsequend. qui paupertatem Christi pauperis imitando, in despecto habitu et ardenti spiritu non pertimescant accedere ad despectos, in remissionem studeas injungere peccatorum, ut ad eosdem hæreticos festinantes per exemplum operis et documentum sermonis eos, Domino concedente, sic revocent ab errore, quod nisi frontem eorum atterat impudentia culpa frequens, et de his merito possit dici: *Frons mulieris meretricis facta est* vobis; *erubescere noluistis* [61], per spem illud Evagelii se gaudeant consecutos: Ne timeas, *grex pusille, quia Patri* meo in te *complacuit* [62]: ac id religiosi assequentes Salomonis, videlicet qui arguit hominis vias g. mag. quam his qui loquitur q. delectant, redeundo cum exsultatione, de sparso semine manipulos valeant reportare.

EPISTOLA CCXXI.

Episcopo Vacien., spiritum consilii sanioris.

Sal infatuatum esse diceris, non habens sapientiæ condimentum. Sed interrogamus te, si unquam legendi studium adillum Levitici locum te adduxit, ubi sal in omni sacrificio jubetur apponi [63]. Porro si affirmando responderis, argui poteris de contemptu, cum non sint opera tua discretione condita. Sed ut hanc objectionem effugias, in umbram excusationis allegabis mandatum illud vagum oculum præteriisse, vel linguam præcipitem non exspectasse, lentum ingenium vel saltem infidelem memoriam paratam dispersisse, si quid ei circa talem materiam imaginatio commendavit, et ne in his deesse tibi probationis copiam conqueratis, actus qui perhibeant testimonium necessitati et ille processus iniquus adversus dilectum filium Vacien. præpositum evidenter ostendit quod talem in te jurisdictio habere debet effectum, qualem gladius bis acutus in manibus furiosi. Postulaveras siquidem absolutionis beneficium ab eodem, quia sacerdotem quondam non tuæ jurisdictioni subjectum pro injuria, quam idem tibi intulerat, ut dicebas, dum in Albensi Ecclesia præposituræ fungebaris officio, nudum ad velle tuum, ut quarumdem litterarum tuarum verbis utamur, in tua fecisti præsentia fustigari. Cumque se præpositus per litteras excusaret, proponens quod hoc non licebat eidem sine mandato sedis apostolicæ spirituali, tu paratas habens ad omnem impetum tuum excommunicationis sententias, adversus ipsum verba satis exprimentia excommunicationis affectum temere

[54] II Par. 10. [55] Amos 8. [56] I Cor. 11. [57] Psal. 50. [58] Exod. 15. [59] Psal. 105. [60] Psal. 68. [61] Jer. 3. [62] Luc. 12. [63] Levit. 2.

protulisti, et quasi illud non sufficeret ad offensam, A eumdem præpositura Vacien. Ecclesiæ spoliasti, licet ad exsequendum crucis negotium, non a quocunque, sed a sede fuisset apostolica deputatus. Ex hoc itaque terhate tales tibi elicias quæstiones : primo si odium in præpositura conceptum in episcopatu portare debuisti, sic retinendo rancorem ut mora præter morem plus indignationis adjiceret cum factus potentior potentius vindicaberis : qui in minori officio forte quia possibilitas defuit præteristi. Secundo, si ordo sacerdotalis vel saltem illius reverentia, qui per sacerdotale ministerium in altari Deo Patri pro salute humani generis victimatur, tanti tibi esse debuerit, ut non exponeres nudum sacerdotem ludibrio exacuens in ipsius contumeliis et verberibus velle tuum. Quarto, si ad Chriastum et sedem apostolicam respectum tan- B tum habere debueris, ut hominem tam honesti testimonii non antequam injunctum sibi exsequeretur crucis negotium excommunicares, et præpositura et rebus aliis contra justitiam spoliares. Collige igitur sequelam hujusmodi quæstionum, ut ex prima diligens dicaris odii conservator, secunda vero affectuosus sacrilegus ; tertia satis insipiens, quarta præsumptuosus nimium et inimicus justitiæ censearis : unde aperias oculos tuos et videas si super his præcesserunt palpebræ gressus tuos et factum deliberationis judicium exspectavit. Verum cum sedes apostolica et frenum opprimentium et refugium debeat esse oppressorum, nos tam tuis quam Vacien. Ecclesiæ capituli litteris diligenter auditis, promulgatam a te in eumdem præpositum ex C causa prædicta excommunicationis sententiam, si tamen sententia dici debeat, decernentes penitus esse nullam, ipsi præposituram restituimus, sic subtractam sive adhuc illam in manibus tuis retineas, sive alium intruseris in eamdem, mandantes illum quatenus ipsum in illius præposituræ corporalem possessionem inducant et tueantur inductum ; detentorem si quis forsitan apparuerit post mandatum eorum infra 10 dies plenaria sibi restitutione providerit, omni beneficio ecclesiastico st officii exsecutione privantes, contradictores alios per censuram ecclesiasticam compescendo : super aliis nihilominus substantiis eidem satis fieri faciant competenter. Tibi quoque districte præcipimus, ut non solum super his præfato præposito nihil diffi- D cultatis opponas, verum etiam expensas et ablata restituas universa, teque nostro conspectui repræsentes, ut super promissis et etiam signo crucis abjecto, sicut accepimus, apud apostolicam sedem addiscas quid modestiam deceat pastoratem : cæterum, quia quales sint tuæ sententiæ, satis tu ipse potes agnoscere, nisi religaveris impetu rationem, ut puniaris in eo in quo dignosceris deliquisse, præsentium auctoritate statuimus, ut nullam de cætero in sæpe dictum præpositum sententiam ferre præsumas, nec cum communi consilio totius capituli Vacien. alioquin robur non obtineat firmitatis.

EPISTOLA CCXXII.

CAPITULI VIGORNIÆ AD PAPAM INNOCENTIUM.

INNOCENTIO papæ capitulum Vigorniæ.

Evangelicum rete, propitiante Domino, sanctitati vestræ commissum, sic maxime vestris in manibus prosperabitur ad quæstum, si discretionis clavo ibi appensius trajiciatur in fluctibus, ubi uberior piscium copia confluat in capturam.. Hoc in dextra navigii ex voce Domini expeditius proveniet cum excellentia apostolatus vestri in consueta mansuetudine susceperit vota supplicantium, promoverit ad gratiam quod universalis Ecclesiæ procurat incrementum. Sedit in diebus antiquis in cathedra Wigorniensi Wulstanus pontifex, rexit eam directus a Domino, ampliavit religionem, dotibus cumulavit, Virgini virginum consecravit : quomodo ad vitam vir simplex, et rectus, ac timens Deum ; quomodo ad mortem conscius cœlestium et domesticus Dei, quam in vita venerabilis et in morte exstiterit gloriosus documenta signorum, quæ nobis reliquit antiquitas, orgumentis perspicuis probant. Quorum eo subsistit fides firmior, quo adhuc non desinit nobiscum miracula operari, magnifice quidem quia ad gloriam nostram, quia temporibus nostris salubriter, quia ad proventum subditorum, quatenus novis supervenientibus renoventur vetera, recaleant frigidi, ut qui non crediderunt verbo signi prioris, credant vel verbo signi sequentis. Ut autem sanctæ paternitati vestræ liqueat quæ nobiscum operatur Deus prodigia super terram, misimus de gremio Ecclesiæ nostræ viros fide dignos, qui fidem fideliter faciant eorum quæ viderunt modo, quem iis discretionis vestræ prudentia præfixerit ad fidem. Paternitatis itaque vestræ pedibus advoluti postulamus et obsecramus in Domino quatenus auctoritas sedis apostolicæ devotioni filiorum assistat, annuat petitioni, ut annumeretur in catalogo sanctorum in terris, quem ut credimus ascripsit Deus numero civium suorum in cœlis. Confidimus enim quod in hoc incolumitas sedis vestræ prosperabitur in Domino, si promoveantur vota fidelium, si diebus vestris augeatur honor sanctorum. Sanctitatis vestræ incolumitatem, quam ut decet in Domino tum devote quam debite desideramus, in tempora diuturna conservet Altissimus !

EPISTOLA CCXXIII.

FRATRUM MAJ. MON. AD EPISC. NANNETENSEM.

Episcopo Nannetensi fratres Majoris Monasterii.

Cum dominus Matthæus de Lire, pro horrendo et horribili facto, quod in nostræ et totius Ecclesiæ injuriam perpetravit, in sententiam excommunicationis inciderit, qui audiunt mirantur quod occasione mandati apostolici a vobis sub generali forma recepti, prætermissa vel penitus diminuta illa qualicunque satisfactione, quam ante impetrationem ejusdem mandati pro illo delicto nobis promiserat, ad ejus absolutionem procedere (quod Deus avertat !) intendatis. Licet enim illa quæ satisfactio dici non debet, ad quantitatem delicti sufficere non de-

beret, nos tamen ea quæ pacis sunt quærentes eam parati sumus recipere, sicut ad ejusdem Matthæi petitionem de bonorum fuit consilio prolocuta et ab utraque parte concessa. Unde paternitatem vestram exoramus et petimus quatenus, ne pœnæ facilitas alios ad consimile factum invitet, vos intuitu Dei et amore beati Martini in hac parte erga nos et Ecclesiam nostram taliter habeatis, ne Ecclesia nostra, quæ se vobis in bonorum spiritualium et temporalium participatione devotam exhibet, in illius pauperculæ satisfactionis diminutione sentiat se gravatam : imo vos murum pro domo Dei Israel taliter opponatis ut pœnæ formidine alii ab excessu consimili retardentur, nosque vobis ad grates uberrimas teneamur.

EPISTOLA CCXXIV.

Intra posternæ claustrum memoriæ residet devotionis regiæ magnitudine promerente, bonum materia et requeti excitata digis ut supernæ benedictionis rore perfusa sospitatis gratia vigeas, et tandem ad beatæ lucis gaudia pervenire merearis. Hoc utique desiderium ab olim in nostro pectore fervebat, eoquo potius suscepit incrementa fervoris, quo, licet immeriti sedis apostolicæ residentes, et pastoralis gerentes onera officii, pro tua et cunctorum salute tenemur amplius vigilare. Principalis ergo exhortatio mea quærit et petit instantius ut intentæ considerationis oculos habeas ad redemptorem Dominum nostrum Jesum Christum, gerens in tuis visceribus figuratum, sua beneplacita prosequi delecteris, et pensans proinde quod hujus mundi figura præterit, quodque abierunt et abeunt reges et principes cæterique subjecti corruptioni ; nulloque quod nascitur sub sole habente stabile firmamentum, in divini nominis amore persistas, ædificans prudenter in supernis, inferioribus veluti transitoriis et caducis sua vilitate contemptis, ut in regnum cœlestis gloriæ perenne, quæ non deficiet nec peribit, tibi constituas mansionem. Cæterum cogitantes non sine magno compassionis affectu circa delatas oppressiones et angustias terræ sanctæ, quas vidimus et propria manu palpamus, in minori officio constituti, ac desiderantes de cætero ne totaliter pereat si sibi subsidio tali provideri possit, mentem meam super hoc aperire decrevimus per litteras speciales, quas per tales vobis et fratribus vestris suarum dono virtutum earum multiplici et acceptum ei duximus dirigendas. Ideoque regalem magnificentiam cum paterna fiducia rogamus et hortamur attente, quare apud eumdum ad id preces tuas officialibus studiis interponas, ita quod exinde retributionis æternæ percipias incrementum. Ut autem tibi nostra plenius intentio pateat, credimus quod indubitanter sic ab ore nostro prolata quæ talia super passis omnibus ex parte nostra tua duest excellentiæ referendam. Nec mireris quod bulla nostra non exprimens nomen nostrum est A appensa præsentibus, quæ ante consecrationis vel benedictionis nostræ solemnia transmittuntur. C. . . . . . . hi qui fuerunt in Romanorum electi pontifices consueverunt in bullatis litteris inde suæ consecrationis munus modum hujusmodi observare.

EPISTOLA CCXXIV.

AD ARCHIDIACONUM SARESBERIENSEM.

ARGUMENTUM. — *Deprecatoria.*

Reverendo domino suo.... archidiacono Saresberiensi, PETRUS suus B., salutem et visceribus abundare.

Loquar ad dominum meum, cum sim cinis et pulvis. Namque de nativa ejus benignitate præsu-B mens, eumdem, licet ecclesiasticis occupationibus implicitum, confidentius interpello. Si enim aliquid minus circumspecte dixero, quod liberalem domini mei frontem possit in rugam contrahere, scio tamen eum legisse illud propheticum : *Dominus mihi dedit linguam eruditam ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo* [64].

Recolere potest reverentia vestra, benignissime Pater, quam devote et quam diu in ministerio Ecclesiæ vestræ militaverim, quam exiles fructus reportaverim ex labore. Oportet siquidem, juxta Apostolum, agricolam laborantem de fructibus suis percipere. *Quis enim unquam suis militat stipendiis* [65]? aut quis non est transgressor legis, si mercenarii sui denarium usque in noctem penes se decreverit retinere. Beata es, Isaia testante, filia C Sion, in retributionibus tuis, qui a *pascuntur in te agni juxta ordinem suum* [66]. Et Gregorio attestante, ecclesiasticis utilitatibus desudantes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere. Post varias et enormes fortunæ pressuras, tandem per gratiam Jesu Christi de tempestate respirans ad portum, vestram misericordiam imploro, quatenus intuitu misericordiæ et obtentu Domini clementiores super me oculos reducatis, et in assignatione primo vacantis præbendæ mihi servo vestro manum munificentiæ porrigatis. Vestræ siquidem celsitudini modicum, meæ vero parvitati permagnum est quod imploro. Ex eo tamen et misericordiam Dei et gratiam Romanæ curiæ, et favorem hominum vindicatis. Ut enim verbis Apostoli utar, *quod in præsenti* D *est momentaneum æternæ vitæ gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur* [67]. Et Augustino testante inenarrabiliter reddit Deus quæ misericorditer conferuntur. Possem siquidem ad vos coactivas litteras domini regis Anglorum et ex parte domini papæ cogentius habere mandatum, sed erga dominum meum humiliter et modeste incedo, valens potius id obtinere per misericordiam, quam per violentiam extorquere. Sic enim gloriabitur securis erga eum

[64] Isai 50. [65] I Cor. 9. [66] Isai 5. [67] II Cor. 4.

qui incidit in eam, aut exaltabitur serra erga eum a quo trahitur.

Vobis offerro et dono me totum; vestrum est siquid sum, si quid valeo, si quid possum.

EPISTOLA CCXXVI.

ADRIANI PAPÆ AD HENRICUM II REGEM ANGLIÆ.

ADRIANUS servus servorum Dei, charrissimo in Christo filio illustri regi Anglorum HENRICO, salutem et Apostolicam benedictionem.

Laudabiliter et satis fructuose, etc. *Vide in Adriano papa post ipsius, Regesta, Patrologiæ* t. CLXXXVIII.

EPISTOLA CCXXVII.

ARGUMENTUM. — *Consolatoria episcopo suo.*

Desolationi vestræ filiali devotione compatiens, quantum scivi et potui, salutaribus monitis vobis studueram suadere, ut ab hujus mundi sarcinulis excussus sicut locusta in viam mandatorum Domini curreretis; cumque alii plures ex ditationibus amicorum a consimilibus injuriis et pressuris et animi sui pacifica tranquillitate respirent, vos a tribulatione malorum et dolorum quasi abysso desperationis absorptus, ad omnem consolationem vestrum animum induratis, et rapinam bonorum vestrorum, quam alii jugum Domini suave et onus leve [68] reputant, vos iram Domini crudelem et inexorabilem æstimatis. Proinde quod aliis est odor mortis, sic et quod aliis ad gaudium, ad supplicium vobis cedit: sic nimirum eodem sole carnes indurantur et manna liquescit.

Porro Dominus Deus Sabaoth, qui aperit et nemo claudit [69]; qui aperit manum suam et implet omne animal benedictione [70], qui dives est in omnibus qui invocant eum [71], qui dat omnibus affluenter et non improperat [72]; ipse qui surdos facit audire et mutos loqui [73], nunc mihi gratiam cœlestis eruditionis inspiret, vestrumque cor emolliat, ut sit hæc exhortatiuncula mea capax consolationis et perceptibilis disciplinæ. Quid est hoc quod in ore hominum plebescit? vos inconsolabiliter vestra et parentum vestrorum damna plangere, cum ista et illa teneamini constanter et æquanimiter sustinere. Compassio, quam ad parentes habetis non ad nummorum oblationem, sed ad morum correctionem porrigi exigebat. Erant enim divites antequam eis aliquem reditum conferretis; verum hujus tempestatis episcopi, reprobatis viris prudentibus et honestis, cor suum, et quidquid cum corde habent parentibus reprobandis insana prodigalitate infundunt, nec implent vasa vacua, sed plenis et ad summum exuberantibus mensuram confertam et coagitatam supereffluenter accumulant, pium quippe est proximo compati ne egeat, sed major est misericordia compati proximo ne pereat. Bonum est condolere malis quæ proximus patitur, sed Deo acceptius est condolere malis quæ proximus operatur. Scriptum est autem: *Inimici hominis domestici ejus* [74], multis enim perniciosa est affectio parentelæ, frequenter enim dum studet propitius esse parentibus, sibi crudelis efficitur. Christus pro amicis suis animam suam misericorditer posuit. Sollicitus amor parentum animam suam crudeliter pro amicis suis ponit; nunc anxius et totus æstuans in parentibus promovendis. Sed cum diem extremum clauserit, nulla est animæ suæ consolatio de prosperitate viventium. Imo vereor ne peccata, quæ divitiarum occasione commiserint, cedant mortuis in singultum æternumque supplicium. Unde enim parentibus suis præstitit materiam delinquendi, relevasse potuit multorum indigentias suæque animæ salubrius in posterum providisse. Verum blandissima seductrix est parentum affectio; *nemo enim carnem suam odio habuit* [75], verba tamen hæc circumspectum exigunt intellectum, nam cum idem Apostolus alibi dicat: *Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior* [76], a se ipso dissentire videtur. Sed sciendum quod huic amori, quo se vel suos parentes homines diligunt, natura originem modumque præscribit: facit natura ut gallina super pullos suos infirmetur, ursa et leæna fetibus blande immurmuret. Lamia etiam nudat mammas suas ut catulos alat. In his et in omnibus animantibus natura quosdam dulces amoris operatur affectus: amat utique homo naturaliter se, amat et parentes suos: sicut autem utrumque hunc affectum non admittere impossibile est, sic eum non sequi maximæ virtutis est. Quia igitur hic naturalis affectus et pronior et indulgentior et tam suis quam animæ saluti expediat, oportet ut frenum rationis habeat cujus moderatione ducatur. Vult itaque Apostolus ut domesticorum amore, ratione dispensante, quæratur aut eorum necessitas aut æstimatio meritorum. Quid autem naturalis affectus quandoque transgrediatur fines legitimos rationis, quodque nos Dei et nostrum faciat oblivisci, experientiæ magisterio docemur assidue, dum quidam mollis et dulcis affectio carnis nostræ ad suavia et illicita suis nos blandimentis inclinat. Hos indiscretos amoris affectus, quibus homines diligunt se aut suos, Apostolus ad Timotheum scribens inordinatos insinuat dicens: *Scio quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes cupidi, elati, sine pace, criminatores, incontinentes, tumidi, et protervi, voluptatum amatores magis quam Dei* [77]. Utrumque amoris motum secundum rationem et secundum effectum Christus brevi sermone distinguit: *Qui amat*, inquit, *animam suam perdet eam* [78]. Notat amorem qui ex irrationabili affectione procedit. Item: *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam* [79]. Odium quippe vitæ præsentis quæ per animam hic notatur sequi-

[68] Matth. 11. [69] Apoc. 3. [70] Psal. 144. [71] Rom. 10. [72] Jac. 1. [73] Marc. 7. [74] Matth. 10. [75] Ephes. 5. [76] I Tim. 5. [77] II Tim. 3. [78] Joan. 12. [79] Ibid.

tur rationem et ideo in æternum custoditur. Quod exponens Augustinus : « Si male, inquit, amaveris, id est ex affectu non ex ratione, tu odisti ; si bene, id est propter Christum et sic ex ratione, si vitam tuam oderis, tunc amasti. » Nimirum *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [80]. Irregularis autem et iniquus est amor quo suavia et dulcia diligimus. Amor vero quo diligimus dura et aspera propter Christum, animæ prævius est ad salutem ; proinde si ex parentum locupletatione videmus animabus nostris imminere discrimen aut scandalum famæ pium et sanctum est eos a nimia nostri amoris affectione præcidere. Sic equidem pietatis auctor Sanctusque sanctorum sub quadam membrorum nostrorum imagine nos informat. *Si oculus*, inquit, *tuus, aut pes tuus scandalizet te, erue et abscide eum a te* [81], nec ab hujus abscisionis seu odii sententia excipiuntur pater et mater, quos ex legali decreto tenebamur accuratius honorare. Quocirca longe satius est mihi amorem. qui ex affectu et non ex ratione est, patri et matri vitæque meæ subtrahere quod cujusdam odii speciem in se habet, quam me et ipsos sic diligere irrationabiliter ut sim Christo indignus et merear incendium gehennale. Quid agimus ? Quid verba in ventum jacimss ? lavamus laterem et aerem in vacuum verberamus ! videmus namque illos, qui rerum suarum damna diu fleverant :

Fletur enim lacrymis amissa pecunia veris,

videmus, inquam, quod in suis doloribus consepulti, quasi a mortuis resurrexerunt. Cumque esset in iis exstinctus amor proprius et parentum, ræstuat et antiquus amoris affectus in cineribus jam sopitus. Sua nimirum et parentum ducti affectione manibus et pedibus repunt iterum ad divitias et honores, et nunc eos insanius exagitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis et erroris, solito ambitiosius ab hominibus quærunt gloriam hujus mundi, et non gloriam quæ a Deo est ; sed *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos* [82] ; indicant enim quotidiani eventus quod eorum fama et memoria, quæ ventum sæcularis gloriæ captant, citius vento transit ; eorum laus, quam crediderant perpetuo duraturam, sepelitur oblivione damnabili, et peccata eorum, quæ nulli fuisse revelata existimabant, in infamiæ maculam et commune opprobrium publice residimant ; nunc autem apparet quod habebant oleum sed amurca infectum, habebant scientiam sed inflantem, intellectum, sed præstigiose versutum, memoriam sed injuriarum, facundiam, sed in malum, et ut brevius loquar, omnia quæ sibi ascribebant ad magnificentiam et gloriam, nunc eis cedunt in opprobrium turpe et, quod gravius est ! in gehennam. O doxa, doxa, o fallax gloria ! o ventus urens, o aer pestilens, o aura corrumpens, o inflatio aurium, o vesica intumescens tam plena vento quam nihilo, quomodo ludis et illudis magnatibus, quos adulatorie beatificans in errorem inducis ! Aliter sentiebat Apostolus dicens : Non nosmetipsos commendantes, charissimi [83], et de se ipso : *Si quid sum, gratiam Dei sum id quod sum* [84]. Ipse minimum apostolorum et quasi abortivum se reputat ; prælatus autem ecclesiastici honoris insufficiens et inutilis usurpator, se ipsum magnificans et extollens, assentatores adulatores habet, qui proditoria laude auriculas ejus palpant, eique persuadent de se ipso credere multa et magna quorum conscientia miseri penitus est ignara. Fatuum enim ore glorificant et cor de condemnant, et quandoque retrorsum faciem avertentes in derisionem ipsius canis Apuli linguam seu rostrum ciconiæ vel auriculas asini manu mobili repræsentant. Si Terentii comici recordaris,, manifeste ibi poteris Thrasonis personam exprimere et generationis ; licet autem sacerdos Domini debeat habere testimonium ab his qui foris sunt, *gloria* tamen ejus hoc esse debet, *testimonium conscientiæ* suæ [85]. Vera quidem laus est, de qua dicitur : *In Domino laudabitur anima mea* [86]. Et sicut beatus Petrus apostolus dicit : *Conscientiæ bonæ interrogatio in Dominum* [87]. Campus hujus materiæ latissime patet ; sed ut sermo succingatur ad compendium, illud totum curiositati mundanæ impenditur quod sibi exigebat Dei cultus et necessitas animarum. Petro et omnibus prælatis in eo dictum est : *Pasce oves meas* [88] ; non præcepit ut clauderent et pascerent in vivario pisces et in indagine feras. Lingua mea pruriens prosequi gestiebat hoc verbum, sed ne videar gravis his qui oderunt corripientem in porta, digito compescam labellum : vidi, Pater, et doleo me vidisse quando eras cor et anima principis, summus inter aulicos, deusque et dominus Pharaonis. Sane familiaritas illa diu stare non potuit, caduca est enim dilectio curialis, nec ad illam pertinet charitatem, *quæ nunquam excidit* [89]. Putastis vestris implere largitionibus cupiditatis abyssum in his qui sequuntur munera et retributiones ? Sed apud eos auri et argenti fames insatiabilior est inferno. Dona ergo, quibus exactionum fiscalium angarias cupiebatis evadere, misistis *in saccum pertusum* [90]. Omnia etenim perdidistis :

Sic, ut non perdat, non cessat perdere lusor,
Et revocat cupidas alea blanda manus.

Contritus et afflictus mendicabat in suis pauperibus Christus, nec erat qui moveretur super contritione Joseph. Sed sicut quibusdam improperat Augustinus : « Tollit fiscus quod non recepit Christus, postremo effudit in vos apud regem venenum linguæ detractoriæ malitia viperarum, pacemque vestram turbavit in occulto omni serpente crudelior invidia detractorum. » Nimirum Achitophel in universis fere curiis magnatum multos reliquit hære-

---

[80] Psal. 10. [81] Sap. 5, Matth. 18. [82] Psal. 52. [83] II Cor. 3. [84] I Cor. 15. [85] II Cor. 1. [86] Psal. 33. [87] Petr. 3. [88] Joan. 21. [89] I Cor. 13. [90] Agg. 1.

des; adhuc ibi sunt Jamnes et Mambre qui resistunt Moysi sanctoque Spirttui contradicunt[91]. Quia igitur experimento novistis quanta sit amaritudo divitiarum et honorum hujus sæculi, quam fallax et sophistica sit gloria hujus mundi *gustate et videte quam suavis est Dominus*[92] et de maximis obventionibus reddituum quos habetis, id quod quotidianis usibus superest per manus pauperum thesaurizate in cœlo. Fidelis enim est Deus quia veritas est[93], nec in ore ejus aut in corde inventus est dolus[94], nihil enim vobis peterit fur subripere aut raptor auferre, seu præpotentum violentia extorquere. Tunc denique cum Aqostolo plena conscientiæ securitate diceae et cantare poteris: *Scio cui credidi et certus sum quia potis est depositum meum servare in illum diem justus judex*[95].

EPISTOLA CCXXVIII.

ARGUMENTUM. — *Supplicatio pro Ecclesia Rothomagensi.*

Illata ovili afflictio in ignominiam negligentiæ pastoris, et subjectorum injuria retorquetur in opprobrium præsidedtis. Regalis ministrationis adjacet exercitio pauperes Christi refovere, et iis indilatæ protectionis propinare munimentum, Rex justissime, depressionis nostræ singulare remedium nostræ naviculæ salutare subsidium, ad vos multis afflicta contumeliis nostras conclamat Ecclesia, diuturnæ adversitatis passura naufragium, nisi vestra miseratio nostræ augustiæ prætendat remediale fulcimentum. Præsumptuosa enim malignitas de die in diem nostram exacerbat innocentiam, et possessionibus nostris dilaceratis conventum nostrum cogit mendicare. Ad vestræ igitur protectionis auxilium confugimus, ut nobis de injuria illata satisfactionem et de rapina condignam restaurationem faciatis exhiberi. Dignum enim est ut eleemosynas, vestro nobis collatas beneficio, a luporum..... circumstantium studeatis obsitare.

EPISTOLA CCXXIX

AD DECANUM ET CAPIT. CARNOT

Viris venerabilibus domino G. decano et capitulo Carnotensi, suus P. Bles. Londoniensis archidiaconus salutem in eo sine quo non est salus.

Habebam in votis præcipuum ad Ecclesiam vestram ante diem Dominicæ ascensiouis ascendere, sed a desiderabili proposito me revocarunt quidam nuntiantes tempestivum domini Cantuariensis adventum. Scribo itaque vobis ut officio scripturæ et devotione scribentis inter nos quoquo modo jactura corporalis absentiæ redimatur. Amor equidem Dei, qui adhærere ei nos facit, est quoddam ineffabile vinculum unionis. Teste namque Apostolo: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo*[96], servans cum Deo et proximo *unitatem spiritus in vinculo pacis*[97]. Ab Apostolo arguuntur homines se ipsos amantes. Si enim charitas est, esse solitaria dedignatur. Proinde se ultra se porrigit, nec volens aliquid singulariter possidere, bonum proprium etiam in commune deducit; quodque mirabilius est, quodam ineffabili artificio charitatis sæpe quod homo non habet in se, diligit in alio, nec solum bona quæ censentur, sed necessitates et angustias alienas compassionis beneficio suas facit. Nimirum sicut gaudenti congaudet, ita flet cum flente, et alterius scandala vel onera communi humero portans, quamvis singularitatem non diligat, tamen ut proximi afflictio relevetur, se singulariter præoptat affligi.

Duo in charitate notat apostolus Petrus quod sit mutua et continu. *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes*[98]. Mutua est, quæ a me in te et a te transit in me; hæc non verbo et lingur diligit, sed opere et veritate. Continua vero est; quæ nullis suspicionibus interrumpitur, nec simulationibus adumbratur. In libro etiam experientiæ legimus quod lex amoris mutui in membris meis scripta est. Si una manus læditur, altera manus eidem compatiens patientblande obsequitur. Pedi aut tibiæ dolenti non dedignatur caput aut oculus humiliter inclinari; venarumque et nervorum compagines sic amoris unione constrinxit quædam naturæ benignitas, ut tota illa operatio interior etiam in nobis imitationis exemplo ad fructum socialis amicitiæ coalescat. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis pater est miserorum. Protde et si videar consolatoriis indigere, renuit tamen consolari anima mea. Nam ut verbo Job[99] utar: *Etsi me occiderit Deus, sperabo in eum.* Rapinam bonorum meorum æquanimiter fero, nec plango supellectilis terrenæ jacturam. Quid enim mihi est præter te, Deus, et a te quid volui super terram? Teste Apostolo: Divitiæ hujus sæculi sunt impedimenta salutis, quæ faciunt miseros, nec solum impedimenta sunt, sed quasi aurei compedes et catenæ, nisi quod aurum ferro est ponderosius et gravius ad ferendum. *Dominus dedit, Dominus abstulit*[100]: si ad data respicio, minor sum cunctis miserationibus ejus; si ablata considero, *excussus sum sicut locusta*[1], et abjecta sarcina gravi ad currendum in via Domini expeditior sum effectus. Ille se miserum fateatur, cui conscientiæ vermes interius scatent, qui cum morte ineunt fœdus et pactum faciunt cum inferno. Ibi vere est miseria, ibi nulla est consolatio, ibi dives guttam aquæ de digito leprosi postulat et accipere non meretur. Væ his qui nec exemplo alienæ nec propriæ damnationis exspectatione terrentur, et ut moneantur terribiliter gehennalis horrore supplicii, atque in iis compleatur quod scriptum est, quia *territi purgabuntur*[2]. Sane de loco voluptatis parentes aut potius peremptores nostros ejecit Domi-

---

[91] II Tim. 3. [92] Psal. 33. [93] II Cor. 1. [94] Joan. 1. [95] II Tim. 1. [96] I Cor. 6. [97] Ephes. 4. [98] I Petr. 4. [99] Cap. 13. [100] Job. 1. [1] Psal. 108. [2] Job. 41.

nos in vallem plorationis, ubi nemo postea natus est nisi in ejulatu et planctu, excepto solo Zoroaste, qui in sua nativitate resisse legitur, prodigioso et detestabili auspicio. Ipse enim primus artem magicam invenisse et docuisse narratur. Verum non ideo paradisum nobis abstulit Dominus, ut temporalem paradisum nobis in sæculo faceremus. Res magni discriminis est quod spiritus hominis vadens et non rediens ita vento gloriæ sonorabilis et ambitione ducatur, ut intima sua nusquam abjiciat, ut ad diripiendas hujus mundi sarcinulas currens et æstuans obliviscatur sui et judiciorum Dei, nec in Christo qui vita est, sed in morte obdormiat. Væ misero, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus hæreditas vermis, cujus habitatio est gehenna! O quam *horrendum est incidere in manus Dei viventis*[3], ante cujus tribunal omnes nos adstare oportet, ut unusquisque recipiat prout gesserit in corpore, sive bonum sive malum [4]. Ibi omnia erunt nuda et aperta; ibi nulla tergiversatio proderit; nulla ibi locum habebit exceptio, sed sicut distinguit Dominus inter Lazarum et divitem epulonem, qui malum hic sustinet cum Lazaro recipiet bonum [5]; qui autem hic deducit in bonis dies suos, in momento descendet ad illud interminabile malum, ubi de voluptuoso dicetur : *Quantum exaltavit se in deliciis, tantum date illi tormenta et luctum*[6]. Sternetur tinea subter eum et operimentum ejus erit vermis. Porro bona est negotiatio, per quam transitoria subtrahuntur et conferuntur æterna, ut qui emancipatus est a servitute peccati mittatur in plenariam possessionem hæreditatis æternæ. Vere vero miseri sunt, qui titulum sacræ paupertatis abhorrent, et ut sibi damnabiles accumulent divitias quasi sub jactu aleæ animas suas ponunt. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Deus*[7], dum circa servos tuos adversa et prospera salubri moderatione dispensas, nunc tanquam sapiens medicus utens cauterio, nunc fomentis! testimonio Salomonis medicinam dabit Deus hominibus et stulti despiciunt eam [8]; flagellum Domini medicina est, hæc hominis insolentiam reprimit, vitium curat; per hanc innotescit hominis virtus et in fructum gloriæ convalescit. Utiliter ergo adversitate corripitur qui prosperitate corrumpitur. Verbum Prophetæ est : *Increpationes Domini sustinebo, quia peccavi*[9] : hoc speculum quasi mare est spatiosum, ubi tanquam diluvio inundante surgunt elationes maris, sæviunt turbines procellosi, circumfluunt torrentes iracundiæ, ebulliunt abyssi cupiditatis et avaritiæ : colliduntur invicem tumores superbiæ, luxuriæ impetus, et voracitas gulæ. Laborantibus in hujus naufragio tempestatis patienter paupertas portus est et porta vitæ; nimirum quia si voluerimus strenue luctari seu natare, vel viatores expediti fieri, vestimenta projiciamus, etiam si non sint onerosa. Sanctum Joseph adultera tenebat chlamydis apprehensa lacinia; sed relicto pallio manibus adulteræ liberatus evasit [10]. Diu vos tenuit adulterina cupiditas : beati qui relinquunt chlamydem, magnæque et modicæ supellectilis Christi proferunt nuditatem. Nunquam a divitiis et deliciis hujus mundi venitur ad delicias cœli; nullusque sanctorum appetit florere in mundo et in æternum regnare cum Christo. Qui divitias habent, habeant, quæso, ut Abraham ex justis causis ad usus licitos, ad hospitalitatis gratiam, non ad thesaurizandum, sed ad distribuendum pauperibus : sustentatio enim pauperum substantia est et redemptio locupletum. Denique paupertas potius ex humilitate animi, quam ex censu tenui æstimatur. Et notandum quod dives sui sollicitus est; Deus autem pauperis juxta illud : *Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei*[11]; *Parcet* Pater *Deus inopi et pauperi et animas pauperum salvas faciet*[12]; dicit autem divitibus : *Væ vobis, divites, qui habetis hic consolationem vestram*[13]! Sane titulus paupertatis, etsi despicabilis sit apud homines, amabilis tamen et honorabilis est apud Deum. Regnum cœlorum pauperum est, non solum ad habendum sibi, sed ad communicandum aliis ut eos recipiant in æterna tabernacula : jam cœlestis vitæ primitias prægustantes potantur, non de torrente sed rivulo quodam voluptatis internæ. Sciunt autem quod quidquid in sæculo affluit defluit; ideo ejus affluentiam dedignantur. Cum istis et de istis dicit Apostolus : *Tanquam tristes semper autem gaudentes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes; sicut egentes multum autem locupletantes, sicut morientes et ecce vivimus*[14]. Cæteri quidam, abundantes divitiis et vitiis, imitatores sunt Naaman divitis sed leprosi, nonne divites illi merito leprosi censentur, qui sunt diversitate et multitudine criminum, velut quadam lepræ varietate respersi? Isti passionum suggestione putant esse melius sustentare pauperes de exuberantia hujus mundi quam in paupertate Christi sequi : præferebat Naaman Damasci fluvios Abbana et Pharphar Jordani [15], qui interpretatur *humilitas* vel *descensus*, et qui lepræ spiritualis curationem suavius et efficacius operatur. Porro non solis pauperibus beneficiorum humilitas exhibenda est, licet enim scriptum sit : *Dispersit, dedit pauperibus*[16], tamen usu et experientia docente cognovimus aliquos divites naturæ subsidiis indigere, juxta illud : *Divites eguerunt et esurierunt*[17], et item : « Qui multa possident, multis egent. » Sic etiam justos et injustos sagena charitatis includit; nam quamvis legamus : *Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui des;* et item : *Da misericordi et ne suspicias peccatorem*[18], tamen et

Genesis 39

[3] Hebr. 10. [4] II Cor. 5. [5] Luc. 16. [6] Apoc. 18. [7] Psal. 30. [8] Eccl. 38. [9] Mich. 7. [10] Gen. 30. [11] Psal. 39. [12] Psal. 71. [13] Luc. 6. [14] II Cor. 6. [15] IV Reg. 5. [16] Psal. 111. [17] Psal. 35. [18] Eccli. 12.

injustis et peccatoribus affectum pietatis, si egeant, exhibere debemus : unde Augustinus : « Sunt qui æstimant eleemosynas justis tantummodo conferendas, peccatoribus autem nihil. Sed debemus in malis eorum iniquitatem persequi, et in iisdem communi subvenire conditioni. » Item Joannes Chrysostomus : Quiescamus ab hac absurda curiositate diabolica et peremptoria. Si quis enim in clero electum se dicit, si vero pro nutrimento postulat, in his ne examines. Si Abraham scrutator fuisset adventantium, nunquam fortassis angelos in suo hospitio recepisset. Sed qui recipiebat omnes recepit et angelos, teste beato Ambrosio. Ordo charitatis est ut prius parentibus sociisque et fratribus, si boni sunt sive a suis divitiis exciderunt, sive carnales sive spirituales sint, benignæ compassionis affectio impendatur. Beneficia hujus distinguit et dictat voluntas, non necessitas, consilium non præceptum, nemo enim in necessitatibus liberalis existit. Unde Apostolus ad Corinthios scribit in hæc verba : *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem et etiam nostræ charitatis ingenium bonum probans: scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis, et consilium in hoc do ; hoc enim vobis utile est* [19]. Ecce enim non imperat sed approbat ; dat consilium, non præceptum ; utile dicit, non necessarium ; hæc autem utilitas ex voluntate pensatur. Unde idem Apostolus ad Corinthios, *Si voluntas prompta est, accepta est Domino* [20], quærit enim non satum sed fructum, non quæstum sed pietatem. Ut vero prophetæ verbo utar : *Ego vir videns paupertatem meam* [21], misericordiam Domini in silentio exspectabo, quia silentium justitiæ custos est, eritque in silentio et spe consolatio mea. *Quare* ergo *tristis es, anima mea, et quare conturbas me* [22], quare cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi* [23] ? nunquid abbreviata est manus Domini, ut te salvare non possit et collocare in tuto atque in pulchritudine pacis? Et tu, Domine, forma pulchritudinis ac signaculum sanctitatis. Signa tuo amore cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Tu etiam, o bone Jesu, o benigne, o amabilis, o suavis, o dulcis amor ! o Deus, o charitas ! Deus, pro me Carnotensi decano respondere digneris ad meritum, qui mihi nec volenti nec petenti sui medietatem redditus gratis obtulit, atque ad misericordiam quosdam alios assistentes exemplo suæ liberalitatis induxit. De promisso ejus non minus teneor quam de dono, et licet certum et fixum habeam, nec ab eo vel ab alio in hac persecutione recipiendi propositum, suum tamen confiteor esse si quid sum, si quid habeo, vel habere potero in futurum. Virgo virginum omnibus, qui ei

A devote serviunt et eam humiliter venerantur, formam diligendi Deum ac proximum in suæ charitatis ordinatione præscribit. Rex enim qui eam introduxit in cellam vinariam [24], ipsam poculo amatorio inebrians suam in illa ordinatione studuit charitatem. O pulcherrima mulierum, quæ vulnerata charitate quandoque dicebas : *Filiæ Jerusalem, dicite dilecto quod amore langueo* [25] ? nunquid adhuc langues : nunquid charitas languor est? certe potius deberet medicina censeri. Charitas enim operit multitudinem peccatorum quæ manifeste liquet in eo de quo Veritas dicit : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [26] ; peccatum enim animæ morbus est et charitas medicina. Charitas tamen quandoque languor est, dum anima anxio B æstuat et suspirat affectu, dum desideratur et differtur amplius. Proinde aliter habetur amor in desiderio utendi et aliter in usu desiderii : ille desiderat et nondum utitur, iste utitur desiderato nec tamen desiderium minoratur. Sicut scriptum est, *Qui* enim *edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient* [27] : habet utendi desiderium viator : habet usum desiderii comprehensor. Illud est viæ, istud est patriæ : illud laborem Liæ et Marthæ ; istud fruitionem atque quietem Rachel exprimit et Mariæ. Sed quid tibi, o dilecta, ad filias Jerusalem, id est angelicas potestates, ut de languore tuo aliquid ei nuntient, qui te vocat unicam suam columbam, suam sororem et sponsam [28] ? Nonne ipse est cujus læva sub capite tuo, cujus dextra amplexatur C te [29] ? Quis poterit ei de te familiarius loqui quam tu ipsa, quæ es mater illius et quæ speciali prærogativa dicere potes : *Ego dilecto meo et dilectus meus mihi* [30], quæ favore privilegiato petis et impetras, ut *osculetur* te *osculo oris sui* [31]. Quid est, o beata, ut conquerende vel congratulando dicis, tulisse pallium tuum custodes civitatis? Quid est hoc pallium, nisi hoc corpus tuum, quod tres in Christo naturas, scilicet divinitatem, carnem et animam, palliabat? Hoc est illud aromaticum, de quo Spiritus sanctus ex tribus speciebus, id est tribus prædictis naturis, illud thumiama confecit. Quod Christus assistens pontifex Deo Patri sacrificium obtulit vespertinum [32]. Custodes civitatis, id est angeli, hoc pallium, id est tuum corpus, conditum virtutum omni balsamo, tulerunt in cœlum. D Sane qualitercumque pallium tuum tulerunt, scimus quia tuam camisiam non tulerunt reliquisse eam nobis quasi arrham, et pignus charitatis illius, quam habebat in passione sua. Christus ad nos et tu ad Christum, dolenti condolens et commoriens morienti. Credunt aliqui quod secundum Salvatoris charitatem erat in eo charitas ordinata. Transfigebantur manus et pedes filii tui clavis ferreis ; transfigebatur etiam anima tua, quod acerbius est, quando latus ipsius jam mortui lancea perfora-

[19] II Cor. 8. [20] Ibid. [21] Thren. 3. [22] Psal. 41. [23] Jer. 3. [24] Cant. 2. [25] Cant. 2. [26] Luc. 7. [27] Eccli. 24. [28] Cant. 3. [29] Cant. 2. [30] Cant. 8. [31] Cant. 1. [32] Psal. 140.

bat [33], nihil sentiebat ille, sed tuam ipsius animam gladius pertransibat [34]. O vere anima tua erat ipsius, non eo duntaxat modo quo filius tuus dicit : Omnes animæ meæ sunt, et in Job [35], Omnem flatum, id est omnem animam, ego feci, sed tuam ipsius animam, sanctus Simeon dicit : « Quia in omni sanctificatione et gloria illam cunctis prætulit creaturis. » Redeamus igitur ad camisiam virginis, sub cujus protectione in omni necessitate confugimus, o vestis deifica !

EPISTOLA CCXXX.

Domino suo se totum.

Viva voce vos et adhuc supplicatione litteraria exhortor, ut qui pontificalem suscepistis honorem, honoris onera diligenter æstimare velitis. Animæ, pro quibus Filius Dei morti se obtulit, sollicitudini vestræ commissæ sunt ; vestrum quæso, pensate periculum. Teste namque Gregorio : Ars artium est regimen animarum, nec minus attendatis officii vestri fructum ; princeps enim apostolorum et testis passionum Christi sic ad coepiscopos suos scribit : « Quando apparuerit, inquit, Princeps pastorum, accipietis immarcescibilem æternæ gloriæ coronam. Gravissimum quidem animæ discrimen est, quod quis præsit et non prosit, quod cathedram doctoris ascendat, subjectosque non doceat. Cum steteritis ante tribunal summi judicis reddituri rationem villicationis vestræ, dulcius et gloriosius vobis erit verbo ædificationis convertisse aliquot animas a suis iniquitatibus ad salutem, quam omnes divitias et triumphos Alexandri Magni et Julii Cæsaris habuisse. » Doctrina Hieronimy ad lectionis instantiam vos exhortans: « Vita, inquit, hominis sine lectione sacra vivi est hominis sepultura. » Paulus ad Thimotheum discipulum suum dicit : *Testificor te coram Deo et Christo Jesu per adventum et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, inopportune : opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple* [36]. Idem etiam Apostolus de se scribens : *Væ*, inquit, *mihi si non evangelizavero ! Si autem egero diligenter, mercedem salutis accipiam* [37]. Verbum beati Gregorii est : Pastor prædicationis nescius, præco est mutus. « Exactissime petit Dominus panem vitæ, id est verbum Dei simplicibus sollicitudine indefessa distribui. Proinde lamentans propheta conqueritur dicens : *Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret iis* [38]. Sane nulla ignorantia potest super hoc excusare prælatum, maxime si exercitatos habeat sensus. Hi enim qui sunt obtusioris ingenii lubricæque memoriæ et linguæ impeditioris eorum graviori se condemnationi injecerunt, quia cum insufficientes essent, in suam et suorum perniciem onus importabile suis humeris imponere præsumpserunt [39]. Verum nullus excusationis color potest vos ab hoc periculo relevare ; Deus enim contulit vobi ingenium perspicax et subtile, capacem et tenacem memoriam, linguam expeditam, et indagacem cœlestium rationem. Facite ergo ut cum Apostolo dicatis : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non erit* [40]. Evacuabitur enim gratia cœlestis in vobis, nisi talentum divinæ gratiæ cum usurariis accessionibus ad Dominum reportetis. Nimirum lamentabiliter conqueritur Dominus per prophetam : *Non feneravi*, inquit, *nec feneravit mihi quisquam et omnes maledicunt mihi* [41]. Maledictionem reputat Dominus prælati silentium, qui pecuniam Dominicam dare debuerat in causam crediti et spirituales exercere usuras. Ipse enim talentum Domini terræ infodit vel abscondit in sudario [42], lumenque quod omnibus lucere debuerat, sub modio claudit [43]. Deus est liberalis, Deus nunc in paucis vos probat, ut probatum super multa constituat de his qui sapientiam et eloquentiam habent, eamque non impendunt ædificationi proximi, sed ad degeneres usus mundi ipsam adulterari permittunt, Dominus per prophetam graviter querebatur et dicit [44] : Dedit iis aurum meum et argentum meum ; ipsi autem de auro et argento meo operati sunt Baal. Per aurum et argentum sapientiam et eloquentiam insinuat ; per Baal vero mundi hujus spurcitiam notat. Philisthæi olim versute procuraverant ne in toto Israel inveniretur ferrarius faber, qui faceret arma vel acueret [45]. Hæc autem parabola prælatis præsentis temporis satis congruit, quia inter omnes collegas vestros vix hodie aliquis invenitur qui non sit præco mutus, et si dicere liceat, canis mutus et latrare non valens [46]. Quia ergo dies mali sunt, redimatis tempus [47], aut pro amore Dei et salute vestra populique vobis commissi qualibet die saltem horulam unam lectioni sacræ Scripturæ indulgere velitis, sancto Spiritui committite ausus vestros, dabiturque vobis manifestatio spiritus ad utilitatem. Nunquam vobis deficiet quod per vos aliis proficiet, sicut Salomon [48] asserit se fecisse : Sine fictione discite et sine invidia communicate. Donum enim Dei ex largitione magis exuberat et omnis scientia ex impendio crescit. Erit de die in diem memoria vestra capacior et lingua eruditior ; libenter enim requiescet Spiritus sanctus super sapientiæ amatorem seque desideriis ejus gratanter aspirat [49]. Nam Sapientia Dei in libro sui nominis dicit de se : Fili, concupisce sapientiam, et eam Dominus tibi dabit. Opportunissima hujus rei vobis offertur occasio ; varia scripta potestis habere, quæ de magnis voluminibus excerpsit, antiquitas, et quasi de latissimis pratis flores ad mellificandum colligens, ut singula quando vellet haberet ad manum, in aliquo sermone aliove brevi tractatu, diligenti studio et

---

[33] Joan. 19. [34] Luc. 1. [35] Cap. 34. [36] II Tim. 4. [37] I Cor. 9. [38] Thren. 4. [39] Matth. 23. [40] I Cor. 5. [41] Jer. 15. [42] Luc. 19. [43] Marc. 4. [44] Ose. 2. [45] I Reg. 13. [46] Isa. 56. [47] Ephes. 5. [48] Sap. [49] Eccli. 1.

utili labore compegit. Cæterum, scitis scribere A quod maxime cooperari potest, ut nunc hanc auctoritatem nunc illam post vel ante ponatis, et secundum quod vulgariter aut Latine loquendum est singula verba loco suo diligentius et secretius ordinetis. Illud pro certo noveritis quod licet initia vobis difficilia videantur, brevis tamen usus omnia ævigabit, et legetis in libro experientiæ quanta messis ubertas de studii vestri labore proveniat, cum de animarum acquisitione justitiæ manipulos offeretis. Absit, quæso, a vobis illus pigri pastoris opprobrium! *Noluit intelligere ut bene ageret* [50], et ignorans ignorabitur et qui noluit lucere aliis in exteriores tenebras detrudetur. Ego autem melius absens fortasse quam præsens totum honori et utilitati vestræ gratanter impendam, si quid sum, B si quid scio, si quid valeo, si quid habeo, si quid possum!

EPISTOLA CCXXXI.

Cardinalibus episcopis apostolicæ sedis, P. peccator monachus, salutem in Domino.

Sicut verba præsentibus indicia sensuum, sic inter absentes litteræ sunt instrumenta verborum. Bellatoriæ artis industria, sicut in bello discitur, ut in pace postmodum doceatur, sic aliquando dum docetur in otio cautius exercetur in bello. In conflictu sedis apostolicæ, in quo vos adhuc unanimiter desudatis, concertator et ipse pugnavi. Sed cum ex militari cingulo sim solutus, et in municipii pace compositus, libet jam docere quod didici. Itaque inter omnes vitiorum circumfrementium acies, inter densissimas jaculorum ingruentium more gran- C dinum tempestates, adversus avaritiam vobis est attentius vigilandum, ejusque sagnittis fidei opponendus est clypeus. Quæ nimirum ad hoc præcipitanter anhelat ut lethale miseris vulnus infligat, præcipue cum obtutum frontis non cordis exstingat. Unde vir sapiens ait: *Encænia et dona excæcant oculos judicum et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum* [51]. Armat enim muneribus adventantes et per eos expugnat ac cæcat corda quæ suggerendi locum apud aures obtinent principalem. De quibus per Isaiam [52]. Dominus conqueritur dicens: *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones*. Dicat aliquis: Ego quidem nihil quæro; sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic non notantur hi qui mu- D nera quærunt, sed qui tantummodo diligunt [53]. Qui etiam socii furum non immerito dicuntur, quia dum furtiva dona suscipiunt, etiam a comministris et sodalibus deprehendi velut in furti crimine perhorrescunt. Et notandum quod dicitur: *Sequuntur retributiones*. Quia, quamvis munificis suis auxilium quod postulant impendunt, reatus tamen maculas non evadunt. Quia dum, beneficii sui talionem recipiunt, fructum æternæ mercedis amittunt. De quibus et paulo post dicet: *Heu, consolabor super hostibus meis et vindicabor super inimicis meis* [54]. Filii plane Samuelis nullum aliud crimen habuisse noscuntur, nisi quia numera dilexerunt. Et quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israeliticæ principatum. Et notandum quia cum de illis Scriptura dicit: *Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera*; protinus intulit: *Perverterunt judicium* [55]. Vicinum quippe est atque contiguum, ut post manus acceptum pervertatur etiam corrupto censore judicium. O quam mundam Samuel frontem habebat a muneribus cum dicebat: *Conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc. Ecce præsto sum: loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contemnam illud hodie restituamque vobis* [56]. Unde et in lege præcipitur: *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes et subvertunt verba justorum* [57]. Et in Deuteronomio [58] non dissimile: *Non accipies*, inquit, *personam nec munera, quia munera excæcant oculos sapientium et mutant verba justorum*. Quam aversus a suscipiendis muneribus erat Abraham cum regi Sodomorum Melchisedech obsistebat dicens: *Levo manum meam ad Dominum meum excelsum, possessorem cœli et terræ, quod a filo sub-eminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt* [59]. Quam mundus a susceptis muneribus Moyses erat, qui scientem omnia Dominum in testimonium deducebat: *Tu*, inquit, *scis quod non asellum quidem unquam acceperim ab iis, nec afflixerim quempiam eorum* [60]. Nam ubi muneribus inhiatur, consequens est ut, sicut judex hunc accepta mercede justificat, sic illum qui nil dedit affligat. Unde per Isaiam dicitur: *Væ qui justificatis impium pro muneribus et justitiam justi aufertis ab eo* [61] Quibus illico vindictam quæ illis debetur intentat, cum subdit: *Propter hæc, sicut devorat stipulam lingua ignis et flammæ calor exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet* [62]. De quibus idem propheta alibi conqueritur dicens: *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum* [63]. Avaritia plane Dei omnipotentis adversum se iracundiam provocat et cor quod possidet variis semper cogitationibus vexat. Unde est quod de avaro conqueritur propheta dicens: *Propter iniquitatem avaritiæ ejus, iratus sum et percussi eum, et abscondi et indignatus sum; et abiit vagus in via cordis sui* [64]. Nulla sane putrebo vulneris in Dei naribus intolerabilius fetet quam stercus avaritiæ. Et cupidus quisque dum sordentis pecuniæ quæstus accumulat,

[50] Psal. 35. [51] Eccli. 20. [52] Cap. 1. [53] Isa. 1 [54] Ibid. [55] I Reg. 8. [56] I Reg. 12. [57] Exod. 23. [58] Cap. 16. [59] Gen. 14. [60] Num. 16. [61] Isa. 5. [62] Ibid. [63] Isa. 56. [64] Isa. 57.

vertet cathedram in latrinam, quasi molem stercoris coacervat. Hinc est quod per Ezechielem dicitur : *Argentum eorum foras ejicietur et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum et aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini* [65]; et alibi scriptum est : *Væ illi qui multiplicat non sua, usque quo et aggravat contra se densum lutum* [66]. Avaro sane contra se densum lutum aggravare est terrena lucri cum peccati pondere cumulare. Habacuc etiam propheta ; *Væ*, inquit, *qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat in die mali* [67]. Porro sicut ignem ligna non satiant, sic æstum avaritiæ pecunia cumulata non sedat. Sed sicut flamma fomentis extollitur, ita nihilominus avaritia, dum lucra cumulantur, augetur. *Avarus*, inquit, *non replebitur pecunia, et qui amat divitias fructus non capiet ex iis* [68]. Fructus ex illis quippe caperet, si eas bene spargere non amando vomisset; quia vero retinendo diligit, hic utique sine fructu derelinquit. Ubi et sequitur : *Ubi sunt multæ opes, multi sunt qui comedunt eas: et quid prodest possessori nisi quod cernit divitias oculis suis* [69] ? de quibus idem Salomon ait: *Divitiæ conservatæ in malum domini sui pereunt et in afflictione pessima generabit filium qui in summa egestate erit* [70]. Et ut ostendat quam infideles sunt divitiæ possidenti, mox subjicit : *Sicut egressus est nudus de utero suæ matris, sic revertetur et nihil auferet secum de labore suo* [71].

EPISTOLA CCXXXII.

ARGUMENTUM.— *Exhortatio ad eos qui nec accipiunt nec prædicant crucem.*

Dicite, pusillanimes, dicite pavidi et imbecilles ; quid timetis mortem momentaneam, quæ viam vitæ aperit et ostiaria facta est in regnum filiorum Dei ? *Quid* timetis, *modicæ fidei* [72] ? timenda esset potius mors æterna, cum qua fœdus et pactum, sicut video, pepigistis ; ut illud vobis merito conveniat quod dicitur per prophetam : *Percussimus fœdus cum morte et cum inferno fecimus pactum* [73]. Procul dubio morituri estis, mortemque temporalem evadere non potestis : scriptum est autem : *Mementote quia mors non tardat* [74] ; omnis siquidem creatura vanitati subjecta est ; omnesque sumus debitores naturæ : omnes ei vectigal mortis tenemur exsolvere.

Quis autem de die præsenti securus est ? quis scit si eum mors ignominiosa, mors turpis, mors subitanea improvidum rapiat, et non sit qui eripiat ? Cum dulcior et jucundior est homini vita sua, tunc separat amara mors : *Cum dixerint*, inquit, *pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus et dolor, sicut in utero habentes et non effugient* [75]. Nam, teste Job [76] : *Qui deducunt in bonis dies suos in*

A momento *ad inferna descenderunt*; meta præfixa est omni carni et ad eam, volumus nolumus, trahuntur universi. Dies mei, dicit Job [77], transeunt, et per viam, qua ingredior, non revertar. *Non revertetur oculus hominis ut videat bona* [78]. *Spiritus pertransibit in illo, et non subsistet et non cognoscet amplius locum suum* [79]. Mors æquo pulsat pede tabernas pauperum [80] » et solia regum ; nam, sicut Ecclesiasticus dicit : *Rex hodie est et cras morietur. Cum autem morietur homo, hæreditabit serpentes, bestias et vermes* [81]. Sancta ergo et salubris est cogitatio novissima sua semper habere præ oculis cordis ; morte quasi quodam beneficio uti et inevitabiles necessitates illius convertere in virtutem: Consilium est vitam suam in eo abscondere qui potens est B depositum munus servare in illum diem. Ipse est enim fidelis custos et sapiens, defensor potens, retributor affluens ; securus in eum jacta cogitatum tuum et sollicitudinem tuam, cujus non potest sapientia falli, nec vinci potentia, nec benevolentia fatigari. In libro vitæ jam scripti sunt qui se ad hanc peregrinationem pro Christi nomine accinxerunt. Nam, testimonio Malachiæ [82] : *Audivit Dominus et attendit, et scriptus est liber monumenti coram Domino timentibus Deum et cogitantibus nomen ejus*. Eos autem scriptos et proscriptos in libro mortis existimo, qui lentescunt in omnia sancti propositi, et habentes manna cœleste contemptui præeligunt remanere et sedere ad ollas carnium, convertentes in otium negotium Domini et mensuram Gomor in C moderantiam voluptatum [83]. Sane non tepide sed ferventer et cum omni cordis exsultatione illuc ire debuerant, ubi de lapidibus vivis fundatur mons Sion in exsultatione universæ terræ [84]. Hi ergo, qui sic detrectant jugum Domini et seminant scandalum crucis, fortassis existimant flagellum Domini removendo evadere, in quorum persona loquens Isaias : *Flagellum*, inquit, *inundans cum transierit, non veniet super nos : mendacio protecti* sunt [85]. Nunquid credunt civitates in quibus habitant a divina indignatione immunes, cum Dominum videant in sanctam civitatem et in terram quam sua præsentia consecravit ita terribiliter desævire ? quomodo parcet peregrinis civitatibus qui propriæ non pepercit ? a sanctuario suo incepit Dominus, et nisi aversus fuerit furor ejus, calicem iræ suæ propi- D nabit his qui longe sunt ; eosque, qui desidiam sibi refugium constituunt, eodem aut graviori turbine tempestatis insolvet. De calice indignationis ipsius in Jeremia [86] sic legitur : *Hæc dicit Dominus*: *Bibentes bibetis, quia ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam eos affligere ; vos autem qui innocentes immunes eritis*. Scitote quia *immunes non eritis*. Cum Dominus olim patribus offenderetur antiquis, hi qui gladios studebant

[65] Ezech. 7. [66] Hab. 2. [67] Ibid. [68] Eccle. 5. [69] Ibid. [70] Ibid. [71] Ibid. [72] Matth. 8. [73] Isa. 28. [74] Eccli. 14. [75] I Thess. 5. [76] Cap. 21. [77] Cap. 16. [78] Job. 7. [79] Psal. 102. [80] Hor. *Od.* 3. [81] Eccli. 12. [82] Cap. 3. [83] Exod. 16. [84] Psal. 47. [85] Isa. 28. [86] Cap. 25.

evadere, frequenter fame periclitabantur aut peste. Unde et Jeremias: *Melius*, inquit, erat *occisis gladio quam interfectis fame* [87], Jam vero qui fidem Christi confessi sunt non solum gladium, quæso, aut pestem timeant, sed infernum. Cogitent infideles horrendum diem judicii, terribile tribunal, iratum judicem, ardentem fluvium, vermes qui non moriuntur flammas inexstinguibiles [88], fetorem mortificantem, dentium stridorem, umbram mortis et dolorem cui non poterit cogitari similis aut æqualis; hæc omnia sibi thesaurizant qui excitant scandalum crucis ædificantes excelsa Tophet [89], nec attendentes quod Christus purgationem peccatorum faciens ministerium crucis pœnitentiæ nobis constituit ad salutem. Cur, quæso, sic abhorrent, sic verentur infelices accipere Christi crucem? Nisi latrones essent, crucem non timerent, Vis videre latrones? Christus de Ecclesia loquens: *Vos*, inquit, *fecistis eam speluncam latronum* [90], sed hodie facta est fovea hirccii et spelunca hyænæ; sed respondes et dicis: Quid facerem inter milites clericus inermis, inter armatos, inter bellicosos imbellis? Miles Christi es, nec te debes reputare inermem, cum audias Apostolum scribentem Corinthiis et dicentem: *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, captivantes omnem intellectum in obsequium Christi* [91], Nota utique eris inter milites otiosus nisi otium et alligatum in ore tuo verbum Dei. Audi quid Apostolus ad Timotheum scribat: *Ab infantia Scripturas sacras nosti quæ possunt instruere ad salutem* [92]. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia. Doce experientiæ liber quod tubæ æneæ et cymbala necessaria sunt in bellis. Non solum enim corda hominum sed etiam equorum ad pugnam animant ad conflictum. Clangore tubarum subversa est Jericho [93]; quantum, obsecro, potest viva vox ubi tantum potest *æs sonans* et *cybalum tinniens* [94]? Verbum Hieronymi est: Nescio quid latentis energiæ viva vox habet. Si sonus tubæ manus remissas et genua dissoluta erigit in statum audaciæ et virtutis, quid faciet *Sermo* Domini *vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus* [95]. Nihil est quod militibus Christi fortius ad virtutis exercitium et laborum solatium cedat, quam si exhortationem assidue tuba intonet salutaris. Tuba hæc in die tremenda, in momento, in novissima tuba auditores suos liberabit *ab auditione mala* [96] *et a verbo aspero* [97]. Hanc turbam discipulo suo Apostolus committebat, cum diceret: *Prædica verbum: insta opportune, inopportune, argue, obsecra, increpa et in omni patientia et doc*-

A *trina opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple* [98]. Speculatorem dedit te Dominus domus Israel, audi ergo quid de te et consimilibus per Ezechielem [99] Dominus comminetur: *Si speculator viderit gladium venientem et non insonuerit buccina, veneritque gladius et tulerit animam unam de populo, sanguinem ejus de manu speculatoris requiram*. Nobis Dominus sacramentum reconciliationis et fiduciam salutis in cruce constituit; tum vero, venerabilis Pater, vide, si tuæ famæ consulas, dum crucem nec accipis nec prædicas, et injurias Christi turpi silentio et periculoso neglectu dissimulas. Si nunc inter molestias et labores saluberrimæ peregrinationis evadis, scias quod Dei judicium non evadis. Si non credis mihi, crede Apostolo ad Hebræos scribenti:

B *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem* [100]. Noveris, amantissime Pater, quod idem vocavit, elegit te Dominus in sacerdotem sibi, ut sis in populo ejus doctor et ductor, exemplum pœnitentiæ, forma sanctitatis ad dandam scientiam salutis plebi ejus, sollicitus facere populum acceptabilem Domino, sectatorem bonorum operum, viam Christi diligere et parare Domino plebem perfectam; sapientiam dedit tibi Deus, ut eam in usus publicæ utilitatis expendas, et in intellectibus manuum tuarum deducens alis dicas: *Sine fictione didici et sine invidia communicavi* [1]. Gratiam quam contulit tibi Deus tibi ipsi obesse non dubites, si eper eam aliis prodesse non studes. Dicis autem: Sufficit mihi illis prodesse qui-

C bus voluerit Dominus me præesse. Nunquid ita alligatum aut potius decuriatum est verbum Domini, ut ad unius parochiæ limites angustetur? Debitor erat Apostolus sapientibus et insipientibus, Græcis et barbaris [2]. Cumque olim in Judæa tantum esset Deus, venire tandem voluit ad cognitionem su nominis omnes gentes. Ideo dilatatur Abrahæ nomen: ideo egreditur de terra et cognationem sua, ut in gentibus crescat. Ille etiam qui non erat missus nisi ad oves quæ perierant domus Israel [3], omnes gentes in invocatione sanctæ Trinitatis præcipit baptizari [4]. Ipsius testimonio *messis quidem multa, operarii vero pauci* [5]; si de hac paucitate te subtrahis, negligentiæ aut infidelitatis argui potes, quia quantum in te est, proventum Dominicæ messis imminuis; constituerunt te custodem in vinea.

D Tua ergo interest ut vinea Domini Sabaoth latius extendat palmites suos, ut oleastris inseratur oliva et labrusce in vineam propagetur. Tua interest ut qui ignorant et errant, tuis salutaribus monitis exeant ab errore, et qui ad cœlestes nuptias venire contemnunt, tuo ministerio compellantur intrare. Sed dicis: Qui infideles occidit, homicida est. Nolo homicidii crimen incurrere viros; nam sanguineum abominabitur Dominus: unde et David a

[87] Thren. 4. [88] Isa. 66. [89] Jer. 7. [90] Marc. 11. [91] II Cor. 10. [92] II Tim. 3. [93] Jud. 7. [94] I Cor. 13. [95] Hebr. 4. [96] Psal. 111. [97] Psal. 90. [98] II Tim. 4. [99] Cap. 33. [100] Hebr. 2. [1] Sap. [2] Rom. 1. [3] Math. 15. [4] Matth. 28. [5] Matth. 9.

templi ædificatione repellitur: amice, plurimum refert qualiter quis occidat. Nam si præcepto legis hæc facit, eum ab homicidii crimine lex excusat. Et quæ major lex excusat, quam communis Ecclesiæ constitutio, præceptum summi pontificis, zelus Domini, amor Christi? Cedit equidem Christianis ad meritum, si zelo charitatis accensi eos impugnant viriliter, qui Christum blasphemant, qui sanctuarium Domini polluunt, atque in superbia et abusione sua gloriam nostri Redemptoris humiliant. Verbum Domini est: *Blasphemos occides et maleficos non patieris vivere* [6]. Credo acceptissimum Deo esse si de terra sancta canes immundissimi extrahentur: hujus rei ministerium penes homines est, penes Dominum vero auctoritas et potestas. Zelus enim Domini exercituum faciet hoc. Nunquid sanctiorem te reputas quam fuit Moyses, quam Samuel, quam Phineas, quam Elias aut Petrus. Nonne Moyses XXIII millia de populo suo interficiens peccatum idololatriæ ipsorum mortibus expiavit [7]? Samuel Agag regem in frusta concidit [8]; Phinæas Judæum cum Madianitide coeuntem pugione confodit [9]. Helias quiquagenos cum centum viris cœlestis ignis immissione consumpsit [10]. Petrus Ananiam et Saphiram terribiliter interfecit [11], ut Josue et aliorum judicum, David quoque et aliorum antiquorum regum prœlia taceamus. Machabæi, quia pro patriis legibus pugnaverunt, vivunt; nomina eorum in æternum acceperunt in cœlo, triumphales coronas et laudes ipsorum enarrat omnis Ecclesia sanctorum. Nunc autem tuæ pusillanimitatis exemplo corea multorum dissoluta sunt et hi usque in foveam diffidentiæ corruerunt. In Ecclesiastico autem legis: *Væ dissolutis corde, qui non credunt Domino! væ his qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt viam rectam* [12]. *Confitentur equidem se nosse Deum, factis autem negant* [13]. Procul dubio Domino increduli sunt, Dominumque negare videntur qui se hujus viæ labore pro necessitate Christianæ fidei non impendunt. Paulus siquidem ad Timotheum scribens ait: *Si pro Christo*, inquit, *sustinemus, etiam conregnabimus.*

Si negaverimus eum, et ipse negabit nos [14]. Jam quosdam audio murmurantes, quos plane non dubitaverim dicere *inimicos crucis Christi, quorum finis interitus* [15], qui nondum viam ingressi sunt et jam de viæ periculis conqueruntur et murmurant, cum de talibus scriptum sit: *Murmuraverunt et a serpentibus perierunt*: refrigescit siquidem charitas multorum et abundat iniquitas [16], unde et jam mihi audire videor blasphemias antiqui et infidelis populi, quoties provocaverunt Dominum in deserto et sanctum Israel exacerbando dicebant: *Forsitan non erant sepulturæ in Ægypto, ideo tulit nos Do-*

A *minus ut moreremur in solitudine* [17]. Sic ille populus infidelis ob aquæ penuriam quondam lugebat in Mara [18]. Sic pro defectu panis murmurabant in Elim [19]. Sic in Raphidim, ubi non erat aqua, contra Moysen jurgati sunt [20]. Imitatores istorum hodie surrexerunt vel contemnentes vel portantes in angaria crucem Christi, et gratiam Dei a se murmurationibus elongantes. Ideo vereor ne dicat Dominus quod quandoque dixisse legitur de populo murmurante: *Non est anima mea cum populo isto* [21]. Et Jeremias: Nunquam visitabo super his, dicit Dominus, et in gente terræ non ulciscetur anima mea fortissime [22]? magne potens Dominus exercituum nomen tibi, tu omnia potes facere superabundantius quam petimus aut intelligimus. Vo-

B luntaria oris mei beneplacita facias in auribus hominum, ad quos loquor, et emollias duritiam cordis eorum. Teste enim propheta, *Verba mea quasi ignis et quasi malleus conterens petram* [23]. Qui mihi aperis os tuum, sermo meus aperiet ostium voluntatis; homines enim teneri et delicati et voluptatum ligati consuetudine, *nec in sublimitate sermonis, nec in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute Dei* [24] convertuntur ad cor ut relinquant vanitates et insanias falsas, atque renuntiantes vitæ deliciis propter verba labiorum tuorum custodiunt vias duras [25]. O via, veritas et vita! O sapientia, quæ attingis a fine usque ad finem [26]! Deus meus, misericordia mea! tibi dixit cor meum, Tu scis omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus [27]: tu secun-

C dum ineffabilem abundantiam suavitatis tuæ et in fortitudine manus tuæ, Deus exercituum, congrega et custodi et dirige Christianos exercitus. Ego autem confido in tuis miserationibus magnis non visurum me mortem donec terra promissionis ab oppressione infidelium liberata respiret, donec videam meum Joseph, imo Jesum meum regnantem in terra Ægypti dominari Jacob et finium terræ.

EPISTOLA CCXXXIII.

AD CONVENTUM CANTUARIENSEM.

Charissimo domino et amico GALFRIDO priori Ecclesiæ Christi Cantuariensis, suus PETRUS Blesensis, Bathoniensis archidiaconus, salutem et se promptissimum ad verum obsequium et honorem.

D Rex, qui semper voluit Baldwinum Cantuariensem archiepiscopum graves et inexorabiles discordias et continuas habere sollicitudines, ut sic semper eum haberet humiliatum et obnoxium sibi, compulit et coegit me pro ipso contra vos, imo Deum et contra me, octo mensibus in expensis meis et in continuo vitæ periculo in Romana curia laborare. Perdidi autem operam et impensas, meisque peccatis exigentibus permisit me Dominus occasione illius archiepiscopi damnose deludi, qui pro

[6] Exod. 22. [7] Exod. 32. [8] I Reg. 15. [9] Num. 25. [10] III Reg. 18. [11] Act. 5. [12] Eccli 2. [13] Tit. 1. [14] 2 Tim. 2. [15] Philip. 3. [16] Cor. 10. [17] Matth. 24. [18] Exod. 14. [19] Exod. 15. [20] Ibid. [21] Exod. 17, [22] Jer. 5. [23] Jer. 23. [24] Cor. 2. [25] Psal. 16. [26] Sap. 8. [27] Psal. 37.

peccatis populi permittit regnare hypocritam. Benedictus autem Deus, quod fructum non retuli de labore illicito. Hoc autem faciat et addat mihi Dominus, ut quæ commisi redimam, et contumelias, quas alieno instinctu dominis meis irrogavi, exhibitione honoris et obsequii recompensem. Promitto autem et testificor ante Deum et in eo qui spes et vita mea est, quod vobis aut vestræ Ecclesiæ aut honori vestro adversarium non videbit me homo et vivet. Intelligo flagellum Domini; nam sicut octo mensibus contra vos steti, ita Dominus octo mensibus me supplicio gravissimæ infirmitatis afflixit. Mihi ergo indulgete et orate pro filio vestro pœnitenti, promittente satisfactionem seque ad defensionem dignitatum ac libertatum vestrarum ad omne obsequium impendendum humiliter et ex totis animi visceribus offerenti. Bene valeatis et bene valeant domini universi et singuli.

EPISTOLA CCXXXIV.

ARGUMENTUM. — *Moniales ad sanctimoniam et castitatem monet.*

Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem [28], charissimæ filiæ et sorores. Paulus apostolus hortatur, ad observandam continentiam quam vovistis. Periculosum est enim vovere et non solvere. *Vovete*, inquit Propheta, *et reddite* [29]. Exigit enim districtissime Christus castitatem oblatam, qui non exegerat offerendam. Factæ estis hodie sponsæ Christi; sponsa dicitur a spondendo, quia hodie votum continentiæ spopondistis, hodie per misericordiam suam dignatus est vos sibi filius Altissimi desponsare. Sicut propheta dicit: *Desponsabo te* inquit, *in misericordia et miserationibus, et desponsabo te mihi in fide* [30], hoc est quod Apostolus dicit: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* [31]. Christus eas solas sponsalitii amore fœderat, quas sæculum non fœdavit. Amator est enim virginitatis et pudicitiæ. Præcessit ergo Virgo virginum, virgo in thalamum summi Regis, ut postea aliæ virgines adducantur. *Adducentur*, inquit, *regi virgines post eam et proximæ ejus offerentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis* [32]. Hoc est templum de quo dicit Apostolus: *Qui violaverit templum Domini, destruet eum Dominus* [33]. Hodie vobis, filiæ charissimæ, gratiam et gloriam dedit Dominus, gratiam quia de spurcitia hujus sæculi vos eduxit; gloriam, quia hodie misericorditer desponsavit. *Videte* igitur, sicut Apostolus dicit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* [34], gratiam siquidem recepistis in vacuum et lampades defertis vacuas, si non habetis oleum charitatis, si Christum sponsum vestrum ex totis animæ vestræ visceribus non amatis. Nec enim placet Domino vel pulchra est ei castitas sine charitate. Sicut Sapiens commemorat: *O quam pulchra est casta generatio*

A *cum charitate* [35]! Grata siquidem est Christo nuptialis fecunditas, sed gratior est ei virginitas, quia nuptiæ replent terram, virginitas paradisum; atque beneficio virginitatis reformantur in homine vita et conversatio angelorum. Bona siquidem testimonio Scripturarum fecunditas conjugalis, sed melior est vidualis continentia; optima est virginalis integritas, sed superoptima et superexcellentissima est fecunditas virginalis. Verumtamen hæc in nulla muliere est inventa, nisi in illa quæ est sola sine exemplo.

Gaudia matris habens cum virginitatis honore.
Nec primam similem visa est nec habere sequentem.

Ista apud Christum humilitate sua hanc prærogativam, hoc privilegium acquisivit, hoc, inquam, B privilegium quod nunquam auferetur. Vide quantum placuerit humilitas Virginis ei qui in cœlis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra. Non ejus sapientium, non pulchritudinem, non nobilitatem, sed humilitatem ancillæ suæ respexit [36]. Vos itaque, quæ arripuistis viam humilitatis, quæ abjecistis mundum et elegistis esse abjectæ in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum [37], confidite in Christo qui visitabit vos et requiescit in vobis. Sic ipse per prophetam commemorat dicens: *Super quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et mansuetum et trementem ad verba mea*, [38] hæc *requies mea in* sæculum, *hic habitabo quoniam elegi eam* [39]. Ipse in judicio terribiliter dicet: Veni, electa mea, et amica mea, ponam te in C thronum. Hanc gloriam, hunc honorem reservat Dominus virginibus illis quæ mentem sanctam Deo devotam et puram conscientiam Domino assidue immolant, in hac devotione finaliter perseverant. *Omnis* enim *gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis* [40] quia ab intus gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ; ut apostolus dicit: Et bene in fimbriis aureis in quibus notatur perseverantia et finis; nam fimbriæ sunt extremitates vestimenti. Unde et Propheta, finalem justi viri indicans charitatem: Et *posteriora*, inquit, *ejus in pallore auri* [41]. Gaudeant igitur virgines quas sibi desponsavit altissimus Altissimi Filius, collocaturus eas in æthereo thalamo, cum benedictissima matre sua, cum Domina angelorum. Viduæ vero et aliæ quæ fuerunt pec- D catrices, si non possunt virginitatis assequi dignitatem, gaudeant tamen se hujus mundi pelagus evasisse. Cedat viduis ad solatium, vidua Sareptana, quæ meruit Eliam prophetam suscipere [42]. Cedat iis ad solatium beata Anna vidua, quæ non solum prophetavit de Christo, sed ipsum Salvatorem mundi videre meruit et tenere [43]. Erigat in spem et excitet ad confidentiam peccatrices, Chananææ devotio, Ægyptiæ pœnitentia, Magdalenæ dilectio, quæ non solum mundari ab omnibus iniquitatibus

[28] Rom. 12. [29] Psal. 75. [30] Ose. 2. [31] II Cor. 11. [32] Psal. 44. [33] I Cor. 3. [34] II Cor 6. [35] Sap. 4. [36] Luc. 1. [37] Psal. 83. [38] Isai. 66. [39] Psal. 131. [40] Psal. 44. [41] Ibid. [42] III Reg. 17. [43] Luc. 2.

suis; sed fratrem suum jam triduanum, lacrymis suis meruit suscitari [44]. Procul dubio ex magna devotione procedebant lacrymæ, quæ Christum ad lacrymas compulerunt. Quæ ergo fuerat in civitate peccatrix, dilectione et lacrymis, non solum liberari meruit a peccatis, sed fieri apostola et evangelista, imo (quod majus est), apostolorum apostola, festinans ad annuntiandum apostolis resurrectionem Domini, et currens in odore unguentorum ipsius. O immensa, o indeficiens, o inexhausta misericordia Salvatoris! Ad se et post se virgines trahit, viduas respicit, peccatrices admittit. In peccatrice constituit sibi hostiam viventem, in vidua hostiam sanctam, in virgine hostiam Deo placentem. Peccatrici dat misericordiam, viduæ gratiam, virgini gloriam. Sic in peccatrice, in vidua, in virgine, nos ad illud gaudium patriæ cœlestis invitat, quod diligentibus se Dominus repromisit, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen!

EPISTOLA CCXXXV.

Reverendo Patri et domino A. Glocestrensi abbati, P. Bles. Londoniensis archidiaconus, salutem et cum mansuetudinis observantia iracundiæ oblivisci.

Miror miranturque mecum quamplurimi, quod cum magister Alexander de Glocestria, vir honestæ opinionis et commendabilis litteraturæ, a primitiis adolescentiæ suæ vobis et domui vestræ fideliter et utiliter atque honeste servierit, nunc eum quasi abdicando et avellendo a sinu gratiæ vestræ molestare intenditis, vosque illi durum et inexorabilem atque ingratum, sicut publice dicitur, exhibetis. Sane inter omnia mala quæ a primis parentibus vel potius peremptoribus nostris, quasi successorio jure contraximus, nihil apud Deum et homines gravius ingratitudine reprobatur. Ingratitudo enim alumna turpitudinis et noverca est honestatis. Ipsa testimonio sacri eloquii est ventus urens, siccans fontem pietatis, rivulos dilectionis obturans et exsiccans fluenta gratiæ et beneficium satietatis humanæ. Si deliquit aut in aliquo vos offendit, humanum est delinquere, inhumanum vero se veniam postulanti pertinaciter obdurare. Paratus est bonorum virorum consilio satisfacere, et uberiore obsequiorum fœnore culpam negligentiæ aut ignorantiæ suæ humiliter compescere. Non ergo sit ira vestra vehementior ad vindictam quam ipsius neglectus ad culpam. Culpæ siquidem sunt in quibus culpa est totam persequi culpam, vestramque religionem præcipue decet restringere et cohibere freno modestiæ conceptæ impetum ultionis. Si cecidit, Dominus adjiciet ut resurgat. Forte alicujus detractoris unquam suggestio vos turbavit, vestrique amoris dulcedinem amaricavit in odium: sed absit ut alicujus rancoris amaritudo dominetur in prælatum, fiat potius quod Apostolus scribens ad Ephesios dicit: *Omnis amaritudo et indignatio tollatur a vobis ut sitis misericordes invicem, commissa donantes* [45]. Pater, si non audis Apostolum, attende quid de principe gentili poeta commemorat:

Tu piger ad pœnas, princeps ad præmia velox
Quique doles quoties cogeris esse ferox.

Dominica oratio, imo totius fere Evangelii textus nos ad debitum misericordiæ obligat. Non remittetur tibi, Pater, si non remiseris. Si non feceris misericordiam, sine misericordia punieris. Utere ergo Christi et apostolorum consilio, nec Prosperi verbum contemptibile putes:

Del peccatori veniam peccator, ut æqua.
Conciliet Dominum conditione sibi.

Famæ, quæso, atque honori et utilitati domus tuæ consule maturius, innocentissime Pater. Magister Alexander notus et dilectus a multis, vir multarum litterarum et odoriferæ opinionis tua negotia promovere aut impedire per se, vel per alios, multipliciter potest. Hæc tibi, charissime Pater, dilectionu sincera succincte prælibare decrevi, ut tuo nutritio et fideli liberaliter parcas,

Et sibi si non vis parcere, parce tibi.

EPISTOLA CCXXXVI

Vereor ne coram apostolicæ magnificentia majestatis imprudenter, aut potius impudenter, censear quædam deliramenta proponere, dum sub modio fumigans, lucernæ super candelabrum positæ, imo serenissimo luminari, quod Ecclesiæ præradiat universæ, tenebras meas compellor inferre. Omnia quippe interiora mea exæstuant ad scribendum, et, ut verbo Job utar, spiritus meus est quasi mustum quod novas dirumpit laguncula [46], et quia *ex abundantia cordis os loquitur* [47], si segnius vel incautius scripsero, *vos qui spirituales estis, corripite* hoc *in spiritu lenitatis* [48]. *Dedit* nobis *Dominus linguam eruditam, ut* sciatis *sustentare eum, qui lassus est verbo* [49]. Forte consiliosius esset mihi si concepta scribendi præsumptio lateret in sinu scientiæ meæ, et intra silentii cardines clauderetur. Da mihi veniam seni, qui super senes intelligis; mihi enim jam advesperascit et accelero ad vitæ transeuntis occasum; quod mihi manifeste declarat memoria fatiscens, cæcutiens oculus, crassior intuitus rationis et ingenium quondam acutioris venæ nunc incommodo senectutis rationis obtusum. Viroris equidem gratia raro solet procedere de stipite veternoso cujus radix exaruit. Ego autem jam delibor et responsum mortis accepi in membris meis: modicum de tempore vitæ meæ restat et illud non stat; sed antequam mundanæ conversationi dicam ultimum Vale, summo desiderio vellem datam a Deo nobis sapientiam consulere et scrupulum periculosæ dubitationis, quæ multorum mentibus altius infixa est, et quæ totum ebibit spiritum meum, falce apostolicæ auctoritatis auferre. Magnus quidem stupor et horror incutitur ministrantibus in altari, cum inter verba vitæ, inter sacra-

[44] Joan. 11. [45] Ephes. 4. [46] Job. 32. [47] Matth. 12. [48] Gal. 6. [49] Isa. 50.

menta salutis æternæ verba quidem aliena Christo ascribuntur, quæ suspectam faciunt veritatem, quæ non continuantur sibi, nec Christi sunt, nec in Evangelio leguntur; etenim in consecratione sanguinis Christi sic habetur : *Simili modo postquam cœnatum est*, etc.

EPISTOLA CCXXXVII.

ARGUMENTUM. — *Casus servi de hæreditate habenda tractatur.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Quidam in testamento suo servum suum et liberum et hæredem instituerat, ita tamen si hoc mereretur apud quatuor filias quas habebat. Duæ istarum filiarum gratanter ad hoc impartiuntur assensum, ut et libertatem assequatur et hæreditatem. Duæ aliæ penitus contradicunt. Istæ quatuor filiæ, fratres charissimi, sunt filiæ Regis magni, misericordia scilicet, veritas, justitia et pax. Testator est Dominus, qui in sanguine sacrificiorum Vetus Testamentum primo constituit; postea Novum Testamentum sanguine proprio confirmavit. Servus vero est homo qui cum creatus esset in plena arbitrii libertate, seipsum vendidit sub peccato, et factus est servus pœnæ. Huic voluit misericordia et pax libertatis et hæreditatis beneficium impartiri, sed justitia et veritas e contrario asserunt hunc utraque prorsus esse indignum. Erat magnum inter sorores litigium et crescebat contentio in immensum, nisi quia pax interponebat partes suas et rogabat ea quæ ad pacem sunt. Non probris, inquit, aut contentionibus, o sorores, sed ratione et legibus disputetur; adeamus judicem et coram eo lex nostra discurrat, petamus judicium Salomonis viri pacifici, qui facit utraque unum id est Christi. Omne enim judicium dedit Pater Filio [60], sicut scriptum est : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* [61]. Placuit consilium in communi, veniunt ante judicem et resumpto aliquantum spiritu misericordia ut sic majore trahatur affectu, assumit assessoris officium : eo enim tempore forte nondum fuerat illa constitutio promulgata de assertione tollenda. Multa igitur in primis allegans de miseria hominis, ut ad pietatem judicem inclinaret : Homo, inquit, per se non cecidit, sicut diabolus, sed impulsus eversus est ut caderet, et ideo miseratione est dignissimus. Misereminì igitur, Pater, quia *venit tempus miserendi ejus, quia venit tempus* [62]. Et conversa ad justitiam. Quare, inquit, soror, vis addere super dolorem vulnerum istius miseri? Quare Patrem nostrum ad iracundiam provocas contra istum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam, et stipulam siccam persequeris; scribis enim et inscribis contra istum amaritudines, et consumere vis misericordias patris nostri quæ permanent in æternum [63] et in sæculum sæculi.

Nunquid vis præscribere certos fines misericordiæ, cujus misericordiæ non est finis; cujus pietatis mensura est immensitas? Pater et Dominus noster ipse est misericordiarum pater, et dominus totius consolationis, dulcis et mansuetus et mitis et præstabilis super malitia, cui proprium est misereri et parcere. Nunquid in æternum projiciet Deus et non apponet ut complacitior sit adhuc? Nunquid obliviscitur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas? Non auferes ei quod suum est, quia et iratus misericordiæ recordatur. Confiteor siquidem quia diffiteri non possum, quod homo se vendidit sub peccato. Sed nec venditio tenuit de jure, nec in præjudicium hominis potuit redundare : quod et rationibus et legibus manifestissime convincemus. Nam et jure civili partes habemus maximas et ipsius rigorem frequentissime temperamus. Homo aut lapsus est dolo et calliditate adversarii, aut lubrico et facilitate consilii. Utrolibet istorum modorum sit lapsus, restitutionis beneficium ei indulgetur. Si tamen adversarii calliditate læsus est, etiam si sit major viginti annis, ei restitutionem impartitur lex illa Codicis de dolo : *Si major*. Ad plurimum impartitur lex illa Digestorum de emptione apud Celsum et dicta lege : *Si major*, ubi dicitur, quod si dolo uxoris inductus quis repudiet hæreditatem, licet sit major viginti quinque annis, poterit tamen actione de dolo convenire uxorem. Ad hoc etiam et efficacissime suffragatur lex illa Codicis de rescindenda venditione : *Si dolo* et lege *Dolus*, ubi dicitur : « Quod si dolis adversarii inductus est quis ut venderet, venditionem præses provinciæ revocabit. » Dolus enim ex qualitate facti, non ex quantitate pecuniæ æstimatur. Si contractus est bonæ fidei, quæ in istis contractibus exuberantur exigitur, ad idem probandum, regulam juris produxit in medium, legem *Consilii* et legem *Conventio;* ubi dicitur, quod consilii fraudulenti nulla est obligatio, nec meretur effectum quod a fraude incepit. Quod si consilii fallacis facilitate sit lapsus, ei restitutionis auxilium non negatur argumento Codicis de in integrum restitutione minorum, lege *Minoribus*, ubi dicitur, minores viginti quinque annis restituuntur, in his in quibus se captos æstimant licet dolus adversarii probari non possit, et de Codice, de liberali causa, lege *Non ideo;* ubi dicitur, quod femina major viginti annis, etiamsi a fisco sit vendita, nisi gratia participandi pretium se ipsam vendi permiserat, non præjudicatur sibi. Et Digestis, de liberali causa, lege *Liberis*, « si quicunque sciens tantum... qui dolum allegat, ex perspicuis indiciis probet dolum; » per uxorem enim dolo inductus est ut se venundaret sub peccato, et allegat legem illam Digestorum de dolo : *Qui enim*, et legem *Quisquis;* excusat præterea factum hominis per ignorantiam et errorem, ut in Institutis de hæredum qualitate, paragrapho *Sciendum* et Digestis de jurisdictione omnium judicum, lege *Super errorem*, ubi dicitur, quia restitutio datur, sicut

[60] Joan. 5. [61] Psal. 71. [62] Psal. 101. [63] Psal. 60.

illis, qui alium prætorem pro alio adierunt: nihil enim fecisse intelliguntur, nam qui errant nullo modo consentiunt. Utra adhuc procedimus, dicit misericordia. Regulare est et ordinatum, ut dolus suus nemini debeat protrocinari, ut Digestis, pro socio, lege *Verum est*, paragrapho, *Tempus*, et est sententia legis quia nemini subvenit dolus suus.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Quis daret capiti meo fontem, ut mens mœroris obruta caligine, suspiriorumque turbine concitata pro regiæ severitatis immanitate, confuse lamento velut imbrem incessanter educeret profluvia lacrymarum? Quis sermones meos maledicæ objurgationis amarioraret absinthio seu fellica conviciorum acredine venenaret? Quis horrendæ materiæ impares invectivas ironicæ feritatis armaret aculeo? Quis linguæ cuspidem ad detestationis ictus acueret, sicut fulgur, ut invasor idoneus potenter transfigerem sceleste flagitium, nuper in deplorandæ memoriæ dominum Audream, Jerusalem et Siciliæ regem, nefandis auxiliis perpetratum? Hoc nimirum non satis audacter aggredior, metuens probabiliter ne tam gravis tamque atrocis magnitudo nequitiæ per mundi climata remotis populis divulganda forsan audientium crudelitatem excedat, mei modulum ingenii prægravescat, et debilis eloquii superet facultatem: cum hoc ferale monstrum et monstruosum spectaculum interior visus aspernetur impatiens, attonitus auditus refugiat et trepidus animus horrescat. Sed qualiter potest quantumlibet perpense modestiæ freno compesci? quomodo taciturnitatis conclavi patitur obfirmari doloris impetus, ex publica consurgens injuria, in personam unius fidelibus universis sed præsertim regali eminentia præditis damnabiliter irrogata? Heu quantum matris Ecclesiæ detrahitur statui! quantum suo derogatur honori, quod unice diligendus filius pariter et alumnus velut inter ejus brachia trucidatur! Heu quam sordidis ignominiæ notis, quam notabilibus infamiæ maculis hanc respergit ætatem et præsentia tempora labefactat hoc novum facinus, insolita rabie truculentum, incognitum barbaris et præteritis sæculis inauditum! Dicite, quæso, quos priscorum voluminum studiosa cura sollicitat, ubi longævæ referunt cornices aut antiquæ tragœdiæ declamant, ubi aliqua recenset historia seu veterum annalium recolunt monumenta, quod principem dulcore clementiæ placidum, prosapiæ splendore præfulgidum, sincero innocentiæ nitentem candore, ac primævo adolescentiæ flore virentem, cujus indoles in parva ætate gesta spondebat magnifica et sub teneris adhuc annis dispositissimum regimen prætendebat, sic inclementer oppresserint, suppresserint vliter, perfide supplantaverint et succiderint præmature, non hostium patentes manipuli, non ex professo vel palam rebellantium cunei, sed curialium imo scurrarum cohortes et subdolæ subditorum catervæ dolosis munitæ fraudibus et conviciis fallacibus subornatæ. Isti quidem, in quos divinæ indignationis sagitta dirigitur, nulli prœliis offensæ irritari stimulis; nec rerum provocati dispendiis, aut verborum contumelia lacessiti, dum coronationis instarent solemnia, ut infausto funere festum præcurrerent et bonorum luctu lætitiæ organa prævenirent, fœdissimo conspirantes fœdere, adversus regiam majestatem eorum custodiæ parum caute commissam, in adversaria urbe triste nomen infelicitatis nomine comprobante, intempesto noctis silentio, quod animantibus ad quietem disposuit natura provida dispensatrix, de thalami abdito, tutissimo salutis humanæ refugio, in mortis victimam proditionaliter seduxerunt. Ad cujus sceleratum ministerium exsecrabiliter consummandum, prout famæ secretorum consciæ rumor insinuat, posi funis laqueum innoxii collo clandestine ac nocenter injectum, quem pro plectendis latronibus, non autem pro regibus suffocandis, legalis induxit severitas, et quod sine pudore non refero, unus ex iis impias manus impudenter ingessit ad invasi Domini seminarii vasa crudeliter perstringenda: sicque intolerabili tormentorum angustia vitalem expugnare vigorem mortiferis cruciatibus vita cessit. Post hæc caninæ ferocitatis termino non contenti, quæ supervacuæ inquietationis molestia prædam nescit vexare peremptam, exstinctum corpus, quod paulo prius altæ spei magnanimus vegetabat spiritus, in ruinam præcipitii dejecerunt. Insuper nescio cujus prærabidi furoris exagitati vesania, prout amici relatio patefecit, ejusdem principis funeri omnem comitivam procerum, cunctam sequelam nobilium perfide subtraxerunt: illa pietatis jura erga Dominum violando, quæ frequenter in capitalibus æmulis imitatione digna servavit antiquitas, ut si supremo concertationis exitu alter in alterum prævalens sibi necis auctor exstitisset, post interitum non acerbitatis odio privatam accipiendo personam, sed humanitatis officio omnem pensando naturam ejus exsequiis libere indulgeret. O jubar unionis! O sidus irradiens, quod a turbidæ Italiæ mierum solum firmandum, æquitatis solio ac pacis radio perlustrandum clare diffudit Hungariam, quot fueris obumbratum opprobriis, quantis denique suppliciis eclypsatum, nec scripturali stylo disserere nec productæ lamentationis tenore sufficio mediocriter explicare! Nam nunc ad lacrymabilem casum per singula seriosius prosequendum, utinam doctorem eximium facundæ sapientiæ ac sapientis facundiæ plenitudine redundantem Hieronymum, qui etiam de Hungariæ partibus traxit ortum, sine suæ gloriæ detrimento de sepulcri gremio potentia suscitatum divina sui terrigenæ consideratio revocaret! Quid si modo causæ meritis diserti oratoris eloquio sufficienter instructi, præcipitati Andreæ afflictissimæ genitrici ac illustrissimæ ipsius consorti tam miserabiliter viduatæ, contra detestabiles criminis auctores sententiam justam decerneret, vivificante Domino, reviviscens famosissimus quondam Minos Cretæ rex inclytus præci

pitati ultor et genitor Androgei avus, ut legitur, Athicos occisores ejusdem legis durante censura teterrimus labyrinthus implicuit, et vorax absorbuit Minotaurus. Quid si Hungaricus Attilas ad vitales auras emergens, permisso sibi flagello, quo sui temporis attrivit malitiam, nunc pro nationis suæ participe, sed sævitiæ non consorte pietatis auctore jubente pie desæviat ad vindictam? O anxii doloris vehementiam, quam ad mortuorum præsidia memoranda reflectit præsidentium tarditas ad exhibendæ justitiæ metam interpellatis passibus gradiens, et in ipso processus exordio, si dici licet, petere quasi timide non cessabit! Sed lugentis affectus hoc saltem solamine refovetur, quod etiam ministris cessantibus superni principis vigilantia non cessabit, et eis quantacunque gravitate detentis se promptus accinget Deus zelotes et aget libere Deus ultionum.

EPISTOLA CCXXXIX.

Argumentum. — *Querela anxia contra prælatum.*

Diutissime hoc cruciatus fui, et adhuc in interioribus mei cordis hæc pertago desævit... . hoc terribilis in judiciis Deus longanimiter mala te dissimulans fore destruet eum in finem quia persecutus est homines..... ot devotum corde magnificans totus rapinis inhiat, ut pecunias accumulet infinitas, filius avaritiæ, idololatra pecuniæ, servus mammonæ; ibi legit ubi studet, ibi cor ejus quia thesaurus ejus: quemque portat gladium Petri, obtunderi elideri justitiam emollire, arcum Domini et rigorem justitiarum evacuare; inquisitionem quæ facta est semper vocastis negotium vestrum; absit ut degeneret in..... et in negotiatione opprobrium: clamat clerus, clamat populus; clamant scripta, et voces eorum qui de insufficientia et inutilitate ipsius submurmurando testificati sunt nos quæ ipsorum est nunc nunquid Ecclesia parcet ei qui totam Ecclesiam profonavit? Diebus fere singulis me pugnare oportet ad bestiam: eo sic pugno quasi aerem verberans, nec repugnans impugnor, sed ethici testimonio,

Non pugna est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum [54]:

fruges abstulit, domos combussit. Supplicam et damna hæc mihi paret ipsi afflicti et magnatum plus subsannans insultabat gravius mihi damnum, damnumque et confusionem meam in theatrum publicæ derisionis publicavit; in omnibus his, et *non est conversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta* [55], nunquam beneficium mihi dabit nec in aliquo benefaciet; malificia vero ejus a post tempore suæ promotionis jugiter in libro experientiæ lege: Quousque, Domine Jesu, durabit iniquitas,..... ut quid terram occupat labor inutilis. Securis ad radicem posita est, nec est qui eam succidere velit, sed qui malefactorem non corripit cum possit, omnia mala opera ejus facit, alia vice fruges violenter ablatas, luto potius conculcari quam excuti fecit, ut duorum jactura me afficeret, quia restitutionem mihi humiliter fieri postulabam, non conventum nec vocatum a se nec ab alio, prius appellatorem, sine omni causa, sine omni judiciario ordine me suspendit. In omnibus his autem non sufficit quod cito ovicula tua,...... dissime pastor, rapta dirius affligitur et torquetur. Cum enim expersus episcopos et omnes aliosque potentissimos sui nec sufficiunt nec suffragio indigent alieno. Respice semen debilem incessanter afflictum, nec enim aliud quærit, nisi ut cum dolore canos meos deducat ad mortem [56]. Proinde ne tuus Naboth pro vinea vel pro Ecclesia sua potius occidatur, dura, inquit, sed sera est querela dicentis ad Achab: *Occidisti insuper et possedisti* [57]. Romani principes olim solo verbo suos emancipabant, quos domini sui malitiose vexabant. Emancipe hunc miserum et intolerabili servitute oppressum, pontifex urbis Romanæ, qui solus habes super omnes pontifices plenitudinem potestatis. Si vero magni emancipare simpliciter eximatur, saltem usque ad quinquennium; jam enim in membris meis responsum accepi; certusque sum quod excussa miseræ hujus vitæ cuti, Deus aliquid gratiæ vitalis adjiciat extra translimitabit unum animam. Poteritne Innocentius ita esse crudelis, ut oviculæ suæ discrimen enorme dissimulet nec eam faucibus irruentis eruat leonis aut lupi? Aut mihi pacem providere velitis, aut quidquid habeo in manu vestra promitto et sine ulla contradictione resigno. Præcepistis E. epo. et I. decano, ut super ablatis mihi justitiam exhiberent: ego autem terribiles ejus minas et ad certa discrimina vitæ méæ consilio amicorum coactus digito labella compesco, et facit a magistris suis puerili congendum lacrymam ab oculo prorumpentem iterum oculo resorbere. Vulgo dicitur eum flagellari intelliciter qui conqueri de flagello non andet. Audite, cœli, et auribus percipe, terra, magna mala quæ patior et graviora quæ timeo et exspecto. Si...... apud eum, pui præ omnibus antecessoribus suis terribilis est apud reges terræ [58] ut sitis mihi testes quod liberare me potest et de faucibus bestiæ crudelis eripere uno verbo, O unum verbum, sis mea. O solatio, sis honor; o gloria ejus, qui liberat pauperem a potente ac senem et debilem cui non est adjutor [59]: *Infelix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis hujus* [60]? Quam infelice auspicio de dulci Francia ubi natus et nutritus et editus fueram, in hanc servilem barbaram sum translatus, sed Innocentio loquar, et certus sum quod de malitia sua potest innocentia propulsare.

EPISTOLA CCXL.

Argumento. — *Dehortatio a vinculis curialibus.*

Dilecto et prædilecto domino et amico G. decano Sancti Martini et Archid. Norwici, suus P. B. Lond.

---

[54] Juven. 3. [55] Isa. 5. [56] Gen. 44. [57] III Reg. 21. [58] Psal. 75. [59] Psal. 71. [60] Rom. 4.

salutem et si quid dulcius aut desiderabi- salute.

ıs magnas refero gratiarum magnifico et › largitori, qui vos de fornace curarum cu- quasi de gravi labyrintho aut potius de nferi revocavit in tranquillam animæ liber- Ubi quidem spiritus ibi libertas, ut anima , de multiplici tumultuatione respirans se- ɔitet, sibi vacet ac videat quam suavis est ıs, qua libertate dotavit vos Christus. Cum ıundi gloria favorque magnatum vobis dul- rridebat, ambitionem curiæ quæ multiplici m lenociniis vos palpabat, cum Joseph cujus n apprehenderat adultera relicto pallio au- [61]. Sane cordi magno nil est magnum : e quod alii per discrimina corporis animæque ur, vos quodam fastu nobili animæ despexis- ımvero nobilis superbia est præferre sapien- ivitiis, honoribus honestatem. Nam et sapien- ıtias et delicias suas habet, sicut ipsa in hoc minis dicit : *Apud me sunt opes superbæ et* [62]. Proinde totis in hoc medullis animæ vobis ıtulor ; nam in contrarium veræ amicitiæ ve- ›mnia quæ amicis cedere credimus ad hono- t pacem cordis animæque salutem : currant ad diripiendum sarcinas hujus sæculi, tes animas suas, pro quibus mortuus est, sub jactu aleæ, dum circa ambitiosos honores . dæmoniaco agitantur non sine periculo ionis æternæ. Hi sunt quos exagitat spiritus mundi, spiritus vertiginis et erroris ; qui ıtur super ventum ut gravius cadant, qui mit- s in turbam populi et peccata duplicia sibi ıulant. Sanctus Eusebius scribit quod sicut a in luto, sic pontificalis auctoritas si collata ɔnesto. Prosequimur verbum Salomonis : Qui ıorem insipienti, sicut qui mittit lapidem in ım Mercurii. Super his non tacet Hieronymus ; ad Pammachium verba hæc sunt : « Clarus vilescit in turpi. » Et ut bestiarum exemplo ıdatur ambitio humana, subjungit : « Inter lia non degener taurus præcedit armentum ; ›rpulentia viribusque præstantior : in elephan- am robustior et elegantior statura quadam gativa omnes alios antecedit : hodie autem unt pedibus et manibus ad honorem, qui, meritorum suorum exigentiam, locum in Ec- tenere novissimum non deberent. » O quam est cor eorum a proposito beati Ammonii, de anctus Hieronymus refert, quod cum propter ıturam et honestatem suam a clero et populo iscopum raperetur, diu renitens et prævalens ne promoveretur, auriculam radicitus ampu- , factaque relatione ad metropolitanum re- it eum nunc episcopatu dignum. Sed cum n ad cathedram traheretur : Nisi me, inquit,

A dimiseritis, linguam meam, pro cujus gloria et sanore me trahitis, abscidam dentibus, et sic honorem cujus pericula verebatur evasit. Galfridus Peronensis, quem in scholis Parisiis vidi, postea prior Clarævallensis electus est in episcopum Tornacensem, qui episcopatum respuit, et licet ab illius ordinis abbatibus multiplicites coactus fuerit, nullatenus tamen episcopatum recipere acquievit ; qui postea defunctus cuidam socio suo et familiari apparens, et quærenti qualiter secum esset, respondit ei : « Optime, et scias me a Domino certificatum, quod si episcopatum suscepissem fuissem de numero reproborum. »

Procul dubio prius probandi essent, nam Petro etiam apostolo non sunt commissæ claves regni B cœlorum [63], donec ter interrogatus in confessione dilectionis et fidei probaretur. Conqueritur Ecclesiastes [64] super hoc dicens : *Vide malum quod est sub sole : stultum positum in dignitate sublimi et sapientes sedere deorsum.* Væ homini si præsit et non prosit, si præsideat hominibus et non præsideat ei Dominus ! In electionibus olim divinum implorabatur auxilium ; hodie nulla oratione præmissa, nulla præcedente inquisitione de vita, de scientia illius qui ordinandus est, cæterisque meritorum circumstantiis, quorum longum Apostolus catalogum texit scienter ; hodie sequuntur homines contra propriæ conscientiæ sententiam magnatum favorem et vagæ opinionis incertum. Princeps populi Israel Moyses in libro Numeri [65] pro successore sibi substituendo Dominum deprecatur. *Provideat*, in- C quit, *Dominus virum qui sit super multitudinem hanc*, et meretur audire responsum : *Tolle, Josue, filium Nuni, virum in quo Spiritus Domini est, et pone manum tuam super eum*, ut ingrediatur et egrediatur ante populum meum. Ideo Moyses dum mittitue ut liberet populum Israel de Ægypto se factum impeditioris linguæ ab heri et nudiustertius profitetur [66]. Jeremias [67] etiam, quamvis sanctificatus ab utero, cum ei Dominus officium legati et doctoris injungeret, timens insufficientiam suam, quasi elementarius puer esset, excusavit se dicens : *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia per ego sum.* Quis hodie suum imperfectum allegat ? quis imperitiam suam detegit ? quis indignum se reputat ? quis renititur ? quis reclamat ? quis aufugit ? quis D hodie facit sicut plerique fecere sanctorum, qui se in cavernis foveisque, ne pontificarentur, absconderunt ? Indigna talium prælatura facit hac tempestate ut ecclesia, quæ olim libera erat, cum Agar contemptibiliter ancillari cogatur [68]. Et est parabola instantis temporis quæ olim dictum est [69], quia *repulit Dominus tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit cum hominibus.* Olim dicebat Deus Ecclesiæ : *Ponam te in superbiam sæculorum ; gaudium in generationem et generationem.*

ɫen. 39. [62] Prov. 8. [63] Matth. 16. [64] Cap. 10. [65] Cap. 27. [66] Exod. [67] Cap. 1. [68] Gal. 4. ıl. 77.

Suges lac gentium et mamilla regum lactaberis[70]. A Nunc autem non solum ablactata sed abdicata et abjecta est, et non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. *Facti sunt hostes ejus in capite*[71], *filiique ipsius averterunt se et non servaverunt pactum, conversi sunt in arcum pravum*[72]. Illi enim, qui sedent in cathedra Moysi[73], sustinent Ecclesiam exactionibus opprimi, et in præjudicium ecclesiasticæ libertatis, signuumque servitutis perpetuæ, sponte permittunt sibi auriculas subula perforari[74]; sibi tamen videntur pontificis implevisse officium si de patrimonio Crucifixi, de pauperum sudore, de extorsionibus subjectorum, palatia construunt, si vivaria piscium et ferarum indagines amplissimas circumducunt, et obliti promissionum quas in consecratione sua distinxerunt labiis suis, de commis- B sarum sibi animarum cura non curant. Liceret eis de licite acquisitis vivaria et cætera construere et nihilominus circa salutem animarum vigilantius et diligentius excubare. Possunt *illa facere et ista non omittere*[75]. *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent*[76]! licet enim nunc humanum judicium videantur evadere, sacræ Scripturæ testimonio: *Cito et horrende* grave *judicium fiet his qui præsunt, et potentes potenter tormenta patientur*[77]. Judex ille terribilis dicit: *Ego ipse requiram oves meas*[78]. A quibus requisiturus est oves suas nisi ab his quibus commissæ sunt, qui earum lacte et lana et carnibus abutentes potius exhibent mercenarii quam pastoris officium? *Propter hoc irritavit* ipsius pastor *Deum: dixit enim in corde suo: non requiret*[79]. Cujus istorum assertio prævalebit? C *Juravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi sic eveniet*[80]. Neminem sane judico: est qui *quærat et judicet*[81]; nec mihi succenseat aliquis quod os meum in cœlum pono aut quod ovis ego pastores accuso. Sufficit mihi, si cum aliis ovibus liceat me balare, pastorumque negligentiam, quæ vertitor in commune discrimen, flere et plangere. Circuit lupus ut oves rapiat, et non sit qui eripiat. Nam interest summum excitare pastorem ut oves miseratus errantes congreget in ovile, et circa gregem suum curam sollicitet pastoralem. Præsidentium siquidem gloria summa est convertere incredulos ad prudentiam justorum, et parare Domino plebem perfectam. Utinam, juxta verbum Evangelii[82], glo- D riam, quæ a Deo est, quærerent, et non eam quæ est ab hominibus! Ipsa enim est ventus urens et pestilens aer et corrumpens. O doxa! doxa! o gloria fallax! o inflatio aurium! o vesica tumens, vacua tam pleno vento quam nihilo! Sicut ergo incæpistis, cor vestrum stabilite in Domino et in lapide adjutorii. Vestrum firmate propositum, ut non redeatis ad vanitates et insanias falsas, sed anima vestra tot et tantis elegantibus disciplinis imbuta, ei serviat, cui servire regnare est. Vacate, quæso, lectioni, et descendat frequenter animus contemplator in hortos aromatum; ut ibi pascatur deliciis spiritualibus et gratissima sibi colligat lilia gaudiorum. Verbum quidem Hieronymi est: « Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura. » Testimonio autem Salomonis: Otiositas amica est animæ. Est tamen otium quod ædificat ad salutem. Nam vacare a curis et sollicitudinibus hujus mundi, et legere ac studere, otium quidem negotiosum est et negotium otiosum. De hoc otio Salomon dicit: *Sapientiam scribe in otio, et qui minoratur actu, percipiet eam*[83]. In hujus rei figuram discipuli Domini Sabbato, id est die otii transeuntes per sata fricabant spicas et vescebantur iis[84]. Nam in tempore vacationis subtiliores sententias, quibus reficiuntur animæ trahimus de occultis; denique porta in Ezechiele[85], quæ respiciebat ad Orientem, non aperiebatur, nisi in Sabbato, id est in otio sancto. Propterea quærite vobis solitudinem a strepitu hujus mundi. Nam de his qui volunt vacare et videre quam suavis est Dominus[86], loquens beatus Job[87]: *Ili*, inquit, *sunt, qui ædificant sibi solitudines, ne vocem audiant exactoris*. Exactor est spiritus nequam, qui velut instrumentis vocum mansuetis principum gratiam turbat veneno linguarum procacium. Nonne voces seu linguæ ipsius sunt adulatores subdoli et detractores, sicut dicit apostolus Paulus[88]: *Deo odibiles* hi sunt, ranæ in penetralibus regum ipsorum. Nec desunt hodie in curiis Jamnes et Mambre qui apud Pharaonem Moysi adversantur[89]. Achitophel quoque multos in curiis reliquit hæredes, qui consilia magnatum infatuant. Multi Aman hodie sunt, qui regem Assuerum in odium et exitium innocentis Mardochæi sollicitant[90]. Plenitudo voti mei et summa exhortationis hæc est, ut accingatis vos ad opus fortitudinis, ne præclaræ primitiæ spiritus in vobis degenerent, sed per Christi amorem mundique contemptum in fructum justitiæ et salutis æternæ manipulos coalescant; nullamque ordinis observantiam suadeo vobis, sed sic obsecro vivatis in sæculo, ut altior sæculo sitis, ut habeatis sub pedibus vestris mundum, et juxta verbum Apostoli: Quærendo et sapiendo quæ sursum sunt[91] vestra *conversatio* sit *in cœlis*[92].

EPISTOLA CCXLI.

ARGUMENTUM. — *Consolatoria P. B. directa, episcopo suo, graviter in adversis afflicto.*

Reverendo Patri et domino H. Dei gratia Sar. episcopo P. B. Lond. arch., salutem et constantiam in adversis.

Qui prius de vestra gloria gloriabar, de vestra

---

[70] Isa. 60. [71] Thren 1. [72] Psal. 77. [73] Matth. 23. [74] Exod. 11. [75] Matth. 25. [76] Deut. 32. [77] Sap. 6. [78] Ezech. 34. [79] Psal. 10. [80] Isa. 14. [81] Jos. 22. [82] Joan. 5. [83] Eccli. 38. [84] Matth. 12. [85] Cap. 40. [86] Psal. 45. [87] Cap. 3. [88] Rom. 1. [89] II Tim. [90] Esther. 5. [91] Col, 3. [92] Phil. 3.

nunc afflictione affligor; nec enim fidelis amicus est qui pressuras amici sui dissimulat, qui eas condolentis affectu suas non efficit, qui casus adversitatis illius communicato compassionis humero non supportat. Proinde proposui quod valeo et debeo facere, devotæ scilicet servitutis obsequium vobis exhibere, tanquam domino, affectusque fideles et filiales ut patri, ne in hac sapientia bonorum vestrorum mens insueta talibus absorbeatur in tristitia, et salutaribus monitis delinita in præsenti flagello gratiam divinæ dilectionis agnoscat. Utinam me et dominos meos corripiat *justus in misericordia* [93], non in furore suo, ne vehementia verborum patientiam cordis frangat! Visitat equidem electos suos *oriens ex alto* [94], nunc visionibus, nunc scriptis, nunc beneficiis, nunc flagellis cœlestis medicus, nunc utens canterio, nunc fomentis; nunc adversa, nunc prospera, circa nos saluberrima moderatione dispensat. Propterea in spiritu humilitatis amplectenda est divina correctio, etiam si fiat immissio ejus per angelos malos; nam et Apostolus [95], nisi eum Satanas colaphizasset, non audivisset a Domino: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*; pœna quippe transitoria transigit cum æterna, piusque judex habita pro fustibus quæstione furem acerbe flagellat, ut abscisionem capitis aut furcarum discrimen evadat. Quocirca solerter æstimanda sunt Dei judicia, quibus nos examinat; hominem enim quem diligit visitat diluculo et subito probat illum, *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit; pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat* [96], hominisque salutem misericorditer in tanta vicissitudinum varietate procurat. Quod si Deus convertit in auram incumbentis procellæ discrimen, continuo concurrunt ad diripiendam hujus sæculi prædam. Ponunt animas suas quasi sub jactu alæ, nec habito respectu ad Dei judicia vel ad pericula hujus vitæ curis sæcularibus se immergunt, seque autumant obtinere Deum et mundum. Sed væ homini incedenti duabus viis, quia *nemo potest duobus dominis servire* [97]; diversus est enim, nam amori mundano non communicat amor Dei; audi poetam:

Serta bipertito cum mens discurrit utrinque,
Alterius vires subtrahit alter amor [98].

Denique his quos cupiditas excæcavit immittit Deus rotam malorum; dum enim in avaritiæ labyrintho circumvolant et æstuant importabilibus curis, Samsonis exprimunt miseriam privati oculis et ligati ad molam. Experientia vero quotidiana docemur quod quidquid homo *laborat sub sole* [99], quidquid in sæculo molitur, ambit, congregat, quidquid per sollicitudines et animarum discrimina suis usibus præparat aut conservat, totum *ad nihilum* deveniet *tanquam aqua decurrens* [100], tanquam visio nocturna

A transibit [1], sicut fumus deficiet et sicut somnium avolabit. *Dives* nimirum *cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria domus ejus* [2]. *Dormierunt*, inquit, *somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* [3]; propterea viri sublimes et in eminentia pontificalis speculæ constitut divitias abhorrere deberent, sicut effeminatrices aquas Salmacis; nam Apostolus vocat eas impedimenta hujus sæculi eo quod salutem nostram impediunt, enervant animos fortes, emolliunt constantissimos charitatis affectus, a divinis beneficiis nos elongant, imo auferunt nobis Dominum, et *quid prodest homini*, si habeat divitias Crœsi, glorias Salomonis, quidquid et Julius Cæsar aut magnus Alexander cæterique potentes in terris,
B in thesauris ac deliciis possederunt, si *suæ animæ patiatur detrimentum* [4]. Porro sunt qui divitias congregant, ut se per eas rediment a damnatione terribili. Sed Eliphas in libro Job dicit [5]: *Non credat quis in errore deceptus quod aliquo pretio sit redimendus*; non enim corruptibilibus auro vel argento se redimere homo potest, sed per mundi contemptun, per sui abjectionem, per humilitatem, per fidem, per spem, per amorem et compassionem proximi, per mortem Christi, et per eam qua Deum tenemur diligere charitatem. Amor divitiarum sic hominem frequenter absorbet, ut nec meditari, nec audire nec annuntiare ipsi liceat verbum Dei. In forma eruditionis nostræ mulier Samaritana prius dereliquit hydriam [6], per quam cupiditas hujus
C sæculi designatur et cucurrit prædicare populo verbum Dei. Sequamur, quæso, Prophetæ consilium dicentis: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* [7]. Non divitiæ, sed cordis cupiditas prohibetur. Unde Apostolus: Non qui habent divitias, inquid, sed *qui volunt* habere divitias, *incidunt in tentationem et laqueum diaboli* [8]. Possunt ergo haberi divitiæ, sicut eas Abraham habuit ex justis causis ad usus licitos, ad gratiam hospitalitatis, ad sustentationem pauperum, ut nos in sua tabernacula recipiant. *Ipsorum* enim *est regnum cœlorum* [9], ita quod non solum sibi habere, sed communicare aliis illud possunt. Consolamini, filii pauperis Crucifixi, discipuli Petri, qui non habetis argentum et aurum, sine argento redimendi. Properate, emite et comedite: regnum enim hoc facilius sumunt nihil habentes
D quam omnia possidentes. In sancta paupertate est rei tam pretiosæ commercium confertque paupertas, quod divitiæ conferre non possunt. Vide hoc quam lucrosum sit non habere partem in ruina hujus sæculi, ut partem habeas in Christi resurrectione, ut recipias pro transitoriis bona quæ tibi mansura sunt sine fine. Scriptum est enim: *Divites eguerunt et esurierunt* [10]. Ideoque dives indigere non credens semper sollicitus est sui. Sed beatus

[93] Psal. 140. [94] Luc. 1. [95] II Cor. 12. [96] I Reg. 2. [97] Matth. 6. [98] Ovid. *R. A.* 443. [99] Eccle. 1. [100] Psal. 57. [1] Job. 20. [2] Psal. 48. [3] Psal. 75. [4] Matth. 16. [5] Cap. 15. [6] Joan. 4. [7] Psal. 61. [8] I Tim. 6. [9] Matth. 5. [10] Psal. 13.

qui dicere potest : *Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei*[11]. Sic dives sui, Dominus autem sollicitudinem pauperum gerit ; Dominus parcit pauperi et inopi et animas pauperum salvat faciet. David sciens quam pretiosus et nobilis sit apud Deum titulus paupertatis, licet sit despicabilis apud mundum, inter divitias regales et in throno regio sedens, quia pauper erat spiritu, secure dicebat : *Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me, quia pauper et inops sum ego*[12]. Paupertas enim æstimatur apud Deum magis ex humilitate animi quam tenuitate patrimonii. Proinde Salomon dicit : Substantia hominis secundum cor ejus, audi beneficia paupertatis. A se omnes curas mordaces eliminat,

...... *et in proprio purgata camino*

ignem purgatorium non formidat. Pauper certum pignus futuræ jocunditatis habet in se, jamque primitias salutis æternæ degustat, et quasi de ligno vitæ colligens desiderabiles fructus, qui testimonio Apostoli sunt : *justitia, gaudium et pax in Spiritu sancto*[13]. Ejus est quod Dominus in brevi eum in plenariam possessionem hæreditatis perpetuæ introducet et cantabit exsultans : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*[14]. Dives moriens dolet a se suas divitias separari. Pauper, altitudinem hujus mundi calcans pedibus, ad concupiscentiam vilis prædæ suos oculos inclinare dedignatur. Reputat enim divitias cœnum. Nam, dum fiducialiter aspirat in cœlum, abhorret divitiarum nomen, dum ipsum ad delicias cœlestes festivus exercitus cœlorum exspectat. Dives valedicens sæculi affluentiæ pauper exit. Quidquid enim in mundo affluit, defluit, suumque amatorem pereffluere facit. Audi, quæso, Apostolum de suis compauperibus disserentem : *Tanquam tristes*, inquit, *et semper gaudentes, et tanquam nihil habentes et omnia possidentes, tanquam morientes et ecce vivimus*[15]. Insinuat Apostolus per hoc adverbium *tanquam*, quod mala quæ pauperes patiuntur in hoc sæculo, vera mala non sunt, sicut nec bona divitum vera bona. Quomodo vera bona esse possunt, quæ transeunt ad momentum ? *Deducunt*, inquit, *in bonis dies suos, in momento autem ad inferna descendunt*[16]. Existimat dives inter divitias et delicias suas se cœlo æqualem. Sed *Cum dixerit : Pax est et securitas, tunc repentinus ei superveniet interitus*[17], eumque cum divite purpurato subito absorbebit infernus. Quod Veritas in Evangelio notans : *Et tu*, inquit, *Capharnaum, usque in cælum exaltaberis et usque ad infernum detraheris*[18]. Sic *præterit figura hujus mundi*[19]. Sic dives epulo acerbissime cruciatur, et Lazarus in sinu Abrahæ requiescit[20]. Sic Jacob cancellat manus suas super A filios Joseph ut ei sinistra manus imponatur, qui dexteram exspectabat[21]. Per sinistram adversitas, per dexteram prosperitas designatur. Recolite ergo inter prospera et adversa sufferentiam Job et patientiam Christi eorumque constantiam, qui rapinam bonorum suorum cum gaudio perferebant. Proinde nullus vestræ paternitati subrepat diffidentiæ motus, nec enim abbreviata est manus Domini, ut ablata restaurare non possit. Dominus qui dedit ipse abstulit, sicut ei placuit, ita factum est[22] ; et benedicendo nomini ejus dicite cum propheta : *Iram Domini portabo, quia peccavi*[23]. Eram filius iræ et iram Domini merui. Scio tamen, Domine, quod *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*[24] ; et cum Isaia cantabo : *Confitebor tibi, Domine, quoniam* B *iratus es mihi : conversus est furor tuus et consolatus es me*[25]. Absit, dulcissime Pater, omnis murmuratio apud Deum vel proximum, quia testimonio prophetæ: *Bonum est præstolavi cum silentio salutare Deum*[26]. Erit enim in silentio fortitudo vestra ; flagella, quæso, Domini, quæ vobis videntur amara, in ipsius dilectione dulcescant ; *diligentibus autem omnia cooperantur in bonum*[27], *nec permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum*[28].

EPISTOLA CCXLII.

AD G. ELECTUM S. MARIÆ.

Reverendo Patri et domino G. Dei gratia electo Sanctæ Mariæ PETRUS, etc., salutem in eo qui in electis suis mittit radicem.

C Cum bonæ memoriæ abbas, Philippus nomine, tributum mortis exsolverit, — testimonio enim prophetæ fœdus cum morte percussimus omnes, quia responsum mortis habemus in nobis[29], — electus es, Pater charissime, a tuis fratribus in abbatem. Sic namque a diebus antiquis Ecclesiæ pro patribus nati sunt filii, et juxta verbum Oseæ, *Suscitat Dominus de filiis prophetarum, et de juvenibus Nazaræos*[30], sic veteribus amicis evanescentibus novæ propagines ad ulteriores et dulciores fructus amicitiæ coalescunt. De vestra gloria glorior, quia sunt Domini nomine magnorum qui sunt in terra vestra : magnificavit Dominus vobiscum misericordiam suam, si tamen misericordia est, et non potius quædam probatio, ut quæstus honoris quandoque transeat in querelam. Sera vero querela est, D *Elevans allisisti me*[31], erat longe securius coesse quam præesse : meritorium tamen valde est si sic præsis ut prosis. Charissime mihi Pater, dum in minore officio ministrabas, sæpe fuisti tibi ipsi scandalo, frequenter tædio, semperque periculo ; nunc autem super candelabrum constitutus intrasti arenam eventus ancipitis. Nam si possessionem sollicitudinis et animarum discrimen penses, foris

[11] Psal 39. [12] Psal. 85. [13] Rom. 14. [14] Psal. 15. [15] II Cor. 6. [16] Job. 21. [17] I Thess. 5. [18] Luc. 10. [19] I Cor. 7. [20] Luc. 16. [21] Gen. 48. [22] Job. 1. [23] Mich. 7. [24] Habac. 3. [25] Isa. 12. [26] Thren 3. [27] Rom. 8. [28] I Cor. 10. [29] II Cor. 1. [30] Amos 2. [31] Psal. 101.

sunt pugnæ, intus timores; juxta verbum Salomonis : Immisisti te in turbam, et alligasti tibi *peccata duplicia* [32]; id plerique noluit latere sub modio et intra conscientiæ fines claudunt interioris gloriæ bonum, foventes in sinu memoriæ verbum illud propheticum : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [33]. Pater amantissime, in vana distrahi te oportet, pro aliis molere, sollicitari cum Martha, postponere unum illud necessarium, et transire de Mariæ otio ad quemdam animæ labyrinthum; porro non sic exterior te sollicitudo rapiat ut animam tuam, pro qua Christus mortuus est, curarum sæcularium abyssus absorbeat; quamdam itaque interiorem sollicitudinem semper tibi iratum feras, ut in se collectus animus ad exteriora non defluat, non attendat quod apparet foris, quod exterius sonat. Inter multos eris tecum, factus de illorum numero quos beatus Job insinuat dicens : Hi sunt qui ædificant sibi solitudines, ut vocem exactionis non audiant. Sic ergo ministres ut non vituperetur ministerium tuum, ut servum singulorum te reputes, omnium sis dominus, omni sic in te contemplativa et activa vices suas alternent, ut nullum tempus habeas feriatum. Melior est spiritus quam corpus, et corporis exercitatio ad modicum prodest; pietas autem valet ad omnia, *habens promissionem vitæ quæ nunc est* pariter *et futuræ* [34]. Æmulare ergo *charismata meliora* [35]; caro enim et sanguis regnum Dei non possidebunt : *Caro non prodest quidquam* [36]; *fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, fides, modestia, mansuetudo continentia, castitas* [37] : bonum est sollicitari cum Martha, sed quietius est sedere ad pedes Domini cum Maria [38], providere Dominum in conspectu tuo, semper vacare, et videre quam suavis est Dominus : postquam ergo disposueris ea quæ necessitas fraterna deposcit, descende in hortos aromatum ut pascaris deliciis spiritualibus, et gratissima colligas lilia gaudiorum. Cum enim animam tuam resolveris ad quietem, nullus, quæso, eam excitet, donec ipsa velit; nec pertimeas ut te quis præpropere ab amplexibus vacuet, et ab uberibus sanctæ voluptatis anhelet.

Scis quod sanctæ Regulæ professores, si sæcularibus negotiis curiose se involverint, magna spiritualis exercitii dispendia patiuntur; navis enim, licet inter procellosos turbines statim non pereat, rerum tamen suarum jacturam sustinet, ut in portum vacua inanisque perveniat. Elegerunt te fratres tui : esto in illis quasi unus ex illis : ædifica eos breves actu, vultu, habitu et gestu; sic te amabilem exhibeas et mutabilem, ut tota conversatio tua ædificet alios ad salutem : age quod non solum tibi expediat, sed quod multis.

Nunquam singulariter vivas ut vulpes habeas fo- A veam : non ut volucres nidum, non loculos sicut Judas, a primitivis motibus ad olestrenæ meæ movi, Pater venerabilis, motus tuos redolentes mansuetum socialem ad comitum humiliate conditas, et ad omnem compositas honestatem. Vulgare est quod honores vel mutant aut potius monstrant : administratio, quæso, præsens nunquam ab illa morum nobilitate degeneret; nulla elationis, nulla gloriæ titulatio de tua protectione obrepat; si gloriari oporteat de tuis infirmitatibus, glorieris ut inhabitet in te virtus Christi; si enim ad hoc onus infirmum, si minus idoneum minusque dignum te reputes, ipsa tui objectio convalescet ad gratiam, exuberabit ad fructum, cumulabitur ad coronam : ipse Dominus gloriæ dicit : *Si ego quæro gloriam meam,* B *gloria mea nihil est* [39]. *Gloriam*, inquit, *adinvicem quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est non vultis* [40]. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [41]. Tu vero, Pater, si in Deo volueris gloriam, noveris insipiens ut qui gloriantur in Domino glorientur, illam vero gloriæ, quæ est testimonium conscientiæ tuæ Domino et non tibi ascribe : nam, ut verbo Apostoli utar, *Quid habes, quod non accepisti* [42]? Si ergo te ad vocem demulcentium aures tuas aura favoris afflaverit, sit in corde et ore tuo verbum illud Apostoli, *Gratia Dei sum id quod sum* [43], nihil est quod divinæ majestati familiarius aut confidentius assistat, et gratius quam vera humilitas : ipse auctor humilitatis se quotidie humilem confitetur et mitem; sed non veniat pes superbus, sed C quanto major es humilia te in omnibus et administrationem hanc onus reputa non honorem : omnemque motum superbiæ prurientis verbo illo Salomonis exstirpa : *Potentes potenter tormenta tolerabunt, atque cito et horrende judicium fiet his qui præsunt* [44]. Cogita semper quod requiret a te Deus de omnibus suis exactissimam rationem. *Propter hoc irritavit impius Deum, dixit enim in corde suo : Non requiret* [45]. Deus autem per Malachiam : *Ecce ego requiram oves meas de manu pastoris* [46]. Dominus dicit, *Requiram*, impius dicit, *Non requiret*. Cujus putas assertio prævalebit? Verbum Isaiæ prophetæ est : *Juravit Dominus exercituum dicens : Si non, ut putavi ita erit, et sicut mente tractavi sic eveniet* [47]. *Nolite*, quæso, *æmulari in malignantibus* [48]. Sunt enim abbates quærentes D *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* [49] : *a fructibus eorum cognoscetis eos* [50]. Hi, animarum cura omnino posthabita, summam sui officii reputant, si in suam et suorum perniciem possessionem Ecclesiæ suæ per fas nefasque culturis et ædificiis magnificent quæ et dilatent; animarum vero quæ a spiritu timoris conceperant fructum salutis quasi aborsum perniciose procurant, ut eis merito aptetur verbum salutis prophetæ dicentis : *Statuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum termi-*

[32] Eccli. 7. [33] Isa. 24. [34] Tim. 4. [35] I Cor. 12. [36] Joan. 6. [37] Gal. 5. [38] Luc. 10. [39] Joan. 8. [40] Joan. 5. [41] Psal. 113. [42] I Cor. 4. [43] I Cor. 15. [44] Sap. 6. [45] Psal. 10. [46] Ezech. 34. [47] Isa. 14. [48] Psal. 36. [49] Philipp. 2. [50] Matth. 7.

nos suos [51], hi sunt quos agitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis et erroris. Melius est tibi domum tuam augere moribus quam possessionibus; melius est cœlum implere quam horreum, et hæc facere potes et illa non omittere [52]; veternosas autem vitiorum propagines, quæ ex quorumdam decessorum tuorum negligentia pullularunt, succide maturius, ne vitulamina quæ nunquam fructificant furcula novæ viscomis sua prædicant incrementa; fac omnia comite consilio; non tamen credas omni spiritui, sed prius proba utrum ex Deo sit [53]. Semper autem potius de ovem quam de præ Deum tua, de Deo tantum et non de principum familiaritate confidas, quia *Maledictus qui confidit in homine* [54], et juxta sententiam Sapientis : Nomen Domini *plurima fortitudo* [55]; scientes autem vos ex continuo versuti hostis assultu graves molestias sustinere, ideoque nobis esse neeessaria sacræ Scripturæ suffragia, cujus lectio frequens conatus hostiles evacuet atque turbines æstuantium tentationum quadam animæ serenitate tranquillet; propterea librum orium cum instantia repetitis, quam *O* unum ex quatuor appellatis. Scio quod sine tentatione vix hora dimidia claustralis vita transigitur. Unde et militia regularis arma spiritualia exigit, de quibus Apostolus ad Corinthios scribens dicit : *Arma militiæ* vestræ *non carnalia, sed* pura *Deo ad destructionem munitionum, destruentes* omnes altitudines extollentes *se adversus scientiam Dei*, captivantes *omnem intellectum in obsequium Christi* [56]. Sacra itaque lectio vobis necessaria est, ipsa enim est mensa tabernaculi, quæ ad aquilonem, unde omne malum panditur, posita est, quod Psalmista insinuans dicit : Posuisti *in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* [57]; de mensa hac et spiritualibus armis loquitur Isaias [58] : Ratione, inquit, *mensam* contemplaris *in specula, surgite principes et arripite clypeum;* sacra lectio cibus est quia teste Veritate : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei* [59]; per hunc cibum speramus et vivimus : *Verba*, inquit Dominus, *quæ ego loquor, spiritus et vita sunt* [60]; teste certæ solo sacri eloquii testimonio Christi contra omnes diaboli tentationes usus est in deserto [61]. Si ergo consistant adversus vos castra, scuto bonæ voluntatis armate vos et gladio spiritus quod est verbum Dei : si infirmata sunt genua, si dissolutæ manus, si moti pedes aut effusi sunt gressus, confidite quod *verbo Dei cœli firmati sunt* [62]; si ad ignitas compunctiones et arcanas cordis nubilationes, refrigescit anima vel torpescit, si obdurescit ad lacrymas, si cœlum æneum factum est ei, ut ros spiritualis aut pluvia super monte Gelboe non descendat; vos sacræ Scripturæ curam impendite, mittet quia Dominus verbum suum et liquefaciet ea; mittet spiritum suum et fluent aquæ, imo fluent aromata illius, ut vestræ opinio sanctitatis odorem aromaticæ suavitatis effundat; meæ quidem exhortationis campus latissime patet, sed irruens occupationum necessitas ei succingens epistolam ad compendium, ad alia me extorquet.

EPISTOLA CCXLIII.

Viro venerabili, et amico in Christo S. priori C. PETRUS Blesensis arch. Lon., salutem.

Rogastis me ut in scriptis redigerem quid significent illæ antiphonæ quæ, imminente Christi nativitate, scilicet *Magnificat*, quadam speciali prærogativa cantantur, ut *O sapientia! O Adonai!* et similes. Ego autem vobis viva voce respondi, me a magnis doctoribus didicisse, quod prædictæ antiphonæ, quasi voces patriarcharum et prophetarum erant, desiderantium et petentium ut Deus adventum suum accelerans eos de potestate inimici et de angustia carceralli eriperet. Verum petitioni vestræ satisfacere non poteram nisi responsum, quod vobis verbo feceram, sanctorum Patrum auctoritatibus confirmarem. Quod ego sine fictione didici, sine invidia vobis communico. Lacrymosa vox cujusdam desiderantis adventum Domini erat : *Putas durabo, putas videbo, putas inveniet me hic illa nativitas?* Unde et super versiculum illum : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi et exaudivit preces meas* [63], legitur quod antiqui Petres incarnationem Christi suis precibus meruerunt. Isaias [64] : *Domine, utinam dirumperes cœlos atque descenderes!* et subjungit : Dirupisti et *descendisti*, et David : *Inclina cœlos et descendas* [65]. Dicit et Auctoritas, quia merita sanctorum Patrum Dominum de cœlo traxerunt.

Dominus quidem propter duritiem et incredulitatem quorumdam distulerat Christum suum : *superbis* enim *resistit Deus et* humiles gratanter exaudivit [66]. Præterea super versiculum illum : *Respexit in orationem pauperum et non sprevit preces eorum* [67]; verba hæc expositoris sunt : hic loquitur in persona fidelium qui humilitatis spiritu pleni orabant ut Christus veniret. Item super versiculum : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* [68] dicitur quod hic prius exponitur in persona antiquorum patrum in adventum Christi exspectantium et desiderantium. Denique, sicut in libro Regum [69] legimus ; *rex Salomon dedit reginæ Saba quidquid petiit*, et alia quæ non petiit, quia Christus Ecclesiæ suæ donat, non solum ea quæ petit, sed etiam quæ petere non præsumit. Item Origenes super Cantica canticorum in persona Ecclesiæ loquens, dicit : Quousque Sponsus mittit mihi oscula per Moysem et prophetas, veniat ille, *osculetur me osculo oris sui* [70], et Pater sponsam exaudivit eique Filium suum misit. Item super versiculum Isaiæ [71] : *Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me*, legimus quod priores justi auxilium Christi devote implora-

[51] Amos. 1. [52] Luc. 11. [53] I Joan. 4. [54] Jer. 17. [55] Prov. 18. [56] II Cor. 10. [57] Psal. 22. [58] Cap. 21. [59] Matth. 4. [60] Joan. 8. [61] Matth. 4. [62] Psal. 32. [63] Psal. 39. [64] Cap. 64. [65] Psal. 143. [66] Jac. 4. [67] Psal. 101. [68] Psal. 12. [69] III Reg. 10. [70] Cant. 1. [71] Cap. 12.

bant. Non igitur sine causa, sed alto Dei consilio institutum est, ut desideria antiquorum de primo adventu Christi, quem puris affectibus et singultibus crebris ignitisque devotionibus ac suspiriis exspectabant et petebant tam celebri cantu, privilegiato applausu in Ecclesia recitentur ; quatenus nos, veterum patrum muniti præsidiis et eruditi exemplis, eum in secundo adventu ita recipiamus in nos venientem, ne in tertio adventu eumdem timeamus contra nos venientem. In primo enim adventu venit humilis, in secundo venit in nos desiderabilis et prædulcis, sicut Veritas in Evangelio testatur de illo : *Qui diligit sermones Dei, Pater*, inquit, *meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [72]. Venit in multos qui eum receptum turpitudine suæ iniquitatis ejiciunt. Scriptum est autem quod tria ejiciunt hospitem de domo sua : litigiosa mulier, et hæc est concupiscentia carnis ; stillicidium quod de excelso stillat et inferius cadit, hoc est superbia quæ de cœlo corruit ; et fumus qui est concupiscentia oculorum, quæ carnis oculos excæcat. Legimus autem quod turpius ejicitur quod non admittitur hospes; hoc est de primo et secundo adventu ; de tertio autem scriptum est : Homo est et quis videbit eum ? Quis poterit stare cum igne devorante, aut quis stabit cum ardoribus sempiternis ? Ignis enim ante eum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus, *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* [73]. Per querulas voces antiquorum patrum ac per eorum preces et merita dicuntur ipsi primum obtinuisse Christi adventum ; videtur tamen quamplurimis incarnationem Redemptoris non hominum meritis sed soli Dei gratiæ ascribendam. Unde in Epistola ad Romanos [74] super locum illum : *Qui factus est ei ex semine David*, dicit Auctoritas quod Apostolus maluit dicere Christum factum esse *ex semine David*, qui circumcisus fuerat, quam de semine Abrahæ justi ; ut non pro merito, sed per gratiam Dei natus de Virgine crederetur. Haimo : Deus multa facere potest quæ nemo peteret vel intelligeret, ut quod Deus fieret homo aut quod mortem pro homine pateretur. Item super illud verbum Isaiæ [75] : *Filius datus est nobis*, subjungit Auctoritas : *Datus est nobis a Deo sola gratia*. Solet autem scrupulosus quærere utrum incarnationem Christi beata Virgo meruit, quod per illam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum, quod sic intelligendum est : Per quam meruimus suscipere, id est per cujus meritum suscepimus auctorem vitæ : nam quod concessit annuntiationi angelicæ, videtur se matrem Domini fieri meruisse, et insuper oravit ut pareret Dominus et promissio angeli impleretur, dicens : *Fiat mihi secundum verbum tuum* [76]. Oravit autem pie et pro se atque ad salutem et perseveranter quod in ipsa concepit. Est autem in theologia

A regula generalis et irrefragabile argumentum, quod si justus petit aliquid a Deo pie et pro se atque ad salutem et perseveranter, exaudiri meretur ; secure autem dicimus eam meruisse quod ex ea Dominus nasceretur. Est tamen meritum tripliciter dictum, scilicet pro causa quod meritum justitia est quare salvetur ; dicitur etiam pro exigentia ; exigebat enim miseria nostra ut misericors Deus, qui laborem et dolorem considerat, culpam nostram sua passione deleret : unde scriptum est : *Felix culpa Adæ quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem* [77] : dicitur etiam meritum pro dignitate, sicut cum dicitur Virginem meruisse quod de carne sua Dei Filium generaret : propter hoc enim præfigurata est signis et oraculis patriarcharum, a prophetis præoptata

B et prænuntiata, officiosissime ab angelo salutata, consecrata virtute Spiritus sancti et in ejus visitatione multiplici divinis muneribus uberantissime prædotata. Nimirum oportebat Virginem esse sanctam, quæ paritura erat Sanctum sanctorum, quia sicut inter cætera membra solus oculus perceptibilis est luminis, sic sola Virgo inter omnes mulieres inventa est quæ in corpore suo clauderet divinæ magnificentiam majestatis ; nam testimonio Apostoli plenitudo divinitatis in eo corporaliter habitavit [78]. Proinde dignissime pertinet ad beatam Virginem illa octo antiphonarum novissima : *O Virgo virginum !* Unde loquens ad filias Jerusalem, id est angelicas virtutes et animas sanctas : Filiæ, inquit, Jerusalem, quid admiramini ? divinum est ministerium

C quod cernitis ; vere divinum ministerium absconditum a sæculis, et quod Deus revelavit in tempore opportuno, id est quando venit plenitudo temporis in quo misit Deus Filium suum. De hoc mysterio sive sacramento loquens Apostolus dicit : *Magnum est hoc pietatis sacramentum absconditum a sæculis, manifestatum in carne, justificatum in spiritu, revelatum angelis, creditum mundo, assumptum in gloria* [79]. Istarum igitur cantus antiphonarum est tanquam quædam vox præconia et nostrarum excitativa mentium, ut quasi quoddam Dominicæ nativitatis invitatorium præcinamus, ac secundum multitudinem dolorum in cordibus nostris consolationes Dei lætificent animas afflictorum et qui fuimus in tenebris occurramus Salvatori nostro dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini : Deus Dominus*

D *et illuxit nobis* [80]. Ideo in prima antiphona *O Sapientia* postulat devotio antiquorum ut veniat sapientia Dei ad eos, et doceat ipsos viam prudentiæ. In secunda vocant *Adonai*, id est *Dominum nostrum* ignem qui Moysi apparuit in igne [81], missurus eum pro redemptione Israel, ut ipse nunc veniat et redimat eos. In tertia invocant eum qui est *radix Jesse*, id est Christum, de quo facta est promissio in figura Isaac patri ejus Abrahæ et in figura Salomonis patri ejus David filio Jesse. In quarta humiliter

[72] Joan. 14. [73] Isa. 66. [74] Cap. 1 [75] Cap. 9. [76] Luc. 1. [77] *Offic. eccles.* in cant. *Exsultet.* [78] Coloss. 2. [79] Tim. 3. [80] Psal. 117. [81] Exod. 3.

orant ut Christus qui aperit et nemo claudit, qui salvat et nemo condemnat, veniat et eos de carcere exterioribus inferni deducat. In quinta clamant ad Filium Dei, qui est splendor lucis æternæ et Sol justitiæ, ut veniat et illuminet sedentes in interioribus et in umbra mortis. In sexta sub persona gentilis populi affectuose clamant et rogant, ut duos populos quasi duos parietes in uno lapide angulari convenire et eos salvare dignetur. In septima humili jubilatione supplicant, ut qui a Deo Patre per Isaiam vocatus est Emmanuel, id est *nobiscum Dominus*, tanquam rex noster et legifer nobis a Deo missus veniat et salvet nos. Denique quia plerique illorum Deo inspirante prænoverant quod salutis humanæ mysterium per filium Virginis impleretur, octavam antiphonam, quam ex certa causa incidenter præmisimus, ad Virginem virginum diriguut, ut ipsa virtutibus cœli et sanctis animabus annuntiet divinæ sapientiæ salutare mysterium.

Hæc de canticis veterum et antiphonis vespertinis, quæ Nativitatem Domini antecedunt, succincta brevitate transcurri, nec propter hoc omisi vel distuli, quin scriberem et cantarem quæ ad honorem Dei et Ecclesiæ atque ædificationem populi Christi pertinere credebam. Scio quod longe dulcius et fructuosius est cogitare et scribere quæ operantur ad salutem animæ, quam ea quibus vonamur pompam mundi et gloriam sæcularem. Est autem inter hæc duo quoddam medium, ut scribentes reverenter Deum habeamus præ oculis, atque populum Christianum ad ædificationem animæ salutaribus monitis instruamus. Eapropter juxta sacram Scripturam, et hæc oportet facere et illa non omittere, etenim cum non habeam vasa aurea vel argentea vel lapides pretiosos, quos offeram in opus tabernaculi, duo tamen minuta offero cum paupere vidua, honorem Deo et ædificationem populo Christiano. Nec enim in Dei facie vacuus apparere præsumo cantico; novum canticum cum modernis cantaverunt veteres canticum modo vetus, Christum scilicet incarnandum Cantamus et nos eumdem cantum, sed novum; quem enim cantabant incarnandum, nos canimus incarnatum. Scriptum est enim : *Et qui præibant et qui sequebantur cantabant: Hosanna in excelsis*[62] ! Umbra veterum nobis in lucem conversa est, figura in veritatem, spes in certitudinem, promissio in plenariam hæreditatis possessionem. Si arguendus, imo quia multipliciter arguendus sum, et de canticis et de rhythmis culpam meæ levitatis agnoscens, me ipsum reprehendo; vos quæso, qui spirituales estis, corripite hujusmodi levitatem in spiritu lenitatis. Humanis tamen vocibus et musicis instrumentis prophetæ usi sunt, metriceqne scripserunt : metra enim et cantica hominum corda fortius movent et ubi sermo communis inutilis est, exquisita sententia verbis vestita elegantibus quandoque efficaciter ædificat ad salutem. Habebam pro amore vestro in votis de oneribus, quæ Isaias proponit et disponit octo excipere et eadem octo beatitudinis quadam proportione quasi contraria mutuo coaptare. Ulterius etiam proficiscens fixeram in animo meo octo antiphonas, quæ incipiunt per *O!* quasi octo vias ad octo beatitudines, quasi osculo et consensu prædulcissimo counire, atque per Christum virgam exactoris et jugum operis ejus offerre, sicut in die Madian. Christus enim panis ille est subcinerosus qui in figura Gedeonis subvertit castra Madian [63]. Ipse quidem sub cinere nostræ mortalitatis in clibano crucis tortus et coctus est, sed reservatus est ille panis, qui de cœlo descendit per gloriam resurrectionis, per quam a carne sus cinerem passibilitatis excussit, cumque voluntas hæc in eorde ferventius æstuaret, dictum est mihi a quodam magno et prudentissimo viro se vidisse et legisse tractatum quemdam magistri Acardi de sancto Victore super octo Isaiæ oneribus, et ibi per preces et desideria antiquorum auferebantur onera, et octo beatitudines succedebant. Ego autem in ea veneratione et reverentia quam Statius in fine Thebaidos exhibet Virgilio, magistro Acardo defero, dicens animæ meæ :

Non tu divinam exæquare Æneida tenta,
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.

[62] Marc. 11. [63] Judic. 16.

PETRI BLESENSIS
SERMONES.

(Opp. edit. J. A. Gilles, Oxon. et London. 1846, in-8, tom. IV.)

SERMO PRIMUS
DE ADVENTU DOMINI.

Cum medium silentium tenerent omnia et nox in suo cursu medium iter ageret, omnipotens sermo a regalibus sedibus venit [64].

A diebus antiquis postquam clamaverat Dominus

[64] Sap. 18.

primo prævaricatori : *Adam ubi es ?* [85] clamavit et A sanguis Abel de terra, ex tunc siluit genus humanum, quia in ipsum mors intravit per peccatum. Silebat homo mortificatus in gratuitis, in naturalibus vulneratus ; adeo erat læsus et infirmus homo, ut non esset in eo vox neque sensus. Et hoc intelligo primum silentium fuisse. Venit Moyses, et data est lex. Lex quidem modum infirmitatis ostendit, sed remedium infirmitatis; non ostendit, *Nesciebam*, dicit Apostolus, *quid esset peccatum, nisi esset lex* [86]. Ex quo igitur homines sua vulnera cognoverunt, cœperunt clamare et quærere medicinam : et sic ruptum est primum silentium. Porro considerantes ægroti, quod in lege non erat salus, quia neminem justificabat lex, neminem ad perfectum ducebat : tandem post clamorem affecti longa exspectatione et B tædio siluerunt. Et hoc est *medium silentium*. Hoc autem silentium ruptum est tripliciter : per vocem, per verbum, per canticum. Per vocem, quia per eum qui dicit : *Ego vox clamantis in deserto : Parate viam Domini*, etc. [87] Per verbum ; nam *omnipotens sermo a regalibus sedibus venit*. Per canticum : nam in ortu Verbi incarnati, *Gloria in excelsis Deo* angeli cecinerunt [88], Multos sermones dederat Moyses ; sed nullus eorum omnipotens fuit. Defecerunt enim in sua promissione, et quod dicebant non potuerunt efficere. Verbo autem Domini cœli firmati sunt : et omnipotens sermo non solum promisit aut dixit, sed quæcunque voluit fecit. Tertium silentium erit in regeneratione, *cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ* [89]. Cum C absterserit Dominus lacrymas ab oculis sanctorum suorum : et jam non erit amplius clamor neque dolor [90]. Cum obtinuerit justus ut requiescat a laboribus suis [91] : et in pace factus fuerit locus ejus [92]. Et quibus, juxta verbum Isaiæ, in silentio et spe fuit fortitudo [93], erit gaudium et pax in æterno silentio. Sicut ergo Salomon ait : *Est tempus tacendi et tempus loquendi* [94] : tempus tacendi, *dum medium silentium tenerent omnia* ; tempus loquendi, dum clamat Joannes in deserto : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* [95]. Elongaverat Joannes, et fugerat in solitudinem. Præferebat solitudinem sollicitudini, pacem turbationi, quietem tumultui, eremum civitati. Clamat in deserto, sciens quod quanto remotior esset a frequentia hominum, tanto D immunior esset a contagio peccatorum.

Notate, fratres, quod a temporibus Eliæ et aliorum prophetarum, desertum dedicatum est sanctitati, ut esset in eo quasi secretior Dei thalamus in terris, et familiare auditorium Spiritus sancti. Successit prophetis Joannes propheta, et plus quam propheta : ex cujus inhabitatione plurimum reverentiæ et honoris deserto accrevit.

Accessit Jesus, qui desertum per quadraginta dies jejunio consecratum pœnitentiæ dedicavit. Ibi tentatus tentatoris malitiam confutavit, ut quicunque in solitudinem fugeret, jam non timeat insidias inimici, sed in loco horroris habeat locum securitatis, et in solitudine inveniat civitatem habitationis. Qui in deserto jejunavit, in deserto pavit turbas, et ibidem manna, panem scilicet angelorum copiose largitus est, ut confiteantur Domino misericordiæ ejus, ut jam non desperent qui Christum in deserto sequuntur, et dicant : Quid comedemus aut quid bibemus ? Ille etiam qui animam inanem et animam esurientem satiat bonis, *qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* [96], animam illam quæ se Christo per voti obligationem et professionis vinculum desponsavit, non deseret in deserto desertam, sed ei in abundantia misericordiæ suæ ministrabit et dicet : *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto* [97]. In terra ergo salsuginis, in terra horroris et vastæ solitudinis, in terra quæ non germinavit hactenus nisi spinas et tribulos, germinabit Dominus gratiam et benedictionem. Pinguescent illi animæ speciosa deserti, ponet ei Dominus desertum quasi delicias, et solitudinem quasi hortum irriguum. In hoc deserto, in hac solitudinem quidam sedent solitarii, sed non silent : quos sollicitudinum mundanarum turba circumstrepit cum de religioso scriptum sit : *Sedebit solitarius, et levabit se super se* [98]. Supra se levat se qui viam Domino parat intra se. Ideo in hoc deserto, fratres, auditur vox illa clamantis : *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri* [99]. Utinam in deserto cordis mei, audiatur vox ista, et rumpatur silentium in quo sum tanquam vulneratus dormiens in sepulcris ! Utinam non solum vocem pœnitentiam prædicantis, sed ipsum audiam Verbum, et audiam quid loquatur in me Dominus Deus ! Utinam loquatur ipse in corde meo, et loquar ad Dominum meum ! *Diu silui, et humiliatus sum, et silui a bonis* [100]. Utinam siluissem a malis ! Sed non sum qui dicere possim : *Ut non delinquam in lingua mea* [1]. Frequenter accepi opprobrium adversus proximos meos, et cum deberem disponere sermones meos in judicio ad observantiam æquitatis, sermo meus versuti viri præstigio subornatus erat in calumniam et subversionem justitiæ, et in mortificationem animæ meæ quasi gladius acutus, et lingua mea concinnabat dolos. Nunc autem sileo a Deo, a sæculo, a meipso. A Deo, cujus laudem in corde et ore non habeo ; a sæculo, cujus malitiam nec verbo nec opere damno ; a meipso, quia peccata mea confessione non arguo, nec satisfactione redimo, nec bonis operibus recompenso. Hoc est silentium, in quo libentius audio sapientiam hujus sæculi, quæ

[85] Gen. 3. [86] Rom. 7. [87] Matth. 3. [88] Luc. 2. [89] Matth. 19. [90] Apoc. 21. [91] Apoc. 14. [92] Psal. 75. [93] Isai. 30. [94] Eccle. 3. [95] Matth. 3. [96] Psal. 146. [97] Jer. 2. [98] Tren. 3. [99] Luc. 3. [100] Psal. 38. [1] Ibid.

stultitia est apud Deum [2], quam verbum Dei et legem Altissimi. Et hoc forte est quod Salomon insinuat, dicens : *Verba sapientium audiuntur in silentio plus quam clamor principis inter stultos* [3]. Clama, quæso, tu qui es vox clamantis. *Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam* [4], clama, tona, corusca, et fulgura, si forte exsurgat qui dormit, si forte adjiciat ut resurgat, qui contra Dominum fere totus obsurduit. Multi etiam imbecilles sunt et dormiunt multi, atque, ut verbo Jeremiæ utar : *Incircumcisæ sunt aures eorum, et audire non possunt* [5]. Clama, quæso, præco Domini, ut præparent viam Domini, et rectas faciant semitas Dei nostri [6].

Et quid est, fratres ? Nonne a sæculo quod Joannes nos admonet parare vias Domini, et rectas facere semitas Dei nostri ? Nonne a sæculo et usque in sæculum rectæ sunt viæ ejus ? De viarum suarum rectitudine cum impio disputat ; nam, teste propheta, dixit impius in corde suo : *Non est recta Domini via* [7] : sed eum Dominus constantissime redarguit et confutat : *Nunquid non viæ meæ rectæ sunt : et non magis viæ vestræ pravæ sunt, dicit Dominus* ? Scimus equidem, nec possumus diffiteri, quia *viæ Domini, pulchræ et omnes semitæ ejus pacificæ* [8]. Hoc nobiscum fatebatur qui dicit : *Via Domini immaculata Deus meus, impolluta via ejus* [9]. Via Domini adeo directa est, sicut propheta testatur, *ut stulti non errent per eam* [10]. Sane multos sapientes vidi in hac vita errantes. Nam cum *sapientia* hujus mundi sit *terrena, animalis et diabolica* [11], non est mirum si illi qui ita sapiunt, errant ; et viam æternæ civitatis ignorant. Illa vero stultitia per quam placuit Deo salvos facere credentes [12], illa est quæ non errat ; illa est quæ viam novit, quam Deus abscondit a sapientibus et prudentibus hujus sæculi, stultisque et parvulis revelavit [13]. O Domine, tu parasti directiones viam justificationum tuarum, dirige in conspectu tuo viam meam. Et quid est dirigere Domini semitam, nisi corrigere suam vitam ? Viam vero Domino parat, qui cor suum coram Deo humiliat, et peccata in quibus offendit per pœnitentiam purgat. Cum omni ergo diligentia considerandum est, ne quid pravum inveniatur in voluntatibus nostris, ne quid asperum in moribus, vel tenebrosum, vel lubricum, aut distortum : pravum per malitiam, asperum per impatientiam tenebrosum per ignorantiam, lubricum per inconstantiam, distortum per discordiam et vitæ inæqualitatem. Quidam semper sunt asperi, lubrici et distorti : et sunt inter alios fratres quasi angues inter anguillas, quasi corvi inter columbas, quasi spinæ inter lilia, et tribuli inter rosas. *Contritio et infelicitas in viis eorum*, quia *viam pacis non cognoverunt* [14]. *Via talium tenebræ et lubricum, et angelus Domini persequens eos* [15]. Frequentissime siquidem vidi homines hujusmodi inquietos, et litigiosos graviter a Domino flagellari. Nam contra talium malitiam Dominus immittit immissiones per angelos malos [16]. Ut quid Deo et fratri suo contrarius et contumeliosus fuit ? tradatur Satanæ in interitum carnis ; et qui aliis gravem et impartabilem se exhibuit sibimet fiat gravis. Et hoc est quod legitur in Proverbiis : *Semper jurgia quærit malus* [17] : Angelus autem crudelis mittetur contra eum.

Si quid ergo in nobis tenebrosum est, per confessionem illuminetur ; si quid lubricum, in amore Christi stabiliatur ; si quid distortum, ad æquitatem divinæ regulæ dirigatur ; si quid asperum, ad levitatem spiritualis gratiæ complanetur. Sic *diriget mansuetos Dominus, docebitque mites vias suas* [18]. Quod si alicui videntur angustæ viæ Domini, non admiretur. Viæ Domini viatores exigunt graciles et expeditos, nec mole terrenæ sollicitudinis oneratos. Ideo angustæ sunt propter angustiam paupertatis : sed amplissimæ videntur his qui diligunt Dominum, et aspiciunt, juxta verbum Apostoli, in remuneratorem salutis æternæ [19]. Talis erat Moyses de quo scribit Apostolus : *Quia reputavit majores divitias thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim*, dicit Apostolus, *in remuneratorem* [20]. Et hoc quod in Ezechiele legitur, quod duo cherubim utraque facie aspiciebant in palmam [21]. In omnibus enim quæ agimus, sive temporalia, sive spiritualia sint, debemus in remuneratorem vitæ oculos nostræ intentionis dirigere. Nam si attendat justus, qui ex fide vivit, quanta præparet Dominus diligentibus se ; si consideret omnis consummationis finem, clamabit et dicet : *Dilatasti, Domine, gressus meos* [22] ; et : *Latum mandatum tuum nimis* [23]. Dilatatur enim via Domini, ex quo delectatur anima in magnitudine præmii, et brevitate laboris. Eat ergo homo ad exitus viarum ; nam ibi assumuntur qui jubentur ad nuptias introduci [24]. Fines siquidem et exitus viarum hic recipiet, pro mundanis cœlestia, pro transitoriis æterna, pro temporali labore quietem et gloriam sine fine. Gaudeatis ergo, fratres, et canletis in viis Domini : *Quoniam magna est gloria Domini* [25]. Gaudeatis *exspectantes beatam spem ; et adventum gloriæ magni Dei* [26]. Nam in proximo est ut reddat vobis Dominus mercedem laborum vestrorum ; et qui custodivistis pro Christo vias duras, a Christo recipietis coronas immarcessibiles et æternas. Quas vobis præstare dignetur Christus Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum ! Amen.

SERMO II.

DE EODEM ADVENTU.

Aspiciebam in visione noctis : et ecce in nubibus

---

[2] I Cor. 3. [3] Eccle. 9. [4] Isa. 58. [5] Jer. 6. [6] Matth. 3. [7] Ezech. 18. [8] Prov. 3. [9] Psal. 17. [10] Isa. 35. [11] Jac. 3. [12] I Cor. 21. [13] Matth. 11. [14] Psal. 13. [15] Psal. 34. [16] Psal. 77. [17] Prov. 17. [18] Psal. 24. [19] Hebr. 11. [20] Ibid. [21] Ezech. 41. [22] Psal. 17. [23] Psal. 118. [24] Matth. 22. [25] Psal. 137. [26] Tit. 2.

cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et potestas ejus potestas æterna, et regnum ejus quod non corrumpetur [27].

Daniel Dominici adventus inflammatus desiderio (unde et *Vir desideriorum* ab angelo vocatus est [28]) effudit in se animam suam, ut transiret in locum mysterii admirabilis, et videret sacramentum Incarnationis Dominicæ absconditum a sanctis, sicut Apostolus dicit [29]. Unde et in visione noctis aspiciebat. Est enim visio noctis, est et visio diei, et est visio lucis : visio nocturna ante gratiam, visio diei sub gratia, visio lucis in gloria. Videbant prophetæ et patriarchæ in visione noctis. Unde legitur : *Locutus es in visione sanctis tuis et dixisti : Posui adjutorium*, etc. [30]. De secunda visione quæ in apostolis sub tempore gratiæ facta est, dicit Paulus : *Speculantes gloriam Domini in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam tanquam a Domini Spiritu* [31]. Nunc spiritualiter videmus quasi per speculum in ænigmate, sed cum venerit visio lucis fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei, et tunc videbunt lumen in lumine, et purificatis oculis videbunt lucem, quam non posset mortalis oculus sustinere.

Et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat. Tres sunt nubes : obscuritas in prophetis, profunditas in divinis consiliis, occulta et inaudita fecunditas virginitatis. De nube prophetarum scriptum est : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* [32]. De nube consiliorum Dei legitur : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum* [33]. De nube virginitatis et fecunditatis absconditæ dicit propheta : *Super nubem levem et candidam ingredietur Dominus Ægyptum* [34]. In istis nubibus veniebat *quasi Filius hominis*. Bene dicit, quasi Filius hominis, quia temporaliter, Filius hominis ab æterno erat Filius Dei. Nondum erat Filius hominis ; sed qui in proximo erat Filius hominis futurus, jam quasi Filius hominis censebatur. Si quis verba Danielis diligenter attendat, manifestissime in eis deprehendet Christi incarnationem, in eo quod Filius hominis veniebat, Christi passionem, in eo quod obtulerunt eum ; Christi resurrectionem, in eo quod data sunt ei honor et potestas æterna et incorruptibile regnum ; ejus ascensionem, in eo quod pervenit ad Antiquum dierum : nam regressus ejus ad Patrem. Verumtamen quia cætera sacramenta sua tempora habent, de adventu quem habemus præ manibus aliqua prosequemur. Non solus Daniel, sed etiam omnes alii cum eo prophetæ de Domino clamant unanimiter : *Quoniam venit* [35]. Et quid ergo restat, nisi ut occurramus ei, Apostolo teste ? [36] Iste est qui ingreditur ad salvandas gentes. Occur-
A ramus ergo Salvatori nostro. Salutemus eum de longe, qui mandat salutes Jacob, qui dat salutem regibus. Non enim voluit salutare nos tam de longinquo, sed salvare de proximo. Scio quia veniens benedictionem daturus est legislator, et prosperabitur in his ad quæ missus est, *et omnia quæcunque faciet prosperabuntur* [37]. Eamus ergo, et *præoccupemus faciem ejus in confessione* [38]. Si quis inter fratres infirmus est, levet se super se ; et posteriorum oblitus ad anteriora se extendat, gestiens in occursu Domini venientis : Ita omnes unanimiter occurrentes dicamus : *O Domine, bene prosperare* [39], *intende, prospere procede, et regna* [40]. *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel salvator* [41]. Solent equidem infirmi venire ad medicos,
B egeni ad divites, servi ad dominos : Quid ergo, Domine, Dominator dominantium ? *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum ?* [42] Quid est homo quod magnificas eum : aut quid apponis erga eum cor tuum ?

Movit, fratres, miseria hominis misericordiam Dei. Considerans enim pius et misericors Deus quia inimicus hominem dolose subvertisset, erga hominem cogitavit cogitationes pacis. Nam ab alio impulsus eversus est ut caderet. Quia vero inimicus malitia propria cecidit, inventa est iniquitas ejus ad odium. Movebant Patrem misericordiarum angustiæ hominis incarcerati, suam deplorantis miseriam, et misericordiam implorantis ; dicentis as-
C sidue : *Educ de carcere animam meam* [43], *complaceat tibi, Domine, ut eruas me* [44] ; *quoniam de terra mea furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum* [45]. Nocentem me quidem fateor; sed innocens sum respectu illius cujus fraudulentia me seduxit. Adjuvet me gratia tua, cui nocuit aliena malitia ; misericordia et veritas tua mihi sint in subsidium, quem aliena impietas et mendacium subverterunt. O Domine Christe Jesu, ego qui in carcere isto jam totus computrui, quando videbo faciem tuam ? quando veniens, *o salutare vultus mei et Deus meus?* [46] O Domine Deus salutis meæ : fac citius, quæso, propter quod venis. Veni, Domine, et noli tardare : veni, et *ostende faciem tuam et salvi erimus* [47]. Te enim exspectamus, *esto brachium nostrum in tempore tribulationis* [48], certe tribulatio proxima est,
D et non est qui adjuvet. Verbum Salomonis est : *Mementote quia mors non tardat* [49]. Et quid facimus, fratres ? quare Domino non occurramus gressibus devotionis et humilitatis ? Eamus et salutemus eum, et ad commanendum in nostro hospitio invitemus. Alioquin lamentabitur propheta super civitatibus austri, quæ nullo introeunte clausæ sunt [50]. Talis est qui præ nimia benignitate sua, antequam voce-

[27] Dan. 7. [28] Dan. 9. [29] Ephes. 3. [30] Psal. 88. [31] II Cor. 3. [32] Psal. 17. [33] Isa. 45. [34] Isa. 19. [35] Psal. 95. [36] I Thess. 4. [37] Psal. 1. [38] Psal. 94. [39] Psal. 117. [40] Psal. 44. [41] Psal. 117 ; Matth. 21. [42] Psal. 8. [43] Psal. 141. [44] Psal. 39. [45] Gen. 40. [46] Psal. 41. [47] Psal. 79. [48] Isa. 33. [49] Eccli. 14. [50] Jer. 13.

tur, se offert; bonus est animæ quærenti se, et occurrenti sibi, antequam invitetur hilaris et festinus occurrit. Non ignorabat hoc Isaias qui de tali occurso loquens: *Occurristi*, inquit, *lætanti et facienti justitiam, in viis tuis recordabitur tui* [51]. Sicut autem invitanti sponte se offert, ita invitatus hospitium rogantis intrare sæpe dissimulat. Ideo violentia precum et devotæ humilitatis obsequio est trahendus. Incedens cum duobus discipulis, licet cum eis et ab eis vellet in hospitio recipi, se tamen longius ire finxit [52]. Duo etiam angeli adorante et supplicante Lot ut intrarent domum ejus, dissimulabant, et dicebant: *Nequaquam, sed manebimus in platea* [53]. De discipulis autem legitur: *Et coegerunt eum* [54]; de Lot vero scriptum est, quia angelos oppido coegit intrare [55]. O coactio sancta! o violentia commendabilis quæ Christum et angelos hospites facit!

Si ergo, fratres, ad supplicationem nostram dissimulatione aliqua usus fuerit, quasi velit longius ire nostrumque declinare hospitium, violenter instemus. Nulla enim violentia major potest inferri, quam si eum confessionibus, vigiliis, disciplinis, arcanis jubilationibus, compunctionibus ignitis, gemitibus ei suspiriis invitemus. Hoc modo vincetur, et quidquid dissimulaverit prius, nostris tandem desideriis acquiescet. Noverunt experti qualiter anima contemplantis aut orantis quando in deliciis cujusdam suavitatis et gloriæ quodam beato stupore et cœlestium desiderio tracta suspenditur, omnia hominis interiora Deo venienti assurgunt; et sic, juxta doctrinam Apostoli, rapitur in nubibus obviam Christo, et sic cum Domino est [56]; sed tempore brevi nec hora dimidia: cum enim existimat eum tenere, sicut secreto accessit, ita secreto elabitur. *Spiritus enim ubi vult spirat, et nescis unde veniat aut quo vadat* [57]. Unde Salomon ait: *Quomodo tu ignoras viam spiritus?* [58] Et Job: *Semitam ignoravit avis* [59]. Has ipsius dilationes sponsa in Cantico amoris manifeste declarat, dum Sponso pulsante ad ostium animæ: *Vox* inquit, *dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, quia caput meum plenum rore*, etc. *Surrexi*, inquit, *aperire dilecto meo. At ille declinaverat atque transierat; quæsivi et non inveni illum; vocavi et non respondit mihi* [60]. Et beatus Job: *Si venerit ad me, non videbo eum* [61]. Ideoque cum mulier Chananæa diu vocasset eum, non respondit ei; tandem dedit ei desiderabile et salubre responsum [62]: insinuans quod cum amore et instantia sit vocandus, et in hospitium animæ humili devotione fortiter attrahendus. Sic respondebit. hospes misericors hospiti supplicanti, Chananææ precanti: *Mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut petisti* [63]. Omni ergo cautela, fratres, præparandum est hospitium corporis nostri, ne quid in eo reperiat, quod oculos suæ majestatis offendat. Non sit in eo uxor litigiosa, fumus, aut stillicidium; nam hæc tria hospitem de domo ejiciunt, concupiscentia scilicet carnis, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ. Quare, fratres, dedignaretur divertere ad vos, si devote et humiliter tractus fuerit, qui domum Zachæi non vocatus intravit? Si Zachæus dimidium suorum bonorum dedit pauperibus; si fraudat, quadruplum restituit [64]: certe multos Zachæos hic video, qui non solum quadruplum restituerunt, non solum dimidium bonorum pro Christo, sed omnia bona temporalia reliquerunt. Non dedignabitur cum hominibus habitare, quia Filius hominis est. Ipse ad nos veniat et mansionem apud nos faciat, ut nos de hac mansione educat ad illius æternæ beatitudinis mansionem, in qua est pax quæ non deficit, lux quæ non exstinguitur, et gloria quæ non transit! Quam nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum! Amen.

SERMO III.

DE EODEM ADVENTU.

Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ [65].

Scriptum est, quia *exspectatio justorum lætitia* [66]. Unde et justus divinæ miserationis exspectatione suspensus dicebat: *Et nunc quæ est exspectatio mea, nonne Dominus?* [67] O exspectatio gentium, *omnes qui te exspectant non confundentur* [68]. Te exspectaverunt patres nostri, *in te speraverunt, et non sunt confusi* [69]. Erant inter antiquos, qui increduli prophetarum oraculis, ironica illusione Isaiæ et cæteris prophetis insultando dicebant: *Manda, remanda; manda, remanda: exspecta reexspecta; modicum ibi, modicum ibi* [70]. Sicut talibus idem propheta gravissime comminatur: *Erit*, inquit, *eis ut vadant, et cadant retrorsum, et illaqueentur, et capiantur* [71]. Isti enim et talium consimiles incidunt in tentationes et laqueos diaboli. Laqueos siquidem et pedicas et decipulas habet. *Absconderunt*, inquit, *peccatores laqueum mihi* [72]. Et Job: *Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula ejus super semitam* [73]. De hac captione Salomon ait: *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces homo, et aves laqueo, sic homines capiuntur in tempore malo* [74]. Exspectemus itaque cum fiducia, fratres. Salvatoris adventum. *Certus sum*, inquit, *quia apparebit in fine, et non mentietur. Si moram fecerit: exspectabo eum* [75]. Sed et ille qui mandat salutes Jacob, salutat per Oseam prophetam amicam suam Ecclesiam, quam sibi desponsavit in fide, et consolatur eam:

[51] Isa. 64. [52] Luc. 24. [53] Gen. 19. [54] Luc. 24. [55] Gen. 19. [56] I Thess. 4. [57] Joan. 3. [58] Eccle. 11. [59] Job. 28. [60] Cant. 5. [61] Job. 9. [62] Matth. 15. [63] Ibid. [64] Luc. 19. [65] Philipp. 3. [66] Prov. 10. [67] Psal. 38. [68] Psal. 44. [69] Psal. 21. [70] Isa. 28. [71] Ibid. [72] Psal. 141. [73] Job. 18. [74] Eccle. 9. [75] Hab. 2.

et ut confidat in ea cor viri sui, docet qualiter eum debeat exspectare : *Dies multos*, inquit, *expectabis me, non fornicaberis : et non eris cum amatore alieno*[76]. Ab antiquis diebus dicta sunt hæc, fratres. Unde et Isaias dicit : *Nonne Dominus venit de longinquo?*[77] Nos autem sumus, *in quos fines sæculi devenerunt*[78]. Iideoque in proximo est ut veniat : Sponsus, ut veniat rex noster, legifer noster. Cito enim veniet, et non tardabit. Et nos ergo similes hominibus exspectantibus dominum suum, faciamus quod præcipit, ut non fornicemur, ut non sequamur alios amatores. Fallax amator est mundus ; animabus proditoria deceptione illudit. Hic est Sichem filius Hemor, qui Dinam filiam Jacob raptam et corruptam blanditiis lenit[79]. Misera enim anima abstracta et illecta a concupiscentiis suis, dum mundo et diabolo consentiens fornicatur a Domino, primam fidem irritam facit, atque in passione desideriorum et peremptoria voluptate seipsam Deo abnegat. Dolosos amatores, quia præsentialiter se offerunt, sequitur ; et Dominum gloriæ Christum Jesum sponsum et salvatorem suum, juste, pie et sobrie non exspectat.

Nos itaque, juxta consilium Apostoli, sobrie, et *juste, et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei*[80]. Est pietas hominis ad Dominum, justitia ad proximum, sobrietas ad seipsum. Perniciosus est nobis Adventus Domini, nisi ipsum cum pietate et sobrietate et justitia exspectemus. Tres sunt adventus Domini : primor in carnem secundus ad animam, tertius ad judicium. Primus in media nocte fuit, secundus in mane, tertius in meridie. Ut de primo adventu verba veritatis exangelicæ prosequamur : *Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit*[81]. Mediam noctem fuisse intelligo, cum in medio silentio cursum suum nox ageret. Nox apud Judæos erat, quorum oculos obscuraverat malitia, ne viderent. Sicut et populus gentium, ambulabat in tenebris. Venit Sponsus, et factus est clamor.

Ruptum est silentium noctis. Venit enim qui illuminat abscondita tenebrarum ; abstulit noctem, et fecit diem. *Nox*, inquit Apostolus, *præcessit, dies autem appropinquavit*[82]. Et quid est quod media nocte clamor factus est, nisi quod in medio silentio omnium, dum cursum suum nox ageret, atque omnipotens sermo a regalibus sedibus descendere destinasset, prophetæ cognoscentes adventum Christi, in vocem clamoris et gaudii proruperunt, et medium silentium ruperunt? Magnus siquidem clamor erat, ubi per se clamabant prophetæ singuli, et insimul universi. Clamabat David : *Inclina cælos tuos, et descende*[83]. Et Isaias : *Utinam, Dominus, dirumperes cælos ! Emitte Agnum, Domine,*

A *dominatorem terræ*[84]. Et ad consolationem populi fortius inclamabat : *Sperate in Domino, prope est Justus meus, egressus est Salvator meus, non elongabitur salus mea : et non immorabitur ultra horam*[85]. Et in persona Domini : *Dabo in Sion salutare meum, et in Jerusalem gloriam meam*[86] : Jeremias etiam de lacu miseriæ et de compede clamabat : *Ecce dies veniunt, et suscitabit Dominus David semen justum*[87]. *Novum faciet super terram, mulier circumdabit virum*[88]. Joel etiam in vocem clamoris et exsultationis erumpens : *Filiæ Sion, exsultate*, inquit, *et lætamini, quia dedit vobis Dominus doctorem justitiæ*[89]. Michæas nihilominus cum cordis exsulatione et vocis exaltatione dicebat : *Veniet Dominus, et agressus ejus a diebus æternitatis*[90]. Si vellemus deducere in medium diversas voces, diversa oracula et B orationes prophetarum lamentabili desiderio et devotione clamosas, prius deficerent narrandi tempora quam narrandi materia. Porro unum est necessarium. Si volumus quod Christi adventus sit nobis ad remedium, præparemus nos in ejus adventum. Sicut enim propheta nos in persona Israel docet : *Paratus*, inquit, *esto, Israel, in occursum Domini, quoniam venit*[91]. *Et vos*, fratres, *estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet*[92]. Primus adventus jam præteriit. Christus enim inter homines *visus est, et cum hominibus conversatus est*[93]. Christus venit ut lugem in se pro nobis impleret : et quod, juxta Apostolum, testamentum in morte consummatur[94] : ipse testamentum nostræ redemptionis in cruce voce spiritu et opere consummavit. C In secundo adventu sumus, si tamen tales sumus, ut ad nos venire dignetur ; securi, quod si eum diligimus, ad nos veniet, ac nobiscum moram faciet. Iste adventus nobis incertus est. Quis enim novit quæ in Deo sunt, nisi spiritus Dei? Noverunt qui quandoque in exstasi cælestium desiderio rapiuntur, quando veniat ; nesciunt tamen unde veniat, aut quo vadat, sicut Job dicit : *Si venerit ad me, non videbo eum ; et si abierit, non intelligam eum*[95]. De tertio adventu certissimum est quod veniet ; incertissimum tamen quando veniet. Et quid est certius morte ? nil tamen incertius hora mortis. Sapiens dicit : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus et dolor, sicut in utero habentis, et non effugient*[96]. Nonne ille homini D evangelico adventus Domini terribilis imminebat, cui a Domino dictum est : *Stulte, in hac nocte repetent animam tuam a te : quæ præparasti cujus erunt*[97]? In hac vita de hoc solo securi esse possumus, quod seccuri non sumus. Modo sani sumus, modo infirmamur, modo prospera blandiuntur, modo adversis affligimur, modo sumus, modo non sumus : mors enim nec ætati nec sexui parcit. Quidquid congregamus, dicimus, cogitamus, aut facimus, to-

[76] Ose. 3. [77] Isa. 30. [78] I Cor. x. [79] Gen. 34. [80] Tit. 2. [81] Matth. 25. [82] Rom. 13. [83] Psal. 143. [84] Isa. 16. [85] Isa. 51. [86] Isa. 46. [87] Jer. 23. [88] Jer. 31. [89] Joel. 2. [90] Mich. 5. [91] Amos 4. [92] Luc. 12. [93] Baruch. 3. [94] Hebr. 9. [95] Job. 9. [96] Prov. 29. [97] Luc. 12.

tum ad nihilum deveniet tanquam aqua decurrens.

Qui ergo verus Israel est, præparetur in occursum Domini; *Paratus*, inquit, *esto, Israel, in occursum Domini, quoniam venit* [98]. Paratos nos esse oportet, ut prævenimus potius mortem, quam præveniamur a morte. Ille prudenter se præparat, qui ab iniquitatis contagio se observat. Propheta, qui non poterat se observare a morte saltem observabat se ab iniquitate: *Observabo me*, inquit, *ab iniquitate* [99]. O quam beatus est, qui secure potest dicere: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* [100]. Et illud: *Paratus sum, et non sum conturbatus* [1]. Iste de primo adventu percipit fructum gratiæ, de secundo adventu percepturus fructum salutis et gloriæ. Primus enim accessorius est ad secundum. Secundus præparatorius ad extremum. Primus adventus fuit occultus et humilis; secundus est secretus et amabilis; tertius erit manifestus et terribilis. In primo enim venit ad nos, ut in secundo veniret in nos; in secundo venit in nos, ne in tertio veniret contra nos. In primo adventu fecit misericordiam; in secundo dat gatiam; in tertio dabit gloriam, quia *gratiam et gloriam dabit Dominus* [2]. In primo apparuit contemptibilis, et vilis et fragilis: nam Herodes eum sprevit, Judæus exspuit, gentilis occidit. De secundo Apostolus loquens: *Speculantes*, inquit, *gloriam Domini, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu* [3]. In primo judicatus injuste; in secundo per gratiam nos justificat, juste judicaturus in ultimo. Agnus in primo, leo erit in ultimo, amicus in medio. De primo per Isaiam dicit: *Tacui et non aperui os meum* [4]; de ultimo dicit: *Quasi parturiens loquetur* [5]; de secundo: *Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [6]. Qui primo venit mansuetus et mitis, veniet judex tremendus et terribilis. Qui venit in spiritu humilitatis, veniet in spiritu judicii et spiritu ardoris. Periculosum est, fratres, incedere in manus Dei viventis; nam *sicut fluit cera a facie ignis, sic peribunt peccatores a facie Dei* [7]. *Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non deficiet* [8]. Mors enim eorum non morietur: qui ad hoc solummodo vivent, ut æternaliter crucientur. Justi autem epulabuntur in conspectu Dei; et delectabuntur in multitudine pacis, habentes, testimonio Isaiæ, *coronam pro cinere oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris* [9]. Reddet enim Dominus sanctis mercedem laborum suorum; impios autem damnabit sententia Babylonis. *Quantum*, inquit, *exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormentum et luctum* [10]. De hoc adventu ipse dicit: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua* [11]. Ipse non secundum opera nostra mala quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam salvos nos faciat, Christus Jesus, quem Salvatorem suscepimus, et quem judicem exspectamus: Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

IN FESTO S. ANDREÆ.

Salve, crux pretiosa, suscipe discipulum ejus qui pependit in te, magister meus Christus.

Homo vanitati similis est: ideoque appetit vanitates et insanias falsas. Unde et ex quadam depravatione naturæ in reprobum sensum datus, terrena et cœlestia vilipendit, atque oblectamenta corporis sequens, perditionis æternæ laqueis se involvit. Unde ergo homini infelici et venundato sub peccato, ut possit erigere caput, carnemque reprimere, et fluctibus maris in corde suo graviter æstuantibus imperare?

Non est hoc hominis, sed illius *qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate* [12]. Sane Andreas homo erat similis nobis passibilis. Ipse autem quasi suæ conditionis oblitus summopere prædicabat suavitatem et dulcedinem crucis, Christique devotissimus æmulator, ita in Christo crucem Christi amabat, ut omnium suorum desideriorum et affectuum summam poneret in doloribus et tormentis. Vehementer erat in eo accensus ignis, quem venit Dominus mittere in terram, adeo ut in suppliciis exsultaret, atque tormentum damnatissimæ mortis sibi ad cumulum summæ jucunditatis ascriberet. Mihi quidem misero et infirmo videtur terribile et horrendum in tam horribili furcarum, aut crucis patibulo quærere, aut quæsitas invenire delicias. Quis quærit in tormentis quietem, in morte vitam, sanitatem in morbis, in doloribus voluptatem? Andreas vero præ nimio ardore fidei et amoris crucem salutat, et dicit: *Securus et gaudens venio ad te* [12*]. Andreas præcipuam reputat voluptatem, si dimittatur in patibulo, donec in eo consummetur; et quod omnem fortitudinem facultatis humanæ transcendit, quasi jam a corpore peregrinans cruciatum in cruce non sentit. Sic enim Christum diligit, sic ejus affectat consortium, ut longum ei videatur quod non acceleratur patibulum, quod jam non pendet, quod mors non ingeritur, quod protrahitur vita, quod pœna differtur. Ejus itaque passioni jam potius nos congaudere quam compati decet. Quare enim ei patienti non congaudeamus, qui convertit in gaudium passionem? O lignum benedictum! o lignum fructiferum! o arbor pretiosissima, quæ de pretio mundi quod in te tulisti, adhuc etiam in morte germinas pacatissimum fructum vitæ, oleum lætitiæ fundis, et eos qui lignum vitæ apprehendunt facis inter crudelissimæ mortis angustias degustare primitias suavitatis æternæ!

Crux quæ olim instrumentum damnationis exquisitæ et vilissimæ mortis exstiterat, hodie amatori-

[98] Amos 4. [99] Psal. 17. [100] Psal. 107. [1] Psal. 118. [2] Psal. 85. [3] II Cor. 3. [4] Isai. 42. [5] Ibid. [6] Joan. 14. [7] Psal. 67. [8] Isai. 66. [9] Isai. 61. [10] Apoc. 18. [11] Apoc. 22. [12] Philipp. 2. [12*] In Vit. ap. Boll.

bus suis pro morte vitam, pro timore securitatem, pro confusione gloriam recompensat. Vere *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* [13]; nam cum sapientia humana non invenisset in cruce, nisi amaritudinem mortis, turpitudinem et horrorem, Petrus et Andreas manna absconditum in cruce compererunt, et thesaurum summæ voluptatis invenerunt. Ipse primogenitus mortuorum Christus Jesus istarum crucis deliciarum non immemor, jam passus, jam sepultus, jam glorificatus, occurrens Petro vadit Romam iterum crucifigi. Nonne sufficiebat semel satiatum esse opprobrium crucis, nisi adhuc esuriret et esuriendo appeteret crucem suis nobilioribus membris? Non miror, si Christus crucem dilexerit, in qua exaltatus omnia ad se traxit [13*], ad se dico, ad diligendum, ad imitandum, ad communicandum. Per hanc illi homini data est omnis potestas in cœlo et in terra [14]. Per hanc datum est ei nomen quod est supra omne nomen [15]. Per hanc *factus est principatus ejus super humerum ejus* [16]. Sed unde hoc Andreæ, viro infirmo et fragili, quod ita gloriatur in cruce, quod sic in tormentis exsultat, et præ gaudio se non capit? Certe Elias ad comminationem unius mulierculæ animo consternatus projicit se subter umbram juniperi, et petit animæ suæ ut moriatur. *Sufficit*, inquit, *mihi, tolle animam meam* [17]. Paulus apostolus inter tentationum augustias coarctatus clamare compellitur, suumque dolorem clamore testatur: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* [18] Ille Job, cujus tolerantia adeo solemniter prædicatur, suam infirmitatem suumque defectum considerans: *Quæ est*, inquit, *fortitudo mea ut sustineam? Non est fortitudo lapidum fortitudo mea; nec caro mea ænea est* [18*]. Jonas etiam a facie Domini fugiens, et arefactionne hederæ conturbatus: *Irascor*, inquit, *ad mortem* [19]. Quid mirum de Jona? Ipse etiam Christus timuit. *Ecce plus quam Jonas hic* [20], id est Christus qui cœpit tædere et turbari usque ad mortem. Christus dicit: *Anima mea turbata est* [21]; et: *Pater, si fieri possit, transeat a me calix iste* [22]. Andreas clamat: *Salve, crux speciosa! securus et gaudens ad te venio, suscipe discipulum ejus qui pependit in te magister meus Christus* [22*]. Nunquid magistro major est discipulus, aut domino servus?

Attendite, fratres ineffabilem in inæstimabilem abundantiam suavitatis, et exuberantiam charitatis in Christo. Compatitur medicus et confirmatur infirmo, infirmatur gallina cum pullis, ut plenum fieret holocaustum, ut opus misericordiæ consummatæ impleretur in Christo; sicut patiebatur pro nobis in carne, sic animæ passiones voluit sustinere. Mihi trepidat, mihi turbatur, mihi tædet, mihi toti patitur, et toti compatitur. Ideoque compatiendo

A patitur ut trepidatio ejus mihi vertatur in fortitudinem, tristitia in lætitiam, tædium in alacritatem, desolatio in consolationem, turbatio in quietem. Patitur servus sibi providens. Domino suo serviens. Patitur Dominus se exinaniens, et servo compatiens: *Suscipe*, inquit, *discipulum ejus qui pependit in te* [23]. Ardentissime affectat Andreas ascendere crucem, ut inde mundum et principem mundi despiciat, ut inde quasi de eminentissima turre jacula inimici securus excipiat. Quid est enim crux, nisi specula Sion, turris David, *turris fortudinis a facie inimici* [23*], unde tanquam de alto et eminenti loco omnis inimici malitia confundatur? *Altissimum posuisti, Domine, refugium, tuum* [24]. Qui ascendit in speculam crucis, *nil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei* [24*]. *Cornu crucis*, inquit propheta, *in manibus ejus* [25]: cujus, *ejus?* nisi Christi, qui cornibus crucis ventilans inimicum, et debellans aerias potestates dicebat: *Ego vici mundum* [26]. Non amisit crux suæ potestatis officium vel effectum. Adhuc exaltat cornua justi, et confringit cornua peccatorum. Si cruxifixum diligitis, fratres, diligite crucem Christi, cui vos clavis humilitatis et obedientiæ affixistis. Tria crucem amabilem faciunt: timor, spes, charitas. Timor incipit, spes provehit, charitas perficit; nam *plenitudo legis est charitas* [27]. Qui incipit in timore, crucem Christi sustinet patienter. Qui proficit in spe, portat eam libenter, Qui consummatur in charitate, eam amplectitur ardenter. Iste cum beato Andrea dicere potest: *Amator tuus semper fui. et desideravi amplecti te, o bona crux!* [27*].

Crux in qua tantam dulcedinem beatus Andreas invenit, quibusdam perditis amara et onerosa est. Eam enim in angariam portant miserabiliores omnibus hominibus, quia de præsenti cruce ad æternos trantituri sunt cruciatus: quam infatuati sunt, et in reprobum sensum dati non percipiunt dulcedinem ligni vitæ, *Animalis* enim *homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; nam stultitia est ei, et non potest intelligere.* [28]. Porro si quis hoc lignum in corde suo, tanquam fasciculum myrrhæ humiliter ac devote collegerit, habebit fructum refectionis, balsamum suavitatis, oleum unctionis. Duo ligna crucem faciunt. Ex quo vidua duo hæc ligna collegit, apud illam et suos, nec oleum, nec farina delecit [29]. Hæc sunt illa duo ligna, quibus sub Moyse aquæ amaræ [30], sub Eliezer [31] aquæ salsæ dulcoratæ sunt. Et quid salsius, quid amarius lacrymis Christi in suscitatione Lazari, in futura subversione Jerusalem? quid amarius aqua illa quæ de Crucifixi latere emanavit? Ut minus sapiens dixi, judicans ibi esse amaritudinem, ubi amoris summa et gratiæ dulcedo, et incomprehensibilis benevolentiæ plenitudo consistit. Quid enim dulcius aut amabilius

[13] I Cor. 1. [13*] Joan. 12. [14] Matth. 28. [15] Philipp. 2. [16] Isa. 9. [17] III Reg. 19. [18] Rom. 7. [18*] Job. 6. [19] Jonas 4. [20] Luc. 11. [21] Joan. 12. [22] Matth. 26. [22*] In Vita ap. Boll. [23] Ibid. [23*] Psal. 60. [24] Psal. 90. [24*] Psal. 88. [25] Habac. 3. [26] Joan. 16. [27] Rom. 13. [27*] In Vit. ap. Boll. [28] I Cor. 2. [29] III Reg. 17. [30] Exod. 15. [31] *f.* Eliseo. IV Reg. 2.

et in terram ibis [48]: amodo audiat : Cœlum es, et in cœlum ibis. O admirabile commercium ! accepit humanitatem ut conferret deitatem ; accepit miseriam, ut daret gloriam. *Apparuit* ergo *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* [49] ; apparuit nobis humanitas, quia non eramus digni ut appareret nobis divinitas. Et qui cum Patre idem erat per ineffabilem unitatem, unum cum homine factus est per incogitabilem unitatem.

Ut ergo homo assumeretur in Deum, suscepit hominem susceptor noster Deus Jacob, quia *Domini est assumptio nostra, et sancti Israel Regis nostri* [50]. Sic de nostra miseria remedium nostræ miseriæ cogitavit. Nam sicut quodam artificio charitatis cœlestis divitias et indigentias nostras, ita beatitudinem suam et nostram miseriam temperavit in se Deus et homo simul in unum dives et pauper ; ut, operante ineffabili sacramento dispensationis, beatitudo miseriam absorbeat, vita mortem deglutiat, et totus homo beneficio resurrectionis in gloriam vitæ cœlestis assurgat. Ille qui dixit : *Cœlum et terram ego impleo* [51], in utero virginali totus, in panniculis totus clauditur in præsepio. Erat lux vera, ideoque ut illuminet tenebras nostras, in nocte nascitur et in miseriis, ut sit nativitatis suæ illuminatio in deliciis nostris. De nocte nascitur custos Israel, Samaritanus noster, qui interpretatur *custos;* cui propheta olim clamaverat : *Custos, quia de nocte ? custos, quid de nocte* [52] *?* Et attende diligenter quod altissimus Altissimi Filius, qui tempora habet in sua potestate, tempus suæ nativitati elegit, quod molestius esse poterat parvulo tenero et filio pauperis mulieris, quæ vix haberet panniculos unde puer posset involvi.

Sed ipse est parvulus, ille de quo Isaias prædixerat quia reprobaret malum, eligeret bonum [53] ; confundens in hoc mundi judicium et prudentiam carnis quæ inimica est Deo. Ipsa est quæ dicit malum bonum et bonum malum, amplectens voluptates hujus sæculi, et in eis reputans summum bonum. Porro parvulus noster ab ipso suæ nativitatis exordio in frigore et nuditate, in diversorio, in præsepio, vitæ asperitatem, vilitatem et abjectionem omnemque formam humilitatis et religionis primitiare et consecrare dignatus est in seipso. Ille qui est terribilis apud reges terræ, invisibilis et inaccessibilis, et in splendoribus sanctorum amictus lumine sicut vestimento, Dei virtus et Dei sapientia. Ideo parvulus nascitur ut nos magnificet. Ideo in diversorio ut sciamus nos esse peregrinos et hospites super terram. Ideo in præsepio reclinatur, ut ejus exemplo novissimum locum eligere doceamur. Ideo lacte pascitur, et pannis involvitur, ut habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Pauper et pannosus esse voluit,

A ut pauperes et pannosos reciperet in participium et hæreditatem gloriæ sui regni. Audite, cœli, et auribus percipe, terra, quantum magnificaverit Dominus misericordiam suam nobiscum, omnipotens sermo pro nobis a regalibus sedibus descendit in stabulum *Verbum* quod erat spiritus, *factum est caro,* [54], Verbum quod erat invisibile factum est visibile et tractabile. Unde et quidam dicere potuerunt : *Et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ* [55]. Factum est gustabile et odorabile et audibile, ut sicut mors infecerat et corruperat omnes sensus in nobis ita Christus vita nostra omnes sensus nostros reformaret, factus omnia in nobis. Pannis involvitur, nec sicut vetus Adam novus Adam pellibus operitur. Video Jesum sacerdotem magnum sordidis ve-

B stibus vestitum, sicut Zacharias prædixerat [56]. Unde angelus ad pastores loquens, dedit in pannis significationem. *Et hoc*, inquit, *vobis signum : Invenietis puerum pannis involutum* [57]. Panni tui, Jesu, a tempore infantiæ positi sunt in signum ; sed in signum cui contradicebant, et assidue contradicitur. Cum Petrus apostolus dicat : *Non in veste pretiosa* [58]. Cum Elias et Joannes de vestium asperitate laudentur, et testimonio illius qui jacet in præsepio, *hi qui in domibus regum sunt mollibus vestiuntur* [59], tamen adhuc a plerisque vestimenta mollia et delicata quæruntur. Nunquid in solis vestibus contradicimus Christo ? Sane ex aliis pluribus causis *positus est in ruinam et resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur* [60]. Nonne contradici-

C mus ei fere in omnibus ? Appetebat enim humilitatem, nos sublimitatem ; appetebat miseriam, nos gloriam. Cibus ejus erat facere voluntatem Patris sui, cibus noster est facere desideria carnis nostræ, per omnia Patri erat obediens, quidam jugum obedientiæ detrectantes singulis fere horis rumpunt vinculum sui voti, regulam claustri, legem silentii. Silebat puer Jesu, silebat sermo omnipotens, Verbum Altissimi, et poterat dicere : *Non est sermo in lingua mea* [61]. Ideoque silebat, ut virtutem silentii commendaret in nobis. Quidam sæpe in unum convenientes et rumpentes silentium, cum de lege Dei et salutis suæ negotio loqui deberent, narrant fabulas et figmenta rumorum. *Narraverunt iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* [62]. Sciant quia sine salutis dispendio diu loqui non possunt ; nam *in multiloquio*

D *non deerit peccatum*, teste Scriptura [63]. *In manu linguæ est vita et mors* [64]. Evolat verbum leve, improvidum et incautum. Illud tamen tam leve verbum facit te homicidam, dum vulneratam in fratre tuo perimit charitatem. Gravissime læsus et frater tuus, et tu propter vilitatem et levitatem verbi forte non reputas. Et quid est vilius musca morienti ? illa tamen unguentum suavitatis exterminat [65]. Vide

---

[48] Gen. 3. [49] Tit. 3. [50] Psal. 88. [51] Jer. 23. [52] Isa. 21. [53] Isa. 7. [54] Joan. 1. [55] I Joan. 1. [56] Zachar. 3. [57] Luc. 2. [58] I Tim. 2. [59] Matth. 11. [60] Luc. 2. [61] Psal. 138. [62] Psal. 118. [63] Prov. 10. [64] Prov. 18. [65] Eccl. 10.

quomodo te invitat obedientiæ humilitatem, qui cum esset Filius Dei fabro et feminæ obediens erat.

Et erat, inquit evangelista, *subditus illis*[66]. Attende diligenter universa, quæ in Christi charitate concurrunt; et nisi pertinaciter volueris contradicere, videbis in omnibus signum et formam obedientiæ, exemplum humilitatis, legem vitæ et disciplinæ, Apostolus dicit de Christo, quia *factus est nobis a Deo justitia, et sanctificatio* et redemptio[67]. Et jam flores justitiæ et sanctificationis apparent in eo; jam completur in Christo quod de apostolis suis erat quandoque dicturus: *Ego pro eis sanctificavi meipsum*[68], Procul dubio jam effloruit super ipsum sanctificatio nostra, quia nobis regulam sanctitatis ubique præscribit Salvatoris infantia. Diligamus hunc, fratres, qui natus et datus est nobis, a quo *omnes datum optimum, et omne donum perfectum est*[69]. Ipse est dilectus et unigenitus Patris, de quo dicit: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*[70]. Et ipse de Patre dicit: *Ego quæ placita sunt ei facio semper*[71]. Quicunque hunc non dilexerit, melius esset ei si natus non fuisse homo ille, maxime cum Apostolus dicat: *Qui non diligit Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha*[72]. Diligamus eum qui dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo, qui in sua dilectione et benedictione prævenit nos Jesus Christus. Cui sit benedictio in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

IN EADEM NATIVITATE DOMINI.

In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo[73].

A diebus æternitatis latuerat et absconditum fuerat verbum Patris, sicut scriptum est: *Posuit tenebras latibulum suum*[74]. Et alius propheta dicit: *Vere Deus absconditus tu es, Rex Israel salvator*[75]. Et illud alterius prophetæ: *Brachium Domini cui revelatum est*[76]? Venit enim de monte condenso et umbroso. Nam sacramentum hoc, sicut Apostolus dicit, non est agnitum aliis generationibus[77]. Ideo antiquis patribus videbatur quia nimis esse Christus elongatus ab eis. Unde cum Isaias de Verbi incarnatione loqueretur: *Verbum*, inquit, *veniet de longinquo*[78]. Et hoc est quod in Numeris legitur: *Auditor sermonum meorum, videbo eum, sed non modo; intuebor eum, sed non prope*[79]. Concluserat Dominus omnia sub peccato, ut omnium misereretur[80]. Omnes peccaverant, et egebant gratia Dei[81]. Ideoque erat Dominus elongatus ab eis, quia *longe a peccatoribus salus*[82]. Sed egressus est verus Isaac noster, ut meditaretur in agro, sicut ipse dicit: *Exivi a*

A *Patre, et veni in mundum*[83], ex utero Patris ante Luciferum genitus venit in uterum Virginis matris: *A summo* equidem *cœlo egressio ejus*[84]. Et testimonio Michææ prophetæ: *Egressio ejus ab initio a diebus æternitatis*[85].

De illius egressu et regressu evangelista testimonium ferens: A *Deo*, inquit, *venit, et ad Deum vadit*[86]. Egreditur Isaac in agrum ut meditetur[87]. Quis est iste ager, nisi uterus Virginis qui producit germen Domini in magnificentia et gloria? Hic est ager cui benedixit Dominus, et de quo scriptum est *Pulchritudo agri mecum est*[88]. Et quid cogitat Dominus? *Cogitavi*, inquit, *cogitationes pacis*[89]: hic est verus Joseph, qui mittitur a patre ut videat fratres suos et pecora. Nonne missus est qui dicit: B *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me? ad evangelizandum pauperibus misit me*[90]. Ipse est qui dicit: *Dominus misit me et Spiritus ejus*[91]. Missus est Joseph ad fratres suos. Fratres Christi omnes sunt qui Christi fidem recipiunt. *Quotquot enim*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*[92]. Si filii Dei sunt, ergo et fratres Christi; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, hunc fratrem dedit nobis benedicta Virgo. De hoc fratre dicit Salomon: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ*[93]? Non solum fratres, sed et pecora visitat Joseph noster, homines enim et jumenta salvabit Dominus. Ipse est qui dicit: *Ego visitabo oves meas,* C *sicut pastor visitat gregem suum*[94]. Videte, fratres, rotam in rota, alam in ala. Attendite quod mutuis vultibus duo cherubin sese respiciunt. Pastores erant ad quos figurativus Joseph mittebatur; et hodie noster verus Joseph, noster Jesus pastoribus revelatur. Jesus dico, non Joseph; Salvator, non somniator; Dominator cœli, non Ægypti. Ex quo semel nominatus est Jesus, non curo audire Joseph: et in fastidium mihi veniunt omnia nomina vetustatis. Dulcissime sapit nomen Jesu, nomen novum, nomen illius qui dicit: *Ecce nova facio omnia*[95]. Illud nomem necessitatis est, quod Rachel imposuit; hoc est nomen novum, quod os Domini nominavit. Supervenerunt nova, et ideo vetera transierunt. *Vetustissima veterum*, dicit Dominus per Moysen, *comedetis, et supervenientibus novis, vetera projicietis*[96]. D

Et quæ sunt vetera, quæ vetustissima, vel quæ nova? Tu, Domine, doce nos, qui doces hominem scientiam; tu cognovisti omnia novissima et antiqua. Vetustissima credo esse, quod in principio erat Verbum, quod Christus genitus est a Patre, quod Patri coæqualis, coæternus et consubstantialis. Vetustissima etiam sunt quæ erant ante legem,

---

[66] Luc. 2. [67] I Cor. 1. [68] Joan. 17. [69] Jac. 1. [70] Matth. 17. [71] Joan. 8. [72] I Cor. 16. [73] Psal. 13. [74] Psal. 17. [75] Isa. 43. [76] Isa. 53. [77] Ephes. 3. [78] Isa. 30. [79] Num. 24. [80] Rom. 11. [81] Rom. 3. [82] Psal. 118. [83] Joan. 16. [84] Psal. 18. [85] Mich. 5. [86] Joan. 13. [87] Gen. 24. [88] Psal. 49. [89] Jer. 29. [90] Isa. 61; Luc. 4. [91] Isa. 48. [92] Joan. 1. [93] Cant. 8. [94] Ezech. 34. [95] Apoc. 21. [96] Levit. 26.

blatio panis et vini facta a Melchisedech. sunt ritus sacrificiorum, cæremoniarum antiæ, et oracula prophetarum. Nova sunt ıominem in unitate personæ sibi Deus univit, nulier in utero suo virum circumdedit, quod concepit et peperit. *Novum*, dicit Jeremias, *Dominus super terram : Mulier circumdabit* [97]. Projiciantur ergo vetera, quia nova su-erunt ; cesset figura, quia veritas venit ; ces-omissa, quia facta est solutio promissorum. *runt* veteres *in solitudine*, in invio et *in-* [98] · sed, testimonio Isaiæ, *vetus error abiit*[99]. ı et error simul esse non possunt. Abiit ergo quia *veritas de terra orta est* [100]. Quia *vetera erunt* Apostolus testatur : *Si qua*, inquit, *inno-n Christo facta creatura est*, *vetera transie-t ecce facta sunt ei omnia nova*[1]. Comeda-etustissima, ut qui adoramus parvulum in cu-ı, eumdem credamus, et adoremus Patrem num et coæqualem, universitatis Creatorem et um majestatis. Comedamus panes Melchise-nam ipsi sunt vetustissimi, et ideo suavissimi ; iciamus panes propositionis, qui sunt veteres, pervenit panis novus qui de cœlo descendit. anem mulier evangelica de tribus saccis fari-nmiscuit[2]. Beatissima enim Virgo tres subs-, divinitatem scilicet, carnem et animam, unit s s hominis persona concepit. Hæc est tunica polymita, quæ naturarum admirabili varie-æfulgens talaris est, quia *attingit a fine usque m, fortiter et suaviter omnia* disponens[3]. ste quem Virgo confecit, in clibano crucis us est, et in resurrectione divisus. *Sapientia bscondita, et thesaurus invisus*, et pannis non aut fractus, *quæ utilitas in his tribus*[4] ? Sed est panis, apertus est liber, conscissus est et spiritus Christi descendens ad infeıos m inter mortuos liber eduxit *vinctos de domo is, sedentes in tenebris* et umbra mortis[5]. ero moriens mortem perimit, et vita homi-ım ea resurgit, regenerata in spem vitæ per ıctionem Jesu Christi ex mortuis. Sic itaque noster quotidianus et supersubstantialis ex saccis farinæ compactus est in conceptione, in passione, fractus in resurrectione. Hic nis subcinericius, qui subvertit castra Ma-Benedictus Deus in donis suis, qui animam ı et animam esurientem satiat bonis, panem ıem dedit nobis Dominus. Nam Filius Dei actus est, Et *Verbum caro factum est*[7]. Ha-panem et carnem : panem, quem dat mun-ırnem, quam qui comederit, testimonio Veri-ıabet vitam æternam [8]. ır edant pauperes et lætentur, et qui in su-

A lore vultus sui comedebant panem doloris, jam comedant panem vitæ et jucunditatis. Legitur quod tempore legis corvus afferebat Eliæ panes in mane, et carnes in vespere [9]. Moyses etiam dicit : *Mane comeditis panes, et vespere carnibus saturabimini*[10]. Hæc equidem ciborum dispensatio minus congrua videtur, et vere corvina est, nisi edantur carnes sine panibus, et panes sine carnibus. Si quid ad nos de panibus et carnibus illis est, projiciatur. Sunt enim veteres observantiæ, et jam fetent. Si sale nostro fuissent conditæ, nunquam forsitan putruissent. Nunc autem sunt quædam rancidæ, quædam fetidæ. Panes etiam duri et mucidi, ita quod possent frangere dentem masticantis. Nonne mucidus et durus panis ille : Oculum pro oculo, B dentem pro dente ? Nos autem carnes Agni novelli comedamus ; carnes Agni immaculati, cujus sanguis liberat Israel de Ægypto, qui prædictus est in lege et prophetis, qui, testimonio Joannis, tollit peccata mundi [11]. Hic est cujus adventum desiderans Isaias : *Emitte*, inquit, Deus Pater, *Agnum dominatorem terræ de petra deserti* [12]. Desertum est gentilitas, quæ in suo errore obduraverat, et ideo petra deserti. Sed convertit Dominus desertum in delicias, et solitudinem in hortum Domini, quia de petra deserti emissus est Agnus dominator terræ. Vos, qui estis excisi de petra, vultis videre petram deserti ? videte Ruth Moabitidem. Booz siquidem Judæus genuit Obeth ex Ruth gentili, patrem Jesse patris David. Christus autem filius David secundum C carnem. Christus ergo, qui veniebat quærere quod perierat, de fidelibus et infidelibus, de justis et peccatoribus nasci voluit. Nam et ille agnus qui immolabatur in lege, juxta editionem Septuaginta, de ovibus et capris assumebatur. Sed revertamur ad puerum, quem dimisimus in cunabulis vagientem ; eamus et videamus cum pastoribus illus festnantibus hoc verbum quod factum est, quod Dominus fecit et ostendit nobis [13]. O infelices divites hujus mundi, quoniam habetis hic consolationem vestram, ut in futuro sit vobis stridor dentium et fletus, recepturi pro deliciis tormenta et luctum !

Ea hora qua Christus nascebatur, erant multi divites dormientes, multi etiam lascivientes in delicatis et mollibus stratis. Sed qui in labore hominum non sunt, non merentur de angelica visita-D tione solatium. Erant fortasse aliqui vigilantes, et solliciti circa sapientiam hujus mundi. Sed Christus, qui mundanam sapientiam infatuavit, et per stultitiam prædicationis salvos facere voluit credentes [14], aspectum angelorum, et canticum gloriæ et laudis ; atque multiplicem suæ nativitatis gloriam non sapientibus, nec philosophis, sed pastoribus, hominibus rusticanis, simplicibus et humilibus revela-

---

ır. 31. [98] Psal. 106. [99] Isa. 26. [100] Psal. 84. [1] II. Cor. 5. [2] Matth. 13. [3] Sap. 8. [4] Eccli. 20. ,2. [5] Judic. 7. [7] Joan. 1. [8] Joan. 6. [9] III Reg. 17. [10] Exod. 16. [11] Joan. 1. [12] Isa. 16. 2. [14] I Cor. 1.

vit. *Confiteor tibi, Pater cœli et terræ ; quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* [15]. Fratres, etsi non sitis pastores, illum parvulum tamen nostrum, quem multi reges et prophetæ desideraverunt videre, hodie videbitis in præsepio altaris positum, non in forma gloriæ, sed in paniculis involutum. Sicut autem tempore suæ nativitatis erat illo operimento vera, sed abscondita fortitudo ejus ; ita adhuc abscondita est in sacramento majestas ipsius. Erit autem quando apparebit non jam pannis opertus, sed amictus lumine sicut vestimento, sicut Unigenitus a Patre, sicut rex in decore suo habens tabernaculum suum in sole, in splendoribus sanctorum, in lumine quod non deficit, in gloria quæ non transit. Quam nobis præstare dignetur Parvulus noster qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

IN DIE CIRCUMCISIONIS.

Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo [16].

Satis abbreviatum fuerat Verbum Domini super terram, minoratum paulo minus ab angelis. Adhuc tamen hodie de illa parvitate lex circumcisionis imminuit. Absciditur de carne, quam acceperat Christus in forma hominis, ut sit in eo quasi signum latronis, et cauterium transgressoris. Quid est enim pedis, vel auris, vel alterius membri abscisio, nisi manifestum indicium quod quis deprehensus fuerit in delicto ? O bone Jesu ! o sapientia Dei ! o justitia et sanctificatio nostra ! Nonne tu es in quo non est inventus dolus, nec inventa est in corde tuo iniquitas, nec inventum est in ore tuo mendacium ? Nonne tu es verus Deus de vero Deo Patre ! Nonne tu es innocens, impollutus ex impolluta ex Virgine matre ? Et tu, quid facis, benedictissima inter mulieres, quæ conscia es virginitatis tuæ et illius innocentiæ ? Quid facis, Joseph qui per angelum cognovisti quia de Spiritu sancto est quod concepit Maria ? Non oportet Christum, qui sine peccato est, signari cauterio peccatorum. Ipse est enim, quem Pater signavit, et misit in mundum. Putatis, quæso, vos, Maria et Joseph quod per hoc signum fiat manifestior Patri suo ? imo certe, si posset Pater oblivisci Filii sui, aut illum ignorare, qui est ejus sapientia, aut si quid dubitationis posset in eum cadere, inspectione hujus signi quod solis peccatoribus convenit, posset Pater de Filio dubitare. Vos, quæso, qui puerum vultis circumcidere, cessate a talibus : nil, quæso, abscidatur de carne illa, quæ tota debetur in usum nostræ redemptionis, quæ tota servanda est in plenitudine holocausti. Nam, etsi lex Moysi dicat : *Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*, sententia quæ contra

A peccatum lata est, non facit cum sibi ol n
qui immunis est a peccato. Quod non coi
peccatum probat Patris divinitas, attestatur
integritas, quod peccatum non fecerit ipsa æ
divina natura confirmat. Sicut mihi videtur,
propere et præmature, o Judææ, festinas. Sci
es, enim : *Non coques hædum in lacte matris* [17].
Tu vero hædum adhuc lactentem, qui futur
hircus emissarius, doloris igne circumcid nd
coquis. Quod enim circumcidendo jam c
Quod enim circumcidendo dolorem ingerat p
Emor et Sichem filius ejus et populus civi
quos, tertio die, quando vulnerum dolor solet
gravissimus, Levi et Simeon occiderunt [18]. Do
quid est homo quod reputas eum, aut quid
B nis erga eum cor tuum, ut pro homine iniq
et tanta sustineas ? O quanta erat plaga iniq
nostræ pro qua te oportuit tanta pati. Nonne
ras carnem tuam integram conservare, et
cumcisione illæsum, qui uterum matris tuæ c
vasti illæsum et integrum ; et postquam mortu
ras, corpus tuum conservasti penitus incorrup

Porro duo notanda sunt in hoc opere, fr
quod sicut Dominus majestatis viro et feminæ
dienter et humiliter se subjecit, ita Dominus
qui venerat legem implere, non solvere, se leg
jicere non abhorruit. Circumciditur ergo ut
sit forma humilitatis. Circumciditur etiam,
per triginta annos operatus erat salutem in
terræ, jam ab ipsis cunabulis negotium nostr
C lutis incipiat ab uberibus matris suæ, deg
primitias passionis. Ideo multipliciter sang
suum fudit et in infantia et in senectute pro
qui matutino sacrificio decreverat superadder
spertinum, ut qui de sanguinibus nati era
innocentiæ stolam peccato polluerant, lavaren
lam suam in sanguine Agni. Circumciditur er
put Ecclesiæ Christus Jesus, non pro se, se
membris. Sic enim frequenter nobis evenit,
membro patienti per alterum medeamur.
latera, et de brachio sanguis extrahitur.
oculi, atque humeri stupa et incisione torqu
Sic ergo pro tutius corporis nostri corruptela
nostrum hodie cauteriatum est, nec dedignat
num accipere Circumcisionis, qui positus est
gnum contradictionis [19], in signum ad sagittar
D sicut pro nobis voluit circumcidi, sic pro
decrevit flagellari, crucifigi et mori. Hodie
factus est sub lege qui legem fecit. *Misit
Deus*, dicit Apostolus, *Filium suum in mu
natum ex muliere, factum sub lege* [21]. Lig
suscepit qui vulnus non habuit ; nec est opus sa
dicina, sed male habentibus. Tu vero, Domine,
justis venisti implere omnem justitiam : plena
est se subjicere minori. Hanc imples ; qui cun

[15] Matth. 11. [16] Gen. 17. [17] Exod. 23. [18] Gen. 34. [19] Luc. 2. [20] Thren. 3. [21] Gal. 4.

ierum, legis observantiæ te subjicis, ut cum triginta annorum, ad baptismum veniens, servi inibus te supponis. Sufficiunt ea nobis, Do- quæ dignatus es sustinere pro nobis, mutata empora; mutentur, quæso, pro tempore sacra- . Olim misisti Abraham, postea Moysen cum io circumcisionis, ut oves tuas et cauteriando rent, et signando curarent. Verumtamen, quia Domine, suavis et mittis, aufer, obsecro, durum delem istum et lapideum cultrum circumcisio- Populo enim duræ cervicis et lapideo, cul- lap deus et duritia legis merito apposita est; vero quibus carneum cor dare pollicitus es, ie aquam regenarationis. Nonne tibi durum ır, quod in infantulo recenter nato et tenero exerceatur inhumanitas, ut cum venerit in ı plorationis et doloris, dolor super dolorem atur? Aufer, aufer, quæso, cultellum, et alium tionis adhibe modum. Quare cum cultello r, vel absciditur putredo vulneris originalis, er aquam baptismalem melius et suavius pos- ıi et gratiæ unctione sanari? Domine, non circumcisio, sed et sermo tuus sanctificat ad ationem. De sermone tuo tu ipse testimonium es dicens : *Et vos*, inquit, *mundi estis propter nem quem locutus sum vobis* [..]. De baptismo postolus tuus Paulus : *Abstersit Deus corda a conscientia mala, et abluit corpora aqua* a [..]. Fratres, non fraudavit nos Dominus a de- c rdis nostri; et qui prius per servum suum perat, dicens : *Omnis anima cujus præputii ircumcisa non fuerit peribit de populo*, post- n per se dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua ritu sancto, non habebit partem in regno cœlo-* [..]. Ipse tamen tanquam utriusque legis in se ıenta suscepit; et utraque unum faciens, utrum- ırietem in se lapide angulari conjunxit. Ipse que dedit benedictionem legislator, legem non s, sed adimplens; et in utraque lege nobis itatem benedictionis acquirens. Cuit, sit bene- et claritas et gratiarum actio in sæcula sæcu- Amen.

SERMO VIII.

IN EADEM CIRCUMCISIONE.

ocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum angelo priusquam in utero conciperetur [..]. ıendum est de nomine isto, quia cum cætera ab hominibus imponantur ad placitum, hoc men quod os Domini nominavit [..]. Non est ıomen sub cœlo in quo oporteat nos salvari [7]. t qui voluerit characteres, nomina barbara, ı etiam, quæ sicut plerique asserunt, nominare et. Nomen tuum, Jesu, semper sit in corde meo, in memoria et in lingua : quod non

A minus est utilitate quam auctoritate. Loquitur Gabried ad Mariam : *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum* [..]. Ad Joseph etiam dicit : *Et vocabis nomen ejus Jesum*; atque subjungens causam et affectum nominis, dicit : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* [..]. Pastoribus etiam loquens : *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est hodie Salvator qui est Christus Dominus* [..]. Magnæ fiduciæ, materia est nomen Jesu, nomen tam desiderabile, tam amabile, tam dulce, tam salubre. Si diceretur : *Deus venit*, nomen hoc terribile est apud reges terræ : conscius iniquitatis et malitiæ meæ, ad terrorem hujus nominis fugerem a facie ejus, sicut fugiebat Adam et non effugiebat. Ille qui respicit terram et facit eam tremere, qui tangit montes et B fumigabunt, qui aufert spiritum principum, qui terribilis est apud reges terræ, mihi et consimilibus quos accusat conscientia, quos iniquitas gravat, importabilis et intolerabilis videretur, nisi terrorem suæ majestatis non solum in forma hominis, sed in salutaris nomine temperasset. Quid jam igitur timeamus? Venit Jesus, venit Salvator quærere et salvare quod perierat. Venit non ut judicet, sed ut salvet; non ut perimat, sed ut redimat Sicut scriptum est : *Venit Filius hominis non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* [..]. Jesus itaque est qui salvat, Christus qui sanat. Sanat enim oleo misericordiæ, et computrescere facit jugum a facie olei; neque sine salute est Jesus, neque sine unctione est Christus. Gaudeant perditi, quod venit Jesus quærere et salvum facere quod parierat; respirent ægroti, C quia venit Jssus, quia sanat contritos corde unctione misericordiœ suæ. Utrumque propheta breviter comprehendit, dicens : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac et salvus ero* [..] : quod Christus est sanat, quod Jesus est Salvat.

Duo simul in Christo video, carnis circumcisionem et nominis impositionem : in carnis circumcisione est filius Abrahæ, in nominis impositione, Filius Dei et hominum Salvator ostenditur. Ante nativitatem vocat eum angelus Salvatorem; homo vero vocat eum Salvatorem post nativitatem. Nam qui angelos ab initio salvaverat, a tempore incarnationis hominem salvat. Habemus testimonium salutis nostræ angelum et hominem. *In ore duorum* D *testium stat omne verbum* [..]. Simul concurrunt circumcidi, et nomen salutis accipere, ut circumcidamur non carne, sed spiritu, Christi exemplo, quibus ad formam vivendi præscripta est nobis Christi circumcisio. Judæus circumciditur in uno duntaxat corporis membro, in quo concupiscentiæ sedes est. Verumtamen quia corrupti et abominabiles facti sumus, atque a planta pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas, ex toto nos oportet corpore

m. 15. [..] Hebr. 22. [..] Joan. 3. [5] Luc. 2. [6] Isa. 62. [7] Act. 4. [8] Luc. 1. [9] Matth. 1. 2. [11] Joan. 3. [..] Jer. 17. [..] Matth. 18.

circumcidi. Christus purgationem peccatorum faciens, atque triginta annis operans salutem in medio terræ, prius in portiuncula modici membri circumcisus est; postea cum jam triginta esset annorum, baptismo, qui est secunda circumcisio, ablutus est; tandem sacramentum tertiæ circumcisionis explevit toto corpore distentus in cruce, jam non circumcisus tantummodo, sed occisus.

SERMO IX.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

Apertis thesauris suis, obtulerunt Domino aurum, thus et myrrham [34].

Beati sunt qui thesauros habent, de quibus possunt proferre quæ offerantur Domino. Sed nunquid soli divites hujus sæculi thesauros habent, ut faciant oblationem Domino? *Ecce peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias* [35]. Nunquid acceptiores sunt Domino qui thesaurizant in terra? Quid facient ergo pauperes et pannosi discipuli Christi, filii Petri, quorum vox est: *Aurum et argentum non est mecum* [36]? Porro paupertatem suam summas divitias reputant: qui nihil habentes et omnia possidentes, Christum nudum nudi secuti sunt. Isti et sequaces eorum, licet mendici et inopes essent, licet approbrium et abjectio plebis essent, erant tamen honorati et divites apud Dominum et sanctos illius; nam de illis Apostolus dicit: *Gratias ago Deo meo quod in omnibus divites facti estis justitia, et in verbo, et sanctitate, ita ut nihil desit vobis in ulla gloria* [37]. Est qui gloriatur et divitem se reputat; dives etiam ab aliis reputatur propter affluentiam substantiæ temporalis. Sed propheta subjungit et corrigit dicens: *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus* [38]. Angelus in Apocalypsi loquitur ad eum qui confidebat in pecuniæ thesauris, et arguendo reprobat divitias ejus dicens: *Tu dicis quod dives sum, et nullius egeo; et tu miser es, et miserabilis, et pauper, et nudus* [39]. Et quis, quæso, miserior aut miserabilior est quam qui modo validus est, modo æger, modo vivit, modo moritur, modo prosperatur, modo adversa patitur, modo est, modo non est? O dives paupertas, o nuditas honorabilis, quæ in cœlo inæstimabiles thesauros abscondis, de quibus potes incessanter capere et de his nihilominus abundanter offerre. Hic est thesaurus, quem qui invenit vadit et vendit universa quæ habet per ipsum eunt, per hos thesauros illi decem Israelitæ, quos Ismael in articulo mortis concluserat, homicidæ gladium evaserunt. Obtulerunt reges aurum, thus et myrrham. Evangelista aurum tanquam dignius thuri præponit et myrrhæ. Thus vero myrrha excellentius. Pensata vero significatione munerum quantum ad processum virtutum et sanctorum operum, primo loco myrrha offertur, secundo thus, tertio aurum. Per myrrham quæ amarissima est et medicinalis, atque vermium mortificativa, pænitentia designatur, cum quis in amaritudine animæ suæ recogitat annos suos, et de peccatis suis amarissime dolet accusans se, et per confessionem dimittens adversum se eloquium suum. Hic Domino offert myrrham: myrrha vermes mortificat, et carnes a putrefactione conservat. Nonne vermis est libido blande ingrediens, dulciter mordens, suaviter transfodiens, et voluptuose accidens? Vermis etiam est accedia cor hominis latenter quasi tinea rodendo corrumpens. Verbum enim sapientis est; *Ut vermis ligno, ita tristitia nocet cordi* [40]. Sed et mundana desideria vermes sunt. Unde et testimonio Salomonis, *Desideria rodunt pigrum* [41]; non est otium sine desideriis. Legitur quia in desideriis est omnis otiosus: vulgariter autem scitur et dicitur quia otiosas inimica est animæ.

Vis videre virtutem et efficaciam myrrhæ? Religiosus aliquis est qui nuper jugo regulæ se subjecit: huic myrrha sive myrrhæ amaritudo, sunt jejuniorum frequentia, labor quotidianus, ciborum tenuitas, somnus brevis, censura silentii, austeritas disciplinæ. De his omnibus non myrrham, id est amaritudinem, sed myrrhæ fasciculum sibi facit pro amore illius, de quo sponsa in Canticis dicit: *Dilectus meus sicut fasciculus myrrhæ inter ubera mea commorabitur* [42]. Amara quidem sunt quæ sustinet, sed comparatione illius amaritudinis, quam habet de suorum peccatorum et excessuum recordatione et dolore, dulcescunt. Sic amaritudinem choleræ amaritudo absynthii vel aloes purgat, et humores, qui ex deliciis excreverunt. Horror medicinæ abominabilis, et urentis cauterii dolor frequentissime sanat. Est myrrha incipientium, thus proficientium, aurum est perfectorum. Quod myrrha thus præveniat habes ubi dicitur: *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris* [43]. Et illud: *Ibo mihi ad montem myrrhæ, et ad collem thuris* [44]. Utrobique thus sequitur, et myrrha præcedit. Postquam quis per contritionem et pœnitentiam de suis excessibus satisfecerit, deinceps de processu virtutum sollicitus postulat perseverantiam, cunque videat se de mortis laqueo liberatum, reliquiæ cogitationis diem festum agunt, ubi et tunc offert thus: quæ quidem oblatio festiva est. Sciunt qui frequenter hæc experiuntur quomodo devotæ orationis oblatio solemniter in animo lætitiam faciat, dum, sicut incensum, sicut virgula fumi ex aromatibus in conspectum divinæ majestatis ascendunt. Qui prius offerebat sacrificium cordis contriti et humiliati, jam offert thus devotionis; qui prius compungebatur, jam suo Redemptori congratulans dicere potest: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; et circumdedisti me*

---

[34] Matth. 2. [35] Psal. 72. [36] Act. 3. [37] I Cor. 1. [38] Psal. 143. [39] Apoc. 3. [40] Prov. 20. [41] Prov. 21. [42] Cant. 1. [43] Cant. 3. [44] Cant. 4.

lætitia, ut cantem tibi gloriam, et non compungar[45]. A Sic reddit Dominus *lugentibus Sion*, juxta verbum Isaiæ, *coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*[46]. Tunc potest psallere et cantare : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdedit me*[47]. Aurum charitas est, quæ, dum perfecta est, nihil in se palloris habet ; quæ timorem foras misit, ut jam sint posteriora ejus non in pallore auri, sed in fulgore auri purissimi. Nam et Joannes angelum qui ei loquebatur, ad mamillas cinctum zona aurea vidit[48], quia charitas temporalium cogitationum fluxa restringit. Offert itaque aurum qui Christum ex toto corde diligit. Offert aurum qui divinitatem in Christo homine recognoscit. Sicut in B Canticis legitur: *Caput ejus aurum optimum*[49]; caput enim Christi Deus ; sed et aurum sapientia est. Unde et aurum Christo offert, qui Christum Dei virtutem et Dei sapientiam confitetur.

Magi, stella prælucente et prædacente, veniunt ab oriente ad illum verum Orientem, cui nomen Oriens. Perhibet testimonium stella de Sole, lumen de Lumine ; et reges in splendore ortus sui splendorem æternum in tenebrosa et obscura infantuli paupertate cognoscunt. Stella non sicut stella, sed sicut rationalis creatura præcedit, ubi subsistendum fuerat, subsistit, atque radio quasi digito ubi parvulus jacebat ostendit. Gratias tibi. *Deus*, qui dixisti *de tenebris lumen splendescere : et* illuxisti *cordibus nostris ad illuminationem scientiæ in faciem Christi* C *Jesu*[50]. Non miremini si ducatum stellæ sequerentur, quorum cordibus stella ex Jacob illuxerat, et lucifer ille qui nescit occasum. Bone Jesu, salus mea, et misericordia mea, et pars mea in æternum, quanto gaudio exsultant hodie Magi in tua hæreditate cœlesti, in conspectu Patris tui, in splendoribus santorum, dum te adorant in palatio cœli, in throno majestatis : quasi unigenitum a Patre gloria et honore coronatum diademate Patris tui : quem prius viderant in Bethlehem, in diversorio, in præsepio parvulum, pauperculum, vagientem in cunis.

Et intrantes domum, etc. O Magi ! mihi ad vos sermo est : De terra longinqua venistis videre Regem regum, et Dominum universitatis; quid, quæso, invenistis ? quid facitis ? quem adoratis ? Adoratis lactentem puerum, filium pauperculæ mulieris in D tugurio vili et vilibus pannis. Estne Deus cui exhibetis nunc honorem ? Certe *Dominus in templo sancto suo, Dominus, in cœlo sedes ejus*[51] : et vos eum quæritis in stabulo et in feno, quem proni adoratis. Quare aurum et species pretiosias offertis ? Quæritis Regem regum : ergo Rex est ipse. Ubi est aula regia, ubi frequentia curialis, ubi pompa magnatum ? Non video nisi stabulum, et præsepium, et Mariam cum Joseph. Regnum ejus quod quæritis, non est de hoc mundo. Certe manifeste video quod infatuata est sapientia Chaldæorum : nam et isti Chaldæi erant. Sane insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorarent parvulum despicabilem tam in sua ætate quam in sua paupertate. Porro, insipientes facti sunt, ut fierent sapientes : quod tunc docebat eos Spiritus sanctus, postea prædicavit Apostolus, dicens : *Qui vult esse sapiens, fiat stultus ut sit sapiens*[52]. Quia enim per sapientiam mundus Dominum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam salvos facere credentes. Nolite, quæso, scandalizari, o Magi. Ille qui in cunabulis plorat, ipse est qui in cœlis tonat ; ipse est cui omnes prophetæ testimonium perhibent, quia ipse est *Dominus Deus noster*[53], et non æstimabitur alius ab eo, ipse omnipotens et salvator. Omnes dicunt : *Quoniam hic est Deus Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi : ipse reget nos in sæcula*[54]. Sed quare illos moneo ? Illi contra Jerusalem veniunt sancto ducente, stella ducente in Bethlehem villam exiguam, villam parvulam, et invenientes parvulum pannis involutum non abhorrent stabulum, sed procidunt et lactentem venerantur regem, et adorant ut Dominum. Et nos, fratres, adoremus et procidamus ante Deum ; adoremus Deum in spiritu et veritate. Nam et ipse tales quærit, qui adorent eum in spiritu et veritate[55]. Veniant nunc saltem veri adoratores ! adoremus et ploremus cum eis coram Domino, qui fecit nos ; quia magna fecit nobiscum, qui potens est et sanctum nomen ejus. Cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

DOMINICA INFRA EPIPHANIAM.

Venit Jesus a Galilea in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo[56].

Venit Sponsus ad paranymphum, ad vocem Verbum, Magister ad discipulum, Dominus ad ministrum. Solent infirmi venire ad medicum ; sed ecce nova faciens omnia, innovat signa, immutat mirabilia, et per omnia nobis exhibet summæ humilitatis exempla. Fons a rivulo petit aquam : nam a mari exeunt flumina, et ad mare revertuntur ut iterum fluant[57]. Hic est fons cui testimonium perhibet Zacharias, quia fons de domo David egressus est in ablutionem peccatoris et menstruatæ[58]. De hoc fonte nobis fontes misericordiæ emerguntur, aquæ salientes in vitam æternam, ut hauriamus aquas de fontibus Salvatoris[59]. Venit circumcisionis Dominus et baptismi, ut qui se circumcidi dignatus fuerat, ad exhibitionem plenæ humilitatis sustineat baptizari. *Sic*, inquit, *oportet nos implere omnem justitiam*. In justitia designans humilitatem, quæ est plenitudo justitiæ. Venit ad aquas Jordanis, non ut aquis lavari indigeat, qui mundus est totus, non ut lavetur, sed et ut aquas lavet, et ut elemento vim

---

[45] Psal. 29. [46] Isa. 61. [47] Ibid. [48] Apoc. 1. [49] Cant. 5. [50] II Cor. 4. [51] Psal. 10. [52] I Cor. 1. [53] Baruc. 3. [54] Psal. 47. [55] Joan. 4. [56] Matth. 3. [57] Eccles. 1. [58] Zachar. 13. [59] Isa. 12.

mundationis ac regenerationis per virtutem sui nominis, et ablutionem sui corporis potenter infundat. Cum autem per spiritum regeneremur in spem vitæ, per baptismum conteritur caput antiqui serpentis in aquis. Sed repullulat caput venenatum, radix amaritudinis et peccati. Infelix ego homo! semel baptismo ablutus sum, sed et vulnera primæ transgressionis ibi plene abluta et sanata sunt. Verum, quia primam fidem irritam feci, *putruerunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*[60]. Ideo *ad meipsum anima mea conturbata est*[61], et in amaritudine animæ meæ recogito dies meos: nec est mihi remedium aut solatium. Recolens tamen, bone Jesu, quia propter nos, non propter te, descendisti in Jordanem, tuæ humilitatis memor, humiliabo me et descendam. Jordanis enim *descendens* interpretatur: *Propterea memor ero tui de terra Jordanis, descendens a monte modico*[62], a superbia vitæ, quæ brevis est et transitoria, et momentanea est. Descendit Naaman de curru superbiæ in aquas Jordanis, et sanatus est. Descendit superbus ad aquas humilitatis et pœnitentiæ, et mundatur. Septies lavit se Naaman in Jordane[63]: mihi misero et plusquam leproso non nisi semel baptizari permissum est, quoniam unus spiritus, et una fides, et unum baptisma[64]. Semel baptismo ablutus sum; sed ex quo pollui vestimenta mea, ut verbo beati Job utar, si lavero me aquis nivis[65], si mundavero me nitro, aut herba Borith[66], tu me, Domine intingis sordibus; nam omnes justitiæ nostræ in conspectu tuo sicut pannus menstruatæ[67]. *Et quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es*[68]? Si autem aliquo modo mundatus fuero, facile recidivabo; nec observabo me ab iniquitate mea. Duo enim me in præcipitium trahunt: inde conditio corrupta; hinc voluntas infirma. Ergo, quia virtus baptismi in me semel officio suo functa est, nec repeti potest, sola ablutio pœnitentialis mihi ad remedium superest.

Nam et pœnitentia est baptismus, non quod in ea sit baptismi iteratio; sed quia sepulturam criminum facit, et nos humilitati Christi consepeliens, complantans morti ejus in spem vitæ æternæ nos regenerat, ut simus quasi modo geniti infantes. Unde et caro Naaman, cujus ablutio nobis posita est in signum sapientiæ, in ætatis puerilis munditiam reparata est. Quidam pœnitentialibus aquis semel immersi, statim putant ab omnibus iniquitatibus esse mundi: sed non sufficit, nisi cum Naaman septies in Jordane laventur. Jejuna usque ad oris fetorem, flagella, contunde, ure corpus tuum ita ut ardeat, nihil agis, nisi pœnitentiæ spiritus septiformis assistat. Divites hujus sæculi, qui ducunt in bonis et deliciis dies suos, qui pœnitentiam vilipendunt, nonne videntur dicere quia me-

A liores sunt fluvii Damasci Abana[69] et Pharphar omnibus aquis Israel, ut laventur in eis? Hæc est medicina unica post baptismum. *Medicinam*, dicit Salomon, *creavit Deus hominus, et stulti despiciunt eam*[70]. Hæc est secunda tabula post naufragium. Christus nec indigebat pœnitentia, nec baptismo: tantum ut mundaremur baptizari voluit; et ut peccata nostra tolleret, more pœnitentium jejunavit et flevit, post jejunium venit ad Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. In baptismo Christi tota Trinitas innotescit. Pater auditur in voce, Filius in carne, Spiritus in columbæ specie. *Et vox*, inquit, *in cælo facta est: Hic est Filius dilectus in quo mihi*, etc. — *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit*[71]; sed et Filius hodie suis
B discipulis innotescit. Unde et triplex apparitio sive revelatio in Ecclesia hodie celebratur. Apparet Chaldæis novæ stellæ indicio, et per eos hodie in gentibus nostræ fidei primitiæ consecrantur. Apparet Judæis non solum Joannis, sed Patris et Spiritus sancti testimonio, vim regenerativam ab aquis insipiens, divinam potentiam mutatione aquæ in vinum discipulis hodie manifeste declarat. Sicut Evangelium dicit: *Hoc est initium signorum ejus, et manifestavit se*[72]. Erat natus, sed non notus: *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*[73]. Et notandum quod mirabili consideratione divinæ sapientiæ stella testimonium perhibet soli ei qui est sol justitiæ, vox Verbo, columba Agno. Sicut agnus inter animalia, sic est inter aves columba simplicior;
C optimeque sibi conveniunt columba et agnus; ipse testimonio prophetæ, est *Agnus mansuetus qui portatur ad victimam*[74] ipse est columba, sicut scriptum est: *Dissipata est terra a facie iræ columbæ*[75]. *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus in quo mihi complacui; ipsum audite*[76]. Vere complacet Patri in eo quod dicit: *Ego quæ placita sunt Patri meo, facio semper*[77]. Ipsum audite. Dei filius, Verbum Dei, sermo omnipotens, qui sub muliere diu tenuerat silentium, accepta a Patre licentia, tandem loquitur: superbiam nostram suæ humilitatis exemplo confundens, qui tardi sumus ad audiendum, veloces ad loquendum, dum prius volumus docere quam doceri; prius esse magistri quam discipuli, prius esse quam coesse. Descenda-
D mus itaque de curru superbiæ cum Naaman in Jordanem, ut lavemur septies pœnitentialibus aquis. *Septies enim cadit justus in die*[78].

SERMO XI.

II. IN D'E PURIFICATIONIS B. MARIÆ.

Hodie tempore Dominus defertur ad templum: hodie mater offert Filium Patri suo. Hæc est prima processio et non parva; quia puer noster adhuc parvulus est. Hic est Maria, Simeon justus, et

---

[60] Psal. 37. [61] Psal. 41. [62] Ibid. [63] IV Reg. 5. [64] Ephes. 4. [65] Job. 9. [66] Jer. 2. [67] Isa. 64. [68] Job. 14. [69] IV Reg. 5. [70] Eccli. 38. [71] Psal. 28. [72] Joan. 2. [73] Joan. 1. [74] Jer. 11. [75] Jer. 25. [76] Matth. 17. [77] Joan. 8. [78] Prov. 24.

Anna prophetissa, et Christus in medio qui offertur, qui recipitur, qui prophetatur, omnes justi, nullus peccator. Nunquid omnes peccatores renuit Deus? *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Domino in vobis* [79]. Et quid est quod sancta, quod immaculata, quasi aliquid muliebre passa sit vel in conceptu, vel in partu muliebris infirmitatis quærit remedia, et legi subjicitur? Sed Filius pro matre respondet. *Sic*, inquit, *decet nos implere omnem justitiam* [80]. Prima mulier mater omnium, et criminum, cum ad excusandas excusationes in peccato suo, culpam propriam in alium retorsisset, Mater Dei, mater misericordiæ ad exemplum filii sui quæ non rapuit solvit. Cumque extra necessitatem legis esset, quæ sine seminis susceptione filium pepererat, legis necessitati se subjicit. Venerant ambo legem implere, non solvere. Hodie sistitur Creatori fructus terræ sublimis. Christus purgationem peccatorum faciens, matrem Virginem legem aliarum subire sustinet, ut nos exemplo humilitatis informet. Hodie per manus maternas et virgineas offertur in templo, per manus Judaicas et sacrilegas offerendus in cruce. Hodie suscipiunt eum brachia Simeonis justi : erit quando suscipient eum brachia diræ crucis, et tunc erit secunda processio. Hoc sacrificium matutinum, illud vespertinum. Utrobique oblatus est, quia ipse voluit. Quæcunque enim voluit fecit. O quam beatum reputare se potest, qui diem suæ purificationis implevit! Simeon non solum dies purgationis, sed exspectationis implevit, ut jam mereatur videre Christum Dominum, ut dimissus in pace, in idipsum dormiat, et in pace illa quiescat, quæ exsuperat omnem sensum. Purgatio nostra est in aqua et sanguine, in spiritu et igne. Per aquam et sanguinem, sicut Joannes testatur : *Hic est*, inquit, *qui venit per aquam et sanguinem* [81]. Et idem : *Ipse baptizabit in spiritu et in igne* [82]. Est et alia purgatio terribilior *in spiritu judicii et spiritu ardoris* [83]. Vis audire de aqua? In aqua baptizavit, in aquis pedes lavit, aquas ab oculis fudit. De sanguine non est dubium, quem multipliciter fudit, ut lavaremus stolas nostras in sanguine Agni. De spiritu legi quia gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis [84]. Datus est etiam ignis ad purgationem, sive Spiritus sanctus in igneis linguis [85]. Purgat ergo Dominus aqua ablutionis, sanguine passionis spiritu sanctificationis, igne perfectionis; sed et igne tribulationis. *Transivimus*, inquit, *per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* [86]. Hic est cereus, hæc est candela super candelabrum ponenda; adhuc tamen sub modio constituta, sufficiens ad illuminationem Judæorum, ad revelationem gentium, ad salutem omnium populorum. Huic cereo mater ceram con-

A tulit; lumen vero Pater luminum ministravit. Iste est *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [87]. *Accedite ad eum, et illuminamini* [88], ut videatis figuram in imagine, speciem in splendore, lumen in lumine. Ipse est splendor, figura et substantia Dei. Ipse de tenebris nos eduxit in admirabile lumen suum, ut filii lucis simus, qui eramus filii tenebrarum. Testimonium perhibet lumen de Lumine, stella de Sole. Gratias tibi, Deus, qui dixisti lumen de tenebris splendescere, et illuxisti cordibus nostris ad illuminationem scientiæ, in faciem Christi Jesu [89].

Quanto gaudio! quanta exsultatione putatis hodie gratulari animas Magorum in conspectu Dei, in splendoribus sanctorum, dum vident in palatio cœli,
B et adorant in throno majestatis quem olim viderunt in Bethlehem modica civitate in diversorio, in præsepio parvulum vagientem in cunis! Quem prius viderant parvulum et infirmum, modo vident perfectum in omni majestate et potestate, in diademate Patris sui gloria et honore coronatum, quasi Unigenitum Patris. Vide in istis modis profectus et ordinis processum. Procedunt a visione sideris ad visionem matutinæ lucis : inde ad videndum solem in meridie virtutis suæ. Sic proficiunt a conspectu pueri usque ad conspectum Dei. Hic est profectus justi, et progressus nascentis Ecclesiæ. Sicut Salomon dicit : *Justorum semita quasi, lux splendescens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* [90]. Quid mirum, si venerunt ad ipsum Luciferum?
C Stella enim orta ex Jacob illucebat cordibus eorum, et Lucifer ille qui nescit occasum.

Hodie non una sola stella, sed multæ, ad hujus pueri agnitionem nos ducit. Quot enim sunt eruditores justitiæ, tot sunt stellæ testimonio Danielis : *Qui ad justitiam*, inquit, *erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates* [91]. Ideo et Paulus vocat eos luminaria quæ lucent in medio nationis pravæ ac perversæ [92]. Dominus etiam luminum, cum disponeret lunam et stellas in potestate noctis : *Vos*, inquit, *estis lux mundi* [93]. Et illud : *Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis* [94]. Teste Salomone : *Dulce et delectabile est oculis videre solem* [95]. Ego autem credo quod omnia desiderabilia, et omnia quæ ex-
D cogitari possunt oblectamenta transcendere solem justitiæ nequeunt; sed non est datum lippientibus oculis in illud admirabile lumen posse conspicere. Si non possumus in rotam solis, nec in illud luminosum justitiæ corpus oculum mentis infigere (scrutator enim majestatis opprimetur a gloria), nec altiora nobis et fortiora debemus inquirere, dirigatur saltem oculus noster in lucem fidelium, et delectetur in splendoribus sanctorum. Sancti enim sunt montes, a quibus nos illuminat Deus testimonio

[79] Luc. 12. [80] Matth. 3. [81] I Joan. 5. [82] Matth. 3. [83] Isa. 4. [84] Rom. 5. [85] Act. 1. [86] Psal. 65. [87] Joan. 1. [88] Psal. 33. [89] II Cor. 4. [90] Prov. 4. [91] Dan. 12. [92] Philipp. 2. [93] Matth. 5. [94] Ibid. [95] Eccle. 11.

Prophetæ dicentis : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* [96]. Et tu, frater, leva oculos tuos in montes, unde veniat auxilium tibi. Qui in tenebris estis ad illum montem magnum *accedite et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* [97], Inter cæteros montes, per quos nos illuminat, montem magnum reputo justum senem Simeonem qui non solum in Christi fide nos illuminat, sed illuminando confirmat. O senex fidelis, cujus laus in Evangelio, cujus senectus in misericordia Verbi, cum unicum portes qui portat omnia verbo virtutis, aperi nobis quam salubriter insinuabat se visceribus tuis, qui delectabiliter infundebat se animæ tuæ, suumque spiritum pectori tuo influebat ille quem tu gestabas in ulnis. Nonne poterat Simeon respondere et dicere : Acceperam responsum a Spiritu sancto non visurum me mortem donec viderem Christum Domini? Diu exspectaveram ; jam defecerant *oculi mei in eloquium tuum dicentes : Quando consolaberis me?* Factus eram *sicut uter in pruina* [98] : frigidus, aridus, marcidus, et despectus. Sed tandem *memor fuisti, Domine, verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti* [99]. Jam in carne mea video Dominum Salvatorem meum : nec solum video, sed teneo et amplector. Jam me sentio calere de senectute mobida in salutem.

Renovata est ut aquilæ juventus mea [100]. Jam irreverberata acie solem justitiæ contemplor. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* [1]; viderunt oculi mei salutare meum. Video te in vultu meo, in carne mea; videbo te in vultu tuo et gloria tua, ubi erit plena jucunditas, et plena in jucunditate satietas, quia vultum tuum, Domine, requiram, *satiabor cum apparuerit gloria tua* [1*]. Vidi Dominum, et salva facta est anima mea. Vidi et video : nec dimittam te donec dimittas me in pace. *In pace in idipsum dormiam et requiescam* [2] Non solum Simeoni datum est videre et portare, et amplecti Dominum, sed omnibus his, qui in veritate diligunt Spiritum. Qui Christum tenent, amplectuntur, et fovent in desiderio animæ suæ in sancta, atque devota et optabili servitute. Qui cum sponsa dicere possunt : *Dilectus meus sicut fasciculus myrrhæ inter ubera mea commorabitur* [3]. Hic est de quo prædixerat Malachias : *Ecce veniet ad templum sanctum suum dominator Dominus, et Angelus testamenti quem vos vultis* [4]. Quæritis, o Judæi, et non quæritis ; vultis et non vultis. Si quæritis, quærite; convertimini, et venite. Quæritis, qui vos liberet a servitute hominum, non dæmonum; qui terrena conferat, non æterna. Ecce hic est quem quæritis, cui omnes prophetæ testimonium perhibent : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius ab eo* [5], *ipse reget nos in sæcula* [6]. *Suscepimus hodie, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui* [7]. Templum

A Dei est habitatio gloriæ ejus, templum est uterus virginalis, templum est corpus Christi, templum est illud ædificium Salomonis, quod destruendum Christus quandoque prædixit, quia merito destruendum erat ; nimis enim augustum fuerat et modicum, et ideo cultu tantæ majestatis indignum. Ædificet tibi, Domine Jesu, templum amplioris gratiæ populus acquisitionis ab ortu solis usque ad occasum; palatium tuæ majestati ædificet, Ecclesiæ Redemptor, ut sit *secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ* [8]. Tu vero, qui hodie offerris in templo, Christe Jesu, qui es templi Dominus, illuminatio mea et salus mea, qui illuminas lucernam meam per fidem, et agnitionem veritatis tuæ, illumina tenebras meas; nec enim video, aut B intelligo omnes excessus meos : nam delicta quis intelligit? Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, et non potui ut viderem. Illumina nos, Domine, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, et pervenire ad patriam claritatis æternæ. Exaudi nos, Pater luminum et illuminator cordium; illumina tenebras nostras ut placeamus coram te in lumine viventium, qui es figura et splendor substantiæ Dei Patris, Jesu Christe, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

IN EADEM PURIFICATIONE.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui [9].

Hodie, dilectissimi fratres, susceptus est Domi- C nus, et oblatus in templo : hodie debitum suæ purificationis implevit purissima Christi mater. Moyses enim in lege præceperat quod si mulier concepto semine filium peperisset, septem diebus immunda esset, et octavo die circumcideretur puer; postea triginta tribus diebus mulier a templi abstineret ingressu, et quadragesima die puerum cum hostiis offerret in templo [10]. Notate verba, et in verbis mysteria. Videte quanta cautela et circumspectione usus est Moyses in his verbis. Si dixisset, Mulier quæ peperit masculum septem diebus immunda erit, ergo beatissimam quæ paritura erat masculum indicasset immundam. Ideo præmisit, Mulier quæ, *suscepto semine*, peperit masculum. Igitur beatam Virginem manifeste excepit. D Ipsa enim sola est quæ virgo peperit, quæ non de semine, sed gratia et sanctificatione concepit. Nonne ergo poterat dicere sanctissima Virgo, cum duceretur ad templum : Quid mihi est opus sanctificatione, quæ semine polluta, aut partu immunda non fui? Quid mihi opus est ingressu templi, quæ facta sum templum Spiritus sancti? Quid opus est mihi vel Filio meo his oblationibus, qui se oblaturus est in ara crucis ut redimat universos ? Noli

---

[96] Psal. 75. [97] Psal. 33. [98] Psal. 118. [99] Ibid [100] Psal. 102. [1] Psal. 144. [1*] Psal. 16. [2] Psal. 4. [3] Cant. 1. [4] Malach. 3. [5] Baruch. 3. [6] Psal. 47. [7] Ibid. [8] Ibid. [9] Psal. 47. [10] Levit. 12.

hæc dicere, mater sancta : esto in mulieribus sicut una ex illis. Memento quia et Filius tuus, qui sine peccato erat, voluit circumcidi. Venit enim legem adimplere, non solvere. Ingredere templum, Virgo benedicta, offer benedictum fructum ventris tui, offer primitias nostræ benedictionis, offer fructum terræ sublimem, hostiam sanctam, Deo placentem, reconciliationem nostram. Erit quando non offeretur in templo, nec in Jerusalem, sed extra Jerusalem. Erit quando non offeretur inter brachia Simeonis, sed inter brachia crucis Veniet dies, quando non redimetur avibus, sicut hodie, sed ipse nos redimet in sanguine suo, quia ipsum redemptionem misit Dominus populo suo. Illud enim erit sacrificium vespertinum : istud est sacrificium matutinum. Gaudeas, mater, in sacrificio matutino, quia in vespertino dolebis, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius* [10*]; *ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* [11]. Et in hoc, et in illo sacrificio oblatus est, quia ipse voluit. Gaude, mater, et exsulta satis filia Sion, gaude et canta virginitatis epithalamicum canticum novitatis. Audi, Virgo, et inclina aurem tuam, quia Anna et Simeon cantant tecum : Simeon justus canticum justitiæ : *Nunc dimitis, Domine, servum tuum*, etc., [11*]. Anna canticum continentiæ. Canta et tu canticum pudicitiæ, canticum novum, canticum inauditum, canticum virginitatis et fecunditatis, canticum humilitatis, canticum gloriæ et beatitudinis. *Ecce*, inquit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes* [12]. Vere omnes generationes, quia sicut unguentum effusum est nomen tuum [13], et memoriale tuum in omni generatione et generationem. Nusquam est hodie, fratres, dies salutis, nisi per Virginem. Hæc est enim unica mediatrix nostra, et interventrix ad Filium. Peccatores eramus, et ad Patrem verebamur accedere. Terribilis est enim super *reges terræ, qui aufert spiritum principum* [14]: *respicit terram et facit eam tremere ; tangit montes et fumigant* [15], dedit nobis Christum Filium suum. Quid non obtineat apud Patrem talis Filius ? Exaudietur pro reverentia sua : sed ipse cum sit Deus, intercessione opus est apud eum. Habemus autem beatam Virginem, in qua nil terribile est ; nam in ipsa est plenitudo gratiæ, et puritas humanæ vitæ. Exaudiet pro nobis matrem Filius ; offeret mater Filio suo preces nostras. Filio, inquam, suo, quem hodie obtulit in templo, ut et nos suscipiamus misericordiam ejus in medio templi sui.

Quæ est, fratres, hæc misericordia, quam hodie suscepimus ; nam multæ sunt misericordiæ ejus, et miserationum ejus non est numerus. Si recogitem communem nostræ redemptionis processum, septem misericordias invenio. Si considerem quotidianam et singularem uniuscujusque redemptionem, septem miserationes invenio. Opus enim misericordiæ quod Deus creavit hominem, ut eum suæ gloriæ faceret participem et consortem. Peccavit homo et æterna morte se dignum constituit ; inventa est enim iniquitas ejus ad odium ; eum tamen Deus æternaliter non damnavit. Et hæc est secunda misericordia. Tertia misericordia fuit, quod nobis qui eramus sub maledictione, benedictionem in semine Abrahæ repromisit. Quarta misericordia fuit, quia nobis sine lege vagantibus, ad disciplinam et ad correctionem per Moysen legem dedit. Quinta, quia cum essemus in multa desolatione, et penderemus sub incertitudine spei, nos per prophetas suos variis consolationibus confortavit. Sexta, quia non angelicam naturam, sed conformitatem nostræ miseriæ nostræque deformitatis elegit. Septima est, quia ipsum incarnatum suscepimus in medio templi sui. Hæc est misericordia illa magna de qua dicitur : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* [16], quia ipsa est complementum omnium aliarum. Quia enim Christus sitivit, quod esuriit, quod opprobria, quod clavos, quod lanceam, quod mortem in cruce sustinuit : hæc omnia procedunt de nativitate ipsius ; hæc omnia sunt hujus misericordiæ accessio et sequela. Secundum singularem uniuscujusque statum septem alias miserationes invenio. Prima est, quia cum dæmones opportunitatem peccandi offerunt, Dominus impedit ne mala voluntas veniat ad effectum, tollitque *Dominus virgam peccatorum desuper sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* [17]. Secundo misericordia est, quod nos continue peccantes offendimus Dominum, et peccata peccatis adjungimus, et tamen Dominus patienter sustinet, et ad pœnitentiam nos exspectat. Juxta David : *Hæc fecisti et tacuit* [18]. Et in Isaia : *Non cogitasti in corde tuo, quia ego vir tacens, et quasi non audiens* [19]. Tertia misericordia fuit, quia commovit Dominus ad pœnitentiam cor nostrum, ut pœnitentes recogitemus in amaritudine dies nostros, secundum quod legitur : *Commovisti terram et conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est* [20]. Quarta misericordia est, ut cupiamus desiderare et velle quod ex humana infirmitate desiderare non possumus. *Concupivi*, dicit Psalmista, *desiderare justificationes tuas in omni tempore* [21]. Quinta, stabilire in proposito sanctitatis, juxta illud : Statuisti *supra petram pedes meos* [22]. Sexta misericordia est oblivisci omnium mundanorum, et proficere, et proficisci in obedientiam et observantiam mandatorum Dei. Sicut Apostolus dicit : Eorum *quæ retro sunt* oblitus *ad* anteriora me extendo [23]. Septima est, cum Christum suscipimus in medio templi sui, mo cum ipse nos suscipit in medio templi sui, tunc Christi templum efficimur. Sicut Apostolus dicit :

[10*] Luc. 2. [11] Psal. 29. [11*] Luc. 2. [12] Ibid. [13] Cant. 1. [14] Psal. 75. [15] Psal. 103. [16] Psal 50. [17] Psal. 124. [18] Psal. 49. [19] Isa. 57. [20] Psal. 59. [21] Psal. 118. [22] Psal. 39. [23] Phil. 3.

Templum Dei sanctum est, quod estis vos [24]. Si enim sic eum susceperimus in corde nostro, in medio templi nostri, securi sumus, quia cum venerit Judex vivorum et mortuorum, ipse nos suscipiet in medio templi sui, in splendoribus sanctorum, in jucunditate quæ non deficit, in gloria quæ non transit. Quam nobis præstare dignetur qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII.

IN SEPTUAGESIMA.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam [25].

Quanta audivimus et cognovimus, ea et patres nostri annuntiaverunt nobis [26]. Quanta mandavit Deus patribus nostris nota facere ea filiis suis. Vinea Domini Sabaoth populus Dei est qui propter varias iniquitates suas Deum sæpe ad iracundiam provocavit. Dedit itaque in conculcationem vineam suam, et ideo frequenter occurrit nobis in lectione divina a quibus vastata est vinea Domini. Nunc enim premitur populus Israel sub Pharaone jugo gravissimæ servitutis ; sed multæ sunt misericordiæ Domini. Clamat ad Dominum populus, et per Moysen liberatur. Cœpit iterum populus deviare a viis Domini, deditque illos Dominus in manus Chusan Rasathaim, et clamaverunt ad Dominum, et per Othoniel fratrem Caleph liberati sunt [27]. Iterum deviantes a viis Domini dati sunt in manus Eglon regis Moab, et Ammonitarum : et clamaverunt ad Dominum : et suscitavit eis Aioth filium Gera filii Gemini, qui liberavit eos [28]. Item oppressi sunt a Jabin rege Chanaan, et liberavit eos per Delboram uxorem Barach [29]. Iterum erraverunt coram Domino, et tradidit eos Dominus in manus Madiam et Amalech, sed ad pœnitentiam revertentes, per Gedeonem liberati sunt a Domino, in lampadibus, et tubis et hydriis [30]. Quare loquerer de Jephte, de Samsone, de David, et de cæteris per quos Dominus magnificavit misericordiam suam cum populo, et eum vinea sua, quoties populus voluit reverti ad cor, et agere pœnitentiam de commissis ? Nihil est quod ita emolliat et mitiget indignationem omnipotentis Dei sicut humilitas pœnitentis. Quid enim faciet summus Judex, cum viderit peccatorem in seipsum exercere judicium, et punire proprium in seipso delictum ? Evacuatæ sunt partes judicis ; nec jam exsequetur vices judicantis, sed officium advocati : et qui peccanti intentabat pœnam, pœnitenti statim accumulabit gratiam. Ideo mittit Dominus hodie operatores in vineam suam, ut doceatur populus ejus dignos fructus pœnitentiæ agere, et sic flagella Domini declinare. Ita in Evangelio circa infructuosam ficul-
A neam stercora jubentur apponi, et cultura permittitur adhiberi, ut fructum faciat per vilitatem pœnitentiæ et sarculum disciplinæ [31]. Apostolus dicit : *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur : cum autem judicamur, a Domino corripimur* [32]. Ut ergo populum suum corriperet Dominus, ut ad humilitatem pœnitentiæ provocaret, permisit eum septuaginta annis sub rege Assyriorum servitute gravissima detineri. Tempus istud septuagenariam illam servitutem manifeste designat ; nam et tota vita hæc quæ per septenarium ducitur, vix septuaginta annos excedit : *si enim octoginta anni, amplius labor et dolor* [33] : tota, inquit, vita hæc servituti deputata est. Sicut liberatus Job dicit : *O quam grave jugum servitutis super filios Adam a die exitus de*
B *ventre matris eorum, usque in diem reversionis in matrem omnium* [34].

Simus itaque et nos memores servitutis nostræ, humiliantes nosmetipsos sub potenti manu Dei, captivantes omnem intellectum nostrum in obsequium Christi. Filii Israel suspenderunt organa sua in salicibus ; nec enim decebat cantare canticum Domini in terra aliena [35]. Nos in istis septuaginta diebus *Gloria in excelsis Deo*, *Alleluia*, et cætera novitatis cantica subticemus. Completis siquidem septuaginta annis, redierunt in Jerusalem sub Jesu sacerdote magno ; et nos post illos septuaginta dies resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, et in ejus resurrectione nostræ liberationis gratiam exspectamus. Tunc redibunt cantica novitatis, quia peccati vetustate per pœnitentiam deposita, resurgemus in
C spem vitæ æternæ. Tunc de vinea Domini Sabaoth dabitur nobis vinum novum, quod in utribus novis reponendum est, non in veteribus, ne rumpantur. Invitamur ad vineam Domini, et in ea præcipimur laborare. Qui fingit laborem in præcepto, mercedem constituit in labore. Nulla ætas excipitur, non est personarum acceptor Dominus : et eos qui mane veniunt, et eos qui tarde accedunt, recipit. Denarius enim, id est vita æterna, unicuique laboranti redditur [36]. Et hæc est merces sanctorum, quam Dominus fidelibus suis a sæculo repromisit. Quam nobis et vobis conferre dignetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

IN QUADRAGESIMA.

D *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio et fletu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* [37].

Scit nos esse aversos a se, qui ad se converti nos admonet. Sed quo convertemur ? quocunque me vertam, sive ad dexteram, sive ad sinistram, sive ascendam in cœlum, sive descendam ad infernum, Domine, tu ubique es, qui omnia imples ; sed con-

---

[24] I Cor. 3. [25] Matth. 20. [26] Psal. 77. [27] Judic. 3. [28] Ibid. [29] Judic. 4. [30] Judic. 7. [31] Luc. 13. [32] I Cor. 10. [33] Psal. 89. [34] Eccli. 40. [35] Psal. 136. [36] Matth. 20. [37] Joel. 2.

verti præcipimur corde, non corpore. De hac conversione loquitur Osea, et dicit: *Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua; aufer iniquitatem, et accipe bonum* [38]. Quoniam aversi et perversi fuimus, converti præcipimur et reverti. Sicut animæ dicitur in persona, sponsi: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere revertere, ut intueamur te* [39]. Bonum est converti a malitia ad innocentiam, a gaudio peremptorio ad luctum salubrem, a superbia et inflatione vento a ad spiritum mansuetum et humilem. *Convertimini*, inquit, *in toto corde vestro*. Ingredienti enim pœnitentiæ viam primo necessaria est cordis contriti et humiliati devotio; quia vero ciborum affluentia erexit in superbiam et lasciviam carnem nostram, necesse est ut in jejunio convertamur. Qui enim pro Christo jejunat, reficietur a Christo in illa mensa cœlesti, quam præparavit Deus diligentibus se. Est etiam conversio facienda in fletu, ut aquis pœnitentialibus lavetur facies de formata peccatis. Quantæ enim virtutis et efficaciæ sint lacrymæ pœnitentis, declarat Petri reconciliatio, Lazari resuscitatio, et sanctificatio illius nominatissimæ peccatricis.

Converti etiam nos oportet in planctu, et nos a gaudio suspendamus; et in amaritudine animæ nostræ recogitemus dies nostros, tempora quæ perdidimus peccando, per pœnitentiam redimamus. Nam in his tribus, jejunio, fictu et planctu, notantur cordis contritio, confessio et satisfactio. De primo dicitur; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, etc [40]. De secundo dicitur: *Dixi, Confitebor Domino; et tu remisisti* [41]. De tertio dicitur: *Laboravi in gemitu meo* [42]. Jejunio carnis petulantia refrenatur, fletu et planctu purgatur anima se in eis mortificans, et quasi complantata similitudini mortis Christi, convertitur in ærumna sua, et ærumna ejus vertitur in gratiam et in gloriam, quia *gratiam et gloriam dabit Dominus* [43]. His modis possumus sanctificare jejunium, sicut Dominus admonet per prophetam: *Sanctificate*, inquit, *jejunium* [44]. Jejunium sanctificare est jejunare in sanctitate et justitia coram Deo, non coram hominibus, sicut hypocritæ tristes [45]. Formam et modum jejunii Dominus nobis aperit, dicens: *Hoc est jejunium quod elegi: Dissolve colligationes impietatis*, humiliter confitendo, *solve fasciculos deprimentes*, devote satisfaciendo; *dimitte eos qui confracti sunt*, liberos, misericorditer indulgendo; *frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam*, etc., peccata eleemosynis redimendo [46]. Da pauperi panem terrenum, ut habeas cœlestem; commoda terram, ut possideas cœlum. Per hoc quod dicit: Solve, dissolve, disrumpe, vocat peccata quædam levia, quædam gravia, quædam gravissima:

A nam et quidam suscitantur extra portam, quidam in lecto, quidam in monumento, in voluntate, in actu, in consuetudine, in ultimo Dominus infremit spiritu, turbat se, lacrymatur, et clamat: *Lazare, veni foras* [47].

Nolite, inquit, *fieri sicut hypocritæ tristes* [48]. Non reprobat Dominus tristitiam cordis, sed oris; non tristitiam pœnitentialem, sed hypocriticam et superficialem, quia, juxta verbum Salomonis: *Cor sapientis ubi tristitia* [49]. Quia nos invitat per confessionem, per jejunium, per fletum et planctum, ne absorbeamur a tristitia, et ne a superficiali mœstitia meritum jejunii perdamus sicut hypocritæ, ad spirituale gaudium nos hortatur: *Hilarem datorem diligit Deus* [50]; *omnisque adeps Domini est jure*
B *perpetuo* [51]: in quo notatur quia nullum sacrificium Deo acceptum est, nisi ex hilari devotione procedat. Unde et ungi præcipitur caput nostrum [52]. Caput nostrum Christus est; licet hoc caput unctum esset a Patre oleo lætitiæ præ participibus suis [53], Maria tamen Magdalenæ illi unctioni suum unguentum superaddidit. Cumque discipuli murmurarent, ille qui hodie caput ungi præcipit, excusat et commendat unguentum [54]. In capite est plenitudo spiritualis unguenti descendens non solum in barbam, sed in oram vestimenti [55]; nam *de plenitudine ejus omnes accepimus* [56]. Caput itaque ungere est omnes affectiones nostras cum gratiarum actione in ipsum refundere; ille enim jejunat et ungit caput suum, qui delectatur in afflictione corporis propter Christum. Ille autem seipsum et non caput suum ungit,
C qui sæcularis auræ favorem ex operibus suis quærit, qui dum jejunat et venatur jejunio suo populares jactantias, caput suum oleo peccatoris impinguat. Procedit ulterius propheta, et dicit:

Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. In vestimentorum scissione Judaicæ superstitionis duritia designatur; qui enim scindere corda non poterant, vestimenta scindebant. Nos autem scindere, id est dividere corda nostra oportet, ut secundum divisiones gratiarum susceptibilia sint divinum charismatum. Servet unusquisque, et non scindat vestimenta sua, ne ambulet nudus in via. Servet, obsecro,
D vestem illam quæ operit multitudinem peccatorum, charitatem dico, per quam remisse sunt iniquitates, et multorum tecta sunt peccata. Scindamus corda nostra per misericordiam, compatiendo afflictis, quoniam, juxta verbum Apostoli, nisi compatimur, non conregnabimus [57]. Scindantur per pœnitentiam et confessionem, ut excurrat putredo de vulnere cordis, et superveniens novitas auferat saniem vetustatis. Toties corda nostra scindimus quoties per compassionem proximo condolemus quoties eleemosynam ex affectu largimur. Est autem

---

[38] Osc. 14. [39] Cant. 6. [40] Psal. 1. [41] Psal. 31. [42] Psal. 6. [43] Psal. 83. [44] Joel. 1. [45] Matth. 6. [46] Isa. 58. [47] Joan. 11. [48] Matth. 6. [49] Eccle. 7. [50] II Cor. 9. [51] Levit. 3. [52] Matth. 6. [53] Psal. 44. [54] Matth. 26. [55] Psal. 32. [56] Joan. 1. [57] Rom. 8.

eleemosyna et spiritualis, et corporalis. Spiritualis, quæ proximum peccantem corrigit, odientem diligit, et in se peccanti dimittit. Est et corporalis eleemosyna, quæ in sex operibus misericordiæ consistit. Hæc opera sunt sex hydriæ nuptiales, sex filii Liæ, sex fratres David, sex gradus in lectulo Salomonis, per quos Salomon verus pacificus in nos ascendit, dum a nostra pravitate conversos, et ad se reversos, ad amorem et contemplationem suam ascendere facit. Cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

IN EADEM QUADRAGESIMA.— DE FACIENDA POENITENTIA.

Christus hodie in schola eruditionis evangelicæ per filium prodigum [58] nobis competentissime proponit pœnitentiæ et humilitatis exemplum. Qui cum afficeretur gravissima fame, cogitavit redire ad patrem, et inter mercenarios unus esse. Quis est qui dilapidat omnia bona videndo luxuriose, nisi peccator quilibet, qui bona gratuita et naturalia peccando corrumpit et perdit? Sed reversus ad cor, et justitiam incipiens esurire, humiliat se in oculis suis, et de filiali dignitate ad mercenarii sortem devota humilitate descendit. *Beati* quidem sunt, *qui esuriunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [59]. *Esurientes*, inquit, *implevit bonis* [60]. Qui enim divitias temporales appetunt, non satiabuntur eis. Hæc est aqua de puteo Samariæ, de qua qui biberit, sitiet iterum [61]. Hæc aqua non reficit, quia non sufficit. *Divites eguerunt, et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* [62]. Cibus autem justitiæ dum plus appetitur, plus dulcescit. Unde et ille qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient ; et qui bibunt me, adhuc sitient* [63]. Non est tamen ita insatiabilis appetitus justitiæ, sicut amor pecuniæ; nam in istis est appetitus sine satietate, in illa est satietas sine attædiatione. Unde Propheta : *Ego in justitia apparebo in conspectu tuo : satiabor, cum apparuerit gloria tua* [64]. Qui ergo esurit in præsenti, satiabitur in futuro. Sed nunquid omnes illi esuriunt justitiam qui desiderant esse justi? nequaquam. Sunt enim plerique mali, qui desiderant esse justi; sed victi et vincti peccandi consuetudine adhuc pascunt porcos, nec revertuntur ad Patrem, desiderant et suspirant non amare quod amant : et compuncti ad justitiam, delectationem peccati amplectuntur, nec recedunt a malo qui ad bonum desiderio fervent. Quod compunguntur ad bonum, quædam gratia est vocationis, non justificationis. Justitia enim non affectu æstimanda est, sed affectu et consensu. *Quæ*, inquit Apostolus, *participatio est justitiæ cum iniquitate, aut quis consensus tem*A*plo Dei cum idolis* [65]? Si quis deplorat vitam quam perdidit, et justitiæ consentit, jam justitiam esurit, jam ad Patrem reverti proponit, jam pedem in viam rectam posuit, et ad meliora suspirans dicit : *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* [66]. Et licet desideret, amplius tamen appetit dicens : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore* [67]. Laborat ad profectum, ut veniat ad perfectum. Videt enim Pater suus a longe, quoniam *longe a peccatoribus salus* [68] : sed venienti et lætabundus accedenti occurrit. De tali cursu loquitur Isaias: *Occurristi*, inquit, *lætanti, et facienti justitiam, in viis tuis recordabitur tui* [69]. Pius Pater, si juxta meritum responderet, oculos suos declinaret ab eo, ad preces illius obsurdesce-B ret, et ei turpitudinem præteritæ conversationis objiciens, ipsum graviter objurgaret. Sed humilitate filii fractus et victus, deponit duritiam, induit misericordiam et rigorem, quem meruerat filius, convertit in gratiam. Tardius est patri misericordiam impendere filio, quam filio patris misericordiam obtinere. Prævenit et anticipat preces filii revertentis, accelerat et occurrit, et cadens super collum filii, eum osculatur, et dicit :

Cito proferte stolam primam, et induite illum : et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus : et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur, quia filius meus mortuus fuit, et revixit [70]. Stola est sanctificatio spiritus ; annulus, fides ; calceamenta, docu-C menta doctrinæ. Vitulus, sacrificium altaris : solemnes epulæ, gaudium angelorum super peccatoris conversionem. Osculatur et amplectitur pater filium, insinuans per osculum et amplexum, quod eum in viscera paternæ pietatis recipit, quod ei se totum aperit, totum se inspirando effundit, ut sit unus spiritus cum eo, qui unum fuerat membrum cum meretricibus luxuriose vivendo. Eum suis inserit et complantant membris, qui membrum fuerat meretricis. Quid animi, obsecro, erat illi misero, imo illi beato et superbeato pœnitenti inter amplexus et oscula pii patris, cum recalesceret, et respiraret cor afflicti, et pene desperati; cum ei cor mundum et spiritum rectum atque lætitiam salutaris Pater infunderet? Cor hominis angustum D est, et anima humana gaudium cœleste plene capere non sufficit. Ideo liquefit anima ejus, et scinditur cor in seipsum contritione ac gemitu, et ignitas compunctiones de recordatione primæ miseriæ et improvisæ lætitiæ concipiens, quia eas interius continere non potest, in diluvio aquarum multarum mista cum dolore lætitia anima sese non capit : et in tantæ gratiæ dono liquefacta diffundit. Peccator igitur sive filius hinc pudore, et inde dolore, hinc gaudio et non amore in diversa distractus, lætitiæ

---

[58] Luc. 15. [59] Matth. 5. [60] Luc. 1. [61] Joan. 4. [62] Psal. 33. [63] Eccle. 24. [64] Psal. 16. [65] II Cor. 6. [66] Psal. 118. [67] Ibd. [68]. 5. Ibid. [69] Isa. 64. [70] Luc. 15.

quæ illi offertur, non sufficit, et patrem non solum misereri, sed miserando gaudere compellit. O bone Jesu ! o benigne ! o amabilis ! o amor Deus ! o charitas Deus ! si tanta sint solatia tua circa pœnitentes, quanta erunt gaudia tua circa regnantes ? Hanc Patris affectionem vitæ suscitat humilitas filii, ipsa sola reconciliat filium suum Patri : nam, juxta Sapientis verbum, *custodia pacis est humilitas* [71]. Noli homo superbire, quoniam superbis resistit Deus, et cum humilibus sermocinatio ejus. Humilia te ergo sub potenti manu Dei ut cum filio pœnitenti dicas Patri : *Pater, peccavi in cælum, et coram te:* Pater, *jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis* [72]. Nihil adeo te Patris gratia dignum facit, quam si gratia illius indignum te judices. Peccatum itaque tuum coram te sit semper. Et sicut Sapiens dicit : *De indulto et propitiato peccato noli esse absque metu* [73]. Cum habueris gratiam filii, et cum omnia bene feceris, judica te inutilem servum. Sola enim humilitas est innocentiæ fundamentum ; profectus atque professus, custodia et disciplina virtutum. Ipsa est condimentum omnis justitiæ, et sine illa omnes justitiæ meæ quasi pannus menstruatæ. Si quis in homine defectus est virtutum, humilitas totum supplet ; si quid quod displiceat, humilitas totum redimit et excusat. Hæc est quæ laqueos ostensos Antonio sola pertransit, sola ei nos conciliat et commendat : qui pro no is factus mitis et humilis corde ad humilitatem et pœnitentiam nos invitat Christus Jesu, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

IN EADEM QUADRAGESIMA. — DE LUCTU.

Mæror viri humiliabit eum, et sermone bono lætificabitur [74].

Sapiens fructum et effectum mœroris insinuat ; sed et uberrimam merendi gratiam et plangendi materiam habemus in nobis. Lugere possumus et debemus bona quæ amisimus, et mala quæ commisimus : ecce primum testimonium ; pericula quæ sentimus, ecce secundum, tribulationes quibus urgemur, ecce tertium ; terrorem futuri judicii, ecce quartum. Istam lugendi quadripertitam materiam Psalmista distinguit dicens : *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis* [75]. Dolores mortis persecutiones sunt, et pressuræ quas patimur : et sunt quædam præambula mortis. Responsum enim mortis habemus in nobis. Torrentes iniquitatis sunt impetus peccatorum ; dolores inferni per se patent, laquei mortis tentationes sunt et retiacula inimici. De malis commissis luget Propheta : *Multiplicatæ,* inquit, *sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei* [76]. De bonis vero omissis admonuit : *Defecerunt in vanitate dies mei, et anni mei in gemitibus* [77]. Si aperiantur cataractæ capitis mei, et effundantur in lacrymas ; si disrumpantur fontes aquarum, ut de abysso cordis mei per lacrymas inundet diluvium aquarum multarum, non potero lugere ad plenum mala quæ feci, dies quos perdidi, qui iniquitatem quasi aquam ab adolescentia mea bibi. Sed et pro imminentibus mihi malis, et tentationibus importunis luctus mihi est, *et dolor continuus cordi meo* [77*]: quoniam *repleta est malis anima mea* [78], et *circumdederunt me mala quorum non est numerus* [78*]. *Defixus sum in limo profundi* [79], *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum ; sicut onus grave gravatæ sunt super me* [79*]. Tu autem, Domine Deus Sabaoth, *libera me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me* [80]. Exitus *aquarum deducant oculi mei* [80*]. Da mihi luctum et lacrymas Petri, quibus apostasia ejus delata est. Da mihi lacrymas Mariæ peccatricis, quibus ipsa mundata, et Lazarus resuscitatus est. Lacrymas dico, quæ vitæ Auctorem ad lacrymas compulerunt. Secunda lugendi materia est pressura tentationum, quæ nos circumquaque angustiant ; aliæ supra nos, aliæ infra nos, aliæ circa nos, et omnes contra nos. In omnibus quæ cogitamus, quæ agimus, quæ dicimus, quæ acquirimus, quæ amittimus ; in omnibus quæ placent, quæ displicent, quæ adjuvant, vel quæ nocent ; in omnibus tentamur et affligimur. Denique totum tentatio est, quod sumus, quod vivimus. Secut legitur : *Tentatio est vita hominis super terram* [81]. Et hoc est quod beatus Job dicit : *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis* [81*]. Revera multæ sunt hominis miseriæ, qui in miseria nascitur, in miseria nutritur, in miseria consumitur. Miseria sumus intus pleni, foris miseria circumdati.

Inter has tentationum angustias, Paulus clamare compellitur : *Infelix ego homo ! quis me liberabit a corpore mortis hujus* [82] ? Et alibi : *Supra modum gravati sumus ; ita quod tædeat etiamnos vivere* [82*]. Sed et Jonas dicit : *Irascor usque ad mortem* [83], Elias etiam inter varias tentationes et pressuras petivit animæ suæ ut moreretur : *Sufficit,* inquit, *mihi ; tolle animam meam* [83*]. David quoque tentationum pondus profitebatur cum lacrymis, dicens : *In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem. Exaudi orationem meam, Domine, auribus percipe lacrymas meas* [84]. Terrere nos potest exspectatio futuri judicii, ubi erit in judice severa æquitas, in tortoribus severa et inaudita crudelitas, in pœnis

---

[71] Prov. 11. [72] Luc. 13. [73] Eccli. 5. [74] Prov. 12. [75] Psal. 22. [76] Psal. 39. [77] Psal. 30. [77*] Rom. 9. [78] Psal. 87. [78*] Psal. 39. [79] Psal. 68. [79*] Psal. 37. [80] Psal. 50. [80*] Psal. 118. [81] Job. 7 *juxta LXX*. [81*] Job. 14. [82] Rom. 7. [82*] II Cor. 1. [83] Jonas. 4. [83*] III Reg. 19. [84] Psal. 38.

intolerabilis et æterna anxietas. *Et quis poterit sustinere diem adventus ejus, aut quis stabit ad videndum eum* [85] ? *Quis* enim *habitare poterit cum igne devorante ? aut quis habitabit cum ardoribus sempiternis* [86] ? Justus dicit : *In me, Domine, transierunt iræ tuæ. et terrores tui conturbaverunt me* [87]. Hoc ultimum ad pœnam refertur æternam. Job etiam dicit : *Sagittæ Domini in me sunt ; quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores militant contra me* [88]. Quod dicit, *sagittæ Domini in me sunt ;* hoc est *in me transierunt iræ tuæ.* Quod dicit *terrores mili ant contra me ;* hoc est *terrores tui conturbaverunt me.* Sunt tamen lacrymæ suaves et dulces, quæ de futuri gaudii exspectatione procedunt Unde Propheta : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua* [89]. *Quando veniam, et apparebo ante faciem Domini ? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* [90] Hoc est vinum lætitiæ, de quo dicitur : *Date vinum mærentibus, et siceram his qui amaro sunt animo* [91]. Hoc vinum necessarium est nobis, ob frequentes infirmitates. Tamperandum est tamen, ne ebrietatem inducat, et spiritum vertiginis, quem miscuit Dominus in medio Ægypti [92]. Expedit ergo ut poculum nostrum cum fletu misceatur, ut mœror viri eum humiliet. Patientia etiam attrita grandescit, et *virtus in infirmitate perficitur.* Sunt lacrymæ quæ de charitate hauriuntur, quasi de fontibus Salvatoris, quando animus ex desiderio cœlestium, quodam spirituali gaudio resolutus, in lacrymas diffluit et liquescit, et recordatione desiderabilium suorum mirabiliter interius se effundit, ut possit dicere : *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei* [93]. Harum lacrymarum dulcedinem experimento cognoverat, qui languido amore dicebat : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* [94], scriptum est enim : *Emittet verbum suum et liquefaciet ea ; flabit spiritus ejus et fluent aquæ* [95]. Dilecto ergo loquente, et Spiritu sancto flante, fluunt aquæ, quibus rigatur hortus deliciarum, ut fluant aromata illius. Hæ sunt aquæ mellifluæ, quibus fecundatur ager, cui benedixit Dominus ; etenim cœli distillaverunt stillicidia super terram, quibus lætabitur germinans pluviamque voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ, ut euntes et flentes mittamus semina nostra. Venientes autem veniemus cum exsultatione, portantes manipulos nostros, habentes de mœrore solatium, et de dolore plenitudinem gaudiorum, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVII.

IN EADEM QUADRAGES : DE OBEDIENTIA, CRUCE, ET PASSIONE CHRISTI.

Christus factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem [96].

A Quanta sit obedientiæ virtus prius declarat Altissimus in universis quæ ab eo creata sunt. Postea in seipso, qui universitatis creator est. Cœlum et terra, mare et omnia quæ in eis sunt, eum audiunt, et obediunt voci ejus Terra ad nutum ipsius protulit herbam virentem, et lignum pomiferum juxta genus suum, etc. ; quæ longum est dicere. Cœli diviserunt aquas ab aquis, et luminaria susceperunt ; sed et luminaria vocata, juxta verbum prophetæ, dixerunt : *Adsumus* [97]. Et luxerunt ei cum jucunditate. *Mare et venti obediunt ei* [98]. *Ignis, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* [99]. Verbum ejus facit omnia, quia verbo ejus facta sunt omnia. Omnia obediunt Altissimo et conserviunt. Sicut scriptum est : *Ordinatione* B *tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi* [100]. Solus homo qui ad hoc spiritualiter creatus erat, ut suo Creatori serviret, servire contemnit : ergo omnis creatura merito insurgebat pro Domino in accusationem et damnationem hominis, juxta illud Sapientiæ : *Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos* [1]. Et Ecclesiasticus : *Omnis factus tibi Factori deserviens, excandescit in tormentum adversus injustos* [2]. Sed Filius Dei vincens in sapientia malitiam, in humilitate superbiam : Si homo, inquit, mihi servire detrectat, ego ei serviam, et pro eo ut eum a servitute redimam, faciam me servum, ut ejus onera portem, faciam me jumentum. Et ad Patrem loquens : *Paratum,* inquit, *cor meum ; paratum cor meum* [3]. Si vis hominem C quidquam pati, paratum est cor meum pati. Si vis hominem flagellari, ecce pro eo in flagella paratus sum. Heu mihi ! quis non timeat, qui non contremiscat, attendens pondus iniquitatis nostræ, cujus redemptio tantum pretium exigebat ? Vere insanabilis plaga, et horrenda erat hominis damnatio, pro qua oportebat Filium Dei mori ! O quam damnabilis erat iniquitas nostra, pro qua Christus toties sanguinem suum fudit ! Fudit in circumcisione, fudit quando in agonia factus est, quando sudor ejus erat quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram ; fudit quando ligatus ad stipitem dorsum posuit ad flagella ; fudit pedibus et manibus cruci affixus, fudit spinis in capite multipliciter punctus, fudit et lancea perforatus. Christus equi- D dem ideo sanguinem suum multipliciter fudit, ut hi, qui de sanguinibus nati erant, qui stolam innocentiæ peccato polluerant, lavarent stolas suas in sanguine Agni. Aliter enim purgari non poterant, sicut Apostolus dicit : *Quem posuit Deus propitiationem per fidem, in sanguinem ipsius* [4]. Sic Agnus paschalis quarta decima luna vespere immolabatur [5]. Quod dicitur *luna quarta decima* plenilunium notat. Quod dicitur *ad vesperum,* occasum solis insinuat. Sol justitiæ Christus est ; luna Ecclesia. Tendit sol, id est Christus ad mortis occasum ; luna id

[85] Malach. 3. [86] Isa. 33. [87] Psal. 87. [88] Job. 6. [89] Psal. 55. [90] Psal. 41. [91] Prov. 31. [92] Isa. 19. [93] Psal. 41. [94] Cant. 5. [95] Psal. 147. [96] Philipp II. [97] Baruch. 3. [98] Matth. 8. [99] 148. [100] Psal. 118. [1] Sap. 5. [2] Sap. 16. [3] Psal. 56. [4] Rom. 3. [5] Exod. 12.

est Ecclesia a sole justitiæ illuminata, consurgit in ortum. Factus est ergo obediens non solum usque ad beneplacitum Patris, sed usque ad mortis angustias, et ignominiam crucis. Ut enim de inferno ascenderet homo, Christus de cœlo descendens, ascendit in crucem. Et hoc est quod in Canticis sponsæ quandoque prædixerat : *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus* [6]. Crux Christi, sive fides ; crucis palma est, victoria est. *Hæc est victoria quæ vincit mundum* [7], quæ triumphat principem hujus mundi. Plane mors destructa est ; et qui habebat mortis imperium, victus et ejectus est : Hanc palmam ascendit qui in cruce suspensus est, Christus Jesus, de quo Esdras propheta prædixerat : Unxerat me, non sicut Patrem, qui liberavit nos de terra Ægypti stantes ante tribunal judicis, humiliasti me suspensum in ligno, et morti tradidisti me. De hoc eodem Moyses legislator : *Erit* inquit, *vita tua pendens ante oculos tuos* [8]. Crux cum esset olim patibulum damnatorum, fructus illius erant timor, horror, ignominia et mors. Ex quo vero Christus ascendit in palmam, ex quo Agnus innocens ascendit victoriose in crucem, mutati sunt fructus ejus. Et ubi prius erant timor, horror, dolor, ignominia et mors, ibi hodie apprehendi possunt pax, honor, jucunditas, vita et gloria. Crux, quæ olim fuerat extremæ vilitatis et exquisitæ damnationis supplicium, hodie elevata est in magnificentia et gloria. Et de tormentis latronum translata est ad frontes imperatorumet regum ; et ad capita summorum pontificum. Multi et admirabiles sunt fructus crucis : *Venite* ad eam *omnes qui laboratis et onerati estis* [8*], qui lapsi et confracti et collisi estis. Quid etiam ita lapsos reparat ? quid ita fractos consolidat ? quid ita hominum morum sanctitatem et devotionem conservat ? Quid tam pium, tam fidele, tam salubre, aut medicinale sicut memoriæ crucis Christi ? quid ita peccatum interficit ? quid ita potentiam hostis evacuat ? quid ita omnem in homine malitiam crucifigit ? Nihil dulcius, nihil acceptius, nihil amabilius aut suavius est illis, Christe, qui te diligunt, et qui pro amore tuo mortificationem crucis in sua carne circumferunt. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibili et ineffabili artificio charitatis Christus in cruce cruciatus æternos exstinxit ! De morte et miseria humana, vitæ et salutis confecit antidotum, ut miseria miseriam absorbeat, ut mors mortem deglutiat, et totus homo beneficio passionis Christi in gratiam et gloriam impassibilitatis assurgat. Hæc sunt mysteria : hæc sunt beneficia crucis ; hæc est quæ eduxit filios Israel de Ægypto, quæ nos ab æterna captivitate redemit. Hæc est virga quæ devoravit dracones Pharaonis : hæc est quæ aquas de petra eduxit, quæ de corde lapideo pœnitentiales lacrymas effluere facit : hæc est quæ dulcoravit aquas Marath, quia omnem dolorem suavissimum facit Domini memoria passionis. Crux equidem nobis est arca testamenti. Hæc est nobis propitiatorium exauditionis, vexillum salutis, titulus sanctitatis. Spes victoriæ fœdus et arca divinæ gratiæ, character Christianæ militiæ, fundamentum fidei, subversio inimici, spoliatio inferni, scala cœli, janua paradisi, revelatio lapsorum, clausorum apertio, consolatio afflictorum, tutela corporum, armatura spirituum, salus viventium, vita mortuorum, liberatio captivorum, humilium consolatio et dejectio superborum, turris David, specula Sion, generalis omnium salus, unicum omnium et commune refugium. Super omnia, Christe Jesu, te nobis amabilem facit passio tuæ crucis, hic ostendisti quantum nos dilexeris. *Majorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [9]. Passio tua omnes evacuans passiones, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Nihil adeo, fratres, ad mortem est, quod mors Christi non sanet. Ipse redemit per misericordiam suam Israel ex omnibus iniquitatibus suis. *Quoniam apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* [10].

Sed quid faciet Christus inter lacrymas matris suæ, et discipulorum dolentium et suspirantium, inter opprobria exprobrantium et dicentium : *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere ; si Filius Dei* est, *descendat nunc de cruce et, credimus ei* [11] ? Petrus dicit : Propitius sis tibi Domine [12]. Et discipuli : *Nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* [13]. Judæus exsultat et insultat ei, atque cæteris discipulis fugientibus, Petrus desperat et negat. *Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur* [14] ? Tu qui respicis terram, et facis eam tremere, ostende potentiam tuam, ut sciant gentes quoniam est nomen tibi Dominus, tu solus altissimus es in omni terra. Porro dum venditur et dum traditur, dum ligatur, dum flagellatur, dum conspuitur, dum damnatur, dum cruci affigitur, dolorum et miseriarum suarum oblitus, sed misericordiarum recordatus : *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* [15]. Jesu, Jesu ! volat irrevocabile verbum tuum : non revertetur ad te vacuum, sed faciet ad quod misisti illud. O quam multus es ad ignoscendum, Domine ! Judæi clamant : *Crucifige* [16] ; tu clamas : *Ignosce*. O quam *magna est multitudo dulcedinis tuæ, Domine !* [16*] O quam *confirmata est super nos misericordia* tua, Domine ? [17] O bone Jesu, o benigne, o amabilis, o desiderabilis, o suavis, o dulcis, o amor Deus, o charitas Deus ! quam dulci, quam desiderabili torrente voluptatis potabis eos qui te diligunt, qui sic audientes et crucifigentes te perfundis oleo misericordiæ ! Sane non est a sæculo facta oratio ita opportuna, ita temperata, ita tempori et necessitati accommodata. Nam in ipsa elevatione

[6] Cant. 7. [7] I Joan. 5. [8] Deut. 28. [8*] Matth. 11. [9] Joan. 15. [10] Psal. 129. [11] Matth. 27. [12] Matth. 16. [13] Luc. 24. [14] Psal. 93. [15] Luc. 23. [16] Joan. 19. [16*] Psal. 30. [17] Psal. 116.

A manuum tuarum Jesu, cum sacrificium matutinum in vespertianm transiret, in ipsa virtute incenci quod cœlos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat, exaudiendus pro reverentia tua clamas : *Pater, ignosce eis quia nesciunt quid faciunt.* In ira plebis Judaicæ sævientis suam Dominus avertit iram, et effudit gratiam. Hoc verbum gratiæ, verbum misericordiæ semper habendum in corde, semper habendum in ore. *Pater, ignosce eis*, etc. *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est* [17*]. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum* [18]. Et jam sapiens et intelligens misericordias Domini, securus sum, quia quem habebam judicem, habeo advocatum. *Pater*, inquit, *ignosce*. Quid, anima mea, mœrore consumeris? *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* [19] Nunquid consiliarus non est tibi? Nunquid resina non est in Galaad, et medicus non est tibi, tu qui tam pacifice locutus es crucifixoribus tuis : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* [20] : Loquere pacem in plebem tuam. Da voci tuæ vocem virtutis. *Sana animam meam, quia peccavi tibi* [21]. *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum* [22], tu qui es summe bonus, sine quo nullus bonus ; qui es, sicut Apostolus dicit, imago Patris, forma pulchritudinis, signaculum sanctitatis [23] : signa cor meum sub custodia tua, Deus cordis mei, et pars mea in æternum. Signa omnes qui signum crucis adorant, et te adorando honorant, qui es honor, virtus, et sapientia Dei, justitia, et redemptio et sanctificatio nostra [24], Jesu Christe, qui es benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVIII.

IN CŒNA DOMINI.

Cum surrexit Jesu a cœna, misit aquam in pelvim, etc. [25].

Initio Quadragesimæ nobis a Domino datum est in mandatis, ut jejunando lavaremus facies nostras [26]. Hodie idem Dominus in schola evangelicæ disciplinæ verbo et exemplo nos docet invicem pedes nostros abluere. Nam cum ad imaginem suam Creator nos fecerit, per primam prævaricationem deformata est in nobis imagino cœlestis. Ideoque lacrymis pœnitentialibus abluenda est, ut sicut per culpam terreni hominis imaginem portavimus, ita per pœnitentiam ad cœlesti imaginem reformemur. Apostolus ait : *Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis ; si autem portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis* [27]. Terreni hominis imaginem Psalmista exprimens : *Homo*, inquit, *vanitati similis factus est* [28], imago primi est Veritas, imago secundi est vanitas ; nam in vanitate transeunt dies ejus sicut umbra pereunt Nihil adeo in nobis deformatum est quod pœnitentia non abluat, et reformet. Apostataverat Petrus ; sed apostasiam ejus lacrymæ deleverunt. Beata illa peccatrix septem possessa dæmoniis, lacrymarum beneficio liberatur [29]. Lacrymæ Samuelis veniam impetraverunt. Lacrymæ oculos Tobiæ aperuerunt, et ab ejus nuru dæmonium expulerunt. Lacrymæ universitatis auctorem ad lacrymas compulerunt, atque suscitationem Lazari meruerunt. Hæ sunt aquæ calidæ quas invenit Ana filius Sebeon, cum custodiret asinos patris sui. De quibus Propheta dicit : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* [30]. Quia tamen non possumus evitare quin de pulvere humanæ conversationis aliquid contrahamus, præcipimur pedes

B abluere, ut post tempus pœnitentiæ jam peractæ non solum a criminalibus, sed etiam a venialibus omnino purgetur finis, et consummatio vitæ nostræ, quæ per pedes significatur, sicut propheta commemorat : *Sordes*, inquit, *in pedibus suis, nec recordata est finis sui* [31]. Jesus ergo purgationem faciens, cum jam discipulos suos gratia, et sermone mundasset, sicut ipse dicit : *Mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* [32]. Alibi etiam quoniam Judas cum eis adhuc erat, dixit : *Mundi estis, sed non omnes* [33]. Surgens ergo a cœna, et præcingens se linteo, misit aquam in pelvim, etc. Cœna hæc mensa Domini est, quæ nobis apponitur ad custodiam et defensionem adversus malitias inimici. *Posuisti*, inquit, *in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me* [34]. Triplex mensa est.

C Prima Moysi in deserto, de qua dictum est : *Facies mihi mensam de lignis setim, et inaurabis eam auro purissimo* [35]. Secunda est Christi in sæculo, de qua Apostolus : *Non potestis communicare mensæ Christi, et mensæ dæmoniorum* [36]. Tertia est totius Trinitatis in cœlo, de qua Veritas dicit : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno Dei* [37]. Huic mensæ non communicat, nisi qui a cunctis criminalibus sunt abluti. Unde et Apostolus dicit : *Habemus altare de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo deserviunt* [38]. Tabernaculum carnis nostræ domus est. Tabernaculo itaque deserviunt fornicatores, adulteri, ebriosi, gulosi, et cæteri qui curam carnis in desideriis agunt. Summa equidam cautela utendum est, ut digne accedamus ad

D mensam, sicut scriptum est : *Cum sederis ad mensam divitis, diligenter attende quæ tibi apposita sunt, et appone cultrum gutturi tuo, et scito quia te eadem oportet præparare* [39]. Et hoc est quod propheta tangit, dum dicit : *Pone mensam contemplare in specula, comedentes et bibentes* [40].

Discreta speculatione, et diligenti consideratione

[17*] Cant. 5. [18] Psal. 61. [19] Psal. 41. [20] I Reg. 3. [21] Psal. 40. [22] Psal. 34. [23] Hebr. 1. [24] I Cor. 1. [25] Joan. 13. [26] Matth. 6. [27] I Cor. 15. [28] Psal. 143. [29] Luc. 7. [30] Psal. 118. [31] Thren. 4. [32] Joan. 15. [33] Joan. 13. [34] Psal. 22. [35] Exod. 25. [36] I Cor. 10. [37] Luc. 22. [38] Hebr. 13. [39] Eccli. 31. [40] Isa. 21.

pensanda est hujus dignitas sacramenti, de quo Apostolus dicit: *Magnum est sacramentum pietatis, manifestatum in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum mundo, assumptum in gloria* [41]. Nil hic simulatum, nil vilificatum, nil fictum, nihil penitus obumbratum. Magnum est hoc sacramentum dicit Apostolus. Vere magnum, quia magnum pretium mundi, pretium impretiabile, super omnem æstimationem, super omnem intelligentiam super omnem eminentiam. Quidquid in eo est, veritas est, et quidquid in eo patet, est quidquid patet. Nam sub specie visibili totus Christus absconditus est, posuit tenebras latibulum suum. Unde et ad eum propheta loquens: *Vere Deus absconditus, tu es Rex Israel Salvator* [42]. Prius absconditus fuit in sinu Patris, a quo descendit; postea absconditus in forma servi quam suscepit; nunc absconditus in sacramento, quod ipse hac eadem die instituit. Veritatem ergo rei percipimus sub quodam velamento speciei, sub quodam cortice sacramenti. Et hoc est forte quod Isaias dicit: *Pulli asinorum, qui operantur in terra, mistum migma comedent* [43], id est hordeum cum palea, veritatem scilicet sub figura. Nunc quasi paleis pascimur, et non satiamur, sed erit cum videbimus eum facie ad faciem. Sicut scriptum est: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* [44]. Christus est qui quasi pignus et arrham suæ dilectionis, et obsidem charitatis suæ sacramentum illud saluberrimum instituit et reliquit. *Hoc est*, inquit, *corpus meum*. Nullus, quæso, hic dubitet, audiat quid loquatur, credat potius Christo quam sibi, ut sit cum Deo creditus spiritus ejus [45]. *Abneget semetipsum* [45*]: nec sequatur oculum rationis humanæ, quia lippus est. Sequatur Christum fide et spe qui est veritas et vita. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te* [46]. Spiritus sanctus in simplicitate fidei, non in argumentis rationis humanæ vult nos salvos fieri, sicut scriptum est: *Et cum humilibus sermocinatio ejus* [47]. Propheta dicit: *Nisi credideris, non intelliges* [48]; sed et fides scientiam habet, quod manifeste habes in Job: *Scio quia Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* [49]. *Scio dicit Martha, quia quodcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus* [50]. Et de fratre loquens: *Scio*, inquit, *quia resurget in resurrectione in novissimo die* [51]. Et Paulus: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem* [52]. Passionem Christi evacuant, totumque negotium nostræ redemptionis irrident qui cum summa humilitate, et diligentia non attendunt cum quanta reverentia caro et sanguis Christi debeat confici, quam devote tractari, quam sancte suscipi, quam industrie dispensari. Si enim, ut verbo Apostoli utar, *sanguis hircorum, aut taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obstulit Deo, emundabit conscientiam nostram ad serviendum Deo viventi!* [53] Hæc vero de sacramento altaris, et de missa proposui, quia hodie hujus sacramenti institutio facta est: hodie, ut ita dicam, missa nata est. Unde et quasi in die sui Natalis missa elegantiore cultu, et cum multitudine, et diversitate sacerdotum circumstantium celebratur, sicut scriptum est: *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris* [54], id est in multitudine sacerdotum usque ad virtutem et efficaciam sacramenti. Qui ergo lavatis hodie pedes, facite ut lota sit facies prævaricationis antiquæ. Alioquin vobis judicium mortis æternæ manducatis et bibitis, si non dijudicantes corpus et sanguinem Christi, ad eum accedatis. Sed nec desperetis, habetis Petrum, habetis Paulum, habetis publicanum et Chananæam, habetis et illam nominatissimam peccatricem, exempla pœnitentiæ: habetis Christum exemplum misericordiæ, fontem gratiæ, inexhaustum fontem positum in ablutionem peccatoris et menstruatæ, qui nos abluat, qui nos ad mensam suam recipiat, et seipsum nobis in sua mensa communicet in hac vita viaticum et in futuro plenitudinem desideriorum, Christus Jesus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

DE EADEM CŒNA DOMINI.

Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; sub umbra ejus vivemus [55].

Verba sunt Jeremiæ prophetæ. *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis* [56]. Passionem enim Christi quam Moyses nunc in vitula rufa typice præsignaverat, Jeremias apertissima verborum insinuatione demonstrat. Spiritus oris nostri, per quem speramus, per quem loquimur, per quem vivimus, per quem sumus, *captus et in peccatis nostris*: Nostris, non suis, quia quæ non rapuit, exsolvit. Et hoc est quod alius propheta dicit: *Laborare me fecistis in iniquitatibus vestris* [57]. Et in cruce pendens poterat dicere homini: Viæ tuæ et iniquitates tuæ fecerunt hæc mihi, *ut jumentum factus sum apud te* [58]. Si oneratus es, alleviabo te; et portabo onus tuum, ut in meipso impleam legem meam, sicut scriptum est: *Alter alterius onera portate; et sic adimplebitis legem Christi* [59]. Ponam dorsum ad onera et flagella. Si venundatus es sub peccato, ego tanqnam vile mancipium, aut vile jumentum vendi me permittam, ut habeas pretium

---

[41] I Tim. 3. [42] Isa. 45. [43] Isa. 30. [44] Psal. 16. [45] Psal. 77. [45*] Luc. 9. [46] Matth. 5. [47] Prov. 3. [48] Isa. 7. [49] Job. 19. [50] Joan. 11. [51] Ibid. [52] II Tim. 1. [53] Hebr. 9. [54] Psal. 117. [55] Thren. 4. [56] Psal. 118. [57] Malach. 2. [58] Psal. 72. [59] Gal. 6.

redemptionis tuæ. Si per lignum perditus es, per A lignum te redimam. Si per peccatum perditus es, aut damnatus, ego faciam me peccatum, ut damnem de peccato peccatum. O quanta superbia viri! o quanta humilitas Dei! *In humilitate*, inquit, *judicium ejus sublatum est* dicit Isaias [60]. Et subjungit: *Sicut ovis ad occisionem ductus est; et sicut*, etc. Sic ergo e converso modo figurativo, oblatum est unum pro omnibus holocaustum, Holocaustum sanctum et rationabile, in quo odor vitæ, sapor gratiæ, rectitudo gloriæ. Ablata est ab homine omnis materia ingratitudinis. Dicebat homo creatus et non redemptus: Quare serviam Creatori meo? Quid pro me fecit? Si me creavit, creavit boves et asinos, et cætera universa. Quid pro me fecit? Dixit, et factus sum. Jam non potes hæc dicere, serve nequam. B Sustinuit enim pro te insidiatores in factis, exprobratores in verbis, sputa, flagella, lanceam, et ad ultimum mortem crucis. Jam *obstructum est os loquentium iniqua* [60*], nec ceriora potuit Dominus argumenta ostendere charitatis. *Majorem*, inquit, *charitaten nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [61]. Finalem et consummatissimam charitatem exhibuit et Patri et nobis, et nos salvans et mandatum Patris observans. Sicut scriptum est: *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis* [62]. Ideo legalia consummans, et imperium mortis terminans dicit: *Consummatum est* [63]. Super omnia te nobis amabilem facit, Jesu Christe, crucifixio tua. Si ad negotium nostræ redemptionis aliud mortis genus elegisset, minus C sufficiens videbatur. Hic totus homo redimitur, dolet caput spinis spissum, dolent manus clavis infixæ, dolet latus in ligno dure extensum et lancea perforatum, dolent tibiæ, dolent pedes, ut possit dicere: *O vos omnes, qui transitis per viam attendite si est dolor sicut dolor meus* [64]. Mors Christi opus sine exemplo, charitas sine modo, donum sine pretio, gratia sine merito. Gloriatur gentilis in desiderio animæ suæ, glorietur Christianus in Domini sui cruce. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* [65]! Paulus rerum optimus æstimator se nihil existimat *scire, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum* [66]. Et quid tam pium, tam salubre, tam memoriæ infigendum sicut crucifixio Christi? Quid est quod sic peccatum interficiat, virtutem corroboret, et omnem malitiam cru- D cifigat? Christus enim manibus propriis peccata nostra cruci affixit: et ut redimeret hominem miserum, post multitudinem miseriarum seipsum sacrificium obtulit vespertinum. Crucifixus crucifigebat veterem hominem cum actibus suis; crucifigebat mundum in electis suis. Crucifigebat Paulum mundo, et mundum Paulo. Vos autem quibus mundus crucifixus est, et vos mundo, vos, inquam, decet, et ad professionem vestram spiritualiter spectat, *nihil* penitus *scire, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum: gentibus quidem stultitiam:* nobis autem et aliis qui salvi fiunt *Dei virtutem et Dei sapientiam* [67].

Aliqui sunt forte qui crucem Christi in habitu bajulant, sed eam in corde, vel in corpore non portant. Isti sunt qui luxuriantur in cruce Domini, et isti non habent Thau in frontibus suis, nec circumferunt stemmata in corporibus suis. *Qui autem sunt Christi, crucifixerunt carnem suam cum vitiis et concupiscentiis* [68]. Isti non timent adventum angeli percussoris. Vera scientia et summa hæc nobis sit *scire Christum crucifixum*, qui factus est nobis a Deo non solum sapientia, sed justitia, et sanctificatio et redemptio. Vere redemptio, et adeo copiosa, ut et ipse redimat Israel ex omnibus iniquitatibus suis. Passio enim propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Sanguis Abel clamat ultionem, sanguis Christi clamat redemptionem. Hic est enim sanguis Agni immaculati, cum quo semel ingressus est summus pontifex sancta, æterna redemptione inventa [69]. Concissus est hodie saccus, in quo erat pretium nostræ redemptionis; conscissus est saccus nostræ immortalitatis in Christo, ut miseriis circumdatus nos misericordia et lætitia circumdaret. *Concidisti*, inquit, *saccum meum et circumdedisti me lætitia* [70]. Hunc saccum sapientia texuit novem mensibus in aula Virginis, hunc in Jordane lavit, in Passidne torsit, in cruce siccavit. Et sic de sacco vestem gloriosam sine macula et ruga composuit. In hoc sacco latuit Christus triginta duobus annis, ut operaretur salutem in medio terræ [71]. Semper posuit tenebras latibulum suum, certe non solum in latibulo, sed etiam in patibulo, ibi abscondita est fortitudo ejus; nam *si* Christum *cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* [72]. *Filii hominum usquequo gravi corde* [73]*?* O tardi! o cæci! o omnium bestiarum bestialissimi! non fuga dæmonum, non languorum sanatio, non suscitatio mortuorum, non obtenebratio solis, non scissio lapidum, non prædictio futurorum duritiam Judæorum ad fidem convertit. Sed nec multorum corda, qui Christum profitentur, contritione ad pœnitentiam scidit.

Judæi crudelissimi homicidæ, imo, ut loquar expressius, deicidæ, qui in Christum Dominum manus sacrilegas injecerunt, non sunt ea contenti malitia, ut affligant Dominum in patibulo crucis, nisi contumeliis affligatur et saturetur opprobriis. Ipse autem quasi homo, sine adjutorio nunc de Caipha ad Pilatum, nunc de Pilato ad Herodem ductus, et ab eo contemptus irridetur, conspuitur,

---

[60] Isa. 53. [60*] Psal. 62. [61] Joan. 15. [62] Psal. 118. [63] Joan. 9. [64] Thren. 1, [65] Gal. 6. [66] I Cor. 2. [67] Ibid. [68] Gal. 5. [69] Hebr. 9. [70] Psal. 29. [71] Psal. 73, [72] I Cor. 2. [73] Psal. 4.

flagellatur, crucifigitur, et crucifixo improperatur : *Vah! qui destruis templum Dei*, etc. *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei* [74] Quid potest, aut quid debet facere Christus? Timendum est ne descendat. Videt ex una parte matrem suam flentem, cujus animam pertransivit gladius passionis; videt ex alia parte discipulum stantem, quem diligebat; videt mulieres illas plangentes, quæ secutæ erant a Galilæa; videt et audit Petrum suggerentem ei, et dicentem : *Propitius esto* [74*] tibi, Domine. Audit adversarios exprobrantes et dicentes : *Si Filius Dei es, descende nunc de cruce*, etc [75]. Quomodo non descendat, ut ostendat se esse Filium Dei, et satisfaciat universis. Propitius esto tibi Domine, dicit Petrus, noli te morti exponere, non decet te sicut hominem peccatorem mori cum sis Deus et Filius Dei vivi. Adversarius noster es, Petre. *Vade retro* : *Non sapis quæ Dei sunt* [76]; non impedias beneficium ex dispensatione redemptionis humanæ. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* [77]. Sed et tu, bone Jesu, non acquiescas consilio Petri. Desperat, et negat; ideo consulit ut crucem ascendas. Imple mensuram charitatis, imple debitum obedientiæ. Non est plena obedientia, nisi sit usque ad mortem. Non est holocaustum, nisi totum incendas. Non bene offers hostiam, nisi caudam hostiæ offeras. Ubi est, Christe, quod de te legitur, quia cum dilexisses tuos, usque in finem dilexisti eos [78]. Si prius deponis crucem quam animam, ubi est charitas quam prædicasti? *Majorem hac nemo habet*, etc. [79] Non te movent opprobria exprobrantium; adhuc respondebis exprobrantibus verbum, adhuc videbunt in quem pupugerunt, adhuc implebis facies eorum ignominia, et quærent te, et non invenient. Si Rex Israel es, dicunt impii, descende nunc de cruce, etc. Generatio hæc prava signum descensionis quærit, et non dabitur ei, nisi signum Jonæ, id est, signum resurrectionis. Majus signum est quia inter mortuos liber de monumento exivit clauso, quam si de patibulo descendisset.

Imple igitur magnum hoc sacramentum pietatis, sicut Apostolus dicit, quod absconditum fuit a sæculis, [80] imple promissiones Patrum, imple Patris obedientiam, imple legem; *non est* alius *qui redimat*, non est *qui salvum faciat* [81]; turpe tibi esset incipere et non consummare : jam incœpisti, jam emanat de fixura clavorum, et de apertura laterum sanguis uvæ, meracissimum mustum habens probatum, pretiosum de vinea Sorece torculari passionis expressum. Jam emanat oleum misericordiæ, emanant aqua et sanguis, ut ex his fiat collyrium oculorum nostrorum. Per foramina clavorum video quia Deus est in Christo, mundum reconcilians sibi.

A *Ferrum*, inquit, *pertransivit animam ejus* [82], et appropinquavit cor illius, ut jam videamus quia in corde ipsius patent arcana cordis; per foramina corporis patent *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto* [83]. Propheta qui nondum per rimas et fixuras clavorum introspexerat, miratur et dicit : *Quis novit sensum Domini : aut quis consiliarius ejus fuit* [84]? Lancea mihi aperuit secretum Domini, de quo prædixerat per Isaiam : *Secretum meum : secretum meum mihi* [85]. Aperit mihi lancea, aperit mihi clavis, quam suavis est Dominus. Sub umbra ejus vivemus inter gentes, umbra Christi, caro est Christi. Umbra Christi, fides Christi est, fides obumbrat mihi, caro obumbrat Virgini matri. Sed et caro ipsa mihi obumbrat B quodammodo, dum suscipio veritatem carnis in sacramento. Nunc in umbra ejus vivimus inter gentes; erit quando in luce ejus vivemus inter angelicas potestates. Prius fuimus in umbra mortis : nunc sumus in umbra vitæ. Sicut sponsa in Canticis dicit : *Sub umbra illius quem* desideravi, *sedi* [86]. Erit quando spes transibit in rem, fides in veritatis certitudinem, umbra vitæ in lucem. Tunc poterimus dicere : *Si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* [87] : tunc enim videbimus eum non in diademate quo coronavit eum noverca, aut mater ejus [88], sed in diademate quo coronavit eum Pater suus in splendoribus sanctorum, quasi Regem in decore suo, quasi Unigenitum a Patre, quia, in Patris æqualitate; ad cujus visionis gratiam nos perducat, C *qui captus est in peccatis nostris* [88*], ut nos abæterna captivitate redimeret Christus Jesus cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

IN DIE RESURRECTIONIS.

Nuntiaverunt filii Jacob Patri dicentes : Joseph filius tuus vivit, et dominatur in tota terra Ægypti. Jacob vero quasi de gravi somno evigilans : Ibo, inquit, et videbo filium meum, antequam moriar [89].

Multorum viscera sæpe concussit et commovit ad lacrymas historia de Joseph : sed historia jam nimis trita est, et præ nimia vetustate multis versa est in tædium. Tota hac Quadragesima audivimus de Abraham, de Isaac, de Jacob, de Esau, et cæteris antiquis patribus. Unde et aures nostræ tinD niunt; sed longe gratior est novitas quam vetustas, Accedat novus ut veterem redimat; novus Tobias ut veterem illuminet; novus Joseph, imo novus et omnia innovans Jesus, ut veterem Joseph de Ægypto educat. Dulcius mihi sapit Jesus quam Joseph. Resurgit hodie Christus a mortuis vitam in nobis suscitans, et destruens regnum mortis. Hic est Jonas qui a ceto absorptus, et vitæ iterum redditus

[74] Matth. 27. [74*] Luc. 18. [75] Ibid. [76] Matth. 16. [77] Joan. 12. [78] Joan. 13. [79] Joan. 15. [80] Coloss. 1. [81] Psal. 7. [82] Psal. 104. [83] Luc. 1. [84] Isa. 40, Rom. 11. [85] Isa. 24. [86] Cant. 2. [87] II Cor. 5. [88] Cant. 3. [88*] Thren. 4. [89] Gen. 45.

pœnitentibus prædicationis verbum annuntiat [90]. A Hic est Nehemias qui muros Jerusalem reparaturus nocte rimas ejus visitat [91]. Hic est Samson qui media nocte surgens, portas Gazæ civitatis asportat [92]. Hic est Eliseus qui mortuus mortuum tactu resuscitat [93]. Hic est Elias, qui cum de torrente in via bibisset, exsiccatus est torrens [94], quia cum Christus de torrente in via bibisset, absorpta est mors in victoria. *Ubi est, mors victoria, tua?* [95]. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam a peccato et morte, ut sicut *Christus resurgens a mortuis jam non moritur* [95*], ita Christianus a morte peccati resurgens et peccato, iterum non moriatur, sed sit vita ejus abscondita cum Christo in Deo.

O quam vera, quam magnifica comminatio illius qui dicebat: *Ero, mors tua, o mors* [96], mortem B pro omnibus gustans omne imperium mortis absolvit. Nam sicut Apostolus dicit: *Si Spiritus Christi habitat in nobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum in nobis* [97]. *Mortuus est*, inquit, *Apostolus, Christus propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* [98]. Resurrexit, sed mel et simpliciter, ut nos dupliciter resurgamus. Prima resurrectio nostra est a peccato, ut jam peccatum non dominetur in nobis. Secunda erit in corpore, cum corpus hoc mortale, animale, ignobile, terrenum et luteum configurabitur corpori claritatis. Christi De prima resurrectione scriptum est: *Exsurge qui dormis, exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* [99]. Prima quidem desiderabilis est; sed desiderabilior est secunda, in C qua dabitur duplex stola. Ideo Propheta dicit: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* [100]! Verbum Joannis est: *Beatus et sanctus est qui habet partem in resurrectione prima* [1]. Ille qui dicit: *Ego sum resurrectio et vita* [2], hodie resurgens a mortuis nos erigit in spem vitæ et certam exspectationem gloriæ filiorum Dei. Exsultabo igitur, quia hæc est dies in qua exsultare præcipimur. *Hæc est*, inquit, *dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* [3]. Eram nudiustertius tristitia et mœrore confectus; et aspiciens Christum mortuum, eram quodam desperationis frigore congelatus, et quodammodo mortuus; sed recaluit cor meum intra me. Et audito quia resurrexit Dominus, *cor meum et caro mea exsultaverunt in Dominum* D *vivum* [4]: quem prius plangebam crucifixum et mortuum.

Exsultemus ergo in Deo Jesu nostro, nec obdormiamus in morte. Nimis enim mortuus est somnoque lethali sepultus qui non vigilat orto jam sole: oculos enim peccati sopore gravatos reverberat sol novus resurgens ab inferis. Hæc est dies, quæ non vesperascit, quia non occidet ultra sol ejus. Hic est qui nobis diem æternitatis reserat, qui ideo semel occidit, ut semel super occasum ascendat, et ut oriatur in cordibus nostris, nec sit qui se a calore ejus abscondat. Calor siquidem desiderii et amoris sui, qui sanctorum corda Christus illuminando vehementer accendit, eos vigilare et excubare ad imperium suum facit; et tales sunt qui inveniunt eum. *Ego enim diligentes me diligo: et qui mane vigilaverint ad me, invenient me* [5]. Maria Magdalena invenit Jesum, quia ut inveniret excubabat ad monumentum, *cum adhuc tenebræ essent* [6]. Nonne merito illi conveniunt verba illa prophetæ: *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spes et mens in præcordiis meis de mane vigilavit ad te* [7]. Et illud: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo* [8]. Qui vigilanter et sollicite quærunt Dominum, dum adhuc tenebræ sunt, invento Domino dicent in jubilo cordis: *Deus Dominus, et illuxit nobis* [9]. *Repleti sumus mane misericordia; exsultavimus et delectati sumus* [10]. Procul dubio exsultabant et delectabantur se invenisse Dominum qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur et aperiret nobis Scripturas* [11]? Invenerat illos Christus igne fidei destitutos; invenerat eos quasi carbones desolatorios fumantes potius quam flammantes. Nonne fumus erat quod dicebant: *Et nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* [12]. Verumtamen ille qui venit illum mittere in terram, et voluit ut arderet, cor ardens faciebat in istis, et quasi gestans lumen in manibus suis, eis aliquantulum innotescere permittit, dum eum cognoscunt in fractione panis, et statim ab eorum oculis evanescit. Sunt aliqui vestrum quibus frequenter accidit, quia, dum ad mensam altaris accedunt, ad sepulcrum Christi cum Maria Magdalena Christum desiderio ac devotione inveniunt tenentes pedes ejus; sed quia in corde eorum nondum plene ascendit, eum tangere non præsumunt. Sæpe etiam accidit vobis, dum de loco ad locum procedebatis: cor vestrum erat ardens in vobis de Jesu cum loqueretur, et aperiret vobis Scripturas. Scripturas enim quæ prius obscuræ fuerant in legendo, vobis ex inopinato sæpe Christus revelavit. Sic occurrit et aperit se Christus his qui diligunt eum, et qui de ejus resurrectione lætantur. Et hoc est fortasse quod Isaias dicit: *Occurristi lætanti et facienti justitiam, in viis tuis recordabuntur tui* [13]. Ideo et non ambulemus in via mandatorum Dei, et in viis justitiæ delectemur. Hodie namque Dominus ambulantibus in via gloriam suæ resurrectionis aperuit, et nos hodie ambulemus, et cantemus in *viis Do-*

---

[90] Jon. 2. [91] Esdr. 2. [92] Jud. 16. [93] IV Reg. 13. [94] III Reg. 17. [95] I Cor. 15. [95*] Rom. 6. [96] Ose. 13. [97] Rom. 8. [98] Rom. 4. [99] Ephes. 5. [100] Psal. 62. [1] Apoc. 20. [2] Joan. 11. [3] Psal. 117. [4] Psal. 83. [5] Prov. 8. [6] Joan. 20. [7] Isa. 9. [8] Psal. 62. [9] Psal. 117. [10] Psal. 89. [11] Luc. 24. [12] Ibid. [13] Isa 64.

mini, quoniam magna est gloria Domini [14]. Gloriam dico quam nobis communicare dignetur, qui hodie de mortis ignominia in gloriam resurrexit, Christus Jesus! Cui sit benedictio et claritas et gratiarum actio in sæcula sæculorum! Amen.

SERMO XXI.

IN EADEM RESURRECTIONE.

Dignus est agnus qui occisus est aperire librum, et solvere septem signacula ejus [15].

Flebat Joannes in Apocalypsi, quia non inveniebat qui solveret septem signacula signati libri. Cum enim Joannes Baptista, qui major erat inter natos mulierum [16], jam se publice judicasset indignum solvere corrigiam calceamenti [17]: perinde erat ac si diceret: Non sum dignus solvere signaculum libri. Nihil est aliud signaculum libri quam ligatura calceamenti. Unus autem de senioribus dixit ei: *Ne fleveris. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere librum, et solvere septem signacula ejus.* Hic est liber involutus, sicut in propheta legitur [18], scriptus digito Dei, in pergameno uteri virginalis. Liber iste in quo legunt angeli delectationes æternas. Septem fuerunt hujus libri signacula. Deus enim gloriam suæ majestatis in carne abscondens, pretium nostræ redemptionis quasi in sacculo consignavit. Nonne saccus fuit carnis mortalis assumptio? *Posuisti*, inquit, *vestimentum meum cilicium* [19]. Et iterum: *Conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia* [20]. In hoc sacculo attulit species pretiosas, veniam peccatorum, profectum virtutum, præmium meritorum. Hunc saccum texuit divina sapientia novem mensibus: nam de illa legitur: *Manum suam misit ad fortia et digiti ejus apprehenderunt fusum* [21]. Hunc saccum in Jordane lavit, in passionne torsit, in cruce siccavit. Humanitas Christi vocatur liber, quia in eo est scientia vitæ et disciplinæ. Vocatur saccus, quia in eo absconditus et signatus thesaurus vitæ æternæ. Fuit ergo vivum signaculum, ut non posset ejus divinitas comprehendi, dispensatio Virginis, corporis infirmitas, circumcisio, fuga in Ægyptum, fames in deserto, humilitas crucis, sepultura. Quæ licet sit ultimum signaculum, multum tamen clausit et abscondit de gloria divinæ majestatis. Hæc omnia Christus hodie solvit, non rupit; nam omnibus quæ ad dispensationem carnis assumptæ pertinebant, obedienter impletis hodie de miseria humanitatis resurgit in gloriam deitatis. *Opportebat* siquidem *Christum pati, et resurgere a mortuis, et sic intrare in gloriam suam* [22]. Suam dico, imo et nostram. Non enim per aliud ostium intrabit caput, et per aliud membra. *Volo*, inquit, *ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* [23]. Ex quo dicit, *volo*, securus sum, quod pro voluntate labiorum ejus non defreu dat eum Pater.

A Suæ igitur resurrectionis gloriam communicabit nobis. Sicut enim propter justificationem nostram mortuus est, ita resurrexit propter nostram glorificationem. Christus semel mortuus, semel resurrexit. Nos autem qui mortui sumus, anima et corpore duplici indigemus resurrectione. *Et beatus qui habebit partem in resurrectione prima* [23]. Prima resurrectio est partim in corpore, partim in anima: secunda perfecta est in utroque. Cum *autem venerit* [24] *quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est.* Tunc enim reformabitur corpus humilitatis nostræ, quod modo deformatum est; tunc, inquam, reformabitur corpus claritatis suæ. Prima specialiter est animæ, secunda corporis. Propheta utramque desiderans, sed plus resurrectionem carnis quam animæ (nam in B illa est perfectio gloriæ), dicit: *Sitivit in te anima mea* quoniam *multipliciter tibi* (quod multum placuit tibi) *caro mea* [25]. Prima resurrectio significatur ibi: *Veniet hora, et nunc est: quando venient, audient Filii Dei: et qui audierint, vivent.* [26] Quasi diceret: Qui modo mortui sunt Christo, et vivunt mundo, audient verbum Evangelii; et credendo et bene operando, suscitabuntur a morte peccati. De secunda habes: *Venit hora, quando mortui qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* [27]. Quod siquidem erit in voce archangeli in novissima tuba, quando Christus ad judicium veniet, dabitque voci suæ vocem virtutis. Mali tunc resurgent in resurrectionem judicii. Boni vero qui per primam resurrectionem, judicaverunt et justificaverunt se, re- C surgent in resurrectionem vitæ. Justi nunc indicant se: et sic resurgunt a morte animæ per justificationem. Impii non timentes terribile judicium, adhuc in immunditiis suis jacent. Sicut scriptum est, quia *non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum* [28]. Et quod in consilium justorum? Verbum Prophetæ est: *Consilium meum justificationes tuæ* [29]. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Cum autem judicamur, a Domino corripimur* [30]. Ita ut non absque ejus cura in hoc mundo damnemur. Ex hac clausula patet quia correctio alia est voluntaria, alia divina. Voluntaria consistit in jejunio et fletu, et planctu, in vigiliis, et disciplinis, in humilitate obedientiæ, et observantia disciplinæ. Aliam diffinirem: sed hic labor est ante me. Percutit et flagellat Dominus, D nunc blande et misericorditer: nunc juste et intolerabiliter: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim novit sensum Domini; aut quis consiliarius ejus fuit?* [31] *Judicia Domini abyssus multa* [32], quia in eis obscuritas et profunditas in infinita. Quis posset comprehendere causam cur Jacob elegerit Dominus, et Esau reprobaverit? Unde hoc quod Judæi a Christo ·

---

[14] Psal. 137. [15] Apoc. 5. [16] Luc. 71. [17] Luc. 3. [18] Ezech. 2. [19] Psal. 68. [20] Psal. 29. [21] Prov. 31. Joan. 12. [23] Apoc. 20. [24] I Cor. 13. [25] Psal. 62. [26] Joan, 5. [27] Joan, 5. [28] Psal. 1. [29] Psal 11. [31] Rom. 11. [32] Psal. 35.

eum quidem non sunt secuti, sed persecuti? Tyrii autem et Sidonii vocati quidem non sunt, et tamen eum secuti sunt. Semen bonum jecit in terram malam, ubi prænoverat semen conculcandum et suffocandum. Et e diverso de terra sterili fructum collegit centuplum. Unos pro Christi amore se jejuniis, vigiliis, disciplinis a pueritia usque in senectutem continue maceravit: et subito in peccato mortali deprehensus et mortuus, sententiam perpetuæ damnationis incurrit. Est alius, qui omni concuspicentiæ satisfaciens, et se ad omnia desideria effundens inimicus Dei et contemptor animæ suæ, postquam in stercore suo computruit, tandem vas electionis conficitur, aliisque sanctitatis exemplum et vivendi forma proponitur. Licet judicia Dei justa sint, tamen abscondita est nobis eorum justitia; et ipse tam mirabiliter quam ineffabiliter, tanquam circumspectus et prudens medicus, infirmitatem quandoque vertit in medicinam. Vidimus enim aliquos qui cum essent pigri et tardi in via mandatorum Dei, et quasi retrogradi, dispensante prudentia illius magni medici, *multiplicati sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*[34]. Quia ergo viæ illius exaltatæ sunt a viis nostris, et cogitationes ejus a cogitationibus nostris, jactemus cogitationes nostras in eum; ut sit in eo conditus spiritus noster. Nam *qui adhæret Deo, unus Spiritus est cum eo*[35]. Nemo timeat se deserere, et Christo committere; sciat quia is cui credit, potens est depositum ejus servare, et cum augmento restituere. Ipse est qui recipit fractum, et restituit integrum, reformans diminutum in plenum, humilem in sublimem, corruptum in incorruptibilem, temporalem in æternum, terrenum in cœlestem, miserum in beatum. Timeo judicium ejus, et propter iniquitatem meam ejus justitiam reformido. Cum sit tamen justus et misericors, ejus misericordia superexaltatur judicio. Ideoque ejus misericordiæ nos universi et singuli commendemus, orantes, ut qui pro nobis judicari sustinuit, in die tremendi judicii nos in sinu misericordiæ suæ recipiat, et participes æternæ resurrectionis efficiat Christus Jesus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

DOMINICA IN ALBIS. — *De tribus testimoniis.*

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum[36].

Postquam Filius Dei factus est filius hominis, et habitu inventus ut homo, merito præsumit homo de divina generatione, nec abhorret Deus eorum fieri Pater quorum Christus factus est frater. Adoptione siquidem filii Dei sumus; sicut Joannes cujus verba A hæc sunt dicit: *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*[37]. Pugna est inter nos et mundum: Nam sicut mundus odit Christum, sic odit et eos qui Christi sunt. *Nolite*, ait, *mirari, si odit vos mundus: scitote quia me priorem odio habuit*[38]. Confidenter ergo credendum est quod qui ex Deo sunt nati Dei sunt, et vincunt mundum. Nam ipse dicit: *Confidite, quia ego vici mundum*[39]. Adoptamur quidem a Deo, ut sit primogenitus in multis fratribus, ut sicut mundum vicit, et nos vincamus, ut sit argumentum cœlestis generationis victoria tentationis. Conformes facti imagini Dei per adoptionem mundum vincimus, sicut ille qui Filius est per naturam. Nam de sanctis scriptum est: *Sancti per fidem vicerunt regna*[40]. Sane ex B fide est vita et victoria. *Justus*, inquit, *ex fide vivit*[41]. Petrus pastor ovium Christi loquens de diabolo tanquam de leone rugiente: *Resistite*, inquit, *ei fortes in fide*[42]. Vide quomodo sibi concinunt testimonia Scripturarum. Paulus dicit sanctos fide vicisse regna. Petrus principi mundi resistendum in fide. Joannes: *Hæc est*, inquit, *victoria quæ vincit mundum, fides nostra*. Sequitur: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Nonne mundus universus hoc credit? Nonne *dæmones credunt et contremiscunt*[43]? Sed non est fides in eo qui fatetur se nosse Dominum, factis autem negat. *Fides enim sine operibus mortua est*[44]: nec intelligenda est fides, nisi sit in cordibus nostris per eum qui vita nostra est. De quo dicitur: *Cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc et* C *nos apparebimus cum ipso in gloria*[45]. Sequitur: *Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus*: et adhuc viam supereminentiorem ostendens: *Spiritus est*, inquit, *qui testificatur, quoniam Jesus est Filius Dei*. Moyses venit in aqua, a qua et nomen accepit. Sed hic est plus quam Moyses, qui non venit in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Perhibet Joannes sanguinem et aquam de Christi latere profluxisse[46]. Tertium dat testimonium, spiritus veritatis, in aqua baptismatis, in sanguine martyrum; in spiritu intellige charitatem, quæ *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*[47]. Licet quis baptismo vel martyrio vincat mundum, nisi charitatem habeat, nil est. Hæc tria testimonia *credibilia facta sunt nimis*[47*]; et be- D neficio charitatis, quæ omnia ad unitatem redigit, et non solum tria, sed omnia unum facit. *Hæc tria*, inquit, *unum sunt*, quia sicut per charitatem Christus est omnia in omnibus, ita per charitatem omnia in Christo unum sunt.

Et notandum, antequam loquatur de tribus testimoniis, quæ sunt in cœlo, præmittit et dicit: *Tres*

[34] Psal. 15. [35] I Cor. 6. [36] I Joan. 5. [37] Joan. 1. [38] I Joan. 3. [39] Joan. 16. [40] Hebr. 11. [41] Hebr. 10. [42] II Petr. 5. [43] Jac. 2. [44] Ibid. [45] Coloss. 3. [46] Joan. 19. [47] Rom. 5. [47*] Psal. 92.

sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, et sanguis: et tres unum sunt [47]. Ut ergo singula suo ordine prosequamur: Pater dat testimonium in cœlo, qui olim *loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in Filio suo* [48*]. Pater testimonium dat, cum Filium suum revelat nobis. De hac revelatione dicit Paulus: *Qui me segregavit ab utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, et revelaret Filium suum in me* [49]. De hac ipsa revelatione loquens ad Petrum Dominus ait: *Beatus es, Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis* [50]. Dat testimonium Pater, cum, Jesu baptizato et ascendente de aqua, aperti sunt cœli, et vox de cœlis audita est dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [51]. Et in transfiguratione: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* [52]. De hac voce Petrus in canonica Epistola dicit: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto* [53]. In Evangelio Joannis de Patris testimonio Christus dicit: *Qui me misit Pater, ipse testimonium perhibuit de me* [54]. Et Joannes in canonica Epistola dicit: *Si testimonium,* inquit, *hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Et hoc testimonium Dei quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo* [54*]: Perhibet Filius testimonium, dum signis et operibus quis esset ostendit. Et cum diceret: *Ego sum lux mundi* [55], dicentibus Pharisæis: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum*, respondit et dixit: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est, quia scio unde venio, et quo vado* [56]. Et item: *In lege vestra scriptum est: Quia duorum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui me misit, Pater* [57]. Item: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus noster est, et non cognovistis eum* [58]. Quod autem dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum*, subintellige, sine testimonio Patris. Unde statim subjungit: *Alius est qui testimonium perhibet de me.* Testimonium dat Filius in monte veritatem non negando. Unde Paulus in prima Epistola ad Thimotheum: *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile* [59]. Dat testimonium Filius resurgendo, et post resurrectionem se in multis argumentis manifestando; perhibuit testimonium ascendendo in conspectu eorum, cum quibus era conversatus. Sicut scriptum est: *Et videntibus illis, elevatus est*, etc. [60]: Reddidit et testimonium suum Spiritus sanctus a diebus antiquis, quando ferebatur super aquas, eas tunc sanctificans; ut nos postea sanctificaret in eis. Testimonium reddebat prophetas inspirans, futura prænuntians, viamque sanctorum, quæ nondum fuerat propalata demonstrans. Sed et tempore visitationis nostræ Deus testimonium perhibet, cum beatum Virginem superveniens visitat et fecundat, dum linguas igneas dispergit, dum in unitate fidei et in unius Dei præconium linguas unit.

Dant ergo testimonium Pater, Verbum, et Spiritus sanctus. Et hi tres unum sunt [60*]. Unum unius essentiæ natura uniusque contestationis concordia. *Tres autem sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, et sanguis.* Juxta opinionem acutius videntium, omnis qui spiritualiter vivit, spiritus appellatur. Sicut Paulus in prima Epistola ad Corinthios inquit: *Qui adhæret Deo unus spiritus est cum illo* [61]. Et Joannes in Epistola sua: *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum venisse in carne ex Deo est: et omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est* [62]. Ille autem solvit Jesum qui verbis confitetur et operibus negat ipsum. Aqua perhibet testimonium, cum quis post baptismum spiritualitur vivens, servat innocentiam quam in regeneratione suscepit, vel post baptismum lapsus, aqua pœnitentiali se abluit. Iste testatur et sanctificatur; quoniam Christus est veritas. Sed et Christum sanguis martyrum publice confitetur. Sic ergo spiritus justorum, aqua pœnitentium, sanguis martyrum testimonium dant in terra Christum esse veritatem, una voce et una confessione clamantia. Ipsi etiam dæmones, velint nolint, testimonium reddunt Christo. Clamant enim in Matthæo et dicunt: *Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos* [63]. Et in Marco clamant immundi spiritus: *Tu es Filius Dei* [64]. Et vehementer Dominus comminabatur eis, ne manifestarent illum. Et item in eodem Marco alius dæmon: *Quid mihi et tibi, Fili Dei altissimi? Adjuro te per Deum ne me torqueas* [65]. Et in Luca: *Exibant dæmonia a multis clamantia et dicentia: Quid nobis et tibi est, Jesu Nazarene? scimus quia tu es Filius Dei. Et increpatus non sinebat eos loqui, quia sciebant ipsum esse Christum* [66]. In Actibus etiam apostolorum cum septem filii Scevæ principis tentando nomen Jesu super dæmoniacos invocarent, et dicerent singuli: *Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat, immundus spiritus dixit eis: Jesum novi*

[47] I Joan. 5. [48*] Hebr. 1. [49] Gal. 1. [50] Matth. 16. [51] Matth. 3. [52] Matth. 17. [53] II Petr. 1. [54] Joan. 5. [54*] I Joan. 5. [55] Joan. 8. [56] Ibid. [57] Ibid. [58] Ibid. [59] I Tim. 6. [60] Act. 1. [60*] I Joan. 5. [61] I Cor. 6. [62] I Joan. 4. [63] Matth. 8. [64] Marc. 3. [65] Marc. 5. [66] Luc. 4.

et Paulum scio : vos autem qui estis ? [67] Ecce dæmones reddentes testimonium Christo, non solum Paulum, sed Christum se scire profitentur. Nos autem Christiani nominis professores fidem quam profitemur verbis, operibus diffitemur. Qui per fidem mundum vincere debebamus, per infidelitatem a mundo vincimur. Et quid putas facturus est Judex ille terribilis in die tremendi judicii, cum viderit nos qui per baptismum ex Deo nati sumus, degenerantes a Patre nostro ? Nonne dicturus est nobis : *Vos ex patre diabolo estis* [68] ? Nonne dicturus est : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo* et diabolis sive filiis *ejus* [69] ? Caveamus ergo, fratres, ab hac auditione mala. Vincamus mundum, ne vincamur ab eo. Redeamus ad Christum per pœnitentiam in fide et veritate, ut quos sibi adoptavit in filios, faciat participes et hæredes vitæ æternæ Christus Jesus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum [70].

Hodie factum est germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, fructus terræ fructus est uteri virginalis. Hodie impletum est verbum illud quod prædixerat Dominus per Prophetam : *Nunc exsurgam* [71], et nunc sublimabor. Exsurgam a mortuis, sublimabor in cœlum [72]. Hodie consummatur et perfecte clauditur tua inconsutilis tunica, Christe Jesu, id est integritas fidei Christianæ, quia post prædicationem, post tentationes, post miracula, post laborem, post mortem et ignominiam crucis, post gloriam resurrectionis, postquam operatus fuisti salutem in medio terræ [73], tandem ostendisti te Deum et Dominum cœli, ponens nubem ascensum tuum, et ambulans super pennas ventorum [74]. Caro itura ad Patrem, quæ non erat a Patre prius, per gloriam resurrectionis omnem infirmitatem exuit. Accinxit se potentia amicta lumine sicut vestimento [75]. Decebat enim ut Filius hominis, impleta obedientia propter quam venit, se in ornatu plenioris gloriæ paternis aspectibus præsentaret. Hoc Daniel quandoque præsenserat dicens : *Aspiciebam in visione noctis, et ecce Filius hominis veniebat in nubibus cœli : usque ad Antiquum dierum pervenit, qui dedit ei potestatem et honorem et regnum ejus quod non corrumpetur* [76]. Caro Christi prius mole nostræ mortalitatis aggravata, postquam gloria et honore coronata est, postquam decorem et fortitudinem induit, cœlos potenter ascendit. Descendit in carnem, ut carnales in carne doceret, ut eos de carne transferret ad spiritum. Unde et Apostolus dicit, innuens glorificationem carnis : *Et si cognovimus Christum secundum carnem ; sed jam non novimus* [77], quod aeris et cœli Dominus per aerem libere et potestative ascendit, qui de aere ejecerat principem hujus mundi, et aerias potestates suæ cruci affixerat. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit* [78]. Ideo enim descendit ut ascenderet, et ut secum ascendendo nos traheret. *Cum exaltatus*, inquit, *fuero a terra, omnia traham ad meipsum* [79]. Deus immensus erat, neque crescere, neque ascendere poterat. Ut ergo cresceret, minoratus est paulo minus ab angelis. Ideo autem ascendit, ut in sua ascensione angelicam transcenderet dignitatem. Apparuit quidem humanitas et benignitas Christi in nativitate ipsius, apparuit potentia et gloria ipsius in resurrectione ejusdem. Sed in ejus ascensione præcipue nobis gaudendum est : in qua nobis aperta est via vitæ, roborata est fides, firmata est fiducia nostra, ut illuc eamus quo transiit caput nostrum, sine membris suis caput esse non potest. *Volo*, inquit, *Pater ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* [80]. Ob reverentiam suam exauditus est filius, et voluntate labiorum suorum non fraudavit eum Pater. Ubique nobis ministrat, ubique salutis nostræ negotium benigne procurat. *Vado*, inquit, *parare vobis locum ; et si abiero, iterum veniam ad vos, et assumam vos ad me ipsum* [81]. Ubi enim corpus, ibi aquilæ congregabuntur [82]. Verbum Christi est : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* [83] : sed et nemo venit ad Patrem, nisi traxerit eum Filius.

Resurrectionem Christi probat ejus ascensio : et inde nobis potentissime gaudendum est, quia per unam firmatur alterius fides. Qui enim crederet resurrectionem, nisi eam probasset ascensio ? In multis argumentis apparuit post resurrectionem : sed validissimum argumentum resurrectionis fuit ascensio. Nunquam caro Christi in cœlum ascendere potuisset, nisi eam virtus resurrectionis glorificasset, atque illam ab omni mortalitatis onere immunem et liberam reddidisset. In resurrectione quatuor conferuntur, subtilitas, agilitas, charitas et immortalitas. Subtilitatem exhibuit Christus, ubi clausis janius ad discipulos intravit [84] ; agilitatem, ubi super aquas pedibus ambulavit [85] ; claritatem, ubi in monte Thabor facies ejus sicut sol resplenduit [86] ; immortalitatem, cum mortuus a mortuis resurrexit [87]. Ista quatuor simul in se demonstrat, dum ad Patrem redit, dum ad cœlos adeo potestative ascendit. Hodie elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo, quia Christo hodie ascendente, luna, id est Ecclesia secundum ordinem Dei in sanctitate

---

[67] Act. 19. [68] Joan. 8. [69] Matth. 25. [70] Act. 1. [71] Psal. 107. [72] Isa. 33. [73] Psal. 73. [74] Psal. 103. [75] Ibid. [76] Dan. 7. [77] II Cor. 5. [78] Joan. 3. [79] Joan. 12. [80] Ibid. [81] Joan. 14. [82] Matth. 24. [83] Joan. 6. [84] Joan. 20. [85] Matth. 14. [86] Matth. 17. [87] Matth. 28.

et religione firmata est. Omnes antiqui ad inferos descendebant, descendit Christus ad nos, et docuit vias innocentiæ et munditiæ, ut per ipsum et ad ipsum omnes qui vixerint munde, innocenter ascendant. Verbum Prophetæ est : *Quis ascendet in montem Domini : aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde* [88]. Secundum diversitatem meritorum, est et diversitas præmiorum his qui ascendunt in montem Domini, et in tabernaculum Dei nostri. Verbum Christi est : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* [89]. Nam et in arca Domini mansiunculæ erant et tristega. Exoneremus, quæso, fratres, corda nostra ad Deum cum manibus, imaginemur et firmemus in cordibus nostris celsitudinem throni, thronum Dei et Agni, ministerium assistentium angelorum, hominum, patriarcharum, prophetarum cuneos, senatum apostolorum, martyrum choros, coronas virginum. Hæc omnia formantes desiderio aspiremus cum eo, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis cantans et psalmum dicens : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* [90]. Si apud Christum thesaurus noster est, sicut Apostolus dicit : *Scio cui credidi ei certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem* [91] : sit ibi cor nostrum, ubi est thesaurus noster. Disponamus ascensiones in corde nostro, et si non possumus corporaliter ascendere, saltem recordatione et desiderio cœlestium spiritualiter ascendamus, sicut ille qui dicit : *Hæc recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei* [92]. Et : *Memor fui Dei et delectatus sum, exercitatus sum, et defecit spiritus meus* [93]. Quid est quod dicit, *concupiscit anima mea?* Et iterum : *Memor fui Dei et delectatus sum, et defecit spiritus meus?* Quia in hac vita mortali aut potius in hac morte vitali comprehendere, aut cogitare non sufficimus gloriam illam, *quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ, Deus, præparasti* diligentibus te [94]. Porro cum reformaverit Deus *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* [95], tunc omnia implebit in nobis, qui omnia fecit pro nobis. Et hoc est quod Apostolus ait : *Christus qui descendit, ipse est qui ascendit, ut adimpleret omnia* [96] quæ adimplere voluit : nativitatem scilicet, resurrectionem, ascensionem, ut renascentes a peccato, resurgentes a morte animæ resurgamus de virtute ad virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion. *Benedictionem dabit legislator* [97], cum implebit omne animal benedictione [98], cum dicet : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum Dei, quod vobis paratum est ab origine mundi* [99]. Christus a schola illa discipulo-

A rum suorum corporaliter recessurus ad tempus, quasdam primitias eis benedictionis æternæ largitur, sicut scriptum est : *Et benedicens eis ferebatur in cœlum*, ut omnia impleret benedictionibus suis : omnia opera sua in benedictione complevit, qui est benedictus in sæcula Christus Jesus Dominus Deus noster. Amen.

SERMO XXIV.

IN DIE PENTECOSTES.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis [100].

Filius Dei prius legatione sua functus est, veniens ad nos, veniens quærere et salvare quod perierat. Nunc autem Spiritus sanctus fungitur ad nos legatione sua, ut nos in salute confirmet. Datus est
B nobis Filius, datus est et nobis Spiritus sanctus. Quod datus sit Filius, testatur Isaias : *Puer*, inquit, *natus est nobis, et Filius, datus est nobis* [1]. Quod datus sit nobis Spiritus sanctus, testatur Apostolus : *Gratia*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Dedit itaque Deus nobis Filium, dedit et Spiritum sanctum. Et quid ei remansit? Si auderem dicere, nimis et plus quam nimis prodigus est sui Dominus Deus. O quam magnificus et vivificus! O quam mirabilis es, Deus, in donis tuis. Domine, quid est homo quod magnificas eum? *quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quia visitas eum* [2]? Vere visitas; nam ad ejus visitationem et consolationem modo mittis Filium; modo Spiritum sanctum, te
C ipsum reservans ei ad habendum, ad possidendum, et æternaliter perfruendum. Misisti nobis, Domine, Filium tuum non ad dominandum, sed ad serviendum. *Veni*, inquit, *non ministrari, sed ministrare* [3], sed ut salva dignitate tua et Filii tui loquar, venit Filius tuus ut sordes nostra purgaret, ut tanquam servus abjectus et vilis manibus suis sordes nostras ablueret. Non abhorreat, quæso, Christianus hæc verba. Nam quæ stercora, quæ cloacæ, quæ putredo cadaverum, quis sanguis menstruatæ, aut quis vomitus canis immundior est quam conscientia peccatoris? Isaias ait : *Os meum repletum est vomitu sordium* [4]. Sane de corde impii quasi de cœnoso lacu et scatenti putredine immundæ cogitationes exhalant, et peccatorum abominationes horrendæ
D scaturiunt. Nonne fetent iniquitates nostræ coram quo immundæ etiam sunt justitiæ nostræ? Si mihi non creditis, audite Isaiam : *Omnes*, inquit, *justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ* [5]. Ut ego verbo Apostoli utar : *Christus purgationem peccatorum faciens lavit nos ab immunditiis nostris in sanguine suo* [6]. Quia verbo Filius nostram *operatus est salutem in medio terræ* [7], et jam ad Patrem ascenderat, necessarium erat ut mitteretur Spiritus sanctus ut

---

[88] Psal. 23. [89] Joan. 14. [90] Psal. 83. [91] II Tim. 1. [92] Psal. 41. [93] Psal. 76. [94] I Cor. 2. [95] Philipp. 3. [96] Ephes. 4. [97] Psal. 83. [98] Psal. 144. [99] Matth. 25. [100] Rom. 3. [1] Isa. 9. [2] Psal. 8. [3] Matth. 20. [4] Isa. 28. [5] Isa. 64. [6] Hebr. 1. [7] Psal. 73.

confirmaret quod operatus fuerat *a templo suo quod est in Jerusalem* [7], quia fides inde habuit initium et processum.

Erant siquidem adhuc teneri et parvuli filii adoptionis, quos Christus in carne sua verbo vitæ genuerat, ut essent *aliquod initium creaturæ ejus* [8]. Ecclesia militans in terris, adhuc tenera et novella plantatio erat. Unde sponsa, id est Ecclesia cœlestis in Canticis dicebat : *Soror nostræ parvula est, et ubera non habet* [9]. Adhuc apostoli erant, quibus lacte opus erat. Ideoque, mittitur Spiritus sanctus qui eos in fide ex qua justus vivit nutriat, quousque crescat in virum perfectum, donec Christus formetur in eis [10]. Missus est Spiritus paracletus, qui interpretatur *advocatus*, tanquam parvulorum nutritor et tutor, tanquam advocatus eorum in causa pupillari, ut in omni consistorio, in omni prætorio pro illis ante reges et tyrannos sæculi constanter et efficaciter allegaret. Sic enim Pater orphanorum et Judex viduarum quandoque eis prædixerat : *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quid aut qualiter respondeatis. Dubitur enim vobis* etc. Adjungit : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* [11].

Jam sane adversus electos Dei super hæreditate illorum, quæ sui Patris sanguine rubricata eis erat, et regali privilegio confirmata, tyranni gentiles et principes Judæorum calumniam suscitabant. Judæus limites hæreditarios decurtabat dicens ; quia tantummodo notus esset in Judæa Deus [12]. Gentiles autem de quibus Filio suo prædixerat Deus : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* [13], Christum Dei Filium et hæredem, Christianos hæredes Dei, cohæredes autem Christi [14], faciebant exhæredes. Hodie itaque venit iste legisperitus et legislator, et in manu ejus ignea lex [15]. Venit in igne et in linguis, ut legem igneam linguæ igneæ loquerentur. Spiritus sanctus ignis est ; amor enim ignis est. Sicut autem ignis non potest non ardere, sic Spiritus sanctus non potest non ardere, et calefacere : *Nec est qui se abscondat a calore ejus* [16]. Ille magnus artifex *cui ignis in Sion, et caminus ejus in Jerusalem* [17], hoc igne probat et confirmat vasa sua, quæ composuit ad decorem domus suæ. Petrus prius erat vas molle et luteum ; nec reddebat sonum integrum ; sonus vasis minime cocti erat in Petro, dum ad vocem ancillæ Christum tertio abnegabat [18], Postquam vero virtute indutus est ex alto, tanquam vas perfectissime coctum reddebat sonum integrum et perfectum. Prohibentibus enim principibus sacerdotum et Romanis imperatoribus ne annuntiaret verbum Dei, pulsatus dicebat : *Oportet nos magis obedire Deo quam hominibus* [19]. Ecce quomodo ignis

A Spiritus sancti roboraverat Petrum. **Ignis iste** accendit, confirmat, et erudit. Ignis ex communicatione non minuitur : dividens, prout vult, non minuitur : *divisiones enim gratiarum sunt, divisiones ministrationum et divisiones operationum, sed hæc omnia operatur unus atque idem* [20] semper immutabilis *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* [21]. Ignis iste devorat et consumit ligna, fenum, stipulam, id est peccata in nobis. Aurum vero et lapides pretiosos ardore suo probat, et probando purificat. Hic est ignis altaris, de quo legitur in Apocalypsi, quod cum angelus accepisset thuribulum aureum, et implevisset illud de igne altaris, et misisset in terram, facta sunt tonitrua, et sonitus, et voces, et fulgura [22]. Ange-

B lus enim magni consilii aureum thuribulum immaculatissimi corporis sui hoc igne complevit ; assumptusque in cœlum fecit quod prædixerat : *Veni ignem mittere in terram : et quid volo nisi ut ardeat* [23] ?

Misit itaque ignem in terram et facta sunt tonitrua in comminationibus, fulgura in miraculis, pluviæ in doctrinis, sonitus et voces in prædicationibus. Sic ergo factus est repente de cœlo sonus. Hic est sonus de quo scriptum est : *In omnem terram exivit sonus eorum* [24]. Sed unde veniebat hic sonus ? de cithara Domini propter quam dicitur : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara* [25]. Estne ibi aliquis sonus ? imo multiplices soni. Septem ibi sunt. Octavus autem qui complet diapason beatorum in octava est, quando *per omnes vicos Jerusalem cantabitur Alleluia* [26]. Vultis audire septem chordas ci-

C tharæ, sive septem sonos in chordis ? Magister hujus cœlestis musicæ per organum sancti Spiritus Isaiam. omnes has septem voces una descensione continuat dicens : *Et requiescet super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [27]. Prima chorda, id est spiritus timoris gravem sonum reddit, quia testimonio apostoli : *Timor pœnam habet* [28]. Secunda chorda est spiritus pietatis ; cujus sonus dulcissimus est. De hoc sono dicit Sapientia : *Spiritus meus super mel dulcis* [29]. Chordam timoris pietas temperat, ne desperet. Chorda scientiæ sequitur : quæ acuta est et pietatis chordam dirigit ne aberret. Sequitur chorda fortitudinis, quæ quidem robusta est, et confirmat chordam scientiæ,

D ne vacillet. Et ne fortitudo aliquid immoderantius aut intemperantius agat, apponitur chorda consilii, quæ quidem subtilis est. Et ne consiliorum deliberationes in suis subtilitatibus evanescant, chorda intellectus apponitur, quæ plurimum discreta est, septimum sonum reddit sapientiæ chorda, quæ stabilis est et longa, suavis et fortis. *Sapientia enim attingit a fine usque ad finem fortiter, et dispo-*

---

[7] Psal. 53. [8] Jac. 1. [9] Cant. 8. [10] Gal. 4. [11] Matth. 10. [12] Psal. 75. [13] Psal. 2. [14] Rom. 8. [15] Deut. 3. [16] Psal. 18. [17] Isa. 31. [18] Matth. 26. [19] Act. 5. [20] I Cor. 12. [21] Jac. 1. [22] Apoc. 8. [23] Luc. 12. [24] Psal. 18. [25] Psal. 56. [26] Tob. 13. [27] Isa. 11. [28] I Joan. 4. [29] Eccli. 24.

nit omnia suaviter [30]. Sicut autem Spiritus sanctus habet harmoniam suam, et exercet psalterium jucundum cum cithara, sic et spiritus malignus habet sonos et voces in Dei offensionem, et animæ perditionem. Vis audire perditionem? Vis audire septem voces aut chordas, et octavam pœnis interminabilibus et tormentis æternis? Voces in cithara diaboli sunt confusæ, discordes et raucæ. Prima chorda est superbia, secunda invidia, tertia inanis gloria, quarta tristitia, quinta avaritia, sexta luxuria, septima acedia, diabolus olim citharizare incipiens: *Ponam*, inquit, *sedem meam ab aquilone, et ero similis Altissimo* [31]. Nimis ab alto et abrupto incœpit. Ideo chordæ ruptæ sunt et cithara effracta est, et cathedra pestilentiæ, in qua sedere proposuerat, eversa est.

Descendit itaque hodie Spiritus sanctus in igne et in sono. In igne, ut apostoli possent alios in Christi amore accendere; in sono, ut in spiritu vehementi possent Dei magnalia prædicare. Porro non est in nobis ignis hodie, non est sonus. Ignem altaris Domini convertistis in ignem alienum, id est amorem Dei in amorem terrenum. Hic est ignis malitiæ. Hic est ignis a quo devorantur Nadab et Abiu, filii Aaron [32]. Hic est ignis quo Abimelech succendebat oppidum Thebes [33]. Hoc igne Amalecitæ succendebant Siceleg [34]. Inimicus enim humani generis apponit assidue nobis ignem et stipulas tentationis, ut in nobis accendat et subruat domum Dei. De hoc igne pessimo scriptum est: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem* [35]. Supercecidit ignis malitiæ, et non viderunt solem justitiæ. Addicti eramus obsequio Christi; nunc autem lentescimus in via ejus: imo nugis otioque vacamus. Certe otiositas inimica est animæ teste Hieronymo. *Peccatum Sodomorum fuit otiositas et abundantia panis* [36].

Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter.
In promptu causa est: desidiosus erat.
OVID. *De rem. amor.* 161.

Cernis ut ignavum corrumpunt otia corpus,
Et cupiunt vitium, ni moveantur, aquæ.
Ibid., *De Pont.* eleg. 6.

De talibus legitur: *In labore hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur* [37]: imo cum dæmonibus. Electi eramus in sortem Domini, ut meditaremur in lege Domini, et delectaremur in ea, ut possemus dicere cum Propheta: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est* [38]. In capite libri scriptum est de beatitudine viri *qui* meditatur *in lege Domini die ac nocte* [39]. Scriptum est: *Maledictus omnis qui facit opus Dei negligenter* [40]. Vereor ne maledictio hæc illos respiciat, qui Deo serviunt negligenter et ficte. Ubi enim est fictio, non est Deus, non est Spiritus sanctus. Legitur enim quia

A *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* [41]. Si charitas Dei diffusa esset in nobis, lex Dei omni mundano desiderio nobis esset acceptior. Nunc autem legis Dei obliti fabulosis narrationibus occupamur, currentes ad vanitates et insanias falsas. *Narreverunt*, inquit, *mihi fabulationes, sed non ut lex tua* [42]. Porro ex quo populus Israel cœpit negligere legem Dei, et lentescere in observantia mandatorum ejus, statim datus est in manus Chusan Rasathaim, in manus Eglon, Moab et Philisthiim. Ex quo enim cessamus ab instantia divini officii, statim jugo gravium vitiorum atque tyrannidi spirituum malignorum subjicimur. Dina, filia Jacob, egreditur ut videat ludos alienigenarum: et statim a Sichem filio Hemor concupiscitur, rapitur, opprimitur, defloratur [43].

B Sic et anima, quæ de domo Domini egreditur ad illecebras hujus mundi, a spiritu maligno rapta opprimitur, oppressa polluitur. Sedet Jacob domi, et gratiam paternæ benedictionis acquirit; venatur foris Esau, et cum patris benedictione primogenita sua perdit [44]. Inveniuntur hodie clerici in plateis, non in ecclesiis. *Dispersi sunt*, inquit propheta, *lapides sanctuarii in capite omnium platearum* [45]. Contra prohibitionem Domini vectes, quibus arca defertur, ab annulis extrahuntur. Vacemus ergo lectioni, meditationi, et orationi, *sine intercessione orantes*, dicit Apostolus [46]. Et in cantico Ezechiæ: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, et meditabor ut columba* [47]. Diffundat charitatem suam in cordibus nostris charitas Deus, *ut serviamus in sanctitate et*
C *justitia coram ipso, omnibus diebus* nostræ vitæ [48]. Amen.

SERMO XXV.

DE EODEM FESTO.

Nunquid poteris conjungere septem micantes Pleiades? Nunquid alligabis rhinocerota loro tuo, ne frangant glebas vallium tuarum? [49].

Verba sunt Domini loquentis ad beatum Job, et quærentis utrum possit sibi jungere et counire dona Spiritus septiformis, quæ per septem pleiades designantur. Hunc spiritum Christus ab æterno habuit, et homo factus eumdem sine mensura recepit, ipsumque aliis secundum mensuram donationis suæ distribuit. Quod spiritum septiformem acceperit, ostenditur verbo Isaiæ qui dicit: *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa*, etc. [50]; et ut nos
D declaratio sermonum ejus illuminet plenius et instruat apertius, de Christo loquens: *Requiescet*, inquit, *super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini* [51]. Isti sunt septem oculi super lapidem unum; septemque lucernæ in candelabro aureo, sicut Zacharias commemorat [52]. Cum Filius sit a Patre, et Spi-

[30] Sap. 8. [31] Isa. 14. [32] Num. 3. [33] Judic. 9. [34] I Reg. 30. [35] Psal. 57. [36] Ezech. 16. [37] Psal. 72. [38] Psal. 118. [39] Psal. 1. [40] Jer. 48. [41] Sap. 1. [42] Psal. 118. [43] Gen. 34. [44] Gen. 27. [45] Thren. 4. [46] I Thess. 5. [47] Isa. 38. [48] Luc. 1. [49] Job. 38, 39. [50] Isa. 4. [51] Isa. 11. [52] Zach. 3.

ritus sanctus ab utroque procedat, postquam Filius officium suæ legationis impleverat, decebat ut et Spiritus sanctus mitteretur. Prius siquidem dederat Christus apostolis Spiritum sanctum : quod patenter indicabat perfectio sanitatum. Sed hodie datus est ei Spiritus sanctus ad usum, ad auxilium, ad solatium, ad miraculum, ad acquisitionem gentium, ad salutem omnium populorum. Datur Spiritus sanctus, ad emundationem, ad innovationem, ad justitiam, ad exsultationem. *Cor mundum crea in me, Deus* : ecce cordis mundatio. *Spiritum rectum innova in visceribus meis :* ecce animæ sanctificatio. *Redde mihi lætitiam salutaris tui : et spiritu principali confirma me* : ecce cordis mundatio. *Spiritum rectum innova in visceribus meis :* ecce innovans rectitudo. *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me* [53] : ecce animæ sanctificatio, quia templum Die et templum dæmoniorum simul esse non possumus. Mundatus et lotus postulat ut ambulet vias rectas, ne ad actus extraordinarios iterum revertatur. Innovatur corde per rectitudinem, operatur lætitia salutaris, confirmanda spiritu principali. Custodi vas tuum in sanctificatione, et habes Spiritum. Non facias proximo quod tibi non vis fieri, et habes spiritum rectum. Exhibe te coram Deo et proximo devote humilem, et habes spiritum principalem. Spiritus rectus datur in catechismo, Spiritus sanctus in baptismo, spiritus principalis in confirmatione. *Quotquot ergo baptizati sumus in Christo, Christum induimus* [54]; et induti sumus virtute ex alto. Christus qui accepit Spiritum, non ad mensuram, dedit dona hominibus, et adhuc donare non cessat. *Omnes de plenitudine ejus accepimus* [55], *nec est qui se abscondat a calore ejus* [56]. *Cujus ignis in Sion et caminus ejus in Jerusalem* [57]. Hic est ignis quem Christus venit mittere in terram. Unde et in linguis igneis super discipulos suos hodie apparuit, ut legem igneam linguæ igneæ prædicarent. De hoc igne legitur in Apocalypsi : *Cum complevisset angelus thuribulum de igne altaris, facta sunt fulgura, voces et tonitrua* [58]. De hoc igne dicit Jeremias : *De excelso misit ignem in ossibus meis et erudivit*. In Christo siquidem Spiritus sanctus plene et corporaliter habitavit. Ipse autem de Spiritu suo super omnes effudit. *Effundam*, inquit, *de spiritu meo super omnem carnem* [59], effundit et infudit, alii plus alii minus. Verbum Apostoli est : *Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem* [60]; et : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic* [61]. Et subjungit : *Divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministrationum sunt, et divisiones operationum : unus autem et idem spiritus, dividens singulis, prout vult*.

A Propter has divisiones charismatum designatur Spiritus sanctus, nunc per ignem, nunc per oleum, nunc per vinum, nunc per aquam. Ignis est, quia semper ad diligendum accendit, quia semel eo accensus ardere, id est ardenter diligere non desistit. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram et quid volo nisi ut ardeat* [62] ? De hoc igne dicit Moyses : *Ignis semper ardebit in altari* [63]. Et Jeremias : *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci non sustinens* [64]. Spiritus sanctus oleum est ratione diversarum similitudinum. Natura enim olei est quod inter omnes liquores superiorem locum semper tenet. Sic et gratia Spiritus sancti, qui abundantia suæ pietatis merita supplicum excedit et vota, excellentior est omnibus B donis et omnibus bonis. Oleum medicinale est, quia dolores mitigat, sed et Spiritus sanctus vere oleum est, quia consolator est, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* [65]. Oleum naturam habet immiscibilem : nam et Spiritus sanctus fons est, cui non communicat alienus. Oleum aquis omnibus superfertur; nam et *Spiritus* sanctus *ferebatur super aquas* [66]. Antequam Petrus accepisset Spiritum sanctum, erat caro ejus infirma, ad vocem ancillæ timens et negans; sed postquam indutus est virtute ex alto, et unxit eum oleo Deus misericordiæ suæ, immutata est caro propter oleum, atque, juxta verbum Isaiæ, datum est ei oleum gaudii pro luctu, et pallium laudis pro spiritu mœroris. Hoc est oleum lætitiæ, quo Christus unctus est præ participibus suis [67], abundanter et super effluenter C infusum est oleum capiti nostro, id est Christo; unguentum vero quod erat in capite descendit non solum in barbam, sed etiam in oram vestimenti [68]. Hæc est unctio de qua Joannes in canonica Epistola loquens, ait : *Unctio quam accepistis a Deo, maneat in vobis. Et non erit vobis necesse ut quis vos doceat, quia unctio ejus docebit vos de omnibus* [69].

Habemus itaque quia Spiritus sanctus nunc per ignem, nunc per oleum designatur. Bis enim est datus Spiritus sanctus apostolis : prius ante passionem, secundo post resurrectionem. Nam et David bis unctus fuisse legitur, et in veste sacerdotali coccus bis tinctus apponebatur. Vide quanta est ardoris materia in apostolis : non sufficit oleum D infundere, nisi oleum caleliat ; non sufficit ignem apponere, nisi ignis olei infusione accendatur. Hoc igne ardentes discipuli, ibant gaudentes a conspectu concilii, in tribulationibus gloriantes [70]. Unde et vox Principis apostolorum hæc erat : *Si pro Christo patimini, beati* [71]. *Non solum*, inquit, *datum est vobis ut credatis in ipsum, sed ut patiamini pro*

[53] Psal. 50. [54] Gal. 3. [55] Joan. 1. [56] Psal. 18. [57] Isa. 31. [58] Apoc. 8. [59] Joel. 2. [60] I Cor. 12. [61] I Cor. 7. [62] Luc. 12. [63] Levit. 6. [64] Jer. 20. [65] II Cor. 1. [66] Gen. 8. [67] Psal. 44. [68] Psal. 132. [69] I Joan. 2. [70] Act. 5. [71] I Petr. 3.

ipso [72]. Ut ergo reddat Spiritus sanctus testimonium spiritui nostro, hodiernam solemnitatem Spiritus sancti toto spiritu veneremur. Si enim honorem impendimus sanctis, oportet sanctificatorem omnium diligentius et devotius honorare. Dulcis quædam natura est in Deo Spiritus sanctus, benignitas Dei, charitas Dei, et ipse Deus. *Charitas*, inquit, *Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis* [73]. Spiritus sanctus se ipsum dat nobis ; nec dedignatur auctorem muneris se ipsum conferre in munere suo. Sane vasa nostra mundanda et evacuanda sunt a peccato ; alioquin, oleum stare necesse est. *Non introibit sapientia in malevolam animam* [74] ; nec Spiritus sanctus aliquam in se recipit fictionem. Nulla est conventio lucis ad tenebras, cœli ad cœnum, balsami ad venenum, Spiritus sancti ad peccatum. Spiritus sanctus est *vinum* quod *lætificat cor hominis* [75], nec mittitur hoc vinum in utres veteres. Spiritus sanctus est aqua : *Qui sitit*, inquit, *veniat et bibat. Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [76]. Spiritus sanctus super mel dulcis : oremus ergo in spiritu humilitatis Spiritum sanctum, per quem hodie cœli firmati sunt, per quem hodie cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, ut hodie immittat cordibus nostris rorem benedictionis, stillicidia spiritualium donorum, pluviamque voluntariam ad abluendum conscientias nostras ; infundat oleum lætitiæ et ignem sui amoris in cordibus nostris Jesus Christus, quem unxit Pater, in quo posuit unctionis et benedictionis plenitudinem, ut de plenitudine ejus acciperemus ; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVI.

IN DIE TRINITATIS.

Qui est, misit me ad vos [77].

Verba sunt Moysi loquentis ad populum. Nihil competentius convenit Deo quam esse, qui solus vere est, per quem solum est quidquid est. Quid tamen sit cogitari non potest. Unde et temerarium credo fari de ineffabili, de incogitabili cogitare. Testimonio Salomonis : *Scrutator majestatis opprimetur a gloria* [78]. Quantumcunque studeas et labores comprehendere quid sit Deus, tanto amplius deficis in teipso. *Ascendet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* [79] : humana conditio semper appetit alta sapere. Sic fecerunt de quibus Apostolus dicit : *Evanuerunt in cogitationibus suis* [80]. Non enim caro et sangnis potest hanc scientiam revelare ; sed Filius Dei potest cui voluerit revelaret. Quæramus igitur ab eo dicentes : *Rabbi, ubi habitas : Domine, ostende nobis Patrem* [81]. Ipse autem cum sit in accubitu suo, respondebit et dicet : *Veni, et vide :* A *nescis quia ego in Patre et Pater in me est* [82] ? Expedit nobis Dei notitiam implorare, non per nos, sed per eum qui est Dei virtus et Dei sapientia, ne vaga et temeraria libertate inania meditemur. Deus si quidem simplex est, purus est, integer et perfectus, constans sibi, nil trahens sibi de temporibus aut de locis, nil habens quod in numerum transeat, nihil habens quod ab æterna immutabilitate recedat : *magnus est, et magnitudinis ejus non est finis* [83]. Inæstimabilis est, et incomprehensibilis est, et incogitabilis, quia non habet æternitas initium, nec infinitas terminum, nec immensitas modum. Si cogitamus eum, cogitamus non sicut est, sed ex parte, sicut cogitare sufficimus, qui a cogitatione deficimus. Intelligendus est sine forma visibili, B sine specie corporali, sine compositione partium, sine distinctione membrorum : omnino liber a lege temporis, ab omni metabilitate et conditione quietis. Creatorem per creaturas quali modo possumus invenire. Omnia enim opera Dei subtiliter attendantur, quasi quædam verba et signa, quasi quædam certa documenta sint, quæ gloriam de nobis enarrant, atque in rerum ordinationem virtutem divinæ potestatis annuntiant. Sic venitur per notitiam creaturæ ad notitiam Creatoris, sicut Apostolus loquens ad Romanos dicit : *Quod notum est Dei, manifestum est illis. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque virtus ejus est divinitas* [84]. Mens enim humana considerans cursum rerum et C ordinem, invenit unum omnium esse rectorem, unum esse omnium principium. Illud etiam principium nititur comprehendere, cum sit ipsum incomprehensibile, priusque suum invenit defectum quam parveniat ad perfectum.

Humana itaque ratio suum imperfectum considerans, nec illud principium valens comprehendere, intelligit esse aliquid supra se quod non potest apprehendere, et certissime comprehendit ipsum esse incomprehensibile. Quædam itaque species est notitiæ Dei, scire quod non possit sciri ; quod non possit omnino Dei notitia comprehendi. Expressa hujus rei similitudo est, quod aliquis stans in littore maris, et ejus latitudinem videns, latitudinis tamen finem videre non potest. Ulterius enim se mare diffundit in latum quam visus extendatur in D longum. Scit itaque ille homo ex defectu proprii visus aliquid maris esse ultra, et supra quam videre valeat, cujus comprehensioni non sufficit.

Unde cum maris magnitudo appareat ex eo quod videtur, et ex parte comprehenditur ; ejus tamen immensitas ex eo quod omnino videri non potest, amplius innotescit. Est equidem supra hominem, omnemque virtutem humani transcendit

[72] Phillipp. 1. [73] Rom. 3. [74] Sap. 1. [75] Psal. 103. [76] Joan. 2. [77] Exod. 3. [78] Prov. 25. [79] Psal. 67. [80] Rom. 1. [81] Joan. 1. [82] Joan. 14. [83] Psal. 144. [84] Rom. 1.

ingenii comprehendere naturam Divinitatis. *Donum autem optimum, donum perfectum* est, *descendens a Patre luminum*[85], in Patre intelligere Filium, et in utroque Spiritum sanctum. Non potest hæc scire aut alium docere, nisi ille solus qui docet hominem scientiam[86]: cujus unctio de omnibus docet[87]. Plato inter philosophos scientia et opinione præcipuus, cum circa libros Moysi multam diligentiam adhibuisset, gloriatus est se invenisse unum quod omnia operatur; sed se non posse invenire tertium confitetur. Porro illi qui in schola Christi eruditi sunt, venerantur et prædicant trinitatem in Deo, et unitatem essentiæ quam philosophus somniavit quidem; sed quia evanuit in cogitationibus suis, eam non potuit invenire. Ideoque ille discipulus, qui de pectore Christi familiarus, et plenius cœlestis scientiæ fluenta potaverat, sacramenta trinitatis et unitatis in Deo manifestissime declarabat, cum diceret: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: Et hi tres unum sunt*[88]. *Confiteor tibi, Pater cæli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*[89]. Vita siquidem æterna est nosse te, Deus Pater, et quem misisti Jesum Christum[90]. Sacri tamen apices, tam generationem Filii quam processionem Spiritus sancti manifeste declarant. Nam de generatione Filii scriptum est: *Egressus ejus a principio a diebus æternitatis*[91]. Ipse etiam Dei Filius, cum sit Dei virtus et Dei Sapientia, de sua ineffabili nativitate satis evidenter loquitur dicens: *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: nondum fontes aquarum eruperant: nondum montes gravi mole substiterant: ante omnes colles ego parturiebar. Quando præparabat cælos, aderam, Deus: quando appendebat fundamenta terræ, erant cum eo cuncta disponens*[92].

De generatione Filii dicebat Isaias: *Generationem ejus quis enarrabit*[93]? Et beatus Job: *Radix*, inquit *sapientiæ cui revelata est?*[94] Latet enim ab oculis hominum, et a volucribus cœli abscondita est, id est angelis Dei. De Spiritu sancto scriptum est: *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me; ad evanzelizandum pauperibus misit me*[95]. Et beatus Job: *Spiritus Domini fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me*[96], et ut ostendat quod ille Spiritus sit factor omnium, subdit: *Ecce et me, sicut et te fecit Deus.*

Frequenter itaque in sacro eloquio pluralitatem invenis in personis, ut ibi: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*[97]. Unitatem etiam invenis in essentia, cum subjungitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Notatur in Genesi pluralitas personarum, ubi dicitur, quia *pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur a Domino*[98]. Quis est ille Domiuus, qui pluit a Domino, nisi

A Filius a Patre? De quo Psalmista: *Dixit Dominus Domino meo*, etc.[99]. Vis totam Trinitatem videre in sacris apicibus manifestissime declaratam? Psalmographus dicit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*[100]. Item in Isaia loquitur Dei Filius dicens: *Ego sum primus et novissimus, manus mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cælos. Antequam fierent, ibi eram; et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus*[1]. Ecce fluvius egrediens de loco voluptatis ad irrigandum faciem terræ, Trinitatis videlicet scientia, per quam nos Deus educit de tenebris ignorantiæ in admirabile lumen suum[2]. Summum enim lumen, imo vita æterna est cognoscere Creatorem suum; in tribus personis cognoscere Trinitatem, B et in Trinitate adorare unitatem. Sed quæris: Quomodo Trinitatem inveniam, ubi non est nisi unitas, ubi non est nisi simplex et unissima, ut ita loquar, identitas? Cum Trinitas sine numero esse non possit, et unitas numerum non admittat, quomodo est numerus? Nunquid est numerus sine numero, aut unitas numerosa? Nunquid unitas transit in numerum, aut ab unitate numerus absorbetur, ut quæ sunt tria sint unum? Porro tres personas in una substantia numeramus, et in tribus personis unam substantiam adoramus. Unum et trinum prædicamus Dominum, ita quod in Trinitate nulla confusio sit: et sic trinitatem confitemur in personis, ut nullum fiat præjudicium unitati. Tanta siquidem nnitas est in Deo, ut nil in- C venias in eo nisi unum. Si bonum, si beatum, si sapientem, si omnipotentem, vel quid consimile Dominum esse dixeris, licet talia multiplices, nihil acdis. Ipse omnia est, sicut dicit Apostolus[3], ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia creabiliter, non materialiter vel seminaliter. Per quem omnia, ut ipsum omnium auctorem intelligas. In quo omnia, non quasi in loco, sed in virtute et potentia. Sicut enim est quod in loco non est: ita cogitandus est quod nusquam sit qui non clauditur loco et nusquam non sit qui non excluditur loco. Quodam autem sublimi et ineffabili modo, sicut omnia in ipso sunt, sic ipse in omnibus. Cum autem Christus reformaverit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori charitatis suæ, D cum aperuerit oculos cordis nostri, cognoscemus eum sicut cogniti sumus, non per corporalem visionem, ut Moyses in Sina, non per imaginariam, ut Joanes in Apocalypsi, non in ænigmate sicut Ezechiel in Lumbari, in Novacula, in Sartagine; sed videbimus lumen in lumine, Filium in Patre, Spiritum sanctum in utroque: et hæc est vita æterna. Hæc est beatitudo interminabilis, gloria indeficiens, et lætitia consummata. Quam nobis prestare dignetur Filius Dei Jesus Christus: cui

[85] Jac. 1. [86] Psal. 93. [87] I Joan. 2. [88] I Joan. 5. [89] Luc. 10. [90] Joan. 17. [91] Mich. 5. [92] Prov. 8. [93] Isa. 53. [94] Eccli. 1. [95] Isa. 61. [96] Job. 33. [97] Gen. 1. [98] Gen. 29. [99] Psal. 109. [100] Psal. 32. [1] Isa. 48. [2] 1 Petr. 2. [3] Rom. 11.

est honor et gloria et benedictio in sæcula sæculorum Amen.

SERMO XXVII.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Inter natos mulierum non surrexit major Joinne Baptista [4].

Verbum Salomonis est: *Laudent te labia proximi tui, et non tua* [5]. Si laus expetenda est, non est expetenda a se ipso, sed ab ore proximi. Gloriosior tamen est laus procedens de ore Altissimi: *Non enim qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* [6]. Si linguis loquamur hominum et angelorum, non poterimus explicare ad plenum Joannis merita, atque in Joanne Christi præconia. Laus Joannis celebris est in Evangelio, quia, ubicunque occurrit mentio de Joanne, commendatur a Christo. Non ergo mendicat laudis humanæ suffragia, qui laudatur a Deo, qui dicere potest: *In Domino laudabitur anima mea* [7]. Commendat Noe Dominus dicens: *Vidi te justum coram me* [8]. Commendat Abraham faciens ei promissiones benedictionis in futuris generationibus [9]. De beato etiam Job loquens ad Satan, magnificat eum quod non sit similis ei in terra: *Vir simplex et rectus et timens Dominum* [10]. De Moyse etiam dicit: *Si quis fuerit inter vos propheta, loquar ei in visione vel per somnium* [11]. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: *Ore ad os loquar ei* [12]. David quoque cum ipse dicit: *Deus laudem meam ne tacueris* [14] laudatur a Domino dicente: Inveni virum secundum cor meum [14]. Testimonio Dei magni fuerunt isti, et multi alii [15]. Sed ejusdem testimonio: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Illi laudum et præconiorum congregaverunt divitias, iste supergressus est universos, cujus nativitas per Gabrielem archangelum annuntiata est, sicut et nativitas Christi, cujus nomen vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur; intra Sancta sanctorum prænuntiatur, in utero sanctificatur, ut dicere possit: Ab infantia crevit mecum sanctitas, et ab utero matris meæ egressa est mecum. Fuit itaque factus antequam natus, et ideo processu temporis plus quam sanctus. Joannem magnificant et extollunt apud Deum et homines, miraculum in conceptione, gaudium in nativitate sanctitas in conversatione, humilitas in sublimitate, veritas in prædicatione, zelus in contritione, constantia in passione. Joannes adhuc ætatis teneræ, vitæ tamen erat austeræ. Cumque illi dignitate successoria, atque jure hæreditario pontificales infulæ deberentur, stolas auro textas cilicio postbabuit, et teneros artus zona pellicea, pilorum

A asperitate, ciborum austeritate cohibuit. Qui, cum esset sanctificatus, ab utero, innocentissimum corpus suum multipliciter castigavit, extenuavit, afflixit, et in omnibus nobis formam sanctæ conversationis exhibuit Joannes; quasi quidam limes Novi et Veteris Testamenti, Sicut scriptum est: Lex usque ad Joannem. Missus est a Deo ante Christum, quasi umbra ante lucem; vox ante verbum, servus ante dominum, angelus ante Deum, amicus ante sponsum, præco ante judicem, miles ante regem, præcursor ante redemptorem, aurora ante diem, lucifer ante solem, lucerna ante meridiem. Missus est in Spiritu et virtute Eliæ, ut converteret corda patrum in filios [16]. Ipse est Angelus Dei, *de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum, qui*
B *præparabit viam ante te* [17]; hunc paravit Dominus lucernam Christo suo, ut alios illuminans pararet Domino plebem perfectam. *Et tu*, inquit, *propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus* [18]. Et subjungit: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus* [19]. Nos ergo magnificentiam gloriæ sanctitatis in Joanne loquamur, quam si non possumus imitari, studeamus tamen cum gaudio admirari. Si non possumus splendere ut lucerna quam præparavit Dominus Christo suo, ambulemus saltem in splendoribus hujus lucernæ. Quod Joannes lucerna sit perhibet ille cujus *testimonia credibilia facta sunt nimis* [19*]; Christus scilicet in Evangelio loquens: *Erat*, inquit, *Joannes lucerna ardens et lucens* [20]. Erat Joannes quasi lucerna sub modio dum adhuc in utero matris clausus, ardebat
C desiderio Domini sui venientis et in occursum suum gestiens exsultabat [21]. Sed lucerna quæ tunc erat sub modio, ponenda erat super candelabrum, ut luceret omnibus qui in domo sunt [22]; et quæ illuminabat tunc solum modium, totum mundum novis irradiatura est fulgoribus. Nonne modium suum illuminabat qui matri suæ, mediante Spiritu sancto, tanti sacramenti notitiam revelabat? *Et unde hoc mihi*, dixit Elisabeth, *ut veniat Mater Domini mei ad me* [23]? Quis tibi indicavit, o mulier sancta, quod veniret ad te Mater Domini tui? *Ut facta est*, inquit, *vox salutationis tuæ in auribus meis; exsultavit infans in gaudio, in utero meo* [24]. Ardebat itaque Joannes, quia de excelso missus fuerat ignis per os Gabrielis in alvum Virginis, ut per os Virginis ad par-
D vulum veniens sanctus Spiritus ardorem infunderet ipsumque lucernam Domino præpararet. Anima Joannis liquefacta est, ut Maria locuta est. Spiritus sanctus qui plenissime habitabat in Virgine, procedit de Virgine in Joannem, de Joanne in Elisabeth et Zachariam. Ex quo *exsultavit spiritus* Mariæ *in Deo salutari* suo [25], statim ad ipsius adventum Joannes exsultavit in utero; exsultavit et mater. Prophetaverunt pater et mater; omnes repleti sunt Spi-

[4] Matth. 11. [5] Prov. 27. [6] II Cor. 10. [7] Psal. 33. [8] Gen. 7. [9] Gen. 22. [10] Job. 2. [11] Num. 12. [12] Ibid. [13] Psal. 108. [14] I Reg. 13. [15] Act. 13. [16] Luc. 1. [17] Matth. 11. [18] Luc. 1. [19] Ibid [19*] Psal. 92. [20] Joan. 5. [21] Luc. 1. [22] Luc. 11. [23] Luc. 1. [24] Ibid. [25] Ibid.

ritu sancto. De ventre Mariæ flumina fluunt; erat enim fons aquæ vivæ saliens in vitam æternam [26]. Ignis Spiritussancti omnes, qui in domo erant, vehementer accendit; *nec est* inter eos *qui se abscondat a calore ejus* [27]. Omnes ardent, omnes lucent. Vis videre Joannem ardentem? Ardebat et exsultabat in occursum Domini nondum natus. Non est auditum a sæculis, quod aliquis in utero exsultaret. Post nativitatem vero ardebat proposito et studio sanctitatis. Ardebat contra impios zelo, et constantia liberæ correctionis. Ecce quomodo ardebat; ucebat autem vitæ merito, lucebat verbo, lucebat exemplo. Nonne lux erat quod angelico promissus est oraculo, quod nominatus ab angelo: quod conceptus est miraculo: quod sanctificatus in utero? Nonne lucebat vitam in terris angelicam ducens, propter carnem in carne vivens, et ab humanæ salutis ministerio nunquam cessans, nunc Ecclesiam catechizans, nunc per pœnitentiam nuntians, nunc, prædicando corrigens, nunc baptizando emundans, et in omnibus plebem perfectam Domino parans. *Erat*, inquit, *Joannes lucerna ardens et lucens* [28]. Quidam lucere appetunt, sed ardere non curant. Ardere enim, melius est quam lucere. *Ignem*, inqui, *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* [29]? Utrumque bonum est; sed ardere magis expedit. Qui ardet et non lacet, sibi et non alii proficit. Qui lacet et non ardet, aliis et non sibi proficit. Qui autem lucet simul et ardet quod debet Deo et homini simul in se perficit. Quia luna suum aliunde lumen vindicat: ideo nunc magna, nunc parva, nunc nulla est. Sol vero quia per se simul lucet et ardet, semper in sui luminis plenitudine perseverat. Stultus ergo merito lunæ comparatur, quia propriam conscientiam et famam, ponit in labiis alienis. Ideoque Salomon dicit: *Sapiens permanet ut sol: stultus autem ut luna mutatur* [30]. Qui laudis alienæ beneficio lucet sicut luna nunc erigitur, nunc deprimitur, nunc magnus est, nunc modicus sive nullus, secundum quod circa eum blandiens adulatio, vel morens detracto variatur. Non sic Apostolus, qui, glorians de testimonio conscientiæ suæ dicebat: *Pro minimo mihi est ut ab homine judicer, aut ab humano die* [31]. Lucebat olim ille filius iræ, ille filius perditionis, qui de cœlo corruit; unde et Lucifer vocabatur, nunc autem Noctifer sive Tenebrifer; qui si arsisset, nullo unquam in tempore cecidisset. Hujus vestigia sequuntur, qui potius eligunt lucere quam ardere, religiosi apparere quam esse; sed ardebunt igne illo, *qui præparatus est diabolo et angelis ejus* [32], cujus flamma non exstinguetur, cujus fetor occidit, cujus ardor mortificat: mori tamen eum, qui patitur, non permittit, a quo nos avertat Sanctus ille sanctorum, qui hodie mirificavit et magnificavit in terris sanctum suum Jesum Christum cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVIII.

DE SS. PETRO ET PAULO.

Vidi conjunctos viros, et angelus Domini locutus est dicens: Isti sunt viri sancti facti amici Dei.

Qui sunt isti viri conjuncti, nisi reverendi principes terræ, atque Ecclesiæ Petrus et Paulus, quos eadem fides conjunxit, quos eadem civitas, eadem conversatio, eadem dies sub eodem tyranno pati in martyrio coæquavit? Quia tamen multipliciter conjuncti sunt, dignum est ut sit eorum conjuncta solemnitas, ut cum uterque honore sit dignus per se, eis titulus honoris ad gloriam duplicetur. Decet sane nos prosequi eos præconio, quorum patrocinio indigemus, si tamen tam honoratis principibus præconium aut honorem impendere digni sumus. *Nimis* enim *honorati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum* [33]. Christus Saulum in Paulum, Cepham convertit in Petrum: nam de ipsis quandoque propheta prædixerat: *Et vocabit servos suos nomine alio* [34]. *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* [35]. *Petra* siquidem *erat Christus* [36], suumque nomen communicat Petro, ut Petrus petra sit: nam sicut a petra sitienti populo aqua in deserto profluxit, ita et a Petro aliis in fide arescentibus salutiferæ fidei confessio emanavit. Christus ascensurus in cœlum Petro suas oves pascendas agnosque commisit; atque post parvæ naviculæ regimen, eidem gubernaculum magnæ navis, id est, totius Ecclesiæ magisterium mancipavit. Petro tanquam optimo dispensatori claves domus suæ tradidit. Justitia Petri tantam judicandi obtinuit potestatem, ut de ejus arbitrio cœleste judicium pendeat; nec a Petri sententia etiam angelus appellare præsumat. Interrogatus a Domini Petrus quem eum dicerent homines: brevi confessionis compendio divinæ majestatis arcanum declarat in Christo. Non revelavit tibi hoc, Petre, caro et sanguis: caro enim et sanguis non possidebunt regnum Dei, sed Spiritus Dei Patris, qui in cœlis est [37]. Mirabilis piscator, qui olim profunda æquoris scrutabatur, inscrutabile sacramentum deitatis in Christo fideliter confitetur. Interrogante Domino: *Petre, amas me* [38]? Petrus trinam negationem trina negotiationis confessione delevit. Cum Christus de sacramento suæ carnis et sanguinis loqueretur, quidam abierunt retro: multi enim cum Christo ambulant, donec et edendum carnem ejus et sanguinem veniatur. Quærente Domino nunquid reliqui vellent abire, Petrus tanquam petra fidei, et publicæ veritatis assertor respondens pro omnibus: *Domine*, inquit, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* [39]. Ac si diceret: *Non in solo*

[26] Joan. 4. [27]. Psal. 18. [28] Joan. 3. [29] Luc. 12. [30] Eccli. 27. [31] I Cor. 4. [32] Matth. 25 [33] Psal. 138. [34] Isai. 65. [35] Matth. 16. [36] I Cor. 10. [37] Matth. 16. [38] Joan. 21. [39] Joan. 6.

t homo, sed in omni verbo quod procedit
lei [40]. *Quam dulcia faucibus meis eloquia*
mel ori meo [41]. *Quid mihi est in cœlo, Do-*
ı te quid volui super terram [42]? Cœlum et
: et mare obediunt Petro: Simonem enim
ab aere præcipitat, Tabitham de terra
super aquas ambulat, Ananiam et Saphi-
[uam Dominus vitæ et mortis viventes mor-
œlum vero potestative claudit et reserat.
ıs de Petro, vultis audire de Paulo. Audi-
e viro hoc quanta mala fecerit in Jerusa-
non solum per Jerosolymam, sed per totam
insania ferebatur, ut Christi membra la-
terris. Verumtamen spirans minarum et
discipulos Domini, a Domino in discipulum
r; toto pectore virus exhalans, et blasphe-
omen Domini, de vase blasphemiæ factus
lectionis ut nomen Domini portaret coram
Ubi ergo abundavit delictum, superabundavit
[43]: ideoque mutatus in alterum virum di-
Fidelis sermo, et omni acceptione dignus,
venit Dominus Jesus salvos facere peccato-
um primus ego sum [44]. Paulus dum adhuc
retur in terra, raptus in tertium cœlum,
a sanctæ Trinitatis didicit quod ei aliis
icare non licuit. Si ergo nobis aperuit quæ
ımana non potest comprehendere, quanta
quæ nobis prohibitus est aperire? Quia
schola cœlestis instruxerat, ei tanquam
octori Dominus magisterium ecclesiasticæ
onis injunxit. Quod Elymam percussit [45],
ıtychum morti abstulit [46], quod famem,
ditatem, quod sitim, quod omnia fere hu-
onditionis pericula pro Christo sustinuit, et
uæ in Actibus apostolorum leguntur Paulo
d cumulum gloriæ et honoris. Nulla erit
cusatio, qui post agnitam veritatem retro
st manum missam ad aratrum, retrospexit,
us acceptæ gratiæ crimen apostasiæ com-
aulus etiam post lapsum dici: *Blasphe-*
, sed misericordiam consecutus sum, quia
feci [47]. Ignorantia Paulum excusat, fecit-
rantia in Paulo, ut blasphemia hæc non
Spiritum sanctum, quæ est irremissibilis.
us est, iste prostratus, uterque infirmatus,
r surgeret et perfectus. *Pluviam volunta-*
regavit Deus hæreditati suæ, et infirmata
ro perfecisti eam [48]*: nam virtus in infirmi-*
icitur [49]. Vere viri misericordiæ sunt isti,
t tam inæstimabilem misericordiam con-
Petrus de sua stabilitate præsumens, ibi
cecidit, ubi fortius stare promiserat: ta-
t detestabilem apostasiæ reatum magistrum
cclesiasticæ dignitatis obtinuit principatum.

A Paulus cæcitate percussus, et dejectus in terram ad tertium cœlum tollitur, ut ineffabilem cœlestis curiæ gloriam purgatiore mentis oculo contempletur. Credo, fratres, dum istorum gloriosam mortem recolimus, quod omnium apostolorum et martyrum gloriam promovemus; istos enim tanquam martyres, et apostolorum apostolos veneramur. O beatum martyrium! o gloriosa mors, quæ efficit immortales commorientes Christo, et complantati similitudini mortis ejus ei modo conregnant! *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus eorum* [50]*:* sed *beati qui in Domino moriuntur* [51]. Obdormierunt in Christo, ut Christi fierent cohæredes. *Cum* enim *dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* [52]. *In pace in idipsum dormiam et requiescam* [53]. Viriliter et usque B ad mortem laboraverunt in vinea Domini Sabaoth: sed *Amodo* jam, dicit *Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos* [54]. Quid est *opera eorum sequuntur* eos? Dominus hoc exponens: *Date*, inquit, *eis de fructu operum suorum, et laudent eos in portis opera eorum* [55]; porta est exitus vitæ.

Et quid est vitæ exitus homini justo, nisi porta mortis, et porta vitæ? Scriptum est: *Non timebit justus, cum loquetur inimicis suis in porta* [56]. Non timebat B. Martinus, cum loqueretur inimico astanti in porta: Quid hic, inquit, astas, cruenta bestia, nil in me funestum reperies. » Secure poterat psallere ei dicere cum Propheta: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Do-* C *minus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* [57]. Dicant et apostoli nostri*: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum* [58]. O draco pessime, quem Dominus formavit ad illudendum [59], tu beatis apostolis machinabaris interitum, sed interitus eis versus est in triumphum. Fecerunt sibi de necessitate virtutem: peccati meritum in præmium mutaverunt. Sic ergo reddit Dominus mercedem laborum sanctorum suorum; ejusque pro meritis retribuit abundanter Dominus potens, liberalis et dives. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eos: bona scilicet, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor ho-* D *minis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se* [60]. Hæc est mensura plena, et coagitata et supereffluens; *pax* scilicet *Dei quæ exsuperat omnem sensum* [61]. *Ecce viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non receperunt, cum semine eorum permanent bona* [62]. Justitiam hominis triplici ex causa delet oblivio. Si enim in justitia tepidus es, Dominus ex ore suo te evomit, et sic obliviscitur justitiæ

th. 4. [41] Psal. 118. [42] Psal. 72. [43] Rom. 5. [44] I Tim. 1. [45] Act. 13. [46] Act. 20. [47] I Tim. 1.
67. [49] II Cor. 12. [50] Sap. 5. [51] Apoc. 14. [52] Psal. 126. [53] Psal. 4. [54] Apoc. 14. [55] Prov. 31.
126. [57] Psal. 114. [58] Psal. 125. [59] Psal. 103. [60] I Cor. 2. [61] Philipp. 4. [62] Eccli. 44.

tuæ. Si averteris a justitia tua, omnium justitiarum tuarum quas fecisti non recordatur, et sic justitia tua sub oblivione relinquitur. In hypocrisi justitiæ tuæ recepisti mercedem tuam, et hæc justitia apud Deum memoriam non meretur. *Cum semine*, inquit, *eorum permanent bona*. Exiit Christus seminare semen suum. Christi semen est justorum generatio in fide, sicut scriptum est: *Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur* [63]. Benedicetur hæc generatio, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. De semine rectorum iterum loquens dicebat: *Semen servorum tuorum possidebit terram, et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea* [64]. Sane Christus, cum esset *primogenitus in multis fratribus* [65], quasi sine semine moriturus dicebat: *Singulariter sum ego, donec transeam* [66]. Dicebat itaque (juxta legis observantiam) ut fratres semen fratris mortui suscitarent [67]. Illi ergo quos Dominus vocat fratres, et de quibus dicit: *Vade et dic fratribus meis*, etc. [68]. Et extendens manus in discipulos: *Isti sunt*, inquit, *fratres mei* [69]. Nos pro Christo tanquam fratri suo, et non sibi per gratiam parvulos genuerunt. Nemo enim dicit: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego sum Apollo* [70], quia omnes sumus Christi. Semen et hæredes Christi per adoptionem; filii et nepotes apostolorum per prædicationem. Porro filii degeneres, et omnino hæreditate indigni sumus: qui tanquam mulieres et parvuli imbelles patrum nostrorum bella triumphosque laudamus, et calicem verbi salutaris abhorrentes accipere, in tentationibus etiam modicis a pusillanimitate spiritus, et in tempestate subvertimur. Isti siquidem in suo sanguine fidei testimonium reddiderunt. Utinam nos salutem in aqua et spiritu testimonium perhibere possimus! Moyses quidem venit in aqua tantum: isti venerunt in aqua et sanguine, in aqua pœnitentiæ, et sanguine passionis. Spiritus etiam sanctus tertius testis eis non defuit: nam *Spiritus est qui testificatur* [71]. Scriptum est autem: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* [72]. Sapientia Dei Christus Jesus est. Ipse est qui dicit: *Spiritus meus super mel dulcis* [73]. Vere magnifice et multipliciter dulcis. O *quam magna multitudo dulcedinis tuæ*, Deus [74], per quam apostolis et martyribus etiam ipsa mortis amaritudo dulcescit. Quid agimus, fratres? Videmus apostolos passione transisse in gloriam; nos autem tepidi et remissi, sequimur vanitates et insanias falsas, sperantes obtinere sine pœnitentia veniam, sine labore præmium, sine tribulatione coronam. Unum precor. Si volumus intelligere patientiam Christi, per quam ad pœnitentiam misericorditer nos exspectat: sentiamus saltem flagella ipsius, in quibus nos erudiat, suæque saluberrimæ voluntati consentire compellat,

A et eveniat quod ipse loquitur per prophetam: *In manu*, inquit, *forti et brachio extento, et in flagello meo regnabo super vos, et subjiciam vos sceptro meo, et inducam vos in vincula fœderis mei* [75]. Quod ipse in his qui pœnitentiam differunt, implere dignetur Christus Jesus, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIX.

IN EODEM FESTO.

Duo ubera tua sicut hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis [76].

Sponsus in Cantico amoris sponsam alloquitur, comparans duo ubera ejus duobus hinnulis capreæ B gemellis, etc. Hæc duo ubera, duo apostoli sunt, quorum hodie solemnitas celebratur: in qua potamur ab uberibus consolationis eorum. Isti sunt reges et principes terræ, de quibus scriptum est: *Constitues eos principes super omnem terram* [77]. Et licet sint reges, tamen ubera sunt, quia lacte doctrinæ nos nutriunt, sicut legitur in propheta: *Principes nutritii tui erunt, et mamilla regum lactaberis* [78]. Nonne novitios, et quasi parvulos in fide Petrus lactare videtur cum dicat: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite* [79]? Et Paulus: *Lac dedi vobis potum, non escam* [80]: Et idem: *Factus sum in medio vestri nutrix sedens, et nutriens parvulos suos* [81]. Parvulis dabat mamillam, dabat et animam, et lacte misericordiæ plenus non solum misericordiam Spiritus sancti Filius de- C siderabat immulgere, sed se totum impendere. Ubere uberat lacte misericordiæ plenum, in cujus decollatione est pro sanguine lac effusum, antequam isti essent virtute induti ex alto, antequam repente factus esset de cœlo sonus: antequam hæc ubera lacte gratiæ plena essent, compatiebatur Ecclesia beatorum spirituum. Ecclesiæ adhuc parvulæ dicebat quod in Canticis legitur: *Soror nostra parvula est, et ubera non habet* [82]. Christus equidem in diebus carnis suæ multos genuerat filios Verbo veritatis, sed adhuc infantuli erant, et tanquam *initium aliquod creaturæ ejus* [83]. Incumbebat ergo apostolis, ut eos cum diligentia instruerent, donec adducerentur ad perfectum, et formaretur Christus in eis. In provectione istorum Ecclesia gloriatur se non D solum adultam, sed etiam civitatem effectam. *Ego*, inquit, *murus, et ubera mea turris* [84]. Isti sunt columnæ geminæ in tabernaculo Domini, duo montes ænei, duæ tubæ argenteæ quas fecit Moyses ad clangendum in neomeniis et bellis. Hi sunt duæ spicæ, sicut in Zacharia legitur, et duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ [85]. Nonne bene sunt filii olei, qui in Christi charitate

[63] Psal. 111. [64] Psal. 68. [65] Rom. 8. [66] Psal. 140. [67] Deut. 45. [68] Joan. 20. [69] Matth. 12. [70] I Cor. 1. [71] I Joan. 5. [72] Rom. 8. [73] Eccli 24. [74] Psal. 30. [75] Ezech. 20. [76] Cant. 4. [77] Psal. 44. [78] Isai. 49. [79] Petr. 2. [80] I Cor. 13. [81] I Thess. 2. [82] Cant. 8. [83] Jac. 1. [84] Cant. 8. [85] Zach. 4.

. et geniti, quasi olea fructifera in domo Do- A
tam in se quam in aliis florent et fructifi-
)e Ecclesia justorum dicit Jeremias: *Olivam*
, *pulchram, fructuosam, speciosam vocavit*
us nomen tuum [87]. Vere filii olei sunt, quos
docet de omnibus [88]. Alteri, id est Petro,
ssa est Judæa sterilis, scilicet et infructuosa,
. per prophetam dicitur : *Mentietur opus oli-*
Paulo commissus est oleaster, id est gentilis
.s olivis pinguibus inserendus. Isti sunt viri
cordiæ, tum quia misericordiam consecuti
tum quia misericordia pleni sunt *Bla-*
us, inquit Paulus, *fui, sed misericordiam*
tus sum [90]. *Ubi abundavit delictum super-*
vit et gratia [91]. Ipse idem lugens eos qui
erunt, et pœnitentiam non egerunt, nonne B
sericordiæ erat? *Quis infirmatur et ego non*
r ? quis scandalizatur et ego non uror [92] ? Isti
isericordiæ solliciti sunt de salute nostra, ut
m eis consummemur ad vitam. Sicut Apo-
dicit : *Deus providet nobis, ne sine nobis*
metur [93]. Isti duo martyres, et plusquam
res, quia martyrum duces quasi duo oculi
pore Ecclesiæ, quasi duo luminaria in
nento cœli ; quia usque hodie ad justitiam
runt multos, elevati sunt in perpetuas æter-
[94]. Lætemur de honore, et glorificatione
, si tamen eos honorare possumus, aut di-
mus, quia *nimis honorati sunt amici tui*,
[95]. Sufficeret solemnitas unius ad totius Ec-
gaudium ; sed conjuncta est amborum so-
as ad cumulum gaudiorum. Hinnuli capreæ C
li jam non hinnuli, sed cervi salientes in
bus ; jam non discipuli, sed magitri, et pa-
n principes. Gemelli tamen, quia gloriosi
pes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt
et in morte quoque non sunt separati. Uno
que die, non revoluto anno, sicut quorum-
nentita est iniquitas sibi [96], Petrus a Nerone
aticano crucifigitur, Paulus in catacumbis,
morte digniori, tanquam Romanus civis gla-
nsummatur. Isti nos docuerunt legem tuam,
ae : non Platonis invisibiles griphos, nec
otelis versutias inversare, nec præstigiosi juris
arietates exponere, sed docuere nos vivere.
vivit qui ordinater vivit, socialiter, humili-
rdinaliter sibi, socialiter, proximo, humiliter D
Habemus eos, fratres, in memoria et reve-
, quia potentissimi sunt ut nos adju-
apud Deum. Si mortales potentiam habuerunt,
rtales potentiores effecti sunt. Et quis poten-
etro, cui terra mortuos suos reddidit, cui
se calcabile præbuit, qui Simonem Magum
m in aere dejiciendo allisit, qui claves cœli
testative accepit, ut sententia ejus præcedat
sententiam cœli ? Quis Petro sapientior, cui *caro et sanguis non revelavit*, sed Spiritus Patri summi [97]? Quid Paulus, qui Elymam magum cæcitate percutiens, juvenemque lapsum de fenestra suscitans, ad tertium cœlum raptus, scholæ cœlestis arcana cognovit, nobisque vitæ scientiam attulit ? Si miracula quæ Deus operatus est per eos recensere velimus, non sufficeret totus dies. Vere viri misericordiæ, per quos misericordiam suam Dominus magnificavit, et mirificavit in nobis. Et quis gravius Petro in religione deliquit ? quis extra religionem gravius Paulo ? Ambo tamen non solum sanctitatem adepti sunt, sed ministerium fidei et magisterium sanctitatis. O quam pretiosa est mors sanctorum, per quam datur æternæ salutis hæreditas ! *Visi sunt oculis insipientium mori* [98], sed in pace dormiunt ; nam et Lazarus qui amicus est dormit [99]: Nam *quum dederit* Dominus *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* [100]. Isti sunt filii olei, viri misericordiæ, hinnuli capreæ gemelli, duæ olivæ, duæ spicæ, duo ubera sponsæ, de quorum doctrina concupiscimus sæpe lac, ut crescamus in salutem, donec Christus perficiatur in nobis, et nos cum sanctis ejus consummemur ad vitam, ipso præstante, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXX.

DE SANCTA MAGDALENA.

Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia [1].

Gaudeant peccatores, et maxime pœnitentes, quia publica peccatrix, et beata pœnitentrix hodie pœnitentiæ exemplum se nobis proposuit, et quanta sit circa pœnitentes misericordia Salvatoris ostendit. Si quis peccatorem se sentit, devotus accedat ad memoriam peccatricis. Ut de beata Virgine taceam, quæ superabundanter et superaffluenter repleta est Spiritu sancto, Elias, Jeremias, Joannes Baptista, qui sanctificati fuerunt ex utero, nostras infirmitates passi non sunt. Melius novit misereri miserias nostras quandoque passa ; et quæ beneficium quod a se peti videt, in alio est experta. Credo hanc exstitisse primipilariam, et magistram omnium pœnitentium in negotio cœlestis gratiæ acquirendæ. Exemplo et imitatione istius causam et initium habuerunt confessio latronis in cruce, supplicatio Chananææ, devotio Publicani, lacrymæ Petri, conversio Pauli, Cain post peccatum suum gemuit, Esau flevit, Judas pœnituit ; sed quia nullus Mariæ contritionem habuerit, nullus eorum pœnitentiæ fructum fecit. Multi voluerunt placare Deum effundentes copiam lacrymarum, *verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt* [2]. Quid enim va-

'sal. 51. [87] Jer. 11. [88] I Joan. 2. [89] Habac. 3. [90] I Tim. 1. [91] Rom. 5. [92] II Cor. 1. [93] Hebr. 11.
1. 12. [95] Psal. 138. [96] Psal. 26. [97] Matth. 16. [98] Sap. 3. [99] Joan. 11. [100] Psal. 126. [1] Luc. 15.
1. 31.

lent larcrymæ, nisi ex corde contrito, et humiliato procedant. In Mariæ siquidem anima magna commotio erat, quæ per cordis contritionem et pœnitentiales lacrymas se diffundens, interiores motus animæ mirabiliter exhibebat. Vocavit Dominus terram et audivit eum cum tremore. Cum auditum fecit de cœlo judicium, terra tremuit, sed tremendo et pœnitendo purgata quievit. Quæ prius fuerat sentina vitiorum, facta est Spiritus sancti sacrarium; quæ erat vorago flagitiorum, facta est apotheca spiritualium gratiarum : cui posita erat securis ad radicem, et ignis ad combustionem, nunc fructifera facta est in domo Domini, ut possit dicere : Audite me, devini fructus, quia quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificavi. Reminiscens Maria peccatorum suorum, et judiciorum Dei terribilium vehementi dolore concussa est. *Abyssus abyssum invocat* [3]. Est enim abyssus judiciorum Dei, sicut scriptum est : *Judicia Dei abyssus multa* [4]. Est abyssus peccatorum de qua scriptum est : Peccator *cum venerit in profundum*, sive abyssum, vitiorum *contemnit* [5]. Abyssus ergo judiciorum invocat abyssum peccatorum, dum divini judicii terrore concutitur, a peccatorum recordatione turbatur : commota est ergo et contremuit terra. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis* [6]. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob. Qui convertit rupem in stagna aquarum* [7], id est eam quæ in sua malitia obduruerat, liquefecit in copiam lacrymarum. Hæ sunt aquæ, de quibus Propheta loquitur dicens : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* [8]. Istæ aquæ de timore et humilitate hauriuntur, quasi de fontibus Salvatoris. Maria diligebat Jesum, audiensque ab eo verba vitæ et terribile judicium mortis æternæ, his qui non arripiunt pœnitentiæ viam, terrore judicii et patriæ cœlestis desiderio intabescens poterat dicere : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* [9]. Ad sermones dilecti liquefacta resolvitur in aquarum affluentiam. Scriptum est enim : *Emittet verbum suum et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus et fluent aquæ* [10]. *Sermo siquidem Domini vivus, et efficax, et penetrabilior est omni gladio ancipiti* [11]. Quamvis enim verba Domini sunt dulciora super mel et favum, testimonio tamen Jeremiæ sunt *sicut ignis, et sicut malleus conterens petram* [12]. Unde et Psalmista dicit : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* [13]. Dilecto igitur loquente, et Spiritu sancto flante, liquescit quæ amat, et fluunt aquæ, quibus irrigatur hortus deliciarum, qui austro perflatur, ut fluant aromata illius. Et hæ quidem lacrymæ mellifluæ sunt; etenim cœli distillaverunt stillicidia super terram, quibus lætabitur germinans, et, pluviam voluntariam segregabit Deus hæreditati suæ [14].

A Utrumque irriguum assecuta est hæc mulier [15] : inferius irriguum quod eam vivificat et fecundat. Irriguum etiam superius quod ei rorem divinæ contemplationis irrorat. Si ergo quæ plantata fuerat in terra salsuginis per Christi gratiam transplantata est super aquam refectionis, vere mutatio hæc mutatio est dexteræ Excelsi. Sunt qui ad pœnitentiam converti, et in melius pœnitendo mutari differunt et contemnunt, quibus non convenit vox illa : *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi* [16]. Non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum, ut saperent et intelligerent, et timendo ac pœnitendo novissima providerent. Certum est autem quia *initium sapientiæ timor Domini* [17]. Initium sapientiæ idem quod initium viæ bonæ. Testimonio autem Salomonis : *Initium viæ bonæ facere justa* [18]. Justitia siquidem pœ-
B nitentia et confessione acquiritur. Quid est enim justitia, nisi remissio peccatorum? *Dixi*, inquit, *Confitebor, et tu remisisti* [19]. Hæc est justitia quæ ambulat ante Deum, sicut scriptum est : *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos* [20]. In hac beata peccatrice occurrunt sibi, et sese osculantur justitia et pax [21], justitia scilicet peccatricis punientis se, et pax Dei indulgentis. In hoc osculo confirmatur fœdus reconciliationis. Quid enim faciet pius et misericors judex, cum viderit cor contritum et humiliatum, spiritumque contribulatum, peccatricem pœnitentem ac flentem, ac pedes ejus lacrymis irrigantem? Magnus est humilitatis fructus, nihil ea majus est in donis Dei, nihil pretiosius in thesauris Altissimi, nihil sanctius inter
C charismata divinæ largitionis. Vere apud te, Christe Jesu, est fons vitæ, spes indulgentiæ, exspectatio veniæ, plenitudo misericordiæ, qui filiam Babylonis, tam subito facis filiam Sion; filiam perditionis, filiam gratiæ et salutis : nec solum filiam, sed sponsam et amicam Altissimi. Figura hujus rei est, quod filius prodigus, postquam luxuriose vixerat, revertitur ad patrem, et paterna lenitate suscipitur [22]. Quæritur ovis centesima quæ perierat, et ad caulas reducitur [23]. Everrit mulier domum suam et, accensa lucerna, drachma quæ erat perdita invenitur [24]. Nonne erat lucerna accensa in corde Mariæ, per quam pœnitentiæ lucebat exemplis, et desiderio divini amoris ardebat. Quoniam ardenter amavit, ardores sempiternos evasit. O quam melius est ar-
D dere delectabili amore, quam igne horroris et mortis ardere! Inter pœnitentiales lacrymas gehennale incendium exstinguitur, et efficitur fornax Babylonius ventus roris. Heu mihi, *si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et si sanguinem laverit de medio Jerusalem in spiritu judicii et spiritu ardoris* [25]! Infelix ego, *quis poterit habitare cum igne devorante, et cum ardoribus sempiternis* [26]? Bonum esset cum Maria

[3] Psal. 41. [4] Psal. 18. [5] Prov. 35. [6] Hebr. 10. [7] Psal. 113. [8] Psal. 118. [9] Cant. 5. [10] Psal. 147. [11] Hebr. 4. [12] Jer. 23. [13] Psal. 54. [14] Psal. 67. [15] Judic. 1. [16] Psal. 76. [17] Psal. 110. [18] Prov. 16. [19] Psal. 31. [20] Psal. 48. [21] Psal. 84. [22] Luc. 15. [23] Ibid. [24] Ibid. [25] Isai. 4. [26] Isai. 33.

purgari per pœnitentiam, et sic evadere horribilem et interminabilem pœnam. Bonum esset ardere cum Maria per charitatem, et sic evadere sempiternum ardorem. Quid est enim charitas, nisi quidam ardor ignis? *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat* [27]? Accendatur in nobis, Jesu Christe, charitas tua, ut simus sinceri, et sine offensione in die Domini, eorum participes effecti per pœnitentiam, quibus repromisit Dominus gloriam regni sui, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXI.

IN FESTO SANCTI PETRI AD VINCULA.

Referunt Historiæ quod secundus Herodes, Herodes Antipas, qui decollavit beatum Joannem, deportatus est a Caio Cæsare Lugdunum cum Herodiade, et ibi mortui sunt. Cui substitutus Herodes Agrippa, filius Aristoboli, nepos magni Herodis, et frater Herodiadis, factus est a Caio non solum tetrarcha, sed et rex totius Judææ. Hic volens gratificare et placere Judæis, cum occidisset Jacobum fratrem Joannis evangelistæ gladio, apposuit ut apprehenderet et Petrum, ut eum faceret spectaculum et ludibrium populo post Pascha, et tandem eum turpi morte afficeret; sed liberatus a vinculis per angelum, Herodis et Judæorum malitiam, licet inter duos milites jaceret et a quatuor quaternionibus custodiretur, evasit [28]. Processu temporis cum filia cujusdam principis Romanorum gutturnosa esset (et est morbus Campaniæ), consilio beati Alexandri papæ, qui a patre puellæ tenebatur in vinculis, quæsivit vincula quibus beatus Petrus olim ligatus in carcere fuerat, et tactu illorum liberata est. Propter quod et beatus Alexander liberatus a vinculis instituit hoc festum, et ædificavit ecclesiam Romæ, quam vocavit ad Vincula S. Petri. Jeremias et alii prophetæ leguntur fuisse in vinculis, sed et Paulus, et Joannes, qui in Pathmos insula relegatus fuit, et Jacobus, et alii fere omnes. Verumtamen nullius vincula in tanta reverentia habita sunt sicut vincula Petri : quod forte accidit propter prædictum miraculum, aut (quod verius puto) vincula ejus in honore habenda sunt, quia ipse est dominus vinculorum. Ipsi enim singulari privilegio data est potestas ligandi atque solvendi [29]. Ut ergo aliquid de vinculis Petri dicamus, videamus qualiter et a quibus tenebatur in vinculis. Traditus siquidem erat quatuor quaternionibus militum, et jacebat in carcere tenebroso inter duos milites, vinctus catenis duabus. Hanc actualem incarcerationem Petri potest unusquisque nostrum in se spiritualiter contemplari. *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [30]. Habemus nostrum Herodem, nostrum carcerem, nostros quaterniones. Nam quaternio nomen est officii, non numeri, sicut centurio, quinquagenarius, decanus, duumvir, triumvir. Habemus nostros milites, nostras catenas, nostrum angelum. Herodes *pelliceus* interpretatur, id est deceptor, quia versutus est et versipellis. Unde Apostolus : *Non ignoramus versutias Satanæ* [31]. Herodes, quandiu perigrinamur a Domino, quasi in quodam carcere, imo in carcere mortis hujus, ut carcere corporis nos affligit. Unde Psalmista : *Posuit me in obscuris sicut mortuos sæculi* [32]. Et in carcere isto clausus Jeremias exclamare compellitur : *Circumædificavit adversum me in gyro, ut non egrediar, aggravavit, super me pedem suum* [33]. Et idem : *In tenebrosis collocavit me sicut mortuos sempiternos* [34]. Apostolus sentiens ejusdem carnis angustias conquerendo exclamat : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* [35]? Quatuor sunt quaterniones militum, quorum unusquisque quatuor milites sub se habet. Primus quaternio superbia, secundus malitia, tertius luxuria quartus avaritia. Superbia sub se habet inanem gloriam, arrogantiam, præsumptionem, singularitatem. Inanis gloria est, cum quis de bono quod in eo est, intumescit, et ab ipsa gloria inani opprimitur, meliorem se reputans quam ipse sit. De isto dicit propheta : *Superbus est Moab, et elatio ejus plus quam fortitudo ejus* [36], sicut legitur de Eleazaro : qui cum elephantem occidisset, oppressus est ab eodem [37]. Arrogantia est, cum quis de honore et divitiis hujus sæculi gloriatur, sicut Nabuchodonosor dicit : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ædificavi in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei* [38]? Præsumptio est, cum dona quæ a Deo habet, sibi et non Deo ascribit, sicut philosophi gentium dicentes : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est* [39]? Qui cum Dominum gloriæ cognovissent, non tanquam Deum glorificaverunt. Singularitas est, cum quis dona spiritualia quæ habet a Deo recognoscens, alios in elatione conscientiæ suæ vilipendit, sicut ille Pharisæus : *Gratias tibi ago, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, peccatores, raptores, adulteri sicut et hic publicanus* [40]. Exemplum habes in Elia; sed familiarius in Pharisæo. Malitia sub se quatuor milites habet : sævitiam, impatientiam, audaciam, impudentiam. Sub luxuria sunt alii quatuor : ingluvies ventris, mollities vestium, immunditia carnis, resolutio otii et soporis. Sub avaritia sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, et oblivio mortis. Duo milites inter quos jacet miser et incarceratus, sunt ignorantia boni et concupiscentia mali. Duæ catenæ titillatio carnis, et amor mundi. Et quis est iste angelus, qui educit Petrum de carcere? ipse est *qui educit vinctos in fortitudine, et eos qui habitant in sepulcris* [41].

[27] Luc. 12. [28] Act. 12. [29] Matth. 16. [30] Rom. 1. [31] II Cor. 2. [32] Psal. 142. [33] Thren. 3. [34] Ibid. [35] Rom. 7. [36] Isai. 16. [37] Mach. 6. [38] Dan. 4. [39] Psal. 11. [40] Luc. 18. [41] Psal. 67.

Corpora namque nostra animarum sepulcra sunt; *qui portas æreas et vectes ferreos confregit* [42], qui ponit humiles in sublimi, ut mœrentes erigit sospitate. Angelus iste est firma obedientia. Hæc est quam præmittit Dominus, quasi angelum ante faciem suam, et præparat viam vitæ. Unde merito educit Simonem Petrum: Simon *obediens*, Petrus *firmus:* nam qui firmus est in observantia obedientiæ, per obedientiam de carcer, liberatur, ut jam non sit ei claustrum carcer, sed thalamus quietis et paradisus voluptatis. Transit autem primam et secundam custodiam. Prima custodia est consuetudo in peccatis; secunda, vehementia tentationis. Difficile transeuntur istæ custodiæ: difficile est consueta relinquere, et difficile est post delicias hujus sæculi duritiam et rigorem vitæ abstinentioris amplecti. Sed et tentationes quæ incessanter insurgunt, quibus dæmones animam impugnant, sicut expugnaverunt a juventute sua, difficile est evadere nisi obediendi humilitas præcederet: quæ facit obedientem omnia sine difficultate transire. Humilitas hæc est, quæ omnes laqueos diaboli transit. Diabolus enim laqueos habet de quibus legitur: *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi* [43]. Et Job: *Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula ejus super semitam* [44]. Legitur quod beatus Antonius raptus a Domino in exstasim, vidit omnes laqueos inimici, et erant valde intricati et perplexi, quia sicut Job dicit: *Perplexi sunt nervi testiculorum Leviathan* [45]. Et cum videret sanctos illos intransibiles et inextricabiles laqueos, exclamavit: « Domine, quis transibit laqueos istos? » Et facta est vox dicens: « Humilitas ». Transit humilitas, ubi, fratres, superbia ad superliminare obtunditur: evadit humilitas, ubi in astutia sua malitia deprehenditur. Porta ferrea est charitas: propter fortitudinem hæc alibi vocatur porta speciosa. Ista est de qua scriptum est: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam* [46]. Hæc est porta speciosa, quæ in destructione Jerusalem sola remansit; nam sive fides, sive scientia evacuabuntur, *charitas nunquam excidit* [47], et ideo propter stabilitatem ferrea dicitur. Hæc est quæ ducit ad civitatem habitationis. *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* [48], in qua est dies sine nocte, sine labore requies, et gloria sine fine, ad quam immensa Christi charitas nos deducat, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXII.

IN FESTO S. LAURENTII.

Separavit Moyses trans Jordanem ad orientem plagam tres civitates refugii: Bosor in solitudine, in terra campestri de tribu Ruben: Ramoth Galaad de tribu Gad: Golam et Gaulon in Basan de tribu Manasse [49]. Tria sunt refugia, sive remedia. Primum est pro nostris, et alienis peccatis conteri: secundum est pro Christo pati: tertium ad cœlestium desiderium contemplatione suspendi. Notentur locorum refugii nomina, et nominum significationes, et erunt concordia et consonantia universa. Primus locus est pœnitentium, secundus martyrum, tertius contemplativorum. Bosor interpretatur *tribulatio*, seu *contritio*, quia bene convenit cordi contritio et humiliatio. Unde et hæc civitas sita est in solitudine, qui est locus pœnitentis in tribu Ruben, quod interpretatur *visio filii*. Quis enim potest videre Filium, quem soli mundo corde vident, nisi qui cordis oculos per pœnitentiam emundavit? Ramoth interpretatur *visio mortis*, vel *signum excelsum*. Et quod signum excelsius, quam signum martyrum, signum crucis? De quo Isaias dicit: *Levate signum in nationibus* [50]. Et Christus: *Qui vult*, inquit, *venire post me, abneget semeptisum, et tollat crucem suam, et sequatur me* [51]. Galaad sonat *acervus testimonii:* quod ad universitatem martyrum spectat. Martyr enim idem estquod *testis*. Est de tribu Gad: quod interpretatur *accinctus*. Et quid accinctius est, quam qui accinxit fortitudine lumbos suos, a Domino præcinctus virtute ad bellum? Si glorietur discinctus, æque etiam glorietur accinctus. Discinctus est qui semotus a turbine spiritualium præliorum cum Maria ad pedes Jesu paci et quieti animæ vacat. Hic habitat in Gaulon tertia civitate refugii: hic est in Basan et in tribu Manasse. Gaulon interpretatur *transmigratio:* quod ad eos pertinet, qui de amore hujus sæcul ad amorem cœlestium transmigrantes, quasi in exstasi spiritualiter ascendunt in montem Domini, montem divinæ dulcedinis, et jucundæ refectionis, ut possit dicere: *In loco pascuæ ibi me collocavit* [52]. Ideo hæc civitas est in Basan, quod interpretatur *pinguedo*, et de tribu Manasse, quod interpretatur *obliviosus*. Hoc enim contemplativo spiritualiter convenire videtur, qui oblitus populum suum, et domum Patris sui, oblitus eorum quæ retro sunt, ad anteriora ascendendo se porrigit: cujus anima quasi ex adipe et pinguedine repleta, in sinu Rachelis, et in umbra desiderii requiescit. Singuli istorum zelum suum habent. Primus est in suorum et alienorum dolore peccatorum, secundus in tolerantia passionum, tertius in desiderio æternorum. Primum exbibet Apostolus, ubi se carnalem reputans, et venundatum sub peccato: *Omnia*, inquit, *sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur* [53]. Secundum exprimit, ubi asserens se paratum alligari in Jerusalem: *Non facio*, inquit, *animam meam pretiosiorem quam meipsum* [54]. Ter-

[42] Psal. 106. [43] Psal. 141. [44] Job. 18. [45] Job. 40. [46] Psal. 117. [47] I Cor. 13. [48] Hebr. 13.
[49] Deut. 5. [50] Isai. 5. [51] Matth. 16. [52] Psal. 22. [53] I Tim. 2. [54] Act. 20.

tium manifeste declaratur, ubi ad tertium cœlum raptus, et accensus desiderio supernorum : *Cupio*, inquit, *dissolvi, et esse cum Christo* [55]. Hoc triplici zelo immolat homo animam suam, hoc est triplex sacrificium similæ. Offertur ut simila in clibano, in craticula, in sartagine. Quod in clibano coquitur, occultum est; sic et cordis contritio ei soli aperta est, cui cogitatio omnino confitetur. Quod in craticula coquitur libere omnibus patet : in quo martyrum persecutio manifesta signatur. Quod vero in sartagine frigitur quandoque apparet, quandoque absconditur secundum motus olei bullientis, sic et mentis devotio nunc interius latet, nunc foris per vehementiam desiderii et amoris apparet. Licet enim beatus Martinus, licet Maria Magdalena oleo charitatis intus ferveant, desideria tamen eorum per operis exhibitionem exterius prodeunt, et dum ille cœlum suspiciens et suspirans cum Christo esse desiderat, et illa Christum super omnia diligendo pedes osculatur, et lacrymis rigat. Loquitur ergo in clibano Paulus, in craticula Laurentius, in sartagine Maria, vel Martinus. Et quia B. Laurentii craticula totum hunc diem sibi peculiariter vindicat, de beato Laurentio et ejus craticula prosequamur. Cum de craticula offerenda est simila, post aspergenda est oleo, ne ignis vehementia comburatur. In hoc sacrificio tria exiguntur, ut sit simila absque fermento, ut coquatur, ut craticula, ut oleo conspergatur. Simila est puritas conscientiæ, quæ nisi oleo charitatis conspergatur, persecutionis igne consumitur; nam sine Spiritus sancti gratia humana non potest subsistere infirmitas : quod infertur. Petrus ante infusionem Spiritus sancti ad vocem ancillæ Christum negaverat : indutus autem virtute ex alto, cum a principibus sacerdotum prohiberetur loqui in nomine Jesu : *Magis*, inquit, *oportet obedire Deo quam hominibus* [56]. Et innuente Christo tempore passionis : *Quo*, inquit, *vado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea* [57]. Sed et omnibus discipulis dictum est : *Sedete in civitate : donec induamini virtute ex alto* [58]. Absque fermento est simila, cum pro Christo et justitia ejus quis patiatur, et non pro sua malitia. Sicut scriptum est : *Si pro Christo patiamini, beati* [59]. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* [60]. *Nemo vestrum*, dicit Petrus, *patiatur quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor* [61]. Oportet quod aspersa sit oleo : nam quidquid sine charitate obtuleris, vitæ meritum non habebit. Verba Pauli sunt : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Charitas autem omnia suffert, omnia sustinet*, quia *charitas patiens est* [62]. Ideo gloria martyrum erat, quod pro Christi nomine torquebantur. *In hoc*, inquit Apostolus, *laboramus, et maledicimur, quia speramus*

A *in Deum vivum* [63]. O quam felicem debemus reputare eum qui sic materiali igne purgatus est, ut ignem purgatorium non sentiret! Terribilis est exspectatio illius, quando sedebit Dominus conflans et emundans argentum. *Et purgabit, inquit, filios Levi in spiritu judicii et spiritu ardoris* [64]. Felix cujus opus non ardebit! felix qui ædificaverit aurum, argentum, et lapides pretiosos [65]. *Cum exarserit*, inquit, *in brevi ira ejus : beati omnes qui confidunt in eo* [66]. Per ignem transeundum est nobis : omnia opera nostra probabit ignis.

Vereor ne aurum nostrum vertatur ibi in scoriam. *Omnes* enim *justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ* [67]. Et quid miseri faciemus cum nostras purificabit iniquitates, qui etiam justitias judicabit? Quidquid modo dissimulamus, quidquid vel
B in nobis vel in aliis dissimulando palpamus, ignis vindex, et crucians flamma consumet. Ego infelicissimus, qui non possum exiguam guttam sustinere candelæ ardentis, si super manum meam ceciderit, quid faciam, si me circumcingi et onerari video catenis ardentibus, prementibus, urentibus, et non consumentibus? Quomodo exspectabo Dominum majestatis, judicem universitatis venientem in spiritu furoris et turbine tempestatis, in igne sulphuris et æterni ardoris : *Ignis* enim *in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* [68].

Contra hanc fragilissimam stipulam, et contra folium quod vento rapitur, accendetur ignis consumens et devorans usque ad infirni novissima. O
C quam felix craticula Laurentii, per quam et ignis ille pœnalis evaditur, et æterni refrigerii quies, et æternæ gloriæ jucunditas obtinetur! Nonne et nos ignem aliquem sustinere possemus? possemus equidem, et ignem gravissimum sæpissime sustinemus. Nonne ignis est invidia? nonne ignis est cupiditas? sed ignis iste alienus est et interficit filios Aaron. Ignis iste non fovet, sed devorat, non illuminat, sed excæcat, ut non videamus solem justitiæ. Supercecidit ignis malitiæ, et non viderunt solem justitiæ. Hunc ignem subjicit Abimelech ut incendat oppidum Thebes [69]. Hunc ignem accendunt Amalecitæ, ut succendant Siceleg [70]. Sed et inimicus accendit in nobis stipulas, exstinguit ignem illum in nobis, quem Dominus misit in ter-
D ram, et voluit vehementer accendi. Putatis quod beatus Laurentius sustinuisset adeo patienter materialis ignis incendium, nisi arderet alio igne qui omnem malitiam alterius ignis consumeret et auferret? Naturale et physicum est quod calor calorem expellat. Ardebat itaque ignis charitatis in altario cordis ejus, per quem ignis exterior vincebatur. Ignis ille de quo Moyses dicit : *Ignis semper ardebit in altari, sacerdos subjiciet ligna* [71]. Forte

[55] Philipp. 1. [56] Act. 5. [57] Joan. 13. [58] Luc. 24. [59] I Petr. 3. [60] Matth. 5. [61] I Petr. 4. [62] I Cor. 13. [63] II Tim. 4. [64] Malac. 3. [65] I Cor. 3. [66] Psal. 12. [67] Isa. 64. [68] Psal. 49. [69] Judic. 9. [70] I Reg. 30. [71] Levit. 6.

huic igni ligna subjecerat : diuque hunc ignem foverat summus ille beatus sacerdos Sixtus, vel ministerio beati Sixti summorum sacerdotum summus : de quo scriptum est : *Ignem misit Dominus in ossibus meis et erudivit me* [72], et insistunt ministri Satanæ. Contumelia et tormento interrogabant martyrem Christi : martyr stat afflictus siquidem, sed invictus. Carbones suggerunt, excitant flammas, furcis ferreis et ardentibus attrectant membra illius. Ille memor passionum Christi, et ejus passionibus condelectans, suorum dolorum obliviscitur, propriique corporis cruciatum non curat, quia peregrinatur a corpore : nec attribuendum est hoc stupori, sed amori ; nec insensibilitati, sed charitati : nec enim sensus doloris amittitur, sed submittitur, et quidquid potest humana malitia pro Christi amore contemnitur. Ecce quomodo aspersa, et superaspersa est oleo simila beati Laurentii ; nisi oleum esset, procul dubio omnino cremaretur et tota deficeret. Nec autem uncta oleo exsultationis, non solum in tormento exsultat, sed tortori insultat : « Assatum est, inquit, jam versa et manduca. » Ecce quanta est fides sanctorum : ecce quanta est in fide virtus, in virtute victoria. *Sancti*, inquit, *per fidem vicerunt regna* [73]. Per fidem, inquit. *Nam hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* [74]. Mundus fidem expugnat tripliciter : per prudentiam, per potentiam, per obstinaciam. Fides autem triplici modo vincit mundum : per stultitiam, per partientiam, per operum gratiam. Per stultitiam vincit prudentiam ; nam cum *filii hujus sæculi prudentiores* sint *filiis lucis in generatione sua* [75], *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* [76]. *Prædicamus*, inquit Apostolus, *Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [77]. Per patientiam vincit potentiam. *In patientia*, inquit, *vestra possidebitis animas vestras* [78]. Idem : *Nolite timere eos qui corpus occidunt : animæ autem non habent quid faciant* [79]. Per operum gratiam vincitur obstinacia. Quis enim adeo est obstinatus, ut eum ad amorem Christi sancta et miraculosa opera non inducant ? Hæc est pugna Gedeonis in tubis, in laguncolis, in lucernis [80]. In tuba prædicationis ; in lagunculа quæ frangitur, martyrium corporis ; in lucerna miraculorum exhibitio. Et quæ testa, quod vitrum fragilius carne nostra ? Ideo et merito caro nostra est e laguncula. Si non possumus ascendere in montem martyrii, quia non omnes capiunt verbum illius perfectionis vitæ, salvemur saltem in Segor modica civitate [81]. Pugnemus in tubis, in laguncolis, et lucernis adversus Madianitas cum Gedeone. Sit tuba nostra in

A hymnis, et psalmis et canticis spiritualibus ; frangamus vasa ista fictilia vigiliis, jejuniis, disciplinis. *Ardeant lucernæ vestræ coram hominibus, ut videant opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [82]. Videant etiam Madianitæ, et fugiant qui oderunt Dominum a facie ejus. Ecce tres civitates refugii : pœnitentiæ contritio, carnis afflictio, vitæ cœlestis affectio. Ecce tria sacrificia : simila in clibano per occultam cordis contritionem : in craticula per corporis afflictionem : in sartagine per ebullientis et æstuantis desiderii voluntatem. Quia ergo *non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus* [83], fugiamus, fratres, ad civitates refugii, ut per eas redeamus ad illam civitatem a qua nunc exsulamus, cujus mansio est in gloria et honore, B in pace et quiete, in æterna beatitudine et interminabili jucunditate. Ad quam nos ducat et introducat Jesus Christus : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIII.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ.

Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, etc. [84]. Gaudent angeli, quia Christi Mater hodie in cœlum assumpta est. Cum homines gaudeant, qui semper sunt in tristitia et mœrore, quomodo non gauderent angeli, quorum natura est gaudere, quorum conditio tristitiam non admittit ? Qui gaudent super C uno peccatore pœnitentiam agente, quomodo non gauderent super Matre Dei cœlos ascendente ? quare non gaudeant angeli, cum gaudeat Dominus angelorum ? Gaudet Christus, et Matri suæ hodie festinus occurrit : nec dedignatur suæ legi satisfacere : per quam parentes honorari præcipit. David qui Christi figurativam gerebat imaginem, gaudebat et psallebat coram arca veteris testamenti [85]. Putatis quod non gaudeat Christus coram arca novi testamenti, coram cella aromatum, coram propitiatorio exauditionis, coram sacrario Spiritus sancti ? Gaudeant angeli, et occurrant dominæ suæ, reginæ angelorum, mediatrici Dei et hominum. Attendant quid olim fecerit Joannes, dum adhuc esset in utero matris suæ. Quamvis esset clausus et nondum productus in lucem, gaudens tamen gestiebat in occurD sum Mariæ [86]. Anima pueri liquefacta est, ut Maria locuta est. Liquefiant angeli, et vocem Mariæ audituri, et Mariæ præsentia fruituri. Gaudeant pro se, gaudeant pro nobis : pro se, quia suam in cœlo recipiunt advocatam. Neminem, quæso, moveat, fratres mei, quod Mariam voco reginam angelorum et dominam.

[72] Thren. 1. [73] Hebr. 11. [74] I Joan. 5. [75] Luc. 16. [76] I Cor. 1. [77] Ibid. [78] Luc. 11. [79] Matth. 10. [80] Judic. 7. [81] Gen. 19. [82] Matth. 5. [83] Hebr. 13. [84] Off. eccl. in miss. [85] II Reg. [86] Luc. 1.

Gloriantur angeli se illam habere dominam, quam Dominus angelorum sibi elegit in matrem: Ipsa quanto gloriosius et ineffabilius peperit filium et hæredem Dei, tanto differentius, et præ cunctis gloriosius nomen hæreditavit. Magnum et gloriosum est in angelo quod factus est Dei minister. Procul dubio majus et gloriosius est in Maria, quod facta est Dei Mater. Sicut Apostolus dicit: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, quanta sunt *quæ præparavit Deus diligentibus se* [87]. Si Deus præparat tam pretiosia diligenti se, quanta putatis præparat gignenti se? Cui angelorum dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. [88]? Adhuc eminentiorem vobis demonstro prærogotivam. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Cui angelorum dictum est unquam tam venerabile, tam amabile, tam familiare verbum: *Veni*, inquit, *electa, mea, veni* [89]. Vocatio est ad superemineniem gloriæ mansionem. *Multi* quidem *sunt vocati; pauci vero electi* [90]. Ista est vocata et electa, non solum electa, sed et prælecta. Elegit eam Deus et prælegit eam. Beata, Domine, quam elegisti, habitabit in atriis tuis, imo si verba Domini attendamus, habitabit in ea, et ponet in ea thronum suum, *quoniam elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam* [91]. O Virgo virginum! O virginum decus! videbaris derelicta eo tempore quo fructus ventris tui, fructus terræ sublimis ascendit in cœlum; sed *non vocaberis ultra derelicta, et terra tua non vocabitur amplius desolata, sed vocabitur voluntas Dei in ea, et terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis in Virgine, et habitabit in te filius tuus* [92]. Et hoc est quod ipse dicit: Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, ut tecum sim, et tecum, quiescam. Sunt alii throni quidem scilicet divini spiritus multa Deo familiaritate conjuncti: sed beata Maria longe conjunctior est filio suo, cum sint duo de carne una. Hanc prærogativam dedit Pater Filio, ut sit ei consubstantialis: hanc prærogativam habet Mater, ut sit ei consubstantialis. Ipsa quidem significata per nominatissimum thronum illum Salomonis. Ad hæc hodie vocata et electa est, ut sit thronus, ut sit quasi solium excelsum et elevatum. Elevatum dico super choros angelorum. Thronus, quia super eam requiescit Spiritus Dei: thronus quidem, sed non thronus de quo fulminat, de quo terribiles mortis sententias, et decreta damnationis æternæ promulgat. Sicut scriptum est: *De throno Dei procedunt fulgura, voces ac tonitrua* [93]. Ut verbis civilibus utar: De throno hoc Christus jurisdictionem exercet pacificam: Filius enim per præsentiam, per preces et merita suæ Matris largitur captivis indulgentiam, clausis apertionem, cæcis illuminationem, laborantibus requiem, infirmantibus sanitatem, indigentibus abundantiam, metuentibus securitatem, inter amicos fidem, inter inimicos pacem, in dubiis certitudinem, in errore consilium, in tribulatione solatium, in bello propugnaculum, in exsilio refugium, in naufragio portum, ignorantibus sapientiam, humiliantibus exaltationem, pupillis et viduis consolationem, incipientibus et proficientibus gratiam, perficientibus et triumphantibus gloriam et coronam. Auferatur corpus istud solare de mundo, et non erit nisi nox. Auferatur Maria de cœlo, et non erit in hominibus nisi cæcitas tenebrarum, error turbinis, et caligo involvens. Matrem suam Christus reliquerat ad tempus in terris, donec omnia, quæ familiarius in Filio suo viderat, et in corde suo diu contulerat, discipulis communicaret: atque, juxta vetus eloquium, contrito capite serpentis antiqui [94], credentium cordibus fidem et amorem Christi impressius et firmius intimaret, Christique Ecclesiam, quam erudiendam in ejus ascensione receperat, Filio suo sine ruga et macula repræsentaret. Videbatur Christo quod non totus ascendisset in cœlum, donec illam ad se traxisset, de cujus carne et sanguine traxerat corpus suum. Desiderio ergo desiderabat Christus habere secum vas illud electum, corpus Virginis dico, in quo sibi bene complacuit, in qui nil quod Divinitati posset displicere, reperit: quod omnium virtutum affluentia, omnium plenitudine gratiarum, omnium cœlestium aromatum odore perfudit. Hæc est in cujus utero ex diversis speciebus, divinitate, carne, et anima confectum est manu Spiritus sancti mirabiliter et ineffabiliter illud thymiama, quod Christus assistens pontifex futurorum bonorum in ara crucis Deo Patri sacrificium obtulit vespertinum. Ratione hujus thymiamatis odorifera facta est et suavis in deliciis suis sancta Dei genitrix. *Ascendit* itaque *quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuri, et universi pulveris pigmentarii* [95]. Hinc est quod quidem angelici spiritus cum aliis angelis beatæ Virgini transeunti de hujus sæculi deserto non astiterunt, forte missi propter eos qui hæreditatem capiunt verbum salutis [96], tantæ fragrantiæ, tantæ suavitatis delicias admirantes. *Quæ est*, inquiunt, *quæ ascendit de deserto deliciis affluens* [97]? Quasi dicerent: Quomodo potuit inveniri tanta cœlestium deliciarum affluentia in deserto vitæ mortalis, ubi non est nisi dolor, et labor, et afflictio spiritus? Nos qui pascimur in bonis Domini, quos in civitate Dei fluminis impetus lætificat [98], non a torrente voluptatis, sed a gloria vultus ejus tantas delicias in nobis habemus. Cessent, quæso, angelicæ potestates admirari hujus deserti delicias; nam quæ fuit olim desertum, facta est hortus deliciarum, sicut Isaias dicit: *Ponet desertum ejus delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini* [99]. Delicias in Virgine voco, quia est a Domino prælecta, et prophetis prænuntiata, a patriarchis optata, ab angelo salutata, a Spiritu sancto fecundata: quod in virga Aaron, quod in vellere Gedeonis, quod in Ezechielis porta,

[87] I Cor. 2. [88] Luc. 1. [89] Cant. 2. [90] Matth. 22. [91] Psal. 131. [92] Isai. 62. [93] Apoc. 4. [94] Gen. 3. [95] Cant. 3. [96] Hebr. 1. [97] Cant. 8. [98] Psal. 45. [99] Isai. 51.

quod in rubo Moysi præsignata; sine corruptione fecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera, quod ipsa est vitæ janua, quod virginum primiceria, quod simul est Dei æterni amica. Non miretur angelus si assumatur in splendore et gloria Mater Dei et ancilla, soror et sponsa, mater et filia. Deliciæ hujus sæculi momentaneæ et umbratiles sunt: in quibus cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat: sed *delectationes in dextera ejus usque in finem*[100]. O quantæ, et quam inæstimabiles deliciæ; quas nulla pœnitudo sequitur, nullus finis abrumpit, nulla sollicitudo conturbat, nulla suspicio comitatur. O quanta prudentia! O quanta securitas ei servire, quæ felici commercio bona ineffabilia pro minimis, et pro temporalibus æter a retribuit! Mater Dei olim Filium suum collocaverat in humili præsepio: hodie in solio sublimi collocatur a filio. Filium suum posuerat in medio duorum animalium, hodie collocatur a filio in supereminentiam angelorum. Olim filium suum deduxerat in Ægyptum, hodie a filio de deserto hujus sæculi transfertur in cœlum. Induerat filium suum vilibus panniculis, hodie a Filio suo stola perpetuæ jucunditatis decoratur: humanitatem Filius ei suam communicat et divinitatem suam, æternitatem suam claritatem, suam jucunditatem, ut videatur et teneatur, et possideatur a matre quasi unigenitus a Patre Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen

SERMO XXXIV.

IN EADEM ASSUMPTIONE.

Hodie in curia cœlesti inter principes et potestates angelicas celeberrima est gratiarum actio et vox laudis, quia in cœlum assumitur Mater Dei. Nos autem potius plangere quam plaudere decet, qui in hac valle lacrymarum privamur illius præsentia, quæ nobis erat publica occasio gaudiorum. Speret tamen et exspectet per eam peregrinatio nostra solatium tempestivum. Assumitur enim ut trahat nos post se in odorem unguentorum suorum[1]; vadit parare nobis locum; præcedit advocata fidelis, et potens procurare nostræ salutis negotium, vadit ad Filium: amor dabit dona hominibus, tanquam Mater Dei, dona regni, Regina cœlestium potestatum, cœli et terræ possidens principatum. Arca fœderis longam moram fecerat in Azoto; sed hodie, reducente David, solemni exsultatione suscipitur in Jerusalem, quia Maria de valle miseriæ et plorationis assumpta, cœlestem ingreditur civitatem. Vere benedicta hæc inter mulieres[2], et dum Christum in terris suscipit, et dum in cœlis a Christo suscipitur. Vere beata quæ secure dicere potest: *Beatam me dicent omnes generationes*[3]. Hæc est

A Virgo sapiens, quæ fatuis virginibus remanentibus foris, cum sponso ingreditur ad gaudium nuptiale. Conqueruntur fatuæ virgines quod earum lampades exstinguuntur[4]. De ista scriptum est: *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus*[5]. Propter hanc lucernam et admirabile lumen, quo circumfusa erat B. Virgo dum assumeretur in cœlum, mirabantur angeli lucis, et dicebant *Quæ est ista quæ* procedit sicut *aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol*[6]? O quam pulchra est ascensio tua pulcherrima mulierum! o quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Ea enim charitate qua voluit minorari paulo minus ab angelis[7], voluit et ipse Matrem suam glorificari præ angelis. Cum ergo Filius hodie Matrem suam traheret in odore unguentorum suorum[8], ipse est enim odor vitæ in

B vitam, quid putes eam dicere, nisi quod antecessor ejus patriarcha quandoque dicebat: O Virgo virginum diligenter, quæso, inspice, attende et vide utrum iste sit filius tuus quem olim panniculis involvebas, quem ducebas in Ægyptum[9], quem quærebas Jerusalem, quem a Judæis ligatum, flagellatum, consputum et stipiti videbas affixum[10], si tamen maternis oculis Filii cruciatum videre poteras, quem nunc gloria et honore coronatum[11] super omnem angelicam potestatem et super omne quod excogitari potest, conspicis exaltatum? O gratia plena, vere hodie Dominus est tecum, et tu cum Domino, ut tu cum eo habites et quiescas, et ipse tecum habeat habitationem et requiem. Tu es enim de qua dicit: *Hæc requies mea in sæculum sæculi;*

C *hic habitabo quoniam elegi eam*[12]. Vere gratia eras plana quæ peperisti *plenum gratiæ et veritatis*[12*], nunc ab eo recipiens plenitudinem gloriæ et honoris. Concepto filio, cantabas olim: *Magnificat anima mea Dominum; et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*[13], nunc potes magnificentius exsultare suscepta a filio. Pro omnibus filiabus Sion quæ exsultaverunt in rege suo, exsultat hodie spiritus tuus in Deo salutari tuo. Factum erat germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus ventris tui sublimis; quia Jesus Christus est in gloria Dei Patris. *Elevata est* post filium tuum *magnificentia tua super cœlos*[14], ut in terris tuam non deserat carnem, qui terrenam de carne tua traxit originem. Credo siquidem quod qui nascendo in-

D tegrum custodivit in matre virginale signaculum; ipse corpus virginis, in quo per ipsum plenitudo deitatis habitare dignata est, servavit ab omni mortalitate et corruptione illæsum. Sane quæ tota vixerat casta, nota immaculata, tota impolluta et integra, quomodo sentiret aut sentire deberet, quid esset humani corporis corruptela? Secure jam potest in cœlum ascendere quæ in terris vitam duxit angelicam; relinquens hominibus pacem, firmans in

[100] Psal. 15. [1] Cant. 1. [2] Luc. 1. [3] Ibid. [4] Matth. 25. [5] Prov. 31. [6] Cant. 6. [7] Hebr. 2. [8] Cant. 6. [9] Matth. 2. [10] Matth. 27. [11] Psal. 8. [12] Psal. 131. [12*] Joan. 1. [13] Luc. 1. [14] Psal. 5.

eis fidem, et inexstirpabilem charitatem. Gaudeant hodie Adam et Eva parentes, aut potius peremptores nostri, quia, dum Maria cœlum ingreditur, posteritati ejus reseratur ingressus. Eva nos duxit in miseriam, ista nos exaltat in gloriam. Hæc est mulier illa fortis, quam Salomon potius prophetando quam dubitando quærebat, cum diceret: *Mulierem fortem quis inveniet* [15]? Hæc *sceptrum exactoris, et virgam* oneris *ejus* superavit, *sicut in die Madian* [16]; hæc mediante filio fortem armatum fortiter alligavit, hæc est quæ caput antiqui serpentis contrivit. Insidiabatur equidem serpens calcaneo ejus, sed non profecit. Venit enim princeps mundi hujus et in ea non habuit quidquam. Cum caput et fortitudo serpentis illius consistat in carnis illecebra et superbia mentis, ipsa utramque suggestionem virginitate et humilitate destruxit. O superbe, o invide, o maligne, ubi est nunc dolositatis tuæ præstigiosa malitia? Domine Deus Sabaoth, qui liberasti populum tuum per feminam; non dico Delboram, sed Mariam, video quia hic est serpens, hic est draco, quem formasti ad illudendum ei: ecce apparet humilitatis exitus. Evæ superbia nobis abstulit paradisum, Mariæ humilitas nos revexit ad cœlum. Sed ubi est hodie humilitas? Ipse qui est rex super omnes filios superbiæ, sequaces invenit infinitos. Tam Christi quam Mariæ humilitas data est in contemptum. Video eos qui humiles et abjecti fuerunt in sæculo, superbiam invenisse in claustro. Dominus universitatis, cui principatus et potestates cœli obediunt, matrem elegit humilem et pauperculam. Nam de illa Isaias [17] dicit: Surge, *paupercula Anathot. Attende*, quæso, quantus sit humilitatis fructus. Idem hodie matri suæ cœlestes divitias, et inæstimabiles atque interminabiles delicias impartitur. Invocemus eam, quia ei *fecit magna qui potens est* [18]; qui per eam operatus est salutem in medio terræ, ea pro nobis supplicante in cœlis, non cessabit ab operibus misericordiæ. Scio quia non carebit effectu, quidquid a Filio postulaverit mater, quam elegit et prælegit in terris; quam exaltavit et superexaltavit in cœlis, cui super omnem creaturam contulit eminentiam gloriæ et honoris. Ipsa est, quæ inter tentationum impetus, inter omnes periculorum angustias, inter omnia quæ timere potest humana miseria, proposita est nobis in auxilium patrona diligens, et pia mediatrix ad Filium, cui sit gloria et honor in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXV.

DE EADEM ASSUMPTIONE.

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam [19].

Quæritur quid ad B. Virginem pertineat hoc Evangelium, in quo pars Mariæ, sororis Lazari, optima reputatur. Quæ enim conventio peccatricis ad Virginem virginum, ad sanctarum Sanctam: nisi quia solius nominis communione participant? Porro Ecclesia evangelizat hodie vitam duarum sororum, ad honorem beatæ Virginis, quæ in se exhibuit utriusque sororis officium. *Intravit Jesus in quoddam* castrum, *et mulier excepit illum*. Quidam dicunt castrum, quidam domum. Castra inexpugnabilia fuerunt corpora martyrum, domus eburneæ sunt corpora virginum. Habet enim in se ebur fortitudinem et decorem; habent etiam virgines fragrantiam virtutum, et cœlestium odorem aromatum, sicut scriptum est: *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo* [20]. Vulgare præceptum est [21]: Bonum custodit castrum qui custodit corpus suum. Verumtamen corpus meum quod castrum esse debuerat, redactum est in vile tugurium, in sterquilinium; nec jam mihi domus est, sed sepulcrum fœtidum, et scatens spurcitia mortuorum. Nimirum omnia membra mea in meam conjuravere perniciem, ut eveniat quod scriptum est: *Inimici hominis domestici ejus* [22]. Os meum condemnat me, et *oculus meus* deprædatur *animam meam* [23]; pedes mei currunt in malum contra me [24]; manus et cætera membra parant castrum reddere hosti qui me circumquaque obsedit. Hæc mihi castrum offerunt, quia me peccato servire compellunt. Nemo castrum suum libere possidet, si in eo dominetur peccati concupiscentia. Ideo Apostolus dicit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentiis ejus* [25]. Video in castris aliorum quod turris est in eis fides, continentia murus, patria antemurale, ratio cæteris præest officiis, prudentia excubias agit. Isti mortificationem carnis in corpore suo circumferunt, nec obsidionem extrinsecam timent, quia in corpore suo portant Christum. Sicut Apostolus dicit: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* [26]. Martha tanquam prior natu Christum in domum suam excepit. Activa enim contemplativam ad salutem quandoque præcedit, non enim prius est quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Diligebat Jacob Rachelem, sed ei Lia supponitur [27]. Commendat Christus Mariam, sed a Martha suscipitur.

Maria, inquit, *audiebat verbum illius* [28]; ab utraque recipitur Christus: a Martha in corpore, a Maria in mente. Sed quid est quod Martha conqueritur? *Domine*, inquit, *non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare* [29]. In domo siquidem in qua Christus suscipitur nulla murmuratio, nullum jurgium esse debet; pium tamen est et jucundum quod Martha de Maria, et non Maria de

[15] Prov. 31. [16] Isa. 9. [17] Cap. 10. [18] Luc. 1. [19] Luc. 10. [20] Psal. 44. [21] D. Bern. serm. 2 *in Assumpt.* [22] Mich. 7, Matth. 10. [23] Thren. 3. [24] Prov. 1. [25] Rom. 6. [26] I Cor. 6. [27] Gen. 29. [28] Luc. 10. [29] Ibid.

Martha jurgando causetur. Video tamen quosdam qui cum Maria sedere videbatur ad pedes Jesu, exteriora ministeria affectantes, ad hæc eos trahit non fraterna compassio, sed ambitio; non charitas, sed cupiditas. Bonum quidem est quod quis fratribus administrat; sed si administrationem non ambiat, si invitus recipiat. Verbum Christi est: *Qui major est inter vos, sit minister vester* [30]. Ipse etiam dicit: *Qui mihi ministrat, honorificabit eum Pater meus* [31]. Paulo cedebat ad meritum compassio quam habebat ad omnes, et sollicitudo omnium Ecclesiarum [32]. His etiam qui bene præsunt aliis ministrando duplex corona promittitur. Placeat unicuique versari in ministerio fratrum, ut ingrediatur et egrediatur ad imperium senioris; sed gaudio gaudet, si ei redire ad Rachelis amplexus, ad contemplationis delicias sit permissum. *Maria* enim *optimam partem elegit* [33].

Sunt qui Mariæ quietem in se exhibent: sed nec diligunt Christum, nec audiunt verbum ejus, quia non ambulant in simplicitate. Quidam enim eorum immergunt se meditationibus peregrinis, volentes plus inquirere et sapere quam oporteat sapere. Mel autem nimis comedenti non est bonum, et *scrutator majestatis opprimetur a gloria* [34]. Sunt alii qui cum debeant cum Maria vacare et videre quam suavis est Dominus, providentes eum in conspectu suo semper, rapiuntur ad vanitates et insanias falsas, et occupantur ad sæcularium sollicitudinem, aut resolvuntur acedia et torpore. In his autem qui Marthæ exercent officium, exigitur fides in custodia rei familiaris, compassio ad fratres, et impensior humilitatis affectus. De fide dictum est: *Hic quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur* [35]: ne cum loculis Judæ communicet. Compassionem habeat, ut cum Paulo veraciter dicat: *Quis infirmatur et ego non infirmor* [36]? Humilitatem exhibeat, ut sit discipulus ejus qui dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [37]. Mater Christi in Filio suo tam Marthæ quam Mariæ implevit officium. Ipsa commendet nos utriusque vitæ merito apud Christum, eo largente, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVI.

DE EADEM ASSUMPTIONE.

Si diligenter attenditis beatissimæ Virginis vitam, sollicitudinem et prudentiam circa filium ejus exhibitam, manifeste in ea Martham invenire poteritis et Mariam. Martha est, dum abit in montana, ut Elisabeth gravidam et grandævam salutet, ut vetulæ juvencula tribus mensibus officiose ministret. Martha est, dum Filium Dei et suum pannis involvit, ubere pascit, et in Ægyptum fugiens ipsum a malitia Herodis abscondit. Martha est, dum filium suum sollicita in Jerusalem quærit, dum cum eo ad nuptias vadit, dum usque ad passionem ejus a filio non recedit, dum post maternos dolores et resurrectionis lætitiam filium ascensurum in cœlos cum discipulis undecim ad montem Oliveti deducit. Vis videre ubi Virgo in officio Mariæ quiescit: salutaverat eam angelus: *Maria autem cogitabat qualis esset ista salutatio* [38]. Hæc Maria est in Mariæ officio, dum loquitur angelus ad Joseph: dum festinant pastores ad puerum; dum magi adorant, dum Zacharias et Simeon prophetizant. *Maria* audiens *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* [39]. Exercitatio corporalis, quæ ad multa dividitur, pertinet ad Martham; amor Dei, qui nil præter Deum appetit, pertinet ad Mariam. Hanc unum, hoc unum affectabat Propheta, cum diceret: *Unam petii a Domino, hanc requiram* [40]. *Porro unum est necessarium* [41], qui hoc unum eligit, optimam partem eligit. Charitas enim non potest excidere, vel auferri. Ideo *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [42]. Paulus inter ea quæ retro sunt, et anteriora distinguens, quasi inter laborem activæ et contemplativæ delicias, hoc unum elegerat dicens: *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad anteriora me extendo* [43], quasi dicat: Hoc unum mihi retinui, hoc unum mihi unice præelegi; nam respectu contemplationis ad modicum prodest exercitatio corporalis. Præsens Evangelium nullam facit de Lazaro mentionem. Credo tamen quod domus, in qua Christus excipitur, ad eum communiter cum sororibus suis jure hæreditario pertinebat. Verumtamen ubi de glorifica Virginis assumptione tractatur, Lazaro non est locus. Jaceat tanquam dormiens inter vulneratos in sepulcris, ut in domo virginali, in quo Christus recipitur, Mariæ et Marthæ obsequium acceptetur. Video tamen inter vos vices Mariæ, Marthæ vices et etiam Lazari exerceri: Lazarus enim sororum suarum contubernalis est. Quidam contemplationi vacant: ecce Maria. Quidam ea quæ fratribus necessaria sunt fideliter et devote procurant: ecce Martha. Quidam cogitantes dies suos in amaritudine animæ suæ sub lapide pœnitentiæ gemunt: ecce Lazarus. Illi delectantur in uno; isti turbantur erga plurima; hi turbantur ad seipsos, sicut quidam pœnitens dicit: *Ad meipsum anima mea turbata est* [44]. Quidam sunt prælati, sive ministrales: istos video cum Noe de arca fabricanda et regenda sollicitos. Sunt alii contemplativi, qui cum Daniele viri desideriorum sunt. Tertii humilitate pœnitentiæ beatum Job imitantur scientem dolorem et infirmitatem. De his scriptum est: *Si inventi fuerint in civitate Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabuntur; filium autem aut filiam non*

[30] Matth. 23. [31] Joan. 12. [32] I Tim. 5. [33] Luc. 10. [34] Prov. 25. [35] I Cor. 4. [36] I Cor. 1. [37] Matth. 11. [38] Luc. 1. [39] Luc. 2. [40] Psal. 26. [41] Luc. 10. [42] Ibid. [43] Philipp. 3. [44] Psal. 41.

salvabant [45]. Hanc vitæ varietatem satis eleganti compendio sponsa in Canticis notat: *Surge, amica mea, formosa mea, columba mea* [46]. Amica est, quæ se a studio spirituali avellens, ut ministret Christo et pauperibus ejus, pro Christo animam suam ponit, et hoc est ministerium Marthæ. Formosa est, quæ *gloriam Domini revelata facie contemplans, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* [47]: et ecce quies Mariæ. Columba est, quæ plangit et gemit *in foraminibus petræ* [48], in augustiis scilicet pœnitentiæ tanquam sepulta, et inter lapides clausa : ecce Lazari scopa. Contra Mariam indignatur Pharisæus, Martha rixatur, discipuli murmurant, Maria tacet, et pro ea Christus loquitur. Quiescit Maria, laborat Martha; Lazarus in abysso mortis positus clamare non potest: *nam a mortuo perit confessio* [49]. Verumtamen *abyssus abyssum invocat* [49*]; abyssus pietatis, abyssum iniquitatis. *Lazare,* inquit Dominus, *veni foras* [50] : in quo verbo turbatur in se, fremit spiritu, lacrymatur et clamat: *Lazare, veni foras* Clamet, quæso, Lazarus resuscitatus, et dicat: *Domine, dum anxiaretur super me spiritus meus* [51] *eduxisti ab inferno animam meam* [52]; *notus mihi fecisti vias vitæ, adimplesti me lætitia cum vultu tuo* [53]. Clamemus et nos in cœlum ad eam quæ hodie ascendit ad Filium. Virginitas ejus et humilitas nos redemit : ejus misericordia nos salvabit. Si enim consideres longitudinem, latitudinem, sublimitatem, et profundum pietatis in Virgine ; in cœlum ascendit, infernum penetrat, terram replet: atque in cordibus hominum mirabiliter et ineffabiliter se exercet. Ipsa per gratiam quam invenit ad Filium, nobis acquirat Filii gratiam, ut qui lætamur de gloria Virginis, per eam cum ejus Filio gloriemur. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVII.

DE S. BARTHOLOMÆO.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ [54].

Magister veritatis nos erudit, et informat in schola evangelicæ disciplinæ, quales nos esse oporteat ad justitiam faciendam, et injuriam tolerandam. Prudentia exigitur ad faciendum bonum, et simplicitas ad patiendum malum. Est prudentia sive sapientia bona, et est sapientia mala : est sapientia Dei, et est sapientia mundi. Istæ duæ sapientiæ sunt contrariæ, nec rerum æstimationem æque librant.

Sicut Scriptura dicit : *Sapientia Dei justificata est a filiis suis* [55], sed et *filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua* [56]. Ista verbum

A crucis et mortis, per quam *placuit Deo salvos facere credentes* [57], proposuit habere pro luce. Illa currens ad vanitates et insanias falsas, verbum crucis stultitiam reputat, quoniam *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei* [58]. Stultitia enim est ei et non potest intelligere. Jacobus apostolus, quasi judex in tanta varietate et contrarietate respondet : Illa inquit, *terrena* est, *animalis* est, *diabolica est,* ista vero primum *pudica* quidem, deinde *pacifica* [59]. *Estote,* inquit, *prudentes sicut serpentes.* Quare non dicit sicut Epicurei, sicut Stoici, sicut Peripatetici? quia isti *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et dati sunt in reprobum sensum, servientes potius creaturæ quam Creatori* [60]. Ideoque dicit Dominus de illis : *Deprehendum sapientes in astutia sua; perdam sapientiam*
B *sapientum, et prudentiam prudentium reprobabo* [61]. Et quæ est hæc sapientia, aut quis magister hujus sapientiæ? Ille quidem qui docet hominem scientiam, ipse est magister. Ipsa est sapientia Dei virtus, et Dei sapientia Christus Jesus, *qui factus est nobis a Deo* non solum *sapientia et justitia,* sed *sanctificatio et redemptio* [62], quoniam illa non est nisi inflatio et perditio. Et quæ sunt præcepta magistri hujus scholæ ? *Estote prudentes sicut serpentes.* Et : *Qui vult venire post me, abneget,* etc. [63]. Et: *Qui non odit patrem suum et matrem, insuper et animam suam, non est me dignus* [64]. Infelix ego homo quomodo sequar Christum : Quomodo hæc mandata implebo? *Tu mandasti, Domine, mandata tua custodiri nimis* [65]. Heu me, mater mea, ut quid me ge-
C nuisti filium doloris et plorationis, filium damnationis æternæ? Cur exceptus genibus? cur lactatus sum uberibus? cur in patibulum gehennalis flammæ nutritus? qui hæc et hæc non fecerit, nons potest meus esse discipulus. Certe scio quia immediata sunt esse Christi discipulum, et ejus adversarium. Ipse est qui dicit : *Qui mecum non est, contra me est, et qui mecum non colligit, dispergit* [65*]. O bone Jesu, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Mihi gravis factus sum, quia grave et importabile mihi factum est jugum tuum. In schola Evangelii tui quandoque audieram : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* [66]. Certe Moyses jugum nobis imposue-
D rat, *quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus* [67]. Ipse autem præcepit diligere patrem et matrem; diligere etiam amicum, et odio habere inimicum [68]. Illud jugum mihi tolerabilius videbatur, et quidquid sit de amore parentum, aut amici, illud scio quod satis essem proclivis ad odium inimici : proni enim sunt sensus hominis ab adolescentia in malum [69]. Nunc autem imponis mihi jugum, Do-

[45] Ezech. 14. [46] Cant. 2. [47] II Cor. 3. [48] Cant. 2. [49] Eccli. 17. [49*] Psal. 41. [50] Joan. 11. [51] Psal. 142. [52] Psal. 29. [53] Psal. 15. [54] Matth. 10. [55] Matth. 11. [56] Luc. 16. [57] I Cor. 1. [58] I Cor. 2. [59] Jac. 3. [60] Rom. 1. [61] I Cor. 1. [62] Ibid. [63] Luc. 9. [64] Luc. 14. [65] Psal. 118. [65*] Luc. 11. [66] Matth. 11. [67] Act. 15. [68] Levit. 19. [69] Gen. 8.

mine, quod omnino ferre non possum. Satis sufficiebant ad cumulum miseriæ meæ, præter jugum Moysi alia juga, quibus oneratus totus deprimebar in terram. Vigilavit enim jugum iniquitatum mearum in manibus tuis, Domine. Hoc onus assidue porto, *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me* [70]. Aliud etiam jugum sentio, scilicet *virgam exactoris, et* jugum oneris *ejus* [71]. Præter hæc juga ego perditissimæ mentis, spretis nuptialibus gaudiis, juga boum emi quinque, in quorum probatione semper reprobus invenior. Quinquepartita siquidem sensualitas deprimit in me spiritum multa cogitantem, et spiritum volentem in sublime consurgere intrudit in terram. Propter tam varia et tam gravia juga et onera *miser factus sum, et curvatus sum usque in finem* [72]; nec est qui me solvat et erigat, nisi tu qui solvis compeditos [73] et erigis elisos, Domine. Licet lex tua mihi gravissima videatur, erit mihi tamen suavis et dulcis, si benedictionem dederis. Scio, Domine et legislator, quia si oleo misericordiæ tuæ ungeres me; si pane tui amoris me reficeres, in fortitudine hujus cibi patienter omnia sustinerem. Charitas enim omnia suffert, omnia sustinet; *charitas patiens est* [74]. Si unxeris me oleo lætitiæ tuæ, omnia mihi in gaudium convertentur; *computrescet jugum a facie olei* [75]. Confirmabuntur *genua*, quæ modo *infirmata sunt a jejunio et caro mea* immutabitur *propter oleum* [76]. Legimus [77], Domine, quia simila quæ tibi offerenda est si coquatur in craticula, in sartagine aut in clibano, aspergenda est oleo, ne per ignis vehementiam comburatur. Unge ergo me, Domine, oleo charitatis et misericordiæ tuæ, et potero diligere inimicum; potero non solum patrem et matrem odio habere, sed me ipsum. Nunc in via mandatorum tuorum delectabor; tunc invenietur in me columbina simplicitas et prudentia serpentina. Credo quod columbæ simplicitas commendatur in sacro eloquio, propter innocentiam, et mansuetudinem, et socialis vinculi paritatem. De serpente autem legitur quod callidus erat super omnia animalia [78]. Inter prudentias ejus illa nos spiritualiter erudit et informat; quia, cum sibi videt imminere tempora senectutis, inter angustissimos lapides ingrediens ibi deponit vetustæ pellis exuvias. Sed et nos si volumus veterem hominem deponere cum actibus suis, oportet nos ingredi angustias pœnitentiæ, angustias viæ illius quæ ducit ad vitam, et sic induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est. Sane illic benedictus apostolus, cujus hodie memoria in benedictione est, pellem vetustatis, pellem mortis deposuit; ut pellem gloriæ et jucunditatis indueret. *Pellem*, inquit, *pro pelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro*

A *anima sua* [79]. Dat homo pellem mortificationis pro pelle glorificationis. Pellem hanc deponemus, cum corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem. Aliamque pellem sumemus, cum Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, et superinduar ego pelle nova, et in pelle mea videbo Deum Salvatorem meum. Juxta verbum Jeremiæ, hodie deponit *Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas* [80]. Erat pellis quam hodie deponit Apostolus pellis mortalitatis, et ideo Æthiopis; hodie, apostole Dei, renovatur ut aquila juventus tua [81]. De hac pelle dicit Job [82]: *Nunquid implebis sagenas pelle ejus, et gurgustium piscium capite illius?* Hæc est pellis caprina, quæ ponitur in lectulo David, ut innocens manus persecutoris evadat. Hodie, Domine, *conscidisti saccum* apostoli, *et circumdedisti eum lætitia* [83]. Vetus Adam incidit in latrones, qui spoliaverunt eum tunica innocentiæ et gloriæ [84]; hanc hodie fortiter recuperat miles et athleta Christi fortissimus. O malitia dæmonum! o crudelitas hominum! o virtus Dei! o constantia martyrum, ubi erat cor apostoli, quando has angustias tolerabat? certe in Christo, in cruce Christi et in doloribus ejus. Memoriam passionis Christi ipsum propriæ passionis immemorem faciebat. Si quæreretur ab eo utrum pellem suam, utrum carnem suam diligeret, responderet: Diligo; *nemo carnem suam odio habuit* [85], sed magis diligo Christum quam me ipsum. Si modo spolior, Christus me superinduet; pondusque hoc tribulationis meæ immensum gloriæ pondus operabitur in me. Scio cui credidi, et certus sum, non mentietur quia Veritas est. Sed pro Christo patior, et cum eo regnabo, et pro brevi, et transitoria tribulatione coronam immarcescibilem, et interminabilem jucunditatem, et exsultationem securus exspecto. Quam nobis præstare dignetur, per merita beati Bartholomæi, Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXVIII.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ.

Sapientia ædificavit sibi domum, et excidit in ea columnas septem [86].

Sapientia hæc non est sapientia carnis quæ inimica est Deo; nec sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum: nam hæc, teste Jacobo apostolo [87], *terrena* est, *animalis* est, *diabolica* est, cujus professores sapientes sunt ut faciant mala; bona autem facere nesciunt. De quibus Dominus dicit: *Comprehendam sapientes in astutia sua* [88], et: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* [89]. Est alia *sapientia quæ desursum est*, sicut Jacobus dicit [90], *primum quidem pudica*

[70] Psal. 37. [71] Isa. 9. [72] Psal. 37. [73] Psal. 145. [74] I Cor. 13. [75] Isa. 10. [76] Psal. 108. [77] Lev. 2. [78] Gen. 3. [79] Job. 2. [80] Jer. 13. [81] Psal. 102. [82] Cap. 40. [83] Psal. 29. [84] Luc. 10. [85] Ephes. 5. [86] Prov. 9. [87] Cap. 3. [88] I Cor. 3. [89] I Cor. 13. [90] Cap. 3.

deinde vero *pacifica*. Hæc est sapientia de qua loquimur; hæc est *sapienti* quæ *ædificavit sibi domum*, hic est Christus Dei virtus, et Dei sapientia. De quo Apostolus dicit: *Qui factus est pro urbis a Deo sapientia et justitia, sed et sanctificatio et redemptio* [91]. *Sapientia ædificavit sibi domum*, quia Jesus Christus in habitationem uterum Mariæ elegit. Hæc est domus pudici pectoris. De hac domo scribit Salomon: *Intrans in domum meam, conquiescam ibi* [92]. Ac si diceret: Hanc elegi in habitationem, quoniam elegi eam: hæe est domus Dei et porta cœli. *In* hac sapientia *excidit columnas septem*, scilicet septem dona Spiritus sancti vel septem principales virtutes. Quatuor de quibus philosophi diu disputaverunt et scripserunt, hæ sunt: prudentia, temperantia, fortitudo et justitia. Sunt et aliæ tres quæ complent septenarium, de quibus philosophus non gustavit: spes, fides et charitas. Hæ septem columnæ, hæ septem gratiæ, hæ septem mulieres quæ apprehenderunt virum unum in die illa; nam propter gratiam septiformem Deo placuit. Per istas gratias multiplices quasi comprehensus, et detentus elegit eam in habitationem sibi. In hac tanquam in domo, tanquam in throno, tanquam in lectulo, tanquam in sacrario requievit. Hujus Virginis figura et significatio fuit nominatissimus ille thronus Salomonis de ebore et auro purissimo [93]. In auro quidem sapientia et dignitas, in ebore candor, decor, planities, fortitudo. Nam, cum speciosa facta sit et suavis, de fortitudine hujus scriptum est: *Mulierum fortem quis inveniet?* [94] Thronus merito est propter judiciariam potestatem; quia in ea sedere decrevit, cui omne judicium datum est et qui judicat fines terræ. Propter gratiarum diversitates attribuuntur diversorum nominum qualitates. Thalamus est propter naturæ communionem, de quo Christus egressus est *tanquam sponsus de thalamo suo* [95]. Ager, propter fecunditatem; ager ille scilicet in quem exiit Isaac meditari, cui benedixit Dominus, et de quo scriptum est: *Pulchritudo agri meum est* [96]. Propter fortitudinem civitas quam *fundavit Altissimus* [97]: propter virginitatis integritatem *hortus conclusus, fons signatus* [98], porta clausa, *Libanus non incisus* [99], propter sanctitatem templum Dei, porta sanctuarii, cara Dei, sacrarium Spiritus sancti; propter gloriam aula regis, cella aromatum, *fons hortorum* [100], paradisus deliciarum.

Hæc omnia in laudibus Virginis Isaias sub istorum verborum paucitate concludit: *Data est ei gloria Libani, decor Carmeli et Saron* [1]. Libanus interpretatur *candidatio*, in quo tam gloria vitæ quam honor pudicitiæ designatur. Saron interpretatur *principatus*, nec ipsa solummoda facta est mediatrix Dei et hominum, sed princeps et Regina cœlorum. Ipsa facta est domina mundi, reparatrix sæculi, destructrix inferni, gloria martyrum, honor virginum, fortitudo justorum, lapsorum fiducia, pugnantium spes, exsultatio angelorum. Hæc est quæ nescivit torum in delicto, cui ad laudis cumulum illa prærogativa specialis accedit, quod ei cœlestis concessa est cum virginitate fecunditas. Salomone teste: *Gratia super gratiam mulier pudorosa et sancta* [2]. O quam pulchra et casta generatio, quod casta sit et generet, nulla mulierum usurpare præsumat! Privilegium Mariæ alteri non dabitur, *nec auferetur ab ea* [3]; nec alius partus Virginis nisi Deus, nec alia mater nisi Virgo decuit dici. Hodie ergo nascitur Maria, ut Christus de Maria nascatur. Cesset figura Rebeccæ: Rem habemus, figuram non quærimus. Hæc est quam quæsivit nuntius Filio Domini sui, Gabriel archangelus Filio Dei [4]. Bibit ipse de hydria ejus; quia de conformitate virginitatis ejus, et viæ mundissimæ. Bibant, quæso, et jumenta, et si non possumus de hydria virginitatis, liceat nobis haurire saltem de hydria humilitatis. Placuit propter humilitatem; atque propter hanc Deus elegit, et prælegit eam. Sexum quem damnaverat Dominus sententia maledictionis in Eva [5], hodie replet gratia benedictionis et miserationis oleo in Maria: hæc est lecythus olei [6], hæc est urna aurea supernæ dulcedinis habens manna, hæc est concha Gedeonis rore plena [7]. Deus totam aream rigaturus prius rore vellus infudit, et ipsum mundum redempturus in Maria mundi pretium contulit universum. Tanta siquidem gratia repleta est, quæ plenum gratiæ et veritatis paritura erat, ut de plenitudine ejus omnes possemus accipere. Salutata ab angelo in montanas ascendit, et salutavit Elisabeth [8]. Secure assumit salutantis officium, quæ habet jam in utero salutem et salutis auctorem; eum scilicet, sine quo non est salus, qui dat salutem regibus, et qui mandat salutes Jacob. Anima Joannis liquefacta est, ut Maria locuta est, et in occursum ejus cum exsultatione gestiens sentiebat gratiam Spiritus sancti, quam et ipsa nondum nata præsenserat. Non solum Joannes, sed et parentes ejus de plenitudine ejus Spiritum prophetiæ recipiunt, et tota domus repleta est ex odore cœlesti unguenti. Ab antiquis diebus juxta verbum Isaiæ [9] cogitaverat Dominus cogitationes pacis; sed cogitationes illas a mundo absconderat, licet eas tanquam secretum suis prophetis revelaret. Unde cum Amos [10] propheta diceret: *Non faciet Dominus verbum nisi prius revelaverit illud servis suis prophetis;* Isaias tamen quia, juxta verbum Sapientiæ, bonum est zelare mysterium regis, dicebat: *Secretum meum mihi, secretum meum*

[91] I Cor. 1. [92] Sap. 8. [93] III Reg. 10. [94] Prov. 31. [95] Psal. 18. [96] Psal. 49. [97] Psal. 86. [98] Cant. 4. [99] Eccli. 24. [100] Cant. 4. [1] Isa. 35. [2] Eccli. 26. [3] Luc. 10. [4] Luc. 1. [5] Gen. 3. [6] III Reg. 17. [7] Jud. 6. [8] Luc. 1. [9] Cap. 29. [10] Cap. 3.

mihi [11]. Idem Isaias [12]: *Erit*, inquit, *vobis visio quasi* A *verba libri signati*. Et ad Danielem ab angelo dictum est: *Tu autem, Daniel, signa librum, et claude sermonem usque ad tempus statutum* [13]; hoc est tempus quod præfinivit Dominus ut auferretur velamen a facie Moysi, ut auferretur paries dividens inter nos et Deum, hoc est tempus miserationis, de quo scriptum est: *Quia venit tempus miserendi ejus, quia venit tempus* [14]. *Hæc est*, inquit Apostolus, *dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, ut innotescat principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* [15]. Quæsita est ergo, et inventa est mulier, in qua et per quam tanti sacramenti gratia impletur. Quæsita est ovis, de qua nasceretur Agnus Dei, qui peccata mundi tolleret. Non enim peccatum auferebat lex, sed augebat; lex peccatum B non tollit, sed aggravat; non minuit, sed augmentat. *Lex*, inquit Apostolus, *subintravit, ut abundaret delictum* [16]; et idem: *Lex per mandatum operata est in me omnem concupiscentiam* [17]. Eligitur ergo et nascitur hodie benedicta inter mulieres, ut fructum maledictionis evacuans, germinet fructum vitæ. *In die illa*, prædixerat Isaias, *erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis* [18]. Mala arbor fecerat fructus malos, concupiscentiam scilicet carnis, originale peccatum, malorum seminarium, communis corruptelæ fermentum, et generale nostræ perditionis initium. Quia ergo malo originali per bonum orginale mederi oportebat, de mala illa arbore damnatæ perditionis exempta et sanctificata est caro Mariæ virginis: quæ, licet ab utero matris suæ plenitudinem gratiæ, C et sanctitatis acceperit, superveniens tamen Spiritus sanctus in conceptu Verbi exuberantius et accumulatius et plenitudinem gratiæ cœlestis infudit quod ex verbis angeli patet. *Ave*, inquit, Maria, *gratia plena* [19]: ecce plenitudo gratiæ. *Spiritus sanctus superveniet in te* [20]: ecce mensura superplena et supereffluens. Quia ergo caro Mariæ liberata est a peccato, et ipsa gratiam ad mensuram accepit, *benedicta* dicitur, non simpliciter, sed *inter mulieres* [21]. Christus vero quia gratiam non ad mensuram habuit, et omnino liber, et immunis exstitit a peccato, simpliciter datur ei benedictio: *Benedictus*, inquit, *fructus ventris tui* [22]. Caro Mariæ sanctificata fuit: caro Christu non sanctificata, sed sancta et sanctificans. Ista sanctitatis in carne D diversitas significata est in duabus decimis Veteris Testamenti. Filii siquidem Israel dabant decimas omnium bonorum suorum Levitis: Levitæ vero de melioribus debant decimas summo sacerdoti. De massa itaque carnis humanæ, quasi de quadam universitate frugum in modum decimæ primitivæ, Mariæ caro exempta et sanctificata est, et de illa sanctissima carne adhuc dignior quædam et sanctior portiuncula electa est, quam sibi vivendo assumeret Verbum Dei. Hæc est decima ephi, quæ in Levitico in libamen Domino jubetur offerri [23]. Ephi est decima pars cori. Corus continet xxx modios; ephi continet tres modios, et hæc est decima pars cori. Sic decima cori est ephi, et hæc est caro Mariæ. Decima ephi est caro Christi, et offertur libamen Domino, et sacrificium in odorem suavitatis. Hoc ipsum præfiguravit Ruth [24]: quæ cum collegisset spicas in agro Booz collectas excussit, et invenit ephi, id est tres modios. Hujus Virginis nativitatem, et Christum ex ea nasciturum prænoverant patriarchæ et prophetæ: in cujus rei desiderium generationi studebant. Propter hoc Osee ducit uxorem Gomer meretricem [25], Isaias generat Iasub filium suum [26], Manue Samsonem [27], Helcana Samuelem [28], David Salomonem [29]. Ora prophetarum aperta sunt; visiones innumeræ factæ sunt, sicut dicit Dominus per Oseam: *Visiones multiplicavit et in via prophetarum assimilatus sum* [30]. Nonne solummodo verbis, aut visionibus, sed scripturis, signisque et miraculis, tam Christi quam Mariæ nativitas designatur. Quæ omnia si quis vellet deducere in medium, nec lingua, nec tempus sufficeret; sed nec humanæ memoriæ capacitas, nec aurium patientia sustineret. Enormiter nobis nocuerunt vir unus et mulier una; sed gratias Deo, quia per unam mulierem omnia restaurata sunt nobis, non sine multiplici fenore gratiarum. Non enim sicut delictum, ita et donum, sed excedit æstimationem damni beneficiorum magnitudo.

Peccatum quidem ex uno in condemnationem; donum vero ex multis delictis in justificationem. Prudentissimus artifex quod in Adam factum fuerat non destruxit, sed refecit, arundinem quassatam non contrivit, et lignum fumigans non exstinxit [31], sed novum Adam formans ex veteri, matrem in filia reformavit. Jam tibi sublata est, o Adam, omnis materia querelandi adversus uxorem. Ne dicas: Mulier, quam dedisti mihi, ipsa seduxit me, deditque mihi de fructu prohibito, et comedi [32]; sed dic: cum essem de luce ejectus in tenebras, mulier hæc quam dedisti non seduxit me: deditque mihi de fructu benedicto. Vere benedicto, in quo, et a quo omnis benedictio, omnis consolatio, et, ut verbo Apostoli utar, *omnis justificatio, sanctificatio et redemptio* [33]. Ecce domus quam Sapientia ædificavit. Ecce ferculum Salomonis, thronus regis, tribunal judicis, reclinatorium pietatis, propitiatorium exauditionis, forma eruditionis, via consilii, terminus exsilii, abolitio peccati, deletio chirographi, fiducia præmii, scala cœli, janua paradisi, figurarum finis, legis impletio, prophetarum declaratio, exhibitio

[11] Isa. 24. [12] Cap. 29. [13] Cap. 12. [14] Psal. 101. [15] Ephes. 3. [16] Rom. 5. [17] Rom. 7. [18] Isai. 4. [19] Luc. 1. [20] Ibid. [21] Ibid. [22] Ibid. [23] Levit. 6. [24] Ruth. 22. [25] Ose. 1. [26] Isai. 7. [27] Judic. 7. [28] I Reg. 1. [29] II Reg. 12. [30] Ose. 12. [31] Matth. 12. [32] Gen. 3. [33] I Cor. 10.

atis, exemplar humilitatis, custodia religionis, la virtutum, consummatio sanctitatis. O sancta, ıedicta, tu luna in medio firmamenti, tu can- ›rum in medio mundi, tu lignum vitæ in medio lisi. Magna est gloria tua in salutari tuo. Quis 'abit laudes tuas ? Quis loquetur potentias tuas? te exaltent filiæ Sion, licet te laudent reginæ, laus tua sit in Evangelio et prophetis, et lau- tuam pronuntiet omnis Ecclesia sanctorum ; a tamen præconia, et omnium laudes ad com- ionem tuæ benedictionis sunt tanquam facula lem, tanquam gutta ad magnitudinem maris. nter miserias et angustias nostras ad omne um et consilium omnibus promptior, poten- efficacior, omnibus honorabilior, amabilior, ır, et dulcior. Dulcis es in ore te laudantium, 'de diligentium, in memoria te deprecantium. ificata es in omni sexu, in omni ætate, in omni tione, in tribubus, et populis, et linguis ; tu ıa electa ; tu piscina in Esebon ; tu virgula ex aromatibus ; tu fasciculus myrrhæ inter sponsi ; tu terebinthus extendens ramos gra- salutis ; ut inter omnes et super omnes bene- et superbenedicta, superelecta, superspe- supergratiosa, supergloriosa mater illius, qui ratiam et gloriam, honorem et æternitatem, cui nor et gloria in sæculorum. Amen.

SERMO XXXIX.

SANCTO MICHAELE, ET CUSTODIA ANGELORUM.

igne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ificentur muri Jerusalem [34].

'eferamus tempora Nabuchodonosor, tempora ›herub, Titi quoque et Vespasiani, non dubi- ı quia terrena Sion multoties capta et destructa :dificata est. Et ne ad veteres historias nos ıorteat, in promptu est destructio illius civi- facta tempore papæ Urbani secundi, regnante Francorum Philippo. Sed nunc, culpis nostris ıtibus, hæc novissima captio et destructio est sub Urbano papa tertio, et sub alio Phi- rege Francorum. Sed est alia Jerusalem su- , et cœlestis illa, quæ est mater nostra, cujus in ruina, et lapsu Luciferi atque complicum ıx parte non modica corruerunt. Erat consi- Altissimi, ut hæc civitas reædificaretur ex ıibus tanquam ex rationabilibus et vivis lapi- ; et licet consilium illud absconditum fuisset olis, erat tamen prophetis in spiritu revela- Jnde Daniel et Amos dicebant : *Non faciet Do- quidquam, nisi prius revelaverit illud servis ophetis* [35]. David ergo propheta secreti hujus ıus et intelligens, quod de viris contemplati- ıi significatur per Sion reædificanda esset

A Jerusalem, supplici et devota oratione benignitatem summi judicis interpellat. Tu, inquit, Domine, qui bene facere decrevisti, his quorum oculi interiores ad te sunt : *sicut oculi servorum in manibus domini sui* [36] *: tu benefac, Domine, in bona voluntate tua Sion* [37], his qui contemplationis et desiderii oculos ad te habent. Et exprimens beneficii modum, subjungit, *ut ædificentur muri Jerusalem*. Referamus, fratres, gratias Altissimo, quia *beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis*, etc. [38]. Placet ei quod de nobis qui inimiculi sumus reparetur ruina angelorum, ut in locum unde superbus cecidit humilis elevetur, quia de angelis qui prævaricati sunt non possunt restaurari ruinæ Jerusalem. Nam et ipsi restaurari non possunt, quoniam ini- B quitas eorum inventa est ad odium. *Ibi enim ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare* [39]. Suscitet, quæso, Dominus de inimiculis angelos, suscitet *de terra inopem, de pulvere erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus* [40], et solium gloriæ teneat. *Adveniat*, Domine, *regnum tuum* [41], impleantur nuptiæ discumbentium, impleatur numerus fratrum nostrorum, fratres angelos voco, domesticos scilicet et concives nostros. Eleva, Domine, solium tuum in gloria, et de his qui sub te sunt templi tui ruinas implere digneris. Sic enim, Domine, *locutus es per os sanctorum qui a sæculo sunt prophetarum* [42] : inter quos Isaias non solum dixit aut scripsit, sed vidit *solium excelsum et elevatum* [43] : excelsum in angelis qui steterunt ; elevatum in hominibus, qui per scalam divinæ mi- C serationis ascendunt. Cumque idem propheta de majestate Domini, quæ totam terram impleverat loqueretur, adjunxit : *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum* [44]. Terra siquidem corporis nostri quæ modo data est in manus impii, quandoque liberabitur a servitute peccati, et a debito mortis : cum Dominus populum humilem salvum faciet, et oculos superborum humiliabit [45] : cum excusserit jugum oneris, et virgam exactoris illius, quem interficiet Dominus virga oris sui : cum ille delebitur, et exsufflabitur sicut pulvis quem projicit ventus a facie terræ, tunc renovabit Dominus faciem terræ nostræ, quia *mortale hoc induet immortalitatem* [46], *et reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* [47], et sic *terra* nostra D divina *replebitur majestate* [48], et tunc, sicut scriptum est, *ea quæ sub ipso erant*, replebunt *templum*. Nam illi qui Deo in humilitate subjecti sunt, assumentur in locum angelorum, atque ruinam templi cœlestis implebunt. Noluit ille perditissimus sub Deo esse, sed volens divinæ potentiæ similitudinem usurpare, sibi cathedram pestilentiæ in lateribus aquilonis erexit et cecidit ; nec adjiciet ut resurgat. Coangustatum enim est stratum, ita ut alter decidat. Casus autem

sal. 50. [35] Amos. 3. [36] Psal. 122. [37] Psal. 50. [38] Psal. 146. [39] Psal. 35. [40] Psal. 112. [41] Matth. Luc. 1. [43] Isai. 6. [44] Idid. [45] Psal. 17. [46] I Cor. 15. [47] Philipp. 3. [48] Psal. 71.

unius, factus est ruina multorum, nam et multos in eadem malitia secum traxit. Viderunt alii furem et cucurrerunt cum eo, et portionem suam cum adultero posuerunt.

Nonne fur erat qui dolose quod non suum erat, sed alterius, rapiebat? Ubi autem in superbiam se erexit, oblitus legem vitæ et disciplinæ adulteratus est. Sicut Apostolus dicit : *Si sine disciplina estis, ergo adulteri estis* [49]. Infelix si Domino subjectus fuisset, nunc esset inter domesticos Dei, inter potestates et thronos, inter principes paradisi. Nondum laboraverat, utquid ergo sedere parabat? Procul dubio illi sedebunt, qui pro Christo laboraverunt. *Sedebitis*, inquit, *super sedes duodecim*, etc. [50]. Et tunc miser judicandus astabit. Dedignabatur infelix ei ministrare, cui servire regnare est. Sane illi qui in veritate steterunt, gloriantur in ejus ministerio; cujus faciem semper vident, nam et teste Apostolo, qui tanquam supernorum spirituum familiaris illi supercœlesti curiæ meruit interesse : *omnes sunt administratorii spiritus missi, in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* [51]. *Millia millium assistebant ei, et decies centena millia ministrabant ei* [52]. Illi qui creavit angelos, et qui tanto *differentius nomen præ illis hæreditavit* [53], quanto major est angelo Dei creatura; creator non solum dignatus est minorari paulo minus ab angelis [54], sed etiam inter homines peccatores et pauperes sponte assumpsit officium ministrantis. Ille autem filius superbiæ, qui cathedram pestilentiæ in superbia et abusione appetiit, degradatus est, ut episcopatum ejus accipiat alter; et ad divitias gloriæ, quas per divinam sententiam perdidit, assumatur mendicus et pauper. Nonne Deo subjecta erit anima mea, si forte humilitatem ancillæ suæ respiciat Deus; humiliabo oculos meos in oculis Domini, ponam *in pulvere os* meum, *si forte sit spes* [55]. Scio quia *novit Deus figmentum nostrum* [56], non possumus iniquitates nostras ab eo abscondere, qui explorat Jerusalem in lucernis [57], qui scrutatur corda et renes [58], *qui in* ipsis *angelis suis reperit pravitatem* [59]. O quam *beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata!* [60]. Isti sunt, Domine, quos elegisti et assumpsisti, isti habitabunt in atriis tuis [61]. Auferetur peccator ne videat gloriam Dei; isti autem habitabunt in multitudine pacis. O infelicissime lucifer, jam non lucifer sed noctifer; vide quomodo in tuam ignominiam creat Dominus, hodie de his qui sunt terra, cinis et vermium cibus, non solum angelos, see seraphim; ut honoris incrementum in humili, tibi superbo cedat in cumulum confusionis et doloris augmentum. Nonne sunt seraphim qui, cum sint in terra, et cinis terrenæ conversationis obliti divini amoris ardore medullitus

A incenduntur? *Ignem*, inquit Dominus, *veni mittere in terram, et quid volo nisi ut* ardeat [62]? Vult Dominus ut ardeamus igne charitatis, et simus ardendo seraphim. Seraphim enim interpretatur *ardentia*; ille lucifer lucere tantum voluit, non ardere. Si lucendo arsisset, non fuisset frigidus; nec in regione frigida sibi cathedram erexisset. Adhuc plerique sunt, qui aliquid de malitia angeli depositi contraxerunt, appetentes lucere potius quam ardere. Lucet siquidem et non ardet, qui obtentu simulatæ religionis aura famæ popularis attollitur. Iste in modum lunæ, cum fervorem non habeat, lumen suum aliunde mendicat. Ideoque testimonio Sapientis : *Stultus ut luna mutatur, sapiens autem permanet ut sol* [63]. Vita siquidem præsens ardoris est, non fulgoris; hinc accendi et foveri debet ignis, sicut in Levitico [64] legi-
B tur, in altario cordis. *Ibi vero fulgebunt justi sicut sol in conspectu Patris sui* [65]. Melius est hic ardere quam lucere; lucebat Lucifer et cecidit, ardebat seraphim et stetit, quia *charitas nunquam excidit* [66].

Scitis, fratres, quod angeli multa familiaritate Deo conjuncti sunt, et tamen per gratiam illius, qui nos et illos fecit, facti sunt consortes et concives nostri. Verumtamem, cum sint de schola illius, qui pacem et veritatem diligit; cum sint angeli pacis, cum sint filii pacis, cum sint cives et principes illius Jerusalem, *cujus participatio ejus in id ipsum* [67], pacem et concordiam in nobis exigunt super omnia et mutuam charitatem. Pacem angelicæ societatis sibi Petrus apostolus desiderans, et in nobis sua-
C dens : *Ante omnia*, inquit, *mutuam charitatem continuam habentes*, [68] etc. Et item : *Diligite invicem non verbo, nec lingua : sed opere et veritate* [69]. Expedit nobis, fratres, ut sicut inter angelos est mutuus amor et prompta ad Deum reverentia, sic erga nos sit mutuo cor unum et anima una, et erga pastorem devota obedientia, et humilis obsequela. *Tunica Domini inconsutilis* [70], et indivisa est. Ea induti sunt angeli, et induendi sunt angelici viri. Noveritis autem quod tunicam Domini scindit quisque se signo, aut verbo, aut opere a fraternæ charitatis unione disjungit. *Id ipsum*, Apostolus dicit, sentiatis, *et non sint in vobis schismata* [71]. Cum in sacrificio Abrahæ per aves designati sunt spirituales viri, et per animalia sæculares, Abraham [72], præcipiente
D Domino, vaccam et arietem divisit, et partes divisas altrinsecus ponens, columbam et turturem non divisit.

De superbia non loquor. Rogo autem, imo quantum mihi licet excommunico et detestor ne superbia vel etiam nominetur in vobis. Superbiæ malitia inventa est ad odium sempiternum. Civitas illa cœlestis semel turbata est hac peste, et ex parte

[49] Hebr. 12. [50] Matth. 19. [51] Hebr. 1. [52] Dan. 7. [53] Hebr. 1. [54] Hebr. 2. [55] Thren. 3. [56] Psal. 102. [57] Soph. 1. [58] Psal. 7. [59] Job. 4. [60] Psal. 31. [61] Psal. 64. [62] Luc. 12. [63] Eccli. 27. [64] Cap. 6. [65] Matth. 13. [66] I Cor. 12. [67] Psal. 121. [68] I Petr. 4. [69] I Joan. 3. [70] Joan. 19. [71] I Cor. 1. [72] Gen. 15.

destructa est. Cives illius abominabiliter abhorrent A superbiam ; nec societatem sortitur angelicam, qui non humiliaverit se sicut parvulus. Sed nec Dominus requiescit nisi super humilem et mansuetum, et trementem ad verba sua [73]. Sane Angelus nihil operatus est ; sed tantum cogitavit superbiam, et in momento, in ictu oculi dejectus est [74]. Superbia Angelum in diabolum commutavit, principem lucis in principem tenebrarum. Noli ergo superbire, homo, cum sis terra, et cinis, et pulvis vilissimus, flatu modico in nihilum dispergendus. Si volumus fieri socii angelorum, humiliemur sub potenti Dei manu : quanto erimus humiliores, tanto erimus angelis gratiores ; humilitas eis cognata est ; nam aliis in superba sua cadentibus, isti in humilitate sua steterunt. Angeli quidem sicut de reædificatione B civitatis suæ sunt solliciti, ita circa nostræ salutis studium sunt attenti ; nam reædificatio illa salus nostra. Placent ergo his lacrymæ nostræ, compunctiones ignitæ, anxii gemitus, arcanæ jubilationes, orationes devotæ, custodia castitatis, observantia obedientiæ, contemptus temporalium, et perseverantia voluntariæ paupertatis, hæc sunt sacrificia, hæc sunt incensa quæ pro nobis Domino offerunt. Quia enim ad eminentiam divinæ majestatis sicut angeli familiarem non habemus accessum, ipsi fideliter orationes nostras Domino repræsentant. Unde cum Scriptura dixisset : *Data sunt ei incensa multa*, subjunxit : *Et ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini* [75].

Angelos Domini, fratres charissimi, tanquam amicos et domesticos Dei modis omnibus honore- C mus ; ut et ipsis nos honorent et nos recipiant in æterna tabernacula, in restaurationem supernæ Jerusalem, in replectionem templi cœlestis, in ædificationem corporis Christi. Quod nobis per merita angelorum præstare dignetur Dominus angelorum ; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XL.

IN EODEM FESTO.

Data sunt ei incensa multa ; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei de manu angeli [76].

Joannes in Apocalypsi loquitur de ministerio angelorum, qui de nostra salute solliciti sunt propter triplicem causam : propter nos, propter Deum, propter se ipsos. Propter nos, quia naturam suam D in animabus nostris, quæ sunt rationales spiritus, recognoscunt ; nosque sibi conjunctos conformitate naturæ, et, ut ita loquar, quadam cognatione intelligunt, quia sunt participes et capaces beatitudinis gloriæque æternæ. Propter Deum, cujus misericordiæ viscera videni effusa circa nos. *Nemo enim majorem charitatem habet*, quam *ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [77]. Sciunt quia dilexit nos ; *non quia dilexerimus eum*, sicut dicit Joannes [78], sed *quia prior ipse dilexit nos*, et dedit animam suam pro nobis. Vulgare est : Qui me diligit, et canem meum. Utinam et canes essemus et lingeremus ulcera nostra ! vel saltem catuli, ut possemus edere de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum. Ipsæ enim sunt domini nostri, imo dominationes et principatus cœli, qui sedent in mensa Altissimi, ubi satiantur ab ubertate domus Dei, et potantur torrente voluptatis æternæ. Lætantur et exsultant in bonis, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* ascenderunt [79]. Satiantur ex adipe frumenti ; nos autem quodam furfure, et quodam cortice sacramenti. Diligunt nos propter se, quia de nobis scilicet tanquam de lapidibus rationabilibus et vivis restaurandum est suæ civitatis excidium, atque cœlestium ruina murorum. Hic est triplex funiculus quo ab angelis trahimur ; ut simus ædificatio Dei, et crescamus in templum sanctum Domini. Veneremur eos, fratres, quia plurimum sunt nobis necessarii. Sunt enim domestici et familiares Dei, cœlorum cives, et principes paradisi. Isti domini et ministri nostri sunt ; ministri ab obsequium, domini ad tutelam. Hi sunt qui ministrant Deo pro nobis. Paulus etiam apostolus [80] ad tertium cœlum raptus vidit ministerium eorum, dum illi cœlesti curiæ interfuit. Et qui vidit, testimonium perhibuit, dicens : quia *omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* [81] ; ipsi sunt qui preces et orationes nostras, suspiria occulta, gemitus anxios, ignitas compunctiones, jubilationes, arcana, et cætera devotionis desideria, quibus anima pœnitentis quasi aquam in conspectu Domini se effundit, ad Deum deferunt et nobis beneficia misericordiæ suæ referunt. Hæc sunt incensa, quæ de manu angeli emittunt fumum aromatum in conspectu Dei. Quid est fumus aromatum, nisi devotio orationum? *Ascendit*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* [82]. Non mireris si ministrant angeli, ubi ministrat Dominus angelorum. Ipse enim est qui dicit : Veni *ministrare non ministrari, et animam* meam ponere *pro multis* [83] ; ut ministraret nobis minoravit se paulo minus ab angelis [84]. Minor equidem factus est per humilitatem dispensationis, remanens major per gloriam majestatis [85]. Sic ascendunt et descendunt angeli super Filium hominis ; sic, juxta Canticum, sponsæ *venit sponsus saliens in montibus, et transiliens colles* [86]. Ministrant itaque cives cœli, nobis ministrat et Dominus cœli. Ille vero Lucifer, qui mane oriebatur, ministrare nolebat : ideoque cecidit. Ejus operimentum erat

[73] Isa. 66. [74] I Cor. 15. [75] Apoc. 8. [76] Ibid. [77] Joan. 15. [78] I Joan. 4. [79] I Cor. 2. [80] II Cor. 12. [81] Hebr. 1. [82] Psal. 140. [83] Matth. 20. [84] Hebr. 2. [85] Joan. 1. [86] Cant. 2.

omnis lapis pretiosus, teste Ezechiele [87], quia omnibus aliis angelis præminebat. Et sicut idem Ezechiel dicit : *Signaculum similitudinis plenus scientia, et perfecti decoris in deliciis paradisi Dei* [88]. Testimonio vero beati Job : *Erat principium viarum Dei* [89], sed depositus est et dejectus, eo quod in superbia et in abusione sua cogitavit ascendere in montem testamenti, et sedem ponere in lateribus aquilonis. Alii ministrabant et stabant, sicut scriptum est : *Cherubim super ea stabant, millia millium ministrabant ei, et decies millia centena assistebant ei* [90]. Ille autem impudens et imprudens sedere nolebat. Hujus imitatores sunt qui fugiunt labores, et affectant honores. *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* [91]. Laborem enim et dolorem, et flagella æterna cum dæmonibus præstolantur. Quare non attendis, homo, cinis, pulvis, quare non consideras quantum discriminis habeat ambitus potestatis ? *Vidi*, inquit, *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* [92]. O superbe et maligne spiritus, quia noluisti stare et ministrare coram Domino, adhuc homines super sedes duodecim sedere videbis, et ibi coram eis judicandus astabis. *An nescitis*, dicit Apostolus, *quod et angelos judicabimus* ? [93] Fratres, omnem reverentiam, omnem obsequii clientelam tenemur angelis exhibere tanquam familiaribus et secretariis Dei, auxiliatoribus et defensoribus nostris. Isti nos reconciliant Deo, nostros hostes propulsant, devotiones nostras excitant, gratiam nobis impetrant, et excessus nostræ infirmitatis excusant. Porro, sicut gaudium est eis super peccatore pœnitentiam agente, ita abhorrent et fugiunt eos, quos vident in peccatis suis pertinaciter, tempusque pœnitentiæ prolongare. Quæ enim conventio lucis ad tenebras, peccatoris ad angelum, carnalis et venundati sub peccato ad spiritum ? Nunquid angelis placere possunt qui sedent in stercoribus suis, et bibunt urinam peccatorum suorum : quorum cogitationes et opera fetent in naribus angelorum ? Scandalizantur angeli, et recedunt, ut possit dicere qui relinquitur : *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt : et qui juxta me erant de longe steterunt. Et* ideo *vim faciebant qui quærebant animam meam* [94]. *Elongasti, Domine, a me amicum et proximum, et notos meos a miseria* [95]. *Væ homini per quem scandalum venit* [96]. Si periculosum esti scandalizare unum ex his pusillis, quanto periculosius est scandalizare unum aut multos ex illis ? *Væ homine illi per quem scandalum venit !* Nemo excipitur, sive angelum, sive pusillum, sive aliquem proximum scandalizet. Sed dicis : Angelus tenetur me diligere propter Deum, propter nos, et propter se, sicut prælibatum est. Nunquid poterit angelus hominem diligere propter Deum, quem Deo videt esse contrarium et rebellem ? Sed neque hominem diligent, in quo vident spiritum degenerantem a conformitate angelicæ potestatis ; nec etiam propter se, aut propter reædificationem suæ civitatis diligent eos qui debuerant esse lapides vivi, et facti sunt *sicut pulvis quem projicit ventus a facie terræ* [97], non habentes id in quo conjungendi et coædificandi erant angelis, charitatis glutinum et unitatem spiritus in vinculo pacis. *Væ homini per quem scandalum venit !* Est exterius scandalum, quo pusillus offenditur, molestatur adultus, angelus exturbatur. Est et scandalum, quod interius patimur, sentientes legem contrariam in membris nostris : et hoc est scandalum oculi, manus, pedis. Scandalizat nos oculus interior dum se nostra intentio subjicit alicuit extraordinariæ voluptati. Sed habes consilium, ut hunc eruas oculum, et projicias abs te [98], id est abjiciatur voluntas ne veniat in consensum. Quandoque circa opus bonum sollicitos nos affectus notionis prave sollicitat. Hoc est scandalum manus ; eamque abscidis si usque ad effectum operis non consentis. Si proficiebas in melius, si ascendebas de gradu in gradum per scalam Jacob, si stabat in directo pes tuus, vide ne pes superbiæ te moveat ; nam, si moli aut effusi fuerint gressus tui, ut acedia et quodam tædio lentescere incipias in via Domini, scias quia pes tuus interior scandalizat te. Per te ergo consilio Salvatoris abscinde pedem tuum, ut expeditius curras in via cœlestium mandatorum. Noli variis voluntatibus vel actionibus occupari : qui ubique est nusquam est, qui in multis afficit, in paucis proficit. *Porro unum est necessarium* [99]. *Melius est cum uno pede, aut uno oculo intrare in regnum cœlorum, quam duos oculos, vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis* [100]. *Fili, ne in multis sint actus tui*, dicit Sapiens [1]. In uno cubitu consummata est arca [2]. *Væ homini gradienti duabus viis* [3] *! Qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter* [4]. Simplicitas patenter evacuat scandalum pedis. Sed et si simpliciter agas, et voluntates malitiosas abscidas, scandalum oculi et manus evacuas. Quia *si oculus tuus simplex fuerit*, id est intentio operandi, *totum corpus* operum et cogitationum *lucidem erit, et lucebunt opera tua coram hominibus, ut glorificent Patrem tuum qui in cœlis est* [5], tunc coram Deo et angelis ejus gratiam et gloriam consequeris. Quod nobis omnibus per ministerium angelorum præstare dignetur : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[87] Cap. 28. [88] Ibid. [89] Job. 40. [90] Dan. 7. [91] Psal. 72. [92] Luc. 10. [93] I Cor. 6. [94] Psal. 37. [95] Psal. 87. [96] Matth. 18. [97] Psal. 1. [98] Matth. 18. [99] Luc. 10. [100] Matth. 18. [1] Eccl. 11. [2] Gen. 6. [3] Eccl. 3. [4] Prov. 30. [5] Matth. 6.

SERMO XLI.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus [6].

Totus hic versiculus, imo totus hic psalmus est gratiarum actio et vox laudis. Sancti enim quorum solemnitas hodie agitur, olim similes nobis passibiles habitaverunt domos luteas, et in corpore mortis hujus tentationis laqueos, et inimici malitias graviter sunt experti. Nunc autem, quia eduxit Dominus eorum animas de periculis hujus vitæ, loquitur Propheta in persona eorum et dicit: *Anima nostra sicut passer*, etc. Huic verbo concinit et concordat quod Joannes in Apocalypsi ait: *Sub altari Dei audivi vocem occisorum dicentium: Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est* [7]. Nec est vox ista exspectantium ultionem, sed desiderantium sui corporis glorificationem. Nam sub altari Dei constitutæ sunt animæ quæ de corporibus exierunt, et in tranquilla quiete stolam secundam, id est glorificationem corporis gaudentes exspectant. Altare Dei sancti Patres intelligunt corpus Christi glorificatum: in cujus visione sunt ad tempus deliciæ animarum, donec impleatur numerus fratrum suorum. Hæ sunt aquilæ, quæ congregantur ad corpus. Sicut scriptum est: *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* [8]. Delectantur ergo in aspectu glorificatæ carnis in Christo, qui cis stolam animæ nunc tribuit, et tandem glorificationem corporis tribuet, atque in hac requie gloriam perfectæ glorificationis exspectant. Hinc est vox quæ dicit: *Me exspectant justi, donec retribuas mihi* [9]. Sane illi qui glorificationem corporis exspectabant, divinum acceperunt responsum, quod eis in Apocalypsi dictum est: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum* [10]. Nam de patriarchis et prophetis scriptum est: *Deo melius aliquid providente pro nobis; ne sine nobis consumentur* [11]. Anima siquidem hominis eo temporis articulo, quo de carcere corporis hujus egreditur, et est quasi in porta qua exitur ab hac vita, juxta operum suorum exigentiam transit ad gaudia vel dolores, juxta illud: *Opera eorum sequuntur illos* [12]. *Justus* autem *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta* [13]. De illo enim dicetur: *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eum in portis opera ejus* [14]. Nam, et si fuerunt in laboribus, sed, *Amodo dicet eis Spiritus ut requiescant a laboribus suis* [15]. Olim siquidem omnes ad inferos descendebant. Unde et beatus Job dicit: *Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo* A *recorderis mei* [16]? Erat tamen magnum chaos firmatum inter justos et impios; nam justi erant in sinu Abrahæ sedentes, id est quiescentes in tenebris, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Impii vero erant in doloribus et tormentis: quod ex evangelica historia in divite et Lazaro patet [17]. Christus autem *peccatorum purgationem faciens* [18], abolito chirographo nostræ damnationis in sanguine suo, descendit ad inferos et *contrivit portas æreas, ac vectes ferreos confregit* [19], educens vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris et umbra mortis. Posuit ergo eos sub altare Dei, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, et protegens eos in abscondito tabernaculi sui. Ibi requiescunt et delectantur in aspectu corB poris Christi glorificati, exspectantes donec impleatur numerus fratrum suorum [20], donec supervestiat eos Christus *reformans corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* [21]. Ergo non sunt in sinu Abrahæ, sed sub altare: jam non in inferno, sed in cœlo, nisi quod et paradisum cœli, vocare Abrahæ sinum Ecclesia consuevit. Porro licet stola animæ in hac vita sitienter desideretur a justis, affectatur tamen amplius stola carnis. Unde et quidam dicebat: *Sitivit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea* [22]. Ex istis triplex intelligitur sanctæ animæ status. In militia, in requie, in gloria. Primus in tabernaculis, secundus in atriis, tertius in domo Domini. Primum audis, cum dicitur: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum* [23]. Finis ejusdem versiculi sequentem exprimit statum qui C concupiscibilior est: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* [24]. Sed, quia nondum invenisti beatitudinem, procede ulterius usque ad domum Dei. *Beati* enim *qui habitant in domo tua, Domine* [25]. Hunc processum noverat qui dicebat: *Hæc recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* [26]. Et quia forsitan times quod veniatur ad domum, et non in domum, audi vocem lætitiæ et exsultationis. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* [27]. Illi siquidem qui de mundo triumphaverunt, educti de carcere corporis jam in atriis Domini stant et exspectant, quando recipiant corpora sua. Lætantur, quia, impleto numero fratrum suorum, intraturi sunt in domum Domini.

D Nec enim intraturi sunt in domum Domini, sive plantati, sive alii sine plebe. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris* [28]. Quia, cum anima imago sir Altissimi, corpus vero si fetor et morticinium, anima tamen ineffabili desiderio corpus exspectat in participium gloriæ suæ, ut cum eo plene capiat voluptates æternas, cum quo communicavit miserias temporales. Tunc intrabunt Je-

[6] Psal. 123. [7] Apoc. 6. [8] Matth. 24. [9] Psal. 141. [10] Apoc. 6. [11] Hebr. 11. [12] Apoc. 14. [13] Psal 126. [14] Prov. 31. [15] Apoc. 14. [16] Job. 14. [17] Luc. 16. [18] Hebr. 1. [19] Psal. 106. [20] Apoc. 6. [21] Philipp. 3. [22] Psal. 62. [23] Psal. 83. [24] Ibid. [25] Ibid. [26] Psal. 41. [27] Psal. 121. [28] Psal. 127.

rusalem, quæ vere est visio pacis. Ibi enim est *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* [29], quam scilicet *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se* [30]. Ibi autem non erit nisi gratiarum actio et vox laudis. Tunc, Domine, offeremus vitulos laborium nostrorum, tunc imponemus super altare tuum vitulos. Qui enim modo sunt sub altari : tunc erunt super altare, qui jam delectabuntur non solum in aspectu glorificatæ carnis in Christo, sed fruentes divinæ majestatis aspectu videbunt, et cognoscent verum Domini Patrem, et quem misit Jesum Christum, quod est vita æterna. Videbunt autem non in speculo, vel in ænigmate, sed facie ad faciem, et transiens ministrabit illis inæstimabiles divitias gloriæ suæ, ut videant et cognoscant Patrem et Filium et Spiritum sanctum, in gloria æquali, in majestate non dispari, ubi videbunt Christum quasi Unigenitum a Patre. Procul dubio ibi eum videbitis, sicut dixit vobis : *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine !* [31] Anima enim, quæ a corpore exuta est, et in exitu consummatæ beatitudinis requiescit, quasi abscondita est interim ; sed erit quando resumpto corpore sedebit super thronos tanquam judex filiorum hominum. Sicut scriptum est : *Perfecisti eis qui sperant in te, Domine, in conspectu filiorum hominum* [32]. Nec equidem benefecit : sed nunc perficiet, nec justus animæ suæ dicet. *Convertere in ea, quia benefecit tibi Deus* [33]. Interim namque quoniam priora transierunt, jam non est inter spem et metum sicut prius fuerat, sed singulariter in spe et exspectatione gloriæ, ut fiducialiter dicat : *In pace in idipsum, dormiam et requiescam. Quoniam, tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* [34]. In hoc equidem statu læva sponsi est sub ea parte sponsæ, et tunc transibit ad dexteræ delectationem interminabilem. Nam *delectationes in dextera ejus usque in finem* [35]. Sicut autem anima Christi, et caro jam glorificata est, ita in ipso perfectam, plenam et consummatam gloriam, tam animæ quam corporis consequemur. Noli, quæso, dubitare : sed audi discipulum quem diligebat Jesus, et quem dormientem in sinu suo cœlestis scientiæ torrente potavit. *Nunc*, inquit, *filii Dei sumus ; sed nondum apparet quid erimus. Scimus autem quod, cum apparuerit, similes ei erimus* [36]. Notandum autem quod sicut triplex est natura animæ, ut sit rationalis, concupiscibilis, irascibilis, ita erit glorificatio ejus triplex. Circa rationem duo contraria sunt, scientia et ignorantia. Ignorantia evacuabitur, scientia vero perficietur. Concupiscibilitati duo similiter adjacent contraria : desiderium et contemptus. Contemptus cessabit, desiderium vero perfecte implebitur. Pari modo circa irascibilitatem lætitia et tristitia quadam contrarietate versantur. Auferetur autem tristitia, et erit æterna jucunditas, et lætitia consummata. Erit itaque beatitudo animæ sapientia vera, desiderium eorum quæ desideranda sunt et plena et nunquam interpolata lætitia. Corpus autem infirmum est, et pluribus indiget. Ideoque in quatuor ejus beatitudo consistit. Quia semel mortuum est, ne metuat iterum mori ; *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* [37]. Quia vero posset æternaliter vivere ut æternaliter pateretur, datur ei gloria impassibilitatis, et hæc secunda glorificatio corporis. Corpus nostrum hodie moles terrea et onerosa, cui superaddetur agilitas, ut tanta sit subtilitas, levitas, et agilitas corporum, quanta est hodie nostrarum cogitationum. Porro, ut inhabitet gloria in terra nostra, ut repleatur majestate Domini omnis terra, quæ assumenda est in reædificatione supernæ Jerusalem, et in plenitudinem corporis Christi : sequitur claritas, in qua reformabit nos Dominus configuratos et conglorificatos, et conglorificatos claritati corporis sui. Fulgebunt enim justi in conspectu Domini, habentes tam in anima quam in corpore inter angelos et archangelos, agilitatem, immortalitatem, impassibilitatem et claritatem, corporis ; æternam vero sapientiam et interminabilem delectationem animæ, atque desiderium in gaudio, et gaudium in desiderio sine fine. Amen.

SERMO XLII.

IN EODEM FESTO.

Videns turbas Jesus ascendit in montem [38], etc.

Quæcunque scripta sunt, dicit Apostolus, *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem Scripturarum spem habeamus* [39]. Unde et ascensus Christi in montem nos erigens in spem vitæ, nos manifestius docet, ut relictis turbationibus hujus mundi, ascendamus in montem Domini, in eminentiam virtutum. Nam et Christus qui in omnibus operibus suis nobis propositus est in exemplum, ut sequamur vestigias ejus : ipse, juxta hoc quod olim de eodem propheta prædixerat : *super montem excelsum tu ascende qui evangelizas Sion, qui evangelizas Jerusalem* [40], facturus verbum prædicationis prius ascendit in montem operis, sicut Lucas evangelista dicit : *Cœpit Jesus facere et* post *docere* [41]. In quo nos docet prius ascendere in eminentiam bonorum operum, antequam assumamus docentis officium. Ut qui nomen et honorem magisterii appetit, prius faciat docenda quam doceat facienda. Olim ascenderat Moyses in montem ut legem acciperet, populo inferius remanente [42] : hodie daturus benedictionem legislator, ascendit in montem, remanentibus turbis. Ascendunt et discipuli cum eo,

[29] Philipp. 4. [30] I Cor. 2. [31] Psal. 30. [32] Ibid. [33] Psal. 114. [34] Psal. 4. [35] Psal. 15. [36] I Joan. 3. [37] Rom. 6. [38] Matth. 5. [39] Rom. 15. [40] Isai. 40. [41] Act. 1. [42] Exod. 19.

ut et illos montes æternos faciat ad illuminationem plebis suæ Israel, sicut scriptum est : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*[43]. Quia per humilitatem valles fuerant, quasi montes crescant in magnitudinem dignitatis. Ascendunt ergo *ut suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam*[44]. *Et aperiens os suum*, etc.[45]. Qui olim ora prophetarum aperuerat, qui tunc frequenter aperiebat ora mutorum, os suum aperuit, os illud de quo frequenter prophetæ prædixerant, quia *os Domini locutum est*[46]. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu*[47]. Jam secure possunt discipuli Joannis ad eum redire et dicere, quia *pauperes evangelizantur*[48]. Manifestissime impletur in Christo, sicut ipse testatur ille sermo propheticus Isaiæ : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad evangelizandum pauperibus misit me*[49]. Pauperes evangelizat, et Evangelii sui legem inchoat a beatitudine paupertatis, qui divitias spinis comparat, qui divites damnat. *Væ*, inquit, *vobis, divites, qui hic habetis consolationem vestram ! Beati pauperes spiritu*[50]. Audiant pauperes et lætentur, quæ sit pars et hæreditas eorum, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*[51]. Suum est non solum ad habendum, sed ad communicandum aliis quibus amici facti sunt. Sicut scriptum est : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*[52]. Ecce hic iterum honor pauperum.

Pauperes qui hic recepti sunt a divitibus, in regno suo divites recipiunt. Quia enim super pauca fideles fuerunt, super multa constituti sunt, et ideo benefactoribus suis felici commercio plenius et multiplicius poterunt respondere ad meritum. Tolerabilius et melius fuisset illi diviti evangelico, si Lazarum respexisset, et sic linguæ ardentis refrigerium meruisset ; sed consolationem non recepit a Lazaro, qui Lazaro nullam fecerat consolationem[53]. *Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus*[54]. Quia ille lucifer aut potius noctifer in illis divitiis honoris et gloriæ impatienter se habuit ; justum Dei judicium est, ut ille qui cum patientia paupertatem sustinet, regnum a quo ignominiose dejectus est impatiens et superbus, gloriose possideat.

Beati, inquit, *pauperes spiritu*, non omnes, sed tamen illi qui ducunt voluntariam, non coactam, non necessariam, sed spontaneam paupertatem. Nam illud solum Deo acceptum est quod ex voluntate procedit. *Voluntarie*, inquit Propheta, *sacrificabo tibi*[55]. Porro Socrates Thebanus, et multi alii philosophi fuerunt contemptores divitiarum, et amatores paupertatis ; *sed evanuerunt in cogitationibus suis et* dati sunt *in reprobum sensum*[56]. A regno

A cœlorum elongati sunt, quia *pauperes spiritu* non fuerunt.

Nescio, fratres, si plane intelligitis quid sit pauperem esse spiritu. Apud multos hoc verbum quandoque scrupulum dubitationis induxit. Quidam abundant et in sensu[57] et in spiritu, sicut *filii hujus sæculi qui prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*[58]. Istos siquidem nec pauperes, nec divites spiritu censere præsumo. Quis ergo erit pauper spiritu ? Numquid ille qui turbatur et concutitur a pusillanimitate spiritus et tempestate ? Certe nec istum pauperem spiritu dignum est profiteri. Curramus ad Apostolum. Vir enim circumspectus et multorum expertus est. *Non accepimus*, dicit Apostolus, *spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est*[59]. Est autem spiritus hujus mundi, spiritus

B qui inflat, spiritus superbiæ, de quo idem Apostolus dicit : *Ambulastis*, inquit, *secundum principem potestatis aeris hujus, spiritum qui nunc operatur in filiis diffidentiæ*[60]. Credo si quis deficeret ab hoc spiritu, pauper esset spiritu. Sed non sufficeret hoc, nisi Spiritus Dei redderet testimonium spiritui ejus. Procedamus ergo ulterius si forte possimus intelligere quid sit esse pauperem spiritu. Credo quia pauper spiritu est, qui deficiens a se ipso, et se totum pro Christo abnegans, nihil habet in cogitatione aut memoria, nihil in delectatione, aut desiderio nisi Christum. Iste potest dicere : *Memor fui Dei et delectatus sum, et defecit spiritus meus*[61]. Hanc sui abdicationem, hanc paupertatem, et hunc defectum spiritus videbatur habere qui dicebat :

C *Velociter exaudi me, Domine, quia deficit spiritus meus*[62]. Et illud : *In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas*[63]. Qui ergo mundo renuntians et se ipsum abdicans sub potenti manu Dei, et sub observantia ordinis se humiliat : hic est pauper et humilis spiritu. De talibus dictum est : *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit*[64]. Isti Spiritu Dei aguntur non alta sapientes ; sed humilibus consentientes.

Beati, inquit, *pauperes spiritu*. Nonne jam ex parte beatificati sunt, qui delectantur in sua paupertate, quod suam miseriam reputant divitias temporales. Et hoc est forte quod Salomon de Ecclesia spiritualium pauperum dicit : *Multæ filiæ congregaverunt divitias ; ista supergressa est universas*[65].

D Multi congregant, divitias, et fructum divitiarum in eis non inveniunt[66]. Nonne fructus divitiarum debet esse sufficientia ? Et invenio scriptum : *Divites eguerunt et esurierunt ; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*[67]. Mirabiliter elusa est sapientia hujus mundi ; filii hujus mundi qui sapientes sunt in oculis suis, experiuntur quotidie

[43] Psal. 75. [44] Psal. 71. [45] Matth. 5, Isai. 1. [46] Matth. 5. [47] Luc. 7. [48] Isai. 1. [49] Luc. 6. [50] Matth. 5. [51] Ibid. [52] Luc. 16. [53] Ibid. [54] Psal. 10. [55] Psal. 53. [56] Rom. 1. [57] Eccli. 19. [58] Luc. 16. [59] I Cor. 2. [60] Ephes. 2. [61] Psal. 76. [62] Psal. 142. [63] Psal. 141. [64] Psal. 33. [65] Prov. 31. [66] Eccle. 5. [67] Psal. 33.

quod possidere divitias cedit eis ad sollicitudinem et tormentum; filii vero lucis qui spiritualem exquirunt prudentiam, compererunt quod divitias relinquere facit liberum et beatum. *Confiteor tibi, Pater cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* [68]. Vide quam justus est Dominus; pauper spiritu contemnit divitias, pecunias detestatur, et nihil ei deficit, quia sufficit ei Deus, et insuper suum omnino est regnum cœlorum. Dives autem sectator avaritiæ, cultor mammonæ, servus pecuniæ, pro nummo apostata, in nummo idololatra, qui nummum constituit deum suum, in eo magis deliquit; majorem timorem, et majorem sollicitudinem, majoremque per omnem modum habens in eo amaritudinem, in quo majorem sibi constituerat voluptatem. Vos autem *pauperes spiritu*, cum sitis nihil habentes, estis tamen omnia possidentes; nam Christus portio vestra. Vox cujusdam pauperis est: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* [69]. Nonne possidetis omnia, si habetis eum qui omnia habet? Cui Deus adest, nihil abest: et cui Christus sufficit, nihil deficit. Timentibus, inquit, Deum nihil deest [70]. Divites onerati sarcinis hujus mundi, inutilibus quidem, sed gravibus, duce diabolo, properant ad infernum; nam, teste Veritate: *facilius* esset *camelum* intrare *per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum* [71]. Nonne jam delibant cœlestis regni primitias, quorum *conversatio est in cœlis* [72], qui contemptis possessionibus terrenis, nihil desiderant, nisi Christum apud quem suum collocavere depositum? Ideo voto et desiderio sunt in cœlis. Nam *ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* [73]. Nonne quasi paradisus deliciarumque hortus sunt in anima justi, virtutum species, bonæ operationis fragrantia, conscientiæ securitas naturalitas quædam boni, delectationis quædam deliciæ spirituales, in Christo cœlestum desideria, dilatatio charitatis ad omnes, gaudium, et pax in Spiritu sancto? Hæc, etsi non faciant illam beatitudinem quam *nec oculus vidit, nec auris audivit* [74], pertinent tamen ad illud centuplum quod promittitur contemptoribus terrenorum pro Christo. Isti quia sciunt qui crediderunt et certi sunt; jam quasdam primtias exsultationis æternæ decerpunt, juxta Sapientis verbum: *Exspectatio justorum lætitia* [75]. Hujus thesauri conscius erat qui dicebat: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* [76]. Hæc est prælibatio quædam futuræ dulcedinis, cibus animæ in præsenti, cujus erat oblitus qui dicebat: *Oblitus sum comedere panem meum* [77]. O quam pretiosus, o quam gloriosus est apud Filium Dei titulus paupertatis? Quippenam, cum ipse esset dives omnium,

A factus est omnium pauper; ut pauperes transferret in divitias gloriæ suæ. Et quis ei auderet dicere: *Miserere mei, Domine* [78], *adjuva me, Domine* [79], quia dives sum? potius esset hoc iracundiam provocare, quam misericordiam impetrare. Ideo David sciens quod Deus esset amator pauperum; licet dominaretur in solio regali, erat tamen pauper spiritu. Unde et secure dicebat: *Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego* [80]. Et alibi: *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea* [81]. *Ego*, inquit, *mendicus et pauper sum; Dominus sollicitus est mei* [82]. Quare hoc dicebat? sciebat enim quia *parcet* Dominus *pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet* [83]. Quid autem de divitibus et potentibus scriptum est:
B *Potentes potenter tormenta patientur?* [84] et illud: *Deducunt in bonis dies suos, et in momento ad inferna descendunt* [85]. Gaudeat ergo *pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Aliis sanctis fit promissio de futuro.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [86]. Omnium remuneratio prolongata est in futurum. Soli *pauperes spiritu*, et hi qui *persecutionem patiuntur propter justitiam*, id est martyres, fructum æternæ retributionis ad manum habent. Sic pauperes et martyres ad paria judicantur; nam ex paritate præmiorum conjecturatur, sicut mihi visum est, paritas meritorum. Quare non esset par præmium pauperum et marty-
C rum, cum paupertas sit martyrium, et esse pauperem, sit esse martyrem; nam martyrium aliud est in carne, aliud est in spiritu. Quid est inter illa, nisi quia pauperum afflictio tractim et productiore spatio protrahitur; martyrum vero passio quodam mortis et doloris compendio consummatur? Quod iste sustinet cum dilatione, ille cum acceleratione. Quod iste paulatim, ille summatim, et in hoc pares sunt, quia angustiam passionis, quam iste in transitu tolerat, ille longo cruciatus tædio recompensat. Tam huic quam illi fit promissio de præsenti. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* In quo notandum quod, cum omnes alii *mites*, scilicet et *pacifici*, et *misericordes*, et cæteri qui enumerantur in hoc catalogo beatorum, aliquid de pulvere humanæ conversationis contraxerint: sæpe defe-
D runt secum ligna, fenum, stipulam. Isti autem duo qui purgati sunt, alter in sanguine suo, alter in camino paupertatis, et frixorio spiritus contribulati: nihil deferunt secum quod oporteat transire per ignem. Ideoque statim ad locum beatitudinis evolant; alii vero adipiscuntur beatitudinem sic quasi per ignem. De martyribus Dei, quia laverunt stolas

[68] Matth. 11. [69] Psal. 72. [70] Psal. 33. [71] Matth. 19. [72] Phil. 3. [73] Matth. 6. [74] I Cor. 2. [75] Prov. 10. [76] Psal. 118. [77] Psal. 101. [78] Psal. 6. [79] Psal. 108. [80] Psal. 85. [81] Psal. 87. [82] Psal. 39. [83] Psal. 71. [84] Sap. 6. [85] Job. 21. [86] Matth. 5.

suas in sanguine Agni[87]; de pauperibus, quia se judicaverunt quia in cordis contritione et ardore devotionis omnem in se peccati rubiginem excoxerunt, dicitur : *Et purgabit filios Levi*[88] *in spiritu judicii et spiritus ardoris*[89]. Fratres, manum vestram misistis ad fortia ; regnum cœlorum apprehendistis. Regnum Dei intra vos est, ad manum, ad mercedem laborum vestrorum. Quia breves dies hominis sunt, prone est dies mortis, divitibus hujus sæculi terribilis, pauperibus vero desiderabilis, quibus datura est eadem judicii dies divitias honoris et gloriæ, regnum cœlorum, atque beatitudinem et gloriam sine fine. Quam nobis præstare dignetur Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLII.

IN EODEM FESTO.

Beati pauperes spiritu, etc.[90].

Evangelizantur hodie pauperes. Audiant ergo pauperes et lætentur ; cœlorum enim Rex et Dominus, regnum cœlorum hodie eis donat. Diligit enim pauperes Dominus ; pro quibus se ipsum pauperem fecit, et se quodammodo de regno suo et de regia majestate deposuit, ut pauperes faceret sui regni dominos et hæredes. Divitias quidem comparat spinis, et divites damnat. *Væ vobis*, inquit, *divites qui habetis hic consolationem vestram !*[91]. Unde et rogatus noluit intrare in domum reguli, ne videretur divitias honorasse. Damnat itaque divitem, et parcet pauperi et inopi Deus. Hunc humiliat, et hunc exaltat; simul in unum dives et pauper. Divitem humiliat, cui cedit honor in opprobrium, exaltatio in dejectionem, divitiæ in miseriam, deliciæ in tormentum. *Hunc exaltat suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat*[92]. Celebris et gloriosus est apud Deum titulus paupertatis. Unde et perfectionem vitæ in paupertate constituens: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus*[93]. Cum Petrus præmisisset : *Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Responsum est ei : *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel*[94]. Qui ergo viles et contemptibiles judicantur, divites judicabunt. Dives judicabitur, pauper gloriabitur. Quod in Lazaro et divite manifestissime declaratur[95]. In hujus rei significationem Nabuzardan in excidio Jerusalem dimisit in pace pauperes, et divites captivavit[96]. *Ecce nos reliquimus omnia*, dicit Petrus[97], et ei datum est mundi judicium. Reliquit Joseph pallium suum Ægyptiæ[98], et dominus Ægypti factus est. Reliquit Samaritana hydriam[99], et salvatis est. Reliquit Joannes sindonem suam[100], et beatæ Virgini datus est custos, et a tributo mortis liberatus est. Vere beati pauperes spiritu. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus*[1]. *Animas pauperum salvas faciet, et honorabile nomen eorum coram ipso*[2]. Æstimanda est autem hæc paupertas ex animi humilitate et mansuetudine, non ex patrimonii quantitate. Non est enim meritoria paupertas, si sit sine mansuetudine, si sit exasperans, et impatiens disciplinæ. Ideoque subjungitur : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*[3]? Nonne immites et tryranni hodie possident terram ? Sed beati sunt mites, quia possidebunt terram : ergo beatiores sunt impii tyranni, quia jam possident terram ? Scio autem quia de illis scriptum est : *Perdet Dominus de terra memoriam eorum*[4]. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum*[5]. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et gloriabuntur in multitudine pacis*[6]. Immites et crudeles qui terrena sapiunt consumentur a terra ; nec enim aliud sunt quam terra. Terra de terra facti, redituri iterum in terram. Verbum prophetæ est: *Audi, terra, terra, terra*[7]. *Quique terrigenæ et filii hominum*[8], qui terram cupitis, terram lingitis, pro terra litigatis, scitote quia non est vobis, neque erit sors in terra, quam Dominus mitibus repromisit. Et quæ est terra hæc quæ a Domino promittitur ? procul dubio terra promissionis. Estne terra illa quæ protenditur a Dan usque Bersabee, et a magno flumine Euphrate usque ad flumen Ægypti, qui est Rhinicorus, a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum ? Hæc est terra Chanaam, terra scilicet cordis nostri. Hæc est terra quæ Abrahæ promissa est et semini ejus, cui, dum habitaret inter Chaldæos, dictum est a Domino : *Egredere de terra tua, et veni in terram quam monstravero tibi*[9]. Data est ergo ei terra Chanaan in funiculo distributionis, erectique sunt Chananæi : in quo signanter erudimur a Domino, ut exeamus a domo iniquitatum. Pugnemus contra Chanaan, contra vitia, et spirituales nequitias : *Vita* enim nostra *militia est super terram*[10], ut possideamus terram cordis nostri. Subjice tibi, Domine, animam meam, ut subjiciam tibi terram corporis mei. *Nonne Deo subjecta erit anima mea*[11], ut in pace possideam corpus meum, non recalcitrans, non lasciviens, sed rationi obediens, et subjectum ? Domine, si non possum omnino exterminare motus illicitos, hoc saltem gratiæ mihi addas, ut eos subjiciam servituti. Nam et Israel Jebusæum delere non potuit, sed eum tributarium sibi fecit. Hunc sibi subjiciebat in servum qui dicebat : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*[12]. Extraordinarios siquidem

[87] Apoc. 22. [88] M. I. 3. [89] Isa. 4. [90] Matth. 5. [91] Luc. 6. [92] I Reg. 2. [93] Matth. 19. [94] Ibid. [95] Luc. 16. [96] IV Reg. 25. [97] Matth. 19. [98] Gen. 38. [99] Joan. 4. [100] Marc. 14. [1] Psal. 11. [2] Psal. 71. [3] Matth. 5. [4] Psal. 33. [5] Psal. 26. [6] Psal. 36. [7] Jer. 22. [8] Psal. 48. [9] Gen. 12. [10] Job. 7. [11] Psal. 61. [12] II Cor. 9.

motus carnis mansuetudo pacificat, ut eveniat quod Propheta precatur : *Fiat pax in virtute tua* [13], id est in mansuetudine. Nam, cum omnes virtutes Christi sint a Christo, hæc spiritualiter dicitur Christi esse. Ipse enim dicit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [14]. *Et super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et mansuetum, et trementem ad verba mea* [15]? Erit quando exterminabitur totum semen Chanaan de terra nostra, quando *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* [16]. Tunc *mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* [17], *propter mansuetudinem et justitiam*, dicit Propheta, *deducet te mirabiliter dextera tua* [18]. *Arguet autem Dominus pro mansuetis terræ* [19]. *Audiant mansueti et lætentur* [20]. *Exaltabit* enim *mansuetos Dominus in salutem* [21], quia mansueti hæreditabunt terram, et ideo *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* [22], terram corporis nostri, quam in sua glorificatione videre summa gloria est, summumque bonum. Sane antiquus ille pater hominum, aut potius criminum, posteritati suæ virus antiquæ prævaricationis infudit. Unde adhuc sentio *legem* contrariam *in membris meis repugnantem legi mentis meæ* [23]. Video quia perdidi dies meos, quasi aquam bibens, iniquitatem scilicet faciens ab adolescentia mea. Ideo *sagittæ Domini in me sunt quarum indignatio ebibit spiritum* meum [24]. Video infra me, supra me, juxta me, contra me infinita mortis pericula, et dolores inferni, ut plangam cum Propheta, et dicam : *In me, Domine, transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* [25]. *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me* [26]. Lugebo ergo, et humiliabor sub potenti manu Dei ; ponam in pulvere os meum, si forte sit spes. Lugebo quia dies antiquos perdidi ; lugebo, ut dies æternæ consolationis acquiram. Scio enim quis dixerit : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

SERMO XLIV.

IN EODEM.

Beati qui legent, quoniam ipsi consolabuntur [27].

Melius est equidem *ire ad domum luctus quam ad domum convivii* [28]. Est luctus pœnitentiæ, de quo Propheta : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, Domine* [29]. Et : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum, rigabo* [30]. Est luctus affectionis, quem exhibuit David super Absalon [31], et Jacob super Joseph [32]. Talem luctum non multum approbat Deus. Unde et Samueli dictum est : *Usquequo lugebis Saul?* [33] Est luctus avaritiæ, juxta illud :

Lugetur lacrymis amissa pecunia veris,

et hunc Dominus detestatur. Est luctus desperationis, luctus scilicet Esau, luctus Cain : et hunc abominatur Dominus. Est luctus devotionis, et afflictionis, et hunc Dominus amplexatur. De isto scriptum est : *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua* [34]. *Exaudi orationem meam Domine, auribus percipe lacrymas meas in conspectu tuo* [35]. Hic est luctus qui beatos efficit. *Beati* enim *qui lugent, quoniam consolabuntur*. De hoc luctu sive mœrore dicitur per prophetam : *Mœror viri humiliabit eum, et sermone bono lætificabitur* [36]. Et alius Propheta : *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* [37]. *Amen amen dico vobis quia plorabitis, et flebitis vos ; mundus autem gaudebit.* Quid est, *mœror viri humiliabit eum? plorabilis, et flebitis vos ; mundus autem gaudebit.* Quid est *sermone bono lætificabitur? tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et, *venientes venient cum exsultatione* [38]. Infelix ego homo, quis dabit capiti meo aquam ? Quis aperiet mihi cataractas miserrimi capitis mei, ut lugeam bona quæ amisi, et mala quæ commisi : ut lugeam necessitates publicas : ut doleam et deplorem familiares angustias ? *Tota* enim *vita hominis tentatio est super terram* [39]. Sumus tentationibus miserrimis interius pleni, foris circumdati. Quod video, quod audio, quod volo, quod nolo, quod placet, quod displicet, quod meditor, quod loquor, quod taceo, quod laboro, quod quiesco, denique totum quod vivo tentatio est, et afflictio spiritus. Deducant oculi mei lacrymas, et dent diluvium aquarum multarum, ut possim diluere sordes, quas ab adolescentia mea contraxi. Sensus enim mei proni fuerunt ab adolescentia in malum [40]. *Feci pactum cum inferno, et cum morte pepigi fœdus* [41]. *Et ecce defecerunt in vanitate dies mei, et anni mei cum festinatione* [42]. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia* [43]. *Et nunc quæ est exspectatio mea? Nonne tu, Domine? nam substantia mea apud te est* [44]. Da mihi, Domine, lacrymas Petri, lacrymas Chananææ, lacrymas peccatricis. Da mihi inferius irriguum, quoniam *anima mea sicut terra sine aqua tibi* [45]. Da mihi, O fons misericordiæ, fontem aquarum, quibus abluam sordes cordis mei, ut dimittam adversum me eloquium meum. Lugens, et plangens, accusans, et damnans perditissimam vitam meam. Sane est irriguum superius, quod nondum postulare præsumo. Rivulus quidem aquarum cœlestium, qui de calore amoris et devotionis procedit. Anima siquidem pia devotione et desiderio in amorem Christi resoluta in lacrymas defluit, et liquescit. Ideo illa quæ languebat amore, dicebat : *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est* [46]. Hæ sunt aquæ calidæ quas invenit Ana, filius Sebeon [47]. Hæc aqua jam non est

[13] Psal. 121. [14] Matth. 11. [15] Isai. 66. [16] Rom. 8. [17] Psal. 36. [18] Psal. 44. [19] Isai. 11. [20] Psal. 33. [21] Psal. 149. [22] Matth. 5. [23] Rom. 7. [24] Job. 6. [25] Psal. 87. [26] Psal. 114. [27] Matth. 5. [28] Eccle. 7. [29] Psal. 118. [30] Psal. 6. [31] II Reg. 19. [32] Gen. 27. [33] I Reg. 16. [34] Psal. 55. [35] Psal. 38. [36] *Pro* . 12. [37] Psal. 125. [38] Joan. 16. [39] Job 7 *juxt. LXX.* [40] Gen. 8. [41] Isai. 28. [42] Psal. 77. [43] Psal. 68. [44] Psal. 38. [45] Psal. 142. [46] Cant. 5. [47] Gen. 36.

aqua, mutata est in vinum, ut lætificet cor hominis. Sicut scriptum est: *Date vinum mærentibus, et siceram his qui amaro sunt animo* [48]. Hoc vinum nobis necessarium est propter frequentes infirmitates nostras. Hoc est vinum de vinea Sorec [49], appetitus scilicet sanctitatis et desiderium justificationum Dei. Has justificationes nondum desiderabat, sed cupiebat desiderare qui dicebat: *Concupivi desiderare justificationes tuas in omni tempore* [50]. Sane ex ipsa justificatione crescit justitiæ desiderium, et devotionis fervor amoris excitat incentivum. Sic ergo justitæ cibus dum plus reficit, plus dulcescit; dum amplius recipitur, amplius esuritur. Vehemens enim desiderium esuries est. Ideo ille qui est summa justitia, dicit: *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient* [51]. Non sicut illi qui edebant panem Moysi in deserto, aut bibebant de hydria Samaritanæ, sed esuries præsentis vitæ satietas est futuræ. Tunc erit satietas et nulla anxietas, desiderium et nullum fastidium, jugis affectus nullusque defectus. Erit ibi desiderium in satietate, et in desiderio satietas. *Ut edatis*, inquit, *et bibatis super mensam in domo Patris mei* [52]. Tunc enim ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis vasa misericordiæ replebuntur. Nunc gratia est esuriens justitiæ, quam subsequetur satietas interminabilis gloriæ. Hanc innuebat quidam cum diceret: *Ego autem in justitia apparebo in conspectu tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua*. Esuries et sitis justitiæ, causa est beatitudinis [53]. *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

SERMO XLV.

DE EODEM FESTO.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam, ipsi saturabuntur [54].

Nunquid esurio justitiam, si desidero ecce justus? Et quis est qui hoc non desideret? Balaam Ariolus non solum vitam justorum, sed eorum novissima appetebat. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* [55]. Volo esse justus, et nolo, quia justitiam appetens iniquitati consentio. *Quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate?* Aut *quis consensus Dei cum idolis* [56]*? Nemo potest duobus dominis servire* [57], nemo potest iniquitati et justitiæ consentire. Si motum peccati sentis, et consentis, non esuris justitiam, imo injustus es, et iniquus, si sentis, et contradicendo dissentis: pes tuus in via recta est, et credo quod justitiam esuris, ut secure possis dicere cum Propheta: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* [58]! Pugna quidem magna est

A inter sensum et consensum, inter carnem et spiritum. Ideo Apostolus sentiens, et non consentiens, dicit se facere malum, et non operari illud. *Quod nolo*, inquit, *malum*, *facio*, id est, per concupiscentiam facio; et: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* [59]. Apostolus hac inextricabili perplexitate ligatus clamare compellitur: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* [60]*?* Idem nos consolatur, et dicit: *Si Christus vos liberaverit, vere liberi eritis* [61]. *O Domine, libera animam meam, misericors Dominus et justus* [62]. Tu es justitia, redemptio et salus nostra. *Dic animæ meæ: Salus tua ego sum* [63]. *Sana animam meam, Domine, quia peccavi tibi* [64]. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* [65]*? Omnes* enim *justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ* [66].
B Ideo turbatus est a furore oculus meus. Anima mea turbata est valde, unde et verba mea dolore plena sunt valde. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me* [67]? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est tibi* [68]? Et tu homo, miserere tui, miserere animæ tuæ placens Deo. Si vis misereri tui, omnes miserias evasisti. Miserator etiam et misericors Dominus talem se tibi exhibebit, qualem te tibi et proximo tuo exhibere volueris. Miserere animæ tuæ, ut non dicatur de te: Sterilem pavit, et viduæ bene non fecit. Omnis siquidem inique agens, crudelis et impius est animæ suæ. Nam *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [69]: exerce misericordiam et beatitudinem apud Deum. *Beati* enim *misericordes*,
C *quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

SERMO XLVI.

IN EODEM.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur [70].

Verbum Jacobi [71] est: *Judicium sine misericordia illi erit, qui non fecit misericordiam. Sane misericordia Dei superexaltat judicium.* Verbum Sponsæ est: *Meliora sunt ubera tua vino* [72]; *misericordiam*, inquit, volo, *et non sacrificium* [73]. *Dimitite, et* dimittetur vobis [74]. *Si non remiseritis* ex corde, *Pater* vester *cœlestis* non dimittet vobis [75]. Verbum Salomonis est [76]: Homo homini servat iram, et in homine simili sibi non servat misericordiam. *Serve nequam*, dicit Dominus, *omne debitum dimisi tibi,*
D *quia rogasti me. Nonne oportuit te misereri conservo tuo, sicut et ego tui misertus sum* [77]? Paulus ad Ephesios: *Omnis amaritudo et indignatio tollatur a vobis*, ut sitis *misericordes, donantes* commissa *invicem* [78]. Recole misericordiam Joseph in fratres

[48] Prov. 31. [49] Judic. 16. [50] Psal. 118. [51] Eccli. 24. [52] Luc. 22. [53] Psal. 16. [54] Matth. 5. [55] Num. 23. [56] II Cor. 6. [57] Matth. 6. [58] Psal. 118. [59] Rom. 7. [60] Ibid. [61] Joan. 8. [62] Psal. 144. [63] Psal. 34. [64] Psal. 40. [65] Psal. 129. [66] Isai. 64. [67] Psal. 41. [68] Jer. 8. [69] Psal. 10. [70] Matth. 5. [71] Cap. 2. [72] Cant. 1. [73] Matth. 9. [74] Luc. 6. [75] Matth. 18. [76] Eccli. 28. [77] Matth. 18. [78] Ephes. 4.

suos [79], misericordiam Moysi si populum contentiosum, incredulum et rebellem; misericordiam David in Saulem [80], et Absalon et Semei [81], et aliorum qui fuerunt misericordiæ viri et nullum qui misericordiam fecerit invenies periisse. Est autem misericordia intercessionis, ut in Samuele pro Saule; in Daniele, in Moyse pro populo Israel. *Dixit* enim *ut disperderet eos, si non Moyses* stetisset *in confractione, in conspectu ejus, ut averteret iram suam ne disperderet eos* [82]. Est misericordia consolationis, sicut dicit Job [83]: *Eram*, inquit, *mærentium consolator; oculus fui cæco, pes claudo. Pater eram pauperum, quia ab infantia mea crevit miseratio mecum, et de utero matris meæ mecum egressa est.* Est etiam et misericordia correctionis, sicut ad Galatas [84] scribit dicens: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne et tu tenteris.* Misericordia usque ad inimicum se porrigit sicut scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* [85]. Paulus ad Romanos [86]: *Benedicite persequentibus vos, et nolite maledicere, nulli maledictum pro maledicto reddentes.* Et idem: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi* [87]; nam et Christus pro crucifixoribus suis oravit. Cum duo sint filii Rachelis, id est, duo opera charitatis, sex sunt filii Liæ, id est sex opera misericordiæ, quæ Dominus enumerat in Evangelio: *Esurivi, et dedisti mihi manducare; sitivi, et dedisti mihi bibere* [88]. Ista sex opera misericordiæ eleemosyna comprehendit. Eleemosyna enim est quidquid homo per compassionis affectum necessitatibus alienis impendit. Ecclesiasticus dicit: Absconde *eleemosynam in sinu pauperis, et* ipsa *orabit, pro te*, et liberavit *ab omni malo* [89]. *Aqua exstinguit ignem, eleemosyna* culpam [90]. In Luca [91] scriptum est: *Qui habet duas, tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter.* Martinus [92] supererogavit, qui suam pauperi chlamidem dimidiavit. Ipse etiam totam tunicam et unicam pauperi dedit, cui archidiaconus suus aliam pro quinque denariis emit. Quidquid pauperi datur, Domino commodatur, ipse enim est pauperum fidejussor. Beatus autem *homo qui miseretur et commodat* [93]. Si dispergis bona tua, et effundis in pauperes, justitiam tibi in æternum constituit et justitiæ fructum. Scriptum est enim: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* [94]. Eremita spoliatus a prædonibus, et in semiunciis ambulans seminudus, interrogatus quis eum spoliasset, respondit: Codex iste cœlestis docens omnia esse danda pauperibus. Cui cum diceretur quia adhuc aliquid haberet, ipsa semiuncia pauperi dedit. Paulinus Nolanus episcopus non tantum sua dedit, sed et se ipsum in servitutem pro filio viduæ pauperis concessit, et tradidit. *Et ego*, inquit Apostolus, *superimpendar pro animabus vestris* [95]. Si non ponis animam tuam pro anima, pone saltem bona tua temporalia pro te ipso. Fac tibi *amicos de mammona iniquitatis* [96]. *Honora Dominum de tua substantia* [97]. *Omni petenti te tribue* [98]. Non exspectes ut pro te mortuo fiant eleemosynæ, quas vivus fecisse debueras.

Eleemosyna viventis lumen est ante faciem incedentis. Eleemosyna vero post obitum, quasi lucerna post tergum. Eleemosyna lumen est animæ, si tamen cum hilaritate animi fiat: *hilarem enim datorem diligit Deus* [99]. Unde Apostolus ad Corinthios: *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate* [100], sed ex voluntate. *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi* [1]. Voluntarie, non coacte; nam, qui ex coactione officii, sive famæ, vel rei temporalis obtentu eleemosynam facit, non est ei sors, neque pars in eleemosynæ fructu. Forsitan æqualis est corvo qui pascebat Eliam, et viduam. Verbum Pauli est: *Non quæro datum, sed requiro fructum* [2]. Vis audire eleemosynæ fructum? *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus* [3]. Liberat et conservat, vivificat et beatificat, juxta verbum filii Syrach: *Eleemosyna viri quasi* sacculus *cum ipso, et ei gratiam conservabit* [4]. Eleemosyna siquidem oculos cordis purificat et emundat. *Date*, inquit Lucas [5], *eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* Sane munditia cordis ipsa est in sanctimonia, *sine qua nemo videbit Deum* [6]. Eleemosyna vero mundat oculos cordis, et aperit ad videndum. *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

SERMO XLVII.

DE EODEM FESTO.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [7].

Sex sunt opera misericordiæ, sicut diximus, quæ hominem purificant et emundant. Nonne hæc opera sunt sex hydriæ in Galilæa positæ ad purificationem Judæorum? Aqua mundat, eleemosyna mundat, fides mundat: *Fide*, inquit, mundans *corda eorum* [8]. *Beati* autem *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nonne vita æterna est videre te Deum, et quem misisti Jesum Christum? Beati, Domine, quid te viderunt et in te crediderunt, spe

[79] Gen. 45. [80] I Reg, 24. [81] II Reg. 16. [82] Psal. 105. [83] Cap. 29. [84] Cap. 6. [85] Matth. 5. [86] Cap. 12. [87] Ibid. [88] Matth. 25. [89] Eccli. 29. [90] Eccli. 3. [91] Cap. 3. [92] Sulpitius *in cujs Vita.* [93] Psal. 111. [94] Ibid. [95] II Cor. 12. [96] Luc. 16. [97] Prov. 3. [98] Luc. 6. [99] II Cor. 9. [100] Ibid. [1] Psal. 53. [2] Phil. 4. [3] Psal. 40. [4] Eccli. 17. [5] Cap. 11. [6] Hebr. 12. [7] Matth. 5. [8] Act. 15.

non re. Nam et mundi corde hodie te vident, nec tamen beati sunt; vident sed per speculum, et in ænigmate [9], et quasi sub nube. Erit tempus quando videbunt te facie ad faciem in splendoribus sanctorum [10], gloria et honore coronatum [11], non in diademate majestatis tuæ, sed quasi unigenitum a Patre plenum gratiæ et majestatis. Tunc exsultabimus et gaudebit cor nostrum [12]; tunc erit Sabbatum de Sabbato; tunc erit in ore hominum canticum novum [13], et vox quasi lætantium omnium. Ibi sicut Christus splendor et figura substantiæ Dei, sic apparebit in figura Dei et gloria majestatis. O custos hominum et redemptor noster, *ad te levari oculos meos* [14], oculos scilicet cordis mei. *Sicut* enim *oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad* te, Domine, *donec* miserearis *nostri* [15]; Verumtamen *turbatus est a furore oculus meus* [16]; *dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* [17]. Non possum videre faciem tuam nisi oculo mundi cordis. *In* immunditiis *concepit me mater mea* [18]; et: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es* [19]? *Cor mundum crea in me, Deus* [20], *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* [21]. *Tibi dixit cor meum; exquivisit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* [22]. *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram* [23]? *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo*[24]? *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum* [25]. Tu es funiculus hæreditatis meæ [26], *portio mea in terra viventium* [27]. In terra, quæ promittitur mitibus; in terra consolationis, quæ lugentibus offertur; in regno cœlorum, quod patientibus et pauperibus datur; in hæreditate sanctorum, et pace filiorum Dei; in pace *Dei, quæ exsuperat omnem sensum* [28], quæ filios Dei consortes beatitudinis facit. *Beati* enim *pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.*

SERMO XLVIII.

IN EODEM.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur [29].

Non est Deus dissensionis, sed pacis, qui pacificavit in sanguine unigeniti Filii sui quæ in cœlis, et quæ in terra [30]. Qui enim motus interiores dacificant in servitutem et in obsequium Christi, qui D cum proximo pacem habent, qui fratres ad pacem reconciliant, super istos pax Domini requiescit et requies Dei vocandi sunt. *Pacifici* enim *filii Dei vocabuntur. Inquire* ergo *pacem et persequere eam* [31], *sunt reliquiæ homini pacifico* [32]. Vis videre reliquias

A hujus pacis? Hanc pacem sequitur pax æterna, et utramque pacem dat Dominus. Sicut scriptum est: Pacem super pacem dabit Dominus. Utramque pacem evidenter insinuat ubi dicit: *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis* [33]. Premat mundus, premat corpus, impugnet diabolus. Si pacem habeas cum proximo ad Deum, et cum Deo ad proximum; si facias quod Apostolus ad Hebræos monet, discens: *Pacem sequimini cum omnibus hominibus* [34], scias quia Dominus *posuit fines tuos pacem* [35]. In pace factus est locus tuus, et potes dicere confidenter: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* [36]. *Pax* enim *multa*, Domine, *diligentibus* nomen tuum, *et non est illis scandalum* [37]. Duo debemus Deo et proximo: gloriam Deo, pacem proximo. Ideo an- B gelus inter Deum et hominem sapientissime distinguebat discens: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [38]. Summa siquidem sapientia est nihil omnino diligere præter Deum aut propter Deum. Hæc est sapientia Dei pudica, sicut Jacobus [39] dicit: *Sapientia* Dei *primum quidem pudica est, deinde pacifica.* Pudica est in virtutibus se exercens, ut se immaculatum ab hoc sæculo custodiat, et sic fructum æternæ pacis et beatitudinis acquirens. *Dominus* enim *virtutem populo suo dabit, et* sic *Dominus benedicet populo suo in pace* [40]. Testimonio namque Jacobi: *Fructus justitiæ seminatur in pace* [41]; ideoque *justitia et pax osculatæ sunt* [42]. Justitiam et pacem conjungit quasi in uno osculo Paulus: *Justificati* inquit, *ex fide* C *pacem habeamus ad Deum* [43]. Dat Dominus justitiam ut virtutem; pacem vero ut præmium, et benedictionem juxta illud: *Dominus virtutem populo suo dabit; Dominus benedicet populo suo in pace* [44].

Est tamen pax quæ nec est meritum, nec præmium; pax quam Dominus odit, pax scilicet terrenæ voluptatis de qua Dominus dicit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* [45]. Pax enim quæ in deliciis carnis exercetur, pessima est, teste Propheta qui dicit: *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* [46]. *Pax, pax, et non est pax* [47]. Hanc enim pacem momentaneam sequitur amaritudo æterna. *Ecce*, inquit, *in pace mea amaritudo amarissima*[48]. Nam, *cum dixerint pax et securitas*, etc., *repentinus superveniet interitus, et dolor sicut in utero habens, et non effugiet* [49]. Est pax proditoria, de qua scriptum est. *Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem* [50]. Hanc exercuit Joab in Abner et Amasiam, ideo non est scriptus in catalogo fortium. Est pax seductoria, de qua Jeremias: *O Sedecia, viri tui pacifici seduxerunt te* [51]. Pacem tuam,

[9] I Cor. 13. [10] Psal. 109. [11] Psal. 8. [12] Prov. 23. [13] Psal. 39. [14] Psal. 122. [15] Ibid. [16] Psal. 6. [17] Psal. 37. [18] Psal. 50. [19] Job 14. [20] Psal. 50. [21] Psal. 72. [22] Psal. 26. [23] Psal. 72. [24] Psal. 26. [25] Psal. 12. [26] Psal. 104. [27] Psal. 141. [28] Phil. 4. [29] Matth. 5. [30] Coloss. 3. [31] Psal. 33. [32] Psal. 36. [33] Joan. 14. [34] Hebr. 12. [35] Psal. 147. [36] Psal. 4. [37] Psal. 118. [38] Luc. 2. [39] Cap. 3. [40] Psal. 28. [41] Jac. 3. [42] Psal. 84. [43] Rom. 5. [44] Psal. 28. [45] Matth. 10. [46] Psal. 72. [47] Jer. 6. [48] Isai. 38. [49] I Thess. 5. [50] Psal. 40. [51] Jer. 38.

Domine, relinque nobis, pacem tuam da nobis. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis. Impugnat nos mundus, impugnat nos caro, impugnat nos malignus spiritus : expugna, Domine impugnantes nos. Loquere pacem in plebem tuam. Da, Domine, pacem sustinentibus te, sustinuimus et exspectavimus pacem, et ecce turbatio. *Circumdederunt me dolores mortis et pericula inferni invenerunt me. Tribulationem et dolorem inveni* [52]. Quidquid enim sub sole est, tribulatio est et afflictio spiritus [53]. Viator et hospes sum in hæc terra peregrinationis nostræ. Tria vero me de domo ejiciunt, fumus, stillicidium et litigiosa mulier. Amor scilicet mundi, et concupiscentia oculorum, et caro uxor pessima. Vere filius Dei essem, si hæc patienter et pacifice sustinerem et possem dicere cum Propheta : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* [54]. Verum in miseriis non subsistet. Quæ enim fortitudo mea, ut sustineam? Si dederis mihi, Domine, gratiam sustinendi infirmitates meas, sufficit mihi gratia tua. *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* [55]. Infirmus et debilis sum, et irruerunt in me fortes iniqui. Circumdederunt me inimici mei dicentes : *Deus dereliquit eum persequimini, et comprehendite eum, quia non est qui eripiat* [56]. *Domine, vim patior, responde pro me* [57]. Quid enim respondebo cum ipse fecerim? Revera ego tecum sum, feci. Nam et propheta dicit: *Viæ tuæ et iniquitates tuæ fecerunt hæc tibi* [58]. Et quis iniquior mihi quam ego? Quis ita ingeniosus est in mortem meam ? Quis ita, ut ego, quærit animam meam in interitum ? Quis ita cogitat præripere præclaram hæreditatem meam mihi, et repellere pretium meum? Patior, et utinam pro justitia, et non pro iniquitatibus meis ! sed si pro iniquitatibus meis pœnam sustineo, pro me patior, non pro Christo. Princeps apostolorum dicit : *Nemo vestrum patiatur ut fur, aut homicida, aut alienorum appetitor; sed benefacientes et patientes sustinetis, beati* [59]. *Beati* enim *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

SERMO XLIX.

DE EODEM FESTO.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [60].

Omnes virtutes quas in constructione scalæ cœlestis annumeravimus, per patientiam confirmantur.

Nam vidua est virtus quam non patientia firmat.

Patientia siquidem octava ponitur in scala Jacob, et octava redit ad caput. Propterea prima et ultima, A id est voluntaria paupertas, et patientia inter persecutiones regnum cœlorum non in promissione, sicut aliæ virtutes, sed in possessione et proprietate recipiunt. Mites possidebunt terram, lugentes consolabuntur, esurientes saturabuntur, misericordes misericordiam consequentur, mundi corde, et pacifici Deum videbunt, et Dei filii vocabuntur. *Beati* autem *pauperes spiritu*, et *qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Alii immittuntur in exspectationem ; isti statim mittuntur in possessionem hæreditatis æternæ. Pulchre et eleganter sibi conveniunt in merito et præmio patientia et paupertas. Vera enim pro Christo paupertas et vera patientia Christi pauperum. In hoc tamen differt spiritualis pauper a martyre B quia tormenta et cruciatus, quos pauper diutissime sustinet in camino et frixerio paupertatis, recompensantur in martyre compendio momentaneæ passionis Utrobique tamen patientia martyrem facit. Ad martyres dicitur : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* [61]. De pauperibus scriptum est : *Patientia pauperum non peribit in finem* [62]. Hoc est semen bonum, quod cecidit in terram bonam, et fructum affert in patienta [63]. Apostolus in secunda ad Corinthios monet nos ut *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia* [64]. Magna est virtus patientiæ. *Melior est homo patiens*, teste Salomone, *viro forti* [65]. Inæstimabiliter enim melior est qui torquentem patienter sustinet, quam qui patientem crudeliter torquet. Eremita quidam percussus ab arreptitio, ei aliam maxillam pa- C tienter præbuit ; et exiit dæmon clamans : « Sola patienta me vicit, sola patientia me ejecit. » Ubi est, fratres, patientia nostra ? Pro verbo levi irascimur et vindictam irascendo expetimus, et inter molestias satis despicabiles sustinentiam perdimus. Væ autem his qui perdiderunt sustinentiam. Ego ipse mihi testis sum, quia nullam prorsus molestiam ferre possum. Si tamen saperem, ego temporaliter me punirem delicatus, et voluptatibus assuetus, infirmus et impatiens talium. O si me punire, et corripere aut nolo, aut nequeo, aut horreo, tu me, Domine, argue, tu me corripe: Beatus enim homo qui corripitur a Domino. Verba tua sunt : *Ego quos amo arguo, et castigo* [66]. Utinam corripiat *me justus in misericordia* [67], non D in ira, non in furore ! *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* [68]. Ira est in purgatorio, furor in inferno. Sic me corripias, ne corrumpas ; sic emendes, ne destruas, et ne de me dicatur : *Destruxisti eum ab emundatione* [69]. Destructorius potius quam purgatorius mihi erit ille ignis terribilis, si exspectavero eum.

[52] Psal. 17. [53] Eccli. 1. [54] Psal. 119. [55] Psal. 6. [56] Psal. 70. [57] Isai. 38. [58] Jer. 4. [59] I Petr. 4 [60] Matth. 5. [61] Luc. 21. [62] Psal. 9. [63] Luc. 8. [64] II Cor. 6. [65] Prov. 16. [66] Prov. 3. [67] Psal. 140. [68] Psal. 6. [69] Psal. 88.

Quomodo purgavit Dominus filios Levi? *Sedebit* A *enim quasi ignis conflans, et emundans argentum* [70]. Tunc *omnis violenta prædatio eum tumultu, et vestimentum mistum sanguine erit in combustionem et cibus ignis* [71]. Ipse est qui per Joelem dicit: *Mundabo sanguinem eorum qui non mundaverunt* [72]. *Et quis ex nobis poterit habitare cum igne devorante? Aut quis stabit cum ardoribus sempiternis* [73]*?* Melius est hic ardere amore Dei, quam ibi torquere ardore terribili. Hic potes mitigare incendium gehennale pœnitentialibus lacrymis, sicut pueris tribus factus est fornax Babylonis ventus roris [74]. Igne dilectionis ardebat illa de qua dictum est: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [75]. Hoc igne vehementer arserunt patriarchæ, et prophetæ, apostoli, martyres, con- B fessores, et virgines, et cæteri qui in stadio hujus vitæ currentes obtinuerunt bravium, et pro temporali afflictione adepti sunt requiem sine fine.

Et quid facimus, fratres? quare non acceleramus ut ingrediamur in illam requiem? Apostolo teste, vocati sumus ut benedictiones hæreditate possideamus [76]. Nos autem de longe videmus patriam nostram, et de longe salutamus eam: imo, quantum possumus, fugimus, et elongamur ab ea, et pro nihilo habuimus terram desiderabilem. Domine Jesu Christe, scimus quia in domo Patris tui multæ mansiones sunt, ubi parasti sanctis tuis lucidissimas mansiones. Habebit enim unusquisque in æterna gloria locum, juxta suorum exigentiam meritorum. Et nos infelices, ubi erimus? Sane *si iniquitates observaveris, Domine* [76*], si secundum malitias nostras C feceris nobis, scio quia non est nobis pars, neque sors in hæreditate sanctorum. Erimusne cum virginibus, qui computruimus in stercoribus nostris bibentes urinam peccatorum nostrorum? Et quæ conventio lucis ad tenebras, castitatis ad illecebras, munditiæ ad immunditiam? Non habebit ille cum virginibus locum, qui maculavit infinitis luxuriæ sordibus, aut in corpore, aut in desiderio concupiscentiæ corpus suum. Quæ vero potest nobis esse confessio cum confessoribus, et martyribus, et apostolis? Nos enim nec probavit martyrii pœna: nec exercuit pœnitentiæ rigor: nec insignivit vitæ sanctimonia. Quare vix nemo videbit Deum. Non oportet nos cum angelis aliquod exspectare consortium; abominantur enim nos: nam tota conversatio nostra D fetet in naribus angelorum. Restat ergo ut simus cum eo cui servivimus, ut eamus cum maledictione in ignem æternum qui paratus est diabolo et ministris ejus. Exsultabunt sancti in gloria, nos torquebimur in gehenna. Justum enim judicium Dei est, teste Apostolo ad Romanos, ut quos benignitas Dei, et patientia ad pœnitentia non adduxit: secundum duritiam suam, et impœnitens cor, iram reservent sibi in die tremendi judicii Dei [77]. Mittentur ergo impii in tenebras exteriores, ubi umbra mortis et nullus ordo. *Dominus in ira sua perturbabit eos, et devorabit eos ignis. Ponet eos ut clibanum ignis in tempore vultus sui* [78], id est in tempore suæ indignationis et iræ. *Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur* [79]. *Succensus est ignis in furore suo, et ardebit usque ad inferni novissima* [80]. *Ignis sulphur, et spiritus procellarum* [81]: ibi *mors depascet eos* [82]: *ibi erit fletus, et stridor dentium* [83]: ibi erit stridor catenarum ardentium, prementium, urgentium, et non consumentium; ibi, sicut dicit Sophonias, *erit vox clamoris a prima porta, et vox ululatus a secunda* [84]. Sicut enim sancti duplicem stolam glorificationis accipient in anima et corpore, ita diploide, id est duplici confusione animæ scilicet et corporis damnabuntur. Agamus pœnitentiam, fratres, dum licet; tempus enim breve est, finis dubius, judex terribilis, pœna incogitabilis, interminabilis et intolerabilis. A qua nos liberare dignetur per merita sanctorum omnium qui in sanctis suis gloriosus est Jesus Christus. Amen.

SERMO L.

DE UNO CONFESSORE.

Dilectus Deo et hominibus beatus Moyses cujus memoria in benedictione est [85].

Si fructum divinæ dilectionis attendimus, fructus æternæ salutis est, et lignum vitæ apprehendentibus eam. Hæc est enim charitas, de cujus radice bona universa procedunt; inter cujus fructus computatur *gaudium, et pax in Spiritu sancto* [86]. Uberrima est hæc arbor; unde si aliquis ei impenditur ad culturam, idipsum multiplicato fœnore fructum recompensat. Nam si Deum diligimus, plus ab eo diligimur. *Mensuram* enim *bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem* dabit *in sinum vestrum* [87]. Dilectio siquidem vestra, quasi scintillula ad comparationem illius effusæ et abundantissimæ charitatis divinæ. Si Christum ad dilectionem prævenire volumus, ipse anticipat vias desideriorum nostrorum, et dilectionis suæ gratia nos præcurrit. Nam ab eo est si eum diligimus, et ut eum diligamus sua nos dilectione prævenit, *non quia priores dilexerimus eum* dicit Joannes, *sed quia prior dilexit nos* [88]. Prior diligit nos, qui in benedictionibus suis ubique nos prævenit, sed divinæ dilectionis irrefragabile quærimus argumentum. Deus, Dei Filius, animam suam pro nobis posuit, cum *majorem dilectionem nemo habeat, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [89]. Hæc dilectio fortior fuit quam vita, quia vitam abstulit; fortior fuit quam mors, quam etiam destruxit qui mortis habebat imperium, et mortem omnino absorbuit et delevit. Præter hanc generalem et communem dilectionem, in qua et per quam *vult Dominus om-*

[70] Malac. 3. [71] Isai. 9. [72] Joel. 3. [73] Isai. 53. [74] Dan. 3. [75] Luc. 7. [76] I Petr. 3. [76*] Psal. 129. [77] Rom. 2. [78] Psal. 20. [79] Isa. 66. [80] Deut. 32. [81] Psal. 10. [82] Psal. 48. [83] Matth. 8. [84] Soph. 1. [85] Eccli. 45. [86] Gal. 5. [87] Luc. 6. [88] I Joan. 4. [89] Joan. 15.

nes salvos fieri, et ad agnitionem sui nominis *venire* [90] : est alia dilectio, infusio scilicet gratiæ et infusæ conversatio. Hæc est quæ hominem dilectum Deo facit. Certissime autem constat eum a Deo diligi qui Deum diligit, et quoniam dilectionis probatio est exhibitio operis [91], constat denuo quia is Deum diligit qui Dei mandata custodit. *Si quis diligit me*, ait Dominus, *sermones meos servabit* [92]. *Diligamus*, dicit apostolus, *non verbo, vel lingua, sed opere et veritate* [93]. Ideo procul dubio Deum diligit, qui odit ea quæ Deus odio habet, scilicet iniquitatem et vanitatem, et hujusmodi. Sicut scriptum est : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem* [94]. Et illud : *Odisti observantes vanitatem supervacue* [95]. Hac dilectione ductus et tractus Apostolus omnia quæ in mundo fuerant ei lucra, propter Christum arbitratus est detrimenta [96]. In charitate itaque radicatus dicebat : *Quis me separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius* [97] ? Primum in dilectione Dei est odire malum et diligere bonum. Porro nemo diligit Deum, nisi prius odio habeat malum. *Qui diligitis Deum*, dicit Propheta, *odite malum* [98]. Sed hoc non sufficit ; exigitur enim ut sermones et mandata diligat, et diligendo custodiat. Unde Propheta : *Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi ; et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi nimis* [99]. Multi siquidem certissime sciunt utrum Deum diligant ; sed an a Deo diligantur ignorant. *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* [100] ? Quis scit de seipso si sit dignus amore vel odio [1] ? Paulus apostolus, licet constantissime dicat : *Certus sum quia nihil me separabit a charitate Dei* [2], ipse tamen quasi suffragia intercessionis alienæ mendicans, *Obsecro*, inquit, *vos per Dominum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus sancti, ut adjuvetis me orationibus vestris* [3]. *Judicia Dei abyssus multa* [4]. Quibusdam misericors est quos odit, quosdam vero diligit quibus videtur iratus. *Miseremur*, inquit, *impio, et non discet facere justitiam* [5]. Miseretur impiis, ut cum hominibus non flagellentur, et dimittit *eos secundum desideria cordis eorum*, ut eant *in adinventionibus suis* [6], ut apponant iniquitati ad iniquitatem ; ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc* [7]. *Verumtamen*, Domine, *propter dolos posuisti eis*, allisisti *eos dum allevarentur* [8]. Præparant sibi stulti et infelices in istis præsentibus miseriis sententiam iræ interminabilis, et mortis æternæ judicium. Ideo dicit Sapiens : *Prosperitas stultorum perdet eos* [9]. Vere stulti qui Dei misericordias non dijudicant, et iram futuri judicis non attendunt. De ira dicit Propheta : *Quis novit*

A *potestatem iræ tuæ* [10] ? De miseriis etiam dicit: *Quis sapiens et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini* [11] ? Ille siquidem qui in veritate Deum diligit, nam ipse est qui a Deo diligitur, inter iram et misericordiam Dei oculo perspicaciore discernit ; scit quia *flagellat Deus omnem filium quem diligit* [12] ; et ideo cor suum deliciis aut divitiis, si affluant, non apponens, omne gaudium existimat cum in varias tentationes inciderit. Iste procul dubio et electus et dilectus est a Deo ; sed cum dicatur dilectus a Deo, quare apponitur et hominibus ? Quid sibi vult isti conjunctio dilectionis divinæ et humanæ ? *Quæ conventio lucis ad tenebras* [13], vitæ ad mortem, salutis ad confusionem ? Nonne *qui hominibus placent confusi sunt,*
B *quia Deus sprevit eos* [14] ? Quid est favor humanus, nisi ventus urens, aer pestilens, et aura corrumpens ? Quid est hominem dilectio, nisi occultum Dei odium ? Latro insidians, *coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro* [15]. Homo siquidem gratiæ captator humanæ, juxta verbum Job, ponitur *super ventum* [16], et sic *vir vanus erigitur in superbiam* [17] ; sed omnia merita ejus modico flatu favorabilis auræ in nihilum disperguntur. Ipse etiam tanquam ascensor superbiæ, devolvitur in præcipitium et ruinam. Porro sicut fides, quæ per dilectionem operatur, dilectum Deo facit ; sic mansuetudo, sive lenitas hominem hominibus amabilem reddit ; ut a Deo per dilectionem sanctificetur, et ab hominibus pro mansuetudine et lenitate sua tanquam sanctus Domini diligatur.
C Sicut scriptum est : *In fide et lenitate sanctum fecit illum Dominus* [18]. Dilectio ergo Dei modis omnibus quærenda est ; dilectio vero hominum quærenda quidem non est, sed si oblata fuerit, rejici dedignanter aut contemni non debet ; cum ipsa Veritas dicat : *Sic* luceant *opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [19] ; quatenus quod de Unigenito Dei Filio dicit, etiam de adoptivo dicatur : *Pater clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te* [20]. Apostolus id ipsum consulere et monere videtur : *Providentes*, inquit, *bona, non solum coram Deo, sed coram hominibus* [21]. Deo quidem displicere non credo, si quis hominibus placeat, mansuetudinis obtentu vel intuitu sanctitatis. Nam ipse, qui est factor hominum ac redemptor, quo-
D rumdam faciem, ita quodam placore, quadam hilaritate favorabili serenat, ita quodam cœlesti dono dicta et facta eorum gratificat, ut corda hominum sibi concilient ipso visu, et his quasi angelis humani favoris reverentia impendatur. Deo igitur debemus fidem, hominibus lenitatem : fidem cujus condimentum sit dilectio ut, diligendo Deum, ab eo dili-

[90] I Tim. 2. [91] D. Greg. hom. 30 *in Evang.* [92] Joan. 14. [93] I Joan. 3. [94] Psal. 5. [95] Psal. 30. [96] Philipp. 3. [97] Rom. 8. [98] Psal. 96. [99] Psal. 118. [100] Rom. 8. [1] Eccle. 9. [2] Rom. 8. [3] Rom. 15. [4] Psal. 35. [5] Isai. 26. [6] Psal. 80. [7] Apoc. 22. [8] Psal. 72. [9] Prov. 1. [10] Psal. 89. [11] Psal. 106. [12] Hebr. 12. [13] II Cor. 6. [14] Psal. 52. [15] Gen. 49. [16] Job. 30. [17] Job. 11. [18] Eccli. 45. [19] Matth. 5. [20] Joan. 17. [21] Rom. 12.

gamur, in lenitate vero et mansuetudine exemplar et forma vivendi aliis existamus. Sane lenitas in homine notabilis est, nisi aliquo sale rigoris condita sit. Unde et in Heli lenitas damnata est. Ideoque cum Magister veritatis diceret : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [22], ut sale humilitas condiretur, præmisit salem habere in nobis. De fide illud dicimus, quia cum *justus ex fide* vivat [23], fides non vivificat, sicut mortificat, nisi socia dilectionis existat. Multi enim credunt, sed fides eis potius est ad mortem. Nam, cum dæmones credant et contremiscant ; isti deteriores infidelibus et dæmonibus credunt, sed non diligunt ; credunt et omnino contemnunt. Ideoque in die iræ sibi thesaurizant terribile judicium, et qui modo non timent, etc , *ab auditione mala non* timebunt [24], pro abysso malitiæ suæ habituri ignis causa timoris et horroris abyssum, et pro contemptu damnationis æternæ supplicium. Quam a nobis avertere dignetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI.

IN EODEM FESTO.

Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab [25].

Sponsa in Cantico amoris, scilicet Ecclesia, Redemptori conqueritur de quadrigis Aminadab, quod non sint in ea reverentiæ et honores qui debuerant. Aminadab interpretatur *spontaneus*, id est Christus, qui pro nobis sponte morti se obtulit. *Oblatus est enim quia ipse voluit* [26]. Hujus aurigæ quatuor evangelistæ intelliguntur, qui verbum salutis olim per quatuor partes mundi publice deferentes fructum fecerunt multiplicem, et de semine verbi Dei multiplices manipulos justitiæ retulerunt. Conqueritur ergo Ecclesia quod hodie alligatum est verbum Domini in ore prædicatorum, plicatus est liber, et hi quibus commissa erat annona Dominici verbi, frumenta abscondunt in populis, et evenit verbum illius lamentatoris prophetæ : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* [27]. De his quadrigis, et de rotis earum dicium est in Ezechiele [28]. Quia erat *earum similitudo* una *quasi* esset *rota in medio rotæ*, in quo notatur quod unum Testamentum alteri Testamento est simile et conforme. Nam sicut in Veteri Testamento erant præcepta judicia et promissa, sic et in Novo. Sicut unus ibi Legislator et multi ministri : sicut ibi duodecim prophetæ ex una parte, et ex altera quatuor ; sic in tempore gratiæ sub Christo, LXXII discipuli sunt constituti, XII apostoli, IV evangelistæ, quorum testimonio tam septuaginta duorum, quam XII prædicatio firmaretur, et scriptis generaliter publicaretur. Isti quatuor in Ezechiele et in Apocalypsi Joannis per quatuor animalia designati sunt. Matthæus præfiguratus est per hominem, quia ejus intentio in Evangelio est circa Christi humanitatem : unde et ab ejus temporali generatione assumit evangelicæ narrationis initium. Marcus leoni assimilatur, quia circa Christi resurrectionem specialiter versatur. Unde in die Resurrectionis Evangelium ejus in Ecclesia recitatur. Lucas significatur in vitulo, quia circa narrationem Passionis specialiter intendit. Vitula enim hostia sacerdotalis est, unde et a sacrificio incipit. Joannes designatur per aquilam, quia divinam generationem quasi tuba incomprehensibilis theologiæ intonat. Cæteris gradientibus in terra cum Christo ; ipse tanquam aquila, imo plus quam aquila omnibus cæteris altius volat. Et licet singuli speciales et proprias intentiones habeant circa Christum, quadripertita tamen est singulorum intentio ; dum de Christi Nativitate, Passione, Resurrectione et Ascensione loquuntur. Ideoque et hæc animalia quatuor facies habere videntur. *Erant*, inquit, *quatuor facies uni* [29]. Vel ideo dicuntur habere quatuor facies, quia de illo tractant, illum prædicant, qui quatuor illas facies in se ipso complevit. Ipse namque est homo nascendo, vitulus patiendo, leo resurgendo, aquila ascendendo.

Conturbata est ergo sponsa pro *quadrigis Aminadab*. Non est qui faciat verbum evangelistæ, non est qui annuntiet pacem populo, qui evangelizet bona, qui verbo et exemplo instituat ad æterna [30]. O quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, sed non omnes obediunt Evangelio : imo vel pauci vel nulli. Cum enim Evangelium doceat mundum contemnere, paupertatem diligere, vitam præsentem odio habere, cœlestia et æterna tantum quærere ; nos Evangelium postponentes, et derelictis quadrigis Aminadab quæ ducunt ad vitam, currimus in curribus Pharaonis ad mortem. Currus Pharaonis multiplices sunt ; quos in hac regione nostra sæpius invenire possumus, et videre. Est currus malitiæ, currus luxuriæ, currus avaritiæ, currus superbiæ, currus invidiæ. De aliquibus dicamus, ut in eorum forma aliorum formentur exempla. Currus malitiæ habet quatuor rotas, sævitiam, impatientiam, audaciam, impudentiam. Veloces sunt rotæ istæ in malum, velox est currus iste ad effundendum sanguinem. Currus luxuriæ quatuor habet rotas : ventris ingluviem, immunditiæ libidinem, vestis mollitiem, soporis et otii resolutionem. Rotæ quibus avaritia trahitur, sunt tenacitas et rapacitas, sollicitudo habendi et timor perdendi. In omnibus istis curribus temones sunt Dei contemptus, et oblivio mortis. Alios currus de exercitu Pharaonis sibi potest formare ad libitum diligentia singulorum Isaias [31] : *Multiplices sunt ejus equi et innumerabiles quadrigæ ejus*. Verumtamen quia scriptum est : *Hi in curribus et hi in equis* ; *nos autem in nomine Domini Dei nostri* [32]. Omissis curribus Pharaonis in quibus est animarum perditio, revertamur ac qua-

[22] Matth. 11. [23] Hebr. 2. [24] Psal. 111. [25] Cant. 6. [26] Isa. 53. [27] Thren. 4. [28] Cap. 10. [29] Cap. 1. [30] Rom. 1. [31] Cap. 2. [32] Psal. 19.

drigas Aminadab, in quibus est salus, sicut prophe- A ta dicit : *Quis ascendet super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio* [33]? Sicut habet Pharao currus suos, sic suos equos suasque quadrigas habet vester Aminadab. Nonne quadrigam faciunt justitia, prudentia, temperantia, fortitudo? Nonne hic est currus et quadriga Eliæ? Istam quadrigam trahunt non solum quatuor evangelistæ, sed quatuor status religiosorum, incipientium, proficientium, currentium, pervenientium. Vultis videre quadrigas nostri Aminadab, euntes ad vitam æternam adeo multiplices sicut sunt quadrigæ in nundinis. Una quadriga est devotio, oratio, lectio, meditatio. Alia quadriga est cordis contritio, oris confessio, peccati satisfactio, delicti evitatio. Est et alia quadriga odium mundi, contemptus sui, compassio Christi, amor Dei. Sed B et fides Incarnationis, Passionis, Resurrectionis et Ascensionis unam quadrigam amplissime tibi faciunt. Est alia forte augustior, puritas conscientiæ, asperitas vitæ, humilitas obedientiæ, austeritas disciplinæ. Si sacræ Scripturæ volumina circa inquisitionem talium diligenter revolvantur, prius deficeret lingua quam verba. Sed quid est quod dicitur, quia Spiritus vitæ erat in rotis, nisi quia vita æterna est in evangelistarum Scripturis? Ideo animalia ibant et non revertebantur; quia spretis temporalibus ad cœlestia suspirantes, nequaquam iterum ad terrena revertuntur. Nam qui semel ad aratrum manum misit, si retro respiciat, indignum se judicat regno Dei [34]. Ideo eorum quæ retro sunt oblitus, dicit Apostolus [35], ad anteriora me extendo. Hoc C hodie nos erudit et informat exemplo currus et auriga veri Israel beatus Matthæus, qui semel vocatus a Domino, et de teloneo assumptus, non iterum ad vectigalia et ad opera mundana reversus est [36]. Et si Petrus post conversionem ad usum piscatoriæ artis redierit; iste tamen ad mundanæ occupationis angustias, et ad vomitum prioris vitæ non rediens, nobis conversionis exemplum et formam exhibuit in perseverantia sanctitatis. *Ibant*, inquit, *animalia, et non revertebantur* [37]. Certe partem cum istis animalibus non habetis, si postquam exivistis de Ægypto hujus sæculi, iterum affectatis allia et pepones Ægypti. Porro multi sunt qui cum sint mundo mortui, tracti affectione parentum, et si non pedibus, tamen affectibus ad sæculum revertuntur. Seductrix illa pessima et blandissima adulatrix paren- D tum affectio, multos in æternæ perditionis foveam trahit, dum amor qui in eis mortificatus erat, occasione parentelæ iterum reviviscit. Sic ergo primam fidem irritam facientes amant in aliis, quod in se odio habent; et amorem carnis obumbratæ charitatis imagine palliantes pro amicis et domesticis suis ponunt stulte et creduliter animas suas. Amicis et domesticis suis dico; sed *inimici hominis domestici*

ejus [38]. Vellet enim amicus et domesticus ille, ab ipsis sustentationem usurpares tibi aliquid prium, suo tantum desiderio satisfacere voler æternum tuæ animæ dispendium non attend Unum tibi dico : si quid proprium habes, jam habes aliquid commune cum Christo. Reco quia mortuus es mundo, et parentibus tuis et plantatus similitudini mortis Christi. Tuam erg tam, quæ abscondita est cum Christo, in Deo perdere pro eis, quia de tua perditione non cu dummodo a te qualitercunque quod volunt obtin Vocavit vos Dominus de Ægypto hujus sæcul mari hujus mundi, de medio pravæ ac perv nationis. Nolite ad eam recurrere; nam rec iste, recursus ad inferos. Vocavit vos Domin medio Babylonis, de Ur Chaldæorum, de tel Matthæi. Agnoscite vocationem vestram et per rate in ea : non Matthæus ad teloneum, nec v deatis, fratres, vel facto, vel desiderio in Ægyp Scio quia de partibus illis frequenter veniunt phes et ranæ et musca Ægypti gravissima. No quæso, non ille esus carnium vos subvertant : memores vocationis vestræ. *Veni*, inquit Dom *vocare peccatores ad pœnitentiam* [39]. Matthæus dicto aut edicto potius causam dedit. Omnes dem peccavimus, et egemus gratia Dei [40]. *Si dixerimus quod peccatum in nobis non est, no ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* quis confidat se habere mundum cor? Cum o bene fecerimus, decit apostolus, dicere deb quia *servi inutiles sumus* [42]. Nam, juxta prophe *omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstrua* Quid autem dicam de nobis sæcularibus, qui sa rum conversionem audimus et videmus assid in nullo conterimur aut movemur? *Hodie*, dici minus, *si vocem meam audieritis, nolite obd corda vestra* [44]. Nos vero more *aspidis surdæ e turantis aures suas ad* vocem Christi obsurd mus [45], et obturamus aures nostras, ne audi bonum. Non possumus causari quod Dei grati bis desit; sed ipse causari potest quod ejus g nos desumus, et quoties vocat nos ad salutem, dimus cordis oculos, et ei vertimus humerum dentes. Desidero tamen frequenter omnia reliq pro Christo, omnia fecisse vellem, et affecto fr obedientiæ et jugum voluntariæ paupertatis. In habeo quod ex toto convertar; sed hinc soci sillanimitas, hinc amica carnis affectio, hinc d ambitio me distrahunt, et a proposito convers et sanctæ conversationis avertendo perver Scienter itaque desipio, et prudenter pereo, pravi est differre salutis propositum et pœniten prolongare usque in extremæ vitæ articulo mortis æternæ periculum.

Scio quia *terribilis est Dominus in judiciis*

[33] Hab. 3. [34] Luc. 9. [35] Phil. 3. [36] Matth. 9. [37] Ezech. 1. [38] Matth. 10. [39] Matth. 9. [40] I 3. [41] I Joan. 1. [42] Luc. 17. [43] Isa. 64. [44] Psal. 94. [45] Psal. 57.

hominum [46], et tamen ejus judicia districta, et A
ta vel non timeo, vel timere dissimulo. Nonne
mulat qui vulneratus ad mortem, salutarem
uit medicinam? Medicina peccatorum pœniten-
st. De hoc Salomon dicit : *Medicinam creavit*
simus, et stulti despiciunt eam [47*]. Nonne cognati
nici nostri singulis fere diebus subito casu ra-
itur ad mortem? *Tendit* in eos Dominus *arcum*
n, et in eo paravit vasa mortis [47*], dans nobis si-
icationem ut fugiamus a facie arcus. Nos autem
lominus sequentes vanitates et insanias falsas,
amus, ædificamus, congregamus, non atten-
es vocem illam tonitrui terribilis, et tubæ judi-
s: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te.*
præparasti cujus erunt [48]? O fons misericordiæ,
sericordia, o bonitas, o benignitas, Deus, ne dere- B
uas me, trahe me post te; pedem movere non pos-
, quia *infixus sum in limo profundi* [49]; oneratus
n sum, *quia iniquitates meæ supergressæ sunt caput*
m [50], confido tamen quia si me traxeris, cur-
in odorem unguentorum tuorum [51]. Si ad nu-
s quæ paratæ sunt intrare aut nolo, aut nequeo,
e, benignissime Jesu, *compelle intrare* [52], quia si
te non intravero, intrare non possum. Qui vivis
gnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

rusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus partici-
ejus in idipsum [53].

iplioiter accipitur Jerusalem, civitas illa san-
aria, quæ occidit prophetas, de qua dicitur:
capit perire prophetam extra Jerusalem [54]; quam C
it Dominus in signum et portentum omnibus
atibus, in argumentum iræ et indignationis suæ,
lem oneris, lapidem offensionis in gentibus. Est
rusalem Ecclesia militans, quæ habet taberna-
m suum sub sole, et militat in terris. De ista di-
r : *Surge, illuminare, Jerusalem* [55]. Est et Je-
lem triumphans Ecclesia congregata ex angelis
piritibus beatorum. De ista dicit : *Jerusalem*
sursum est, libera est, quæ est mater nostra [56].
etiam et Jerusalem quarta, modica et exilis,
, licet non sit civitas, tamen est ut civitas.
que et illam intelligo, quando scriptum est :
salem, quæ ædificatur ut civitas. Nec enim vere
ivitas, quæ est *ut civitas*, nec vero castrorum
s, quæ est *ut castrorum acies ordinata* [57]. Potius D
lomus quam civitas, et vere domus, quia *domus*
et porta cœli [58]. Si autem domus Dei est, videte
er eam transeat incircumcisus et immundus.
um tuam, Domine, decet sanctitudo [59]. Domus
locus iste ad hoc Deo dedicatus et sanctifica-
est, ut in ipsa placabiles hostiæ offerantur Deo.
empore placationis factus est locus iste custo-

dia gratiæ, et devotionis accepta oblatio, *et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio* [60]. Locus iste volentibus commorari in eo, domus est orationis, domus refectionis, domus requietionis. Orationis sicut scriptum est : *Domus mea domus orationis vocabitur* [61]; domus refectionis : unde dicitur : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* [62]. Habitantes reficiuntur *non ex solo pane, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei* [63].

Locus requietionis est; nam super habitatores ejus loci Spiritus Domini requiescit. *Super quem*, inquit, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et mansuetum et trementem ad verba mea* [64]? Hic est locus requietionis Jacob. Legitur in Genesi, quia cum Jacob egressus de Bersabee, pergeret in Haran, volens in nocte quiescere, supposuit lapidem capiti suo, et vidit scalam in somnis et angelos ascendentes et descendentes, et Dominum innixum scalæ. Cumque evigilasset, ait : *Vere Dominus est in loco isto* [65]. Jacob *supplantator*; Bersabee *puteus abyssi et desperationis.* Profectus Bersabee pergebat in Haran, quod interpretatur *sublimis;* sed iterum quiescit et dormit in loco, qui dicitur Bethel, id est *domus Dei.* Hæc est forma viæ et vitæ nostræ; qui egressi sumus de puteo interitus, de puteo iniquitatis et desperationis, de quo justus orat *ut non urgeat super eum puteus os suum* [66]. Sic et Abraham quandoque egressus est de Ur Chaldæorum [67], de potestate dæmonum, et incendio vitiorum. Dormitis in transitu hujus vitæ, *inter medios cleros* [68], inter duas sortes, inter mundanam vitam quam fugitis, et supernam quam quæritis. Est inter vos qui dormit et quiescit. Sed terrena sapientia æternæ retributionis præmia non attendit. De quiete istius dictum est : *Viderunt eum hostes, et deriserunt Sabbata ejus* [69]. Angelos autem aspicit qui non in terra, sed in lapide adjutorii caput ponit. Qui in terra dormit, qui in terrenis sepultus est, neque corde, neque oculo vidit. Qui autem in lapide Christo quiescit, oculis quidem dormiens corde vigilat, et angelos videre meretur. *Ego*, inquit, *dormio, et cor meum vigilat* [70]. Qui autem in terra dormit, quia terrenis occupatus est, oculos clausos habet, sicut in Ezechiele scriptum est : *Terra autem sit ad fenestras, et fenestræ clausæ* [71]. Vos, dilectissimi fratres, qui exivistis de Bersabee, de puteo mundanæ malitiæ ut veniatis in Haran, id est in excelsum, in loco estis in quo luctatus est Jacob. Vos autem pugnare et luctari oportet, non solum adversus aerias potestates nequitiæ in cœlestibus, sed etiam adversus angelum Dei. De Jacob siquidem, cujus imitatores estis, scriptum est quia contra Deum fortis fuit; Deum siquidem luctando tenebat, dicens : *Non dimittam te, nisi benedixeris*

Psal. 65. [47] Eccli. 38. [47*] Psal. 7. [48] Luc. 12. [49] Psal. 68 [50] Psal. 37. [51] Cant. 1. [52] Luc. 14.
sal. 121. [54] Luc. 13. [55] Isai. 60. [56] Gal. 4. [57] Cant. 6. [58] Gen. 28. [59] Psal. 92. [60] Eccli. 44.
atth. 21. [62] Psal. 62. [63] Matth. 4. [64] Isai. 66. [65] Gen. 28. [66] Psal. 68. [67] Gen. 11. [68] Psal. 67.
hren. 1. [70] Cant. 5. [71] Ezech. 41.

mihi [72]. Quod autem cum Domino, et non cum angelo luctatus sit, ex verbis Domini patet. *Cur*, inquit, *quæris nomen meum*, quod est mirabile? Et Jacob: *Vidi Dominum facie ad faciem* [73]. O felix lucta! O desiderabilis pugna, quæ fructum benedictionis extorsit! Si nervus femoris tangitur, non est curandum. Utinam non solum nervus femoris, unde propago generationis erumpit; sed totum corpus adeo desiccetur et mortificetur, ut moles corporea sensum multa cogitantem non deprimat, sed spiritus a terrenis et carnalibus liber in Haran, id est, in sublime ascendat! Gloriatur Deus in lucta hominis. Non est lucta, quando quis orat et effundit quasi aquam cor suum et, tamen Deus orationem suam repellit ad tempus, ut ille fortius compungatur. Ille iterum importune invadit Dominum, et fortius apprehendens dicit: *Non dimittam te donec benedixereris mihi*. Stettit Moyses in confractione adversus Dominum, et tenuit manum ejus ne deleret Israel [74]. Ideo Jeremias deplorans non esse similem Moysi: *Fortior*, inquit, *Domine*, *tu fuisti et nvaluisti* [75]. Et alibi: *Aporiatus est Dominus, quia non est vir; et non est qui occurrat ei* [76]. Sed et Dominus per Ezechielem; *Quæsivi*, inquit, *virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, et non inveni* [77]. Et alibi: *Non est qui exsurgat et teneat me* [78]. Accingimini ergo virtute, et estote filii fortitudinis; rapite per volentiam regnum cœlorum: nam a tempore *Joannis regnum cœlorum vim patitur* [79]. Vos igitur si fortiter in incœpto agone contenditis, non solum rapietis regnum cœlorum, sed ipsum regem cœlorum. Tot vulneribus confossus est, tot flagellis afflictus, tantum sanguinis per sudorem, per verba, per lanceam, per clavos emisit, quia cum esset *speciosus forma præ filiis hominum* [79*], jam non est in eo species neque decor. Sed et illa charitas adhuc durat, quæ illum vicit et exinanivit usque ad mortem. Non poterit vobis resistere, si imitatores fueristis illius charitatis. Si diligitis Christum sicut dilexit vos, permittet se vinci, et gaubedit se et regnum suum capi. Gaudebitis et vos, *sicut qui lætantur in messe, sicut victores, capta præda, quando dividunt spolia* [80], recipientes mercedem laborum vestrorum in cælesti Jerusalem, visionem supernæ pacis visionem, apprehensionem et benedictionem illius, qui est vita æterna Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIII.

DE SAPIENTIA MULTIPLICI.

Beatus vir, qui in sapientia sua morabitur, et qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei [81].

Multi quæsierunt sapientiam et non invenerunt; multi invenerunt et non tenuerunt. *Beatus autem qui in sapientia morabitur*. Salomon invenit sapientiam, sed non est moratus in ea, qui per feminas alienigenas alienatus a sapientia insipiens factus est. Sed et Philosophie sapientiam invenerunt; nec in sensu cogitaverunt circumspectionem Dei. *Qui cum Deum gloriæ cognovissent, non sicut Dominum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et dati sunt in sensum reprobum servientes potius creaturæ quam Creatori* [82]. Summa sapientia est quam mundus iste stultitiam reputat, sapientiam Christi, imo sapientia Christus est: *qui*, juxta Apostolum, *factus est nobis a Deo* non solum *sapientia*, sed *justitia, et sanctificatio, et redemptio* [83]. Ideo Paulus sapientiæ hujus scholis addictus: *Nihil*, inquit, *arbitratus sum me scire, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum* [84]. Bonum est inquirere et tenere hanc sapientiam, quæ est sanctificatio et redemptio. Cum omnis alia sapientia sit inflatio et perditio, hujus scholæ discipulus esse non potes, *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus*: imo *qui non odit patrem et matrem et animam suam, non est me dignus* [85]. Bone Jesu! *quid fecisti nobis sic* [86]? Moyses attulerat onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt [87]. Sperabamus quia veniens alleviares onera nostra, et nunc aggravas manum tuam. Nonne satis erant graves manus Moysi? Venisti ut scorpionibus nos cædas? Quæris materiam irascendi nobis, et perdendi nos. Nonne tu es Jesu Salvator, et non perditor? Quare præcipis quod non possum? patrem videlicet et matrem, et animam meam odio habere et diligere inimicum? *Durus est hic sermo, et quis potest ipsum audire* [88]? Ad alias scholas irem, et alium magistrum mihi eligerem: sed audio Petrum respondentem, et pro se et pro aliis: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* [89]. Si fingis laborem in præcepto, et duritiam in sermone, tamen scio quia *magna* est *multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te* [89*].

Ergo sperabo in te, cujus non potest sapientia falli, potentia vinci, benevolentia fatigari, charitas minui. Si flagellaveris, si combusseris, si secueris, si occideris me, sperabo in te, Domine: dummodo adjuves me et doceas facere voluntatem tuam, fac tantum, Domine, signum in bonum, ut quæram te, et sperem in te. Bonus enim es sperantibus in te, animæ quærenti te [90]. Scio quia qui tibi serviunt non sunt onerati, imo, honorati, quia *nimis honorati sunt amici tui, Deus*. Scio quia omne jugum servitutis acceptum est in memoria dulcedinis tuæ, juxta verbum Isaiæ dicentis: *Computrescet jugum a facie olei* [91]. Fratres, sanctus iste cujus hodie

[72] Gen. 32. [73] Ibid. [74] Psal. 105. [75] Jer. 20. [76] Isai. 59. [77] Ezech. 22. [78] Isai. 64. [79] Matth. 11. [79*] Psal. 44. [80] Isai. 9. [81] Eccli. 14. [82] Rom. 1. [83] I Cor. 2. [84] Cor. 2. [85] Luc. 14. [86] Luc. 2. [87] Act. 15. [88] Joan. 6. [89] Ibid. [89*] Psal. 30. [90] Thren. 3. [91] Isai. 10.

memoria in benedictione est, nec in schola philosophorum, nec in libraria Justiniani sapientiam, quæsivit, eam tamen invenit, et in sapientia morans, eam verbo et exemplo docuit, et quasi stella in firmamento cœli præ cunctis doctoribus nostri temporis gloria et honore fulsit. Ita, Domine, promiseras per Danielem, et sic implevisti in isto : *Qui docti*, inquit, *fuerint*, *fulgebunt sicut splendor firmamenti*, *et qui ad justitiam erudiunt multos*, *quasi stellæ in perpetuas æternitates* [92]. *Sermo* siquidem *ejus vivus*, *et efficax; et penetrabilior omni gladio ancipiti* [93], tanto lepore dulcedinis, tanta gratia urbanitatis et suavitatis enituit, ut, eo loquente, non videretur homo, sed angelus loqui. Omnia etiam ejus scripta facultatem humanæ inventionis excedunt, et potius digito Dei quam humano ingenio dictata et scripta fuisse credenda sunt. Iste a pueritia sapientiam quæsivit, et affluens prudentia circumspectionibus et miraculis coruscavit. Ipse tanquam Dominicæ vineæ strenuus cultor, *in sanctitate et justitia coram ipso*, *omnibus diebus vitæ* suæ [94], nullam diei horam ducens vacuam, de virtute in virtutem, de gradu in gradum perfectionis ascendens, diem sanctificationis in se plenissime consummavit. Sicut de eo et consimilibus scribit Salomon in Proverbiis : *Justi semita quasi lux splendescens procedit*, *et crescit usque ad perfectum diem* [95]. Laxemus itaque, fratres, et resolvamus linguas nostras in laudem Domini, qui mirificavit hodie sanctum suum. Scimus quia bravium sui cursus assecutus est ; et ad portum navigans feliciter introivit in potentias Domini, in abyssos lucis æternæ. Ideoque nos ei congaudere oportet, qui de labore ad præmium, de mœrore hujus sæculi ad gaudium transiit angelorum. Licet anima ejus, dum sapientiam quærebat, soleret in hujus peregrinationis exsilio devota meditatione penetrare cœlos, supernas mansiones intrare, diversitates amœnitatum circumspicere, salutare patres, prophetis, apostolis, martyrum choris, et confessorum contemplationis vehiculo interesse, omnia tamen per speculum, et in ænigmate tunc videbat. Nunc autem revelata facie in splendoribus sanctorum, videt eum quem angeli concupiscunt, et in sapientia quam quæsierat, quam affectaverat in hujus corporis ergastulo positus, solutus vinculis carnis, juxta desiderium animæ suæ contemplando moratur. *Beatus*, inquit, *qui in sapientia morabitur* [96]. Nunc eum secure beatum dicere possumus, qui dum peregrinaretur a Domino, dubium erat quem exitum esset habiturus. Et quis in hac terra dissimilitudinis de præmio vitæ æternæ potest esse securus ? Quis scit si est dignus amore an odio ? Quis scit quid crastina pariat dies ? Mirabili enim arte et mirabiliori charitate ita gratiam suam di-

A spensat Altissimus, ut quos diligit dubios de dilectione sua semper efficiat, ut quanto sunt incertiores, tanto sint humiliores. *Beatus* enim *qui semper est pavidus* [97]. Nunc mittit dura et aspera ; nunc indulget blanda et prospera, visitat diluculo et subito probat, nunc mortificat, nunc deducit ad inferos, nunc reducit, nunc pauperem facit, nunc ditat, nunc humiliat, nunc sublevat. Et in his omnibus suæ proventum gratiæ operatur. Dicit tamen Paulus : *Bonum certamen certavi*, *cursum consummavi fidem servavi. Reposita est mihi corona justitiæ*, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* [98]. Ideo etiam dicit : *Certus sum quia nihil me separabit a charitate Dei* [99]. Sed certe Paulus erat, et ad tertium cœlum raptus fuerat, qui sic
B confidenter loquebatur, ipsi licebat dicere : *Vivo ego jam non ego*, *vivit vero in me Christus* [100]. Ita Christo adhæserat, ut esset unus Spiritus cum eo ; ipse tamen quasi reprobari timeret a Domino, alibi dicit : *Castigo corpus meum*, *et in servitutem redigo*, *ne cum aliis prædicaverim*, *ipse reprobus efficiar* [1]. Job quem non reprehenderat cor suum in vita sua, de vita æterna securus, et de hac incertitudine loquens. *Scio*, inquit, *quia in carne mea videbo Deum Salvatorem meum* [2]. Idem etiam dicit : *Quantus ego sum qui respondeam Deo* [3] ? Si habuero quidpiam justum non respondebo, sed meum Judicem deprecabor. Et cum invocantem me exaudierit, non credo quia audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, et sine causa non concedet requiescere spiritum meum. Manifeste videtis quia cer-
C titudo illa, quæ in Paulo et Job convalescit ad tempus, in eisdem ad tempus evanescit. *Qui* ergo *stat*, *videat ne* præsumat et *cadat* [4]. Et quis præsumeret habere mundum cor ? Omnes justitiæ nostræ *quasi pannus menstruatæ* [5]. Cum omnia bene fecerimus, dicere debemus quia *servi inutiles sumus* [6]. Breves dies hominis sunt; paucitas dierum meorum finietur brevi ? Et *novit* solus *Dominus qui sunt ejus* [7] : sed in proximo veniet dies, et illuminabuntur abscondita cordium, et videbit unusquisque utrum sit dignus amore an odio. Videre quod vos Dominus inveniat in sapientia commorantes. Summa sapientia est non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, sed Christum diligere, Christo servire, et in hac servitute gratissima et fructuosa
D libenter, efficaciter, fideliter ac finaliter permanere. Sic fecit et docuit Paulus; sic fecit et docuit Bernardus : quorum sitis imitatores, si beatitudinis eorum vultis esse participes ! Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus, qui est benedictus in sæcula sæculorum : Amen.

SERMO LIV.

DE SACRIFICIO ALTARIS.

Teste Apostolo, qui secundum legem offerun

[92] Dan. 12. [93] Hebr. 4. [94] Luc. 1. [95] Prov. 4. [96] Eccli. 14. [97] Prov. 28. [98] II Tim. 4. [99] Rom. 8. [100] Gal. 2. [1] I Cor. 9. [2] Job. 19. [3] Job. 9. [4] I Cor. 10. [5] Isai. 4. [6] Luc. 17. [7] II Tim. 2.

munera, exemplari et umbræ cœlestium offerunt [8], Christus autem melioris testamenti mediator est, melioris dico sicut ab eodem Apostolo sumpto de Jeremia propheta testimonio demonstratur. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum illorum, ut educerem illos de terra Ægypti* [9]. Testamentum diversis modis accipitur in sacro eloquio, voluntas, et ordinatio testatoris. Unde Apostolus: *Hominis testamentum nemo spernit, aut superordinat* [10]. Et alibi: *Testamentum in morte confirmatur* [11]. Dicitur etiam testamentum colligatio impiorum, juxta illud: *Adversus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ* [12]. Dicitur etiam testamentum promissio Dei, juxta illud. *Disposui testamentum electis meis*, etc. [13]. Et illud: *Memor fuit in sæculum testamenti sui, quod mandavit in mille generationes* [14]. Et testamentum mors æterna, sicut scriptum est in Ecclesiastico: *Memor esto quoniam non tardabit mors* [15]. Et testamentum inferiorum quod demonstratum est tibi. Christus autem statuit testamentum pacis in sangine suo, et per hoc testamentum delevit testamentum inferorum. Sicut per Isaiam dicitur: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit* [16]. In Veteri Testamento quatuor principalia erant: promissa, judicia, præcepta, sacramenta. Hæc omnia mutata sunt. Promissa mutata sunt: Ibi promittebatur abundantia frumenti, vini et olei, sicut scriptum est: *Dedit*, inquit, *possessiones gentium, et labores populorum possederunt* [17]. Hic non terrena substantia vel gloria promittitur, sed æternas hæreditas. A Christo enim paupere *pauperes evangelizantur: Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [18]; et: *Væ vobis, divites, qui habetis hic consolationem vestram* [19]. Quibus dictæ sunt promissiones, *defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes super terram, et confitentes quia peregrini sunt et hospites* [20]. Mutata sunt judicia: in Veteri namque Testamento temporales pœnæ transgressoribus intentabantur. Nunc autem dicitur: *Qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum* [21]. Mutata sunt et præcepta, quia cum lex neminem adduceret ad perfectum, remanentibus moralibus præceptis, ut, Honora patrem tuum, etc., cærimonialia quæ solam figuram veritatis habebant observata, spiritualiter ad litteram sunt deleta. Facta est in sacramentis mutatio, quia, teste Apostolo, *non poterant, juxta conscientiam, perfectum facere servientem in cibis, et potibus, et variis baptismatibus* [22], significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam. Talia ergo oportuit esse sacramenta, in quibus esset significatio veritatis et veritas significationis. In promissis amor suggeritur, in judiciis timor incurritur, in præceptis vita geritur, in sacramentis Christi gratia figuratur et datur. *Lex* quidem *per Moysen data est; veritas autem per Jesum Christum* [23]. Si ergo Christus veritas, imo quia ipse est veritas; si in Christum credimus, credamus et Christo. Ipse enim est qui dicit: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* [24]; ipse est manna reficiens, ipse est agnus qui immolabatur et manducabatur in lege: ipse enim se nobis obtulit in cibum et pretium, qui patres nostros reficit in manna; in pane nos reficit, et impletur in eo quod scriptum est: *Novis supervenientibus vetera projicietis, et vetustissima veterum comedetis* [25]. Vetera sunt sacrificia veteris legis, quæ offerebant Aaron, et filii ejus jugulantes filios arietum, effundentes sanguinem vitulorum et hircorum. Vetustissima autem veterum fuerunt panis et vinum oblata a Melchisedech figurantia sacramentum Christi, de quo juravit Pater: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Mechisedech* [26]. Novis ergo supervenientibus projicienda erant legalia, et vetustissima veterum comedenda, ut panem angelorum manducavit homo, sicut a diebus antiquis paravit in dulcedine sua pauperi Deus. Naturæ nostræ susceptio panis est quo pascimur. Christus enim nostræ carnis fenum convertit in frumentum, ut nos cibaret ex adipe frumenti. Factus est nobis panis, quia cor hominis in corde bono seminandum et multiplicandum, factus est nobis granum frumenti, confirmat panis ad hujus miseræ vitæ consolationem, ad laboris viæ sustentationem; panis in verbo doctrinæ, panis in exemplo vitæ, panis spiritualis gratiæ, panis interminabilis gloriæ. *Hoc est*, inquit, *novum testamentum in sanguine meo* [27]. Hoc testamentum nobis in morte Christi confirmatum est, ut et nos complantemur similitudini mortis ejus, ut mundo moriamur, et vita nostra abscondatur cum Christo in Deo meo. Super hoc testamento ordinanda sunt sacrificia, ut totus homo hostiam viventem, et Deo placentem se offerens, imprimis offerat sacrificium pœnitentiæ. *Sacrificium*, inquit, *Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* [28]. Secundum sacrificium est exhibitio misericordiæ, quod propter præeminentem sui elegantiam non sacrificium, sed justitia vocatur a Domino. *Misericordiam*, inquit, *volo, et non sacrificium* [29]. Quod enim hoc sacrificium sit justitia, habes ex eo quod dicitur: *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* [30]. Et cum de eleemosynarum sacrificio loqueretur: *Videte*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* [31]. De hoc sacrificio scriptum

[8] Hebr. 8. [9] Ibid. [10] Gal. 3. [11] Hebr. 9. [12] Psal. 82. [13] Psal. 88. [14] Psal. 104. [15] Eccli. 14. [16] Isa. 28. [17] Psal. 104. [18] Matth. 3. [19] Luc. 6. [20] Hebr. 11. [21] Joan. 5. [22] Hebr. 9. [23] Joan. 1. [24] Joan. 6. [25] Levit. 26. [26] Psal. 109. [27] Luc. 22. [28] Psal. 50. [29] Matth. 9. [30] Psal. 112. [31] Matth. 6.

est: *Sacrificate sacrificium justitiæ* [32]. Est tertium quod totum est in adipe et pinguedine, quod de medullis animæ, et de interioribus cordis omnino procedit. Hoc est sacrificium laudis, honorificum lunæ. Propheta hoc ferre sacrificium desiderans, de pinguedine cordis, et de affluentia charitatis: *Sicut adipe*, inquit, *et pinguedine repleatur anima mea* [33]. Primum refertur ad me, secundum ad proximum, tertium ad Deum. Omnia tamen ad Deum refero, et offero propter Deum. Si tamen volumus super testamentum Christi offerre sacrificia, una est ordinatio et nuntius, in ea est ordo, scilicet ut sicut præcipimur cogitatus nostros jactare in eo, sic et fidem sacrificiorum jactemus in ejus verbo. Credat homo potius Christo quam sibi, ut sit cum Deo creditus spiritus ejus, abneget ipsum et sequatur Christum spe, fide; nam ipse est *via, veritas et vita* [34]. *Scio*, dicit Apostolus, *cui credidi, et certus sum* [35]. Et ejusdem verba hæc sunt: *Quicunque comederit panem hunc, et sumpserit calicem hunc indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Christi* [36], tam in verbis magistri quam in verbis discipuli audis et intelligis corpus Christi. Nihil ergo in hoc, aut in aliis sacramentis hæsites; sed firma cor et fidem tuam in verbo illius, cujus verbo cœli firmati sunt, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LV.

AD SACERDOTES.

Qui ex Dei est, verba Deo audit [37].

Verba accipienda sunt cum effectu. Non enim sufficit audire, et non facere. Nam qui audit et non facit, surdus auditor est. *Qui audit me*, dicit Sapientia, *non confundetur* [38]. Et Jacobus: *Estote*, inquit, *factores verbi, et non auditores tantum* [39]. Audire enim et non intelligere; vel intelligere et non facere, negligere est. *Intellectus* enim *bonus omnibus facientibus ea* [40]. Nec enim aut intellectus, aut memoria quidquam prodest, nisi sit ad faciendum. *Et memores*, inquit, *fuerunt mandatorum ejus ad faciendum ea* [41]. Melior est operis auditio quam auris. Verbum quidem audiri oportet, ut fides vel aliud opus virtutis veniat ex auditu. *Fides* autem *ex auditu; auditus autem per verbum Dei* [42]. Quidam autem habent aures et non audiunt [43]; non enim habent aures audiendi, sed negligendi.

Ideo frequenter Dominus in Evangelio dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat* [44]. *Qui ex Deo est*, etc. Consulat unusquisque vestrum conscientiam suam, si ex Deo est; nam si ex Deo non est, verba Dei audire non potest. Quidam sunt ex Deo, quidam ex mundo, quidam ex diabolo. *Ego ex Deo exivi et veni in mundum*, dicit Dominus [45]. Et ad discipulos: *Si de mundo fuissetis, mundus utique quod suum est,*

A *diligeret* [46]. Et ad Judæos. *Vox ex patre diabolo estis* [47]. Ex Deo est qui Deo adhæret. *Qui adhæret* inquit, *Deo, unus, spiritus est cum illo* [48]. Quia vero mundus et diabolus societatem iniverunt, quicunque est de mundo, ipse est ex patre diabolo. Isti duo aures animæ aggravant, ita ut audire non possit. Unde et Propheta ad animam loquens, quæ jam aliquantulum obsurduerat: *Audi*, inquit, *filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* [49]. Nam qui terrena sapiunt, aures aggravatas habent, et verbum Dei audire non possunt. Vos ergo qui jam non estis de mundo, qui jam renuntiastis diabolo, et pompis ejus, et quia ex Deo estis, verba ejus auditis; si tamen verba Dei operibus adimpletis. Videte tamen quia *Deus non*
B *irridetur* [50], recolite quid in vestra conversatione promiseritis Deo. Cavete ne ædificetis excelsa Tophet et Jerusalem in sanguinibus [51]. Qui semel egressus, est de Ægypto, si appetit allia et pepones Ægypti; si ad mundum quem evomuit, revertitur; reædificat suam Jericho, et moritur suus primogenitus, quia meritum suæ primæ conversionis exstinguitur. De talibus dicit Dominus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum* [52]. Vertitur ergo spiritus in carnem, cœlum in terram, aurum in scoriam, oleum in amurcam. Qui erat angelus, et cœlestis, factus est terrenus, carnalis et animalis. Ecce Jebusæus noster pessimus, noster impugnator, homo interior, terrenus, animalis, carnalis. Terrenus est qui de terra est et de terra loquitur: terram sapit,
C terram lingit, nec a terrenis divelli poterit, *donec fodiatur peccatori fovea* [53]; donec qui terra est, revertatur ad terram [54]. De hoc homine terreno dicit Apostolus: *Primus homo de terra, terrenus; secundus de cœlo cœlestis* [55]. Et iterum: *Sicut ergo portavimus imaginem terreni hominis, ita portemus imaginem cœlestis* [56]. Imago terreni hominis est prævaricatio Adæ, per quem vanitati similes facti sumus, quærentes vanitates et insanias falsas [57]. Sic *homo vanitati similis factus est* [58]; sic *in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur* [59]. Stultus est terrenus iste, qui cœlum videre non potest. *Oculi* enim *sapientis in capite ejus* semper [60], *oculi stulti in finibus terræ* [61]. Iste Dei sui oblitus se totum ad terrena effundit. In persona hujus hominis loquens ille propheta lamentator: *Effusa sunt*, inquit, *in terram*
D *viscera mea* [62]. Carnalis nomen suum aliunde sortitur, non a terra, sed a carne. Iste Chusan Rasathaim et Eglon et Jabim, et Madian, et cæteris oppressoribus populi Dei diu sub tributo servivit, quia sub peccato se venundedit [63]. Pro minimo mihi est ut ab homine judicet, aut ab humano die. Lucebat olim ille filius iræ; ille filius perditionis, qui de cœlo corruit. Unde et lucifer vocabatur nunc

[32] Psal. 4. [33] Psal. 62. [34] Joan. 14. [35] I Tim. 2. [36] I Cor. 11. [37] Joan. 8. [38] Prov. 24. [39] Jac. [40] Psal. 110. [41] Psal. 102. [42] Rom. 10. [43] Psal. 134. [44] Matth. 11. [45] Joan. 16. [46] Joan. 15. [47] Joan. 8. [48] I Cor. 6. [49] Psal. 44. [50] Gal. 6. [51] Jer. 7. [52] Gen. 6. [53] Psal. 93. [54] Eccle. 12. [55] I Cor. 15. [56] Ibid. [57] Psal. 39. [58] Psal. 143. [59] Psal. 38. [60] Eccle. 2. [61] Prov. 17. [62] Thren. 2. [63] Rom. 7.

autem noctifer sive tenebrifer. Qui si arsisset, nullo unquam tempore cecidisset. Hujus vestigia sequuntur qui potius eligunt lucere quam ardere; religiosi apparere quam esse; sed ardebunt igne illo *qui præparatus est diabolo et angelis ejus* [64]; cujus flamma non exstinguetur, cujus fetor occidit, cujus ardor mortificat; mori tamen eum qui patitur, non permittit; a quo nos avertat Sanctus ille sanctorum qui hodie mirificavit et magnificavit in terris sanctum [65] Jesus Christus miserationes ejus. Quidam focarias habent, quidam alienis uxoribus abutuntur; sic...

Trahit sua quemque voluptas [66].

Sed illud pessimum est quod suam malitiam non occultant; imo incontinentiam suam publicis potationibus et commessationibus prædicant et obstentant. Cum scriptum sit: *Ne ascendatis in Galgala et in Bethaven ne ingrediamini* [67], id est peccati vestri turpitudinem ne revelelis. Corpus Christi est pretium animæ, thesaurus indeficiens, inæstimabilis, impollutus, inconsumptus, incorruptus. Hoc thesauro emuntur cœlestes divitiæ, possessio gloriæ, regnum infinibile, pax interminabilis, inconcussa securitas et æternitas vitæ. Hic est *panis vivus qui de cælo descendit* [68], et dat vitam mundo. *De hoc non habent edere potestatem, qui tabernaculo deserviunt*, sicut dicit Apostolus ad Hebræos [69], id est qui deserviunt corpori et curam carnis in desideriis agunt. Væ igitur illis, quibus corporis Christi dispensatio credita est, si non est præcisus umbilicus eorum, si non dijudicant corpus Christi, si non honorant Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Judex vivorum et mortuorum Christus Jesus patienter non sustinebit, quia tam irreverenter et ignominiose tractatur. Sed quia Pater unicum Filium inæstimabili et ineffabili charitate diligit, unigeniti sui contumeliam et injuriam indignatione et zelo terribili vindicabit. Ecce duo fermenta: fermentum avaritiæ et luxuriæ; alterum quo malitiose agitur contra proximum, alterum quo nequiter agitur contra Deum et hoc fermentum est malitiæ et nequitiæ. Sequitur de melle, quod in sacrificio reprobatur. Est autem mel in sacrificio, prælatorum nimis blanda et dissoluta remissio. Est autem remissio cauta et circumspecta, et est remissio stulta et dissoluta. Remissio cauta fructuosa est, qua prudenter defertur potestatibus hujus mundi, et maxime regi tanquam præcellenti. Nam omnis potestas a Domino Deo est [70]. Hæc pacem Ecclesiæ fovet. Hæc regnum et sacerdotium unum facit. Hæc sua benignitate et lenitate obtinet quod nec per minas, nec per sententias extorqueret. Hæc est remissio sive lenitas, in qua nec Deus nec homo offenditur, et in qua fides debita Deo et homini exhibetur. De hac fide et de hac lenitate scriptum est: *In fide et lenitate sanctum fecit illum* [71]. In hac remissione aut potius in hoc melle fel correctionis absconditum est. Nam hæc remissio in sua lenitate zelum, et in blanditiis suis aculeum habet. Eo tempore opportuno ex adverso ascendit, et opponit se murum pro domo Israel; et ubi verius diligit, ibi severius corrigit eos qui ignorant et errant [72]. Hæc est quæ dicit regi apostata, vocat duces impios, et non accipit personas principum; nec cognoscit tyrannum, cum decertaverit contra pauperem. Vos itaque, fratres, quorum officium est placabiles hostias offerre Altissimo, longe faciatis a vobis fermentum malitiæ et nequitiæ. Abjicite mel adulationis aut dissolutæ remissionis, mel mundanæ dilectionis et deceptoriæ voluptatis. Custodiat unusquisque vas suum in sanctificatione et honore, ut non vituperetur ministerium vestrum, ut verbo et exemplo reddatis commissum vobis *populum acceptabilem Domino, sectatorem bonorum operum* [72*]. De animabus enim populi reddituri estis rationem in die tremendi judicii, pro perditione illorum, confusionis et mortis æternæ sententiam subituri; pro salute vero illorum coronam immarcescibilem, et æternam atque ineffabilem gloriam adepturi. Quam vobis præstare dignetur, qui vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVI

AD EOSDEM.

Ignis semper ardebit in altari; quem sacerdos nutriet per singulos dies, subjiciens ligna [73].

Inter universa servitutis obsequia, quæ Deo potest impendere humana devotio, nihil est quod Deo acceptius esse possit quam ut diligatur a nobis ipse qui est veritas, et in veritate nos diligit. Bene, et secundum misericordiam et mansuetudinem suam magnam in veritate vult diligi, qui et in suis dilectionibus et benedictionibus nos prævenit, sicut Joannes evangelista commemorat: *Non quia*, inquit, *dileximus eum; sed quia prior dilexit nos* [74]. Hoc est, quod inter primitias legalis observantiæ primum, et summum mandatum dilectionis instituit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totis viribus tuis* [75]. Hanc dilectionem tenuit, monuit, exhibuit, qui pro nobis animam suam posuit [76]. *Majorem hac*, inquit, *dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [77]. Hanc dilectionem conservavit et finaliter observavit: *Cum enim dilexisset suos, usque in finem dilexit eos* [78]. Vidit Dominus quia ignis hujus dilectionis, qui accensus fuerat in parentibus antiquis, et in nobis exstinctus fuerat, nec remanserant nisi carbones desolatorii, venit ut ignem hunc accenderet in altario cordis nostri. Carbones itaque succensi sunt ab eo qui dicit: *Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat* [79]? In altaris

[64] Matth. 25. [65] Psal. 4. [66] Virgil. [67] Ose. 4. [68] Joan. 6. [69] Cap. 13. [70] Rom. 13. [71] Eccli. 54. [72] Job. 34. [72*] Tit. 2. [73] Lev. 6. [74] I Joan. 4. [75] Matth. 22. [76] Joan. 10. [77] Joan. 15. [78] Joan. 13. [79] Luc. 13.

cordis immolatur spiritus contritus, juxta illud : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non* despicit [80]. Hic est ignis qui in altari cordis nutriendus est a sacerdote jugiter; hic est ignis de quo propheta dicit : *Ignis ejus in Sion, et caminus in Jerusalem* [81]. Et Jeremias : *De cœlo misit Dominus ignem in ossibus meis, et erudivit me* [82]. Hunc ignem effodit Nehemias, quem Jeremias infoderat. Legitur in libro Regum [83] quod cum populus Israel in captivitatem Babylonicam transmigrasset, et remansissent paucæ reliquiæ sub Godolia, remansit et Jeremias, qui in valle Josaphat in puteo ignem abscondit, quem post longa temporum curricula Nehemias inquisivit et effodit; sed non invenit, nisi stipites combustos, sicut legitur, et aquam crassam [84]. Aquam illam super altare effudit, et succensus est ignis : hæc est aqua dilectionis, quæ ignem suscitat de carbonibus desolatoriis, et adeo crassa, ut sacerdotis sacrificium pingue fiat, et vocatus est dies Nephar, id est *purificatio* : hunc ignem ad purificationem animarum tenentur sacerdotes accedere et nutrire; verumtamen ad nutrimentum hujus tria necessaria sunt ligna quæ cum aqua crassæ dilectionis, de puteo bonæ conscientiæ producuntur. Sunt itaque tria ligna exemplum sanctæ conversationis : verbum sollicitæ prædicationis, officium devotæ administrationis. Oportet siquidem quod sacerdos sit in conversatione sanctus, in prædicatione sollicitus, in administratione devotus; sanctus, scriptum est enim : *Sancti estote quia ego sanctus sum* [85]. Quomodo enim nisi esset sanctus, aliorum immunditias emundaret? necesse est, dicit Apostolus, ut munda sit manus quæ diluere sordes curat. Videmus hodie sacerdotes cum filiis Heli tenentes fuscinulas carnium [86], et cum mulieribus in atrio tabernaculi excubantes, et *facti sunt equi emissarii*, sunt dicit propheta [87], *unusquisque ad uxorem proximi hinniebat*. Videmus hodie sacerdotes sedentes cum Balthasar in conviviis cum uxoribus et concubinis, abutentes vasis Domino Deo consecratis; sed certe prope est manus illa ultima, et Scriptura terribilis Mane, Thecel, Phares, *numeratum, appensum, divisum* [88]; numerat enim dies sacerdotis, sed et omnia ejus facta in unum sunt, et quasi in sacculo consignata; appendit gratiam quam contulit; et spem, atque fiduciam quam habet, in vitam prolixiorem dissipat et confundit. *Cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus, et dolor sicut in utero habentis, et non effugient* [89], quia juxta Salomonem, *prosperitas stultorum perdet eos* [90]. Qui ignem Jeremiæ debuerant subjicere cum filiis Aaron, ignem alienum subjiciunt; ignem illum de quo Psalmista dicit : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem justitiæ* [91], oculos habent ad munera : pupillo et viduæ non intendunt, non attendunt sententiam maledictionis illius : *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo* [92]! Mulierculas enim, et alias miserabiles personas sine causa in causam trahunt; eas quæ famæ integræ sunt diffamantes, judicantes purgatas, absolventes impias, innoxias condemnantes : *Penetrantes*, inquit, *viduarum domos, captivas ducentes mulierculas oneratas peccatis* [93]. Certe isti solem justitiæ non vident; solum enim oculum sinistrum habent, per quem solem justitiæ videre non possunt. Duo sane sunt oculi hominis, sinister et dexter; sinister temporalibus impenditur, dexter æternis. Sinister est sensualitas, dexter est consideratio æternorum. Sinistro oculo acutissime videmus, prudentes et astuti in acquisitione temporalium, non habentes prudentiam æternorum. Sapientes autem, inquit, sunt ut faciant malum, bona autem facere nesciunt. Isti sunt quibus Naas Ammonites dextrum oculum eruebat, sicut legitur in libro Regum [94]. Naas interpretatur *serpens*, inimicus scilicet, humani generis, qui sic sacerdotum animas excæcat, et ut cæci sint duces cæcorum. Sinistro oculo avaritia tantum vident. Nam de avaritia dicit propheta : *Hic est oculus eorum in universa terra* [95]. In capitulis vestris, ubi corrupti muneribus justitiam justi subvertitis, absolvitis, sicut diximus, impios, innoxios diffamatis, non videntes solem justitiæ. *Convenientibus vobis* sic *in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare* [96]. Ad sacratissimum enim corpus Christi nimis accedit periculose, qui in judicio solem justitiæ non attendit; qui proximum suum aut injuste judicat, aut diffamat inique. Quoties ergo, fratres, convenitis in conventiculis vestris ut alios judicetis, recogitate quia dicitur, judicium vos exspectat. Attendite, quia vita hæc transitoria est et brevis : villicatio vestra vobis onerosa et gravis, administratio ejus difficilis, exitus horribilis, pœna infinibilis. Non dicimus hæc, fratres charissimi, propter vos. Nam inter vos multi sunt qui sanctitatis merito et honesta conversatione præcellunt; sed tamen *inter vos*, sicut Apostolus dicit, *sunt multi imbecilles, et dormiunt multi* [96*]. Nondum enim ventilata est area Domini : adhuc est lilium inter spinas, zizania inter spicas. Hæc de primo ligno quod sacerdos igni subjicit in fomentum. Lignum secundum est verbum sacræ prædicationis, quod maxime pertinet ad officium sacerdotis, *ut si potens in doctrina sana*, dicit Apostolus ad Titum [97], et malis possit contradicere, perversos arguere, et errantibus non consentire. Satis autem bene versa hic consensus, Apostolus certissimam hujus rei assignat philosophiam. Propterea vos non arguitis,

[80] Psal. 50. [81] Isa. 31. [82] Thren. 1. [83] IV Reg. 25. [84] II Mach. 1, 2. [85] Lev. 11, 19. [86] I Reg. 2. [87] Jer. 5. [88] Dan. 5. [89] I Thess. 5. [90] Prov. 1. [91] Psal. 57. [92] Isai. 5. [93] I Tim. 3. [94] I Reg. 11. [95] Zach. 3. [96] I Cor. 11. [96*] II Cor. 11. [97] Cap. 1.

qui eadem sæpius agitis. Cum labia sacerdotum sint Evangelio consecrata, vacant tota die sermonibus otiosis, et fidelibus Christi esurientibus subtrahunt panem vitæ. Nunquam pigritandum, nunquam cessandum est ab exhortatione salubri. Ideo et merito per singulos dies, id est assidue, incessanter. Dies in sacro eloquio sunt virtutes. *Per singulos dies*, dicit Propheta, *benedicam tibi* [98]. Et in Job : *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora ; qui autem noverunt eum, ignorant dies ejus* [99]. Sicut per contrarium peccata sunt noctes, ut in Psalmo : *Lavabo per singulas noctes*, id est per singula peccata confitendo illa, lavabo *lectum*, id est conscientiam meam [100]. Sacerdos itaque per singulos dies igni ligna subjicit, qui exemplo sanctæ conversationis, et verbo sacræ prædicationis subjectos, ad singulas virtutes exhortatur, sicque in cordibus fidelium charitatis ignem accendit. Sequitur lignum tertium, devotæ scilicet administrationis officium. Administratio siquidem sacerdotum, licet exerceatur in multis, in confessionibus, baptismatibus, in unctionibus, in exorcismis ; specialiter tamen consistit in duobus, in psalmodia et celebratione missarum. In his autem semper exigitur humilis, et prompta devotio. Quid prodest psalmus nisi devotione comitetur ; psallere sine devotione, est *quasi æs sonans, et cymbalum tinniens* [1]. *Exsultent et lætentur ommes qui quærunt te, et diligunt salutare tuum* [2] ; sed ipsi non diligunt salutare tuum, cum inordinatæ fiunt tales apocopæ et syncopæ, nec Deo acceptæ sunt hujusmodi synalimphæ. Hieronymus de psalmodia monet, ut ad verbum fiat oratio. Ideoque duo necessaria sunt in psalmodia, intellectus, et cordis immaculati devotio, et tunc non solum angeli, sed Dominus angelorum venit, ac se libentissime interponit, et evenit quod dicitur per Prophetam : *Psallam, et intelligam in via immaculata : quando venies ad me* [3]. *Volo*, dicit Apostolus, *quinque verba loqui sensu meo, quam decem millia verborum in lingua* [4]. In sacrificiis altaris. Ibi magnus ignis devotionis et dilectionis exigitur, quia ibi est tota nostra salus. Certe indevotissimus est sacerdos, qui ibi non conteritur, ubi Filius Altissimi ante Patris oculos immolatur. Sane sacerdos devotus et prudens, dum mensæ divinæ assistit, nihil cogitat, nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. Ponit ante oculos cordis sui Christi humilitatem et patientiam Christi, angustias et dolores ; Christi opprobria, sputa, flagella, lanceam, crucem, mortem devote et sollicite recolit, et se in ipsa memoria passionis Dominicæ crucifigit. Si ergo ei, et pro eo specialiter immolatur, qui se pro nobis corporaliter immolavit : o quam grave, quam periculosum est, fratres mei, administrationis officium, quia non solum de vestris, sed de animabus vobis commissis in die tremendi judicii respondere tenemini ! Et quomodo custodiet conscientiam alienam, qui suam custodire non potest ? Conscientia siquidem abyssus inscrutabilis est, nox obscurissima, et tamen misero sacerdoti, qui hanc noctem suscepit, et in cura reclamatur : *Custos quid de die, custos quid de nocte* [5] ? Quid facturus est sacerdos miserrimus, qui sentit se peccatis oneratum, curis implicitum, carnalium desideriorum fæce infectum, cæcum, curvum, infirmum, mille difficultatibus coarctatum, mille necessitatibus anxium, mille turbationibus ærumnosum proclivem ad vitia, invalidum ad virtutes ? Quid faciet, filius doloris, filius plorationis æternæ, qui nec in se, nec in aliis ignem charitatis accendit ? Certe paratus est in cibum, et consumptionem ignis. *Ignis succensus est in furore Domini, et ardebit usque ad inferni novissima* [6], deputatus est ei locus cum ardoribus sempiternis, paratus est vermis qui non morietur, fumus, vapor, et spiritus procellarum, horror, et caligo tenebrosa, onera catenarum pœnitentium, stringentium, urentium, et non consumentium. A quibus nos liberet ignis ille non consumens, sed consummans ; non devorans, sed illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum ; ipse nos illuminet ad dandam scientiam salutis plebi ejus : quod nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVII.

AD EOSDEM.

In Levitico scriptum est [7] : *Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento erit : nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in sacrificio Domini ; quidquid autem sacrificii obtuleris, sale condies ; in omni oblatione offeres sal.*

Domini mei, de sacrificio vobis loquimur, quia sacrificiorum, de quibus loquimur, vobis cura a Deo commissa est, qui sacra datis et sacrificia offertis : ideo nomen et officium sacerdotum obtinetis. Verumtamen quia munditia evangelica hodie sordes carnificii legalis amovit, spiritualia tamen hodie sacrificia offerunt, qui se et sua simul toto corde Christo impendunt ; pacifica offerunt, qui solliciti sunt, ut pacem cum Deo habeant, ut Christum criminali aliquo non offendant. Bovem offert, qui opera perfectionis aggreditur ; ovem, qui in sua simplicitate Deo placere intendunt ; capram, qui viam pœnitentis arripit : aves vero qui viam charitatis, aut speculam contemplationis ascendit. Ab his omnibus, et aliis sacrificiis quæ multa sunt, longe fiunt, et damnabiliter relegantur fermentum et mel. Sal autem ubique favorabiliter admittitur ; fermentum, cujus admistione tota massa corrumpitur, avaritia est, et incontinentia ecclesiasticorum, quæ subditos perversa imitatione corrumpit. Quid enim faciet laicus simplex, nisi quod patrem suum spiritualem viderit facientem ? In multis notabilis est avaritia sacerdotum, præsertim dum pro quæstu temporali

[98] Psal. 114. [99] Job. 24. [100] Psal. 6. [1] I Cor. 13. [2] Psal. 39. [3] Psal. 103. [4] I Cor. 14. [5] Isai. 21. [6] Deut. 32. [7] Cap. 2.

faciunt se ordinari, dum in spe vilissimæ oblationis sacramenta conficiunt, de cadaveribus litigant, sepulturam et baptismum vendunt, nihil gratis impendentes, sed in universis suam sequentes avaritiam, sicut dicitur per Malachiam : *Quis est in vobis qui claudat ostia mea, et ponat incensum super altare meum gratuito. Non est mihi voluntas in vobis, et munus non recipiam de manu vestra, ait Dominus* [8]. *Et hæc est*, juxta Zachariam, *amphora egrediens ; ipsa est oculos eorum in universa terra* [9]. Isaias etiam de illis dicit : *Ipsi pastores declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam* [10]. Et Jeremias : *A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student, et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum* [11]. De lana igitur ovium, et non de salute solliciti : quod infirmum est, non consolidant ; quod ægrotum, non sanant ; quod fractum, non alligant ; quod periit, non quærunt ; quod abjectum est, non reducunt [12], sed suæ avaritiæ consulentes, peccata populi comedunt, et eos pravæ conversationis exemplo ad deteriora invitant. Sicut Osee dicit : *Peccata populi comedunt, et ad iniquitatem sublevant vias eorum* [13]. Isti, juxta verbum Job, *terræ fructus absque pecunia* comedunt [14], qui percipientes temporalia spiritualia impendunt. Hi qui nihil nisi cœleste sapere debuerunt, terrena tamen sapiunt, quærentes non quæ sursum sunt, sed quæ super terram. Qui cum essent a Deo constituti, testimonio Apostoli loquentis ad Philippenses, sicut *luminaria in mundo, verbum vitæ* [15] contemnentes obstricti sunt terræ domibus iniquitatum, quorum spirituales oculi terrenorum fæce turbati, et obtenebrati sunt, sicut per visionem Ezechielis [16] dicitur : *Terra*, inquit, *usque ad fenestras et fenestræ clausæ*.

Jeremias in persona istorum deplorans hominem interiorem terrenorum concupiscentia dissolutum: *Effusa sunt*, inquit, *in terram viscera mea* [17] ; sed quantum sacerdotibus obest avaritia ? De avaritia clericorum loquens Apostolus ad Hebræos [18], ait : *Sint mores vestri sine avaritia contenti præsentibus*. Clericorum avaritiæ ascribitur quod quotidie fere capitula, sive consilia sua tenent ; quærentes non morum correctionem, sed nummorum extorsionem. Non sit anima mea in judiciis quorumdam, apud quos dissipatur æquitas, et justitia, et judicium non convertitur, sicut Habacuc dicit : *Lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium* [19]. Sed si de exhibitione justitiæ aut pacis reformatione loquantur ; non erit sine novalitate negotium, ab utraque parte exigitur aliquid, et væ parti quæ aliquid non dederit ! De talibus dicit Micheas [20] : *Mordent dentibus, et prædicant pacem ; et si quis non dederit in ore ipsorum quidpiam, suscitant super eum prælium* [21] ; primum aliquid recipit archidiaconus, et deinde officialis aliquid. Sed et decanus, et cæteri causam in

A aliquo sibi faciunt lucrativam ; ut possimus dicere, quia *residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo* [22]. Isti manifestissime ædificant excelsa Tophet [23], viamque sibi præparant ad gehennam. Nam testimonio Job [24] : Ignis corpora eorum comburet qui munera libenter accipiunt. et maxime ubi justitia venalis exponitur, quæ gratis debetur universis et singulis. Væ prælatis Ecclesiæ, si ista non corrigunt ! Unde Amos [25] : *Væ qui opulenti estis, optimates Samariæ !* Capita populorum qui debuerant esse rectitudinis et humilitatis exemplum, in superbia et abusione judicant, imperantes cum austeritate, dominantes in clero, non forma facti gregis in populo. Hæc de avaritia clericorum. Sequitur de
B altera parte fermenti quod a sacramento prohibetur, id est incontinentia : hæc inter omnes pestes vitiorum primipilaria est, quæ fortius nos impugnat ; contra hanc præcingere lumbos nostros, et spiritualibus armis indui nos oportet, ut unusquisque castiget et in servitutem redigat corpus suum [26], sicut Apostolus ad Corinthios scribit : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* [27]. Mundi sacerdotes, quidquid aliis faciant, sibi sacramenta non faciunt, sed se ipsos excæcant ; non se sanctificant, sed maledictioni se subjiciunt. Videamus opera nostra et iniquitates, quibus misericordiam Domini frequenter offendimus, ut cum Jeremia dicere possimus : *Misericordiæ Domini multæ,*
C *quia non sumus consumpti, et quia non defecerunt miserationes ejus* [28]. Quidam focarias habent, etc. *Verbotenus ut in sermone LV usque ad finem.*

SERMO LVIII.

AD EOSDEM.

Dilectus Deo et hominibus N. cujus memoria in benedictione est ; si fructum dictæ dilectionis attendimus, fructus æternæ salutis est, et lignum vitæ apprehendentibus eam. Hæc enim charitas dicitur, de cujus radice bona universa procedunt ; inter cujus fructus computatur gaudium, et pax in Spiritu sancto. Uberrimus est hic ardor ; unde si aliquid ei impenditur ad culturam, id ipsum multiplicato fenore fructuum recompensat, et jam si Dominum di-
D ligimus, plus ab eo diligimur ; *mensuram enim bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem* dabit *in sinum vestrum* [29]. Dilectio siquidem vestra quasi scintillula ad comparationem illius effusæ et abundantissimæ charitatis divinæ. Si ad dilectionem Christi pervenire volumus, ipse anticipat vias desideriorum nostrorum et dilectionis suæ gratia nos præcurrit. Nam ab eo est si ipsum diligimus, et ut cum diligamus, sua nos dilectione prævenit ; non

[8] Malach. 1. [9] Zach. 5. [10] Isai. 56. [11] Jer. 6. [12] Ezech. 34. [13] Ose. 4. [14] Job. 31. [15] Phil. 2. [16] Cap. 41. [17] Thren. 2. [18] Cap. 13. [19] Habac. 1. [20] Cap. 3. [21] Mich. 3. [22] Joel. 1. [23] Jer. 7. [24] Cap. 15. [25] Cap. 6. [26] I Cor. 9. [27] II Cor. 10. [28] Thren. 3. [29] Luc. 6.

quia primo dilexerimus eum, dicit Joannes, sed *quia prior dilexit nos* [30]. Ipse diligit nos, qui in benedictionibus suis ubique nos prævenit. Sed si dictæ divinæ dilectionis irrefragabile quærimus argumentum, Deus Dei Filius animam suam pro nobis posuit; cum *majorem dilectionem nemo* habeat, *ut animam suam* ponat *quis pro amicis suis* [31]. Hæc dilectio fortior fuit quam vita, quia vitam abstulit; fortior fuit quam mors, quia eam destruxit qui mortis habebat imperium et mortem omnino absorbuit et delevit. Præter hanc generalem et communem dilectionem, in qua et per quam vult Dominus omnes salvos fieri, et ad agnitionem sui nominis venire[32]: est alia dilectio, infusio scilicet gratiæ et infusæ conservatio. Hæc est quæ hominem dilectum Deo facit. Certissime autem constat eum a Deo diligi qui Dominum diligit, et qui Filium suum revelat in nobis. De hac revelatione dicit Paulus: *Qui me segregavit ab utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me* [33]. De hac ipsa revelatione loquens ad Petrum Dominus ait: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis* [34]. Dat testimonium Pater cum, Jesu baptizato et ascendente *de aqua, aperti sunt cœli, et vox de cœlis* audita est, *dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit* [35]. De hac voce Petrus in Canonica sua dicit: *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnificentia gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: et hanc vocem ipsi nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto* [36]. In Evangelio Joannis de Patris testimonio Christus dicit: *Qui misit Pater, ipse testimonium perhibebit de me* [37]. Et Joannes in Canonica Epistola dicit: *Si testimonium,* inquit, *hominum accepimus testimonium Dei majus est* [38]. Et hoc est testimonium Dei quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Perhibet Filius testimonium, dum sanguine et operibus quis esset ostendit, ut cum diceret: *Ego sum lux mundi*, dicentibus Pharisæis: *Tu de te testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respondit, et dixit: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est, quia scio unde veni, et quo vado* [39]. Et item: *In lege vestra scriptum est, quia duorum testimonium verum est: ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui me misit Pater* [40]. Item: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum* [41]. Cum autem dicit: *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum,* subintellige sine testimonio Patris; unde statim subjungit: *Et alius est qui testimonium perhibet de me* [42]. Testimonium dat Filius in monte, veritatem non negando; unde Paulus in prima Epistola ad Timotheum [43]: *Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia, et Christo qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile.* Dat testimonium Filius resurgendo, et post resurrectionem se multis argumentis manifestando; perhibuit testimonium ascendendo in conspectu eorum, cum quibus erat conversatus, sicut scriptum est: *Videntibus illis, elevatus est* [44]; reddidit testimonium suum *Spiritus* sanctus a diebus antiquis, quando *ferebatur super aquas* [45]; eas tunc sanctificans, ut nos postea sanctificaret. In eis testimonium reddebat prophetas inspirans, futura prænuntians, viamque sanctorum quæ nondum fuerat propalata, demonstrans; sed et tempore visitationis nostræ dedit testimonium, cum beatam Virginem superveniens visitat et fecundat [46]; dum linguas igneas dispertit [47]; dum in unitate fidei, et in unius Dei præconium linguas unit. Dant ergo testimonium Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt, unum unitate essentiæ, natura uniuscujusque contestationis concordia. *Tres* autem *sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, et sanguis* [48]. Juxta opinionem acutius videntium omnis qui spiritualiter vivit spiritus appellatur; sicut Paulus in prima Epistola ad Corinthios [49], inquit: *Qui adhæret Deo unus spiritus est cum illo.* Et Joannes in Epistola sua: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum: in hoc autem agnoscitur Spiritus Dei: Omnis qui confitetur Jesum venisse in carne, ex Deo est, et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est* [50]. Ille autem solvit Jesum, qui verbis confitetur et operibus negat Christum. Aqua perhibet testimonium, cum quis post baptismum spiritualiter vivens, servat innocentiam quam in regeneratione suscepit; vel post baptismum lapsus, aqua pœnitentiali se abluit. Iste testatur et sanctificatur, quoniam Christus est veritas. Sed et Christum sanguis martyrum publice confitetur. Sic ergo spiritus justorum, aqua pœnitentium, sanguis martyrum testimonium dant Jesum Christum esse veritatem, una voce et una confessione clamantia. Ipsi etiam dæmones, velint, nolint, testimonium reddunt Christo, clamant enim in Matthæo [51], et dicunt: *Quid nobis et tibi, Jesu Filii Dei? venisti ante tempus torquere nos.* Et in Marco [52] clamat immundus spiritus: *Quid nobis et tibi Jesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio quis sis sanctus Dei,* et vehementer comminabatur eis ne manifestarent eum. Et item in eodem alius dæmon: *Quid mihi et tibi, Fili Dei summi? adjuro te per Dominum summum ne me torqueas* [53]. Et in Luca [54]: *Exibant dæmonia a multis*

[30] I Joan. 4. [31] Joan. 15. [32] I Tim. 2. [33] Gal. 1. [34] Matth. 16. [35] Matth. 3. [36] II Petr. 1. [37] Joan. 5. [38] I Joan. 5. [39] Joan. 8. [40] Ibid. [41] Ibid. [42] Joan. 5. [43] Cap. 6. [44] Act. 1. [45] Gen. 1. [46] Luc. 1. [47] Act. 1. [48] I Joan. 5. [49] II Cor. 6. [50] I Joan. 4. [51] Cap. 8. [52] Cap. 1. [53] Marc. 5. [54] Cap. 4.

clamantia, et dicentia: Quia tu es Filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui, quio sciebant ipsum esse Christum. In Actibus etiam apostolorum [55] cum quidam Judæi tentando nomen Jesu super dæmoniacos invocarent, et dicerent singuli: *Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat;* immundus spiritus dixit eis: *Jesum novi, et Paulum scio; vos autem qui estis?* Ecce dæmones reddentes testimonium Christo non solum Paulum, sed Christum se scire profitentur. Nos autem Christiani nominis professores fidem quam profitemur verbis, operibus diffitemur. Qui per fidem mundum vincere debebamus, per infidelitatem a mundo vincimur, et quid putas facturus est judex ille terribilis in die tremendi judicii, cum viderit nos qui per baptismum ex Deo nati sumus, degenerantes a Patre nostro? Nonne dicturus est: *Vos ex patre diabolo estis* [56]? Nonne dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et* filiis *ejus* [57]? Caveamus ergo, fratres, ab hac auditione mala. Vincamus mundum, ne vincamur ab eo. Redeamus ad Christum per pœnitentiam in fide et veritate, ut quos sibi adoptavit in filios, faciat participes et hæredes vitæ æternæ Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LIX.

AD EOSDEM.

Audite hæc, sacerdos: attendite, domus Juda; domus regis, auscultate, quia judicium vobis est. Facti enim estis laqueus speculationi, et quasi rete quod extenditur in monte Thabor, et declinastis vestras victimas in profundum [58].

Verba sunt, dilectissimi fratres: Oseæ prophetæ, qui sacerdotalis ordinis dignitatem mirabiliter magnificat et extollit. *Audite hæc sacerdotes, domus Juda, domus regis.* Ac si diceret: Audite, gens sancta, populus acquisitionis, genus electum, regale sacerdotium. Scilicet quia quanto dignior est eminentia sacerdotum, tanto gravior est lapsus et periculosior ruina ipsorum. Subjungit idem propheta: *Quia vobis judicium est;* vos qui universis hominibus dignitate ordinis præeminetis, *attendite quia judicium vobis.* Et hoc est quod alibi scriptum est: *A domo Domini* incipiet *judicium* [59]. Et Dominus ad angelos suos loquens, ait: *Ite, et incipite a sanctuario meo* [60]. Cum vobis in apostolis sit promissum sedere super sedes duodecim et judicare duodecim tribus Israel; ignominiosum est si a vobis judicium incipit, et si prius judicamini qui judicare alios debuistis. Ignominiosum est si pastores cum hædis numerandi sunt ad sinistram, si piscatores cum malis piscibus ejiciendi sunt foras; si operatores vineæ Domini Sabaoth, cum sarmentis et infructuosis palmitibus succenduntur. Prope est

A ut a vobis incipiat judicium Domini, et veniat super vos dies Domini magnus et terribilis: *Facti enim estis laquens speculationi, et sicut rete,* etc. Scitis quia laici et simplices populi, conversationem sacerdotum contemplantur et vitam, ut eorum moribus se conforment, sicut in Job legitur: *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta illos* [61]. Boves sunt doctores Ecclesiæ, quorum interest in agro Dominicæ messis assidue laborare. Asinæ sunt simplices, qui in doctrina prælatorum spem et salutem suam constituunt. Fit ergo sacerdos laqueus speculationi humilium, dum pravæ conversationis exemplo subditum sibi populum trahit in laqueum et ruinam. Sicut enim in Salomone legitur: Ruina populi sacerdos nequam. Et in Levitico [62] legitur:
B *Sacerdos qui unctus est, si deliquerit, delinquere faciet populum suum;* sicut etiam B. Gregorius attestatur: Scire prælati debent, quod si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittunt. Sint ergo lucernæ bonorum operum in manibus vestris, *ut* luceant *opera vestra bona coram, hominibus, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [63]. Sicut enim præcellitis dignitate, sic decet vos sanctitate operum præeminere. Ideo etiam in Levitico [64] præcipitur armum dextrum et separatum de sacrificiis accipere, ut operatio ejus non solum sit utilis et honesta, sed singularis et præcipua; ut quos vincit dignitatis et ordinis prærogativa, virtutum operatione transcendat. Verum hodie, juxta verbum Isaiæ: *sicut dominus, sic servus; sicut populus, sic sacer-*
C *dos* [65]. Unde et idem propheta ex indignatione alibi conclamans: *Erubesce,* inquit, *Sidon, ait mare* [66]. Erubescant sacerdotes, si sacratioris vitæ inveniuntur laici, qui hujus mundi fluctibus sunt immersi. Revera bobus aratrum antefertur, et capite dorsum supereminet, et in ruinam vergit domus, cum subditus prælato æqualis, aut melior inveniatur.

Vocaverat vos Dominus ad dandam scientiam plebi ejus, ut pasceretis gregem Domini, ut essetis forma gregis in populo; sed vereor ne illud Isaiæ compleatur in vobis: *Isti pastores ignoraverunt intelligentiam* [67]; et illud evangelicum: *Cæci sunt duces eorum* [68]. Debueratis esse duces populorum ad vitam: videte ne vos et illos ducatis ad mortem. Estote duces eorum ad pœnitentiam, ad continen-
D tiam, ad orationem, sicut Psalmista commemorat: *Principes,* inquit, *Juda duces eorum. Principes Zabulon, principes Nephthalim* [69]. Judas interpretatur *confessio,* quæ ad pœnitentiam spectat; Zabulon *fortitudo,* quæ ad continentiam pertinet; Nephthalim *cervus emissarius,* in quo notatur velocitas orationis, quæ a corde progrediens devoto cœlos penetrat. Agnoscat ergo unusquisque vestrum, fratres charissimi, onus suæ vocationis. *Pascite qui in vobis est*

[55] Cap. 19. [56] Joan. 8. [57] Matth. 25. [58] Ose. 5. [59] I Petr. 4. [60] Ezech. 9. [61] Job. 1. [62] Cap. 4. [63] Matth. 5. [64] Cap. 7. [65] Isa. 24. [66] Isa. 23. [67] Isa. 36. [68] Matth. 15. [69] Psal. 67.

gregem Domini [70], *ut non vituperetur ministerium vestrum* [71]. Ministerium vestrum continetur in paucis : in psallendo, in offerendo, in docendo. Si psallitis, psallite sapienter. *Psallamus*, inquit Apostolus, *ore, psallamus et mente* [72]. Offeratis Domino cum apostolis favum mellis. Quid est favus nisi mel in cera? Et quid est mel in cera, nisi devotio in littera? Quidam sunt qui ex quo versum incipiunt, videtur eis longissimum quo ad finem veniant, et singula verba ita currendo præcipitant, ut in favo Domini non remaneat mel aut cera. Versum unum sub clausa una glutiunt, et canticum Domini decurrunt, et perfunctoriis synalimphis dimidiant. Quandoque dum psallimus, facimus castella in animo, et imaginamur vanitates et insanias falsas. Labia sunt in canticis, animus in patinis. Quid restat nisi quod Dominus dicat : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [73]. Non est hic *psalmus jucunda decoraque laudatio* [74]. Psalmodiæ angeli libenter intersunt, sicut Psalmista commemorat : *Prævenerunt*, inquit, *conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum* [75]. Et alibi : *In conspectu angelorum psallam tibi, Deus, meus* [76]. Hæc de psallendo. Nunc restat qualem offerre deceat, aut docere. Ille cujus corpus et sanguinem Deo Patri offertis, Filius ejus est. Videte ne offendatis Patrem in Filio, ne sanguinem Filii pollutum ducatis. *Sanctus* enim, et *innocens, impollutus, excelsior cœlis est factus* [77]. Si immunde acceditis, non cibum salutis, sed æternæ damnationis judicium accipitis. Doctrina vestra consistit in verbis et factis. Verba sacerdotis sine operibus vana et infructuosa sunt. Sed *luceant*, quæso, *vestra opera bona coram hominibus* [78], et habebunt verba exhortationis vestræ in cordibus subjectorum efficaciam saluberrimæ medicinæ. Sic in die tremendi judicii pro sollicitudine gregis vobis commissi dabitur vobis aureola, et quia docuistis *ad justitiam multos*, eritis *quasi stellæ in perpetuas æternitates* [79] : quod nobis præstare dignetur, qui cum Patre vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LX.

AD EOSDEM IN SYNODO.

Audite hæc, sacerdotes : attendite, domus Domini, domus regis, auscultate, quia judicium vobis est [80].

Facti enim estis laqueus speculationi, et quasi rete quod extenditur in monte Thabor. Magna et multiplex est, fratres charissimi, in sacro eloquio commendatio sacerdotum. Nam et verba Domini cæteris præferentur : *Vos*, inquit, *estis lux mundi, vos estis sal terræ* [81], vos estis angeli, vos estis dii. Angeli, sicut scriptum est : *Labia sacerdotum custodiunt scientiam* [82]. Dii estis, sicut Propheta commemorat : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* [83]. Et Moyses præcepit leprosum applicari ad deos, id est sacerdotibus adhiberi, et, ut eleganti atque urbano utamur compendio, sacerdotes habet primatum Abel, patriarchatum Abrahæ, gubernaculum Noe, ordinem Melchisedech, dignitatem Aaron, auctoritatem Mobsi, virtutem Samuelis, paupertatem Petri, unctionem Christi. Vos estis, reges, etc. Ille qui dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* [84], ligandi et solvendi vobis potestatem dedit. Vobis a Deo datum est sedere super sedes, et duodecim tribus Israel judicare [85]. Vereor tamen ut res in contrarium cedat, et ne de vobis aliquando dicatur : *Dejecisti eos dum allevarentur* [86]. Sera querela est, *quia elevans allisisti me* [87]. Verbum est Zachariæ : *Super pastores iratus est furor meus* [88]. Irascitur Dominus, quia indisciplinati estis, quia legem et mandatum Domini non tenetis sicut Jeremias conqueritur : *Hæc est gens quæ non audivit vocem Domini, nec recepit disciplinam* [89]. Et ibidem : *Sacerdotes dixerunt ; Ubi est Dominus? Tenentes legem*, dicit idem Propheta, *nescierunt, et pastores prævaricati sunt in me* [90]. Propter peccata nostra est in conculcationem et opprobrium sancta Ecclesia Christi. Rubigine propter peccata nostra vilis est hodie et obductus gladius Petri. Ubique hodie propter hæc impune nomen Domini in vanum accipitur, sententia Petri contemnitur, hodie impune Phassur in Jeremiam, Malchus in Christum, Jason in oblationes sacras, Balthasar in vasa Domini manus extendit sacrilegas. Vilitatem et abjectionem hanc sacerdotum lamentatur ille propheta, et conqueritur, et deplorat dicens : *Filii Sion inclyti et amicti auro primo, quomodo, reputati sunt in vasa testea, et in opus figuli* [91] ? Qui debuerant esse vasa contemplationis et fortitudinis, facti sunt vasa testea. Sunt enim carne fragiles, spiritu debiles, in peccatum labiles, et ad virtutum difficiles, ad excelsa graves, ad ima præcipites. Offensus est nobis Dominus. Ideo, sicut Apostolus loquitur ad Corinthios : *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo* [92]. Iniquitas nostra a Deo nos dividit, et peccati nubes nostram impedit orationem, ne ascendat ad Deum. *Interposuisti*, inquit propheta, *Domine, nubem ne transiret oratio* [93]. *Non est* tamen, dicit Isaias, *abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat ; nec auris ejus aggravata, ut non exaudiat : sed peccata nostra dividunt inter nos et Deum* [94] Desistite a peccatis, et reconciliabitur Deus. Quis est hodie qui gratis beneficium ecclesiasticum consequatur? Quis est qui gratis in eo ministret? Nonne omnia Ecclesiæ sacramenta redacta sunt in mercimonium et in quæ-

[70] I Petr. 5. [71] II Cor. 6. [72] I Cor. 14. [73] Matth. 15. [74] Psal. 146. [75] Psal. 67. [76] Psal. 137. [77] Hebr. 7. [78] Matth. 5. [79] Dan. 12. [80] Ose. 5. [81] Matth. 5. [82] Malach. 2. [83] Psal. 81. [84] Matth. 28. [85] Matth. 19. [86] Psal. 72. [87] Psal. 101. [88] Zach. 10. [89] Jer. 7. [90] Jer. 2. [91] Thren. 4. [92] II Cor. 5. [93] Thren. 3. [94] Isa. 59.

? Magnum illud i sacramentum pietatis, illud imabile et ineffabile pretium mundi sine pretio, ım impretiabile hodie sub vilis oboli taxatione tur et offertur. Adam prius se vendidit; Esau lulio lentis primogenita dedit. Multi sunt filii ; multi sunt filii Adæ, qui vendunt hæreditatem tem, et æternam pro modica voluptate. Præter a peccata, et præ cæteris sceleribus pestis læ ignominiose hodie sacerdotium dehonestat. :erum in delicato gestu, sive in pretioso habitu, n mundano actu luxuria exerceatur, totum t in cleri opprobrium, et mortis æternæ peri-ı. Hæc est Athalia quæ totum fere genus n exstirpavit [95]; hæc est illa quæ unam de ibus interfecit; hæc est bestia saltus quæ .t exercitum Absalon. Apostolus ad Hebræos ıns ait : *Terribilis autem quædam exspectatio i, et ignis æmulatio quæ consumptura est sarios; irritam qui faciens legem Moysi sine miseratione duobus aut tribus testibus moritur. to magis putatis deteriora mereri supplicia eum ilium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti tum duxerit, in quo sanctificatus est; et Spiritui e contumeliam fecerit* [96]. Verbum prophetæ *Si incantator percussus fuerit a serpente, quis bitur ei* [97] *Medice, cura te ipsum* [98]. Talem dem decet esse sacerdotem, qui suorum ım imitatorem reddidit populum Deo accepta-ı, sectatorem bonorum operum [98*]. Frequenter n contingit ut sacerdos in universitate populi eterior habeatur, ut merito sacerdotibus con-t verbum illud Michææ : *Qui optimus in eis uasi paliurus, et qui rectus, quasi spina de* [99]. Qui debuerant esse luminaria cœli, et dor firmamenti, facti sunt obscenitas et ma-n luna : obscuratus est sol, et aer de fumo . Sal terræ infatuatum est, et lux mundi con-. est in tenebras. Ideo, juxta verbum Jere-*repulit Dominus altare suum; maledixit sancti-ɔni suæ* [100] *Quid*, dicit Dominus per Jeremiam : *est quod dilectus meus fecit scelera multa in ı mea? Nunquid carnes sanctæ auferunt malitias n quibus gloriatus est* [1]? Et in Malachia : *Tu redis mundari per hostias, scito quod non laberis, sed amplius pollueris* [2]. Et sequutur ı ejusdem prophetæ dicentis : *Et nunc ad vos latum hoc est, o sacerdotes. Si nolueritis ·e, et si nolueritis ponere super cor, ut detis ɔm nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam ıs egestatem, et maledicam benedictionibus ve-* [3]. Utrumque istorum evenisse videmus. Vos quos constituit Dominus super familiam suam, stis illi cibum in tempore, fame et inedia eam tis : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui ·eret eis* [4]. Alligatum est verbum Domini in ore

A vestro, nec ministrare vultis esurientibus panem vitæ, cum scriptum sit : *Maledictus qui abscondit frumenta in populis* [5]. *Deus non irridetur* [6] : signavit quasi in dacculo delicta vestra [7]. Gedeon, cum persequeretur Zebee et Salmana, transiens per Socoth, petiit panem a senioribus civitatis sibi et viris qui cum eo erant : qui cum ei et suis alimenta negassent, reversus de prælio cum victoria, spinis et tribulis attrivit eos [8]. Spinæ et tribuli tormenta sunt, et tribulationes æternæ. Propter negligentiam sacerdotum hodie hæreses pullulaverunt innumeræ et perniciosæ, atque damnabiliter sentiunt hodie quidam de sacramento altaris, de matrimonio, et de cæteris Ecclesiæ sacramentis. Unde sancta Ecclesia fere ubique terrarum gravissime vulnerata est, nec est resina in B Galaad, et medicus non est ibi [9]. Sane sicut Apostolus ad Thessalonicenses scribens ait : *Non posuit vos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis* [10]. Et ad Corinthios : *Posuit, in vobis Dominus verbum et ministerium reconciliationis* [11], deditque vobis potestatem in ædificationem, et non in destructionem. Vos autem Ecclesiam Dei contemnitis, et adulteratis, ut jam non confidat in ea cor viri sui. Ideoque repulit Dominus altare suum, *et hæreditatem suam sprevit* [12]. Et cum de angustia et tribulatione clamatur, avertit aurem suam, et non respicit in faciem testamenti sui. Hæc sunt opera vestra, hoc est obsequium Christo a vobis exhibitum. Video quod pepigistis fœdus cum inferno, et responsum mortis habetis in vobis. Quid restat, nisi requirat Domi-C nus de manu vestra sanguinem eorum [12*] quos debuistis ducere verbo et opere in viam vitæ, et vos deduxistis eos pravæ conversationis exemplo in viam mortis æternæ? Si quis constitutus esset primipilarius et dux belli, quid deberet fieri de ipso si populum sibi commissum traderet in manus inimici? Populum Dei quem pretioso sanguine Christus de diaboli potestate redemerat, vos evacuantes beneficium passionis Christi, iterum in potestatem diaboli rejecistis. Attendite, quæso, fratres, ministerium vestrum, et vestrum periculum; quodque negligenter hactenus fecistis, vigilantius et studiosius de cætero procurare. Cogitate, quia terribilis est super filios hominum, cui reddituri estis rationem animarum vobis commissarum. Quas si in improperium custoditis, ignis et vermis æternus exspectatio et D retributio vestra erit. Si autem eos prudenter instruxeritis, et rexeritis, non solum coronam, sed aureolam æternæ jucunditatis habebitis, quæ promittitur his qui ad justitiam erudiunt multos [13]. Et hic est duplex honor quem promittit Paulus presbyteris ad Thimotheum scribens : *Duplici*, inquit, *digni honore habebuntur, qui bene præsunt presbyteri* [14] præcipue eminentiæ singularis gloriam sempiternam : quam nobis præstare dignetur, qui

Reg. 11. [96] Hebr. 10. [97] Eccli. 12. [98] Luc. 3. [98*] Tit. 2. [99] Mich. 7. [100] Thren. 2. [1] Jer. 15. l. 2. [2] Malac. 2. [4] Tren. 3. [5] Prov. 11. [6] Gal. 6. [7] Job. 14. [8] Judic. 8. [9] Jer. 8. Thess. 5. [11] II Cor. 5. [12] Psal. 77. [12*] Ezech. 3. [13] Dan. 12. [14] I Tim. 5.

vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXI.

AD EOSDEM.

Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei [15].

Fratres, verba Pauli sunt quæ ad nos diriguntur. Si nobis a Deo ministerium creditum est, facite, sicut ipse nos exhortatur et docet, ut non vituperetur ministerium nostrum. Videte, fratres, vocationem vestram, eminentiam et dignitatem ordinis vestri, quibus dispensatio corporis et sanguinis Domini tradita est. Videte ne in oculis Patris Filius conculcetur. Nam in honore Patris est honor Filii, et in honore Filii est honor Patris. Non ignoratis de corpore et sanguine Domini, cum quanta reverentia B conflci, cum quanto timore percipi, cum quanta cautela debeat dispensari. Magnum est hoc sacramentum super omnem æstimationem, super omnem eminentiam, super omnem intelligentiam : quod scilicet sub specie visibili totus Christus percipitur. Angeli siquidem satiantur ex adipe frumenti [15*], et sedent in mensa divitis, et pascuntur in deliciis domus Dei ; nos autem in speculo et ænigmate veritatem percipimus [16]. Si enim videremus Christum, et frueremur eo sicuti est, jam non esset meritoria fides nostra, nec jam esset fides, sed scientia ; veniet, et non silebit vocaturus terram, et judicaturus eam in spiritu judicii et spiritu ardoris. *Deus deorum*, inquit Propheta, *locutus, est, et vocabit terram. Advocavit cœlum desursum, et terram discernere populum suum* [16*]. Et quid loquitur ? *Congregate illi* C *sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia* [17]. Vos respicit sermo iste, quibus injunctum est ordinare testamentum Domini super sacrificia. Vos congregandi estis qui, cum essetis lapides vivi, dati estis in dispersionem, distracti ad vitia, et passim abeuntes post concupiscentias carnis vestræ : *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* [18]. *Congregate*, inquit, *illi sanctos suos* [19]. Qui sunt sancti? Sacerdotes, de quibus dictum est : *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent* [20]. Eos sanctos esse oportet, qui Sancto sanctorum serviunt et ministrant. *Sancti*, inquit, *estote, quia ego sanctus sum*[21]. Et propheta dicit : *Vos sancti Domini vocabimini ministri Dei* [22]. Dicetur vobis hodie : Sacerdotum D conversatio est populi subversio. *Egressa est* etiam *iniquitas a senioribus populi* [23]. Nam qui errata corrigere debuerant ad emendationem vitæ, ipsi vinum aquæ commiscendo admiscent et facies peccatorum assumunt. Sicut Dominus per prophetam dicit : *Caupones mei aquam vino miscent* [24] ; et per alium : *Usquequo judicatis iniquitates, et facies peccatorum*

A *sumitis* [25]. Aquam vino miscere, et facies peccatorum sumere, est peccatorum erroribus consentire. Non est hodie qui moneat, qui doceat, qui hortetur ad bonum. Omnes sacerdotes *canes muti* sunt, *non valentes*, imo non volentes *latrare* [26]. Alligaverunt Verbum Domini sibi commissum, sudario involverunt, et terræ infoderunt, non reputantes verbum illius patrisfamilias evangelici qui dicit : *Serve nequam, nonne oportuit te dare pecuniam meam nummulariis, ut ego veniens reciperem cum usuris* [27]? Procuraverunt Philisthiim ut non inveniatur faber ferrarius in universo Israel [28], non est qui arma spiritualia faciat, vel facta exacuat. Ideo novi Amorrhæi, et novi Philisthæi nos oppugnant ; novi recentesque hæretici totum subvertunt orbem : quos publicanos aut patinuos nominant. Hi sunt qui nec in parvulis baptismum admittunt, nec in altari corporis et sanguinis veritatem, nec in sacerdotibus gratiam Spiritus sancti, nec in laicis fidelibus consortium copulæ conjugalis. Isti hodie *multiplicati sunt super numerum* [28*]. Etsi hæc hæresis alicubi exstinguitur, alibi sicut capita hydræ multiplicius recidivat. Totum hoc malum de vestra taciturnitate procedit. Nonne nobis in Timotheo præceptum est : *Insta opportune, importune* [29] ? Nonne in Levitico præcipitur ut a sacerdote ingrediente et egrediente tabernaculum sonitus audiatur [30]? Nonne per prophetam dicitur: *Clama, ne cesses ; exalta vocem tuam* [31]? *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte non tacebunt* [32]. Quantum tempus est elapsum, ex quo vos voto continentiæ alligastis ? Nonne publice est decretum et edictum solemniter, et a sede apostolica confirmatum, ut amoveantur a vobis fornicationes vestræ, et præcideretur in vobis materia turpis vitæ ? Quam utilitatem habetis nunc in omnibus voluptatibus et immunditiis vestris, quas hactenus exercuistis, sicut Apostolus dicit : *Quem fructum* habuimus *in quibus nunc* erubescimus [33] ? In opere libidinis cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. Nihil de voluptate illa pessima remanet, nisi erubescentia confusionis et aculeus formidinis, fœda et fetida conscientia in testimonium delicti et tormentum animi. Summa insania est, gaudium quod non deficit, dare pro modica et transitoria voluptate. Finis omnis luxuriæ cumulus est mortis et æternæ miseriæ. Apostolus dicit : *Abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam* [34]. *Si* enim *secundum carnem vixeritis, morte moriemini* [35]. Morte scilicet quæ nec moritur, nec finitur. Si velletis recurrere ad innocentiæ arma, destrueret Dominus omnem altitudinem extollentem se adversus Ecclesiam Dei, et esset, teste propheta, *sicut somnium visionis no-*

[15] I Cor. 4. [15*] Psal. 147. [16] I Cor. 13. [16*] Psal. 49. [17] Ibid. [18] Thren. 4. [19] Psal. 49. [20] Psal. 131. [21] Levit. 11. [22] Isa. 61. [23] Dan. 23. [24] Isa. 1. [25] Psal. 31. [26] Isa. 56. [27] Matth. 25. [28] I Reg. 13. [28*] Psal. 39. [29] II Tim. 4. [30] Exod. 28. [31] Isa. 58. [32] Isa. 62. [33] Rom. 6. [34] Petr. 2. [35] Rom. 8.

: *omnis multitudo gentium quæ dimicaverunt Ariel* [36]. Et quidquid attentatur contra vos, *ad nihilum* deveniet, *tanquam aqua decur-* . Abjiciatis ergo, fratres, *opera tenebrarum* ra carnis [37*], et *non regnet peccatum in vestro i corpore* [38]. Et notate, *Non regnet*: regnat um cum pervenit ad consensum vel actum. o non regnet circa primitivos actus, abscin- est voluntas peccandi. *Confige timore tuo meas* [39]. Et hoc est quod Simeon, qui inter- ur *adducens tristitiam*, quod est cordis con- et Judas, qui interpretatur *confessio*, illæ ribus invaserunt Bezec, et ceperunt Adoni- id est dominum civitatis, et absciderunt ei nitates manuum [40], quod fit quoties pro con- ie et confessione abscindimus malarum pri- actionum. Emendate igitur et corrigite, fra- ilectissimi, actus vestros, nec exspectetis cor- nem alienam. Unusquisque vestrum plenius rit; discutiat semetipsum et extollat conscien- suam, ut in ea colligat fructum vitæ. *Qui ad-* , inquit, *meretrici, unum corpus efficitur cum llens*, inquit, *membrum Christi, faciam mem- meretricis* [41]? Quid erat sacerdos nisi mem- Christi? Quid factus est sacerdos nisi mem- meretricis? Ille a quo et in quo recipitur cor- hristi, in eo et ab eo factus est membrum ricis: ergo per immunditiam nostram, pro ro meretricis accipitur et recipitur corpus i. Videte ubi collocaveritis corpus unigeniti Dei. Videte quid feceritis. Maledictionem Apo- post aliarum imprecationum maledicta incur- *Quicunque*, inquit, *violaverit templum hoc, et eum Dominus* [42]. Ab hac maledictione nos t et suam benedictionem nobis conferat qui nedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXII.

AD CLAUSTRALES.

'edictus qui reædificabit Jericho [43].

erpretatio et Josue. Hi qui vitæ sæcularis tum et inconstantiam relinquentes postea ad em sæcularium revertuntur, isti primam quem m facientes, vinculum suæ professionis ha- s ludibrio luxuriantur in Christo. Certe Achan Charmi, quia tulit de anathemate Jericho, la- us est [44], cujus expressam similitudinem ge- hi qui sæcularia abdicantes, etsi non opere, a affectu et desiderio sæcularibus se immer- Isti siquidem jam judicati et condemnati sunt e illo, qui positus est in fundamento Sion [45], vide illo, de quo dicitur, quia *qui ceciderit su- llum, collidetur; super quem vero ceciderit, con- eum* [46]. Ex quo semel induit monachus novum nem, qui secundum Deum creatus est [46*], nulla resse debent vestigia vetustatis. Evellenda om-

A nino sunt plantaria conversationis antiquæ ut non sint illi quibus Hanon inimicus David rasit barbas dimidias; et sic eos cum opprobrio et confusione dimisit [47]. Hanon barbam dimidiam religioso radit, cum religiosus renuntians sæculo, sicut Ananias et Saphira [48] sæculares concupiscentias penitus non relinquit. Legitur quia Israel, qui Chananæum interficere noluit, datus est in manus Chuzan Rasathaim, et ei longo tempore et in afflictione servivit [49]. Quantumcunque efficiaris religiosus in claustro, totum perdis si aliquid retinuisti de sæculo. *Modicum* fermenti *totam massam corrupit* [49*]; atque virtutum multitudinem unum peccatum obruit et subvertit. Sic enim Abimelech filius Gedeonis de uxoribus natos necat, quia virtutes quas religiosus
B acquirit in claustro, concupiscentia sæcularis evacuat. *Maledictus*, inquit, *qui reædificabit Jericho*. Hiel de Bethel legitur reædificasse Jericho; sed in constructione primæ portæ mortuus est primogenitus, et in porta novissima mortuus est filiorum suorum novissimus [50], quia ex quo quis ad mundanos affectus regreditur, si quid boni vel in sæculo fecerat, vel in claustro, deperit et cassatur. De illis portis dicit propheta: *A prima porta erit clamor, et a secunda ululatus* [51]. Semel existis de Jericho, fratres mei, ascendistis de Jericho in Jerusalem, de Babylone in Sion, de Ægypto in terram promissionis, de tenebris ad lucem, de loco dissimilitudinis, de loco herrosis ad domum lætitiæ et salutis. Venistis de terra salsuginis ad terram
C habitabilem, de Ur Chaldæorum ad refrigerium, de fame spirituali ad refectionem, de prævaricatione ad gratiam, de mundanis anxietatibus ad quietem. Vere castra Dei sunt hæc: quæ non est aliud, *nisi domus Dei et porta cœli* [51*]. Verumtamen gloriam et suavitatem hujus domus non omnes intelligunt. *Lignum vitæ est his qui apprehendunt eam* [52]. *Multi* siquidem *sunt vocati, pauci vero electi* [53]. *Multiplicasti*, inquit, *gentem, non magnificasti lætitiam* [54]: non omnibus portabile est jugum Domini; non omnibus suave est onus ejus. Adhuc vero inter vos habitat Jebusæus qui exterminari non potest. Adhuc est lilium inter spinas, et zizania inter spicas. In horto patrisfamilias sunt simul saliunca et abies, urtica et myrtus. Adhuc sunt in ovili Jacob animalia alba et nigra, agni et hædi;
D in rete Petri pisces boni et mali; in templo Salomonis Satan; a dextris Jesu sacerdotes magni; in arca Noe animalia munda et immunda; in cella Domini vina et acina, oleum et amurca. O quam odibile est et horrendum claustralem iterum fieri sæcularem, et eum qui mundum evomuit redire ad mundum. *Vereor*, dicit Apostolus, *ne cum spiritu cœperitis, carne consummemini* [55]. Nonne claustralis efficitur sæcularis, si ea quæ sæculi sunt, vel cogi-

Isa. 29. [37] Psal. 57. [37*] Rom. 13. [38] Rom. 6. [39] Psal. 118. [40] Judic. 1. [41] I Cor. 6. [42] I Cor. [43] Josue. 6. [44] Josue. 7. [45] Isa. 28. [46] Matth. 21. [46*] Coloss. 3. [47] II Reg. 10. [48] Act. 5. dic. 3. [49*] Gal. 5. [50] III Reg. 15. [51] Sophon. 10. [51*] Gen. 28. [52] Prov. 3. [53] Matth. 22. [54] Isa. 9. l. 3.

tat vel attendit? *Sæcularia*, inquit, *negotia si habueritis, eos qui contemptibiliores sunt inter vos constituite ad judicandum* [56]. Sæcularia sive temporalia diffinit Apostolus, dicens: *Quæ videntur*, inquit, *temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna* [57]. Cum *omnium malorum radix* sit *cupiditas* [57*], dolemus, nec possumus non dolere, si in domo ista quæ nominatissima est in observatione religionis et ordinis, vel etiam unum pedem ausa est ponere illa transgressionis mater, illa magistra nocendi, primipilaria iniquitatis et auriga malitiæ. Non sibi blandiatur monachus, qui rebus inhiat alienis, dicens: Occasio peccandi est sæcularibus; quidquid habent, si eis aufero, si rapio, si aliquid ad usum Ecclesiæ nostræ violentia principum vel venalitate acquiro, meum non ago negotium, sed commune. Infelix, si te accusat cupiditas circa propria, non accusat circa communia. Nam cum unusquisque vitæ nostræ sibi sit proximus, damnabilior est qui pro alio, quam qui pro seipso se dignum gehenna constituit, et, sicut auctoritas clamat, non minus ardebit, qui pro multis aut cum multis ardebit. Amantissimi fratres, ut quid opus est vobis divitiis, qui pro Christo paupere paupertatem gratuitam elegistis? Vultis iterum fieri divites, et ad mundana reverti quæ reliquistis; in quibus, sicut publice notum est, caduca consolatio est, usus brevis, fallax gaudium, finis incognitus, judicium grave, et pro temporalium rerum acquisitione transitoria, miseria sine fine. Si sufficientia vestra a Deo [58], imo Deus in quo dives eget, pauper abundat.

Sufficientiam a Deo habebat qui dicebat: *Habentes alimenta et quibus legamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum, et tentationes diaboli* [58*]. Vobis cum Deo nil deficit; sine Deo nil sufficit. O væ filiis Adæ, qui adhuc divitias temporales quæritis, cum paupertas divinitus commendetur! Divitiæ durabiles sunt paratæ vobis, et ad manum appositæ, necessaria in promptu sunt, et ad supervacua laboratis. Angelus apostata per divitiarum suarum multitudinem regnum cœlorum perdidit. Vestra professio est per paupertatem regnum acquirere quod amisit. Certe vobis consultius est esurire, quod tamen per Dei gratiam non oportet, quam aliquid agere, unde vel modica nota cupiditatis emergat. *Scio*, inquit Apostolus, *saturari et esurire, abundare et penuriam pati* [59]. Si labore manuum vobis victualia quæritis, non estis majores Apostolo. Apostolus hoc fecit. Si laboratis ut reficiatis pauperes Christi, pauperes non possunt evacuari testimonio Scripturarum: *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum* [60]. Sanctum et pium est et meritorium pascere pauperes; sed occasione pauperum vobis ditescere non est bonum. Summa veræ professionis est meritum voluntariæ paupertatis: qui hanc deserit, sicut mihi videtur,

A a sua prorsus professione discedit. Bonum est, inquit aliquis, reficere pauperes. Bonum est, respondeo, eos reficere, sed sic, ne deficias a salutari proposito. Cautelam consulo, misericordiam non abscido. Spretis divitiis, in quibus multos poteras pauperes sustentare, locum elegisti ubi posses inter multos pauperes unus esse. Magnum reputo, si in ea paupertate quam profiteris, non egeas; majus, si frequenter egeas. Certe si abundas necessariis, non es pauper, aut si erogas pauperibus de his quæ tibi abundant. Forte æqualis est divitibus, qui miserunt in gazophylacium de eo quod eis superabundavit, sed te usque ad meritum pauperis viduæ non extendis. Si alia excusatione quam sustentatione pauperum tuas potes divitias collocare, libenter audio. Unum
B scio, quia quanto quis pauperior est, tanto copiosius et affluentius habet unde possit placere Altissimo. Noli, quæso, de refectione pauperum loqui: nam de talibus loquens, te extra gregem pauperum facis. Non reliquistis, fratres, aut possessionem, aut spem divitiarum, ut pauperibus ministretis, sed ut vobis tanquam pauperibus ministretur. Hæc moneo, et hæc dico, fratres charissimi, ut perseveretis in proposito paupertatis. Hæc est corona nostra: per hanc regnum cœlorum vestrum est; sed et Dominus et dominator regni cœlorum dicit: *Quod superest, date eleemosynam* [61], innuens illud esse superfluum, quod non claudit necessitas inter augustias paupertatis. Duo rogo et consulo, amantissimi fratres. Minus, quæso, sitis solliciti in acquisitione terrarum, quia portio nostra est in terra
C viventium, et consuletis tam animæ quam opinioni vestræ. Magis Deo placere studeatis in vestra quam in aliena paupertate, et acquiretis in regno cœlorum divitias sine fine. Quod vobis præstare dignetur qui pro nobis pauper factus est Jesus Christus, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIII.

AD MONIALES.

Moyses legitur [62] fecisse mare æneum, ut ingredientes tabernaculum lavarentur, fecit autem illud de speculis mulierum, quæ ad ostium tabernaculi excubabant. Credo quod hæ sunt prudentes virgines, quæ, accensis lampadibus, bonorum operum adventum sponsi lætanter exspectant [63]. Scriptum
D est enim quia *exspectio justorum lætitia* [64]. De speculis istarum fit aliis lavacrum, dum ab illarum conversatione trahitur munditiæ, et sanctificationis exemplum. Mulieres quæ in sæculo de carne sua fructum posteritatis exspectant deserviunt carni suæ; quæ, dum curam carnis in desideriis agunt, vitam perdunt æternam pro momentanea voluptate. Claustralibus quæ bellum indixerunt carni suæ inæstimabilis corona debetur. Contendunt enim non esse quod sunt, et recuperant fortiter quod in prima

[56] I Cor. 6. [57] II Cor. 4. [57*] I Tim. 6. [58] II Cor. 3. [58*] I Tim. 6. [59] Philipp. 4. [60] Sap. 10. [61] Luc. 11.
[62] Exod. 30. [63] Matth. 25. [64] Prov. 10.

origine perdiderunt. *Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine* [65]? Istæ autem, dum imperant suæ carni, non solum mundantur, sed conformantur angelicæ puritati. Virginitas tamen juxta æstimationem multorum fortior est sinceritate angelica, cum virgo virtute munda sit, et angelus solum ex natura. Plus quam angelicum est hæc vasa corruptibilia servare in justitia et sanctificatione; experiri in carne gloriam cœlestis Jerusalem, ubi *neque nubent, neque nubentur* [65*]. Quidam enim cœlestis eminentiæ fructus est pudicitiæ usus in terris. De virgineo siquidem flore immarcescibilis corona contexitur et acquiritur sponsus immortalis in cœlo, dum terrena sponsalia contemnuntur. Istæ enim sunt quibus Apostolus loquitur, dicens : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* [66]. Vide quantus fuerit virginitatis effectus. Virginitas ultra nubes, ultra cœlos, ultra et supra angelos penetrans Verbum, in quo omnia facta sunt, quæsivit et invenit in sinu Patris : inde per virginitatem descendit ad nos auctor ille salutis. Adhuc ambularemus in tenebris, nisi lumen vitæ nobis de lampade beatæ Virginis illuxisset. Virginitas est balsamum quo condiuntur cadavera ne putrescant. Sensus enim et artus hominis a corruptione custodit; cætera quasi jumenta in suo stercore computrescunt; solæ virgines, et continentes vasa corruptionis hujus in incorruptione custodiunt. Sed est quod Sapientia in persona virginum dicat : *Ego quasi Libanus non incisus, et quasi balsamum non mistum odor meus, quasi terebinthus extendens ramos gratiæ et salutis* [67]. Omnium eminentiam virtutum castitas transcendit, si tamen sociam habet charitatem; nam sine charitate castitas est sine oleo lampas. Lampas sine olei beneficio non lucet; castitas etiam Deo sine charitate non placet. Ideo Sapientia dicit : *O quam pulchra est casta generatio* cum charitate [68] ! Illud autem detestabile est, quod absit a nobis ! si aliqua superbiæ macula admista est castitati; nam longe melior est devota et vilis humilitas, quam superba virginitas. Castitas si per se censeatur, elegantior est quam humilitas; humilitas tamen per omnia melior. Illa res est consilii, ista præcepti. Nam Apostolus dicit : *De virginitate quidem præceptum non habeo; consilium autem do* [69]. Et Dominus de virginitate in Evangelio loquens : *Qui potest*, inquit, *capere, capiat* [70]. De humilitate vero : *Discite*, inquit, *a me quia mitis sum et humilis corde* [71] ; et : *Nisi efficiamini sicut* parvulus iste *non intrabitis in regnum cœlorum* [72]. Cum Spiritus sanctus non requiescat nisi super humilem et mansuetum, vides quod acceptior est apud Deum virginitate humilitas; cum sine hac nemo salvari possit, sine altera vero multi. Verbum beatæ Virginis est : *Respexit humilitatem* A *ancillæ suæ* [73]; humilitatem, inquit, non virginitatem, innuens quod nec sua virginitas sine humilitate Deo placuisset.

Si ergo virgo superbiat, inter fatuas computanda est. Quid est enim superbia in virginitate, nisi venenum in lacte ? Nihil est quod abominabilius detur, quod et omnino magis denigret lilium castitatis quam superbia. Contra superbiam virginum invehit Isaias : *Elevatæ sunt*, inquit, *filiæ Sion, et ambulaverunt collo extento, et nutibus oculorum ibant* [74]. Et sequitur in eodem capitulo : Declinabit *Dominus verticem filiarum Sion, earumque crinem nudabit* [75]. Et Dominus in eodem : *Dabo eis pro crispanti crine calvitium* [76]. Et unde superbis, miserrima caro, cum sis et cinis et pulvis [77] ? Superbis de tua nobili B parentela; scias quia mundanam nobilitatem non natura fecit, sed ambitio finxit. Verbum Sapientiæ est : *Nemo ex regibus habuit aliud quam pauper nativitatis initium. Unus est hominum introitus ad vitam, et exitus unus* [78]. Nunquid sordidius generatur pauper quam dives ? David plangit se in peccatis conceptum [79] ; sed et ipse, cum esset rex, suos genuit filios in peccatis. Si virtutem regenerationis inspicias ; omnes tam divites quam pauperes magnificat nativitas, omnesque pacificat adoptiva nobilitas. Gloriosus titulus nobilitatis est cum generositate virginitas. Sicut Sapientia dicit : *Generositatem glorificat contubernium habens Dei ; quia Dominus omnium dilexit eam* [80]. Juxta verbum Apostoli : *Prudens virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu* [81] : Corpore, ut sit casta ; spiritu, C ut humiliter sentiat, nec extollatur de pudicitiæ laude. Scriptum est enim : *Qui gloriatur, in Domino glorietur : non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat* [82]. Miserrimum est suæ virginitatis, aut continentiæ meritum pro vana gloria venale exponere. Adveniente siquidem sponso in die judicii, fatuis virginibus oleum peccatoris, id est adulatio aliena, non proderit. Fatuæ virgines tunc dicent : *Lampades nostræ exstinguuntur* [83], prudens virgo inexstinguibile lumene feret. Sicut Sapientia de ea dicit : *Non exstinguetur de nocte lucerna ejus* [84]. Gloriaris de pulchritudine tua : fallax gloria et vana est pulchritudo. De pulchritudine superba dicit Job [85] : *Devoret pulchritudinem ejus primogenita mors*, id est D superbia, quæ est primum mortale peccatum. Quid est vana pulchritudo, nisi pulchra putredo ? *Putredini dixi : Pater meus; Mater mea et soror mea, vermibus* [86]. Et quidem fallax gratia, nisi grata fallacia; dum specie falsa decipimur, sub tenui cute latent occulta dedecoris, quæ si inspici possent, horrendo essent aspectu, et nunc indigna sunt cogitatu. *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni* [87]. Sicut fenum cito arescit, sic

[65] Job. 14. [65*] Matth. 22. [66] II Cor. 11. [67] Eccli. 24. [68] Sap. 4. [69] I Cor. 7. [70] Matth. 19. [71] Matth. 11. [72] Matth. 18. [73] Luc. 1. [74] Isa. 3. [75] Ibid. [76] Ibid. [77] Gen. 18. [78] Sap. 7. [79] Psal. 50. [80] Sap. 8. [81] I Cor. [82] II Cor. 10. [83] Matth. 25. [84] Prov. 31. [85] Cap. 18. [86] Job. 17. [87] Isa. 40.

pulchra facies, febre superveniente, deficit; morte vero irruente, putrescendo sordescit. Porro virtus, quæ est pulchritudo animæ, florebit in æternum sicut lilium ante Dominum, sicut palma, sicut cedrus Libani in domo Domini [87*]. Ideo ille qui est *speciosus forma præ filiis hominum* [88], *flos campi et lilium convallium* [89], de jasto loquens : *Super ipsum* inquit, *efflorebit sanctificatio mea* [90]. Non exterior facies, sed interior conscientia pulchram te faciet. *Omnis gloria regis ab intus in fimbriis aureis* [91]. Hæc est enim *gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ* [92]; hanc speciem, hunc decorem sponsus concupiscit in sponsa. O virgo concupivit rex decorem tuum [92*]; ideoque si vis auferria te omnem animi fœditatem et in humilitate Christum diligere, speciosa facta es et suavis; teque sibi Dominus exhibebit *non habentem maculam, neque rugam* [93]. Auditura es vocem lætitiæ et exsultationis : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* [94]. Veni, electa mea, ponam in te thronum meum, ut requiescat in te Dominus, et tu requiescas in eo; ut gaudeat sponsus super sponsam, et gaudeat super te Deus tuus. Propone ante tuæ mentis oculos in exemplum monialem illam quæ, cum præ nimia vilitate et abjectione sui corporis putaretur a sororibus suis fatua et immunda, per revelationem Spiritus sancti ab episcopo provinciæ tota congregatione sanctior et Christo acceptior est inventa. Sane si superbis, si sæculum appetis, si carni tuæ consentis, si murmuras, si invides sororibus tuis, si detrahis, si detrectas obedientiæ jugum, jam non es filia Sion, sed filia Babylonis; exclusa est a cœtu virginum, quæ cum Domino accensis lampadibus ingrediuntur ad gaudium nuptiale. Poteris inutiliter plangere cum filiæ Jephte virginitatem tuam, nec enim Dominus te acceptat in sacrificium sibi. Videbis publicanos et meretrices quæ præcedent te in regnum Dei; tuam enim virginitatem, quæ elegantissimum donum Dei erat, in contumeliam et injuriam convertisti. Vide quo te præcipitavit superbia, de cœlo in cœnum, de paradiso in infernum, de angelica puritate in æterni horroris et ardoris abyssum. Quid ergo faciendum est tibi? Revertere ad cor tuum, recogita dies tuos in amaritudine animæ tuæ. Arripe fortiter pœnitentiæ arma, nec differas pœnitentiæ fructum. Nescis enim quid ventura pariat dies :

Qui non est hodie, cras minus aptus erit [95].

Qui non facit, quando potest non poterit agere pœnitentiam quando volet. *Horrendum est autem incidere in manus Dei viventis* [96]. Horrendum est venire in locum tormentorum, ubi nec ignis exstinguitur, nec vermis moritur [97], nec fetori, nec ardori, nec dolori finis aut mensura imponitur. A quibus nos liberare dignetur sponsus sanctarum virginum Christus Jesus, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXIV.

AD EASDEM.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui [98].

Charissimæ sorores, vos estis quibus apostolus Paulus loquitur, dicens : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* [99]. Testimonio siquidem Veritatis : *Beati sunt qui se castraverunt propter regnum cœlorum* [100]. Apostolus dicit : *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus* [1], *et qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit melius facit* [2]. Et de virginitate propria loquens : *Volo*, inquit, *vos omnes esse sicut meipsum* [3]. Et utinam permaneat unusquisque secundum consilium meum! *De virginibus* enim *præceptum non habeo; consilium autem do* [3*]. Magna est prærogativa virginum. Solis virginibus a Deo datum est cantare canticum novum, quod nemo alius cantat, et sequi Agnum quocunque ierit [4]. Scriptum est : *Gratia super gratiam mulier pudorata et sancta* [5]. Deus nascitur in mundo; ut mundum redimeret, virginem sibi elegit in matrem; nec enim alia mater decebat Deum, nisi virgo; nec alius filius decebat virginem, nisi Deus. Sunt aliquæ inter vos apud quas vel bono conjugali, vel lubrico, et facilitate consilii violata est integritas virginalis. Istæ sequuntur Agnum, sed claudicant uno pede. Pedem humilitatis habent, sed non virginitatis. Ideoque non sequuntur Agnum quocunque ierit. Virgines enim non suntaliquæ, et si virginitatem perdiderint, per humilitatem tamen Domino placere intendunt Fregerunt virginitatis sigillum, sed student reformare quod fractum est. Nam, sicut exhibuerunt membra sua servire immunditiæ ad immunditiam, iniquitati ad iniquitatem, ita exhibent membra sua servire justitiæ in sanctificationem. Illa quæ fuerat ancilla carnis ad delicias sæculi in contumeliam Christi, facta est ancilla spiritus in contemptum et odium mundi, in amorem et gloriam Dei. Filia Edom, filia Babylonis inebriata Spiritu sancto, facta est filia et sponsa, soror et amica regis Altissimi. Et hoc est forte quod Jeremias dicit : *Gaude et lætare, filia Edom, ad te quoque veniet calix inebrians* [6]; hic est calix amoris, poculum amatorium, quo ebria erat illa quæ intraverat cellam vinariam, et dicebat : *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo* [7]. Sic, mediante charitate, recompensat jacturam virginitatis, et reformat per pœnitentiam dispendium corruptæ carnis. Hæc cum Rachele idola patris sui sub fimo, et cum Jacob fragmenta idolorum Laban sub terebintho abscondit; dum per humilitatem pœnitentiæ et Dominicæ Passionis memoriam suas iniquitates a facie summi exactoris

[87*] Psal. 91. [88] Psal. 34. [89] Cant. 2. [90] Psal. 131. [91] Psal. 44. [92] II Cor. 1. [92*] Psal. 44. [93] Ephes. 5. [94] Caut. 4. [95] Ovid. [96] Hebr. 10. [97] Isa. 66. [98] Psal. 44. [99] I Cor. 11. [100] Matth. 19. [1] II Cor. 10. [2] I Cor. 7. [3] Ibid. [3*] Ibid. [4] Apoc. 14. [5] Eccli. 26. [6] Thren. 4. [7] Cant. 5.

avertit. Tam viduæ quam virgines habent fiduciam repromissionis in Christo, *non enim est acceptor personarum Deus* [8]. Virgo humilis angelorum socia est. Si vero muliebria passa est, aut cum Maria sedet ad pedes Jesu, aut cum Martha piis operibus se exercet [9]. Tam virginem quam corruptam monet ad perseverantiam sanctitatis Propheta, cum dicit: *Audi, filia, et vide, et inclina*, etc. Existis de hoc sæculo nequam, exivistis de Ægypto, et venistis in hanc solitudinem sacrificare Domino Deo vestro. Nolite reverti ad allia et pepones Ægypti, ad sanguineas dapes; sufficiat vobis manna cœleste et panis angelorum. Mors enim est in olla Ægypti; reliquistis hydriam mundanæ cupiditatis cum Samaritana, utramque spiritualem Jericho destruxistis; Josue [10] maledictionem incurrit qui reædificat Jericho. Scio quia Ægypti musica vobis frequenter insibilat, et occulta inimici tentatio redire ad sæculum vos invitat. Revoca te ad populum tuum quem reliquisti, et ad domum patris tui Amorrhæi.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Quid enim tibi et parentelæ tuæ? Nonne mortua es et parentibus tuis et complantata similitudini mortis Christi? Sed dicis: Unus de intimis parentibus meis infirmatur, aut moritur, ad eum me exire oportet. *Audi, filia, et vide*, ne exeas: *Sine mortuos sepelire mortuos suos* [11]. Vide ne tu sepeliaris in inferno pro eis. Frequenter legimus in libro experientiæ, quia multos traxit in infirmum affectio parentelæ. Quoties egredere claustrum, præponis animam tuam, ponis quasi sub jactu aleæ, majusque est omni thesauro quod certo exponis periculo. Sentias ergo cum Propheta et dicas: *Anima mea in manibus meis semper* [12]. Noli, quæso, cum secularibus aliquod habere commercium: *qui enim tangit picem inquinabitur ab ea* [13], *bonosque mores corrumpunt colloquia prava* [14]. Ignis in sinu, serpens in gremio, mus in pera, male suos remunerant hospites. Noli esse de numero illorum de quibus scriptum et: *Commisti sunt inter gentes et didicerunt opera illorum* [15]. Noli, filia, exire in publicum; mundus enim plenus est laqueis, plenus periculis, plenus mortibus.

Desponsata est Christo; si caro et sanguis, si amor parentum et aliud revelaverit aut suggesserit tibi, intende ad Christum, et dic: Non recedam a justorum consilio, a congregatione sanctorum. Docet te Propheta et dicit: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione* [16]. Si aliquis de parentela tua te vocaverit, aut pro te miserit, Satanæ tentatio est. Noli retro aspicere cum uxore Lot [17]: vaccæ feræ quæ deferebant arcam Domini in Bethsames, colla sua non reflectebant ad vitulos [18]; nec tu collum aut pedes reflectas ad consanguineos tuos. Dedisti obedientiæ manum, et imposuisti tuo vertici jugum ejus Audi ejus sapientiam quæ dicit: *Injice*, inquit, *pedem tuum in compedes illius, et ne acedieris a vinculis ejus* [19]. Si claustrum egrederis, transgrederis. Dina filia Jacob egressa est ut videret ludos alienigenarum, et oppressa est a Sichem filio Emor [20]. Non est enim pudicitia ubi est sæculum, eti deo non est pudicitia extra claustrum. Sera filia Raguel uxor minoris Tobiæ dicebat: *Tu scis, Domine, quoniam nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum mulieribus quæ in levitate ambulant* [21]. Jeremias etiam dicit: *Non sedi in consilio ludentium: sedebam solus quoniam amaritudine replesti me* [22]. Sit Sara tibi in exemplo; sit et Jacob qui domi habitans benedictionem hæreditavit [23]. Esau vero foris vagans primogenita sua cum paterna benedictione amisit. Prope est ut retribuat Dominus unicuique secundum opera sua [23*]; præcedet Regina virginum; proximæ ejus afferentur, et cum ea adducentur in templum regis [24]. Tunc erit Jerusalem cœlestis quasi sponsa ornata viro suo. Gaudebit tunc sponsus super sponsam, et dicet: Veni, in electa mea, et ponam in te thronum meum, ut in te sedeam, et quiescam, et sis sedes mea in sæculum sæculi [24*], et apparebunt ea die gloriosa quæ dicta sunt de te, quando erit sicut lætantium omnium habitatio in te [25], quando intrabit in delicias claritatis, et voluptatis æternæ beata Virgo cum virginitate sua, Sara cum nuptis. Anna cum viduis, Magdalena cum pœnitentibus suis, et eveniet quod per Isaiam promiserat Deus: *Ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium, et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo cum populo meo, et non audietur in ea ultra vox clamoris et fletus: eritque mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato* [25*]. Ibi satiabimur in bonis domus Domini, et potabimur a torrente voluptatis illius [26]. Ibi videbimus Filium in Patre, et Patrem in Filio, et Spiritum sanctum in utroque: quod est vita æterna et gloria consummata. Quam nobis præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXV.

AD POPULUM.

De duobus versibus psalmi XCIII: *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem; et: Nisi quia Dominus adjuvit me*, etc.

Petis a me, charissime frater, ut habitum sermonem ad populum scribendi officio tibi communicem: et quæ laicis satis crude et insipide (sicut eorum capacitatis erat) proposui, in Latinum sermonem studeam transferre. Speras profecto, non solum dicendi celebritate, sed Latinæ locutionis volubilitate

[8] Act. 10. [9] Luc. 10. [10] Cap. 6. [11] Matth. 8. [12] Psal. 118. [13] Eccli. 13. [14] I Cor. 15. [15] Psal. 101. [16] Psal. 110. [17] Gen. 19. [18] I Reg. 6. [19] Eccli. 6. [20] Gen. 34. [21] Tob. 3. [22] Jer. 15. [23] Gen. 27. [23*] Apoc. 22. [24] Psal. 44. [24*] Ibid. [25] Psal. 86. [25*] Isa. 65. [26] Psal. 35.

nitescere posse materiam, quia quadam idiomats hujus prærogativa, sententiæ plurimum honoris et efficaciæ ex verbis accedit, et ad finem suum sic commodius sermo decurrit. Verum si materiam ullius putas esse momenti, quid est quod prosecutorem me petis, quin potius inextricabiles curas, quibus implicor totus, aut insipientiam meam contra tuæ instantiam petitionis excusas? Hæc autem a me importunus non tam impetras quam extorques; mutuum quod rependes officium, si hoc tibi opusculum aut habeas solus, aut lectum semel atque neglectum vel igne destruas, vel minutissima decisione dilaceres et disrumpas. Nec mireris si quotidiani sermonis exceditur brevitas, quia ipsa poscit Latini eloquii dignitas, sensus quos vulgari sub brevitate transcurri, uberiori aliquatenus gratia cumulari. Sermonis igitur illius hoc initium fuit: *Quis consurget*, etc. ut supra.

Nisi quia Dominus adjuvit me paulominus habitasset in inferno anima mea. Verba sunt Psalmistæ, fratres mei, considerantis in persona cujusque fragilitatem status nostri, astutiam impellentis inimici, ac virtutem denique resistendi. *Qui consurget*, inquit, *mihi?* mihi, inquam mortali peccatori et fragili, *adversus malignantes*, hostem scilicet triplicem, carnem, mundum et dæmonem? Quia quasi per fortitudinem non sufficiant ad impellendum, addunt et calliditatem ad evertendum. Quid igitur miser ego homo, quid faciam, impulsus per inimici fortitudinem, per calliditatem etiam eversus ut cadam, nisi Dominus suscipiat me, nisi consurgat adversus malignantes, nisi apprehendat arma et scutum, et exsurgat in adjutorium mihi [26*] Meditabatur justus iste nocte cum corde suo, et exercitabatur et scopebat spiritum suum. Exercitabatur, inquam, in lege Dei sui, in timore judicis sui, in amore liberatoris sui. Non est hæc exercitatio ad modicum utilis, quia ad pietatem inducit, quæ valet ad omnia. Unde dicit, *exercitabar*, et per exercitationem vidit; *scopebam spiritum meum* [27]. Quo enim melius ordine mundari spiritus potest, quam per salutatem exercitationem comprehenso quod lex præcipiat, inspecto etiam quantum legi vita nostra contradicat, quod timorem incutit judicis, tandem in amorem respiremus liberatoris. Considerare siquidem debemus cautius quid lec dicat: *Os Dominis interrogate* [28], id est sacrem Scripturam investigate: unde peccaverunt filii Israel, quia os Domini non interrogaverunt. Hinc est quod in Deuteronomio præcipitur: *Non recedat volumen legis hujus de corde tuo, et de ore tuo, ut dirigas viam tuam, et intelligas universa quæ agis* [29]. Dehinc vitæ nostræ seriem vinis debemus coaptare præceptis, et actus præteritos tenaci sæpius refricare memoria, ut vel testimonium conscientiæ pariat gloriam, vel salutaris confusionis erubescentiam introducat, de qua dicitur: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine* [30]. Sic juxta Salomonis sapientiam, vita nostra erit quasi pendens ante nos [31], ut de bonis proveniat gratiarum actio, vel de malis pœnitentiæ salubre lamentum. Applicata igitur vita nostra Scripturis, quis est, quæso, ex nobis, qui vel unum impleat mandatorum legis, cujus nec unum iota peribit quin impleatur [31*]? Hæc igitur applicatio timorem incutit judicis, qui ne forte deprimatur plus justo, et per acediam in foveam desperationis consequenter decidat homo, ab isto utiliter timore in misericordia pii Patris, in amore respiratur liberatoris qui, cum iratus fuerit, consuevit misericordiæ recordari.

Sic profecto per timorem charitus et per exercitationem introducitur pietas. Verum nobis sæcularibus, qui non solum in sæculo, sed ex sæculo sumus, qui constituti sumus in medio nationis pravæ et perversæ, pravi pariter et perversi, qui de calice Babylonis sæpius inebriamur ad nauseam; nobis, inquam, utilem plurimum credo et fructuosam exercitationem illam, quæ timorem incutit judicis, qui judicaturus est sæculum per ignem, per quem judicabunt nationes sancti, per quem filiæ Babylonis miseræ retribuetur retributio sua [32], id est retributio misera, retributio æterna. O felices sanctorum animæ, qui adhuc in carne positi extra carnem vivunt, et in homine vitam exhibent angelicam! O vere felices, quibus datur suavissimos contemplationis carpere fructus, quibus in hoc mari magno et spatioso quasi quidam tranquillitatis datus est portus; quos nec pavore concutit e regione irruens ventus, nec procellosi maris potest labefactare tumultus! O ter quaterque beati, quibus ante oculos semper amor est liberatoris, amor patris et patriæ, et quasi e longissima prospiciuntur regione timor judicis et gehenna! Hi profecto priorum obliti in anteriora se extendunt, qui jam timere non solum despiciunt sed nesciunt, et introductivo charitatis timore expulso, jam quodammodo nec amare non possunt, ex quo semel per amorem suaviter arserunt. Ungantur hi licet oleo Samaritani, nos vino compunctionis utamur; hauriant illi *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* [32*], et inebrientur ab ubertate domus ejus [33], potentur aqua sapientiæ salutaris, nos potum nostrum cum fletu temperemus, cibemur pane lacrymarum, potum quem dat Dominus in lacrymis, accipiamus in mensura [33*]. Illi semper epulum ad Patrem habeant, ad misericordem et mitem, ad largitorem munerum cum benedictionibus: nos oculos sæpius convertamus ad judicem, ad severum et zelotem, ad districtum examinatorem non solum operis, sed otiosi cujusque sermonis. Non est nobis ad eorum statum felicem via paratior, non ingressus aptior, non progressus utilior. Ardua est hæc via in ingressu,

[26*] Psal. 34. [27] Psal. 76. [28] Josue 9. [29] Josue 7. [30] Psal. 82. [31] Deut. 28. [31*] Matth. 5. [32] Psal. 136. [32*] Isa. 12. [33] Psal. 35. [33*] Psal. 79.

tolerabilior in progressu, fructuosior in egressu. Hæc est prima ad patriam via : *Initium enim sapientiæ timor Domini* [34].

Ardua prima via est, et eget moderamine certo. Vere certo, ut non convertamur ad dexteram de misericordiæ dulcedine nimis præsumendo, vel ad sinistram de misericordia desperando. Timor pons est angustior, per quem nisi cum maxima diligentia et cautela transieris, ad contemplationis amœna pervenire non poteris. Per hunc pontem angustum fit introitus ad latitudinem charitatis, in transitu hujus pontis et a dextera et a sinistra præcipitium æqualiter cave. Ut igitur redeamus ad id quod cœpimus, nos præcipue qui de hoc mundo sumus, in quibus et diligit mundus quod suum est, quoties redimus ad cor, primo loco timor occurrat, timor, inquam, judicis, timor tremendi illius examinis, in quo recipiet unusquisque prout gessit in corpore [34*], sive in quo positurus est magnus ille paterfamilias qui peregre profectus erat, rationem cum servis suis [35], quando scilicet omnes libri aperti erunt, et erit sibi quisque consiliarius, advocatus et Judex ; libri enim omnes aperti erunt omnibus. Tres autem in judicio libros attendo, librum viæ, librum conscientiæ,et librum vitæ. Librum viæ dico librum datum in via, et ad viam ; et hic triplex liber, scilicet institutionis Mosaicæ, prædicationis propheticæ et prædicationis evangelicæ. Librum autem conscientiæ quis nesciat cognitionem bonorum operum ad gloriam, vel malorum ad confusionem et ignominiam ? Liber vitæ liber est prædestinationis æternæ. Duo ex his libris nobis particulariter aperti sunt ; tertius universaliter signatus et clausus. Librum disciplinæ legalis jam nobis aperuit *Agnus qui occisus est*, qui solus *dignus* inventus est *aperire librum, et solvere signacula ejus ;* librum enim legis clausum prius tam scienti litteras Judæo quam nescienti philosopho aperuit nobis *Leo de tribu Juda* qui *vicit* [35*], *clavis David, qui aperit et nemo claudit* [36]. Facta est autem hujus libri apertio, quando verbum abbreviatum fecit Dominus super terram, et in verbo una omnia conclusit atque complevit, in Christo scilicet suo, qui totius Veteris Instrumenti glossa est et expositio. Unde in passione petræ scissæ sunt, et velum templi a summo usque deorsum ; tunc monumenta aperta sunt et multæ sanctorum quæ dormierant in sepulcro litteræ surrexerunt [36*]. Tunc *factum est cor* Dei *tanquam cera liquescens* [37] ; tunc tenebrosam aquam in nubibus aeris declaratio sermonum Domini illuminavit, et intellectum dedit parvulis [37*]. Hinc Philippus accurrens adjungitur currui, et dicit : *Putasne intelligis quæ legis* [38] ? Et ascendens currum ostendit clausum in littera librum, aperit legenti et non intelligenti, nomineque Christi pro-
A lato de prophetia Evangelium facit. *Oblatus est*, inquit, *quia voluit*, etc. [38*]. Apertus igitur nobis etiam in præsenti est liber viæ, quantum ad duas sui partitiones ; tertia etiam partitio, quæ ex Novo consistit Testamento, aperta nobis per fidem est, in futuro aperienda per speciem. Inde Hieronymus dicit quod in apostolis et evangelistis positum est velamen ex parte ; in judicio autem *aperiuntur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt* [39], *et videbit omnis caro quod os Domini locutum est* [39*] : et ita liber viæ tunc erit apertus ex toto. Liber etiam conscientiæ nunc clausus : unde : *Profundum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud* [40] ? Et alibi : *Quis enim hominum novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est* [40*]?
B Liber, inquam, ille tunc aperietur, quando scilicet manifesta erunt abscondita cordis nostri ; tunc apparebit homo nude portans fasciculum operum suorum, cum dicetur : Ecce homo et opera ejus cum eo. Librum etiam vitæ Dominus in judicio aperiet, cum *oves a dextris, hædos statuet a sinistris* [41], cum *exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum* [41*], cum introducentur ad gloriam *quotquot præordinati sunt ad vitam æternam* [42], et tunc salvus erit omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ [42*]. Addet forte aliquis librum experientiæ, in quo scilicet legent amarissimas historias, qui negligenter in libro vitæ legerunt, qui noluerunt intelligere ut bene agerent [43]. Tunc intelligent spinæ suæ rhamnum [43*], et qui periti noluerunt
C esse in pœna, flent sapientes in pœna. Fructuosum igitur nobis valde esset et utile, ut judicii illius modum et formam ante oculos poneremus, imo quotidie quasi quoddam judicium novum in animo teneremus, et arguentem nos Dominum ac statuentem contra faciem nostram et nos ex operibus nostris judicantem attenderemus. Nam, ut ait Apostolus : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* [44]. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ* [44*], et quotidiani hujus judicii formam, quam concipio, patienter audientes, ad morum informationem ac Dei timorem prudenter converteretis audita. Posset quidem pater ille familias quotidie ponere nobiscum rationem, et sicut de totius vitæ curricula ultima judicaturus est die, ita nobiscum quotidie de quotidianis actibus dis-
D putare et dicere : *Quod* hodie *uni ex minimis meis fecistis* vel *non fecistis, mihi fecistis* vel *non fecistis* [45]. Statuamus igitur Dominum sedentem pro judice, diabolum pro accusatore, hominem quamvis ex nobis pro causa, et ad consuetam judicii formam... redigamus.

Nec miretur quis si diabolum dixerim coram Deo, ut hominem accuset, astare, cum legatur in Job manifeste [45*] : *Quadam die cum assisterent*, etc.,

[34] Psal. 110 ; Eccli. 1. [34*] I Cor. 5. [35] Matth. 21. [35*] Apoc. 5. [36] Apoc. 3. [36*] Matth. 27. [37] Psal. 21. [37*] Psal. 118. [38] Act. 8. [38*] Isai. 53. [39] Isai. 35. [39*] Isai. 40. [40] Jer. 17. [40*] I Cor. 2. [41] Matth. 25. [41*] Matth. 13. [42] Act. 13. [42*] Apoc. 20. [43] Psal. 35. [43*] Psal. 57. [44] I Cor. 11. [44*] II Cor. 11. [45] Matth. 25. [45*] Cap. 1.

adfuit inter eos etiam Satan. Quod autem sanctum Job accusaverit, nec solum sequens demonstrat littera, sed et ipsius multiplex plaga. In Apocalypsi [46] etiam fratrum accusator dicitur, qui nunc tempore gratiæ eo callidius accusare intendit, quo contra jacula ejus ignita homo cautius fidei suæ sponsionem ad defensionem suam, et ecclesiasticorum sacramentorum munimenta prætendit. Venditus enim homo diabolo in servum per culpam primi parentis ante tempus gratiæ, non tam callidos tentatoris sustinebat assultus; sed erat ei *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* [47]; et inde non erat in homines debacchandi tanta immanitas, cum resistendi non daretur hominibus ulla facultas. Verum, cum fortior Christus superveniens domum diaboli fortis intravit, et tulit vasa ejus [47*], acrius diabolus persequi cœpit alacrius resistentes, et eo callidiores prætendit laqueorum insidias, quo plures vidit ereptionis hominum vias, et tunc cœpit juxta beatum Job [48], concupiscere escas electas; unde ad cribrandos etiam apostolos expetiit potestatem. Verum redeamus nunc ad id quod cœpimus, et accusatores quodammodo verbis utentes, apud patremfamilias sedentem pro judice, hominem in medio constitutum diffamare studeamus, quasi dissipaverit bona illius. Astat, inquit, Domine, homo iste totus homo, totus humus, totus caro, cujus in propatulo culpæ, cujus infinitæ contra majestatem tuam offensiones, cujus non levis culpa promeretur veniam, sed immanium pertinacia peccatorum iram provocat et vindictam. Si pertinaci de cætero parcere perseveras; si ad pœnitentiam toties oblatam, toties repudiatum adhuc tam obstinatum et ingratum exspectas, jam non judicis agis officium, sed negligentis et remissi. Recordare, quæso, justorum judiciorum, et his qui oderunt te, retribue: non habet misericordia tua, Domine, quod objiciat, si jam nunc justitia puniat, quem incorrigibilem prorsus operum pernicies et series continuata declarat. Si nunc tandem dederis ei secundum opera manuum ejus, si secundum nequitiam adinventionum ejus retribueris ei [48*], misericordiæ tamen tuæ non diceris oblitus [49]; quia, me licet invito, damnatum citra meritorum exigentiam es puniturus. Hic misericordia superexaltabitur judicio, dum longe citra meritorum exigentiam desæviet pœnalis afflictio. At ne generalibus tantum methodis videar inhærere, et speciale crimen ei nullum objicere, ut cætera prætermittam, quæ et modum excedunt et numerum; super trium specialiter criminum culpa eum aggredior, et de transgressione triplicis adversus eum constanter intendo. Primo quidem eum plane pronuntio mendacem atque perjurum, secundo proditorem duplicem et perversum, tertio raptoris ei impono crimen et vitium. Responsio in his omnibus sufficiens in evidenti est, et inductio manifestæ probationis in

A promptu. Quis enim mendacem neget atque perjurum, qui factum celebriter, et sub legitimorum testium astipulatione promissum peccati chirographum mecum conscribendo delevit, et baptismi pactum tam solemniter habitum, tot testibus approbatum cum fidei suæ transgressione disrupit? Ibi, bone judex, tecum agebatur in dolo, ubi remissionem culpæ originalis impetravit fallax et verborum nubilo palliata promissio. Verum, ni fallor, Deus sic promissionem aut juramentum intelligit, sicut ille, cui promittitur aut juratur, intendit. Intendebasne, bone judex, ibi tecum agi in dolo, et silebas aut non intendebas; decipiebaris cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum? At vero cum dolum perciperes, cur
B remissionem indulsisti? aut certe cur non remisisti in dolo, ars ut artem falleret, et in foveam, quam fecerat, falsus promissor et compertus deceptor incideret [49*]? Verum ne misericordiam tuam importune nimis videar increpare, qui judicium peto, quæ quidem, velim nolim, comes erit judicio; fueris licet in baptismo misericors aut remissus, et ætatem forte promittentis excuses; quis mihi de secunda et tertia aut certe pluries repetita promissione respondebit? non judicem cum reo in jus traho, sed judici offero judicandum; vel certe jam, si juste agitur, judicatum. Instituisti, Domine, tabulam secundam post naufragium, erectionem post casum, pœnitentiam post lapsum. Taceo et prætereo quod in fraudem meam facta fuerit hæc institutio, et quia eam destruere non valeo, esto, sit rata sustineo.

C Abrenuntiavit in baptismo reus hic Satanæ et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus, immemorque promissi, quam cito potuit abrenuntiato se tradidit, et operibus ejus se implicuit, et pompis immiscuit. Verum cognito quod egerat, sententiam immutavit in melius. Esto, rediit ad cor conversus ut odiret populum suum et domum patris sui; esto, dereliquit *impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et* reversus est *ad Dominum, et* misertus est *ejus* [50]. Esto, dum tamen et id pariter constet quod sententiam iterum mutavit in pejus, et facta sunt *novissima hominis illius pejora prioribus* [50*]: quod paucis ostendo.

Memento, quæso, quod coram vicario tibi promiserit, coram Christo tuo, coram sacerdote videlicet
D tuo innovavit pactum baptismi, et debito se renatæ promissionis astrinxit. Nec est certe quod ibi excuset ætatem, quod causetur violentiam, quod prætendat insufficientiam. Venit ante sacerdotem tuum adultus et discretus, promisit voluntarie et non coactus, et non impar humeris onus suscepit sponte intrepidus. Quid plura? uno eodemque momento et a sacerdote recessit, et a proposito resilivit: fefellit sacerdotem, fefellit te, fefellit se; abjecit jugum suave et onus leve, ac sub

[46] Cap. 12. [47] Psal. 31. [47*] Matth. 12. [48] Cap. 20. [48*] Psal. 27. [49] Psal. 97. [49*] Psal. 7. [50] Isa. 55. [50*] Matth. 12.

peccati jugo vetustam amplexus est servitutem, A abjecit vestem innocentiæ et induit vestem concretam sanguine; abjecit breve pallium, quod utrumque operire non potest, et pallium, quod dominæ Ægptiæ reliquerat, iterum apprehendit, et, ut brevius inferam, eo licentius ad perpetrata rediit, et nondum attentata aggressus est, quo majorem ante confessionem fuerat criminum reus, ut traheret restem longam, et quasi vinculum plaustri peccatum. Quasi igitur ad damnationem non sufficeret præteritorum fasciculus peccatorum, addidit promissionis trangressionem et fidei. Nec semel ad sacerdotem accesit in dolo, sed tempore determinato confitendi potius consuetudinem sequens quam conscientiæ puritatem, semel in anno præcedentibus peccatis hoc addidit, ut B in conspectu Christi tui mentiretur tibi et remissionem umbratilem a sacerdote reportaret in dolo. Quod si ordines sacros assumpsit, quibus est continentiæ connexa promissio, et in ordinibus sacris ita inordinate se habuit, ut esset *novissimus error pejor priore* [51]. Deficiet me tempus, si promissionum, quas tibi fecit, transgressiones, si votorum frustrationes enumero; taceo de mendaciis, quibus semper quotidianus ejus sermo respersus est. Taceo de frequentibus et interlocutoriis juramentis atque perjuriis, quibus tibi fragilitatem pro eo assumptam multipliciter objecit; quibus mortem, crucem, passionem, et cætera humanitatis improperia turpiter exprobravit, imo quodammodo Judaicæ rabiem crudelitatis excedens os ex te comminuit, imo ossa tua dinumeravit, et te quodammodo per minutissima C ossa distraxit. Si hæc, Domine, levia putas, multum derogas beneficio humanitatis assumptæ, nec tua fateris in veritate membra vel vulnera, quæ tantis tam faciliter sustines opprobriis, lacerari. Itaque aut injurias membrorum tuorum vindica et contumelias vulnerum, aut phantasma fuisse concede, sicut tui discipuli putaverunt. Igitur, judex bone, si *principium verborum tuorum veritas* [51*], imo si ipse veritas es, ex quo ablatum est ab ore rei hujus verbum veritatis usquequaque [52], in veritate, quæso, judica et pro veritate animam occide, cujus os tam sæpe mentitum est, et ab oculis veritatis exclude perjurum. Satis super primo articulo disputatum esse crediderim; præsertim in conspectu tuo, cui nec verborum argutiæ, nec rhe- D toricæ institutionis industria fidem dictorum facit; sed de vultu tuo, id est de cognitione tua judicium prodiit. Possent igitur ad propositum dicta sufficere sed ut enumerationem elocutio consequatur, proditor evidenter ostendatur et raptor Proditorem primo manifeste demonstro. Nunquid proditorem esse concedis, bone judex, eum qui manducat panes tuos, et magnificat adversus te supplantationem [52*]; Nunquid manus tradentis te tecum est in mensa, cum panem angelorum manducat homo [53], panem *qui de cœlo descendit et dat vitam mundo* [53*]? nihilominus tamen communicat inimicis tuis, abit *in consilio impiorum, in via peccatorum* stat, et quod scelestius est, imo quod sceleratissimum est, *in cathedra pestilentiæ* sedere gloriatur [54]. Aut traditorem talem esse concede, aut Augustinum tuum repelle plane dicentem, tantum peccat quis Christum tradendo peccatoribus membris, quantum qui tradiderit eum crucifixoribus Judæis. Displicuit tibi in discipulo tuo proditio, quæ non solum temporali punita est laqueo, sed igne irremediabiliter expiatur æterno. Consimilis igitur cur cessat ultio et retributio? cur tardatur, cum in hoc Judæ successores crimen appareat proditoris. Communicasti ei, Domine, de mensa tua, de altari sancto tuo, non quemlibet panem, sed panem angelorum: non quemlibet potum, sed sanguinem tuum pretiosum. Vero eum cibo saginasti, verum ei potum propinasti. Unde et dixisti: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* [54*]. Sedit ad mensam magnam, et cum similia præparare deberet, fel potius tibi propinare proposuit et acetum, rursum crucifigens sibimetipsi Filium Dei, et ostentui habens [55]. Quid si eum tanquam fidelem servum atque prudentem constituisti super familiam tuam, ut dares illi in tempore tritici, mensuram [55*]? Quid si de pane angelorum conficiendo eum ipsis angelis præfecisti, consecrationem Dominici corporis et sanguinis ini concedens, ad quam angelicæ naturæ puritas non accedit? Prospicere panem illum angeli cui cum tremore exsultant, sed conficere non attentant; non enim angelis mundissimis datum quod hominibus peccatoribus concessisti. In angelis tui reperisti pravitatem [56], hominum peccata dissimulas; perditum hominem et cum quadam violentia et difficultate redemptum magis honorare videris atque diligere, quam angelum tuum nunquam perditum, ac proinde nunquam redimendum. Speciosum te forma facis præ filiis hominum appellari [56*], quasi homines præcellere tibi sit gloriosum, qui claritate visionis tuæ puritatem pascis et vegetas angelorum. Vere *deliciæ* tuæ *esse cum filiis hominum* [57], quibus non solum angelicam deputasti custodiam, sed et supra angelos humanam sustinuisti exaltare naturam.

Hinc quasi extra hominem potius homo Paulus audet se quasi angelorum judicem angelis gloriando præferre: *Nescitis*, inquit, *quia angelos judicabimus* [58]? verum hæc tibi relinquo, judex bone, et sileo. Videant æquitatem oculi tui, an scilicet humana natura debeat angelos judicatura conscendere, an digna sit potius nobiscum judicata descendere. Humilies quantumlibet angelos tuos, inclines, quantumvis cœlos tuos, hominem subleves sublimes, inveniat filius prodigus gratiam in conspectu patris

[51] Matth. 27. [51*] Psal. 118. [52] Ibid. [52*] Psal. 40. [53] Psal. 77. [53*] Joan. 6. [54] Psal. 1. [54*] Joan. 6. [55] Hebr. 6. [55*] Matth. 24. [56] Job. 4. [56*] Psal. 44. [57] Prov. 8. [58] I Cor. 6.

sui, et novem drachmis drachma decima perdita ac reperta præpolleat, ovisque centesima nonaginta novem relictis in deserto sit charior [59]; sustineo ecce et taceo, dolere possum, invidere possum, impedire non possum; verum vellem sic te diligere hominem, ut odires proditorem; naturam te persequi nolo, sed vitium. Habeat sibi humana natura titulos suos, habet sibi prærogativam dignitatis suæ, dum tamen inveniat culpa quod meruit, non eat in vacuum culpa, et homo quantumvis de dignitate status sui glorietur in pœna, hominem suscipe, si placet, sed despice proditorem.

Si mendacis hujus atque perjuri proditionem dissimulas, et occasiones more tuo quæris ut parcas, justitiæ tuæ jam nunc injurias facis, quæ ultionem ex eo et me tacente reposcit. In evidenti enim est proditio quam propono, quam commensalis hic tuus inimicis tuis communicavit, pulsantibus aperuit, intrantibus obviam venit, gratanter suscepit, hospitio imo quanta potuit diligentia et sollicitudine eis est familiariter obsecutus, dereliquit novus Judas consilium pacis, et cum iniquis consiliatus est. Nonne sunt quæ odisti. Domine, superbia, cupiditas, gastrimargia, luxuria, et hujusmodi? Quantam his familiaritatem ostenderit, quam devotum se in eorum obsequium dederit, si placet, paucis adverte. Quis natione cœlestem superbiam in arce cordis sui sublimius collocavit? Quis ad serviendum mammonæ diligentiorem curam impendit? Quis gulæ magis illectus ingluvie? Quis inquinatus magis sorde luxuriæ? Quem, quæso, magis inflammavit cupiditas, avaritia stimulavit, inflavit superbia, suspendit ambitio, effeminavit lascivia, luxuria sordidavit? in promptu demonstrare est quod aperuit diabolo et clausit Christo. Qui enim superbiam recipit, non solum humilitatem sed et humilitatis magistrum Christum excludit, qui et dicit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [60]. Quis cupiditatem introducit non solum largitatem exterminat, sed et munerum largitorem, qui ad astruendam liberalitatem largitatis suæ prohibet de crastino cogitare. Qui gastrimargia peritus non solum salutare jejunium aspernatur, sed et jejunatori claudit, qui *cum quadraginta diebus jejunasset, postea esuriit* [61]. Qui in cubiculo suo luxuriam collocat, non solum *sanctimoniam* expellit, *sine qua nemo videbit Dominum* [62], sed et pariter eum repellit, qui virginitatis gloriam dedicavit in matre, et cœlos cœpit virginitatis fecunditate replere. Alias mihi sanguisugæ mea (*sic*) filias parit, sed prædictas quatuor specialiter perelegi, quæ optata mihi sæpius tropæa reportant et majora frequentius afferunt lucra. Ut de primogenita igitur primo agatur, quæ mihi triumphum de homine isto reportaverit superbia paucis expono. Primo siquidem si quod unquam opus de genere honorum fecit, verbi gra-

A tia, si eleemosynam dedit, jejunavit vel oravit, si in lege Domini meditando aliquid quod dignum memoria crederet potuit scriptitare, aut consulte quid egit, superbia, quæ vult esse comes virtutum, pulsavit, intravit, accubuit, ac denique totum opus sibi ipsa possedit. Pulsavit, inquam, per operis considerationem, intravit per approbationem, accubuit per quamdam operis extollentiam et admirationem. Possedit per quæsitam humani favoris et gloriæ laudem. Pulsavit, inquam, quasi prudens et discreta, intravit palpans et subdola, accubuit sublimis et gloriosa, possedit laudibus humanis præmiata. Pulsavit igitur caute, intravit obscure, accubuit manifeste, possedit secure. Igitur qui cum Aioth ambidexter esse debuerat, cum diabolo factus ambisinister, de dextera sinistram fecit, dum

B opus bonum sinistræ informationis infectione pervertit. Sic ad sinistram declinavit et dexteram, imo sic sinistram confudit et dextram, ut et crucifigi tecum bonum operando noluerit, et a sinistris crucifigi bonum ipsum sinistre informando maluerit. Verum si hominem ex operibus judicas, a sinistris erit in judicio, qui a sinistris fuerit crucifixus in mundo. *Repleta* erat *dextera* ejus *muneribus* [63], *et diabolus stetit a dextris ejus* [64], dum etiam bonum quod fecit pro munere fecit laudis humanæ; sic aquam egredientem de templo a latere dextro in sinistrum latus se dando sibi fecit inutilem, et Dominici cruoris a latere dextro fluenta manantia ob copiosam quæ apud Dominum est redemptionem,

C sibi prodesse non pertulit. Nec solum operibus ejus bonis bonitatem superbia victrix invidit; sed et ut mala ipsa superbe fierent, et cum contemnentis vultuositate providit. Gloriari ausus est in malitia potens iniquitate [64*], nec sub Deo et facie ejus fugiendo peccavit, sed contra Dominum et in faciem ei resistendo furoris Dominici ausus est provocare vindictam. Nihil enim tantum Deo legitur displicere, sicut post peccatum cervix erecta. Confringe igitur, Domine, cervicem peccatoris; elide pertinaciam tibi in faciem resistentis, qui de offensione tua erectus est in superbiam, et de mandatorum tuorum, imo tui ipsius contemptu in oculorum extollentiam et elationem. Quasi enim victoria de se habita exsultavit cor suum, et, tuo penitus timore

D sublato, dissimulare jam visus est aut nescire quod qui dormit adjicere habeat ut resurgat [65]. Sic igitur superbia et bona ejus infecit, et mala perfecit, bonis abstulit condimentum, malis attulit complementum. Quæ divina esse videbantur, humana fecit, quæ humanæ erant fragilitatis diabolica esse perfecit, dum et bonis retributionem exspectavit ab homine, et de malis diabolicæ exsemplum exhibui elationis in homine. Gloriose igitur coronata superbia ad me est reversa de prælio duplici, ut dictum est, de hoste potita triumpho. Per superbiam

[59] Luc. 15. [60] Matth. 11. [61] Matth. 4. [62] Hebr. 12. [63] Psal. 25. [64] Psal. 108. [64*] Psal. 51. [65] Psal. 40

itaque aperuit diabolo, et clausit Christo; quod etiam in eo cupiditas magistra perfecit, quod tam pauperis status quam divitis luxus ostendit. Si enim data est ei a Deo paupertas, data pio munere, non pauperem Christum sequi voluit, sed divitem mundum; sed nec portum secundum aureæ mediocritatis elegit, sed in incerto divitiarum speravit, et in auro spem posuit, in quo confidunt homines. Ad pauperis igitur cordis ostiolum cupiditas damnata pulsavit, intravit, accubuit et possedit. Pulsavit opum gloriam explicando, intravit promittendo, accubuit spem in eis firmando, possedit finem in eis beatitudinis statuendo. Pulsavit ostendens promittenda, intravit promittens ostensa, accubuit spem stabiliens in promissis, possedit finem constituens in speratis. Pulsavit, cum ostendit omnia regna mundi, intravit quasi dicens: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me* [65*]; accubuit, cum sperare docuit in thesauris pecuniæ; possedit cum, altero dominorum excluso, soli mammonæ fecit ex quieto, placito et certa deliberatione servire. Sic igitur itum est in viscera terræ, per fas et nefas divitiæ conquisitæ, et thesauri latere volentes extrahuntur inviti; extracti iterum in alias tenebras retruduntur, ne liberalitas gratiosa dispergat guod iniqua cupiditas aggregavit. Felicem igitur paupertatis statum sitibunda cupiditatis scabies inquinavit, medicinam convertit in morbum, et per anfractus desideriorum varios compendia ad patriam indulta distorsit.

De divitum autem statu quid referam, quem sibi totum idolorum servitus vindicavit, qui necessario, vel iniquam facit, vel iniquitatis hæredem? Omnis enim dives iniquus aut hæres iniqui. Cum enim ad pauperem cupiditas ingeniosa pedetentim introcat, vires sibi continuas ex divitiarum incremento multiplicat, quia quanto plura conquirit, tanto majora concupiscere avarus addiscit:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit [66].

Sicut in morbo hydropici:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ [67].

Cupiditas igitur, quæ pauperem alliciendo demulcet, divitias conquirentem cruciat et extorquet, divitem vero jam factum omnino sibi vindicat et absorbet. Hæc est quæ oculos sapientium excæcat, et vires auctoritatis inclinat. Hæc est quæ in severam tyrannidem reges impingit, quæ legum statuta pervertit, quæ prælatos Ecclesiæ Judæ proditori conciliat, et decretorum sanctiones enervat. Hæc est quæ veritati patrocinium subtrahit, pauperibus justitiam, judiciis æquitatem. Igitur, ut ostensum est, aperuit diabolo reus iste per cupiditatem, clausit Christo: quod et illa potenter effecit, quæ per pomi vetiti gustum primum hominem de paradiso ejecit [67*]. Hæc est gastrimargia, quæ et ipsa pulsavit, cum coquinæ labores et cibos obtulit delicatos; intravit, cum ventrem non fame, sed pretio invitavit; accubuit, cum docuit epulari quotidie splendide; possedit, cum pro Christo Deus esse venter incœpit. Pulsavit per appetitus dulcedinem, intravit per gustus suavitatem, accubuit per consuetudinis absorptionem, possedit per illicitam ventris dominationem. Hinc imaginem et similitudinem Dei, quæ refulget in homine, cæca deformavit ebrietas, et in animal brutum insensata hominem sensualitas declinavit. Proditur deinde in affectum cordis, ex adipe prodit iniquitas, et a Nabuzardan principe coquorum captivatur Jerusalem [68]. Sic super talentum plumbi sedens iniquitas a ventris ingluvie ad ignobilia membra et ventris amica descendit. Saginato enim ventre atque farcito, furiata totum hominem libidinum pompa deambulat, et fremitu quodam effrenato ac concussione horribili, ad consensum genitalium cætera etiam membra potenter inclinat. Irrigatus siquidem corporis humor spinas germinat voluptatum, et quasi ratione sopita sensualitas sola humani corporis habet imperium. Et comessationibus profecto et ebrietatibus humanæ compositionis organa cuncta delirant, et in vitium faciliter omnium membrorum natura degenerat. Lascivus in conviviis oculus luxuriantem frangit aspectum, unde legitur: *In conviviis luxuriantes, oculos habentes plenos adulteriis et incessabilis delicti* [68*]. In conviviis litis lingua balbutit, et garritu superfluo verba semiplena confundit: unde et linguæ refrigerium specialiter dives in gehenna requirit. In conviviis dextra percussionibus sævit, et a verbis frequenter proditur ad verbera; unde et legitur: *Cui rixæ? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis* [69]? Quid insuper, judex bone? Quid de christo tuo dices? de sacerdote sancto tuo? Imo si recte agitur modo qui pepones et allia et ollas carnium sectatur Ægypti, et hesternam sæpius crapulam eructat in calice, quia licet tota nocte dormiendo transmissa et matutinis vigiliis, aut omnino prætermissis, aut multipliciter syncopando transcursis, ex vino hesterno ructus inter sancta dedit ex indigestione convulsos. Prædixerat apostolus Paulus: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt* [70], id est corporum voluptati, et ciborum affluentiæ. Beatus Augustinus: « Si vinolentia, inquit, te ingurgites, quantaslibet lingua tua Dei laudes sonet, vita blasphemat. » His ita transcursis breviter, restat ostendere quomodo per luxuriam aperuit iste reus diabolo, et clausit Christo, quoniam et ipsa pulsavit, intravit, accubuit et possedit. Pulsavit, cum per primos motus consensum expetiit; intravit, cum dulci medullarum calore consentientis membra perfudit; accubuit, cum ad operis illiciti patrationem victum inclinavit. Possedit, cum incli-

[65*] Matth. 4. [66] Juven., *sat.* 14, v. 139. [67] Ovid. *Fast.* l. I, v. 215. [67*] Gen. 3. [68] IV Reg. 25. [68*] II Petr. 2. [69] Prov. 23. [70] Hebr. 13.

natum sub lapide consuetudinis pressit. Pulsavit igitur per appetitum, intravit per consensum, accubuit per opus completum, possedit per consuetudinis vinculum. Pulsavit prætendendo naturam, intravit concipiendo culpam, accubuit patrando conceptam, possedit repetendo de more patratam. Igitur si libido titillavit sensum, si ad illicita desideria naturæ languor allexit, non elisit reus iste nequitiam vi scientiæ, nec parvulos allisit ad petram [71], nec vulpes parvulas cepit, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth [72]; sed statim libens ad consensum usque prorupit, et ad opus illicitum declinavit, in foveam turpitudinis sese præcipitem dedit, et consuetudinia lapide pressus et sepultus, contra Dominum obdormivit : clausit super eum puteus os suum, et *intraverunt aquæ usque in animam ejus* [73] : hic solum tentationi ingruenti non restitit, sed eam sæpe prævenit, et concupiscentiam propriam irritando vicem nequissimorum spirituum gessit, quorum interest in tentationem inducere, et sopitos fomitis igniculos congestis undique spinis et stipula suscitare, donec exardescat sicut ignis in spinis [74]. Aperuit igitur diabolo per luxuriam, et clausit Christo, quia non solum pulsantem suscepit hospitio, sed quasi renitentem traxit et allexit invitum. Quod si arcam Domini statuit juxta Dagon, sicut plurium mos est nunc temporis sacerdotum, qui Filium Virginis statuunt juxta filium Veneris, qui nec renibus præcinctis, nec corde præusto sacramenta mundissima præsumunt tractare immundi, et sacratissimum illud corpus non sindone mundi involvunt, sed conscientia cruenta suscipiunt, non in monumento novo et exciso in petra suscipiunt [75], sed in sepulcro dealbato, pleno intus omni spurcitia et ossibus mortuorum [75*]. Plura ex his quam hic dicantur intellige, Domine, ne causæ pariant compendia captata dispendium, et adducat brevitas circumcisa jacturam. In immensum enim protenderetur oratio, si per numeros, tempora et modos velim exponere quod cum inimicis tuis habuit commensalis iste tuus commercium, quod proditionis propositæ notam habere constat et vitium. Non est diutius immorandum ut raptor ostendatur, qui proditor non dubitatur atque perjurus, ne pœnam promeritam, quam deposco, oratio in longum protensa retardet. Raptorem ergo paucis adverte. Quis enim manifestam neget esse rapinam, cum res aliena invito domino contrectatur, et ad alterius dominium res proprio domino subtracta distrahitur. Hoc autem reus iste fecisse convincitur, qui animam a Deo non datam ei, sed præstitam, ab ipsius alienavit servitio, et meæ potius ditioni subjecit : de ancilla deitatis ancillam fecit iniquitatis. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati* [76]. Si raptor esse denegatur, raptoris nomen pariter evitet, et crimen, qui mutuari solet, et non solvere, debitor ingratus in mutuo, in deposito infidelis. Porro si talenti illius

A evangelici, custos fidelis arguitur, qui pecuniam domini sui abscondit, paratus reddere, propter usuræ incrementa commissum [77], quis impunitum abire permittat eum qui talenta commissa gratis et credita non multiplicavit ad gratiam, sed distorsit ad culpam? Propter enim lucrum divina ad usuram talenta est partitus, dum naturæ dotes et dona gratuita non ad auctorem naturæ retulit et gratiæ largitorem, sed ad passiones ignominiæ, ex bonis tuis occasionem sibi sumens et materiam delinquendi. Factus enim eo ad culpam pronior, quo naturæ dotibus et gratiarum largitate sublimior. Sic animam tuam, sic munera tua tibi, judex bone, subtraxit, et præter beneplacitum tuum meo dominio subjugavit, de tuo mihi te invito lucrum fecit, sortemque tuam ad usuram propter mea lucra donavit. Taceo de
B rapinis manifestis, quibus non solum proximorum sarcinæ violentia auferuntur, sed res etiam pauperum indebite detinentur. Raptorem enim plane scriptura tua pronuntiat, qui pauperibus credita non dispensat, nec multum interesse commemorat, an sua non det quis, an diripiat aliena. Ut igitur quæ dicta sunt brevi concludam epilogo, finem suum mala videtur oratio consecuta, quæ et perjurum apertissime demonstravit, et proditorem irrefragabili argumento convicit, et raptorem manifesta ratione conclusit. Pœnas igitur deposco, judex bone, quas meruit, justitiam nunc tuam de jure compellans, ne misericordiam de cætero negligentem aut remissam esse promittat; sed rem nominis impleat, manifesteque convicto retribuens secundum opera
C sua districta videlicet severitate quod justum est. Audistis, charissimi, quantis contra hominem hunc utitur argutiis humani generis inimicus, quantis persuationibus utitur, quantis rationibus et iram judicis incitat, et peccatori pœnam exposcit. Quis, quæso, ex nobis quibus specialiter sermo iste conscribitur, actus relegens vitæ præteritæ, in hujus accusationis districtione non timeat? Quis sermonum istorum jacula ignita sustineat? Quis diffinitivum calculum in hujus causæ discrimine totis visceribus non contremiscat? Denique quis se ab injectis facinoribus sufficienter excuset? aut quis veritatem in hac disquisitione abscondat et deneget, præsertim cum in conspectu agatur judicis cuncta cernentis. Cæterum non tantum præmissæ accusa-
D tionis species contexta deterret, quantum accusatoris subtilitas, quæ non solum ex naturæ suæ perspicacitate, sed et longissimo rerum et temporum usu comparata dignoscitur; eo enim accusationi suæ fortiora ingerere argumenta credendum est, quo tenacioris scitur esse memoriæ, quo perspicacioris malitiæ, quo truculentioris invidiæ. Præterea quos hominis sensus formido injecta non hebetet? Quæ viscera horribilis non concutiat timor, quod in conspectu judicis veri pariter ac severi pro veritate causæ videtur incesse, et non tam accusando iniqui-

[71] Psal. 136. [72] Cant. 2. [73] Psal. 68. [74] Psal. 117. [75] Matth. 27. [75*] Matth. 23. [76] Matth. 23. [77] Matth. 25.

tatis suæ venena diffundere, quam pro veritatis injuria declamare? Factor, cum recogito *annos meos in amaritudine animæ meæ*[78], cum facinorum meorum seriem ad hujus accusationis justitiam oculis judicis antepono, irruunt in me formido et pavor, veniunt super me timor et tremor, et quasi quædam tenebræ cor meum caliginosa quadammodo involutione contexerunt. *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris*[78*] : paululum tamen ab hac formidine respiremus, et ad respondendum objectis aliquatenus insistamus. Bene utique provisum est, si quadam levi exceptione quæ videntur occurrere, hujus accusationis possemus molimina excusare.

Dicamus igitur sine præjudicio melioris consilii, imo dicat reus in judicio constitutus : Inevitanda, Domine, legum æquitate sancitum est, ne inimicus in accusationem inimici recipiatur, quoniam sic pateretur persæpe veritas affectata calumniam, dum livore mordaci non culpam, sed personam persequeretur intendens. Patet autem quod hostis non solum meus sed humani generis inimicus antiqnus accusationem in me contexuit istam, a qua, judex bone, dictam ob causam absolvi humiliter peto, ne nocere mihi valeant maledicta, quæ in me ex antiquo livore congessit. Nil, inquit, accusator, nil tibi, proderit hoc commentum, quoniam quidquid subterfugiendo excipias, accusationis contextæ argumenta verissima non evitas. Esto, inquam, inimicus tuus esse concedar, et ideo in accusationem tui non admittar, dum tamen illa non sileat qua judice nemo nocens absolvitur, quam nocens quisque compellitur.

Nocte dieque suo gestare in pectore testem.

Loquere, inquit conscientia, loquere quæ de more nocentes accusas, quæ mordacibus aculeis pungis et crucias, et ante pœnas infernales miserorum animos immisericorditer extorques et laceras. Loquere, quæso, loquere conscientia, secretorum abscondita profer ad lumen, et quæ in tenebris facta sunt prædica super tecta. *Clama*, quæso, *ne cesses*[79]. Quid, inquit conscientia, quid clamabo ? unde incipiam? Quo gesta hujus hominis sermone describam? visne ut longissimæ iterum accusationis argumenta contexam ? Porro cujus aures ad audita non tinniant, si quæ mihi implicite reservari explicare contendam ? Cæterum ut paucis me liceat expedire, orationi tuæ plane consentio, et quæcunque intulisti vera esse propono. Imo veritati plurima ad digne memoranda oratio circumcisa subtraxit, reique seriem minus evidenter brevitas affectata disseruit. Ad enarrandas siquidem et enumerandas punctiones meas, et mordaces repercussionum mearum aculeos, quibus ad excessus singulos hominem miserum ultrix insatiata rodebam, sermo nimirum mihi de-

A ficit, quia non sufficit, quoniam in his nec modum sermo rebus inferior æquat, nec numerum arena compensat. Ex paucis autem novit judex tuus multa colligere, cui præter Simonis officia omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et ad quem etiam tacendo clamatur. Quid nunc, inquit accusator, quid miser homo ad ista respondes ? Qua nunc exceptione poteris cavillari? Qua pœnam promeritam interpositione niteris remorari ? An et hanc inimicam tuam dices, quia testimonium perhibet veritati[80]? Usque adeone veritas tibi odium parit, ut præter verum nihil in hac causa formides? consciamne tibi conscientiam tuam veritatis occasione hostem familiarem, et ad nocendum efficaciorem esse proponis ? Si et hanc inimicam tuam judicas,

B ipsos veritatis asseclas angelos pro veritatis testes invoco et induco, si tamen voluerint loqui quod sicunt, et testari quod viderunt. Quinimo loquantur de te, ut volunt, testificentur, ut libet, mentiantur, si licet, et per mendaciorum angelos falsitatisque diffugia veritatis, si possunt, plana declinent. Loquatur, quæso, Domine, angelus ille potissimum, qui ei ad custodiam inutiliter deputatus angelo Satanæ victus toties cessit, et in omnibus consiliis suis repulsus et spretus quasi subtristior sæpius et confusus abscessit. Unum, judex bone, unum finaliter peto, ut patrocinium causæ meæ veritas præstet, et invitum pro veritate discrimen soror veritatis justitia judicium accelerando diffiniat. Utinam, fratres mei, in hujus etiam coangustationis articulo excogitaret locum exce-

C ptio, quæ conscientiam ab hujus accusationis importunitate repelleret, et hominem hunc ab imminentis diffinitionis calculo liberaret! Excipiendumne est quod mulier in accusatione non recipitur, nisi de sua vel suorum injuria agatur? Conscientiam nomine feminino censeri manifestum est, quare ipsam ab accusationis jure figura dictionis videtur excludere, ipsaque rei proprietas nomine feminino signanter expressa.

At manifeste, inquit conscientia, de mea agitur injuria, quoniam munda a Deo creata sum, munda tibi, miser homo, a Deo data sum, munda custodiri jussa sum, et ne quid in me spurcitiæ originalis maculæ surculus reliquisset, ab ejus traductione in baptismo fidei, aut sacramentorum instructio non

D rationis a Deo insitæ mihi, aut tutela profecit, quominus renitentem me ad illicita desideria traxeris remordentem, quominus renitentem me pollueris et invitam, quominus in conspectu Creatoris nostri, et sanctorum angelorum fetere me feceris inexstincta semper rationis scintillula repugnantem. Mea igitur, mea est injuria, mea agitur causa, mea est specialiter accusatio et querela. Quid nunc, charissimi, quid contra hujus responsionis argutias ingerendum ? An adhuc inutilibus exceptionibus insi-

[78] Isa. 15. [78*] Psal. 54. [79] Isa. 58. [80] Joan. 5.

stendum? Accusationem profecto declinare non A possumus, veritatem negare in conspectu tanti judicis non audemus. Nihil, ut dictum est, exceptionibus agimus, quoniam si inimicum ab accusationis jure repellis, conscientia prosiliens suas proclamat injurias. Quod si et hanc repudias, verissimi testes angeli invocantur. Quid igitur quis nobis advocabitur in curia hac tam justa, tam vera tamque severa patronus? Si enim vel judicem ipsum, vel aliquem quantumlibet humilem de assessoribus ejus offendimus, omnes pariter nos offendisse necesse est, quoniam, omnium eadem voluntas est, fraternus in alterutrum amor, mutua inter omnes affectio, compar et sincera connexio charitatis. Quoniam igitur nobis ipsi non sufficimus, *sed sufficientia nostra de Deo est* [80*], quæramus advocatum ab eo necesse est B in causa nostra atque consilium, et dicamus: *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis* [81], etc.? A quo enim aptius quærimus advocatum quam ab eo qui et ipse advocatus noster est apud Dominus et Patrem? A quo autem consilium utilius quærimus, quam ab eo cujus nomen est *consiliarius*, ab Angelo magni consilii, a quo recta consilia? Astant autem in curia ista regali tres filiæ regis, penes quas totius curiæ non ex minima parte pendet auctoritas; per quas tantummodo et peccatores ad veniam et justi propinquant ad palmam.

Astant vero, ut tanti regis decet filias, in habitu honorato, in vestitu deaurato, circumamictæ varietate [81*]; in auro sapientiam accipio, eam quidem quæ stultam fecit sapientiam hujus mundi, de qua di- C citur: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobato* [82]. Varietas autem in donorum diversitate consistit, unde et apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ [82*]. Sunt autem hæ tres regis summi filiæ, tres virtutes catholicæ, fides, inquam, spes et charitas, in horum varietate gratiosa delectatur sapientia, ludens coram Deo in orbe terrarum. Quis enim in terra ludus acceptabilior? quæ varietas delectabilior? quæ delectatio sapidior, quam in earum affectibus cum vitæ æternæ prægustatione dulcissima meditari, et earum suavissimos motus alternis permutationibus sentire? Nunc enim ordine naturali a fidei motu surgimus ad sperandum, et hinc ad charitatis sublimati fastigia in eis latitudine delectamur. Nunc artificiali potius ordine D delectati charitatem proponimus, quæ alias informationis dignitate præcedit, et affectus sui prærogativa facit ut virtutes sint cæteræ.

Primus ordo, quem naturalem diximus, denotatur cum dicitur:

Prima petit campum dubia sub sorte duelli.
Pugnatura fides.

Secundus autem exponitur cum dicitur: *Major autem horum est charitas* [83]. Habent et singulæ aurum suum, habent singulæ varietates suas, de quibus nunc dicere præsentis negotii non est. Sed nec virgines istas, tam venerabiles, tam gratiosas tamque decoras introducere potuimus, quin earum aliquatenus laudibus assurgentes, quasi quasdam interponeremus breviter amatorias cantiones. Harum igitur patrocinium a judice postulemus, sine quarum ductu prævio non est nobis ad misericordiam pii Patris accessus, sine quarum adminiculo judicem nullum mortalium poterit videre securum. Accedant igitur, quæso, tres sorores, vel ex abundanti potius misericordia qua præcellunt, sese ingerant non rogatæ. Ne, quæso, exspectent ut reus in judicio constitutus in tanto discrimine tremebundus et pallens, vel meritis eas præcedentibus advocet, vel precibus compositæ interjectionis alliciat. Vitæ siquidem præteritæ tenor et series earum manifeste patrocinia demeretur, congelatique magnitudo timoris loquendi excludit audaciam, et vocis quodammodo stringens arterias, sonos vix exire permittit inter alta suspiria crebris singultibus syncopatos. Prosiliens igitur in medium:

Ut improba semper et audax.
Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura fides.

Et ut homini tam multipliciter aggravato cum sororibus suis prodesse licenter possit auxilio, et adesse consilio, mansuetudinem pii genitoris reverenter implorat. At inimicus atrox pium opus, ut ei semper est moris, nititur impedire, et in ipsam livoris etiam aut qui venena contorque. Quid igitur, o alma fides, quid tuæ detrahis puritati? Quid notitiam tuam, aut dissimulas aut excæcas? nescis me pro tuis hoc diserimen inisse injuriis, quæ, si tacuissem, eamdem debueras querimoniam texuisse? nunc autem ita rerum ordinem invertendo pervertis, ut athletæ tuo nocumentum præpares, adversario patronatum. Quod si jam tuos inimicos et odientes te diligas, foveas persequentes, inimicantes enutrias, quid de cætero clamitas in plateis, prædicas in ecclesiis et miracula tua cum præmiorum promissione annuntias et proponis? Jam enim, ut video, te despicere gratum est, te persequi utile, te mortificare securum. At vero si consueta te impellit improbitas, ut te mihi pro te tuisque sororibus laboranti constanter opponas, tuis nunquam incœptis assentiet soror tua spes, quæ nimirum consilio maturior est, proposito firmior, et ita, ut decet, severitate districtior. Tuque licet dissimules verba apostoli dicentis: *Fides sine operibus mortua est* [83*], et mortificationem tuam surda licet aure pertranseas, illa tamen suas ulcis sci poscet injurias, quæ transgressionibus suis pœnas sub maledictionis promulgavit edicto. Maledictus homo qui peccat in spe. Ad tuæ vero improbitatis propositum sese

[80*] II Cor. 3. [81] Psal. 94. [81*] Psal. 44. [82] I Cor. 1. [82*] Act. 3. [83] I Cor. 13. [83*] Jac. 2.

longe difficilius inclinaret ea quæ dignitate sublimior, constantia permanentior, et aliis asseritur major, quo summæ justitiæ et æquitati scitur esse vicinor. Hæc est charitas, quæ omnium injurias virtutum suas esse pronuntiat, et in una sui transgressione omnes pariter virtutes læsas esse asserit atque proscriptas. Ut igitur breviter inferam, vestrum pariter patrocinium reus iste demeruit, qui te sæpius, o fides, mortificavit per opus illicitum, et in spe peccando frequentius maledictionem induit sicut vestimentum, et in uno, hoc est in charitate crebrius delinquendo, reum sese constituit omnium. Ad hæc fides, o serpens antique, o virtutum omnium persecutor et æmule, meone calcaneo ponis insidias, sororumque mearum rectitudinem sermonum versutiis labefactare pertentas? Nihil agis, nequissime, exhortationibus tuis, nil sermonibus proficis venenatis, quia nec tuas ignoramus astutias, nec a piissimi Patris nostri cognita voluntate, nec ab insitæ mansuetudinis intemerato tramite declinamus. Scimus, perditissime, scimus quid divinæ voluntati complaceat, quid justitiæ conveniat, quid competat æquitati; quippe quæ divino conspectui semper astamus, et quæ apud eum divinitatis arcana vidimus et audivimus, pro salute hominum loquimur hominibus et testamur. Institutionis itaque nostræ est et non tuis exhortationibus credere, non argutiis et persuasionibus cedere; sed contra tua venena nequitiæ salutiferæ curationis antidotum propinare. Assumis autem Testamentum Dei per os tuum, et ad perversitatis tuæ propositum astruendum, renitentem Scripturæ rectitudinem niteris retorquere. Mortificatam me operibus esse proponis, peccatum in spe pronuntias, et in uno, hoc est charitate, delictum accusas.

Verum, nequissime serpens, eo in conspectu Altissimi viridior apparebo, quo nequissimorum hominum operum mortificatione fuero ad tempus aridior; eo quod mihi gloriosior erit in resurgendo triumphus, quo fuerit in hominis delicto casus dejectior; *ubi enim superabundavit delictum, superabundavit et gratia* [84]. Soror autem mea spes, quæ non confundit, quæ semper delectatur in bonis, et quantumlibet sæpe perversos a via sua mala præmiorum promissione avocat et reducit, tuas respuit in te calumnias quæ finaliter tantum delinquentibus in eam, et obdormientibus in morte maledictum intentat, et de nullo desperandum esse pronuntiat, quandiu positus fuerit in vita mortali. Cæterum excellentissimam sororem nostram divini singulariter vultus insignitam lumine et impressione signatam; charitatem, inquam, arguendo compellare quæ te impulit impudentia frontis attritæ, cum ei proprium esse non ambigas inimicos diligere, pro persequentibus exorare et vincere in bono A malum? Quæ cum omnia sustineat patienter, et faciat id solum cum pia quadam violentia, facit quod violenter indulget. Non hæc pro te characterem suum, non morem deseret usitatum, sed læsa quamtumlibet, quamtumlibet spreta ad lapsorum se humiliter inclinabit auxilium, et ad afflictorum se ingeret patronatum. Denique filiæ regis sumus, cui proprium est misereri semper et parcere, qui omnipotentiam suam parcendo maxime manifestat, cujus misericordiæ sunt in omnia opera, eum nobis imitari libet, refragari non licet. Misericordiam itaque non relinquimus quam a pio Patre didicimus nec condemnamus miseriam, ne miserendi gratiam præscribere videamur; sed nec multum movemur si oculus tuus nequam est, quia bonæ sumus. B

Impetrata igitur a Patre misericordiarum licentia, tres præfatæ sorores, reclamante adhuc dæmone aut confuso, ad hominis patrocinium accinguntur in parte, eum secreto trahunt, et ut ad consilii rectitudinem dirigatur intendunt, sicque hominem fides aggreditur. Vides, inquit, homo, in quantis te accusant? Audis quanta adversum te dicunt testimonia? Quid igitur respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? omnis tibi via negandi præcluditur, et confiteri necesse est, aut tacendo convinci, quoniam non judici solum, sed et assessoribus ejus, sed et sanctæ astantium multitudini, sed et nobis ipsis quæ concilio astamus præsentes nuda patet veritas conversationis tuæ, nude C cognita est series vitæ tuæ, nude manifesta opera miseriæ tuæ. Ast non consideras pro quanta re periculum hujus causæ subiisti, quanta debeat pœna exspectare convictum.

Scisne si a causa cecideris, præparari tibi *ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* [85]? Scisne lectulum tibi in exterioribus tenebris sterni, ubi *erit fletus et stridor dentium* [86]? Non hæc profecto super pecunia modica quoquomodo ventilatur, sed tanto severius super talentis a Domino commissis exigitur. Non super hæreditate temporali et contemptibili disceptatur. Non super vestimento quod atteritur, non super esca quæ mittitur in secessum, sed super decore domus Domini, aut horrore carceris ipsius quasi hæreditario jure in per- D petuum possidendi ab anima, quæ est plus quam esca, et a corpore, quod plus est quam vestimentum. Si in tantæ necessitatis articulo, si in tantæ disceptatonis periculo, consilium tibi est, edissere, quæso, festina, et dic: judicium non vocat, non est mora libera nobis, dum responsum tuum chorus tam reverens exspectat. At vero trementem te videmus, et pallidum, et præ horroris magnitudine omnem consilii viam menti attonitæ cernimus esse præclusam. Ne vero totum te absorbeat timor, et in odibilem Deo desperationis foveam horribili ni-

[84] Rom. 5. [85] Matth. 25. [86] Matth. 8.

mis concussione dejiciat; jam nec ingerimus duriora, nec aspera comminamur; sed liberationis tuæ viam tibi facilem et utilem aperimus; siquidem si consillis nostris inniteris, si cogitatum tuum jactas in nobis, et monitis salutaribus acquiescere non abhorres, adsumus ecce tibi paratum auxilium et patrocinium præstituræ, quoniam et præteritorum tibi criminum veniam, et a judice sustinentiam, ut ad meliora te præpares impertimur. Possumus quidem imminens protelare judicium, sed omnino frustrare non possumus, quia qua nescis hora ante tribunal judicis astare oportebit, ut recipias prout in corpore gesseris, sive bonum, sive malum. Verum nisi consilio nostro te subtrahis, et ab imminentibus te periculis liberamus, et ut judicii diem abhorrere non debeas edocemus, ut videlicet et hinc liber abeas, et de hinc judicis faciem possis videre securior.

Assentimus, inquiunt sorores, et quod tibi pro nobis soror, nostra promittit, nosque tibi firmiter pollicemur. Euge, inquit fides, aut consilio nostro cedere et liberari, aut a nobis recedere et tuo merito judicari. Quis in tanto, fratres, discrimine liberationem non eligat? Quis consilium utile negligat et repellat? Imo quis tam inconsultæ mentis esse potest, ut consulentem tam salubriter non admittat? Credo igitur, inquit peccator, credo tibi, domina fides; adjuva incredulitatem meam, et insufficientiam meam quæ ex me est perfice in semitis tuis; illumina, quæso, tenebras meas et doctrinæ salutaris me luce perfunde, ac splendore tuæ claritatis illustra. Non deerit, domina, qui impleat, non desit qui jubeat, nec aliud unquam leges in facto, quam nunc me proponere conspicis in promisso. Ad votum, inquit fides, cuncta proveniunt, securus ad judicium redi, et peccatorum veniam et a judice sustinentiam relaturus. Verum oportet ut prius onus leve ac jugum suave suscipias, et sic nobiscum ad judicem securus accedas. Expedit itaque ut deinceps in fide recta, spe firma et charitate non ficta jugem circumferas peccatorum memoriam, contritionem continuam et pœnitentiam fructuosam; et præterea ne recidivum ullatenus patiaria, Christianæ discretionis te convenit adhibere cautelam. Satisfactionem enim temporalem, quæ tibi post confessionem ad arbitrium fuerit sacerdotis injuncta, pro minimo reputa, vel certe jocosam potius dico, quia non solum a morte liberabit æterna, sed et a pœna illa purgatoria, cui nullum Siculus potuit tyrannus æquare, imo cujus respectu omnis pœna mundalis mellita potest appellari suavitas, glacies æstimari pro balneo, caminus pro refrigerio.

Mi domina, inquit, videtur leve quod dicis, suave quod præcipis, tantummodo ab imminentis me judicii horrore per dilationem quantamlibet liberare festina. Festinemus, inquiunt sorores, causam referamus ad judicem, et pro dilationis commodo breviter peroremus. Sic igitur consolatum aliquatenus hominem, et jam de sua liberatione sperantem ante tribunal judicis iterum statuunt, et, ut regales virgines decet, vultibus verecundis a judice pariter audientiam postulare videntur, et a vulgo silentium. Prima autem fides, ut cœpit, auctoritatem sibi patronatus assumit, et accusationis longissimam seriem brevissima oratione retundit. Satis, inquit, judex bone, superque quam satis est, interni venena livoris explicuit serpens atrox, invidus, et, ut diabolicum decebat ingenium, accusationis suæ callidius argumenta contexuit. Quippe quoniam ab antiquo serpens callidior cunctis animantibus quæ sunt in terra[87]. Verumtamen non singula ejus jacula singulari defensione repellimus, nec singula argumenta singulari responsione dignamur; sed ratione promptissima, brevi atque dilucida, omnia simul objecta diluimus. Angustissima siquidem curiæ hujus sacratissimæ lex est, et duobus tantum conclusa sermonibus: peccasti, quiesce. Huic legi, Pater misericordissime, adhæremus firmiter, et dilationem judicii legis hujus auctoritate requirimus, quam sola poterit edocere dilatio utrum deinceps a peccato quiescere debeat, qui se peccasse non negat. Age enim, ut partem adversam aliquatenus fovere videamur, peccavit super numerum arenæ maris et multiplicata sunt peccata ejus. Esto, sed major non est iniquitas ejus quam ut veniam mereatur; quoniam autem excedit misericordia divina miseriam, omnium iniquitatum ejus, Domine, non recordaberis, si tamen quieverit agere perverse, et didicerit bene facere. Denique non de novo imbuendus accedit, non nunc primo instruendus doctrinæ salutaris rudimenta deposcit, sed fidei Christianæ mysteriis et sacramentorum munimento suffultus, ad conversationis sacra monumenta expeditius se vertit. Ut igitur de cætero arctiori tibi debeat teneri promisso, audi, Domine, si placet ab ore ipsius qualiter in fide fundatus, roboratus in spe, radicari nunc incipit in charitate; et quidquid vitiorum, fallente diabolo, contraxit, qualiter et quæ ignoranter peccavit emendare proponat in melius. Dic igitur: O homo, credis in Deum Patrem omnipotentem? Credis et in Filium ejus natum et passum? Credis et in Spiritum sanctum? Denique ut breviter inforam: Credis omnia quæ ab orthodoxis Patribus, tam salutaria esse dicuntur, ut sine illorum fide salus esse non possit? Credo, inquit, domina, credo firmissime; quippe qui sacro ab infantia baptismate lotus, in Catholica semper nutritus fide, et ab ejus firmitudine nulla unquam hæsitatione nutavi, nullis unquam peccatis ingruentibus deviavi. Prævaluit, fateor inimicus adversum me, dum fidei meæ virtutis abstulit formam, sed non potuit fidei labefactare substantiam, ut non esset in me fides omnino non potuit, sed ut virtutis characterem non gustarem effecit.

[87] Gen. 3.

is, inquit fides, judex bone, quid ore confi-
, nec minus quid eredat corde consideras.
mentum immobile domui suæ substravit, et
simo sibi stationem habitaculo collocavit. Fun-
ıtum siquidem positum est, præter quod aliud
ponere potest, homo Christus Jesus. O spes
o soror charissima, cur quid in isto homine
s non declaras? ut vel interrogatus manifeste
ıdeat quid de resurrectione corporum sentiat,
le sanctorum gloria in utraque stola et immor-
e cum Christo? Manifeste, inquit homo, co-
oc sacro conventu confiteor, quidquid de fide
lica in ecclesiis prædicatur, quidquid de spei
securitate asseritur, quidquid de charitatis
ıia præcellenti a doctoribus sacris astruitur,
ıc discussionem de his fieri oportet, nisi vir-
mihi gratiam et efficaciam salutarem patrata
ıntius iniquitas subtraxisset.

'ero, inquit fides, quidquid usque in hanc ho-
ontra Dominum deliquisti, polliceris deinceps
recta, in spe firma, in charitate non ficta, et
eteritis peccatis pœnitentiam, et de futuris
ȝ cautelam; polliceor, inquam, domina, nec
unquam me velle aut sensualitatis vigens ap-
s, aut sæculi pertransiens luxus, aut diabolici
furoris incursus.

l igitur, inquit fides, judex bone, quid restat
t liber hinc abeat, qui tam Christianas in præ-
tua promissiones inculcat? Jam enim indigere
idetur advocato qui sic allegat pro se ipso,
c et peccatis renuntiat, et mandatis tuis inhæ-
ıroponit. Superest igitur ut operi manuum
m porrigas dexteram, et principe hujus mundi
, creaturæ tuæ tibi ratineas solus imperium.
nim de facili relinquendus est Satanæ filius
ionis tuæ, nec servus immisericorditer est re-
ıdus, pro quo filium tradidisti. Assurgit fidei
sic oranti sacer assidentium chorus, et ut a
ı judicii dilationem, et reo veniam impetret,
deposcit, non tam clamore vocali quam vul-
humiliter inclinatis reverenter implorant. Hic
sa mediatoris Dei et hominum mater eo effi-
ı intervenire, credenda est, quo judicis familia-
ırono participat, et ad dexteram majestatis in
is sublimis coronata tripudiat et triumphat.
ıutem quod ei inde negare possit aut debeat?
ubera quæ lactaris ostendas; si sacræ infir-
ım infantiæ, quam materna sedulitate suppor-
t fovit, supplicando commemoret; si hanc
peccatoribus occasionaliter attribuat dignita-
ɥuod virgo simul et mater est, unde et eorum
liter debeat supportare miserias. Specialiter
hic pro peccatoribus interserit preces. Si quis
ırum ab eo speciali fuerit honoratus obsequio,
ır alios cultu frequentiori et oratione ferven-

A tiori præventus. Licet enim sanctorum alii alios cultu frequentiori, meritis et præmiis antecellant, plurimum tamen majores deferre minoribus, et eos honore prævenire creduntur, ut minorum sæpius intercessio largiatur hominibus quod sublimiorum gratia major et gloria postposuit impertiri. Quod quidem, nisi verum esset, nunquam B. apostolus et apostolorum princeps Petrus cæcum illuminandum Chrodebertæ virgini reliquisset; nam hoc in legenda ejusdem virginis plenius declaratur. Igitur flexu[8] multiplicatis intercessoribus judex, et reo conferre veniam, et differre videtur sub hoc tenore sententiam: Vadet, inquit, o homo, et ostende te sacerdoti tuo, medico detege vulnera tua, si vis a vulnerum

B sorde detergi. Alioquin non consequuntur vulnera sanitatem, sed, ebulliente sanie magis ac magis in fetore suo, ad internecionem usque putrescunt. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata*[88], si tamen et confusionem salutarem et pœnitentiam amplecti desideras fructuosam; vade igitur, et amplius noli peccare, difficiliora pericula judicii subiturus, si terrore jam tremendæ hujus discussionis abjecto pati malueris recidivum, et reverti tanquam canis ad vomitum[89]. Nec longius te nunc sermonibus edocere, nec præceptorum ordinem longiori expedit oratione revolvere. Habes Moysen et prophetas, imo habes apostolos et evangelistas, habes doctores et pastores in ministerium fidei missos: *Qui hos audit, me audit*[89*]. Habes etiam verbum abbreviatum, si te

C tamen brevitas gratiosa delectat. Habe charitatem, et fac quidquid vis.

Super hæc omnia habes et gratiam meam, nisi gratiæ desis, quæ nisi eam turpiter, et quasi importunitate violenta repuleris, semper erit tibi in promptu tuos suppletura defectus, et salutares præstitura profectus. In his itaque hortor te vivere, ista meditari, sicque meditando et vivendo modicum adhuc semper exspectare, donec superveniat inexcusabilis tibi dies judicii, in qua non verbis, sed operibus allegabis, non cavillationibus argues, non dilatoriis exceptionibus ages, sed *in momento, in ictu oculi*[90] de fructu manuum tuarum dabitur tibi, et prout in corpore gesseris bonum malumve

D recipies. Ea tibi dies eo certius timeatur, quod ventura scitur incertius, semperque judex credatur esse in janua, de quo præcise provisum est quod veniet improvisus. Dies enim Domini sicut fur ita veniet[90*]; nescis *an sero, an medica nocte, an galli cantu, an mane*[91]; judicis autem, tam improvis toties citationem accipies, damna, pericula, infirmitates, hominum mortes, et cætera omnia providebis, quæ temporalium dulcedinem multiplici felle amaritudinis interrumpant, et mortiferas carnis illecebras multo sale conficiant, ne dulcescant.

:atth. 9. [89] Prov. 26. [89*] Luc. 10. [90] I Cor. 15. [90*] Luc. 12. [91] Marc. 13.

Hæc omnia per præambulos judicis nuntios esse perpende, omnesque peremptorias citationes existima; quæ quidem tam frequentes tibi erunt, ut nec sollicitudinem tuam ulla tibi delectatio temporalis extorqueat, nec diligentiam tuam somnolentia damnosa corrumpat. *Hoc fac et vives* [91*]. Alioquin cumulus tibi damnationis erit impetrata dilatio, quia quo in peccatis fuerit pertinacia longior, eo in tormentis erit afflictio major; nec tamen tibi si cecideris, resurgendi via præcluditur, quoniam usque septuagies septies dimittendi forma tradita infrustratur. Igitur, ut dictum est, impetrata dilatione judicii, reum judex libertati reddidit arbitrii, suspensa securi altius est sublimius elevata, ut fortius feriat, si continuata fuerit iniquitas; mirabilius eripiat, si justitia eligatur et æquitas; coronet gloriosius, si perseverantiæ longanimitas consequatur. Sic ergo ab imminentis periculo damnationis ereptus homo dicat: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* [92]. Sicut autem ab initio hujus opusculi prælibatum est nobis in sæculo constitutis, quorum neces sunt actus in tumultu, qui quia quotidie ne habemus aut perire aut vincere, qui in medi queorum ambulamus, qui quocunque nos verti insultantem cernimus inimicum; nobis, inqua æstimo, non erit inutile, si discussionem han pius aut mente volvamus, aut de nobis jam fac aut præteritam esse credamus, et ad actus, sin dilationis indeterminatæ spatium nobis a j attendamus indultum, et sub imminentis nos ju semper periculo moveri, vivere et esse. Sic c nare a malo incipientes faciet timor, ac dei progredientes per Dei gratiam, et ut bonum f mus faciet amor, donec in virum perfectum damus, in mensuram plenitudinis Christi. autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem gnum in sanguine testamenti æterni Dominu strum Jesum Christum, aptet nos in omni bo faciat in nobis quod placeat coram se, per J Christum, cui est honor et gloria in sæcula sæ rum. Amen.

FRAGMENTUM (7)

. . . . . dicebat: *Qui enim facit peccatum, servus est peccati* [92*]; qui autem servus est, non omnino liber est. Unde et malum quod non vult illud facit, et bonum quod vult illud non facit [93]. Ideo et Paulus abstractus, et illectus a concupiscentia sua dicebat: *Carnalis ego homo, et venundatus sub peccato* [93*]. Iste carnalis homo non sapit nisi carnem. Unde et carnalibus desideriis se involvit, seque effundit ad omnem impetum voluptatis. Sed hæc voluptas in nauseam convertetur, et cumulus deliciarum convertetur in cumulum tormentorum. Sicut Dominus de Babylone dicit: *Quantum*, inquit, *exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormenta et luctum* [94]. De animali dicit Apostolus: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem dijudicat omnia, et ipse a nemine dijudicatur* [94*]; terrenus terram sapit, carnalis carnis desideria. Animalis autem in tenebris ambulat; scentiam viarum Dei stultitiam reputat; dicit bonum malum, et malum bonum, et ponit lucem tenebras, et tenebras lucem [95]. Circa divinum officium piger est; exercitium spiritualis militiæ odit, negligit et fastidit. Alii verbum ædificationis libenter audiunt; iste quia *ex Deo non est, verba Dei non audit* [95*]. Iste triplex homo que signavimus, terrenus, carnalis, animalis. Vetu ster homo simul crucifixus est, ait Apost *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut de tur corpus peccati, ut ultra non serviamus pecc* Crucifigatur terrenus in contemptu terrenoru voluntaria paupertate. Crucifigatur carnalis in obedientiæ, et exercitio disciplinæ. Crucifigatu malis in contritione cordis, et Christi dilec Si hunc Jebusæum crucifigere, aut omnino non possumus; saltem eum sub tributo servi gamus, in captivitatem redigentes omnem in ctum, in obsequium Christi. *Castigo*, inquit stolus, *corpus meum, et in servitutem redigo* hanc generationem, si hunc triplicem homin servitutem redegerimus, non jam ex patre di jam non de mundo, sed ex Deo erimus, et a ditione mala securi, verbum misericordiæ, ve gratiæ, verbum gloriæ audiemus: *Venite, be cti Patris mei, percipite regnum quod vobis tum est ab origine mundi* [97]. Quod vobis pr dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto et regnat Deus, per omnia sæcula sæcul Amen.

(7) Fragmentum hoc in edit. Paris. male et ineptissime ad finem homiliæ 62 locatum, ubi debeat, equidem nescio. GILES.

[91*] Luc. 10. [92] Psal. 93. [92*] Joan. 8. [93] Rom. 7. [93*] Ibid. [94] Apoc. 18. [94*] I Cor. 2. [95] I [95*] I Joan. 4. [96] Rom. 6. [96*] I Cor. 9. [97] Matth. 25.

PETRI BLESENSIS
OPUSCULA.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI

Reverendo Patri suo ac domino FRENALDO, Dei gratia Atrebatensi episcopo, suus PETRUS Blesensis, salutem in vero salutari.

Magistri Sigerii frequens instantia et vestræ præceptionis auctoritas me compellunt, de transfiguratione Domini aliquid, quod publice auditores ædificet et luceat in commune, conscribere. Verumtamen imperfectum meum sentiens, et me tantæ imparem jussioni, onus mihi impositum libentissime declinarem, nisi me Dominica comminatio terreret: *Maledictus qui abscondit frumenta in populis* [97*]. Ne ergo reputer servus nequam, si talentum mihi creditum vel involvam sudario, vel terræ infodiam [98], de exilitate mea ministrabo aliis, sicut parare voluit in dulcedine sua pauperi Deus. Spem enim constitui mihi in eo, qui est spes nostra; in eo qui abscondit a sapientibus et prudentibus, quæ revelat parvulis [98*]; in eo qui Petrum et Andræam, et filios Zebedæi [99], Verbi Domini ministros, non de clamositate logicorum, non de urbanitate rhetorum, non de schola Justiniani, sed de simplici ruditate elegit, et tamen per eos operatus est salutem in medio terræ. Loquar ergo, quoniam, *si tacuero*, ut verbis Job [99*] utar, *os meum condemnabit me* [100]; loqui enim teneor pacti vinculo, timore Domini, charitate fraterna. Utinam voluntaria oris mei beneplacita faciat Dominus, et fructificem in aliis, qui aut nullum aut rarum fructum facio. In memetipso acuuntur siquidem gladii cotis beneficio, quæ secare non potest. Et cum in canalibus virtus germinandi nativa convalescere non possit, transit tamen ad areolas per canales. Recipiatis igitur unius diei opusculum, nec requiratis in eo Ulpiani leporem, aut Tullii flores; capto siquidem, non lucrum famæ, sed animæ, mihique sufficit, si inter curialium sollicitudinum strepitum præcipitata hujus Opusculi festinatio, non dicolaudem, sed veniam mereatur.

Doctor ille, qui docet hominem scientiam, *in* A *quo sunt omnes sapientiæ et scientiæ thesauri absconditi* [1], in schola evangelicæ disciplinæ nos instruit ad mores, accendit in charitate, erigit in spem et confirmat in fide, suo in primis exemplo nos admonens, secreta nostra illis specialiter committenda, quos certior devotionis affectio nobis ligat. Christus siquidem, quia *in ore duorum aut trium testium* stat *omne verbum* [2], de duodecim discipulis tres elegit, quibus gloriam transfigurationis suæ secretius aperiret, Petrum, Jacobum et Joannem [3], quorum devotissima charitas sinceræ dilectionis et familiaritatis privilegium merebatur, aliis enim carnalibus, et adhuc carnaliter sapientibus se tantum in forma passibilis carnis exhibebat; istis vero, qui jam in monte contemplationis spem resurre-
B ctionis futuræ, et gloriam beatæ exspectationis conceperant, veritatem glorificatæ carnis ostendit: talem se carnalibus eorum oculis offerens, qualem eum resurrecturum a mortuis jam spiritualibus oculis cognoscebant. Movet autem plerosque, qualiter in carne passibili et mortali glorificationis veritas potuerit apparere; et si in veritate glorificatio ibi fuerat, qualiter postmodum caro facta semel impassibilis potuerit morti et defectui subjacere. Nunquid Deus naturæ humanæ miseriam omnino deposuit: et, ut stolam gloriæ ad tempus indueret, saccum nostræ captivitatis abjecit [4]? Absit ut homo, propter assumptionem alicujus honoris et gloriæ, aliquando sit abjectus, qui semel per gratiam est assumptus, semel assumpta a divinitate humanitas, nec divortium passa est, nec accepit
C libellum repudii, manet sacramentum illius benedicti connubii! Et quos Deus conjunxit, nulla postmodum honoris aut necessitatis occasio separavit.

Nemini ergo veniat in stuporem, nec scrupulum dubitationis importet hæc mutatio dexteræ Excelsi. Qui enim gloria sua divinitatis integra permanente nostræ mortalitatis miseriam in veritate gestabat,

[97*] Prov. 11. [98] Luc. 19. [98*] Luc. 10. [99] Matth. 11. [99*] Cap. 16. [100] Cap. 9. [1] Col. 2, [2] Matth. 18. [3] Matth. 17. [4] Lege S. Thom. 3. p. q. 4, art. 1.

ipse in sua carne mortali veræ immortalitatis gloriam potuit exhibere. Et qui post resurrectionem in corpore glorificato vulnerum cicatrices ostendit, ipse eadem potestate resurrectionis gloriam in carne passibili demonstravit. In ipsa ergo glorificatione remanebat passibilis, qui inter nostræ mortalitatis defectus erat verissime immortalis. Hæc est virga conversa in serpentem, quem cum expavisset Moyses, accepta cauda ejus, conversa est in virgam [5]; quia, cum terribilem divinæ sapientiæ gloria discipuli expavissent, serpens in virgam, id est divina quodammodo species revertitur in humanam. Hæc siquidem visione Christus mirabiliter in his tribus discipulis novellæ fidei rudimenta firmavit; qui enim adhuc dubitanter credebant Christum verum esse hominem et verum Deum, nunc id ipsum visibili specie et fide oculata cognoscunt. Illud autem non est sub silentio transiliendum, quod futura corporis glorificatio in hac transfiguratione non totaliter, sed ex parte innotuit. Cum enim glorificatio corporis consistat in quatuor: in claritate, in agilitate, in subtilitate et in immortalitate, hic in solo claritate glorificatus apparuit; futuram vero corporum subtilitatem demonstravit, quando ad discipulos clausis januis intravit [6]. Agilitatem vero, ubi super aquas siccis pedibus ambulavit [7]. *Et resplendit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus sicut nix* [8], ostendit in se fulgorem quem justis fuerat collaturus. *Fulgebunt*, inquit, *justi, sicut sol in regno Patris* mei [9]. Quod equidem fiet, quando *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* [10].

Soli mundano comparat evangelista solem justitiæ, quia in operibus naturæ, nulla erat creatura cujus possit esse similitudo expressior ad Christum qui splendore gloriæ suæ tanto differentius vincit solem et lunam, quanto gloriosius debet Creator excedere creaturam. Si enim thronus Christi soli comparatur, sicut loquitur Pater per Prophetam: *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo* [11]; quanto splendidior erit sole facies sedentis in throno? Hic est sol, de quo dicitur per prophetam: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed Dominus Deus tuus erit tibi in lucem sempiternam* [12]; super omnem pulchritudinem A et splendorem tuus splendor est, *speciosus forma præ filiis hominum* [13]. Tu es enim, in quem aspicere angeli concupiscunt; qui ante luciferum genitus [14] lucem habitas inaccessibilem [15] *in splendoribus sanctorum* [16], *splendor et figura substantiæ Patris* [17], *et* quidam candor vitæ æternæ [18]. Ideoque *omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui* [19]? *non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua* [20]. Si ergo Lucifer ille, qui mane oriebatur [21] non jam Lucifer, sed tenebrifer, gloriæ tuæ similitudinem usurpare præsumit, præcipitetur filius superbiæ et cathedra pestilentiæ subvertatur. *Non est enim Deus sicut Dominus, et non est Deus sicut Deus noster* [22]. Christus Deus solus, *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* [23], altissimus Altissimi B Filius sedens non sub pedibus, sed a dextris; merito autem resplendet ut sol, qui *in sole posuit tabernaculum suum* [24], nec sine efficacia sacramenti in monte Thabor, qui interpretatur *lumen veniens*, glorificatur; *lumen*, quod parabatur *ad revelationem gentium et gloriam plebis Israel* [25]; qui olim illuminabat a montibus æternis; qui hodie *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [26]. Certe si haberent siderea corpora humani gratiam intellectus, nec tamen Christum Deum esse et hominem cognoscerent; erubesceret luna, quod tanto fulgori succumberet, et confunderetur sol, quia lucem ab humano corpore procedentem superare non posset. Et hoc est quod Isaiam in Spirito sancto legimus prophetasse: *Erubescet*, inquit, *luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus in Sion, et in conspectu* C *sanctorum suorum glorificatus fuerit* [27]. Vestimenta Christi fideles ejus sunt, qui et Christum induunt, et induuntur a Christo, sicut Apostolus dicit: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* [28]. Isti a Christo *per lavacrum regenerationis* [29] abluti super candorem nivium dealbabuntur, sicut Propheta dicit: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* [30]. Verumtamen, quia plerumque peccata in baptismo mortua recidivant, et renigrescit in nobis quod fuerat super nivem dealbatum, alia nobis indulgetur ablutio, secunda scilicet post naufragium tabula, id est pœnitentiæ medicina; sed et plerique ablutione ac negligenter utuntur (8), expectantes

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(8) Recte Blesensis opusculo *De confessione sacramentali*: « Quod enim non purgaveris in præsenti, in igne purgatorii purgaturus est Deus, sicut ipse per Joel (III, 21) dicit: *Purgabo*, inquit, *sanguinem, quem non purgaverunt*. Isaias (LII, 3) quoque: *Et purgabit filios Levi in spiritu judicii et spiritu ardoris*. Christus autem purgationem peccatorum faciens, non in judicio, sed in desiderio, non in ardore, sed in amore, tria nobis purgatoria misericorditer assignavit, cor- D dis contritionem, oris confessionem, carnis afflictionem. Negligenter utuntur remedio pœnitentiæ in hac vita qui non curant tantum satisfacere Deo per carnis afflictionem et aliud genus opera, quantum ipsi satisfacere tenentur. » Petrus Lombardus lib. IV *Sentent.*, dist. 20, littera B: « Si enim tanta fuerit cordis contritio, et delicti exprobratio, ut sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis pœnis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit

[5] Exod. 4. [6] Joan. 20. [7] Matth. 14. [8] Matth. 17. [9] Matth. 13. [10] Phil. 3. [11] Psal. 88. [12] Isa. 60. [13] Psal. 44. [14] Psal. 109. [15] I Tim. 6. [16] Psal. 109. [17] Hebr. 1. [18] Sap. 7. [19] Psal. 34. [20] Psal. 85. [21] Isa. 14. [22] I Reg. 2. [23] Phil. 2. [24] Psal. 18. [25] Luc. 2. [26] Joan. 2. [27] Isa. 24. [28] Gal. 3. [29] Tit. 3. [30] Psal. 50.

lquid in eis squaloris aut rubiginis confes- A *insensati*[31] et cæci ! *si laverit Dominus sordes filiarum*
ı mundavit, igne purgatorio abluatur (9) : *O* *Sion in spiritu judicii et spiritu ardoris*(10)[32]. Nonne

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

ntia, quia perfecte pœnituerunt in inge-
ıt corde. Qui vero non adeo conterunlur
t ingemiscunt pro peccato, si ante exple-
pœnitentiæ discesserunt, ignem purgato-
entient, et gravius punientur, quam si hic
ent pœnitentiam. *Horrendum est enim incidere*
us Dei viventis (*Hebr.* x, 31). Deus enim cum sit
ors et justus, ex misericordia pœnitenti igno-
n reservans peccatum ad pœnam æternam;
itia vero impunitum non dimittit delictum.
im punit homo, aut Deus. Homo autem pu-
itendo, Deus autem pœnam exigendo. Et
na interior et exterior. Si ergo interior pœ-
fuerit tanta, ut sit sufficiens ultio peccati,
qui hoc novit, ab illo qui taliter pœnitet, ul-
ɔœnam non exigit. Si vero interior pœnitudo
fficit in vindictam peccati, nec exterior pœ-
a impletur, Deus qui modos et mensuras
ɔrum et pœnarum novit, addit pœnam suffi-
n. Studeat ergo quisque sic delicta corri-
t post mortem non oporteat pœnam tolerare.
m enim peccata mortalia in pœnitentia fiunt
a, non tamen mox sanantur. Sæpe infirmus
tur si non medicaretur, non tamen statim
tus sanatur. Languet victurus, qui prius erat
rus. »

ocus insignis de purgatorio. Certum quidem
fide esse purgatorium ex can. Florentino in
ɔ de unione, sess. 23; Trident., sess. 25, in
ɔ de purgatorio, et professione fidei Catho-
lis adjungenda sunt concilia quibus sancitur
ım et offerendum esse sacrificium pro fideli-
functis, et universa Ecclesiæ consuetudo, de
ugustinus lib. *De cura pro mortuis*, c. 1 : C
achabæorum libris legimus oblatum pro mor-
crificium. Sed et si nusquam in veteribus
ris legeretur, non parva tamen est universæ
iæ, quæ in hac consuetudine claret, auctori-
bi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo
s altare funduntur, locum suum habet etiam
endatio mortuorum. Et serm. 32, *De verbis*
li, c. 2 : « Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ,
ificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum
ı erogantur, non est dubitandum mortuos
ari, ut cum eis misericordius agatur a Do-
quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a
ıus traditum universa observat Ecclesia, ut
s, qui in corporis et sanguinis Christi com-
ıne defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium
uo commemorantur, oretur, ac pro illis quo-
d offerri commemoretur. Cum vero eorum
ıendandorum causa opera misericordiæ cele-
ur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus D
nes Deo non inaniter allegantur, » etc. Et
ridii c. 109 : « Neque negandum est defun-
n animas pietate suorum viventium relevari,
ɔro illis sacrificium mediatoris offertur, vel
osynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt,
ım viverent, ut hæc sibi postea prodesse pos-
meruerunt. Est enim quidam vivendi modus
m bonus, ut non requirat ista post mortem,
m malus, ut ei non prosint ista post mortem.
ro talis in bono, ut ista non requirat : et est
s talis in malo, ut nec his valeat cum ex hac
ransierit adjuvari. » Et postea : « Cum ergo
cia sive altaris sive quarumcunque eleemo-
ım pro baptizatis defunctis omnibus offerun-
tur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt : pro
non valde malis propitiationes sunt : pro valde
malis et si nulla sint adjumenta mortuorum, quales-
cunque vivorum consolationes sunt. Quibus au-
tem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena re-
missio : aut certe tolerabilior fit ipsa damna-
tio. »

Quando autem de purgatorio loquens meminit
ignis, usurpat modum loquendi communem apud
Latinos post Augustinum l. xxi *De civ. Dei*,
cap. 10, scribentem : « Quamvis miris, tamen
veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna
corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam
B ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi
corporalibus membris, et tunc poterunt corporum
suorum vinculis insolubiliter alligari. » Subscribit
Gregorius Magnus lib. iv *Dialog.*, cap. 29. Græci
autem credunt purgatorium esse, neque tamen
credunt in purgatorio animas igne purgari aut tor-
queri, ut constat ex verbis istis privatæ synodi
congregatæ Ferrariæ, die 4 Junii 1438, quæ præ-
fixa sunt sess. 1 concilii Florentini. Græci in fu-
turo tantum opinantur ignem pœnamque animarum
temporaneam, quod scilicet peccatis obnoxiorum
animæ in locum abeant tenebricosum, in locum
mœroris, in quo ad tempus versentur in mœrore
et pœnis, divino lumine privatæ. Purgentur vero,
hoc est, a loco illo obscuro et afflictione liberentur
et absolvantur precibus et sacrificiis sacerdotum,
ac eleemosynis, non autem igne. Neque enim Græci
fatentur actionem ignis ut Itali : sed operatur tan-
tum oratio, deprecatio et eleemosyna. Est igitur
hæc inter eos differentia : Græci enim pœnam, va-
lorem et pœnæ locum asserunt, sed non per ignem :
Itali vero pœnam purgationemque per ignem :
iidem Græci, ut habetur conc. Florent., sess. 25,
interrogati ab Eugenio IV, de purgatorio igne, re-
sponderunt in hæc verba : « De igne vero purga-
torio determinatum sic est : sanctorum animas
perfectam in cœlis adeptas esse coronam, quatenus
animæ sunt; peccatorum vero animas perfecte
luere pœnas. Medias autem esse in loco tormento-
rum, sed sive ignis sit, sive caligo ac turbo, sive
quid aliud non contendimus. » Hinc nulla mentio
ignis in definitione dogmatis de purgatorio.
Scite Bellarminus lib. ii *De purgatorio*, cap. 11 :
« Communis sententia theologorum est verum et
proprium esse ignem, et ejusdem speciei cum no-
stro elementari. Quæ sententia non est quidem de
fide; quia nusquam in Ecclesia definita est : Imo
in conc. Flor. Græci aperte professi fuerant se non
ponere ignem in purgatorio, et tamen in definitione
facta sess. ultima definitur purgatorium esse, nulla
mentione ignis habita, tamen est sententia proba-
bilissima. »

Addere potuisset Bellarminus idem etiam defi-
nitum fuisse in conc. Trid., nulla quoque ignis men-
tione habita, atque altum ejusdem silentium esse in
professione fidei.

(10) Brevem dicit cordis contritionem compa-
rate ad incendium purgatorii, quæ tamen ab-
solute loquendo brevis esse non debet, sed
diuturna et perseverans, ut homo misericordiam
consequatur, ac ne relabatur in peccata. Ita
enim seipsum explicat auctor noster opusculo ci-
tato : « Putant aliqui sibi sufficere, quod aliquan-

·al. 3. [32] Isa. 4.

consultius vobis erat brevi cordis contritione et confessione purgari, quam illud incendium exspectare (11), licet non sit æternum quidem, quod omnes dolores vitæ præsentis, omnes angustias nostræ sensualitatis excedit (12)?

Et ecce apparuerunt cum eo Moyses et Elias [33].

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

diu a sua turpitudine destiterunt, atque de primitiis arreptæ continentiæ præsumentes, veteres excessus non recolunt, et quasi spatio temporis evanuerint culpæ, vel earum oblitus sit aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis brevi compendio transegisse. » Et postea : « Non sine dolore cordis acerbissimo et anxia cordis afflictione sanantur quæ longo usu inolita, et intimis animarum medullis infixa sunt ; nec horaria et levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur. » Et infra : « Propositum itaque pœnitentiæ perseverantia comitetur. » Et adhuc : « Nemo itaque de momentanea contritione vel affluentia lacrymarum præsumat. Sunt enim plerique irreligiosi, aut potius iniquitatum abysso absorpti, lætantes cum male fecerint, ex exsultantes in rebus pessimis, quos videmus timore pœnæ aut peccatorum recordatione compungi usque ad lacrymas, mira etiam devotione liquescere in amorem Jesu, et ipsum totis medullis animæ brachiis devotæ affectionis amplecti. » Et postea : « Si ergo senseris in te gratiam compunctionis et affluentiam lacrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris Domino reconciliatum, nec opinetur servus se esse filium, licet quandoque pascatur pane filiorum. » Et rursum : « Nonne ista compunctio eorum excæcat oculos, et aures cordis obturat, qui credentes se aliquid esse, cum nihil sint, abominabiles criminum maculas sine fructibus pœnitentiæ paucis lacrymis æstimant abluisse. Vera siquidem pœnitentia non in lacrymis momentaneis aut horaria compunctione consistit. » Ac denique : « Vides profecto quam gratum Deo sit sacrificium lacrymarum, et pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? Confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, sed in spiritu humilitatis, et in animo contrito fugientibus ad pia viscera Jesu, et continuantibus dignos pœnitentiæ fructus. »

Busæus sensit Petrum nostrum verbis istis : « Nonne consultius vobis erat brevi cordis contritione et confessione purgari, quam illud incendium exspectare? » videri indicare hominem contritum et confessum non teneri satisfacere Deo pro peccatis in hac vita ; sed posse impune satisfactionem differre in alteram vitam peragendam in purgatorio. Verum temere opinionem hanc Blesensi ascribit. Enimvero si quod suæ sententiæ haberet fundamentum, hoc unum esset, quia auctor his verbis : « Brevi cordis contritione et confessione purgari, » meminit quidem contritionis et confessionis, et tacuit de satisfactione. At hoc nullius est momenti : Tum quia similer paulo antea meminerat confessionis, suppresso nomine contritionis : « Ut quidquid in eis squaloris aut rubiginis confessio non mundavit », etc. Neque tamen recte inferretur contritionem non esse necessariam, eo quod Blesensis hic confessionem recenseat tantum. Tum etiam quia commemorat etiam satisfactionem tanquam necessariam opusculo citato : sive ubi dicit Christum nobis tria purgatoria misericorditer assignavisse videlicet, cordis contritionem, oris confessionem, et carnis afflictionem ; sive ubi scribit : « Si ergo gravis tibi videatur pœnitentia, cogita quod incomparabiliter gravior est gehenna. Exerceaeris in lacrymis, vigiliis, jejuniis, disciplinis, nec tibi videatur absurdum si propter pœnitentiam aliquando

(11) Sentit auctor animas in purgatorio cremari ab igne corporeo post Gregorium Magnum loco cit. his verbis : « Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis, videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur quod videt, et quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens etiam incorporea flamma crucietur », etc. Quæ quidem doctrina de igne cremante non est certa et indubitata apud theologos omnes. Nam primo quidam ultro fateatur sibi ignotum esse modum, quo animæ patiuntur ab igne corporeo in purgatorio. Hugo a S. Victore lib. II *De sacramentis*, par. XVI, c. 3, hanc sibi quæstionem proponit : « Quomodo animæ sine corporibus a rebus corporalibus pati possunt? » Cui sic respondet : « Ecce dicamus. Nescimus quomodo hoc fieri possit. Nunquid ideo verum non est quod nos nescimus quomodo est? » Et infra : « Hæc tamen omnia quia dictum est, ratione humana investigari non possunt, in his mentem solidamus quæ fides non dubia probat, quod scilicet peccatrices animæ, quæ culpam non correxerunt in hac vita, pœnam habeant post hanc vitam : quæ licet qualiter ab illis sentiatur a nobis non intelligatur, quid interest, cum non ideo minus ab illis sentiatur, quamvis a nobis non intelligatur? » Albertus Magnus in 4, dist. 20, art. 5 : « Qualis sit ignis purgatorii non arbitror quemquam scire, nisi cui Deus revelavit. » Eadem iis denique verbis expressa est sententia Dionysii Carthusiani in 4, distinct. 20, quæst. 1.

Alii putant animas in purgatorio non pati ab igne secundum rem, sed tantum per quamdam similitudinem et adaptationem, quia scilicet afflictio spiritualis earum consurgens ex retardata illis visione beatifica, et dolor summus spiritualis per similitudinem et adaptationem dicitur esse ab igne, quia summus dolor sensibilis est secundum rem ab igne, qui est summe activus. Ita Durandus in 4, dist. 44, quæst. 11, § 13.

In eadem sententia fuere ante eum plures alii de quibus S. Bonaventura in 4, dist. 44, art. 3, quæst. 2, et Richardus de Mediavilla eadem dist., art. 38, quæst. 9.

S. Thomas lib. IV *Contra gentes*, cap. 90, explicat pœnam ignis, quam anima separata patitur per alligationem ipsius igni corporeo : « Patiuntur, inquit, ab igne corporeo substantiæ incorporeæ per modum alligationis cujusdam. » Et infra : « Et hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam. Pœna quam patitur substantia nobilior, præcise eo quod sit alligata substantiæ infimæ, non est incendiam proprie dictum. » At enim pati per modum alligationis ab igne non est proprie incendi ab igne. Unde Dominicus Soto in 4, dist. 19, quæst. 3, art. 2, ait animas non modo sic pati quasi carcere inclusas, verum et per tristitiam ac si in corporibus urerentur.

Tertio qui pœnam hanc explicuerunt de cruciatu proprie dicto ab igne, hi suam hanc sententiam tanquam probabilem solummodo proposuerunt. Sic Bonaventura, Richardus de Mediavilla, Soto et alii.

(12) Idem habes apud Petrum Cantorem *Verbi abbrev.* c. 146.

1. 17.

A Cum Christus sit Dominus legis et prophetarum, merito cum eo apparere dicuntur propheta maximus, et nominatissimus legislator [34]: uterque inhabitator gloriæ Christi, uterque conscius secretorum Dei, uterque quadragenarius jejunator. Apparet ergo cum eo Elias severissimus, et Moyses mitissimus omnium habitantium in terra. Moyses opprobria et comminationes Judaici populi multoties cum patientia sustinuit, et ad tabernaculum quandoque, ut irruentem populum declinaret, aufugit. Ipse tamen, cum Dominus diceret: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contre eos et deleam eos, faciamque te in gentem magnam*, respondit: *Si dimittere velis, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo* [35]. Ecce mansuetudo, quæ omnis mansuetudinis modum et exuberantiam benignitatis excedit. Elias e contrario B propter nequitiam regis idololatræ, tribus annis et mensibus sex clausit cœlum, et beneficium aquæ pluvialis exclusit [36]. Quadringentos prophetas Baal cum aliis trecentis in torrente Cison occidit [37]. Duos quinquagenarios cum centum viris cœlestis ignis immissione consumpsit [38]. Ecce manifesta et justa severitas. Apparent ergo cum eo, hinc misericors et mansuetus, hinc severus et justus [39].

Quia cum sit *misericors et miserator Dominus* [39], *justus* est *et justitias dilexit* [40]. *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas* [41]. Et notandum quod veniunt Moyses de inferis, Elias de cœlis, Petrus, Jacobus et Joannes de terris, *ut* cui *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium et infernorum* [42], et testimonium suæ glorificationis perhibeant cœlestia, terrestria et inferna. Loquebatur autem, sicut alius evangelista [43] commemorat, de excessu, id est de morte Christi, quæ ideo excessus merito dici potest, quia omne genus humilitatis excedit. Sane credendum est eos loqui cum Christo, quorum intentio, quorum gloria, quorum desiderium est cum Christo, qui non cognoscunt, qui non sapiunt, nis.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

quando caput doleat, quod sæpius ab ebrietate doluit; si rugiat venter, quem frequens ingluvies suffocavit. Peccati ergo sanies non solum abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris. Tunc equidem cum B. Job testa saniem radis, si districtiore pœnitentia sordidas delectationes abstergis.» Tum adhuc ubi refellit eos qui se abominabiles criminum maculas sine fructibus pœnitentiæ paucis C lacrymis æstimant abluisse: tum denique abi postulat perseverantiam in fructibus dignis pœnitentiæ. Certe pœnitentes tenentur adimplere pœnitentiam in hac vita, ex præcepto ecclesiastico, Lateran. conc. can., *Omnis utriusque sexus*, etc. *Et injunctam pœnitentiam studeat pro viribus adimplere*. Quin et ad illud ipsum teneri vi præcepti divini colligitur manifeste ex conc. Trid., sess. 14, cap. 8, pronuntiante sacerdotes debere, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, atque habere præ oculis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Addit autem concilium: « Nam claves sacerdotum non ad solvendum tantum, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres credunt et docent. » Sed enim si præceptum est sacerdotibus, ut pro muneris sui ratione quia D claves illis datæ sunt ad ligandum, sicut ad solvendum, confitentibus pœnitentiam injungant, consequens est præcipi quoque confitentibus eam acceptare. Frustra autem acceptare tenerentur, si acceptatam implere vel non implere liceret. Hæc autem veritas confirmatur ex cæteris, quæ eodem capite continentur. Docet synodus Deo satisfactionem a Patribus nostris Christiano populo perpetuo commendatam requiri, quia divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Quomodo aliter si pœnitentes recipiuntur in gratiam a Deo, etiam nisi habeant voluntatem non plendi satisfactionem in hac vita, sed differendi eam in alteram vitam peragendam in purgatorio? Docet synodus divinam clementiam decere ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. An non si liceat remittere satisfactionem in alteram vitam pœnitens occasione accepta leviora peccata putando, velut injurius et contumeliosus Spiritui sancto prolabetur in graviora peccata sibique thesaurizabit iram in die iræ? Docet synodus quod magnopere a peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Atque tot tantisque adjumentis et remediis sponte se privant, qui detrectant hic pœnitentiam adimplere. Docet synodus securiorem nullam viam in Ecclesia Dei unquam existimatam fuisse ad amovendam imminentem a Domino pœnam quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Ergo differentibus in alteram vitam pœnitentiæ opera placet imminentem a Deo pœnam a se non amovere. Docet synodus quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur et conglorificabimur. Quare renuentibus hic satisfacere curæ non est Christo Jesu conformes effici, nolunt compati et conglorificari. Hæc itaque est eorum conditio, ut plurima paucis concludam: accedunt ad pœnitentiam cum eadem facilitate, cum qua accederent ad baptismum. Sibi ipsis sunt occasio graviora peccata committendi. Frenos rejiciunt quibus a peccato coercerentur. Iis uti spernunt quibus vigilantiores cautioresque redderentur in futurum. Ac denique pro minimo ipsis est mederi delictorum suorum reliquiis, tollere vitiosos habitus, ab imminenti Dei ira fugere, Christo compati, adeoque Christo conglorificari.

[34] Num. 12. [35] Exod. 32. [36] III Reg. 17; Jac. 5. [37] Jud. 4. [38] III Reg. 18; IV Reg. 1. [39] Psal. 144. [40] Psal. 10. [41] Psal. 24. [42] Phil. II. [43] Luc. 9.

Christum. *Hæc est*, inquit apostolus, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [44].

Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum, etc. [45] Sicut desideria sanctorum cum Christo, et in Christo loquuntur, sic sancti suis desideriis quandoque respondent, putantes quasi verbum esset voti sui exprimens vehementiam, quæ præcessit. Sic Maria Magdalena, dum Christum in sepulcro non invenit, dum anxia sollicitudine circumcurrit; dum in eo quærendo totos affectus expendit: *Si tu sustulisti eum*, inquit, *dic mihi* [46]. *Eum*, dicit, ac si aliquid præcessisset, ad quod pronominis significatio referretur. Sanctæ enim animæ amore Christi, et desiderio patriæ cœlestis accensæ, quodam beato errore desipiunt, suique prorsus immemores non ad verba quæ præcesserunt, sed ad animi sui cogitata respondent. *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula* [47]. Tria tabernacula postulat Petrus fieri Christo, Moysi et Eliæ, sui prorsus immemor, tanquam a corpore peregrinans, et ad supernæ visionis raptus delicias, nullam facit de suo, vel condiscipulorum suorum tabernaculo mentionem: cedebat ei ad votorum plenitudinem divinæ contemplatio majestatis; invenerat enim locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis, *umbraculum ab æstu diei* [48] *et absconsionem a turbine et pluvia* [49]. Quid est, Petre, quod facis? Vis ei facere tabernaculum in terris qui habitat in cœlis, qui in terris sic voluit conversari, ut capitis sui reclinatorium non haberet [50]? Recolebas, Petre, paradisum, felicitatis antiquæ primitias, creationis humanæ delicias, qualiter primus homo, concivis et socius angelorum stipatus et fulcitus floribus [51], gloria et honore coronatus [52], nihil indigentiæ, nihil molestiæ sentiebat, ideoque ex desiderio dicebas ad Dominum: *Domine, bonum est nos hic esse.* Ad hujus gloriam visionis anxius anhelebat Propheta, qui liberos ad cœlum exitus desiderans, vincula carnis, et hujus corporis carcerem lacrymabiliter causabatur, dicens: *Educ, Domine, de carcere animam meam* [53]. Paulus etiam in tertio cœlo thesaurum hujus beatæ contemplationis invenerat, ideoque ejusdem desiderii tractus affectione dicebat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* [54]. Et: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* [55]? Huc ascenderat Jacob, ideoque glorians et exsultans: *Vidi* inquit, *Dominum, et salva facta est anima mea* [56]. O felices, qui ad arcem hujus contemplationis meruerunt ascendere! O beata angelorum conditio, qui desideratissimam Christi faciem jugiter intuentur. Hi ad mensam divitis sedent, et pascuntur A in deliciis ex adipe frumenti [57]. Nos autem, dum in corpore sumus, dum peregrinam ura Domino, non pascimur nisi quodam cortice et furfure sacramenti, apponitur nobis granum cum palea, id est sub fidei velamento veritas, et hoc est quod credimus prophetam præsensisse, cum dixit: *Pulli asinorum qui operantur terram, mistum migma comedent* [58], id est hordeum cum palea. Christus enim nobis ad solatium exspectationis Ecclesiæ sacramenta proponit, ut sustentemur in eis, donec in sanctis suis gloriosus appareat. Tunc transibit spes in rem, imago in veritatem, memoria in præsentiam, tempus in æternitatem, cortex furfureus in farinam: tunc satiabimur gloria vultus ejus. *Satiabor*, inquit Propheta, *cum apparuerit gloria tua* [59] B Et Apostolus: *Cum autem Christus, apparuerit vita nostra, tunc et nos cum ipsos apparebimus in gloria* [60].

Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos [61]. Sicut Apostolus commemorat, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur a creatura mundi* [62]. Unde, et si hæc, quæ in sacra transfiguratione visa sunt, diligenter attendantur, tota Trinitas adfuisse præsentialiter manifestissime cognoscetur. Cum enim Christus sit Deus de Deo, lumen de lumine, merito apparuit in lumine, juxta illud: *Domine, in lumine tuo videbimus lumen* [63]. Spiritus vero sanctus in nube, qui olim filios Israel in columna nubis de Ægypto, eduxit et eosdem baptizavit in nube et in mari [64]; sic Filius resplendet in luce, Spiritus sanctus obumbrat in nube. Et ut totam Trinitatem C adesse non dubites: Pater auditur in voce: *Vox* enim *de cœlo facta est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* qui in Adam mihi displicui, *ipsum audite* [65]. Hoc est verbum quo olim usus fuit Moyses, dicens: *Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris: ipsum tanquam me audietis. Qui hunc non audierit, exterminabitur de populo suo* [66]. Verbum Moysi de Filio confirmatur a Patre, ut Scriptura concordet, et ut intelligant universi, hoc de Christo et non de alio Moysen præsensisse. Quod enim de eo scripsit Moyses, Christus aperit, ubi dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi*; *de me enim ille scripsit* [67]. Bene, *Filius meus*, non adoptionis, sed naturæ; non temporaneus, sed æternus; non aliunde, sed consubstantialis, dilectus æternaliter, et singulariter D prædilectus, de quo per Prophetam: *Ecce puer meus quem elegi, electus meus: complacuit sibi in eo anima mea* [68]; merito vocatur dilectus qui præ omnibus est super omnia diligendus. Vere dilectus, de quo sponsa in Canticis: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi* [69]. *Millia millium et centena millia* [70] cum dilecto. Et venio ad dilectum. Non est mirum, si

[44] Joan. 17. [45] Matth. 17. [46] Joan. 20. [47] Matth. 17. [48] Isa. 25. [49] Isa. 4. [50] Luc. 9. [51] Cant. 2. [52] Hebr. 2. [53] Psal. 141. [54] Phil. 4. [55] Rom. 7. [56] Gen. 32. [57] Psal. 80. [58] Isa. 30. [59] Psal. 16. [60] Col. 3. [61] Matth. 17. [62] Rom. 1. [63] Psal. 35. [64] Exod. 14; I Cor. 10. [65] Matth. 17; Luc. 9. [66] Deut. 18; Act. 2. [67] Joan. 5. [68] Isa. 42; Matth. 12. [69] Cant. 6. [70] Dan. 7.

diligatur a Patre, qui Unigenitus est a Patre. *Diligit Pater Filium* [71], æternus coæternum, summus æqualem, diligens diligentem. Sicut enim Filius a Patre diligitur, sic et Patrem Christus diligit. Hoc est quod in Evangelio dicitur: *Pater clarificat Filium;* et idem *clarificatur a Filio* [72]: ideoque mutuam inter Patrem et Filium clarificationem evangelica recenset historia, ne videretur Filius minor Patre, et ne claritatem suam credatur a se ipso, tanquam inglorius, non habere. Petit Filius clarificari claritate illa quam habuit, antequam mundus fieret. Nimirum non est claritas Filii claritate Patris posterior, qui sicut æqualis est Patri in substantia divinitatis, sic eidem coæternus est in gloria claritatis.

Et ceciderunt discipuli in faciem suam, et timuerunt valde [73]. Si Petrus apostolorum princeps, si Jacobus et Joannes, qui erant fortissimæ columnæ Ecclesiæ, non potuerunt sustinere divinæ præsentiæ majestatem, quid nos, miseri, faciemus in die illa tremendi judicii, ubi tanta futura est in judicio æquitas, in judice severitas, in majestate sublimitas, in ipsa vero facie terribilis et inaudita novitas, ut teste propheta: *Non possit cogitari dies adventus ejus? Et homo est,* inquit, *et quis stabit ad videndum eum* [74]? Quid putas fiet, cum *ignis* ille *consumens* [75], judex scilicet vivorum et mortuorum, veniet in illa suæ divinitatis magnitudine, fortitudine, furore, veritate *contra folium quod vento rapitur,* ostensurus *potentiam* suam *et stipulam siccam* persecuturus [76]? Timebunt angeli et archangeli; et quis nos ab æternis timoribus liberabit? Turbor ergo a pusillanimitate spiritus et tempestate. Timeo ab ira potentis, a facie furoris, o fragore mundi, a conflagratione elementorum, a voce archangeli, a verbo aspero, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam. Ne recorderis, Domine, iniquitatum mearum, nec appendas *in statera peccata mea, quibus iram merui* [77]. *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit* [78]? Quis, inquam, sustinebit calores ignium, algores nivium, pressuras catenarum prementium, stringentium, urentium et non consumentium? *ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine* [79]? certe iniquitates meas considerans, et recogitans annos meos in amaritudine animæ meæ, in desperationis foveam incidissem, nisi judex ille terribilis proprium haberet misereri semper et parcere. Scio enim quia non abscondet misericordiam suam in æternum, nec obliviscetur misereri Deus, sed iratus misericordiæ recordabitur. Miserebitur hominum Filius hominis. Cumque exarserit in brevi ira ejus, sicut ad perditos erit terribilis, sic erit in se sperantibus mansuetus. Liberabit ergo ab auditione mala timentes se, et erit misericordia ejus in sanctos ejus, et respectus ejus in electos illius. Ad

A significantiam hujus rei, Christus post terribilem visionem ad discipulos benignus consolator accedit et dicit: *Surgite et nolite timere. Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi Jesum solum* [80]. Ab oculis apostolorum evanuerunt Moyses et Elias, et non viderunt, nisi solum Jesum, quia, evacuato velamine in legis figuris et prophetarum, in præmissis apparuit gratia evangelicæ veritatis. In eo autem quod dicitur, *levantes,* notandum est quod quanto quis altius oculos suæ considerationis attollit, tanto minus de natura divinæ essentiæ comprehendit. *Accedit enim homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* [81]. Ideoque David non ambulabat in magnis et in mirabilibus super se, sed humiliter sentiebat [82]. Ideoque Paulus, ne scrutator majestatis opprimere-
B tur a gloria, cum Sapiens dicat: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* [83], proponebat se nihil aliud *scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* [84]. Noluit enim secreta cœlestia occultari. Unde ad tertium cœlum raptus, se vidisse testatur *quæ non licet homini loqui* [85]. Hinc est quod Moyses a secreto Dei exiens faciem velat [86].

Et Jesus descendentibus illis de monte præcepit dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat [87]. Non est enim sanctum Dei dandum canibus, neque margaritæ spargendæ sunt porcis [88]: quod quidem fieret, si ante fidei nostræ confirmationem, quam Christi resurrectio roboravit, aut minus consulte, aut minus tempestive Christi publicarentur arcana. Ex ipsa namque publica-
C tione vilescerent, atque novellas plantationes fidei, et nascentis Ecclesiæ primitias impedirent, si gloriam Christi, quam viderant, prædicarent, quem in proximo visuri erant vilem et abjectum, et turpiter in cruce pendentem, ac auctoritati suæ prædicationis plurimum detraherent, et infirmis scandalum generarent. Hujus ergo gloriosæ memoriam visionis, fratres charissimi, devotissimo celebremus affectu. Si enim dies illa cum veneratione recolitur, in qua Christus descendens a dextris Dei Patris nobis apparuit inglorius et infirmus, credendum est diem illum cum honore et reverentia recolendum, in quo Christus in hac infirmitate nostra nobis apparuit gloriosus. Hæc est enim dies in qua discipuli Christum quasi Unigenitum a Patre, quasi regem in decore suo conspiciunt. Cæterum, cum diversæ sint
D species visionum, ista præferenda est universis. Cum enim quædam fuerint ante gratiam, quædam sub gratia, ista est in gloria. Cum quædam fuerit in nocte, quædam in die, ista est in luce: *Vidi,* dicit Ezechiel, *in visione noctis* [89]. Paulus ad tertium cœlum raptus; *nox,* inquit, *præcessit, dies appropinquavit* [90]. Ecce visio noctis, ecce visio diei. In hac ergo visione præsenti, futuræ certitudo resurrectionis ex-

[71] Joan. 5. [72] Joan. 17. [73] Matth. 17. [74] Mal. 3. [75] Hebr. 12. [76] Job. 13. [77] Dan. 6. [78] Psal. 129. [79] Psal. 88. [80] Matth. 17. [81] Psal. 63. [82] Prov. 25. [83] Eccli. 3. [84] I Cor. 2. [85] II Cor. 12. [86] Exod. 34. [87] Matth. 17. [88] Matth. 7. [89] Dan. 7. [90] Rom. 13.

primitur. In hac nobis pignus et arrha proponitur illius beatissimæ visionis, in qua est dies sine nocte, sine labore requies et gloria sine fine, quam nobis A misericorditer præparare et præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat et dominatur Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE CONVERSIONE S. PAULI.

Recolenda est cum exsultatione beati Pauli conversio, fratres charissimi. Si enim *gaudium* est *angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* [91], et nos ei propensiore lætitia congratulari oportet in quo habemus doctrinæ speculum, pœnitentiæ formam, conversionis et conversationis exemplum: qui cum esset vas blasphemiæ, vas contumeliæ et iræ, factus est vas honoris, vas electionis et gratiæ. *Blasphemus*, inquit, *fui, sed misericordiam consecutus sum* [92]. De lupo enim factus est agnus, de inimico domesticus, de persecutore filius, de tortore doctor, de perversore discipulus, de impugnatore defensor, de infidelissimo sanctissimus fidei prædicator. Vere *magna* et inenarrabilia sunt *opera Dei* [93], *et miserationes ejus super omnia opera ejus* [94]. Saulus enim adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, a Christo in discipulum adoptatur [95], et qui ad subversionem Ecclesiæ effrenata crudelitate spiritus anhelabat, firmissima Ecclesiæ columna stabilitur. Pater namque misericordiarum *flagellat omnem filium quem recipit* [96]. Saulem flagellat, ut eum recipiat, excæcat ut illuminet, prosternit ut erigat, affligit ut sanet, debilitat ut confirmet. Saulus siquidem litteras crudelissimæ legationis acceperat, ut si quos inveniret hujus viæ viros ac mulieres, perduceret in Hierusalem. Verumtamen justus judex, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, qui non permittit suos tentari ultra id quod possunt, sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possint sustinere [97], judicabit *pro mansuetis terræ* [98] et salvos faciet p. v. ca.

Cum ergo iter faceret Saulus, contigit ut appropinquaret Damasco, et subito circumfulsit eum lux de cælo [99]. Lux enim circumfulget exterius, ei qui interioribus ignorantiæ tenebris obducebatur. *Et cadens in terram vocem audivit* [100], quam dum in via peccatorum staret, audire non meruit. Non sufficit lux ad fidem et ideo auditus vocis adjungitur: *Fides enim ex auditu; auditus autem per verbum Dei* [1]. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Qui in Evangelio ait: *Quandiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* [2], injuriam suorum suam reputat. Nec in his verbis se morti aut persecutioni fatetur
B obnoxium, cum sit immortalis et impassibilis, sed exprimitur affectio charitatis erga discipulos, quos cum prius dilexisset, in finem dilexit eos. Idem confirmatur Petri facto, qui cum Roma fugiens Salvatorem sibi occurrentem interrogasset: « Domine, quo vadis? » audivit: « Vado Romam iterum crucifigi (13). » Ubi exprimitur Christum quodammodo in eo crucifigendum, quem sibi adoptavit in membrum. Membris itaque suis compatiens Saulo in discipulos ejus debacchanti Christus irascitur; sed quia semper proprium habet misereri et parcere, iratus misericordiæ recordatur [3]. Unde et cum furiosum quasi retinet, ne in æternæ mortis præcipitium devolvatur, et recalcitrantem contra stimulum cohibet, ne pungatur.

C *Durum est*, inquit, *tibi contra stimulum calcitrare. Et ille: Quis es, Domine? Ego*, inquit, *sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris* [4]. Poterat expressisse quis esset, majestaticis et terribilibus verbis, ut diceret: *Ego sum Deus ultionum Dominus* [5], *qui respicio terram, et facio eam tremere: tango montes et fumigant* [6]; sed cum lenitate respondet, ut excitet ad spem et invitet ad fidem: *Domine*, subdit Saulus, *quid me vis facere* [7]? Ad vocem divinæ animadversionis in persecutore humiliatur elatio, decrudescit in Saulo severitas, et effrenata rabies mansuescit in gratiam: succiditur oleaster, ut oliva fructifera plantetur in domo Domini, lupus mutatur in ovem, rhamnus in vitem, herodius in columbam, sicarius in apostolum,
D blasphemus in sanctum, Saulus in Paulum; qui in Saulo mutat vitam, mutat et nomen, juxta verbum Isaiæ [8]: *Et vocabit servos suos nomine alio*. Vere conversio et *mutatio hæc dextræ Excelsi* est [9]. In

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(13) « Idem factum semel atque iterum narrat Innocentius papa III, nostri Blesensis fere æqualis, in sermonibus suis. Deinde B. Gregorius *in* IV *psalmum pœnitent.* Hesychius *De excidio Hierosol.*, libro III. S. Ambrosius *in Auxentium, de tradendis basilicis*. S. Athanasius in libro *De fuga sua*. Linus in *Histor. de morte apostolorum Petri et Pauli*. Lege Onuphrium Panvinium *De septem Urbis ecclesiis*, et Cæsarem Baron. tom. I *Annal. Eccles.*

[91] Luc. 15. [92] I Tim. 1. [93] Psal. 110. [94] Psal. 144. [95] Act. 9. [96] Hebr. 12. [97] I Cor. 10. [98] Isa. 11. [99] Act. 9. [100] Ibid. [1] Rom. 10; Act. 9. [2] Matth. 25. [3] Hab. 3. [4] Act. 9. [5] Psal. 93. [6] Psal. 103. [7] Act. 9. [8] Cap. 65. [9] Psal. 76.

dextra Excelsi duo sunt, potestas et misericordia, sicut scriptum est : *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine misericordia* [10]. Saulum potestas humiliat, misericordia levat; perversum potestas corripit et convertit, conversum misericordia consolatur, et erigit : potestas timorem incutit et tremorem, misericordia consolationem exhibet et exsultationem, ut Saulus pariter cum Prophetæ lætetur et timeat, et dicat ad Dominum : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* [11]. Sunt plerique qui, cum a Domino corripiuntur, more Pharaonis in sua pertinacia se obdurant et ad emendationem pia disciplinæ flagella non sentiunt. De talibus conqueritur Dominus per Jeremiam dicens : *Interfeci et disperdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi* [12]. Et alibi : *Curavimus Babylonem, et non est sanata* [13]. Porro Saulus memoriter recolebat verbum Sapientiæ, quæ dicit : *Esto consentiens adversario tuo, dum es cum illo in via, ne forte tradat te judici, et judex tortori* [14], ideoque paternæ animadversionis virga correptus ad obedientiam humiliter se exponit, et quasi satisfactioni se offerens voluntatem flagellantis inquirit : *Domine quid me vis facere? Surge*, inquit, *et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere* [15]. In via prostratus, in civitatem mittitur instruendus; vult enim benignissimus justitiæ et misericordiæ magister, ut blande et socialiter doceatur ab homine, quem sciebat divinæ vocis tonitru sustinere non posse. Sic inter Deum et populum Israel Moyses loquebatur. Dicebant enim : *Loquere tu nobis, ne loquatur ad nos Dominus, et moriamur* [16]. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat* [17]. Circumfulserat eum lux de cœlo, sed nondum ad plenum *lux* illa ei affulserat, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [18]. *Ad manus illum trahentes introduxerunt Damascum* [19]. Ad manus exterius trahebatur, quem Dominus a spurcitia hujus vitæ trahebat interius, ut curreret in odorem unguentorum suorum [20]; nisi enim traheretur, non poterat ad eum venire, qui dicit : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* [21]. O benignissima retributio Salvatoris; a Christo trahitur in vitam, qui Christi discipulos trahebat in mortem. Firmissimum spei et fiduciæ fundamentum nobis erexerat, confessio latronis in cruce, pœnitentiæ peccatricis Magdalenæ, devotio publicani, supplicatio Chananææ, lacrymæ Petri, sed cumulatius et plenius exuberantiam divinæ miserationis attollit Sauli conversio, quæ sic omnino vitam persecutoris mutat, ut postea non se in se, sed Christum vivere in se protestetur. *Vivo*, inquit, *ego, jam non ego; vivit vero in me Christus* [22]. *Et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit* [23]. Tribus diebus non vidit, cui parabatur *lumen ad revelationem gentium* [24]. Triduo non comedit, cui parabatur panis vitæ, et refectio angelorum.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, et dixit ad illum in visu Dominus : Anania. At ille ait : Ecce ego, Domine. Et Dominus ad eum : Surge et vade in vicum [25], etc. Vadit ad Saulum, ut cæcum illuminet, ut vinctum solvat, ut reducat erroneum, ut reconciliet reum, ut consoletur afflictum, ut in fide confirmet infirmum, ut jejunum reficiat, ut baptismo mundet immundum. Porro Ananias secreto se abdebat, timens a facie persequentis. Erat enim olla succensa ab aquilone, sed nihilominus erat virga vigilans [26], virga ferrea et confringens vas figuli [27], ut de luto indurato vas aureum conflaretur.

Respondit autem Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem, etc. *Dixit autem ad eum Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati* [28]. *Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis* [29]. Frequenter enim recenset Ecclesia pressuras Apostoli, qualiter diutissime fuerit *in laboribus plurimis, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, a Judæis quinquies quadragenas una minus* acceperit, *ter virgis cæsus sit* [30], etc. His et aliis modis in arena hujus mundi pugnans triumphum suum consummavit gladio suo, et sanguinem suum in nomine Jesu Christi Deo Patri sacrificium obtulit vespertinum. Hic est Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Hic est Benjamin lupus rapax, mane comedens prædam, et vespere dividens spolia [31]. Saulus ideo per Benjamin specialiter designatur, quia de tribu Benjamin duxit originem [32], sicut de se ipso perhibet dicens in Epistola ad Romanos [33] : *Et ego*, inquit, *Israelita, ex semine Abraham, de tribu Benjamin*. Et sicut Benjamin inter filios Jacob fuit nativitate ultimus, ita Paulus inter Christi discipulos conversione et vocatione fuit novissimus [34]. Cumque alii super doctrina Christi per incrementum virtutum usque ad virilem statum animi profecissent, iste adhuc in fide novus et quasi adolescentulus erat. Unde et se abortivum inter cæteros vocat. Raptus autem usque ad tertium cœlum in mentis excessu ineffabilia Dei contemplabatur arcana [35], moramque suæ vocationis, et temporis dispendium, magnitudine revelationum et multiplicato prædicationis fructu redimit et compensa. Lu-

[10] Psal. 63. [11] Psal. 85. [12] Jer. 15. [13] Jer. 51. [14] Matth. 5. [15] Act. 9. [16] Exod. 20. [17] Act. 9. [18] Joan. 1. [19] Act. 9. [20] Cant. 1. [21] Joan. 6. [22] Gal. 2. [23] Act. 9. [24] Luc. 2. [25] Act. 9. [26] Jer. 1. [27] Psal. 2. [28] Act. 9. [29] Psal. 92. [30] II Cor. 11. [31] Psal. 67. [32] Gen. 48. [33] Cap. 11. [34] I Cor. 15. [35] II Cor. 12.

pus vero rapax mane comedens prædam vespere dividit spolia, dum in ætate primæva quasi circa mane tuæ vitæ gregem Dominicum persecutus in vespera suæ conversionis ad Dominum spolia diabolo exempta dividit, atque diversa officia in Ecclesia Dei distribuens sponsam Christi varietatibus decoravit. Sequitur :

Et abiit Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus dixit, etc. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit* [36]. Hæ sunt squamæ Behemoth, de quibus in Job legitur [37], quia *una uni conjungitur, nec spiraculum vitæ incedit per eas.* Hæc sunt illecebræ sæculares et colligationes impietatis, quæ per manus impositionem flatu Spiritus sancti dissolvuntur. Recepit itaque visum, qui paulo ante ambulabat in tenebris; et pane cœlesti reficitur daturus esurientibus panem vitæ : insuper et divini sementem verbi dispersurus in gentes, et uberrimos fidei manipulos collecturus. *Et surgens baptizatus est* [38]. Exsurgens de pulvere vanitatis et de luto peccati in aquis sanctificatis veterem exuit hominem, atque juxta verbum prophetæ, *Æthiops* nigredinem *suam, et pardus varietates suas* in baptismo deponit [39]. *Et continuo ingressus in synagogas, prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei* [40]. Digitus Dei, qui scripsit in cordibus hominum legem vitæ, pigritare non novit, unde et super apostolos *factus est repente de cœlo sonus* [41], et Saulus vas electionis continuo suavitatem odoris effudit. *Saulus autem multo magis convalescebat et confundebat Judæos qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.* De Filio Dei constanter affirmat quia hic est Christus, qui Jesum Dei Filium paulo ante pertinaciter abnegabat. Sic *Dominus ex Basan* convertit *in profundum maris* [42] sic suscitat *de lapidibus filios Abrahæ* [43], *mittitque crystallum suam sicut buccellas* [44], dum dispersionis et infidelitatis frigore congelati et obdurati in pertinacia sua non solum vocantur ad fidem, sed et fiunt ministri verbi Dei. Sic Paulum olim persecutorem non solum ad fidem Dominus vocat, sed apostolum et doctorem gentium facit ad dandam scientiam salutis plebi suæ, et ad revelationem gloriæ Domini nostri, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[36] Act. 9. [37] Cap. 41. [38] Act. 9. [39] Jer. 13. [40] Act. 9. [41] Act. 2. [42] Psal. 67. [43] Matth. 3. [44] Psal. 147.

COMPENDIUM IN JOB.

AD HENRICUM II ILLUSTRISSIMUM ANGLORUM REGEM.

HENRICO Dei gratia Anglorum illustrissimo regi, duci Normanniæ et Aquitaniæ, et comiti Andegavensi, suus PETRUS Blesensis Bathoniensis archidiaconus in vero salutari salutem.

Gratias ago gratiæ largitori, quia gratanter auditis quæ ædificant ad salutem; dumque curialium sollicitudinum frixoria et intricatos negotiorum labyrinthos evaditis, libenter meditamini in lege Domini, et de diurnis laboribus in lectione sacræ paginæ respiratis. Gloriosum siquidem est in principe, quotidianos actus suos, et ab eo incipere, et finire in eo *qui est principium et finis* [45]; qui est principium sine principio, et judicat fines terræ. Præcepistis mihi ut ad similitudinem illorum tractatuum, quos feceram de transfiguratione Domini et de conversione beati Pauli, vitam sancti Job summatim, et sub quodam compendio delibarem, ea duntaxat interserens, quæ ad patientiam, et cæteras virtutes vos plenius informarent [46]. Hoc sane existimo cordi vestro divinitus instillatum (cor enim regis in manu Dei est, et quocunque voluerit, vertit illud [47]) ut vitam sancti Job, et aliorum veterum Patrum libenter velitis deducere ante oculos mentis vestræ, quatenus erudiri possitis in eis, secundum quod Dominus præcepit per Prophetam : *Erudimini, qui judicatis terram* [48]. Exemplo siquidem talium confirmatur fides, spes erigitur, nutritur charitas, deprimitur superbia, humilitas custoditur, augetur devotio, et bene operandi desiderium excitatur. Hinc est, quod nomina filiorum Israel scribi fecit Dominus in rationali judicii, ut omnibus apparerent [49], et vitam atque conversationem sanctorum Patrum cæteri sibi traherent in consequentiam et exemplum. Opus itaque arduum, et sarcinam aggredior magnæ molis : *Non quod sufficientes simus,* sicut dicit Apostolus, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra a Deo est* [50], ab eo qui dicit : *Aperi os tuum, et ego implebo illud* [51]. Et iterum : *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare qui aut qualiter respondeatis ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* [52].

Incipiam ergo in ipsius benedicto nomine, qui est benedictus in sæcula, magnificentiæ vestræ supplicans humiliter et obnixe, ut exhortationem devotissimi servi vestri cum patientia sustinere velitis,

[45] Apoc. 1. [46] Prov. 21. [47] Psal. 2. [48] Ibid. [49] Exod. 28. [50] II Cor. 3. [51] Psal. 80. [52] Matth. 10.

recolens quod cum Moyses esset princeps in populo Dei, consilium Jethro gratanter admisit [53]; Petrus aspostolus apostolorum princeps Pauli correctionem non respuit [54]; Balaam asinæ vocibus acquievit [55]; David rex et propheta Nathan minoris prophetæ increpationem humiliter supportavit [56]. Jesus etiam cum remansisset in Jerusalem, et diceret quia oportebat eum esse in his quæ Patris sui erant, non acquiescentibus illi parentibus suis, secutus, est eos Nazareth, rex servos, magister discipulos, Deus homines, Verbum Dei et sapientia fabrum et feminam, *et erat subditus illis*, sicut evangelica subjungit historia [57]. Lectorem etiam rogo, ut hic elimati operis non requirat ornatum; jejunæ siquidem et inurbanæ orationis ruditatem, hinc angustia temporis, hinc angustiæ curiales excusant. Pro negotiis etiam Cantuariensis Ecclesiæ ad tempus milito in castris et curiam sequor; ubi nec habeo corporis quietem, nec pacem animæ, nec librorum copiam, nec spatium scribendi, nec studendi opportunitatem, nec expeditum animi judicium, nec plenam arbitrii libertatem. Opus itaque præsens ex his tantum conficio, quæ ministrat in dulcedine sua pauperi Deus, et quæ quandoque vel audivisse me recolo, vel legisse.

CAP. I. *Vir erat in terra Hus*, etc.

Tria hic ponuntur, *simplex*, *rectus*, *et timens Deum*. Et quia timor Dei in causa est quare declinemus a malo, ideo subjungitur, *recedens a malo*, Scriptura testante, quæ dicit : *Qui timet Deum faciet bona* [58]. Et iterum : *Facientibus mala non est timor Dei ante oculos eorum* [59]. In tribus commendantur Job, in simplicitate, in rectitudine, in timore. Est autem simplicitas discreta et est simplicitas indiscreta; est simplicitas quæ fatuitati cognata est, et est simplicitas quæ in Evangelio commendatur: *Estote*, inquit, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* [60]. Erat autem Job simplex per innocentiam, rectus ad justitiam, timidus ad cautelam: simplex ad se ipsum, rectus a proximum, timens ad Deum. Non est aliquis rectus, si recte non dividat. Bene offerebat Cain, sed non recte dividebat [61]; imo pessime, Deo offerens hostias et fratrem persequens innocentem. Non est rectus, qui linguam Deo, animam offert diabolo. Non est rectus, cujus *caput supergressæ sunt iniquitates* ejus, *et sicut onus grave gravatæ sunt super* eum [62]. Non est rectus, quem avaritia contrahit, quem torquet ambitio, quem voluptas incurvat; rectus est autem, qui dat voci suæ vocem virtutis, bene loquens et melius agens. Melior est enim vos operis quam vox oris. Merito ergo Job rectus erat, cujus verbis opera respondebant; merito rectus, quem non inflabat elatio, quem non deprimebat iniquitas, quem adversitas non frangebat. Sequitur :

Et timens Deum. Non timebat eos *qui occidunt corpus*, et postea, sicut Evangelium dicit, *non habent amplius quod faciant*; sed timebat *eum qui potest corpus occidere, et animam perdere in gehenna* [63]. Timebat, non serviliter propter pœnam, sed filiali affectu propter gratiam. Quatuor timores in sacro eloquio distinguuntur : Mundanus, servilis, initialis, et filialis sive castus. Mundanus timor est, cum periculum mortis aut temporalium rerum dispendia formidamus; servilis est, cum timenus dolores æternos et angustias gehennales; initialis est, cum quis incipit delectari in observantia mandatorum Dei, cum jam ea, quæ duriora ipsi fuerunt et austeriora, dulcescunt. De isto timore dicit Apostolus, quod *charitas foras mittit timorem quia timor in charitate non est* [64]. Filialis autem, sive castus timor est, cum uxor virum suum, quem super omnia diligit, veretur offendere, aut filius aliquid facere, quod displiceat in oculis amantissimi patris. Iste timor procedit non ex formidine, sed ex amore; iste timor, testimonio Prophetæ, permanet *in sæculum sæculi* [65]. Timebat itaque Job : *Beatus homo qui timet Deum* [66]. Hoc in veritate frequentur expertus sum, nihil esse efficacius ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si inveniatur quis coram Deo omni tempore non alta sapere, sed timere. Idcirco Sapiens dicit : *Beatus homo qui semper est pavidus* [67]. *Erat* itaque Job, qui interpretatur *dolens in terra Hus*, quod interpretatur *consilium; et simplex et rectus, et timens Deum* ; quia inter anxios dolores, et importabiles pressuras divino solatiabatur consilio, vincebatque hostem humani generis versutum, impium et superbum, in simplicitate, in justitia, in timore.

Natique sunt ei septem filii, etc. In numerositate filiorum, in possessionum multiplicitate, solet censeri felicitas hujus mundi. Verumtamen non est felicitas in hoc mundo; *transit enim mundus, et concupiscentia ejus* [68]. *Vidi omnia, quæ sub sole sunt*, dicit Sapiens, *et omnia vanitas et afflictio spiritus* [69]. Mundana hæc omnia vilissima reputabat miles iste fortissimus, cujus numerositas in prole, dilatatio in bonis temporalibus ideo recensetur, ut ostendatur, quantæ fuerit constantiæ, qui nec tot filiorum morte concuti, nec tot possessionum amissione potuit turbari. Sic examinat in fornace justitiæ Deus aurum suum; sic probat in adversitatibus sanctum suum, ut eum provehat ad coronam, et tam principibus mundi, quam prælatis Ecclesiæ, sit patientiæ constantiæ et humilitatis exemplum. Infelix ego homo, *quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* [70]? Hi enim, qui

[53] Exod. 18. [54] Gal. 2. [55] Num. 22. [56] II Reg. 12. [57] Luc. 2. [58] Eccli. 15. [59] Psal. 13. [60] Matth. 10. [61] Gen. 4. [62] Psal. 37. [63] Luc. 12. [64] I Joan. 4. [65] Psal. 18. [66] Psal. 111. [67] Prov. 28. [68] I Joan. 2. [69] Eccle. 1. [70] Jer. 9.

constantiæ beati Job imitatores esse debuerant et sequaces, mentes arundineas habent, omni flatui cedunt, omni spiritui credunt, omni circumferuntur vento, in judiciis favore liquiescunt, in consilio pavore deficiunt, turbantur tristitia, avaritia contrahuntur, protrahuntur ambitione, inquietantur suspicionibus, curis exæstuant, tabescunt odio, mordentur invidia, ira ardent, honoribus tument, oculos habent ad munera, pupillo et viduæ non intendunt, imo, quod longe gravius est, et quod sine miserabili gemitu explicare non possum, Christi opprobria, sputa flagella, clavos, lanceam, crucem, mortem, hæc omnia prælati in fornace avaritiæ conflant, et pretium universitatis suis marsupiis includentes, patrimonium crucifixi, aut nepotibus erogant, aut damnabiliter retinent, aut in usus extraordinarios dilapidant et profligant. Nonne considerant infelices, quod morituri sunt? nonne cogitant, quia requiret Dominus ab unoquoque suæ villicationis rationem, aut sui principatus honorem? *Propter hoc irritavit impius Deum; dixit enim in corde suo : Non requiret* [71]; sed certe requiret exactissime usque ad novissimum quadrantem, *et retribuet abundanter facientibus superbiam* [72]. *Malos* itque *male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis* [73]. Væ operariis vineæ Domini Sabaoth, si cum sarmentis abscinduntur! Væ pastoribus, si numerantur in sinistra cum hædis! Væ piscatoribus, si cum malis piscibus ejiciuntur foras! Væ cultoribus dominicæ messis, si cum palea comburuntur! Isti sunt pastores, quibus Isaias improperat, dicens: *Pastores erant, et intelligentiam ignorabant* [74]. Et Jeremias [75]: *Tenentes legem nescierunt me.* In eo forsitan sunt pastores, quia se pascunt; quantum enim ad curam ovium pertinet, tonsores sunt potius quam pastores : lac et lanam quærunt in ovibus, non salutem. Sane in Levitico [76] præcipitur, ut sacerdotes habeant in sacrificiis armum dextrum et separatum; ut operatio prælati non solum sancta sit, quod significatur per dexteram, sed exemplo sit præcipua et merito singularis, quatenus tantum præcellat subditos opere, quantum præeminet dignitate. Agnoscat ergo unusquisque suæ vocationis honorem; sciat, quia angelus Domini exercituum est [77]; sciat, quia est *sal terræ et lux mundi* [78]. Recordetur [79], inquam, prælatus, quos antecessores habuit, et quorum retinet dignitatem. Habet enim primatum Abel, patriarchatum Abrahæ, gubernationem Noe, ordinem Melchisedech, dignitatem Aaron, auctoritatem Moysi, virtutem Samuelis, potestatem Petri, unctionem Christi. Ab omnibus istis accusandus et judicandus est apud Deum, qui injunctæ sibi administrationis officium non exercet. Quid autem videtur de clericis, qui infinitas animas in cura suscipiunt, et de illa-

A rum salute non curant? Plerique sunt qui, non dicam, animarum, de quibus respondere tenentur in die tremendi judicii, sed vix ecclesiarum suarum numerum cognoverunt; adjungunt ecclesiam ecclesiæ, præbendam præbendæ, domum domui, agrum agro. De talibus dicit Isaias [80] : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci!* Et Habacuc [81] : *Væ qui multiplicat non sua usquequaque, et aggravat contra se densum lutum!* Clerici, qui nihil possidere debuerant, præsumunt omnia possidere : non laborant, non arant, non seminant, non ædificant, non navigant, neque pugnant [82]; et, ut verbo Psalmistæ utamur : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur ideoque tenuit eos su-*
B *perbia* [83]. O infelices, utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent! Utinam miseri saperent quid portendat hoc verbum, *et cum hominibus non flagellabuntur!* Certe, qui cum hominibus temporaliter non flagellabuntur, æterna sunt cum dæmonibus flagella passuri. Monachi canonici regulares, qui viam vitæ arctioris, et sanctum otium elegerunt, *simplices* quidem sunt *ut columbæ* [84], sed vultu, non actu; habitu, sed non affectu. *Venient*, inquit Dominus, *ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces* [85]. Non est hodie aliquod forum judiciale, aut venale, cui se viri religiosi non immisceant, et cui se importunissime non importent: mundum enim quadam simulatoria religione fallentes, falluntur pessime, et mundo mortui negotiantur, et venantur quæ mundi sunt. Quod si
C Ecclesia regnum Dei est, secundum quod legitur: *Regnum Dei intra vos est* [86], cum ipsi ecclesias, vel volentia, vel venalitate invadunt, secure infero, quod *regnum Dei vim patitur, et violenti diripiunt illud* [87]. De regibus et principibus, qui rectitudinem et justitiam Job debuerant imitari, dicit Apostolus, quod *non sine causa gladium* portant [88], ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; unde et constituti sunt patres orphanorum, viduarum judices, punitores excessuum, religionis advocati, Ecclesiæ defensores. Audi, quid dicat Job [89] : *Pater eram pauperum, conterebam molas impii, et dentibus iniquis auferebam prædam :* non negabam pauperibus quod volebant, et petentium oculos exspectare non feci. Novissima clausula hujus verbi specialiter
D principes illos tangit, qui cum de facili possint pauperum negotia expedire, semper differunt, et exspectantium vota continua procrastinatione suspendunt. *Ne dicas*, dicit Salomon, *vade, et cras revertere, et dabo tibi : cum statim possis dare* [90]; quia, sicut magister meus elegantissime dicit [91]:

Denigrat meritum dantis mera, factaque raptim
Munera plus laudis plusque favoris habent.

[71] Psal. 10. [72] Psal. 30. [73] Matth. 21. [74] Isa. 56. [75] Cap. 2. [76] Cap. 7. [77] Mal. 2. [78] Matth. 5. [79] Bern. l. 2 *De consid.* [80] Cap. 5. [81] Cap. 2. [82] Exod. 32. [83] Psal. 72. [84] Matth. 10. [85] Matth. 7. [86] Luc. 17. [87] Matth. 11. [88] Rom. 13. [89] Cap. 29. [90] Prov. 3. [91] Joan. Saresb. Carnot. episc.

Quodcunque potest manus tua, dicit Sapientia, *instanter operare* [92]: nescimus enim quid ventura pariat dies. De morte quidem certissimi sumus, nihil tamen nobis est incertius hora mortis. Jam venimus ad canos et mortis præambulos festinantis accepimus. Sic enim Apostolus dicit ad Hebræos [93]; *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* Incerti enim sumus, qua hora Dominus venturus sit; quia *sicut fur, ita in nocte veniet; cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, et sicut dolor in utero habenti, et non effugient* [94]; quia juxta Salomonem: *Prosperitas stultorum perdet eos* [95]. Hinc est quod Apostolus ad Timotheum scribens ait: *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum* [96]. Vere in incerto; dicit enim Psalmus: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* [97]. Sequitur:

Et ibant filii ejus, et faciebant conviva, etc. Cum pro divisione hæreditariæ sortis frequenter soleat esse zelus et æmulatio inter fratres, patet prudentia Job, qui sic vitam instituerat filiorum, ut se mutua charitate diligerent, et sese ad amica convivia per vicissitudines invitarent. *Bonum siquidem est et jucundum habitare fratres in unum* [98]. Quia quanto gratior est in conspectu Dei et hominum amor fratrenus, tanto enormius est, si inter eos dissensiones et schismata nutriantur. Propter hoc dicit Apostolus: *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum sentiatis, et non sint in vobis schismata* [99]. Erat itaque plena concordia inter filios et filias ad patrem, ut secundum Apostolus servarent *invicem unitatem spiritus in vinculo pacis* [100]. Si enim a patre filii dissentirent, jam non esset inter eos charitas, quia non observarent patri debitam charitatem. Avelle a sole solis radium, et non lucet; præcide rivum a fonte, et arescit; abscinde ramum ab arbore, et siccatur; et membrum a corpore, et putrescit. Separa filium a devotione paterna, et jam non est filius, sed frater et collega illorum, quibus dicitur: *Vos ex patre diabolo estis* [1]. In principio Isaiæ legitur: *Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem spreverunt me* [2]. Ultimum autem verbum ejusdem prophetæ est: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* [3]. In Veteri Testamento [4] præcipiebatur agnus paschalis comedi in una domo, ut inhabitantibus consonantia morum et affectuum notaretur identitas, sicut scriptum est: *Qui inhabitare facit unius moris in domo* [5]. Id ipsum itaque beato Job ad aliarum virtutum cumulum accedebat, quod filios suos nutrierat in amore, et vagos adolescentiæ motus sub censura cohibuerat disciplinæ. Heli enim, licet in aliis justus esset, ideo visus est reprobatus a Domino sellaque in qua sedebat

A eversa, collo fracto, cecidit, quia filios non correxit. *Dilexisti*, dicit ei Dominus, *magis filios tuos quam me* [6]. Periit igitur, quia circa filiorum correctionem negligens fuit. Uxor etiam ejus abortiendo mortua est, et filii ejus Ophni et Phinees sunt occisi. Caveant patres spirituales, qui in cathedris sedent, ne ob negligentiam ipsorum sui filii occidantur, ne destruatur Ecclesia, ne in ipsorum confusionem et perniciem cathedræ subvertantur.

Cumque in orbem transissent dies, etc. Septem erant filii Job; ideoque septem conviviis usi sunt, et sic septem diebus expletis, mittebat Job, e sanctificabat eos. Septenarius statum præsentis vitæ significat, quia septem dierum curriculis volvitur
B et distinguitur præsens tempus. Septem itaque diebus elapsis, Job filios suos sanctificabat, quia post vitæ præsentis excursum vocem illam sanctificationis et gratiæ exspectamus, qua dicit Dominus filiis suis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* [7].

Consurgensque diluculo offerebat, etc. Ne forte, dicit, temerarium enim esset, de corde alieno proferre sententiam. Homo namque videt in facie; de cordibus autem judicat, cui omne cor patet, qui solus scrutatur corda et renes [8]. Propterea dicit Apostolus: *Pro minimo est mihi, ut ad homine judicer, aut ab humano die* [9]. Offerebat Job filiis suis holocausta per singulos, timens, ne in conviviis
C suis Domino detraxissent. Solet siquidem oriri ex comessatione garrulitas. Nisi enim gulæ deditos, dicit Gregorius [10], raperet immoderata loquacitas, dives ille, qui epulabatur splendide, gravius non arderet in lingua, dicens: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hoc flamma* [11]. Lingua siquidem membrum modicum est et mobile, cæteraque membra quandoque multiplici malignitate contaminat. Est enim lingua dissoluta, lingua impudica, lingua magniloqua. Lingua dissoluta est in sermonibus otiosis, impudica in ignominiæ verbis, magniloqua in superbia et abusione. Prima scurrilitati, secunda lasciviæ, tertia arrogantiæ famula-
D tur. Et quid est detestabilius lingua illa regis Babylonis, qua dicebat: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni mei, et fortitudine mea, et in gloria decoris mei* [12]? Propter hoc in bruti animalis dejectionem humiliari meruit principis illius præsumptuosa elatio. *Homo enim cum in honore esset, non intellexit, ideoque comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [13]. Certe si boves et asini loquerentur, possent

[92] Eccle. 9. [93] Cap. 8. [94] I Thess. 5. [95] Prov. 1. [96] I Tim. 6. [97] Psal. 75. [98] Psal. 132. [99] I Cor. 1. [100] Ephes. 4. [1] Joan. 8. [2] Cap. 1. [3] Isa. 66. [4] Exod. 12. [5] Psal. 67. [6] I Reg. 4. [7] Matth. 25. [8] Psal. 7. [9] I Cor. II. [10] Lib. I Mor. c. 4. [11] Luc. 16. [12] Dan. 4. [13] Psal. 48.

dicere : *Ecce* Nabuchodonosor *factus est quasi unus ex nobis* [14]. Verebatur itaque Job, ne linguæ lubricum filios traheret ad peccatum, ut in cordibus suis benedicerent, id est maledicerent Domino. In corde suo maledicit, qui bona opera non recta intentione facit. In corde suo Deo maledicit, qui quod a Deo habet, sibi et non Deo ascribit. Putridissime pulvis, et vento pulveris dispergende, quid habes a te unde possis aut debeas gloriari ? *Qui gloriatur in Domino glorietur* [15]. Si ex aliqua parte tibi usurpas gloriam, fur es : eam enim Deo subripis et furaris. *Si osculatus sum manum meam*, dicit Job [16], *quod est summa iniquitas et abnegatio in Deum*. Manum suam osculari, est de suis operibus gloriari. Ad eum ergo solum gloria referatur, qui solus est *gloriosus in sæcula* [17]. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [18]. Solus habeas gloriam, qui solus pugnasti, solus in patibulo triumphasti. *Torcular*, inquit. *calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* [19]. Da nobis, Domine, pacem, et sufficit nobis ; loquere, Domine, *pacem in plebem tuam* [20], *et fiat pax in virtute tua* [21]. Scimus enim, quod prudentissime distinguebat angelus, cum dicebat : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [22]. Offerebat itaque Job holocausta pro filiis. Sciebat enim quod ex comessatione frequenter surgit ebrietas, et ex ebrietate temeritas. Comessatio turbat animæ statum, ebrietas confundit rationis judicium, temeritas præcipitat in reatum. Ideoque Apostolus [23] comessationes et ebrietates multipliciter interdicit. *Quorum* enim *deus venter est, et gloria in confusionem* [24]. *Esca ventri*, dicit Apostolus, *et venter escis* ; *Deus autem hunc et has destruet* [25]. Legitur [26], quod Nabuzardan princeps militiæ destruxit muros Jerusalem, quia plerumque evenit, ut vitium gulæ merita eorum destruat, qui viam religionis, et sanctæ pacis propositum elegerunt. Illud præ cæteris mihi materiam doloris importat, quod hodie viri religiosi, et sancti ordinis professores de ferculorum numerositate contendunt. Si invenit religiosus circa se, aut pulsum velocem, aut urinam intensam, aut hebetem appetitum, consulit medicos, examinat species, electuaria facit, nullis utitur salsamentis, quæ non sunt condita ex cynamomo et gariophyllo, et nuce muscata. O quam odiosum est in homine, quod qui semper de hie- A rarchia cœlesti debuerat loqui, de hiera picra, et hiera Logadii (13*) disputare discit. Religiosus talis discipulus potius est Epicuri quam Christi. Hoc capiti, inquit [27], hoc oculis, hoc stomacho, hoc hepati nocet. Butyrum convertibilis est naturæ, cerevisia ventos facit, caules melancholici sunt, porri choleram accendunt, pisa guttam generant, faba constipat, lentes excæcant, cascus universaliter est pessimus. Diu ad orationem stare nervos debilitat, jejunare cerebrum turbat, vigilare desiccat. Nunquid inveniuntur istæ differentiæ in Evangelio, aut prophetis ? certe non habet hoc institutio B. Benedicti ; sed miseris hoc revelat caro et sanguis. Hæc de commessationibus. De ebrietate vero, quæ est comessationis portio et sequela, il- B lud succincta brevitate perstringo, quia sicut Adam gulæ, sic et Noe et Loth ebrietati subjacuit. Certe, dicit Ambrosius [28], nunquam fuisset servitus, si ebrietas non fuisset. Quid autem dicemus de illis perditæ mentis hominibus, qui potando decertant, qui plus bibere victoriam esse arbitrantur ? qui tunc amplius bibunt, cum minus sitiunt ? qui felices se reputant, cum aut se, aut socios vident lingua titubare et pedibus, qui tunc hominem detestantur, qui ebrietati non studet, et si ebrii non fuerint, dormire non possunt? Audiant quid dicat Dominus per organum sancti Spiritus Isaiam : *Væ qui potentes estis ad bibendum, et fortes ad miscendam ebrietatem* [29]. Salomon ebrietatis incommoda succincta et urbana brevitate concludit dicens : *Cui væ, cujus patri væ, cui vulnera, cui rixæ, cui suf-* C *fossio oculorum, nonne his qui morentur in vino et student calicibus epotandis* [30] ? Sequitur :

Sic faciebat Job cunctis diebus. In quo perseverantia boni operis designatur. Perseverantia hoc prærogativæ habet, quia cum omnes virtutes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur *Multum siquidem valet deprecatio justi assidua* [31] : quod in oratione Moysi manifestissime liquet. Dum enim oraret, dum manus erigeret, vincebat populus Dei ; dum autem dimittebat manus, aut ab oratione cessabat, Amalech prævalebat [32]. Ideoque Job cunctis diebus offerebat holocausta pro filiis, quia se in quotidianis conviviis peccandi materia ingerebat, oportebatque continuum esse remedium, ubi continua erat occasio et pronitas ad peccandum.

D *Qualam autem die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam et*

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(13*) Ιερα Græca vox est, et significat, *sacra*. Medicis significat, vel ἱεραν νοσον, sacrum, vel comitialem morbum ; vel, ut hic a Blesensi usurpatur, medicamenti compositionem. Cujus nominis rationem reddit Scribonius Largus libro *De compositione medicam.*, c. 99. Dicitur autem ἱερα, nunc πικρα, quia est amara, nam ex aloe maxime componitur, nunc λογαδίον ab auctore, quia varia fuit, et a variis aliter descripta. Alia enim erat Antipatri, alia Andromachi, alia Galeni, alia Rufli, alia Logadii. Vide Lexicographos in voce Ἱερος.

[14] Gen. 3. [15] I Cor. 1. [16] Cap. 31. [17] Dan. 3. [18] Psal. 113. [19] Isa. 63. [20] Psal. 84. [21] Psal. 121. [22] Luc. 2. [23] Gal. 5 ; Rom. 13. [24] Phil. 3. [25] I Cor. 6. [26] Jer. 52. [27] BERN. s. 40 *in Cant.* [28] Lib. *De Elia*, c. 5, 13-16. [29] Isa. 5. [30] Prov. 3. [31] Jac. 5. [32] Exod. 17.

. Multæ sunt curiæ, et aliquis Satan semper itur in singulis. Est autem, qui est accusator ım et bonorum depravator, occultus omnium sarius et quasi anguis inter anguillas, lega-; frequentius injunguntur, et forte quod sibi ›itur ad gloriam, Dei jùdicio ei imponitur ad эm. Mittuntur quandoque a Domino boni an-missi *in ministerium propter eos, qui hære-'m capiunt salutis* [33], Mittuntur etiam mali i ad vexationem malorum, ut fiant, sicut ıeta dicit: *immissiones per angelos malos* [34]. ntur et ad probationem bonorum, ad virtutis itium, ad augmentum gratiæ in eis, et ad e incrementum. Qua vero fronte, qua audacia ımit ille filius superbiæ, ille angelus apostata Dei filios apparere ?

l quia per superbiam cecidit, superbiendo dit. *Superbia*, inquit, *eorum qui te oderunt, dit semper* [35]. Superbia enim natione cœlestis a cœlo concepit dolorem et peperit iniquita-atque illuc libentius tendit, unde cecidit. neo apparet Satan inter angelos Dei, ut videat m ejus, in quem angeli concupiscunt, cujus *n angeli semper vident* [36], quia *homo* Deum *videbit, et vivet* [37]. Ablatus est peccator, ac t gloriam Dei ; apparet ergo Satan coram no, ut videatur ab eo, quem videre non po-sicut cæcus, qui in radio solis est, et benefi-›lis non utitur, et hoc solum videre permitti-juod sibi reputat ad tormentum; torquetur invidia, immoritur angelorum felicitati, et ıeritate fidelium intabescit, juxta illud : *Pec-videbit et irascetur, dentibus suis fremet et :et* [38].

i dixit Dominus: Unde venis, Satan? Quærit a Dominus a Satan, quasi ignorans unde ve-quia sicut dicitur : Justus videtur nescire iri, eo quod mentiri non vult, et mendacium ıttentat: sicut *Dominus novit viam justorum, ım peccatoris ignorat* [39].

i respondens ait, etc. Bene dicit, *circuivi: im-ıim in circuitu ambulant* [40]. *Adversarius* siqui-noster, quasi *leo rugiens, circuit quærens quem et* [41], eosque libentius devorare attentat, quos sanctioris agnovit, quia scriptum est: *Cibus electus* [42].

:itque Dominus ad eum : Nunquid, etc. A com-latione justi incipit: *Non enim qui se ipsum com-at, ille probatus est, sed quem Deus commen-* [43]; illasque virtutes ei proponit, quas amplius bat exosas, ut inimicum vehementius torqueat rovocet ad tentandum. Vult enim Dominus ›s suos fortiter tentari, ut faciat *etiam cum ıtione proventum* [44]. Gaudet princeps militiæ, ilitem suum cum forti adversario strenue pugnantem aspexerit. Exsultat Christus cum martyrem suum videt nunc flagellari, nunc extendi in eculeo, nunc ferreis laniari unguibus, nunc sagittis exponi, nunc membris truncari, nunc ignibus superponi. Stat martyr afflictus quidem, sed invictus, vidensque sanguinem suum ex diversis partibus corporis ebullire, non sua, sed Redemptoris vulnera attendit. Inter anxietates ergo acerrimas tripudians et triumphans, dolores corporis lacerati non sentit, quia peregrinatur a corpore. Non facit hoc stupor, sed amor; nec deest dolor, sed pro Christo contemnitur. Sic Dominus et possessiones, et personam servi sui Job, malitiæ tentatoris exponit, ut per interiora et exteriora afflictus, munitus tamen a Domino a dextris et a sinistris, et crescat in gratiam, et proficiat ad coronam.

Cui respondens Satan, ait : Nunquid frustra, etc. Quia in viro sancto Satan mala quæ accuset, non invenit, bona convertit in malum falso, et malitiose vitium ingratitudinis ei volens inferre, quem aliter non poterat depravare; quasi diceret: Nec te timet, tanquam ingratus ; nec est quare te timeat, quia vallasti eum, et domum ejus, omnemque in eo timorem, ac reverentiæ materiam abscidisti. Sciebat enim adversarius, vitium ingratitudinis esse, per quod homo Deo poterat amplius displicere [45]. Ingratitudo enim est ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Ingratitudo est dispersio virtutum, beneficiorum proditio, et inanitio meritorum. Homo siquidem ante passionem Christi ingratitudinis morbo laborabat, dicebat enim homo creatus, sed nondum redemptus; non amplius teneor Deo, quam cæteræ creaturæ. Dixit enim, et factus sum : non plus in me, quam in aliquo brutorum animalium laboravit. Sumebat itaque humana impietas occasionem ingratitudinis de materia gratiarum. Sed obstructum est hodie os loquentium iniqua, et ideo non est ingratitudini locus. Plus enim Deus in sola redemptione hominis, quam in tota mundi fabrica laboravit. Factus est namque de Domino servus, de divite pauper, de immortali mortalis. de Verbo caro, de Filio Dei filius hominis. Sustinuit autem opprobria exprobrantium, passus est insidiatores in factis, contradictores in verbis, illusores, in angustiis, necessitates carnis, horrorem mortis, ignominiam crucis. Illud, amantissime princeps, excellentiam vestram rogo, et rogando consulo, ut jugiter habeatis in mente, quanta fecerit Dominus vobis. De comite in ducem, de duce in regem vos extulit. Postmodum vi reges multos et maximos cum eorum provinciis vestræ dominationi subjecit. Et quia sunt *miserationes ejus super omnia opera ejus* [46], singulis diebus laudes, quæso, proprias et speciales gratias Altissimo referatis, de

Hebr. 1. [34] Psal. 77. [35] Psal. 72. [36] Matth. 18. [37] Exod. 34. [38] Psal. 111. [39] Psal. 1. al. 11. [41] I Petr. 5. [42] Hab. 1. [43] III Cor. 10. [44] I Cor. 10. [45] BERN. sermo 51 *in Cant.* [46] Psal.

misericordia, quam vobis in vestrorum dissensione filiorum exhibuit. Recesserat a vobis caro vestra, viscera vestra erant avulsa a vobis. Omnes circumjacentes, principes et populi, omnesque vestrates fere in vestrum anhelabant exitium; erantque, sicut dicit propheta: *Inimici hominis domestici ejus* [47]. Verum humiliavit eos, qui est ante sæcula, deditque hostes vestros in manibus vestris, *ad alligandos principes eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis* [48]. Ipse etiam corda filiorum convertit ad patrem [49], eosque ad eam subjectionem et humilitatem vestris pedibus inclinavit, ut jam non dubitent universos pro vobis subire labores, et pro vestro honore offerre se morti. Non ergo hoc vobis ascribatis, sed Domino; nec Judaicum illud opprobrium notetur in vobis: *Non fuerunt*, inquit, *memores beneficiorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis* [50]. Absit ab ore et corde vestro illa pestifera sententia, et in auribus Altissimi odiosa: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia* [51]. Audite quid Sapiens dicat: *Quanto major es, humilia te in omnibus* [52]. Et Apostolus: *Humiliamini sub potenti manu* [53] Dei, sub eo, *per* quem *reges regnant* [54] quem nosse, vivere, cui servire, regnare est; sine cujus gratia, nec princeps honorem, nec populus babet pacem, nec quietem religio, nec Ecclesia libertatem.

Tange, inquit, *cuncta quæ possidet*, etc. Facies Domini, misericordia ejus est. *Ostende*, inquit Psalmista, *faciem tuam*, Domine, *et salvi erimus* [55]. Et alibi: *De vultu tuo*, Domine, *judicium meum prodeat* [56]. Item: *Vultum tuum, Domine, requiram* [57]. Deo itaque in faciem maledicit, qui gratiam ejus, quam in prosperitate servaverat, in rerum temporalium subtractione, aut in corporis afflictione contemnit.

Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa, etc. Non favore, aut prece diaboli inclinatur Dominus, ut ipsius tentationi servum suum velit exponere, sed servi sui utilitati prospicit et honori, mittens militem suum ad prælium, quem novit reportaturum de prælio gloriam et triumphum. Justissimum quidem judicium Dei est, ut ille humilium pessimus malleator, dum justos premit inter malleum et incudem, fabricet eis coronas perpetuas, et qui omnes attentat vincere, vincatur ab omnibus: et quod sanctis multiplicatur ad gloriam, ei ad ignominiam et confusionem multiplicius convertatur. *Tantum*, inquit, *in eum me extendas manum tuam*. Possessiones Job inimico exponit, corpus protegit Deus, corpus tamen postmodum traditurus, ex altissima

A dispensatione hoc faciens. Sciebat enim, quod fortius uni tentationi resisteret, quam duabus; et quod ex victoria primæ pugnæ, animus Job ad alterius tentationis tolerantiam constantius firmaretur. Non enim, sicut dicit Apostolus, permittit Deus suos tentari supra id quod possint, sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possunt sustinere [58]. *Tollitque Dominus virgam peccatorum desuper sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas* [59].

Egressusque est Satan a facie Domini. Vere egressus est, *qui in veritate non stetit* [60], qui in superbia sua corruit, qui in gratia non permansit.

Cum autem quadam die filii et filiæ ejus, etc. Opportunissimum tentationis tempus elegit, cum scilicet filios Job comedentes et bibentes invenit. B *Adhuc*, inquit, *escæ eorum erant en ore ipsorum, et ira Dei ascendeit super eos* [61] Quia comessationes sine peccato vix esse possunt, comessationibus libenter se ingerit inimicus: orationem vero et jejunium semper odit, quia genus est etiam dæmoniorum, quod non nisi oratione et jejunio expellitur [62]. Et notandum quod non cibum sumere, sed in cibo delectari peccatum est. Quandoque enim aliquis non minus gulosus est in vilissimis cibis quam alius in epulis delicatis. Legitur Jonathas peccasse in gustu mellis [63], Esau in edulio lentis [64], Sodomitæ in saturitate panis [65]. Ergo, teste Hieronymo [66], non cibus, sed appetitus in culpa est. Considerantur autem in cibo sumendo tria, tempus, modus et qualitas. C Tempus, ut non præveniatur hora; modus, ut sumatur cibus cum moderatione inculpata; qualitas, ut non sint cibi nimium exquisiti, aut nimium sumptuosi. Comedere post saturitatem est superfluum, ante esuriem otiosum, in esurie licitum, post esuriem meritorium. Certe non credo in homine incolumi jejunium alicujus esse meriti, quod esuries non præcedit (14). Jejunare, et jejunio non affligi, non habet vim, aut meritum jejunandi. Si instant apostolorum vigiliæ, aut alia tempora, quæ necessitatem jejunandi indicant, præcedenti die implemus et ingurgitamus nos varietatibus ferculorum, atque in fraudem futuri jejunii tantum nostris ventribus inculcamus, quo sufficienter possit sustentari triduo sobrius dispensator. *Non est hoc*, dicit Domi- D nus per prophetam, *jejunium, quod elegi* [67]. Sunt enim jejunia, quæ reprobavit Deus, et sunt jejunia, quæ elegit. Jejunant alia propter naturæ impotentiam, alii propter avaritiam, alii ad apparentiam, alii ad vitam æternam, alii ad corporis sanitatem.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(14) Etsi jejunium illud, quatenus affligere consuevit, nullius videatur esse meriti, aliis tamen nominibus potest conjunctum esse cum merito, ut si suscipiatur quia ecclesiastico imperatum est præcepto, si ad cavendum proximi offendiculum, ad bonum exemplum aliis præbendum, ad retinendam populi Christiani consuetudinem, ad voluntatem se affligendi demonstrandam.

---

[47] Mich. 7; Matth. 10. [48] Psal. 149. [49] Luc. 1. [50] Psal. 77. [51] Deut. 32. [52] Eccli 3. [53] I Petr. 5. [54] Prov. 8. [55] Psal. 79. [56] Psal. 16. [57] Psal. 26. [58] I Cor. 10. [59] Psal. 124. [60] Joan. 8. [61] Psal. 77. [62] Matth. 17. [63] I Reg. 14. [64] Gen. 26. [65] Ezech. 16. [66] Lib. II *in Jovin.* [67] Isa. 58.

nat ægrotus ut convalescat, hypocrita ut ap-
at, fastiditus ut appetat, avarus ut parcat. In
ibus intentio tua operi tuo nomen imponit, In
ibus discretio servanda est, auriga virtutum et
um, atque cogitationum optima moderatrix.
iitur :
mque adhuc ille loqueretur, etc. Satan ad mul-
ces tentandi artes, ad varia nocendi argumenta
astutias circumducit. Sunt enim multæ ejus
:iæ, ut Apostolus dicit: *Non ignoramus*, in-
ns, *astutias Satanæ* [68]. Facit igitur damna in-
ata et subita nuntiari, ut Job ex continuato
norum eventu vehementius consternatur : ad-
ie vulnera super dolorem vulnerum, ut ad cu-
m supervenientis mali præteritorum malorum
ioria refricetur; et ut inveniatur iniquitas ejus
dium, ignem de cœlo, ventos ex aere, de terris
itum producit hostilem, ut sic ille filius super-
in cœlo, in aere et in terris habere videatur
iam potestatem. Verumtamen non ex sua, sed
ei potestate ad usum nequitiæ suæ contra Job
ienta movere permittitur, ut Job inter flagello-
pressuras in modum sinapis, dum plus conte-
', vehementius inardescat, et dum adversarius
ia nocendi genera experitur, in omnibus su-
tur.
mc surrexit Job, et scidit vestimenta sua. Ecce
llum sensit : unde et statim in vestimentorum
iione signa doloris exhibuit.
tonso capite, corruens, etc. Commotum est vas
ientarium, et dedit suavitatem odoris : contrita
aromata et fragrantiam emiserunt. Afflictus
ob, et ad laudes Domini se convertit. Quandiu
in die prosperitatis suæ, offerebat quotidie ho-
asta; in nocte vero adversitatis, canticum lau-
offerre non cessat, juxta vocem Psalmistæ:
'ie mandavit Dominus benedictionem, et nocte
icum ejus [69]. Et notandum quod, *tonso capite*
erram corruens, adoravit. In eo quod tondet
it, quod in terram corruit, quod adorat, nota-
iumilitas, quæ in Job præcipue commendabilis
, in habitu, in opere, in affectu. Non est no-
, quod tondentur clerici, quod in capite coro-
:ur. Exemplum tonsuræ habemus in Job
iplum coronæ habemus in Christo, qui spineam
nam in signum humilitatis gestavit in capite
[70]. Quidam etiam gentiles Petro apostolo caput
ise dicuntur in Christi opprobrium et contem-
i; quod tamen ipse, non immemor spineæ co-
: Christi, patienter et prompta voluntate susti-
. In hujus humilitatis memoriam Priscilla et
ila se ipsos, sicut in Actibus apostolorum [71]
ur, totonderunt. Paulus etiam totondit se in
:hris. Tondet itaque se Job in signum humili-
; considerans se conteri et humiliari flagellis,

A amplius se humiliat et manum adjuvat flagellantis: *Nudus*, inquit, *egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc*. Ad memoriam reducit Job humanæ conditionis miseriam, ut hoc ipsum ad solatium ei cedat, quod quandoque nihils habuit : sciatque non esse de rerum temporalium amissione dolendum, quæ et cito acquiruntur et citius evanescunt. Homo de terra conditus, in terram revertitur, sicut in Genesi dictum est primo homini: *Cinis es, et in cinerem reverteris* [72]. Quod ideo dictum fuisse credimus, ut quandiu homo militat in hac vita mortali, imo in hac morte vitali, recordetur originis suæ, et memoriter teneat, unde veniat aut quo vadat. *Terra, terra, terra, audi sermones meos* [73] dicit propheta. Propheta tertio vocat ho-
B minem terram, quia homo tripliciter terra est. Terra est, quia de terra creatus est. Terra est, quia in terra conversatur. Terra est, quia in terram revertetur. Terra est creatione, terra est conversatione, terra est morte. Terra est, natura, vita et sepultura. Et quia terra hic tertio iteratur, ideo sponsus replicat Sunamiti tertio, ut de terra dissimi litudinis ad terram viventium revertatur. *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur* [74]. Revertere de terra dissimilitudinis, revertere de terra peccati, revertere de terra miseriæ in terram libertatis, revertere in terram gratiæ et in terram gloriæ. Infelix ego homo, unde potest obrepere misero homini elationis occasio, qui de immundo conceptus est semine, et iterum immundissimus pulvis fiet [75]? Cuidam sic quærenti
C a quodam philosopho: Quid fui, quid sum, quid ero? Legitur philosophus respondisse : Vile sperma, saccus stercorum, cibus vermium. Audiant, quæso, et firmiter hoc verbum retineant milites, qui de viribus suis aut de sua pulchritudine gloriantur. Certe non possemus credere miseriam corporis nostri esse tantam, nisi hoc experientiæ liber oculata fide assidue nos doceret.

Videmus enim viros strenuissimos armis, mulieres elegantissimas forma, principes potestate terribiles tota die mori, et terræ infodi: ut quod terra fuerat, revertatur in terram. Ille, sub quo hodie fremit mundus, quem tremunt populi, et quem provinciæ alienæ formidant, si hodie moriatur, infra breve tempus redigetur in vilissimum pulverem,
D flatuque levissimo poterit exsufflari. Ubi est nunc Julius Cæsar? ubi est Alexander Magnus? ubi Caralus Magnus? nisi quia Carolus optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Alii in perpetua tormenta sunt damnati, sicut scriptum est: *Potentes potenter tormenta tolerabunt* [76]. Verumtamen, quia Carolus in Christum credidit, licet in juventute sua graviter deliquisset, delicta tamen juventutis suæ per confessionem et pœnitentiam lavit : et in

II Cor. 2. [69] Psal. 41. [70] Beda lib. 5. Hist. c. 22. [71] Cap. 18 et 21. [72] Gen. 3. [73] Jer. 22.
nt. 6. [75] Bern. in Medit. c. 2. [76] Sap. 6.

vespera vitæ suæ conversus ad Dominum, se ipsum Deo sacrificium obtulit vespertinum. Attende, prudentissime princeps, quia jam advesperascit tibi; jam enim vitæ tuæ dimidium, aut amplius peregisti. Considerabat rex Ezechias, quod diutissime vixerat in peccatis, et quod recta via festinabat ad inferos, ideoque dicebat: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi* [77]. Et subjunxit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* [78]. Vade, et tu fac similiter. Deterreat te quorumdam principum sinistra opinio; de quibus dicitur, quia quanto magis senuerunt, tanto amplius vanitatibus, et illecebris hujus mundi, et lasciviæ corporis indulserunt. Adimpleatur, quæso, in vobis illa prophetia Merlini. Erant vagi in initio gressus ejus, sed finis ad superos convolabit. Si peccasti, quiesce; quia optimus pœnitendi modus est a peccato cessare. In animo tuo forte ordinas et disponis: Adhuc ludam, adhuc exspectabo, et differam, donec sim ætate maturior et impotentior ad peccandum. Dic, quæso, quæ gratia tibi debetur a Domino, si tunc desistis a peccato, cum peccare non possis? Festina, quæso, bene agere; non differas, non exspectes. Verbum prophetæ est de populo obstinato: *Populus hic dicit: Nondum tempus est ædificandi domum Dei* [79]. Et alibi: Satiabor in iniquitatibus meis, et cum repleta fuerit anima mea malis, considerabo vias meas. Illud volo, et consulo, ut hanc jactantiam habeas apud Deum semper, et hoc ei semper possis objicere, te pro amore illius singulis diebus aliquod omisisse peccatum. Duo

A sunt, quæ hominem mirabiliter a peccato conservant; scilicet, frequens confessio et frequentior disciplina (14*). Verumtamen quid am ita teneri et delicati sunt, et ligati consuetudine peccandi, quod non minus abhorrent sacerdotem, quam latro judicem. Quid dubitas, *modicæ fidei* [80]? Times, quod peccata tua Dominus non dimittat? nonne manibus suis ea cruci affixit? Ipse passus est pro peccatoribus, non pro justis. Audi quid Propheta dicat ad Dominum: *Dixi confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei* [81]. Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus, ego illud operio; si agnoscis, ignosco; si accusas, excuso; si te judicas et condemnas, te nec judico, nec condemno. Quod si vosmetipsos judicaretis, dicit Apostolus, non utique judicaremini [82]. David adulter, homicida et proditor, arguente illum Nathan propheta, quia peccatum suum humiliter recognovit, audire meruit: *Transtulit a te Dominus peccatum tuum* [83]. Saul vero, quia Samueli ipsum arguenti superbe respondit, audivit: *Transtulit a te Dominus regnum tuum* [84]. Ab altero peccatum, ab altero translatum est regnum. Hæc ideo moneo et consulo, ut exemplo beati Job sitis memores conditionis vestræ. Nudus enim intrastis, et nudus exibitis, *quia dives cum interierit, non sumet omnia, et non descendet cum eo gloria ejus* [85]. Illud solum vobiscum reportabitis, quod in cœlestes thesauros per manus pauperum præmisistis. Sequitur:

C *Dominus dedit, Dominus abstulit*, etc. Job mel miscet absynthio; persecutioni gratiam et benedi-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(14*) Ex hoc loco aliisque compluribus apparet disciplinam, hoc est, proprii corporis diverberationem (hoc quoque ævo Romæ totaque Italia, Hispania, Indiis, et alibi receptam) ante annos quadringentos et amplius fuisse in Gallia et Anglia frequentatam, nec solum apud monasticæ vitæ cultores, sed etiam apud clericos et laicos, episcopos, principes, reges, ut liquet ex multis epistolis. Nam cum in epistola 82 et in Invectiva, laudasset Cistercienses monachoiquod omnes clericos et laicos in castiganda disciplinis carne superarent; mox apologiam clericorum subjiciens, addit: « Putas eos omnes (clericos) ita elongatos a Deo, ut eos aut gehennalis miseriæ timor, aut cœlestis gloriæ beatitudo non exctet? Nunquid disciplinæ, et pœnitentiæ, et cæterorum quæ ad spiritualе pertineut exercitium penitus sunt ignari? Nunquid resina non est in Galaad? » Deinde epist. 16 scribens ad episcopum quemdam grandævum, ait eum ex sua professione obnoxium esse ad carnem purgandam jejuniis, et disciplinis, idque in die judicii exactissime a Deo requirendum. Et epist. 46, purgans Bathoniensem episcopum Reginaldum, qui existimabatur S. Thomæ martyri dum viveret, fuisse infestus: « Scio, inquit, quod si præfatus electus aliquid attentavit in contumeliam martyris, illud expiavit asperitate cilicii, largioribus eleemosynis, lacrymis profusioribus, austerioribus disciplinis. » In epist. vero 126 describens adolescentiam Odonis, Parisiensis episcopi, regis Francorum et Anglorum consanguinei: « Cum, ait, vas suum in sanctificatione et honore ab infantia possedisset, insolentiam tamen carnis, et extraordinarios ejus motus quadam præeminentiæ auctoritate cohibens, ipsam vigiliis, jejuniis, disciplinis ancillari cogebat. » In Instructione quoque episcopali instruens quemdam episcopum: « Semper tibi, inquit, occulte vel ad disciplinam, vel ad lacrymas, vel ad alia, quæ citra hominis testimonium solus agere poteris, impone tibi jugum Dominicæ servitutis. » Ad hæc epistola 27 ait S. Thomam martyrem ex regni Anglici cancellario Cantuariensem archiepiscopum, a prima adolescentia carnalis insolentiæ motus vigiliis, jejuniis, disciplinis, cilicio, et jugi continentiæ balteo cohibuisse. Quanta autem securitate jam episcopus flagris quotidie deseverit in hostem suum domesticum, vide in ejus Vita. D Ejusdem disciplinæ Blesensis multis aliis in locis meminit, ut epist. 11, 58, 74, 142, 205. In lib. I *De Pœnitentia*, in tract. *De institut. episcopi*, et serm. 6, *De nativitate Domini*. Cum ergo hæc consuetudo sæculo Blesensis passim fuerit recepta, non est vero simile eam illo ipso sæculo ortam, sed ab antiquis ductam temporibus fuisse. Nam S. Petrus Damianus, Romanæ Ecclesiæ cardinalis, sæculo uno Blesensi nostro vetustior, in S. Dominici Loricati Vita, cum morem quotidianæ diverberationis, tum sancti illius, tum monasterii sui, exposuisset, addit castigandi corporis consuetudinem in suis partibus obtinuisse, non solum apud monachos, sed etiam apud sæculares homines, tam viros quam mulieres, quantumvis genere nobiles.

[77] Isa. 38. [78] Ibid. [79] Aggæ. 1. [80] Matth. 14. [81] Psal. 31. [82] I Cor. 11. [83] I Reg. 12. [84] III Reg. 15. [85] Psal. 48.

ctionem, ut in gratiarum actione persecutionis amaritudo dulcescat, nec tantum fiat potus cum lacrymis in mensura, sed afflictionis absynthio, et melle gratiarum nectar acceptabile condiatur. *Potasti nos*, dicit Propheta, *vino compunctionis* [86], sive tribulationis; sed huic vino Job de torrente voluptatis apponit: et quasi utatur verbis Apostoli dicentis: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis* [87]. Et: *Quando infirmor, tunc fortior sum* [88]. Firmat animum suum ad omnium malorum tolerantiam, et de suis angustiis gloriatur. Legitur quod Aod, filius Gera, ambidexter utraque manu pugnabat [89], cujus expressam similitudinem Job gerit, quia non minus sinistra pugnabat, quam dextra; fortis in prosperis, fortior in adversis. Talis erat Apostolus, sciens abundare, et penuriam pati [90], glorians in infirmitatibus suis, incedens mediu per *infamiam et bonam famam, per gloriam et ignobilitatem* [91], adversa sine murmuratione sustinens, et faciens in omnibus de necessitate virtutem. Sequitur:

In omnibus his non peccavit, etc. Stulte loquitur contra Deum, qui dicit se a Domino citra suorum meritorum exigentiam flagellari; et quasi suam allegans innocentiam, superbe accusat justitiam flagellantis.

CAP. II. *Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei*, etc.

Tacet Satan de damnis quæ intulerat viro sancto, et de constantia quam invenit in eo. Victum enim et confusum se reputat, dum hominem, quem ad maledicendum Deo damnis et doloribus instigabat, eidem dare benedictionem et hostiam laudis offerre considerat.

Et dixit Dominus ad Satan, etc. Dominus sui militis virtutes enumerat, adjiciens super omnem laudem ejus, atque in opprobrium et ignominiam tentatoris, malitiam ipsius eidem latenter insinuat, quasi dicat: Innocentiam quam amisisti, dum esses in cœlesti beatitudine, in splendoribus sanctorum et angelorum dignitate, homo licet naturæ fragilis et miseræ conditionis, etiam in afflictione servavit. Sic Dominus diabolo prudenter et urbane illudit: *Draco iste, Domine*, est *quem formasti ad illudendum ei* [92]. Illuditur ei a te, ab homine et ab angelo: a te, dum ei permittis nocere homini, ut nocendo proficiat. Illuditur vero ab homine, qui dum eum plus debilitat, invenit fortiorem. Illuditur ei ab angelis quos considerans sublimes in gloria, abundantes in gratia, fulgentes in claritate cœlesti, divinis laudibus resultantes, recordatur unde ceciderit, et de aliorum gaudiis ingemiscens ira et livore tabescit Sequitur:

Tu autem commovisti me., etc., id est sine causa, scilicet non præcedentibus peccatis in eo, quæ flagellum tantæ adversitatis exigerent; vel, frustra, quantum ad propositum tuum: in eo enim es ei utilis, in quo nocere intendis. *Tu autem commovisti me*. Non est credendum quod Satan commoverit Deum, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* [93]. Et sicut Malachias dicit: *Ego Deus, et non mutor* [94]. Sed commutatio Dei, flagellum ipsius est. Flagellat autem Dominus, in furore, in ira, in misericordia. In furore flagellavit diabolum; in ira hominem; ambo enim iniquitatem meditati sunt: ambo affectaverunt extollentiam: ille potentiæ, iste scientiæ. Flagellavit Dominus diabolum in furore, quem sine spe reparationis de cathedra pestilentiæ, quam ad aquilonem erexerat, degradavit. *Vidi*, inquit, *Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo* [95]. Cujus ideo Dominus non miserebitur, quia *est inventa iniquitas ejus ad odium* [96]. Flagellavit in ira hominem, dum eum de voluptatibus paradisi ejecit; verumtamen quia per se non cecidit homo, sed alio instigante, quia impulsus eversus est, constituit ei Dominus tempus miserendi ejus, et licet eum flagellaret in ira, iratus tamen misericordiæ voluit recordari. Flagellum furoris, et flagellum iræ plurimum timendum est, quia utrumque gravissimum. *Calcavi eos*, dicit propheta, *in furore meo, et calcavi eos in ira mea* [97]. Et Psalmista utrumque abhorrens et timens dicebat: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* [98].

Tertium flagellum est misericordiæ, quando scilicet ad vitæ probationem, ad profectum virtutum, ad augmentum coronæ corpus affligitur hominis, aut bona temporalia subtrahuntur. Hoc flagello flagellat Dominus omnem filium quem recipit *Ego*, inquit, *quos amo, arguo et castigo* [99]. Hoc flagello percutiebat Dominus filios Israel, quando peccabant in adinventionibus suis, et erat eis etiam inter flagella propitius. *Deus*, inquit Psalmista, *tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum* [100]. Dulciora sunt vulnera diligentis quam blanditiæ adulantis. Utinam corripiat *me justus in misericordia, et* increpet *me! oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [1]. Peccatoris oleum est mollities adulantium. *Molliti sunt*, inquit, *sermones eorum super oleum et ipsi sunt jacula* [2]. Video eos, qui virgam saltem blandæ et secretæ correptionis exercere debuerant, adulatores fieri, et olei venditores. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [3], et consensu eorum ad deterius excitatur: idciro ego gemens, et oculus meus deducens aquam. O impudentissimi canes non valentes latrare, *usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis* [4]? Faciem quidem peccatoris sumere est se permissione et assensu peccantibus conformare. Scitis quare peccata hominum non corrigitis: Apostolus certissimam assignat causam et physicam hujus rei: *Propterea*, inquit,

[86] Psal. 59. [87] I Cor. 12. [88] *Ibid.* [89] Judic. 3. [90] Philipp. 4. [91] I Cor. 6. [92] Psal. 103. [93] Jac. 1. [94] Malac. 3. [95] Luc. 10. [96] Psal. 35. [97] Isai. 63. [98] Psal. 6. [99] Hebr. 12, Apoc. 3. [100] Psal. 98. [1] Psal. 140. [2] Psal. 54. [3] Psal. 10. [4] Psal. 81.

non corripitis, quia eadem sæpius agitis [5].

Cui respondens Satan ait, etc. Pellem pro pelle dat qui unum membrum pro alio membro digniore læsioni exponit, ut cum aliquis brachium sinistrum objicit gladio venienti, ne in capite vulneretur, quasi dicta Satan: Job omnia damna exteriora patienter et æquanimiter sustinet, quia, ne gravius flagelletur interius, timet. Mavult damnis exterioribus affici, quam ad vitæ periculum in corpore flagellari. Ex hoc non solum pellem animalium, sed etiam filiorum dabit homo pro anima sua, id est pro vita. Quandoque vocamus animam partem hominis digniorem, quæ post diem judicii cum corpore glorificabitur, aut cum corpore mortificabitur in æternum. De ista dicitur : *Benedic, anima mea, Domino* [6]. Et : *Adhæsit anima mea post te* [7]. Et hujusmodi. Quandoque etiam vocamus animam corporis vitam, sicut in Evangelio igitur : *Qui odit animam suam in hoc mundo propter me, inveniet eam*, id est custodiet eam, *et qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam* [8]. Certe bonum est unicuique hic perdere animam suam, ne perdatur. Malo animam meam perdere ut custodiam, quam custodire ut perdam. Hujus sententiæ magister erat ille rerum optimus æstimator Paulus apostolus, qui cum paratus esset, non solum alligari in Jerusalem, sed mori pro nomine Jesu, dicebat : *Non facio animam meam pretiosiorem quam meipsum* [9]. Nudius tertius vidi quemdam discipulum hujus sectæ. Gerardum nomine, Carthusiensis ordinis fratrem. Iste super omnia desiderabilia sua jam per septennium desideraverat mori, cupiens exire de carcere et de vinculis hujus carnis sicut dicit Propheta : *Educ, Domine, de carcere animam meam* [10]. Confidens itaque de meritis suis, sed amplius de misericordia Redemptoris, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo [11]. Certe non minus exosam habebat vitam præsentem quam nos miseri mortem ; non minus abhorrebat vivere quam nos mori. Singulis noctibus in principio vigiliarum surgebat, imo anticipabat vigilias noctis. Ego, et quidam alii, qui eramus cum eo, dabamus requiem temporibus nostris, et oculis nostris dormitationem [12], ipse autem pernoctabat in oratione, semper tamen cum fletu et gemitu. Vix aliqua hora comedebat panem sine lacrymis, sed et poculum suum cum fletu miscebat [13]. In omni opere suo suspirabat ad Christum, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens mundo, quasi non utens, et inter utenda et fruenda quodam intimo sapore discernens, transitorie transitoriis utebatur, et æterna quodammodo quasi æterno amplectebatur affectu. Vere, quasi æterno quia quædam æternitatis imago est constans et firma et inconvulsa mortis æqualitas. Et licet laicus esset et litteras non novisset, habebat tamen scriptam in corde suo digito Dei scientiam vitæ et

A disciplinæ. Sane docuerat eum *qui docet hominem scientiam* [14] et utinam litterati omnes sic essent docibiles Dei, et infudisset illis gratia quod non contulit disciplina. Deum testor : non minus circumspecte et sane de articulis fidei Christianæ respondebat, quam si maximam vitæ suæ partem in scholis Parisiensibus expendisset. In schola siquidem illius eruditus fuerat qui docuit et inflammavit apostolos. De quo legitur quia *ignis ejus in Sion, et caminus ejus in Jerusalem* [15]. Erat itaque conscholaris apostolorum, et illius qui dicit : *De excelso misit Dominus ignem in ossibus meis, et erudivit me* [16]. Sic loquebatur, quasi sermones Dei ; habebat enim semper ad manum verba vitæ. Discant, quæso, nostri legistæ quid eis ad salutem animæ confert ille civi-
B lis et picturatus loquendi modus, ille Babylonius calix, quo inebriantur peccatores terræ, illæ principum leges, quibus ego infelix aliquando militavi. Usus tamen eorum vitæ hominum utilissimus esset, nisi bonitate ipsarum abuteretur humana malitia. Unus est rex, et illius vera est lex : *Lex immaculata, convertens animas, et sapientiam præstans parvulis* [17]. Ipsa parvulis, et magnis et mediocribus se conformat, condescendit necessitatibus pauperum, anxietatibus oppressorum, turbationibus tristium, culpis delinquentium. Suavissima est perfectis, compatiens imperfectis, mediocribus mitis, tolerabilis delicatis, fortioribus sufficiens, moderata infirmis, humilibus blanda, pœnitentibus misericors, severa perversis, bonis optima. Lex ista instruit et informat ad vitam. Sapientia vero hujus mundi stultitia est apud
C Deum. Et quid profuit Aristoteli et sequacibus ejus mundanæ philosophiæ ventosa loquacitas? Inflati sæculari scientia Deum Sabaoth ignorabant. Ab ipso erant, sed non cum ipso ; per ipsum vivebant, sed non ipsi ; ex ipso sapiebant, sed non ipsum. Sapientia ergo mea et philosophia sit philosophia fratris Gerardi, qui nihil habebat aliud in ore et in corde, nisi Jesum Christum. Philosophia mea sit philosophia Pauli, qui constantissime affirmabat se nihil aliud *scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* [18]. Sequitur :

Alioquin mitte manum tuam, etc. Quasi diceret. Job sustinet omnia patienter, et Deo in omnibus benedicit, dummodo in suo corpore non lædatur. *Alioquin*, quasi dicat : Si hoc non credis, hoc ipsa
D experientia te docebit. *Mitte* ergo *manum tuam, et tange eo ejus et carnem*, id est ; flagella, et affige eum in corpore, *et videbis quod in faciem benedicet tibi*. Attende quam malitiosus, quam impudens, quam temerarius sit angelus ille apostata. Vide quam malitiose subversionem hominis machinetur, quam impudenter mentiatur iniquitas sibi, et quam temere id eventurum Domino promittat quod Dominus aliter evenire disposuit.

[5] Rom. 2. [6] Psal. 102. [7] Psal. 62. [8] Joan. 12. [9] Act. 21. [10] Psal. 141. [11] Philipp. 17. [12] Psal. 131. [13] Psal. 101. [14] Psal. 93. [15] Isai. 33. [16] Thren. 1. [17] Psal. 18. [18] I Cor. 2.

Dixit ergo Dominus ad Satan : Ecce in, etc. Permittit Dominus inimicum desævire in hominem innocentem, ut secundo victus, majori ignominia confundatur, et homini afflicto cumulatius cedat ad gloriam repetita victoria. Dicit ergo Dominus : *Ecce in manu tua est, verumtamen animam ejus serva*. Licet Job esset una ovium, de quibus Dominus dicit : *Nullus eas de manu mea eruet* [19] : eum tamen in manu adversarii ponit, sed positum non relinquit. Suum ergo, militem deserit, quem deserendo custodit. Eum deserit, ut tentetur ; cum vero custodit, ne tentatione vincatur. *Ecce*, inquit, *in manu tua est, verumtamen animam ejus serva*, id est serva, ne in animam illius aliquid attentare præsumas. Cum multæ sint tribulationes justorum [20], per multas tribulationes oportet ingredi regnum Dei [21]. Torquentur corpora sanctorum, sed animæ non turbantur. Concutitur laterna lucens, nec lucerna exstinguitur ; trituratur palea, nec læditur granum. Thesaurus, quem portamus in vase fictili [22], fracto vase non perditur. Posito itaque corpore Job in manu hostili, et tormentis exposito, anima conservatur indemnis : *Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tangit illos tormentum malitiæ* [23]. Sequitur :

Egressus igitur Satan, etc. Superbus hostis vulnerat virum sanctum ; sed tu, bone Jesu, vulnera quæ inffligit reflectis in eum. Humiliabis sicut vulneratum superbum, in brachio virtutis tuæ [24], et revertatur iniquitas ejus in sinum ipsius. Erit adhuc, quando conteres arcum ejus, et confringes arma et scutum, et combures igni [25]. Satan siquidem virum justum in corpore vulnerat, quem libentius in anima vulneraret. Utinam, Domine, vulnera, quæ habeo in anima, haberem in carne, et sanata esset anima mea ! Fac, Domine, in bona voluntate tua, ut animam meam sanes a vulneribus suis. *Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi* [26]. Quandoque vulneribus animæ meæ adhibui pœnitentiæ medicinam, et beneficio confessionis et satisfactionis in cicatrices obducta sunt vulnera ; postmodum vero me per insipientiam meam recidente in idipsum, et ad vomitum revertente recruduit dolor, et periculosior, quam prius recidivavit infirmitas, poteramque dicere cum Propheta : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* [27]. Me vero recurrere oportebat ad consuetæ suffragium medicinæ, ad eum *qui sanat omnes contritos corde, ut alligat contritiones eorum* [28]. Ipse enim est Pater misericordiarum, et misericordiæ ejus non est finis. Scio quia *præstabilis est super malitia* [29], et major est ejus misericordia quam iniquitas mea. Nemo tot vulneribus in anima sauciatus est, nemo tot afflictus ulceribus, quem non sanet serpens noster æneus, si ad eum A mentis nostræ oculus convertatur. Pone quod laboret quis multiplici vitio, sit superbe elatus, sit inaniter gloriosus, sit avaritia contractus, ambitione exæstuans, ad iracundiam præceps, ad odium pertinax, libidinibus sordens, tabescens invidia, detractioni studens, frontis attritæ, infrunitæ mentis, linguæ prodigus, fictus, et gulæ indulgens, sit turbator pacis, suspiciosus, incentor odii, simulator, et duplex in verbis, operibus inhonestus, litium seminator, molestus sociis, onerosus proximis, accusator fratrum, proditor, adulator, contemptor Ecclesiæ, oblitus Dei, immemor animæ suæ, et in reprobum sensus datus, sit aliquis tot afflictus vulneribus, vulnera etiam vulneribus, et iniquitatem iniquitati apponat, tanquam debitor in- B consultus, qui semper ære alieno se onerat, donec obruatur usuris, sicut scriptum est : *Mutuabitur peccator et non solvet* [30] ; tamen si ad Redemptorem suum cum lacrymis revertatur, *Dominus ex iniquitatibus et usuris redimet animam ejus* [31], *quoniam apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* [32]. Ipse enim est qui dicit : *Quacunque hora peccator ingemuerit peccatum suum, vita vivet, et non morietur* [33]. Ipse est qui propter vulnera nostra vulneratus est [34], qui omnia vulnera nostra sanare velit, et possit, et noverit. Ipse non horruit latronem pendentem in cruce, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non adulteram deprehensam, non negantem discipulum, non sedentem in telonio, non C publicanum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores suos : Sequitur :

Qui testa saniem radebat, etc. Testa saniem radere est per pœnitentiam et disciplinam suas iniquitates abstergere. Per testam enim, quæ aspera est, significatur pœnitentiæ asperitas, et austeritas disciplinæ. Testa quidem, quæ terra sine humore est, figurat animam peccatricem, quæ nec rore cœlesti compluta est, nec humore charitatis imbuta : sicut Propheta dicit : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* [35]. Item : *Aruit tanquam testa virtus mea* [36]. Sedens itaque in sterquilinio testa saniem radit, qui recordatur miseræ et immundæ originis suæ, recolit quia de immundo conceptus semine, de putredine genitus, datur vermibus in cibum, et putredo in putredinem revertetur, sicut noster ath- D leta commemorat de seipso, dicens : *Qui quasi putredo consumendus sum, et sicut vestimentum, quod comeditur a tinea* [37]. Frequenti siquidem recordatione nostræ miserrimæ conditionis raditur sanies interioris vulneris, et male operandi voluntas abscinditur.

Dixit autem illi uxor sua, etc. Adversarius, qui beato Job, et filios, et possessiones abstulerat universas, suam ei reliquit uxorem, non ad solatium

[19] Job. 10. [20] Psal. 33. [21] Act. 14. [22] I Cor. 4. [23] Sap. 3. [24] Psal. 88. [25] Psal. 45. [26] Isai. 40. [27] Psal. 37. [28] Psal. 46. [29] Joel. 2. [30] Psal. 36. [31] Psal. 71. [32] Psal. 129. [33] Ezech. 21. [34] Isai 53. [35] Psal. 142. [36] Psal. 21. [37] Job. 13.

viri, sed ad suæ consummationem malitiæ, ut per feminam vinceret, quem persecutione non vicerat, et quod verberibus non poterat, verbis mulieris efficeret. Non videbatur ei liberior, et opportunior nocendi occasio, quam per familiarem inimicum et domesticum proditorem. Scriptum est enim : *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* [38]. Sciebat quod natura mulieris, quanto fragilior est, tanto flexibilior ad culpam, ex quadam depravatione innata proclivior ad nocendum. Hujus autem rei fidem ei faciebat plenissimam frequens rerum experientia, et multiplicitas exemplorum. Per feminam Joseph incarceratus est [39], Naboth occisus [40]. Samson vinculatus [41], Isboseth interfectus [42], Salomon factus apostata [43], David homicida et proditor [44], Sisara clavo confossus [45], Præcursor et baptista Domini decollatus [46]. Salomon malitiam mulieris vehementius exprimens : *Melior est*, inquit, *iniquitas viri quam mulier bene faciens* [47]. Per feminam mors intravit; et cum per Filium Dei ordinata esset nostra redemptio, præsentiens hostis quod in morte Christi nostræ redemptionis dispensatio implebatur, salutem totius humani generis per feminam machinatus est impedire. In uxore itaque Pilati visiones deceptorias, et phantasticas illusiones immisit, ita ut Pilato mortem Christi dissuadendo mandaret : *Nihil tibi et justo illi : Hodie enim per visum multa passa sum propter eum* [48]. Sequitur :

Qui ait ad illum, etc. Nunc apponit inimicus stipulas tentationum, ut incendat flammis iracundiæ domum Dei, nunc australem flatum, nunc ventum turbinis et vexationis immittit : confirmat autem justos Dominus, et in electis suis mittit radices, ut secure ventum tentationis excipiant, ne evellantur. Job itaque arma inimico tollit, ut fiant ei arma virtutis. Unde et uxorem corripit, ut subjectam et correptam erudit ad salutem. *Si bona*, inquit, *suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus ?* ac si dicat : Æquo animo toleranda est correptio Creatoris, qui pro beneplacito suo et prospera largitur, et adversa immittit. Non possum juste conqueri de justitia ejus, cujus misericordiam exspecto, et cujus misericordia me prævenit. *Deus meus*, dicit Psalmista, *misericordia ejus præveniet me, et misericordia ejus subsequitur me omnibus diebus vitæ meæ* [49]. Non abstulit bona, nisi ea quæ contulit. Si exinaniti et pauperes facti sumus, speramus in eo qui spes nostra est, quia replebimur in bonis domus suæ. Fatua mulier, quid scis *si convertatur Deus, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem* [50]. Jucunditatem et exsultationem thesaurizat Dominus super eos, quos affligit; et sicut est ad flagella severus, sic est ad remedia mansuetus; quemadmodum sponsa in Canticis dicit : *Amicus meus bibit vinum*

A *cum lacte* [51], id est severitatem exercet cum mansuetudine. Sequitur :

In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Dupliciter peccamus labiis ; aut cum tacenda dicimus, aut dicenda tacemus. Job vero nihil adversus Dominum superbe respondit, quia uxorem perversa suadentem corrigendo et erudiendo cohibuit. Considerans itaque Satan, quia Job non vincitur rerum temporalium damnis, nec prolis orbitate, nec suggestione uxoris, excitat tres amicos illius, ut eum afficiant contumeliis, quatenus ad iracundiam provocatus in verba malitiæ, prosiliat, et Dominum universitatis offensus offendat.

Igitur audientes tres amici, etc. Beatus est, Domine, cujus est auxilium abs te. Non enim turbatur B contumeliis, non injuriis frangitur, non vincitur damnis, nec abducitur blanditiis, nec fallaciis seducitur, nec angustiis superatur : contemnit siquidem omnia adversa quæ accidunt in hoc mundo, ponens se in salutari et fiducialiter agens in eo. Et notandum quod, licet amici Job ei verbis insultaverint contumeliosis, credendi sunt tamen ex ignorantia potius quam ex malitia hoc fecisse. Esset enim reprehensibile in viro tam prudenti et sancto iniquos habere et contumeliosos amicos, cum omni viro bonesto abominanda sint consortia iniquorum. *Qui* enim *tangit picem, inquinabitur ab ea* [52]. In Paralipomenon libro, Josaphat, qui de anteacta vita multis attollitur præconiis, de Achab regis amicitiis increpatur. *Impio*, inquit, *præbes auxilium, et his qui* C *oderunt Dominum amicitia conjungeris : ideoque iram Domini merebaris, nisi quia bona opera inventa sunt in te, eo quod de terra Juda lucos abstuleris* [53]. Tradunt plerique [54] quod Eliphaz ex filiis Esau Themanorum princeps fuerit, Baldad Sauchæorum tyrannus, Sophar, Minæorum rex. Venientes autem ad consolationem amici, elevantes oculus exclamant et plorant, sparguntque pulverem super caput in cœlum, et sedentes cum eo septem diebus et septem noctibus non loquuntur ei verbum, exhibentes in omnibus doloris faciem et compassionis affectum. Ad hoc enim, ut consolatio afflictorum dolorem relevet, flere cum flentibus, et dolentibus condolere oportet. Septem diebus continue tacent, postmodum multiloquio affluentes. In quo notatur, quid hi plerumque qui tardius loquuntur, ex quo incipiunt, D verbis finem imponere non noverunt. Quia sicut quidam sapiens dicit : « Censura silentii nutritura est verbi. » Quidam per amicos Job, qui eum incitant ad peccandum, intelligere volunt vanas cogitationes nostras, carnis desideria et illecebras hujus mundi. Hæc enim et nobis assistunt familiariter et multipliciter blandiuntur. Vanæ siquidem cogitationes statum animæ sepeculantis et contemplantis Deum dissipant et confundunt; unde et unus ami-

[38] Mich. 7. [39] Gen. 39. [40] III Reg. 21. [41] Judic. 16. [42] II Reg. 4. [43] III Reg. 11. [44] II Reg. 11. [45] Judic. 4. [46] Matth. 14. [47] Eccli. 41. [48] Matth. 17. [49] Psal. 58. [50] Joel 2. [51] Cant. 5. [52] Eccli. 13. [53] II Paral. 19. [54] LXX Interp.

corum istorum merito vocatur Sophar, id est *dissipatio speculæ*. Desideria vero carnis, quæ militant adversus animam, novum hominum, qui secundum Deum creatus est, omnino mortificant, ut anima totius novitatis oblita, solam sapiat vetustatem. Unde et secundus amicus vocatur Baldad, quod interpretatur *vetustas sola*. Anima itaque, dissipato et turbato in eo judicio rationis, carnis desideriis invalescentibus, Deum contemnere incipit. *Peccator* enim, *cum venerit in profundum* vitiorum, *contemnit* [55]. Unde et tertius amicus vocatur Eliphaz, quod interpretatur *contemptus Dei*. Istos amicos, aut potius domesticos inimicos, viri religiosi, et qui vitam vitæ arctioris aggressi sunt, frequenter experiuntur. Evenit enim quandoque, dum aliquis contemplationi devotius vocat, muscæ morituræ suavitatem unguenti perdant [56], quia vanæ cogitationes turbantes quietem contemplationis obrepunt, et mediantibus carnis desideriis, suscitant amorem sæculi Deique contemptum. Religiosus itaque, qui paulo ante in cœlum desideriis anhelabat, quem inflammabat charitas, quem sancti Ordinis observantia delectabat, paulatim incipit cœlestium oblivisci, cogitare quæ mundi sunt et contemnere quæ Dei sunt. Turbatur in eo judicium rationis, occupantur semitæ consilii, obducitur lumen cordis, refrigescit devotio, libertas spiritus evanescit, lentescit animæ vigor, sopitur ratio, confunditur intellectus, fervor ordinis defervescit. Sollicitat miserum paupertatis timor, vana spes decipit, trahit ambitio, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur spes vitæ longioris, blanditur voluptas, allicit mundus, fallit securitas, revocatur antiqua consuetudo, dissimulatur lex, abjudicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Dei, dantur impudentiæ manus, et attentatur saltus ille apostata, saltus ille ignominiosus et turpis de excelso in abyssum, de throno in sterquilinium, de cœlo in cœnum, de paradiso in infernum, de claustro in sæculum Nil dico in suggillationem monastici Ordinis, quem sanctissimum reputo, sed erubescat, quæso, religiosus deterior esse in claustro, quam in sæculo fuerit; non resumat quod evomuit, nec mundum repetat, quem reliquit. *Erubesce Sidon, ait mare;* verbum Isaiæ [57] est, id est erubescat claustralis vitæ nequioris esse in claustro, quam dum inter fluctus hujus sæculi versaretur. Sequitur :

Cap. III. *Post hæc aperuit Job os suum*, etc.

Duo sunt modi maledictionum : primus fit consideratione justitiæ, secundus livore vindictæ. Primus modus licitus est, secundus prohibitus. Secundum primum modum dicit Dominus Adæ : *Maledicta terra in opere tuo* [58]. Et Abrahæ : *Maledicam maledicentibus tibi* [59]. De secundo maledicendi modo dicit Apostolus : *Nolite maledicere* [60]. Et : *Maledici regnum Dei non possidebunt* [61]. Maledicit itaque Job diei

A nativitatis instinctu rationis et justitiæ motu, non zelo ultionis, aut alienæ injuriæ appetitu.

Est enim nativitas hominis damnata, est nativitas justificata, et est nativitas beata. Prima hominis nativitas naturæ est, secunda gratiæ, tertia gloriæ. In prima est peccatum, in secunda meritum, in tertia præmium. Prima est ut quis vivat, secunda ut juste vivat, tertia ut beate vivat. Maledicit itaque Job primæ nativitati suæ, in quo homo conceptus est per culpam, genitus ad miseriam, natus ad pœnam. Divinæ siquidem animadversionis antiquum judicium sequens, conditionem humanæ naturæ damnatam a mundi exordio, in se damnat, non ut maledicat creaturæ Dei, aut diei, quæ jam in rerum natura non erat, sed ut se merito afflictum

B secundum æquitatem divinæ sententiæ recognoscat. Et quia de beneplacito vestro est, invictissime princeps, ut vitam sancti Job succincta et expedita brevitate perstringam ; verba ejus, et responsiones amicorum, atque occulta in eis sacramentorum involucra prætermitto, veritus ne delicatas excellentiæ vestræ aures productiori sermone offenderem, si illud immensum pelagus attentarem. Beatissimus quidem papa Gregorius, *in Moralibus suis*, ad unguem universa explanat ; nec dubitandum est quin tractatum illum digitus Dei scripserit in corde illius, qui eumdem quodam angelico loquendi modo, et columba prædictante in publicum promulgavit. Restat itaque diffusi operis prolixitatem succingere ad compendium, et recisiore verborum excursu misericordiam Altissimi recenscre, quam

C in servo suo Job multipliciter exhibuit; peccatum, quod adversus Job amici ejus commiserant, ejus oratione indulgens, sanans vulnera, dolores mitigans, auferens tentationes, bona temporalia multiplicans, pruducens vitam, restaurans filiorum damna, et pulchriores atque meliores filias reconpensans. Et hoc est quod, circa finem libri, textus historiæ sub verborum paucitate declarat.

Cap. XLII. *Dominus autem benedixit novissimis Job*, etc.

Job processerat in diebus suis, et in miserrimam deciderat paupertatem. Adhuc tamen multiplicabitur in senecta uberi, quia secundum multitudinem dolorum in corde ejus lætificaverunt consolationes tuæ, Deus, animam ipsius. Dies enim super dies

D ejus adjicies, et appones paupertati divitias, et dierum longitudinem senectuti. Quique terrigenæ et filii hominum, audite quam magnificata sit misericordia Domini super nos. Si enim Job et aliis servis suis temporalia bona Dominus duplicavit; sperandum est in eo qui spes nostra est, quia tempore gratiæ pleniore mensura suam nobis gratiam largietur. *Mensuram*, inquit, *plenam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem* dabit *in sinum vestrum* [62]. Mensura Domini sine mensura, et modius

[55] Prov. 18. [56] Eccle. 10. [57] Cap. 23. [58] Gen. 3. [59] Gen. 12. [60] Rom. 12. [61] I Cor. 6. [62] Luc

ejus sine modo est Hac mensura mensurabit discipulis suis dicens : *Qui reliquerit patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios, aut domum, aut agros propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* [63]. Vis videre, quomodo exuberat et supereffluit hæc mensura? Misericordiæ ejus non est finis, *et misericordia ejus permanet in æternum* [64] *et ultra.* Sequitur :

Vixit autem Job post hæc, etc. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, filium, imo servum ab exsilio miseriæ revertentem, et læva supportat et dextera complecitur; et in temporalibus eum sustentans et promovens ad æterna, ut possit cantare cum sponsa : *Læva ejus sub capite meo, et dextera ipsius amplexabitur me* [65]. Per dexteram siquidem significatur æterna vita, sicut Propheta commemorat : *Delectationes in dextera tua usque in finem* [66]. Una itaque manu Dominus servo suo Job accumulans divitias et honores, altera longitudinem dierum apponit, quia sicut scriptum est: *In læva ejus divitiæ et honor, et in dextera ejus longitudo dierum* [67]. Et dota quod dicit : *Post flagella hæc.* Ex magna nimirum divinæ gratiæ dispensatione præcessit afflictio, ut post mœrorem gaudium, post naufragium portus, post laborem requies, dulcedo post amaritudinem, post persecutiones prosperitas gratius arriderent. Porro ideo super dorsum justi, qui positus est inter malleum et incudem, de permissione divina fabricant peccatores, ut post dies malos, quibus afflictus et humiliatus est, plenior lætitia subsequatur, sicut Propheta dicit : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* [68]. Juxta Sapientis verbum : *Ante ruinam exaltatur cor* [69]; et econtrario gloriam præcedit humilitas. Humilitas enim via est ad exaltationem, dolor ad gaudium, persecutio ad felicitatem, ad risum gemitus, mors ad vitam. Flagellat itaque Dominus suos, ne flagellentur in posterum; et temporaliter eos punit, ne æternaliter puniantur. Legitur in libro Regum [70], quia cum Salomon ædificaret templum Domini, lapides omnes extra tunsi fuerunt, ut in ædificatione templi sine sonitu mallei ponerentur. Sancti enim per flagella tunduntur temporaliter, ut in ædificio cœlestis *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas* [71] sine flagello disciplinæ, sine pœnitentiæ gemitu charitatis glutino uniantur. In alia siquidem vita inter ardores sempiternos non est locus veniam promerendi, quia in inferno nulla est redemptio; nec homini in peccatis mortuo relinquitur hostia pro peccato. *Christus semel mortuus est, jam non moritur* [72], non crucifigitur iterum sanguisque quem in remissionem peccatorum semel fudit, iterum non fundetur; nec bibent ex eo omnes peccatores terræ, quia ex quo de terra exempti sunt, si culpam secum detulerint mortalem, neque

A mors, neque sanguis Christi proderit eis ad salutem. Sequitur :

Et vidit filios suos, etc. Universas felicitates hominum mors concludit, quia cum prædicaveris fidem Abrahæ, pietatem Joseph, charitatem Moysi, fortitudinem Samsonis, zelum Phinees, virtutem David, Elisæi miracula, prudentiam et divitias Salomonis, semper *extrema gaudii luctus occupat* [72*], finemque historiæ finis hominis facit, atque omnium una est conclusio : Et mortuus est. In eo autem quod senex et plenus dierum mortuus est Job, notandum est quod quidam moriuntur dierum vacui, quidam pleni. Vacuus dierum moritur, qui in vita sua vanitatibus hujus mundi inserviens vitæ æternæ merita moriendo secum non detulit. Plenus vero

B dierum migravit a sæculo, qui operam virtutibus dedit, qui implevit desiderium suum ex ipsis, et sic dies consummavit transitorios, ut in futura vita dies æternitatis inveniat. Bonum siquidem est bene vivere, sed longe melius bene mori. Non tamen bene moritur, qui bene non vixerit. Aliqui desiderant mori potius quam ad virtutes converti, *quorum finis interitus* est [73]. Horum siquidem finem Samson, succensis caudis vulpium præsignavit [74]. Eorum enim finis deputatus est illi igni, qui *præparatus est diabolo et angelis ejus* [75]. Sunt plerique, qui nolentes bene vivere, desiderant bene mori; sciunt enim quod *pretiosa* est *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* [76], sciunt quia, *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* [77] : sciunt quia *beati mortui, qui* in eo *moriuntur* [78]. Nolunt tamen

C esse laborum participes cum eis, quibus Dominus dicit : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* [79]. Volunt conregnare, sed commori nolunt Christo [80].

Talis erat Balaam ariolus, qui considerans castra filiorum Israel, et æternæ beatitudinis repromissionem eis a Domino factam intelligens dicebat: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* [81] ; finem eorum appetens gloriosum, labores abhorrebat, quibus gloriam merebantur. Verumtamen non metes, nisi semines [82]; non apprehendes bravium, nisi curras [83]; non regnabis, nisi milites; non gaudebis, nisi doleas; non coronaberis, nisi pugnes [84]. Putasne, quod aliquis et in vita præsenti gaudeat et futura? si tamen dici

D debet gaudium, quod turbatur assidue, et amaritudine respergitur. Nimis delicatus es, si utrumque præsumis; uti sæculo et frui Christo : præsentis mundi delicias capere, et nihilominus cœlestis gloriæ divitias obtinere. Audi quid dictum sit illi diviti in Evangelio, qui cruciabatur in flamma et linguæ ardentis refrigerium postulabat : *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala* [85]. O quam similiter dissimiles merito

[63] Matth. 19. [64] Psal. 117. [65] Cant. 2. [66] Psal. 15. [67] Prov. 3. [68] Psal. 89. [69] Prov. 16. [70] III Reg. 6. [71] Psal. 121. [72] Rom. 6. [72*] Prov. 14. [73] Phil. 3. [74] Jud. 5. [75] Matth. 25. [76] Psal. 115. [77] Psal. 126. [78] Apoc. 14. [79] Luc. 22. [80] Rom. 8. [81] Num. 23. [82] Luc. 12. [83] I Cor. 9. [84] II Tim. 2. [85] Luc. 16.

possumus repulare insanos sanctissimos reges et prophetas, apostolos et martyres, confessores, teneras etiam ac delicatissimas virgines, qui omnes spretis divitiis et conculcatis deliciis hujus mundi, se ipsos obtulerunt pro Christo tribulationi et morti, si gloriam, quam adepti sunt in angustia et dolore, potuerunt in divitiis et voluptatibus obtinere ! Subtrahe igitur, amantissime princeps, et furare tibi aliquid singulis diebus de hujus mundi voluptatibus. Ingredere pœnitentiæ viam ; nec tibi videatur austerum, si ea prudenter omittis, quæ inaniter placuerunt. Nihil moleste potest sustineri in hac morte vitali, quod cœlestibus gaudiis ex æquo respondere sufficiat. *Non enim sunt condignæ passiones hujus* sæculi *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [84]. Florem nostræ juventis immolavimus mundo, saltem fæcem senectutis immolemus Altissimo, et residuo brevis ac miseræ vitæ nostræ, regnum emamus æternum. Regnum enim Dei tanti est, quantum pro eo ex desiderio cordis offers, atque juxta verbum Apostoli : *Quod leve est et momentaneum tribulationis nostræ*, immensum *gloriæ pondus operatur in nobis* [87]. In eo autem grates uberrimas refero

[84] Rom. 8. [87] II Cor. 4.

A Regi regum, quia viros diligitis litteratos, quia sacræ Scripturæ libenter intenditis, et quadam divinitatis imagine humiliatis superbos, humiles exaltatis, populis vobis a Domino commissis salutem et quietem zelatis, viduis et pupillisu vos affabilem exhibetis et mitem, religiosos et pauperes benigne recipitis, imo præparationem cordis eorum audivit auris vestra, et quasi præsagiendo necessitates eorum, ipsos in benedictionibus vestris prævenitis. Hodie propter hoc specialiter usque ad remotissimas nationes eleemosynas vestras enarrat omnis ecclesia sanctorum. Agite igitur, dum licet, dispergite, date pauperibus, nec hujus rei procurationem vestris hæredibus committite. Deterrere vos possunt exempla multorum. Eleemosynis propriæ manus vobis B scalam et ascensorium erigatis ad illam supernorum civium mansionem, in qua est pax æterna, quies impermutabilis, gaudium quod non deficit, lumen quod non exstinguitur, gloria quæ non transsit ; quam nobis et vobis præparare et præstare dignetur Altissimi Filius Jesu Christus, qui cum Patres et Spiritu sancto triumphat et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CONTRA PERFIDIAM JUDÆORUM.

CAP. I. *Præfatio, in qua ostendit disputationem cum Judæis et hæreticis esse arduam et periculosam.*

Querelam in tuis litteris longam et anxiam texuisti, quod Judæis et hæreticis circumseptus jugiter impugnaris ab iis, nec sacræ Scripturæ auctoritates habes in promptu, quibus possis calumnias eorum refellere, præstigiosisque ipsorum versutiis respondere. *Oportet* equidem, teste Apostolo, *hæreses esse* et schismata *ut qui probati sunt manifesti fiant* [88]. Ideo et etiam Judæis vita hodie indulgetur, quia capsarii nostri sunt, dum ad assertionem nostræ fidei prophetas circumferunt, et legem Mosaicam. Nec solum in eorum codicibus, sed in vultibus eorum Christi legimus passionem. Propterea Veritas de Patre loquitur in Psalmo dicens : *Deus ostendit mihi* [89], etc. Utinam nemo qui exercitatos non habeat sensus cum hæretico disputet aut Judæo. Nam propter disputationes illicitas et incautas virulenta hæresum seges circumquaque silvescit. Dum hi, qui ignorant et errant, volentes obstruere os loquentium iniqua, ponunt *lucem tenebras et tenebras lucem* [90], et dum alios a suis volunt relevare erroribus, se ipsos in deteriora præcipitant. Absurdum enim est de Trinitate in triviis disputare, et æternam Filii genituram in materiam scandali, et in arenam

C publicæ contentionis extrudere. Ideo Justiniamus, Christianissimus imperator, generali sanctione constituit, ne de summa Trinitate et fide Catholica disputetur. In lege etiam Domini lapidatur bestia, quæ tetigerit montem, puteus operiri præcipitur [91], prohibentur spargi margaritæ porcis et sanctum dari canibus [92].

Verbum angeli est ad Tobiam : *Sacramentum regis* [93], etc. Dis putatio enim de sacramento corporis et sanguinis Christi, et de cæteris fidei nostræ articulis plena discriminis est. Loqui autem de spe et charitate et cæteris donis spiritualibus, de rerum etiam creatione et gubernatione, et in his enarrare Dei magnalia quibuscunque libe tet licet. Salomonis etiam sententia est, ut sentiamus de Do- D mino in bonitate, et eum in cordis simplicitate quæramus [94]. Propterea non est cum eis disputandum, qui subversionem fidei molientes, semper in inficias currunt, et aquas Siloes quæ cum silentio ibant, aquas contradictionis efficiunt [95]. De talibus loquens Apostolus in prima ad Timotheum Epistola dicit [96] : *Si quis non acquiescit sanis sermonibus Domini*, etc. Noli ergo cum Judæo vel hæretico disputare. Esto ad tempus, *sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones* [97]. Si enim

[88] II Cor. 11. [89] Psal. 58. [90] Isa. 5. [91] Exod. 19, Hebr. 12. [92] Matth. 7. [93] Tob. 12. [94] Sap. 1. [95] Isa. 8. [96] Gap. 5. [97] Psal. 37.

in theatrum pugnæ vulgaris solus et inermis introeas, imminet tibi periculum si succumba. Si autem viceris inimicum crucis Christi, non ideo convertetur ad cor; sed eo ipso pertinacior subterfugia captabit, depravabit Scripturas, nolet intelligere ut bene agat [98]. *quia in malevolam animam sapientia non intrabit* [99]. Os hæretici maledictione, et amaritudine, et dolo plenum est, et ambulans in magnis et in mirabilibus super se [100], scrutatur alta Dei, atque perniciosa indagine rationem investigat eorum, quæ supra rationem sunt. Cum B. Gregorius dicat [1], fidem non habere meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Multa itaque verbositate defluit, et relinquens rectas sacri eloquii semitas, et transgrediens terminos, quos posuerunt patres nostri, currit in adinventionibus suis, et contra Deuteronomii [2] interdictum plantat sententiarum et verborum silvam juxta altare Domini Dei nostri. Fabricator itaque mendacii et cultor perversorum dogmatum cogitat incogitabilia, ineffabilia fatur et loquitur *quæ non licet homini loqui* [3]. Apud tales paschalis agnus in aqua decoquitur [4], nec residuum ejus igne comburitur, franguntur ossa ejus de quo scriptum est: *Os non comminuetis ex eo* [5]. Spiritui gratiæ contumelia fit, et sanguis testamenti conculcatur ignominiose, ossaque regis Idumeæ in cinerem rediguntur [6]. Quod autem disputare affectas cum Judæis, ut eos convincas et convertas ad fidem, eo ipso te minus approbo, quia verberas aerem, te stulto et inani studio consumens. Deus equidem posuit eis terminum, quem præterire non poterunt Nondum venit hora eorum, sed ipsos excæcavit ad tempus, donec ad fidem gentilitas convertatur. Hinc est quod per Isaiam loquitur dicens: *Vade et excæca cor populi hujus* etc [7]. Et in eodem: *Quis cæcus* [8] etc. Nuntios prophetas et apostolos vocat. Teste autem Apostolo: *Cæcitas ex parte jam contigit in Israel* [9]. Cum enim quidam eorum susceperint fibem, reliqui adhec in sua obstinacia perseverant. Restat itaque ut intret ad fidem plenitudo gentium [10]: et tunc reliquiæ Israel salvæ fient [11]. Mihi consiliosius videretur fidei nostræ ad tempus dissimulare injuriam, quam cum populo duræ cervicis atque pertinaciæ vere bestialis certamen inire, et citra omnem spem futuri proventus mittere se in animæ fideique discrimen. Quia tamen lamentabili querela deploras te ab hæreticis et Judæis obsessum, nec habere ad manum, unde possis eorum machinomenta elidere: quod scio, non invideo tibi. Cum enim, juxta B. Petri edictum, unumquemque oporteat reddere *rationem de fide et spe quæ in eo est* [12]: expedit ut de singulis fidei articulis in expedito habeas, unde Judaicæ fraudis obstinacia retundatur tuæque partis assertio tota legis ac prophetarum.

A testimoniis roboretur. Qualiter autem versutiis et blasphemiis hæreticorum te vel Catholicum quemlibet oporteat contraire, credo me in libro, quem *De fide* intitulavi, plenius intimasse.

CAP. II. *Testimonia legis et prophetarum de trinitate et unitate in Deo.*

Propositi nostri est non intexere de sancta Trinitate et individua unitate tractatum, sed eas duntaxat legis ac prophetarum sententias et auctoritates inducere, quibus adversarii orthodoxæ fidei confutentur, ædificetur turris David, et salutis propugnacula erigantur [13]. Quia ergo in uno Deo trinitas, et in tribus personis unitas scandalum Judæis incutit et horrorem, quod Deus sit unus et trinus,
B Dominos dante, assertione irrefragabili convincemus. Loquitur Judæorum legislator, et ait: *Audi, Israel! Dominus Deus tuus, Deus unus est* [14]. Et Dominus in persona sua: *Ego Dominus firmans cælos. Deus solus extendi cælum et firmavi terram* [15]. Et in Isaia: *Ego Dominus firmans cælos, solus stabiliens terram, et nullus mecum* [16]. Item Moyses in Deuteronomio; *Scito hodie, et cogita* [17] etc. Et in eodem: *Solus dux ejus fuisti, et non erat cum eo Deus alienus* [18]. Sic autem testimonio B. Hilarii, Deus unus est, quod non solitarius. Nec enim unitas evacuat trinitatem, nec aliqua trinitati solitudo præjudicat Nimirum Deus in sacro eloquio sic esse, sic loqui, aut aliquid creare dicitur, quod nunc una persona, nunc duæ, nunc vero tres apertissime designentur, Audi unam: *Ego Dominus Deus, qui impleo cælum*
C *et terram, et omnia quæ in eis sunt* [19]. Audi Patrem in Jeremia loquentem de Filio: *Si stetissent*, inquit, *in substantia mea* [20], etc. Et subjungit: *Quis stabit in substantia mea, et videbit Verbum meum?* De hoc verbo David propheta testatur: *Eructavit cor meum verbum bonum* [21]. Et Joannes evangelista. *In principio erat Verbum* [22]. Dei idem est dicere et facere; sicut scriptum est *Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt* universa [23] Filius itaque Dei Verbum, Dei virtus, Dei sapientia est. In eo, ut in sapientia sua, ut in principio omnium rerum fecit omnia Deus, sicut scriptum est *In principio creavit Deus cælum et terram* [24]. Hæc est Sapientia Dei quæ in libro sui nominis æternam generationem suam protestatur, et dicit: *Ego ex ore Altissimi predii, pri-*
D *mogenita ante omnem creaturam* [25]. Et idem: *Dominus possedit me* [26], etc. Cum ergo anute mundi creationem nihil esset quod non esset Deus, quomodo jam generata erat hæc sapientia? Quomodo per eam omnia creabantur? Aut confitebitur Judæus illam sapientiam Deum et a Deo esse genitam, et sic esse Filium, aut mentiens dicet sacram Scripturam in se continere mendacium. Christianus

[98] Psal. 35. [99] Sap. 1. [100] Psal. 130. [1] Hom. 26 *in Evang.* [2] Cap. 12. [3] II Cor. 12. [4] Exod. 12. [5] Joan. 19. [6] Amos. 2, IV Reg. 3. [7] Isai. 6. [8] Isai. 48. [9] Rom. 11. [10] Isai. 10. [11] Exod. 32. [12] I Pet. 3. [13] Cant. 4. [14] Deut. 4. [15] Isai. 42. [16] Isai. 44. [17] Deut. 4. [18] Deut. 22. [19] Jer. 23. [20] Ibid. [21] Psal. 44. [22] Joan. 1. [23] Psal. 148. [24] Gen. 1. [25] Eccli. 24. [26] Prov. 8.

autem recognoscat sapientiam Dei, per quam ipse A omnia facit, idem esse Filium Dei. Nec absurdum est, si Deus Filius genitus sit a Deo Patre, sicu si generetur splendor a sole, imo etiam qui æternam generationem Fili, ex Patre, et temporalem ex matre non credit, sententiam propheticæ maledictionis incurrit. Verbum enim prophetæ est : *Væ qui dicit: Patri Quid generas? et matri : Quid parturis* [27]? Et ut hoc de Filii generatione intelligas, audi Deum Patrem in eodem Isaia loquentem.

CAP. III. *Testimonia legis et prophetarum de Patre et Filio.*

De æterna Filii generatione per Isaiam loquitur Deus Pater : *Nunquid ego, qui alios parere facio ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem aliis tribuo, sterilis ero* [28]? Et in Psalmo loquitur Filius dicens : *Dixit Dominus ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te* [29]. Dies Domini æternitas. Unde et *hodie* significat ab æterno. Et idem: *In splendoribus sanctorum ex utero ante Luciferum genui te* [30]. Ille enim qui erat splendor et illuminatio sanctorum, qui futuri erant, hodie, id est æternaliter generatus est ex utero, de occulta substantia Patris. De generatione Filii loquitur Isaias dicens : *Generationem ejus quis enarrabit* [31]? Sicut ergo lumen de lumine, sic, Filius est de Patre. Unde et Psalmista : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* [32]. Quia vero Deus Filium habet, quidam psalmi prætitulantur : *Pro occultis Filii*, quorum verba nulli convenire possunt, nisi Filio Dei, ut in psalmo nono. *Confitebor*, et in *Eructavit, Canticum pro dilecto* [33]. Et in psalmo *Deus noster refugium et virtus, Pro arcanis* [34]. Audi Patrem in Osee loquentem de Filio et dicentem : *Salvabo eos in Domino Deo ipsorum* [35]. Dicat mihi Judæus : Quis est ille Deus quem Deus vocat *Deum et Dominum Hebræorum* [36]? Et in Genesi : *Pluit Dominus a Domino sulphur et ignem, et subvertit Sodomam et Gomorrham* [37]. Quis est Deus qui a Domino pluit, nisi Filius a Patre? vel alium Deum, qui a Deo pluit. Ostende, Judæe, vel recognosce nobiscum, quod Filius faciat et disponat universa cum Patre. Et in psalmo : *Dixit Dominus Domino meo* [38]. Et in Genesi : *Dixit Dominus ad Jacob : Surge et ascende in Bethel, fac ibi altare Deo illi, qui apparuit tibi cum fugeres a facie fratris tui* [39]. Et in Exodo : *Dominus ad Moysen : Quoadusque non vultis audire mandata mea? Nonne Dominus Deus dedit vobis istum diem Sabbati* [40]? Loquitur Dominus, et dicit a Deo datum diem Sabbati : Homo duræ cervicis, indica mihi Dominum illum de quo præcipit Deus patriarchæ Jacob, ut faciat altare. Quod enim Deus sit qui loquitur cum Jacob, et qui cum eo luctatur, et non angelus, probo tibi. Cum enim quærat Jacob nomen ejus, ille respondet : *Cur quæris nomen meum quod est Mirabile* [41]? Hoc angelo convenire non potest. Item in Osee loquitur Dominus, dicens : *Jacob locutus est nobis in Aram* [42]. Verba sunt Dei, non angeli. Item in Psalmo : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus oleo lætitiæ* [43]. Hunc Deum cujus est *sedes in sæculum sæculi*, hunc ipsum unxit Deus, testimonio prophetæ, *præ participibus* suis. Et quis Deus unxit Deum nisi Pater Filium? Ille qui unctus est a Deo, aut Deus, est aut homo. Si Deus est, ergo Deus a Deo unctus est; si homo est, et sedes ejus in sæculum sæculi. Vide si sit vel fuerit homo præter Christum cui convenire hoc posset? Propheta B vero hæc duo jungit; quod ipse sit Deus et sedes ejus in sæculum sæculi. Audi in Osee Patrem loquentem de Filio : *Salvabo eos in Domino Deo ipsorum* [44]. Qui loquitur Deus est. Ipse autem salvat in Domino Deo. Quis est Deus qui salvat in Deo, nisi Pater in Filio? Nunquid, o Judæe, fecit Deus sine sapientia sua, quem nos Dei Filium appellamus? Deus sapientia fundavit terram. Quid ergo abhorres nomen, qui denegare non potes sapientiam Dei.

CAP. IV. *Testimonia legis ac prophetarum de Spiritu sancto.*

Spiritum Dei omnis sacra Scriptura annuntiat. Audi Isaiam : *Væ, filii desertores, dicit Dominus! fecistis consilium et non est meum, nec per spiritum* C *meum* [45]. Et idem : *Descendit*, inquit, *spiritus a Deo* [46], etc. David : *Et irritaverunt spiritum Domini* [47]. Aggæus : *Quapropter ego sum vobiscum, dicit Dominus* [48], etc. Isaias : *Occurrerunt et cervæ* [49], etc. Zacharias : *Sermones meos* [50], etc. David : *Quo ibo a spiritu tuo* [51]? Et Dominus in Zacharia : *Imponam spiritum meum super semen tuum* [52]. Et idem : *Hoc est verbum Domini in manu Zorobabel* [53], etc. David : *Emittes spiritum tuum et creabuntur* [54]. Isaias. *Non angelus, neque nuntius* [55], etc. Et in libro Sapientiæ : *Spiritus est qui fecit me* [56].

CAP. V. *Testimonia legis ac prophetarum de Trinitate.*

Ut autem tota Trinitas innotescat, audi Moysen in Genesi dicentem : *In principio fecit Deus cælum* D *et terram* [57]. Quod dicitur *fecit*, substantiæ indicat unitatem. Cum autem dicitur, *in principio Deus*, in Filio Pater creasse intelligetur. Nec enim erat principium illud aliud, quod non esset Deus. Cum additur : *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*, tota Trinitas patenter exprimitur. Nota etiam Deum præmisisse hoc verbum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [58]. Cum dicitur, *faciamus*, ostenditur in personis pluralitas. Non

[27] Isai. 45. [28] Isai. 66. [29] Psal. 2. [30] Psal. 109. [31] Isai. 53. [32] Psal. 35. [33] Psal. 44. [34] Psal. 45. [35] Osæ. 1. [36] Exod. 9. [37] Gen. 19. [38] Psal. 109. [39] Gen. 30. [40] Exod. 16. [41] Gen. 32. [42] Ose. 12. [43] Psal. 44. [44] Ose. 1. [45] Isai. 30. [46] Isai. 63. [47] Psal. 105. [48] Agg. 2. [49] Isai. 35. [50] Zach. 2. [51] Psal. 138. [52] Zach. 4. [53] Ibid. [54] Psal. 103. [55] Isai. 63. [56] Sap. 7. [57] Gen. 1. [58] Ibid.

enim dixit Deus angelis, faciamus, cum ipsi factores et creatores non sint, nec homo faciendus erat ad similitudinem angeli. De illo ergo dicit, *faciamus*, ut insinuet Trinitatem. De ipso dicit Moyses, *fecit, dixit, vidit*, ut exprimat in tribus ejusdem substantiæ unitatem. Item in Genesi legitur quod Abraham tres vidit et unum adoravit, dicens : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ne transieris servum tuum* [59]. Præmisit quia tres erant ; et ad tres quasi ad unum loquitur, cum dicit : *Domine*, ne *transeas servum tuum.* Et ibidem : *Afferatur aqua et laventur pedes vestri. Ecce* plures : *Et apposuit eis mensam, et manducaverunt.* Et in his personarum pluralitatem insinuat. Cum vero subjungit : *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite*, unum esse declarat. Sequitur : *Surgentes autem inde, ibant,* etc. Ecce adhuc tres. Et subjungit : *Dixit autem Dominus : Num celabo ego puero meo Abrahæ quæ Sodomis facturus sum?* In omnibus his et tres ad Abraham loquuntur et unus, et Abraham ad tres loquitur et ad unum. Et in omnibus habes mysterium Trinitatis et unitatis expressum. Cum autem Dei digitus in sacro eloquio sit virtus Dei, tres trium digitorum nomine et numero designantur. Unde et Isaias : *Quis appendit tribus digitis molem terræ* [60] ? Quid per tres digitos potest designari, nisi trinitas personarum? Nam et in Exodo digitus Dei, dicitur virtus Dei. Dicunt enim magi Pharaonis : *Digitus Dei est hic* [61]. Dicant ergo Judæi nobiscum, vel saltem cum magis Pharaonis Spiritum sanctum digitum Dei esse. Noster equidem Messias in Evangelio dicit : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto venit in vos regnum Dei* [62]. Tres vero digitos tres personas profitemur in Deo. In Aggæo, itaque propheta Patrem et Filium, et Spiritum sanctum verba Domini manifeste exprimunt, cum dicit : *Ego sum vobiscum* [63], etc. Ecce Pater, et Verbum ejus, et Spiritus. Item Psalmista : *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea, flabit Spiritus ejus et fluent aquæ* [64]. Et illud : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [65]. Et in Isaia : *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei*, etc. Ecce tria, Dominus, sermo, et Spiritus : Pater, Verbum et Spiritus sanctus scilicet. Unde in Jeremia : *Dixi* : A, *a, a, Domine Deus. Ipsi dicunt ad me : Nunquid per parabolas loquitur iste* [66]. Ter suspirat et invocat Trinitatem. Supponens vero singulariter, *Domine Deus*, indicat unam trium personarum substantiam. Simile est quod in Isaia vox angelorum audita est laudantium Deum atque dicentium : *Sanctus, sanctus, sanctus* [67]. Illa triplex repetitio significat Trinitatem. Subjungens autem, *Dominus Deus Sabaoth*, insinuat unitatem. Et in Psalmo : *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* [68]. Nugatoria esset triplicatio hujus nominis,

A si non contineretur in causa mysterium Trinitatis. Aggæus etiam propheta Trinitatem satis aperte declarat, dum in eo Deus Pater loquitur de Spiritu dicens, et Filio suo : *Spiritus meus, in medio vestri* [69]. Ecce Pater et Spiritus ejus. Et subjungit : *Quia ecce commovebo cælum et terram et veniet Desideratus cunctis gentibus.* Et ecce Filius. In Psalmo *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis* [70]. Hic apertissime liquet quod Deus in nomine Domini venit. Verba etiam hominis hæc sunt : *Misit de summo et accepit me* [71]. Et : *Beatus quem elegisti et assumpsisti* [72]. Isaias et Trinitatem in Deo et humanitatem in Filio manifeste declarans, in persona Dei Patris loquitur dicens : *Ecce*, inquit, *Puer meus, suscipiam eum*, etc.

B [73]. Isaias in persona Filii : *Ego primus et ego novissimus*, etc. [74]. Quis hoc unquam veraciter dicere potuit, nisi Deus, qui tamen est a spiritu Dei missus ? Et in eodem : *Spiritus Domini super me*, etc. [75]. Hic habes et spiritum, et eum cujus est spiritus, et eum qui Spiritus sancto est unctus. Christus in libro Sapientiæ legens testatur hanc prophetiam ea die in se ipso completam [76]. In omnibus his natura Patris, et Filii, et Spiritus sancti manifestissime declaratur, ut expressius habeas pluralitatem personarum, unitatem in Deo. Scias quod in Hebræo Deus interdum dicitur *El* et *Adon* : quod *Deus* vel *Dominus* singulariter sonat propter divinæ substantiæ unitatem. Interdum vero *Eloi* et *Adonai* pluraliter ponitur, et pluralitatem indicat personarum [77].

C Singulariter ponitur in exemplo Geneseos, quod præmisimus, ubi dicitur : *Locutus est Dominus ad Jacob : Surge* [78], etc. Hic et nomen Dei, et actus ejus profertur singulariter in Hebræo. Cum autem dicitur : *Et ædificavit ibi altare et appellavit nomen loci, Domus Dei* [79]. Ibi apparuit ei Deus, hic et *Deus* et *apparuit* in Hebræo pluraliter profertur. Ibi enim dicitur *Eloim*, et *inglu* dicitur, quod pluraliter significat, *apparuerunt*. Si enim singulariter, loqueretur, *El* et *ingla* quæ singularia sunt, posuisset. In libro etiam Samuelis, David laudans Deum sic ait : *Quæ est autem, ut populus tuus, gens in terra* [80] , etc. Hic *Deus*,, et *ivit*, pluraliter in Hebræo dicuntur *Eloim* et *alon*, quæ pluralia sunt, et significant personarum pluralitatem ; *ala* enim singulare est. *Redimeret* vero et *sibi* singularitur proferau-

D tur propter substantiæ unitatem. Item Jeremias [81] : *Dominus autem Deus verus est Deus vivens et rex sempiternus*, ponuntur singulariter, in quo substatiæ unitas indicatur. Item Moyses in Deuteronomio : *Scito hodie, et cogita quod Dominus ipse Deus, et non sit alius* [82]. Ibi Dominus sicut in Latino, sic singulariter in Hebræo ponitur. Ubi vero hic dicitur Deus, ibi *Eloim* quod pluraliter sonat in Hebræo profertur. Et ne plurati appellativo plures substantiæ

[59] Gen. 18. [60] Isai. 40. [61] Exod. 8. [62] Luc. 11. [63] Agg. 2. [64] Psal. 147. [65] Psal. 32. [66] Jerem. 4. [67] Isai. 6. [68] Psal. 66. [69] Agg. 2. [70] Psal. 117. [71] Psal. 17. [72] Psal. 64. [73] Isai. 42. [74] Isai. 47. [75] Isai. 61. [76] Luc. 4. [77] Exod. 6. [78] Gen. 35. [79] Ibid. [80] II Reg. 7. [81] Cap. 10. [82] Cap. 4.

possent intelligi, adjungitur, *et non sit alius.* Qua necessitas aut quæ ratio apud Hebræos hanc socialem conjunctionem singularitatis et pluralitatis pariter introduxit, nisi quia volebat Deus et abscondi ad tempus et in suo revelari tempore mysterium Trinitatis? Præterea illud nomen Dei, quod in secretis secretorum apud Judæos ineffabile est, et tetragrammaton dicitur, licet quatuor figdurarum, trium tantummodo elementorum *Io, he, vaf, he ; he,* namque bis ponitur. Si ergo diligenter hoc nomen inspiciras; trinum est in Hebræo et unum. Nam si tantum primam et secundam litteram conjunxeris, scilicet, *Io*, et *he*, unum Dei nomen in Hebræo efficitur. Si vero scundam et tertiam simul ponas, id est *he* et *vaf;* hades alterum Dei nomen. Si autem copulaveris tertiam litteram atque quartam, id est *vaf* et *he*, habes et tertium. Rursus si omnes simul in ordinem conjunxeris, tantum invenies nomen unum. Qui ordinavit, ut essent tria nomina, unum nomen ipse te intelligere voluit in tribus personis ejusdem substantiæ unitatem. Item in Numeris [83] Dominus ad Moysen dicit : *Loquere Aaron et filiis ejus*, etc. His benedictionibus sacerdos aliis benedicens protensas ante vultum suum palmas utrasque tenebat. Cum vero dicebat Dominus, quod Hebraico illo quod supra diximus trino et uno nomine exprimebant, tres digitos priores, id est pollicem et indicem atque medium utriusque manus rectum et altius erigebat, et dicto ita Domino digitos remittebat, ut prius. Quid per trium digitorum elevationem melius, quam Trinitatis excellentia mystice intelligi potest? Nota etiam quod in hac benedictione tam solemni, formam crucis sine qua nulla benedictio fit, apud Christianos signanter expressa est. His tribus digitis, sicut prælibatum est, appenditur moles terræ, digitum que Dei, id est Spiritum sanctum quem Judæi pertinaciter negant, magi Pharaonis confessi sunt. Mysterium sanctæ Trinitatis tres solemnitates in Exodo exprimunt [84], solemnitas azymorum, solemnitas primitiarum et solemnitas fructuum collectorum. In Deuteronomio [85] etiam eædem solemnitates præcipiuntur. Prima festivitas azymorum, secunda hebdomadarum et tertia tabernaculorum. In Pascha immolatur. In Pentecoste datur Spiritus sanctus. In scenopegia paternæ majestatis potentia declaratur. Quare diligentius a Judæo qualiter intelligat verba illa Jeremiæ [86] prophetæ : *Pervertistis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei* vestri. Ne enim cogatur Trinitatem manifeste confiteri, ibidem verba Dei pervertit. Dicit enim Hieronymuns *in Prologo super Genesim*, quod hæc verba quæ ibi in Jeremia leguntur, Latini et Græci codices non habent. Hebræi vero in suis voluminibus ista contra se legunt, et velint nolint, sacramentum Trinitatis annuntiant. Sunt quam plura alia testimonia de personarum Trinitate, quæ septuaginta Interpretes non transtulerunt, cum tamen essent in Hebraica veritate. Nam, sicut beatus Hieronymus *in Prologo super Genesin* dicit, ipsi de Patre et Filio et Spiritu sancto multa, aut omnia tacuerunt, aut aliter transtulerunt, quod prudenter egisse dicuntur, ne Ptolomæus unius Dei cultor ad cujus petitionem transferebant, plures deos esse præsumeret. Noluerunt etiam fidei arcana vulgare ; ideo, cum in Isaia septuaginta Interpretes invenissent de parvulo nato et nobis dato, quod vocaretur *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* [87], istorum nominum majestate perterriti, non sunt ausi hunc puerum appellare Deum, sed magni consilii Angelum, quod in Hebraico non habetur.

CAP. VI. *Rationes et auctoritates de fide sanctæ Trinitatis.*

Aliqua induximus ad confutationem et confusionem Judæi, nunc de Trinitate aliqua inducamus ad ædificationem et solatium Christiani. Joannis evangelistæ qui in sinu Salvatoris cælestis sapientiæ fluenta potavit [88] verba hæc sunt : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo : Pater Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* [89]. Verba etiam Christi in Evangelio hæc sunt : Spiritus *qui a Patre procedit* [90], ipse de meo accipiet ; in quo Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere apertissime dacet. Iterum Doctor gentium Trinitatem insinuans dicit : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* [91]. Pater ex quo omnia, Filius per quem omnia, Spiritus sanctus in quo omnia. Idem Apostolus : *Ex Deo, coram Deo in Christo loquimur* [92]. Ipse etiam qui veritas est, in Evangelio dicit : Ite, baptizate *omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* [93]. Si ergo Judæus inficiari non potest, quin sapientia et bonitas Dei semper fuerint cum eo, et ipse nunquam sine illis ; quis de Trinitate dubitet, cum sapientia Dei ejus et Filius, et bonitas Dei ipsius Spiritus appelletur ? Intelligis quod in mente hominis sunt ratio, memoria et voluntas, et hæc tria sunt una mens, nullum tamen illorum est alterum ; quia nec ratio memoria est aut voluntas, nec memoria voluntas est aut ratio, nec voluntas ratio est aut memoria. In eodem lacte tres proprietates diversæ sunt, serum, caseus et butyrum. In sole tria diversa, scilicet, corpus illud sphæricum, calor et splendor, tria illa sunt unus sol, et nullum illorum est alterum. Simplex eremita cuidam Judæo disputanti cum eo, et argumentanti : Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus ; nec Pater est Filius, nec Spiritus sanctus est Filius, ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus non est idem Deus, sic legitur fefellisse ; tres plicas enim in cappa sua faciens dicebat ; Hæc plica est pannus, et hæc, et tertia, nulla istarum plicarum est altera,

[83] Cap. 6. [84] Exod. 8. [85] Cap. 16. [86] Cap. 23. [87] Isa. 9. [88] Joan. 13. [89] I Joan. 5. [90] Joan. 15. [91] Rom. 11. [92] II Cor. 12. [93] Matth. 28.

ergo istæ tres plicæ sunt ters panni. Imo unus pannus. Sancta Trinitas tamen, non similitudinibus aut rationibus discutienda, sed amplectenda est fide. Transcendit eminentiam totius rationis humanæ, sed hoc de illa simpliciter sentiamus, quod sacra docent nos eloquia, ut cum Psalmista dicamus : *Juxta eloquium tuum da mihi intellectum* [94]. Domine, non ultra, non citra, non supra, non contra, sed juxta.

Cap. VII. *Testimonia prophetarum, quod Filius a Patre missus sit.*

Quod autem Deus Dei Filius sit, qui pro nostra salute a Deo Patre missus est, ex his quæ in nostris et Judæorum codicibus assidue leguntur, apertissime liquet. Nam in illa auctoritate quam præmisimus, ubi Sapientia Dei se ante omnia genitam protestatur, in fine verborum concludit dicens : Et *deliciæ meæ esse cum filiis hominum* [95]. Specialiter enim delectatur in illa dilectione, quam nobis exhibuit, ut hominem redimeret homo factus. De eodem Jeremias propheta sic ait : *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius ab eo : hic omnem adinvenit viam* scientiæ et *disciplinæ* [96]. Et adjungit : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* [97].

Cap. VIII. *Testimonia quod Christus venerit in carne.*

Quod Christus de semine Abrahæ nasceretur, Dominus in Genesi manifestat, dicens ad Abraham, et loquens : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* [98]. Quæ gentes benedictæ fuerent in Isaac? Judæi ? Nonne præ omnibus populis maledicti sunt a Domino et damnati ? Quære ergo alium de semine Abrahæ, in quo omnes gentes benedicantur, et non invenies nisi Christum. *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus* [99], et omnes in eo benedicti sunt a *Domino, qui fecit cœlum et terram* [100]. De hoc semine dicit Isaias : *Nisi Dominus, Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus* [1]. Hoc omnino de Isaac lintelligi non potest. Qua enim potestate, qua scientia, qua virtute nos ab aliquo peccato potuit Isaac liberare? In signum vero, quod Chritus nasceretur de successione Abrahæ, fecit Abraham servum suum jurare super femur suum [2] quod mandatum ejus impleret, de quærenda Isaac uxore ; jurans enim super Abrahæ femur, intelligebatur jurure non in Abrahan vel in Issac, sed in eo qui erat de femore Abrahæ nasciturus. Iu ejusdem fidei reverentia ipse Abraham, Isaac, et Jacob [3], atque posteri ejus circumcisionis signum spiritualiter acceperunt, ut ab aliis populis discerneretur populus. de quo ille cui reposita erat benedictio, nasceretur Ideo Balaam in libro Numeri [4] dicit ; *Orietur stella ex Jacob*, etc. Quod etiam Christus de posteritate Abraham nasceretur, habes in Deuteronomio [5] ex verbis Moysi ad populum sic loquentis : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit Dominus*, etc. Hoc Judæi de Josue, et non de Christo intellexerunt. Ut autem hoc de Christo et non de Josue dictum scias, vide historiæ seriem, nec in aliquo dubitabis. Nam in monte Oreb petierunt filii Israel paulo ante [6], ne ultra vocem Domini tam terribilem audirent, et ignem ne morerentur aspicerent. Ideo dicit Dominus ad Moysen : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum* [7], id est de tribu Juda. Illa enim tribus erat in medio aliarum tribuum constituta. Quod autem vocet eum prophetam, convenit Christo. Josue enim alicubi prophetasse non lego. Christus autem de se ipso dicit : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* [8]. Ipse enim de passione, et resurrectione et ascensione sua, de vocatione etiam gentium, et fide Evangelii dilatanda [9], de excidio Jerusalem, et multa alia quæ evenisse certum est, prophetavit [10]. Quod autem apponit similem Moys, insinuat quod Christus, sicut Moyses et non Josue, legem dedit. Iterum cum a Domino dicitur Moysi de Josue : Ponam *manum tuam super eum et dabis ei præcepta cunctis videntibus* [11], manifeste ostenditur quod Josue Moyse minor esset, utpotes cui Moyses manum imponeret. Cum vero superadditur : *Si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum* [12], etc. Etiam Eleozaro inferior josue declaratur. Patet ergo, cum in Messis benedicendæ sint omnes tribus terræ, nec Moyse aut Eleazaro possit esse inferior, non ad Josue, sed ad Christum verba hæc pertinere : *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem* sui [13]. Sequitur : *Et ponam* [14], etc. Nemo qui recte sapiat hæc ad Christum dubitet pertinere, maxime cum verba ejus spiritus et vita sint. Expressius simile habes in eo quod David cogitanti ædificare domum Dominos Nathan propheta ei sub persona Domini loquens, ait : *Cum completi fuerint dies tui* [15], etc. Certum est quod Salomon patre vivente regnavit. Quomodo ergo possunt Salomoni hæc verba convenire : *Cum completi fuerint dies tuis et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum* [16]. Id est, Salomonem filium tuum ? Sed nec illud quod sequitur convenit Salomoni : *Stabiliam thronum ejus, usque in sempiternum* [17] ; quia cito finitum est regnum ejus. Illud etiam a Salomone longe est : *Misericordium meam non auferam ab eo* [18]. Nam in tertio Regum hæc verba leguntur : *Cum esset Salomon senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos. Colebat autem Salomon Astartem deam Sidoniorum, et Chamos deam Moabitarum, et Moloch idolum Ammonitarium. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset*

[94] Psal. 118. [95] Prov. 8. [96] Baruch. 3. [97] Ibid. [98] Gen. 21. [99] Eccli. 44. [100] Psal. 120. [1] Isa. 1. [2] Gen. 24. [3] Gen. 17 et 21. [4] Cap. 24. [5] Cap. 18. [6] Exod. 19 et 20. [7] Deut. 18. [8] Matth. 13. [9] Matth. 16, 18, 20. [10] Luc. 19. [11] Num. 27. [12] Gen. 20. [13] Deut. 18. [14] Ibid. [15] II Reg. 7. [16] Ibid. [17] Ibid. [18] Ibid.

mens ejus a Domino Deo Israel [19]. Ideo dicit Dominus : *quia non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum* [20]. Nonne ergo ablata est ab eo misericordia Dei, quem apostatare permisit, et regnum ejus scidit, et filio ejus auferens, servo dedit?

Cap. IX. *Testimonia, quod Christus de David nasceretur.*

Quod autem Christus de David nasceretur, habes ex testimonio Jeremiæ dicentis : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus* [21], etc. Tempore Jeremiæ mortui jam erant David, Salomon, Ezechias, et omnes sancti, et justi reges, nec inveniens, o Judæe, cui alii possit hoc convenire quam Christo. Quod dicit : *Ecce dies veniunt ;* hoc ad tuum Messiam, quem venturum somnias, pertinere non potest. Jam enim transiit tempus, quod Messiæ venturo propheta præfixit. Item David : *Juravi David servo meo* [22], id est immutabiliter et sine conditione promisi usque in æternum, præparabo semen tuum et sedem tuam in generationem et generationem. Hæc Salomoni convenire non possunt ; sed Christo, qui regnaturus est in æternum.

Cap. X. *Testimonia quod Christus de gentibus nasceretur.*

Quod vero Christus de gentibus nasceretur, colligere potes ex verbis Isaiæ dicentis : *Emitte, agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion* [23]. Desertum gentilitas : Ruth vero, petra deserti [24] ; et quod fuerit Moabitis, quasi dicat : Ex te egredietur agnus, qui tollet peccata mundi et dominabitur universo orbi. Ruth equidem de Booz genuit Obeth, Obeth Jesse, Jesse autem David ; de David autem Christus [25]. Audi iterum Isaiam apertius declarantem quod Christus vocaret ad finem Judæos et gentes : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob* [26], etc. Iterum Isaias divinitatem Christi et humanitatem simul insinuat, in persona Dei Patris loquens : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion* [27], etc. Nomine lapidis scilicet creaturæ firmæ et stabilis humanitas innocentissimas Christi designatur. In eo autem, quod dicit : *Qui crediderit in eum, non confundetur* [28], vera divinitas illius exprimitur. Si enim Christus homo esset, et non Deus, in eum credere idololatria esset. Si autem Judæus ad litteram hoc intelligit aut credit, in lapidem et tanquam idololatra condemnabitur ; aut hunc lapidem non credet, et testimonio prophetæ confundetur. Christus lapis angularis reprobatus a Judæis, duos populos, scilicet, Judæum atque gentilem quasi duos diversos parietes counivit, sicut Psalmista commemorat : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* [29]. Christi divinitatem, Isaias manifeste decla-

A rat : *Labor*, inquit, *Ægypti et negotiatio Æthiopiæ* [30], etc. Cum hæc, nec puro homini, nec Deo puro possint adaptari, aut ostendat Judæus cui ista conveniant, aut mendacii prophetam arguat, aut eumdem esse Deum et hominem recognoscat. Salvator idem est quod Christus, quem ideo propheta dicit Deum absconditum. Prius enim absconditus fuit in sinu Patris, postea in utero matris, in præsepio, in sepulcro, et etiam in sacramento altaris. Nec verba hæc Cyro regi Judæus ascribat, nec enim Cyrus, aut alius rex præter Christum Deus est absconditus, aut apertus. Alii secundum visum vel auditum judicant ; Christus autem qui summa justitia et summa sapientia est, judicat in se ipso, testante Isaia qui dicit : *Non secundum visionem oculorum judicabit ; neque secundum auditum aurium*
B *arguet, sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ* [31]. Et ut ejus potentia omnem hominum potentiam præcellere declaretur, adjungit : *Et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Solius equidem Dei est Antichristum destruere, et non secundum verba, sed secundum corda et merita homines judicare.

Cap. XI. *Quod Christus in propria persona venit.*

Quod autem Christus, sicut a patriarchis optatus, et prænuntiatus a prophetis fuerat, in propria persona venerit, Dominus per Isaiam aperte insinuat, dicens : *Propter hoc*, inquit, *sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar,*
C *ecce adsum* [32]. Ac si dicat : Ego qui loquebar in prophetis, carnem sumo et venio : Unde ad adventum ipsius idem propheta nos invitat et dicit : *Præparare, Israel, in occursum Domini Dei tui, quia venit* [33]. Sic *habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* [34]. Ipse est, o Christiane, qui tibi de se in Evangelio : dicit *Ego sum lux mundi* [35]. Hic est parvulus, qui, testimonio Isaiæ, *Natus est nobis et filius datus est nobis, admirabilis, consiliarius, Deus fortis* [36]. Et adjungit : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Et ut plenius honorem accumulet : *Amodo*, inquit, *et usque in sempiternum.* Indica mihi, o Judæe, quis puer ille nobis natus, aut filius nobis datus, quem Isaias asserit Deum et ejus imperium sempiternum? Item vero propheta et Chri-
D sti potentiam et passionis suæ ignominiam manifestans : *Ecce*, inquit, *puer meus elevabitur, et exaltabitur* [37], etc. Hieronymus sic exponit, quod reges et sapientes hujus sæculi continebunt os suum, id est non obloquentur, sed consentient legi Christi, qui gentes asperget suo sanguine et baptismo : et quibus non fuit de eo nuntiatum, ipsi videbunt et intelligent, sicut Veritas in Evangelio dicit : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* [38].

[19] III Reg. 11. [20] Ibid. [21] Jer. 32. [22] Psal. 88. [23] Isa. 10. [24] Ruth. 1. [25] Matth. 1. [26] Isa. 49. [27] Isa. 28. [28] I Petr. 2. [29] Psal. 117. [30] Isa. 45. [31] Isa. 11. [32] Isa. 52. [33] Amos. 4. [34] Isa. 9. [35] Joan. 8. [36] Isa. 9. [37] Isa. 52. [38] Joan. 20.

CAP. XII. *Quod Christus esset Deus et homo de semine Abrahæ.*

Semen Abrahæ [39] seu germen Domini Christus in sacro eloquio sæpe dicitur, sive fructus. Unde Isaias : *In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria et fructus terræ sublimis* [40]. De hoc fructu dicit Psalmista : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum* [41]. Et insinuans gloriam fructus, adjungit : *Justitia ante eum ambulabit et ponet in via gressus suos. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna* [42]. Quis est iste fructus, cujus justitia et pax datur, quandiu luna est duratura? Psalmista miratur posse suaderi homini quod Christus in ea sit natus civitate, seu Synagoga quam fecit. Dicit enim : *Nunquid aliquis homo dicet* [43], id est persuadebit, scilicet Synagogæ, hoc miraculum tam stupendum, ut unus et idem in ea civitate Dei, de qua gloriosa dicta sunt et natus sit homo, et ipse eam fundavit tanquam Deus [44]. Quasi diceret : Hoc Judæo, nisi divina virtute persuaderi non potest. Propterea Isaias exclamat et dicit : *Domine, quis credidit auditui nostro* [45] ? Vere divinitus persuaderi potest, quia Dominus *narrat in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea* [46], id est in Synagoga, quibus datæ sunt prophetiæ, et quibus specialiter promissus est Christus. O civitas Dei, habitatio in te sicut lætantium omnium ! Qui enim habitat, et perseverat in fide Christi, lætabitur in æternum. Rursum Jeremias : *Hic est Deus noster* [47], etc. *Post hoc*, id est, postquam legem dederat *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* [48]. Et si non invenit alium, præter Christum ; velit perditus, ne perdatur, ipsum confiteri nobiscum. Nec murmuret Judæus verba hæc esse Baruch, et non Jeremiæ. Verba enim hæc Baruch de ore Jeremiæ accepit, sicut notarius illius, et scripsit. Unde in eodem Jeremia [49] legitur : *Vocavit ergo Jeremias Baruch filium Neriæ, et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ in volumine libri omnes sermones Domini quos locutus est ad eum Dominus.* Daniel de adventu Christi, de oblatione ejus ad mortem, de ascensione et glorificatione, sic scripsit : *Vidi in visione, et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat* [50]. Ecce adventus. *Et oblatus est Antiquus dierum* [51]. Ecce passio. *Oblatus est enim, quia voluit* [52]. *Et data est ei potestas æterna* [53]. Ecce resurrectio. Ipse enim resurgens discipulis suis dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* [54]. Vide ergo, Judæe, si alii hominum quam Christo hæc verba conveniunt, ut in nubibus cœli quasi filius hominis veniat, et offeratur Antiquo dierum, id est æterno Patri, ut sit potestas ejus æterna, et regnum, quod non corrumpatur. Idem Daniel refert de tribus pueris in fornace, et quod quartus inter eos *quasi filius hominis* erat [55] : *Hic est lapis abscissus sine manibus* [56], id est, absque coitu et humano semine de utero virginali conceptus, qui contritis omnibus regnis, factus est mons magnus, terramque universam complevit. O Judæe, intellige quam manifeste prænuntiat Christi adventum et nativitatem Daniel in tertia visione. Nabuchodonosor viderat statuam cujus caput erat aureum, pars corporis sequens argentea, tertia pars ænea, quarta partim testea, partim ferrea. Exponit Daniel regnum Nabuchodonosor, scilicet regnum Babyloniorum aureum ; regnum Medorum atque Persarum argenteum, regnum tertium, Alexandri scilicet Macedonis æneum, tum propter famæ sonoritatem, tum propter Græci sermonis facundiam ; regnum etiam quartum, scilicet Romanorum ferreum appellat, quia regnum illud omnes nationes domuit et oppressit. Pedes etiam et digiti statutæ quam describit ex parte ferrei et ex parte fictiles erant, quia quanto fortius regnum illud ab initio fuit, tanto nunc turpius a prima virtute degenerat et quadam fracta imbecillitate vilescit. In fine istorum regnorum auri et argenti, æris et ferri, *abscissus est lapis sine manibus*, id est sine opere humano ; iste lapis crevit in montem magnum, et confregit atque contrivit statuam. Vide, Judæe, quam gloriose magnificatus est Christus, lapis ille quem reprobasti, quomodo implevit orbem, et majestate ejus repleta est terra [57] ? Vide ne offendas in hunc lapidem [58] ; qui enim in eum offenderit, confringetur [59] ; super quem vero ceciderit, conteret eum. Ecce in Daniele [60] *lapis abscissus sine manibus*, in Isaia [61] Emmanuel de virgine conceptus. In Psalmo Deus descendens in virginem *sicut pluvia in vellus* [62]. Ipsa enim est porta semper clausa, et tamen princeps ingreditur et egreditur per eam, sicut testatur Ezechiel, dicens [63] : *Converti me ad portam sanctuarii exterioris*, etc. Super hunc locum dicit Isidorus: Genitalia muliebria, portæ dicuntur, quia partui clauduntur et aperiuntur. Unde Job [64]. *Qui non clausit portas ventris qui me portavit, sedebit in porta*, id est in utero virginis, *et comedet panem*, id est Dei faciet voluntatem, juxta illud : *Habeo panem manducare, quem vos nescitis* [65]. Et illud : *Cibus meus est voluntatem Patris mei facere* [66]. Item matris Dei virginitas in Isaia manifeste declaratur, cum dicitur : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* [67], etc. Quid significat, o Judæe, hæc locutio, *nobiscum Deus* [68], nisi homo Deus, cum ipse conceptus et natus sit ad hoc, ut si nobiscum et sit Deus? ostende nobis aliquem conceptum de ali qua et natum sive virgine, sive alia, qui sit nobiscum Deus; et quia non invenis alium, crede in istum. Præterea quod signum, quod miraculum esset, si

[39] Joan. 8. [40] Isa. 4. [41] Psal. 84. [42] Psal. 71. [43] Psal. 86. [44] Ibid. [45] Isa. 53. [46] Psal. 85. [47] Baruch. 3. [48] Ibid. [49] Jer. 36. [50] Dan. 7. [51] Isa. 53. [52] Ibid. [53] Dan. 7. [54] Matth. 28. [55] Dan. 7. [56] Dan. 2. [57] Isa. 6. [58] Isa. 28. [59] I Petr. 2. [60] Cap. 2. [61] Cap. 8. [62] Psal. 71. [63] Cap. 44. [64] Cap. 3. [65] Joan. 4. [66] Ibid. [67] Isa. 8. [68] Ibid.

alia quam virgo conciperet et pareret? Hoc signum ergo Deus dedit, quia virgo peperit. Super hunc locum Hieronymus dicit: « Quando dicitur, o Judæe, » etc.

Si ergo juvencula vel puella, ut tu mentiris et non virgo pariat, quod signum et quod miraculum erit? Virgo Hebraice *betula* dicitur, quod in præsenti loco non scribitur; sed pro hoc verbo positum est Alma, quod omnes interpretes, præter Septuaginta, *adolescentulam* transtulerunt. Alma vero apud eos ambiguum est: dicitur enim adolescentula et abscondita, id est apocryphos. In Genesi [69] vero, ubi Rebecca dicitur alma, Aquila transtulit absconditam. Alma non solum puella est, virgo nuptui apta, sed virgo abscondita, et diligentius custodita, et quæ virorum aspectibus nunquam patuit. Addit etiam Hieronymus se nunquam legisse alma in muliere nupta, sed in ea quæ virgo et ætate adolescentula et virginitate integra. Sequitur: *Butyrum et mel comedet* [70], cibos scilicet infantiles, ut verus homo non phantasticus cognoscatur. Item Isaias de infantia Salvatoris et virtute infantis: *Accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium* [71], etc. Stylus hominis est, quo solent homines scribere. Scripsit autem Isaias, in hoc volumine, quod nunc legimus. Et quid? Ne puer natus regnum diaboli ulterius patiatur? seu ipse spolia fortis armati diripiat. Prophetissa hic intelligitur spiritus prophetiæ, Spiritus autem in Hebræo rumpha genere feminino censetur. Accessit Isaias ad spiritum prophetiæ, qui juxta prophetiam Isaiæ Christus de Spiritu sancto concipitur. Quia vero quidam Judæi astrologorum scientiam profitentur, et eis libentius forte credunt quam suis prophetiis, in libro Albumasar legunt, qui longe ante Christi nativitatem editus fuit, et in eo hæc verba expresse inveniunt: « Nascitur primo virginis decano mater », etc. Hinc habes quid nostra virgo sit; aliam enim invenire non poteris, cui ista conveniant; habes, inquam, et quod sub signo virginis nascitura erat et habitura virum, qui eam non tangeret et virgo patrem lactatura. Et vide, quia Christiani, astrologiæ ignari, dum sol in virgine est, adhuc nativitatem Virginis celebrant annuatim. Item assumpti hominis sanctificatio describitur in eodem propheta cum dicit: *Egredietur virga de radice Jesse* [72], etc. Ultimum ad verba refertur, et ad caput cætera dona. Nec te moveat verbum illud: *Ego Dominus creavi eam* [73]; illum qui se vocat vermem, qui se ipsum fecit carnem creatam, quem terra germinavit, ipsum non abhorreo dicere creaturam. *Aperiatur*, dicit propheta, *terra, et germinet Salvatorem* [74], *veritasque de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* [75]. Quod autem in Psalmo legitur: *Descendet sicut pluvia* [76], etc. Notatur Christi conceptio de sanctificatione Spiritus sancti, qui virginitatem non abstulit sed sacravit. Hic est filius hominis, de quo A dicitur in Psalmo: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; et super filium hominis, quem confirmasti tibi* [77]. Merito autem dicitur filius dexteræ Dei qui sedet a dextris Dei [78].

CAP. XIII. *Testimonia de loco et tempore nativitatis Christi.*

Quod autem Christus nasceretur in Bethlehem, Michæas [79] quandoque prædixerat: *Et tu Bethlehem Ephrata*, etc. Dicat mihi Judæus quis sit, quem propheta prædixit nasciturum de Bethlehem et cujus egressus est, sicut ipse dicit: *Exivi a Patre, et veni in mundum* [80]. Et Psalmista de eodem: *A summo cœlo egressio ejus* [81]. Tempus autem nativitatis Christi Jacob manifestat in Genesi dicens: *Non auferetur sceptrum de Juda* [82], etc. Revolve historias et invenies B Sedechiam ultimum regem fuisse de tribu Juda [83], postea vero fuerunt duces de tribu usque ad Herodem filium Antipatri. Dic ergo mihi, perditissime Judæe, si a tempore Saulis rexit aliquis populum Israel, sive rex, sive dux, qui non esset Judæus, usque ad Herodem? Ipse vero gentilis, et ideo alienigena fuit. Nemo autem dubitat, quod sub ipso natus est Christus [84]. Aut ergo Jacob reprehende mendacii, aut ejus prophetiæ consenti et confitere venisse Christum, qui a tuo patriarcha prædictus est exspectatio gentium. Rursum Christi adventus, non solum per Danielem prophetatus, sed eidem in decima visione Danielis per Gabrielem archangelum prænuntiatus et promissus. Verba vero Gabrielis C sunt hæc: *Daniel nunc egressus sum ut docerem te: tu ergo animadverte* [85], etc. Gabriel tertium tempus assignat, in quo ungendus est Sanctus sanctorum, et impleantur prophetiæ, quas videmus completas in Christo. Omnes enim prophetæ de ipso locuti sunt, et ut peccatum deleatur morte scilicet Christi, quam statim nominat. Unde damnabiliter Messiam exspectant, qui omnia hæc in Christo completa desiderant. Et adjungit Angelus: *Scito ergo et adverte, ab exitu sermonis* [86], etc. Audiat Judæus occisionem Christi, et videat Christi populum paratum ad omnia supplicia mortis, antequam neget Christum; videat desolationem suam, videat cessare unctionem Judæorum; et sciat venire Messiam. Sequitur: *Civitatem et sanctuarium dissipabit Dominus* [87], etc. Attende, D Judææ insipiens et sponte infelix, quia tempus quod præfixit angelus jam diu elapsum est. Acciderunt civitati tuæ omnia quæ prædixit, nec jam tempora visitationis divinæ in mendacio somnies. Diu est enim quod tua desolatio jam incœpit, præfixa tempora transierunt, et captivitas tua, quousque convertaris ad Christum, finem ulterius non habebit. Vides ablatum tabernaculum, templum subversum, cœremoniis finem positum, et impletum est in populo tuo quod Osee [88] prædixerat: *Dies*, inquit, *multos sedebunt filii Israel sine principe, et*

[69] Cap. 20. [70] Isa. 7. [71] Isa. 8. [72] Isa. 11. [73] Isa. 45. [74] Ibid. [75] Psal. 84. [76] Psal. 71. [77] Psal. 79. [78] Hebr. 1. [79] Cap. 5. [80] Joan. 16. [81] Psal. 18. [82] Gen. 49. [83] IV Reg. 26. [84] Matth. 1. [85] Dan. 9. [86] Ibid. [87] Ibid. [88] Cap. 3.

sine altari, et sine ephod et sine teraphin. In historia legimus [89] quod Azarias, filius Ebeth, facto in se Spiritu Dei coram rege Asa et exercitu ejus hæc inter cætera prophetavit : *Transibunt multi dies in Israel*, etc. Testimonio Bedæ hæ septuaginta hebdomades distinctæ per septem annos, quadringentos et nonaginta annos insinuant. Ab exitu hujus sermonis usque ad Cyrum fuerunt septem hebdomades. Sexaginta vero duæ a Cyro usque ad Titum, et una hebdomada obsidionis, id est infra impletum septennium, quo civitas obsessa est a Tito, defecit hostia et sacrificium, et in templo visa est desolatio abominationis ; quia in templo imago Cæsaris est collocata, in ultionem illius verbi : *Non habemus regem nisi Cæsarem* [90] ; ut cogerentur habere pro Deo, quem prætulerant Salvatori suo. Non moveat quemquam, quod prius ponit septem hebdomades et postea septuaginta ; Hebræum enim idioma est. Nam cum Latinus dicat Abraham vixit centum septuaginta et quinque annis [91], Hebræus e diverso dicit quinque et septuaginta et centum. Cum ergo constet numerum istarum hebdomadarum jam completum, nec in sacro eloquio majores inveniri hebdomades, constat cessasse Judæorum unctionem et Messiam venisse. Notandum autem quod cum hanc captivitatem duæ aliæ captivitates præcesserint, quærendum est a Judæis quæ causa sit hujus tam longæ et interminabilis captivitatis. Idololatria enim duarum præcedentium causa fuit. Nam hæc prophetæ testantur; illi etiam negare non possunt, cum in ipsis captivitatibus idola coluisse legantur. Cum ergo, postquam de Babylonia redierunt, non inveniantur idola coluisse, tam gravis offensæ et tantæ dispersionis et tam longæ captivitatis, nec Judæus, nec alius causam aliam invenire potest, quam iniquitatem in Jesum Christum Dei Filium, invidia instigante, commissam. Sicut enim certum est quod juste judicat Deus, et major et diuturnior est ista captivitas, quam Babylonica ; major ab eis assignari debuit offensa. Hieronymus super Osee quæstionem hanc movet, et aliam causam quam Christi crucifixionem invenire non potest ; Josephus tamen in octavo decimo *Antiquitatum* libro scripsit, Jerusalem propter interfectionem Jacobi fuisse destructam, sed totum redundat in gloriam Salvatoris. Jacobus enim a Judæis de pinnaculo templi præcipitatus pertica fullonis excerebratus est, quia perhibebat Christo testimonium veritatis. Adhuc tamen quæritur, quæ tam desperatæ captivitatis causa fuit; quia Josephus hoc non solvit.

CAP. XIV. *Quod impleta sunt desideria prophetarum de Christo.*

Si vero attendas desideria prophetarum de Christi adventu certasque Dei promissiones, non poteris dubitare venisse Messiam, dicit Isaias : *Utinam disrumperes cælos, et descenderes, a facie tua montes defluerent* [92] ! Et post pauca subjungit : *Descendisti, et a facie tua montes fluxerunt* [93]. Hieronymus hæc dicit, quia propheta rogaverat Deum, seque intelligens exauditum, et quod in proximo complenda erant desideria prophetarum, subjungit : *Descendisti*, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [94], et sic increduli et superbi defluxerunt, quia deficientes in se in viam fidei cucurrerunt. Item Dominus in Zacharia [95] : *Gaude et lætare, filia Sion*, etc. Judæus hic non respondebit, quia respondere non poterit. Et Isaias : *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini* [96], etc. Quasi dicat : Sicut per mare Rubrum liberasti, ita nunc libera per baptismum. Idem Deus Pater loquitur in eodem : *Audite*, inquit, *me duro corde, et qui longe estis* [97], etc. Jam effluxerunt anni mille ducenti, ex quo Christus salus nostra natus est, tu vero, Judæe, adhuc exspectas. Ubi est ergo quod prædixerat Deus, quod non moraretur salus ejus, et cito fiet in Sion et in Jerusalem. Cui magis credendum est, Deo an tibi ? Dixit Deus quod non moraretur salus, et quod dixerit, jam implevit, transacti sunt mille anni. Tu vero, qui post promissionem Dei jam exspectasti mille annis, quousque exspectabis ? Prophetæ David erat gravis Christi dilatio, cum dicebat : *Domine, inclina cælos tuos et descende ; tange montes et fumigabunt* [98]. Et illud : *Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse* [99], id est omnibus innotesce. Et illud : *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos* [100]. Et illud : *Deus, judicium tuum regi da* [1]. Et quasi exaudisset orationem David, dicit : *Posui adjutorium in potente, et exaltavi de plebe mea* [2]. Et iterum : *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ* [3]. De David non potes intelligere ista. Multi enim reges eo tempore fuerunt potentiores et excellentiores in terra ; sed nec primogenitus Dei fuit, quod soli Christo convenit, qui primogenitus in multis fratribus fuit, et fecit nos per adoptionem fratres suos et Dei filios, hæredes Dei, cohæredes autem suos [4].

CAP. XV. *Testimonia legis et prophetarum quod Christus in humilitate venturus sit.*

Homo per superbiam cecidit [5], Christus hominem redempturus humilis venit, et de humili virgine natus, de humilibus et simplicibus apostolos elegit [6], per quos confunderet sapientiam et superbiam hujus mundi [7]. Unde Zacharias [8] : *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel*, etc. Mons a monte humiliatur, id est a Christo diabolus, et gratia gratiæ coæquatur, dum ea quæ in Veteri Testa-

[89] II Par. 15. [90] Joan. 19. [91] Gen. 25. [92] Isa. 9. [93] Ibid. [94] Joan. 1. [95] Cap. 2. [96] Isa. 51. [97] Isa. 46. [98] Psal. 143. [99] Psal. 79. [100] Ibid. [1] Psal. 71. [2] Psal. 88. [3] Ibid. [4] Rom. 8, Gal. 4. [5] Gen. 3. [6] Matth. 4. [7] I Cor. 1. [8] Cap. 4.

mento promissa sunt, in Novo complentur. Item de humilitate Christa Zacharias [9] propheta loquitur, dicens : *Exsulta satis, filia Sion*, etc. In tota lege, quam legis non intelligis, o Judæe, non invenies regem aliquem Jerusalem super asinam et pullum animæ sedisse, cujus potestas fuerit a mari usque ad mare. Non solum autem de adventu Christi, sed et de Præcursore adventus illius, Joanne Baptista prophetaverunt antiqui, videlicet Malachias [10]. *Ecce ego mitto Angelum meum*, etc. Non dicit propheta, postea veniet, sed dicit *statim;* ex quo scis Joannem Baptistam venisse, scias et Christum sine dilatione secutum fuisse. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum, et quis poterit cogitare diem adventus ejus* [11]

CAP XVI. *Quod Christus dæmonia expelleret, et miracula faceret.*

De expulsione dæmonum Zacharias protestatur et dicit : *In die illa disperdam idolorum nomina* [12], etc. Quod autem Christus facturus esset miracula, prædixerat Isaias [13] : *Tunc aperientur oculi cæcorum*, etc. Et hoc est quod Christianus in Evangelio legit, dum Christus discipulis Joannis Baptistæ, qui ad eum missi fuerant, dicit : *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis* [14], etc. Item Isaias de miraculis ejus : *Ecce cum justitia regnabit rex* [15], etc. Ex his patet, quam grata sit et secura protectio Christi. De potentia vero Christi loquitur Jeremias, et dicit : *Quis suscitabit justum? Quis ei gentes* [16], etc. Habacuc prævidens Christum cito venturum, ipsum quasi præsentem annuntiat, dicens : *Egressus ejus in salutem populi tui cum Christo tuo* [17].

CAP. XVII. *Testimonia prophetarum, de reprobatione sacrificiorum legalium.*

Loquitur Dominus in Isaia [18] : *Non te servire feci Jacob*, etc. Amos [19] de eodem : *Nunquid hostias*, etc. Item Isaias [20] : *Quo mihi multitudinem victimarum*, etc. Et in Psalmo : *Non accipiam de domo tua vitulos* [21], etc. Item *Neomenias vestras* [22], etc. David in Psalmo : *Sacrificium Deo spiritus* [23], etc. Isaias [24] de eodem : *Ad quem respiciam dicit, Dominus*, etc. In Amos [25] propheta : *Odi*, etc. Micheas [26] de eodem : *Nunquid offeram Deo*, etc. Malachias de eodem [27] : *Non est mihi voluntas in vobis*, etc. Hic non solum legalium reprobatio et abjectio Judæorum, sed et gentium declaratur vocatio. Isaias [28] : *Qui immolat bovem, quasi*, etc. Psalmista in persona Christi : *Sacrificium et oblationem, noluisti, aures autem perfecisti mihi* [29]. Vel secundum aliam translationem, *corpus autem aptasti mihi*, ut ex eo immaculatum sacrificium offeram tibi. Legitur in libro Regum Samuelem dixisse : *Nunquid vult Deus holocausta* [30], etc. Per

A obedientiam quidem voluntas propria, per victimam caro aliena mactatur. Item David : *Quoniam si voluisses sacrificium* [31], etc. Et illud : *Non in sacrificiis arguam te* [32]. Et cum præmisisset : *Non accipiam de domo tua vitulos*, etc., adjungit : *Immola Deo sacrificium laudis* [33].

CAP. XVIII. *Testimonia legis et prophetarum de Passione Christi.*

Passio Christi in lege et prophetis multipliciter præfigurata est; eam enim agni paschalis immolatio apertissime figuravit. Diligenter attendas mensem, mensisque lunationem, et horam diei, in qua sacrificabatur agnus, et cætera quæ in agno fiebant [34], eadem in Christo videbis impleta. Isaias [35] : *Sicut ovis ad occisionem ductus*, etc., subaudi, ut suam
B impediret passionem. Habacuc [36] : *Cornua in manibus ejus*. Cornua scilicet crucis : *Ibi abscondita est fortitudo ejus* [37]. Quis enim tunc crederet Deum esse omnipotentem, hominem tam patienter et humiliter tam crudelia patientem? Item Isaias : *Væ animæ, quia cogitaverunt*, etc. Anima Christi vocatur quandoque populus Israel, juxta illud : *Peccavit anima tua, Deus* [38]. Item Isaias [39] : *Non erat ei species, neque decor*, etc. Cum Judæus nullum prophetam inveniat, cui verba Isaiæ adaptare merito possit, et videat Christi crucem apud principes terræ et populos gloriosam, tandem revertatur ad Christum, qui per crucis angustias non redemit. Ipse in Psalmo dicit : *Foderunt manus meas et pedes meos* [40]. Et ut nos a maledicto liberaret, factus est maledictus. Scriptum est enim : *Maledictus omnis qui in ligno*
C *pendet* [41]. Zacharias [42] : *Cum prophetaverit quispiam*, etc. Et post pauca subjungit : *Quæ sunt plagæ istæ* [43], etc. Satis apparet ex his quod Judæi, de quorum populo Christus natus est, crucifixerunt eum. Adhuc calcitrant et mendaciter depravant virtutem Passionis Christi, ut impleatur in eis verbum David loquentis ad Christum : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui* [44]. Audiant miseri, quid in Isaia [45] legatur : *Ut faciat opus suum*, etc. Idem : *Factus est principatus super humerum ejus* [46], quia ipse in humeris crucem tulit [47]. Quod aperte figuravit Isaac [48], qui dum ad victimam duceretur, ligna passionis suæ ipse portabat. Zacharias [49] de passione sic ait : *Framea suscitare super pastorem*
D *meum*, etc. Quis est vir Deus exercituum cohærens, nisi Christus Deus et homo, quem Deus Pater pro nobis obtulit, dum super eum frameam, id est persecutionem suscitavit, ovesque dispersit, id est apostolos disgregavit? Audi Dominum in Jeremia [50] dicentem : *Tu ostendisti mihi studia eorum*, etc. Et in eodem : *Mittamus lignum in panem ejus* [51], etc. Audi, Judæe, unde tuæ captivitatis origo proces-

[9] Cap. 9. [10] Cap. 3. [11] Ibid. [12] Zach. 9. [13] Cap. 55. [14] Matth. 11. [15] Isa. 32. [16] Isa. 41. [17] Habac. 3. [18] Cap. 43. [19] Cap. 5. [20] Cap. 1. [21] Psal. 49. [22] Isa. 1. [23] Psal. 50. [24] Cap. 66. [25] Cap. 3. [26] Cap. 6. [27] Cap. 1. [28] Cap. 66. [29] Psal. 53. [30] I Reg. 15. [31] Psal. 50. [32] Psal. 49. [33] Ibid. [34] Exod. 12. [35] Isa. 53. [36] Cap. 3. [37] Ibid. [38] Habac. 3. [39] Cap. 53. [40] Psal. 21. [41] Deut. 21. [42] Cap. 13. [43] Ibid. [44] Psal. 65. [45] Cap. 28. [46] Isa. 9. [47] Joan. 19. [48] Gen. 21. [49] Cap. 13. [50] Cap. 11. [51] Ibid.

serit. Perditionem etiam Judæ Psalmista declarat : A *Homo*, inquit, *pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos ;* quasi dicat, meus apostolus et conviva, *magnificavit super me supplantationem* [52], hoc ipsum in cœna per buccellam expressit [53]. Imo si circa Passionem Christi prophetarum testimonia diligenter inspicis, jam non solum prophetas, sed et Evangelium legis. Quidquid enim in Passione Domini factum est? verba, scilicet, consilia et opera Judæorum, proditionem Judæ, confixionem pedum et manuum, sicut evangelistæ, sicut prophetæ aperte denuntiant, tantoque damnabilior est obstinatio Judæorum, qui sceleris ultionem sentiunt, et adhuc in sua malitia se obdurant. In Psalmo : *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor* [54]. Et in Psalmo: *Domine Deus salutis meæ* [55], et in multis aliis non B solum Christi Passio, sed et modus ejus satis aperte describitur. Sepulcrum etiam Christi non tacuit Isaias.

CAP. XIX. *Testimonia de sepulcro Domini.*

Erit, inquit Isaias, *radix Jesse* [56], etc. Signum populorum crux Christi est, quæ cum olim esset exquisitissimum damnati hominis supplicium, hodie facia est securitas et protectio populorum. Ecce quomodo juxta prophetam elevatum est hoc signum, de mortibus latronum translatum est ad frontes imperatorum et principum, ad frontes et capita summorum pontificum. Sine hoc signo nihil tutum est, nihil sanctum. In hoc signo secundum prophetam Habacuc [57] erat Salvatoris abscondita fortitudo. Ubi C autem dicimus, *in signum populorum* [58], etc. Septuaginta transtulerant, *resurget a mortuis, ubi princeps sit omnium nationum, et universæ gentes sperent in eo.* Item in Isaia verba Patris de Filio : *Dabo impios pro sepultura ejus* [59], etc. id est dabo Filio meo gentilos per idololatriam, impios et Judæos in lege et prophetis divites, ut qui pro Judæis et gentibus passus est, omnium sit Dominus et Salvator. Juxta illud : *Postula a me*, etc. [60].

CAP. XX. *Testimonia de ressurectione Christi.*

Resurrectionem Christi Zacharias [61] testatur, et dicit : *Tu vero in sanguine tuo emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua ;* manifeste indicans quod resurgens et descendens ad inferos eduxit de lacu mortis eos qui in tenebris erant. Item de re- D surrectione et spoliatione inferni loquitur Dominus per Osee [62] et dicit : *De manu mortis liberabo eos*, etc. De hac redemptione loquitur Isaias [63], et dicit : *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.* Vere sine argento, quia solo Christi sanguine pretioso. De hac ipsa redemptione iterum dicit Isaias [64]: *Si posuerit pro peccato animam suam*, etc. Christus quia laboravit, videbit semen longævum, semen illud de quo ipse dicit : *Exiit qui seminat seminare semen suum* [65]. Item Osee [66]. *Quasi diluculum præparatus est*, etc. Propter matutinam resurrectionem, intitulatur vicesimus psalmus, *pro assumptione matutina ;* in qua tamen Christus quasi imber temporaneus est et serotinus, quia in tempore retributionis et in vespera hujus vitæ, erit ipse vita et resurrectio nostra. Item Osee [67] de eodem : *Venite et revertamur ad Dominum*, etc. Item Psalmista : *Tu autem, Domine miserere mei* [68], etc. Petit homo Christus, quod cum Patre poterat ut Deus. Item : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium* [69], etc. Caro ejus psalterium est in lætitia angelorum, quæ tanquam cithara reddens sonum facta est lætitia et resurrectio mortuorum. Resurrectionem Christi Isaias [70] insinuat, dicens : *Quis est iste qui venit de Edom*, etc. Angelicæ potestates resurrectionis Christi gloriam admirantes aliis angelis dicunt : *Attollite portas, principes, vestras* [71], etc. Quærentibus illis : *Quis est iste Rex gloriæ* [72]? respondent alii : *Dominus fortis* [73], etc. Et iterum : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* [74]. Quod autem *formosus* dicitur *in stola, sua, et linctis vestibus de Bosra* [75], concordat et quod sponsus in Canticis [76] dicit : *Patruelis meus candidus est et rubicundus.* Rubicundus in passione, candidus in resurrectione. Item in Isaia [77] : *Quare ergo indumentum tuum rubrum est*, etc. Hieronymus super hunc locum, ubi dicitur nunc rubrum, in Hebraico legitur, Edom, non loci vocabulum est, sed sanguinis. *Torcular*, inquit, *calcavi solus* [78], etc. Torcular autem in sacro eloquio, teste Hieronymo, ponitur pro tormento. Unde Jeremias in lamentationibus suis : *Torcular calcavit Dominus* [79], etc. Alios enim dies facit ortus solis. Hunc diem fecit sol justitiæ resurgens a mortuis. Prius enim *oriens ex alto* [80], nunc de occasu mortis egrediens ortus est in splendoribus suis Deus Dominus et illuxit nobis. Item in Genesi [81] Jacob vocatis filiis suis, ait : *Congregamini, ut annuntiem vobis*, etc. Cum de Juda natus sit Christus, hæc prophetia prædixit manifeste, quod Christus ab aliis Jacob, id est a Judæis adorandus esset ; quod a morte resurgens in cœlum ascenderet, captivamque captivitatem duceret [82]. Illa enim quæ prædicta sunt, Judæ convenire non possunt. Ubi enim quod legitur, quod manus ejus fuerunt in cervicibus inimicorum ejus, vel ubi adoraverunt eum fratres sui? Sicut vivificatur catulus leonis ad vocem patris, sic paterna virtute Dei Filius a morte die tertia resurrexit. *Quis suscitabit eum?* Nullus subaudi, nisi ipse qui dicit : *Solvite templum hoc et in triduo* [83]; etc. Hoc totum notat effusionem sanguinis et mysterium passionis.

[52] Psal. 40. [53] Joan. 13. [54] Psal. 63. [55] Psal. 87. [56] Isa. 11. [57] Cap. 3. [58] Isa. 11. [59] Isa. 53. [60] Psal. 2. [61] Cap. 9. [62] Cap. 13. [63] Cap. 52. [64] Cap. 53. [65] Luc. 8. [66] Cap. 6. [67] Ibid. [68] Psal. 40. [69] Psal. 107. [70] Cap. 63. [71] Psal. 23. [72] Ibid. [73] Ibid. [74] Ibid. [75] Isa. 63. [76] Cap. 5. [77] Cap. 63. [78] Ibid. [79] Thren. 2. [80] Luc. 1. [81] Cap. 49. [82] Ephes. 4. [83] Joan. 2.

CAP. XXI. *Testimonia prophetarum de ascensione Domini.*

Habes, o Judæe, Christi passionem, gloriosum ejus sepulcrum, resurrectionem ipsius. Quid ergo exspectas? Omnia completa sunt, quæ de eo scripta sunt per prophetas. Vis de ascensione illius audire? Audi ipsum in Osee [84] dicentem : *Ego capiam*, etc., id est de inferno et terra in cœlum. De ascensione Domini, dicit Isaias [85]. *In die illa erit germen Domini in magnificentia*, etc. Et idem : *Nunc exsurgam, et sublimabor in cœlum* [86]. Et Habacuc [87] de eodem : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo*. In omnibus his ascensio Christi patet. De hoc eodem Psalmista : *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua* [88]. Attende, O Judæe, quod post ascensionem Christi statim in omni terra per apostolos glorificatum est nomen ejus. David ad angelos loquens ait : *Iter facite ei, qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi* [89]? Dic mihi, Judæe, quis nisi Deus est iste Dominus, *qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi?* Quomodo autem ascenderet, nisi prius descendisset? Credo ergo quia ille qui ascendit et ille qui descendit, prius inclinavit cœlos et descendit ut fieret homo; nunc autem ascendit super nubes et super ventos Deus pariter et homo. Sic enim idem Propheta perhibet dicens : *Qui ponit nubem, ascensum suum; qui ambulat super pennas ventorum* [90]. Crede igitur, infelix, quod sicut verus homo ascendit in cœlum cum ineffabili gaudio angelorum, ita et veniet contra alios infideles terribiliter in judicium. Sic enim testatur idem Psalmographus dicens: *Ascendit Deus in jubilatione,, et Dominus in voce tubæ* [91]. In jubilo, scilicet angelorum et apostolorum et prophetarum. Et in tuba, id est in judicii manifesta comminatione, angelis dicentibus : *Sic veniet ad judicium quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* [92]. Item in eodem : *Ascendens in altum captivam duxit* [93], etc. Aperi aures, tuas, o surde, et intellige quia Christus ascendens in cœlum secum captivos eduxit et captivavit infernum, deditque dona hominibus ut essent alii apostoli, alii evangelistæ, alii doctores, alii pastores Ecclesiæ. Vis audire, infelix, fortem diabolum scilicet Christus fortior alligavit, et prædam quam rapuerat, scilicet humanum genus, eripuit? Tu qui legis et non intelligis, quia lecta negligis, audi qualiter duritiam tuam Isaias [94] obtundat : *Nunquid*, ait, *tolletur a forti præda aut quod captum* fuerit, etc. Recede, miser, ab his qui judicandi sunt quia judicaverunt Filium Dei, ut possis inter Dei filios adoptari [95].

CAP. XXII. *Testimonia prophetarum de missione Spiritus sancti.*

Missionem Spiritus sancti prædixit aperte dicens: *Quæ in cœlo sunt quis investigabit* [96], etc. Quod autem fluminis impetus, id est torrens Spiritus sancti lætificaverit civitatem, et sanctificaverit templum Dei, Psalmista perhibet, dicens : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* [97], etc. Quod autem tanquam fluvius venerit, testatur Isaias [98], dicens : *Et timebunt, qui ab occidente sunt, nomen*, etc. In hac bina donatione Spiritus sanctus notatur, quod Spiritus sanctus datur communiter in baptismo, postea in confirmatione. Item Dominus in Isaia [99]. *Effundam aquam super*, etc. Psalmista de eodem : *Emitte spiritum tuum* [100], etc. Apostoli Christi hæredes tempore passionis infirmati sunt [1], et dispersi, et postea confirmati [2]. Item : *Non sunt loquelæ* [3], etc.

CAP. XXIII. *Testimonia historiarum Judaicarum et gentilium de resurrectione.*

Ea quæ de passione, et resurrectione, et ascensione Christi diximus, non solum miraculorum magnitudine, apostolorum quoque et aliorum, qui omnia hæc viderunt et præsentes interfuerunt, testimoniis comprobantur; sed etiam historiarum Judaicarum et gentilium multiplici assertione firmantur, ut eo ipso sit robustior contra Judæos professio nostræ fidei, quia veritatis ei testimonium perhibent etiam inimici. In Chronicis enim, ubi agitur de Tiberio Cæsare, et referuntur ea quæ tempore illius acta sunt, legitur epistola directa Tiberio a Pontio Pilato, cujus continentia hæc est:

« Claudio suo Pontius Pilatus salutem. »

« Nuper accidit, quod et ipse probavi, Judæos se et suos posteros in crudelem damnationem per invidiam dejecisse. Nam cum promissum haberent patres eorum, quod illis de cœlo mitteret Deus sanctum suum, qui eorum rex merito diceretur, iste cum venisset, et vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, invidiam contra eum sunt passi principes sacerdotum, mihique eum tradiderunt et alia pro aliis mentientes, dixerunt illum magum esse et contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, et flagellatum tradidi arbitrio eorum. At illi crucifixerunt eum, et iidem mortuo et sepulto custodes adhibuerunt. Ille vero, militibus meis illum custodientibus, die tertia surrexit. Sed in tantum exarsit nequitia eorum, ut darent eis pecuniam dicentes : Dicite, quia discipuli ejus nocte corpus ejus rapuerunt. Verumtamen milites, cum accepissent pecuniam, quod factum est tacere non potuerunt. Nam et illum resurrexisse testati sunt, et se a Judæis pecuniam accepisse. Hæc autem ideo scripsi, ne aliquis aliter referens mentiatur, et existimet credendum esse mendaciis Judæorum. »

Hujus autem epistolæ causa fuit, quia antiquitus moris erat apud Romanos, sicut *Ecclesiastica* refert *Historia*, quod præsides provinciarum, si forte aliquid novi in his quos regebant provinciis accidisset, imperatori vel senatui nuntiarent ne ex his

[84] Cap. 5. [85] Cap. 4. [86] Isa. 33. [87] Cap. 3. [88] Psal. 107. [89] Psal. 67. [90] Psal. 17. [91] Psal. 40. [92] Act. 1. [93] Psal. 67, Ephes. 4. [94] Isa. 50. [95] Gal. 4. [96] Sap. 9. [97] Psal. 45. [98] Cap. 59. [99] Cap. 44. [100] Psal. 67. [1] Matth. 26. [2] Act. 2. [3] Psal. 18.

quæ gerebantur in orbe, ignorare aliquid viderentur. Tunc Tiberius Cæsar magni favoris suffragio, retulit hanc epistolam ad senatum postulans ut Christus Deus haberetur. Lex enim antiquitus publica erat, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi esset senatus decreto et sententia confirmatus. Porro senatus receptionem Christi recusavit, indignatus quod non sibi secundum morem prius epistola delata fuisset; sed auctoritatem suam prævenit vulgi sapientia, et edicto constituit Christianos exterminandos ab urbe, Sejano urbis præfecto suscipientibus Christianam religionem obstinatissime resistente. Tiberius tamen, sicut in *Ecclesiastica Historia* legitur, tenuit sententiam suam, nec adversus doctrinam Christi quidquam molitus est. Hoc autem procul dubio divinitus agebatur, ne divina virtus humanis putaretur assertionibus indigere. De eodem Tertullianus Romanarum institutionum et legum peritissimus *in Apologetico* suo contra gentiles, paucis omissis, hæc refert: « Tiberius cujus tempore nomen Christianum intravit in sæculum, annuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ illi veritatem istius divinitatis revelaverant, retulit ad senatum. Senatus hæc respuit, et in sententia sua mansit Christianorum accusatoribus periculum comminatus.» Hæc Tertullianus. Nos autem prædictis inhærentes factum credimus divinæ dispensationis arcano, quod senatusconsulto reprobatus est, ut quod ad prima fundamenta fidei Christianæ jacienda, non potentes hujus sæculi, nec prudentes assumpsit; sed juxta Apostolum [4], ut fortia quæque confunderet, infirma elegit, ne fides catholica prudentia vel potentia sæculari videretur ab hominibus approbata. In principio nascentis Ecclesiæ publica malignitate mundus efferbuit, dicente Propheta: *Astiterunt reges terræ* [5], etc.

CAP. XXIV. *Testimonia Josephi Judæi de Christo.*

Josephus quoque Judaicæ captivitatis et antiquitatis scriptor egregius, de Christo, quod per invidiam sacerdotum fuerit crucifixus, et tertia die resurrexerit, manifestissime scripsit, unde Hieronymus [6] in Prologo suo super Josephum: « Josephus, Mattathiæ filius, ex Hierosolymis sacerdos, a Vespasiano captus cum Tito filio ejus relictus est. Hic Romam veniens, septem Libros Judaicæ captivitatis imperatoribus patri filioque obtulit, qui et bibliothecæ publicæ traditi sunt, et ob ingenii gloriam statuam quoque Romæ meruit. » Scripsit autem et alios viginti antiquitatis libros ab exordio mundi usque ad decimum quartum annum Domitiani Cæsaris. Hic in octavo decimo *Antiquitatum* libro manifestissime confitetur propter magnitudinem signorum Christum a Pharisæis interfectum, et Joannem Baptistam vere prophetam fuisse, et propter interfectionem Jacobi apostoli Hierosolymam dirutam. Scripsit autem de Domino in hunc modum.

A « Erat autem iisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen eum virum nominare fas est; erat autem mirabilium effector operum et doctor hominum eorum, qui libenter ea quæ vera sunt audiunt. Et multos quidem Judæos, multos etiam gentiles sibi adjunxit: Christus hic erat. Hunc, accusatione primorum nostræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum esse decrevisset, non deseruerunt eum qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim die tertio iterum vivens secundum quod divinitus inspirati prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerunt. Sed usque in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, et nomen perseverat et genus. »

Tanto igitur fortior est Christiana fides; quia non B solum prophetarum oraculis, sed et Judæorum et ethnicorum, inimicorum Christi, veteribus historiis concorditer et irrefragabiliter firmata est. Ipsa vero quasi granum sinapis, quod prius inter semina fuit minimum, excrevit in arborem magnam. In *Ecclesiastica* narratur denuo *Historia*, quod post Tiberium Caius suscepit imperium, qui Herodem interfectorem Joannis Baptistæ multis suppliciis cruciatum æterno damnavit exsilio, sicut Josephus scribit. Hujus temporibus Philo insignissimus scriptor non solum in Latina, sed in Græcorum philosophia florebat præcipuus. Hic apertissime refert, quam gravem et terribilem, pro flagitiis commissis in Christum, Judæi sustinuerunt ultionem. Qualiter autem Pilatus atrociter vexatus fuerit, qui morti C Christi consenserat, qualiter etiam Caius templum sanctæ civitatis, quod solum tunc manebat, contaminaverit in templum proprii nominis, ut ædes Jovis nobilissimi novi Dei Caii vocaretur, et alias innumeras clades omnes luctus tragicos transcendentes in secundo operis sui *De virtutibus* libro vir memoratus exsequitur. Huic autem Josephus consona voce respondens scribit, quod Pilatus missus a Tiberio in Judæam imagines Cæsaris Hierosolymis publice statuit, ut velox ultio sequeretur verbum illud, quod Judæi prædixerant: *Non habemus regem nisi Cæsarem* [7].

Idem Pilatus, teste Josepho, commune templi ærarium, quod lingua patria Corbona appellabant, in contumeliam Judæorum per violentiam rapuit, et in aquæductum ædificando expendit. Idem vero D Pilatus exsilio et exitialibus tormentis afflictus, tanti doloris impatiens, seque transverberans gladio, funestam animam exhalavit. Herodes autem apostolici ordinis persecutor et beati Jacobi interfector, cum in Cæsaream descendisset, teste Luca, in Actibus apostolorum [8], et ad populum declamaret, populusque succlamaret, quod vox Dei esset et non hominis, a Deo percussus est, et scatens vermibus exspiravit. His et aliis continue sunt afflicti, nec unquam ab eis durissima flagella Domini cessaverunt, usque ad subversionem suæ civitatis,

[4] I Cor. 1. [5] Psal. 8. [6] *In catalogo script. Eccl.* [7] Joan. 19. [8] Cap. 12.

eosque Deus quadraginta et tribus annis ad pœnitentiam misericorditer invitavit; ipsi vero nec moti sunt comminationibus, nec flagellis, sed pertinacius obdurati.

Obsessa igitur Jerusalem a Tito, Vespasiani filio, et in solemnitate Paschali cœpit obsidio, quando turba Judæorum convenerat, justoque Dei judicio tunc ab eis ultio exacta est, ut qui diebus Paschæ Salvatorem nostrum cruentis manibus et sacrilegis vocibus interemerant, eisdem diebus, quasi in unum carcerem conclusi pœnæ feralis exitium, quod meruerunt, exciperent. Concremata est civitas, murus ad solum ductus, omnique tempore obsidionis cæsa sunt innumera millia Judæorum. Captivi vero abducti sunt ad nonaginta septem millia. Nobiles et validiores triumphali pompæ reservati sunt. Per singulas autem urbes, per quas Titus remeabat, quidam captivi bestiis objiciebantur, vel aliis perimebantur suppliciis, ut ubique innotesceret civitatis desolatio, et Dei manifesta indignatio contra eos. Fessi itaque erant Romani multa cæde; et quia pauci emptores inveniebantur, triginta Judæi pro uno numismate vendebantur. Hoc est templi supremum excidium, quod factum est anno 1102, a tempore quo conditum fuerat, et hoc Christus manifeste in Evangelio prædixerat [9]. Verumtamen, antequam templum exureretur per unum annum supra ipsum cometes apparuit similitudinem gladii ferens, et significans civitatem igne et gladio devastandam. In ipsa etiam Pentecostes solemnitate nocturno tempore sacerdotes ingredientes interiora templi ut sacrificia offerrent, primum quemdam motum sese sensisse professi sunt, et demum voces angelorum audivisse clamantium: *Transeamus hinc.* Hæc frequentius deberent Judæi recolere, et implacabilem Creatoris offensam, atque incomprehensibile suæ gentis exterminium deplorare. Ipsi tamen adhuc in superbia et abusione jactitant genus suum, peculiarem Dei populum se appellant, atque ita legem Moysi magnificant, ut præ illa omnem legem, omnem prudentiam vilipendant. Porro nos, in sequentibus dantes eis uberrimam legendi materiam, omnem ipsis superbienpi causam in perpetuum præcidimus.

CAP. XXV. *Testimonia quod nova lex erat veteri præferenda.*

Quod autem reprobata lege Mosaica, lex evangelica obtinere deberet, ex multis assertionibus prophetarum manifestissime liquet. Unde Jeremias [10]: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus*, etc. Hic apertissime declaratur quod post primum testamentum, aliud erat dandum, non quale datum est patribus antiquis, quia illud carnale, istud spirituale. Ezechiel [11] de eodem: *Suscitabo tibi pactum sempiternum*, etc. Item Zacharias [12] *Confugient*, inquit, *gentes multæ ad Dominum.* Lex enim Moysi lata jam fuerat, et ne quis æstimaret longo tempore quo promisit se esse venturum, consequenter adjungit: *Prope est justus meus* [13]. Et idem: *Non dicet filius advenæ* [14], etc. Quasi dicat: Lex Moysi, quæ de Sina data est, Judæo actualis, de Sion spiritualis mihi data est Christiano, ut sit una lex et populus. Et adjungit: *Non faciet Dominus avolare* [15], etc. Ipsa lex in prophetis in quibusdam correcta est. Cum enim in principio legitur: *Fenus tollatur a fratribus;* tamen usura in Psalmo generaliter prohibetur: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* [16]. In Evangelio augmentum virtutis exprimitur. Ibi Veritas dicit: *Feneramini ab his a quibus non speratis accipere* [17], etc. Hic et nova lex insinuatur et adventus novi legislatoris exprimitur. In præcepto siquidem charitatis tota virtus legis Mosaicæ consummatur, juxta illud: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* [18]. Charitas enim, sive Evangelii latitudo, non solum ad proximos, sed ad inimicos suos affectus ostendit. De hoc Isaias [19]: *Consummatio abbreviata mundabit justitiam.* Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terræ, *quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem* [20]. Jerusalem enim quasi umbilicus terræ est, sicut Ezechiel [21] scribit, dicens: *Hæc dicit Deus: Ista est Jerusalem*, etc. A parte enim orientis est ei Asia, a partibus occidentis Europa, a meridie et austro Libya et Africa, a septentrione Armenia, Persia et Pontus. Amos [22] de eodem: *Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam.* Et Psalmista: *Constitue, Domine, legislatorem* [23], etc. Isaias [24]: *Omnes sitientes, venite ad aquas*, etc. Quasi dicat: Venite ad legem Evangelii, ut hauriatis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Si autem non habetis sapientiam vel eloquentiam hujus mundi, quæ per aurum et argentum significantur; emite tamen aquam illam, de qua Christus in Evangelio dicit: *Qui biberit aquam, quam ego* [25], etc., significans Spiritum sanctum, quem credentes accepturi erant. Non quæritur a Paulo sapientia vel eloquentia, sed dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea* [26]. Ipse est, qui dicit: *Gratia salvi facti sumus* [27]. Et Dominus ad discipulos: *Gratis accepistis, gratis date* [28]. Vinum et lac significant justitiam et innocentiam parvulorum. Insinuat igitur Isaias sectandam esse illam sapientiam, quæ non est in foliis verborum, sed in medullis et fructibus sensuum. Nec oportet et transire maria ut legem Domini scias, sed sicut in Deuteronomio [29] legitur: *Prope est verbum in ore tuo.* Nulla autem scriptura sic hominem docet, quam misera sit humana conditio, sicut lex evangelica. Reprobatio itaque veteris legis, et institutio melioris non ex iis tantum quas proposuimus pro-

[9] Luc. 19, Matth. 24. [10] Cap. 31. [11] Cap. 6. [12] Cap. 2. [13] Isa. 51. [14] Isa. 56. [15] Isa. 30. [16] Psal. 14. [17] Luc. 6. [18] Psal. 118. [19] Cap. 10. [20] Cap. 2. [21] Cap. 5. [22] Cap. 1. [23] Psal. 9. [24] Cap. 55. [25] Joan. 7. [26] II Cor. 12. [27] Ephes. 2. [28] Matth. 10. [29] Cap. 18.

phetiis apparet, sed ex ipsius facto Moysi. Cum tamen populo Israel unum Deum adorante Moyses de monte descendens tabulas digito Dei scriptas projecisset de manu sua, et confregisset [30]; rursum de mandato Domini ascendit in montem, et dedit Deus iterum legem ei in aliis tabulis ad instar priorum præcisis [31]. De ipso igitur, quod primæ tabulæ statim fractæ sunt, et secundæ tabulæ legis integræ permanserunt, apertissime figuratum est, quod Deus duas ordinaverit leges, duo constituerit Testamenta, Novum et Vetus; Vetus, quod cessaret in proximo; Novum, quod stabile permaneret. Ideo decem mandata in secundis tabulis scripta sunt, qui numerus signatur per decimam litteram, in qua figura crucis exprimitur. Hanc legem novam petebat Propheta, cum diceret: *Legem pone mihi, Domine* [32], etc. Lex equidem vetus non justificat hominem. Neminem enim duxit ad perfectum; interim autem *da mihi intellectum* [33] donec nova lex datur, ut intelligam legem quæ jam posita est, et scrutabor eam, veterem scilicet, quid in ea sit morale, quid mysticum. Si enim tantum ad litteram et non spiritualiter intelligenda est lex vetus, cur tam diligenter scrutanda esset, cum in simplicibus et idiotis pateat sententia litteralis, nisi in ea occulti et mystici sensus essent? cur peteret Propheta revelari sibi oculos cordis ad consideranda mirabilia legis? Cur ita diceret: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* [34]? Intelligebat igitur mandata legis spiritualiter intellecta vivificantia esse, propter quod dicit: *In æternum non obliviscar* [35], etc. Item efficaciam et virtutem legis spiritualis insinuat dicens: *Super omnes docentes me intellexi* [36], etc. Respondeat mihi, quæso, Judæus, quæ sapientia, quæ utilitas est distinguere in lege, quid de pectore quid de armo, quid de intestinis hodie fiat. Ubi sanguis hircorum aut arietum, ubi effundatur, ubi crementur adipes, quo deferatur funus cum corio, ubi cineres reponantur, utrum victima caudam habeat, utrum aures, utrum testiculos sectos habeat vel attritos. O quam profunda et quam necessaria est doctrina, quæ nos erudit ne comedamus crocodilos, vespertiliones, et talpas! Cum ergo appareat manifeste, quod scientia legis ad litteram, nec sapientem facit, nec vivificet animam; patet prophetam aliam legem concupiscere quæ occulta erat in veteri. Unde Ezechiel [37] vidit rotam in medio rotæ, eo quod Novum Testamentum lateat in Veteri. Lex ista declarat, quod illa promisit, et est nova lex expositio Veteris Testamenti. Cessantibus ergo figurativis moralia remanserunt, et in doctrinam Evangelii cum augmento gratiæ transfusa sunt. Unde Leo papa *In præceptis moralibus*: « Nulla, inquit, Testamenti prioris decreta reprobata sunt; sed evangelico magisterio in melius sunt adaucta.

A Perfectiora enim sunt dantia salutem, quam promittentia Salvatorem. » Utrumque igitur sensum legis, o Judæe, attendas, et videbis ad oculum, quod intellectus spiritualis delicias sapientiæ in se habet. Litteralis autem sensus tanquam cortex exterior aridus est et exsanguis. Putas observantiam Sabbati solum corporis otium continere; Christianus autem verum Sabbatum reputat ad omni opere servili, id est ab omni peccato mortali quiescere. *Qui enim facit peccatum, servus est peccati* [38]. Judæus totam circumcisionis sanctitatem et observantiam in præputatione unius membri carunculæ, id est genitalis, intelligit; Christianus circumcisionem intelligit voluntariam castigationem omnium carnalium sensuum et turpium voluptatum. Hanc spiri-
B tualem intelligentiam in figuralibus mandatis tam propheta quam lex ipsa frequenter insinuat. Quandoque enim vertitur impossibilitas in his quæ Dominus præcise jubet, et tunc ad spiritualem sensum venire oportet. Cum enim Sabbatum et circumcisio præcise observanda jubeantur a Domino, si octava dies infantis Sabbatum sit, necessitate urgente in Sabbato, sic unum præceptum legis alteri derogat, et quod sic lex intelligenda non sit, ipsa impossibilitas observantiæ probat. Quomodo enim ad litteram potest quis intelligere, quod Moyses in Deuteronomio [39] cordis circumcisionem præcipit? Dicit enim: *Circumcidite præputium cordis vestri* [40]. Cui Ezechiel consonat, dicens: *Omnis alienigena incircumcisus* [41], etc. Et illud: *Omnes gentes incircumcisæ sunt* [42], etc. Nec se per impossibilitatem
C Judæus excuset, ut dicat non se observare circumcisionem cordis, eo quod in homine vivente expleri non possit. Expleat ergo in aliis membris, in quibus circumcisio fieri potest. Audiant Jeremiam prophetam [43]: *Ecce populus hic incircumcisus est auribus*. Super quem locum Origenes dicit: « Cur, inquit, hæc audientes non incidunt aures suas? Quod circumcidantur in auribus volo: eos enim ad nostras allegorias fugere non permitto. » Item Moyses in Exodo [44], tanquam indignus mitti a Domino se excusans: *Ego* inquit, *incircumcisus sum labiis*. Minus est dignus, teste Moyse, labiis incircumcisus. Ergo dignior est labiis circumcisus. Circumcidant ergo aures et labia ferro. Hoc enim impossibile non est, quamvis turpe. Audiat igitur
D Christianus, quod Paulus apostolus peritissimus in utraque lege dicat de circumcisione: *Nos sumus*, ait, *circumcisio, quoniam Spiritu Deo servimus, et non in carne fiduciam habemus* [45]. Et idem: *Non enim qui in manifesto Judæus est* [46], etc. Ille ergo spiritualiter et plene circumcisus est, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem; qui claudit oculos suos, ne videat malum; qui ponit custodiam ori suo ne delinquat in lingua sua; qui pro Christo

[30] Exod. 32. [31] Exod. 34. [32] Psal. 118. [33] Ibid. [34] Ibid. [35] Ibid. [36] Ibid. [37] Cap. 1. [38] Joan. 1. [39] Cap. 9 et 30. [40] Jer. 4. [41] Ezech. 44. [42] Ibid. [43] Cap. 6. [44] Cap. 6. [45] Phil. 3. [46] Rom. 2.

abstinet, ne gravetur cor ejus ebrietate aut crapula [47]; qui lavat inter innocentes manus suas; qui ab omni via mala prohibet pedes suos; qui castigat corpus suum et in servitutem redigit [48]; qui cor suum servat omni custodia, quia ex ipso vita procedit. Ne mireris, o Judæe, si nos, quibus veritas de terra orta est, aliqua quæ in lege tua sunt ad litteram omittimus, cum patres etiam tui quædam, quæ ab ipso Deo fuerant instituta, destruxerint. Nam circumcisio, quam Deus per Moysen districtissime præceperat, diu intermissa est. Unde in Josue [49] legitur: *Populos, qui natus est in deserto*, etc. Observatio quoque Sabbati, quod de mandatis maximis erat tempore Machalæorum [50], ab omnibus violata est, et omissa. Altare etiam holocaustomatum quod, Domino præcipiente, factum fuerat, a Judæis, eodem tempore est destructum. Sanctus etiam rex Ezechias serpentem æneum [51], quem ad præceptum Domini Moyses erexerat in deserto, confregit. Post apertam Judæorum reprobationem et vocationem gentium, post abolitionem legalium cœremoniarum, post suæ civitatis excidium, post exterminium templi et sacrificiorum, post eorum dispersionem, post iram Dei manifeste implacabilem contra eos, adhuc Judæi et in superbia et in abusione gloriantur, et se præ omni gente magnificant dicentes, quod Dominus eos appellat filium suum et primogenitum suum, quod eos miraculose de Ægypto eduxit [52]; quod eis terram gentium dedit [53], et similia. Sed quod gloria eorum sit in abusione ex ipsorum testimoniis patet. Dominus in Isaia [54] dicit: *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Deus inde conqueritur, unde miseri gloriantur. Attende hunc populum, non appellari unigenitum, qui excludat fratres cæteros, sed primogenitum ut ostendat secuturos. Sciat etiam Judæus quod juxta mysterium Scripturarum, non primogeniti accipiunt hæreditatem, sed secundi. Primogenitus fuit Cain; sed Abel munera Deo placuerunt [55] Primogenitus Ismael, sed Isaac accepit hæreditatem [56]. Primogenitus Esau, sed benedictionem patris Jacob supplantator eripuit [57]. Primogenitus Ruben, sed tamen benedictio seminis transfertur ad Judam [58]. Itaque illi juxta vocationis ordinem primi fuerunt, et appellabantur caput. Nos secundi, qui dicebamur cauda, versi sumus in caput, et appellamur filii Dei. *Quotquot* enim susceperunt *eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* [59]. In eo autem quod gloriantur, quia eduxit eos Dominus de Ægypto [60], et pro amore eorum gentes expulit, et regiones gentium dedit eis: sciant, quia contra Amos prophetam, imo contra ipsum Moysen mentiuntur, sicut enim Judæos, sic et multos alios populos Dominus de regionibus transtulit; nec eos in terra promissionis propter merita sua, sed propter peccata gentium introduxit. Audiant ergo Dominum in Amos propheta [61] dicentem: *Nunquid non ut filii Æthiopum*, etc. Et Moyses in Deuteronomio [62]: *Ne dicas in corde tuo cum deleverit*, etc. Hæc sunt verba Moysis, ei respondeant, et non mihi.

CAP. XXVI. *Testimonia de baptismo.*

Ad abstinentiam vitiorum virtutumve custodiam pertinet in veteri lege summa omnium figuralium mandatorum. Novæ autem legis in animarum sanctificationem duo sunt principalia sacramenta, baptismus et eucharistia; quæ sunt in Veteri Testamento multipliciter præfigurata. Zacharias [63] de baptismo sic ait: *In die illa exhibunt aquæ vivæ de Jerusalem*, etc. Per Orientem, significatur populus circumcisionis; per Occidentem populus gentilis, de quibus Dominus in Evangelio dicit: *Venient autem ab Oriente* [64], etc. Æstas et hiems sunt prosperitas et adversitas, in quibus solemnitas baptismi non cessat. Quando exierunt aquæ illæ de Jerusalem vel quando exhibunt? Et cum ille nihil certum respondeat, baptismales aquas de Jerusalem exivisse intelligit. Ab illis enim partibus ad nos baptismi gratia emanavit. Isaias [65]: *Lavamini, mundi estote*. Et idem. *Cum abluerit Dominus sordes filiarum Sion* [66], etc. Sanguinem Jerusalem vocat superbiam, et contemptum Judæorum clamantium: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* [67]. Quod leve est lavatur, quod grave exuritur. Unde Joannes Baptista in Evangelio: *Ego vos baptizo in qua* [68], etc. Zacharias [69] de eodem: *In die illa erit fons*, etc. Hieronymus de hoc fonte, qui egreditur de domo David: In Ezechiele [70] propheta scribitur, quod erumpat fons de domo Domini, et crescat in fluvium, qui appellatur remissionis et indulgentiæ, et pergat ad solitudinem et ad mare, quod nunc vocatur Mortuum, piscesque omnes vivificet. Ex omnibus istis patet, quod de domo David, de terra scilicet Hierosolymorum baptismus incœpit. Quæ est aqua quæ vadit ad mare Mortuum et quæ omnes pisces vivificat, nisi aqua baptismi in quo vivificantur in peccato mortui? Joannes Baptista catechizavit in monte futuri vel venturi [71]. Homo autem veniens baptizavit, baptizaverunt et sui. Hæc domus in Ezechiele [72] domus Domini Dei, in Zacharia [73] domus David appellatur. Ipsa est Ecclesia Christi. Ezechiel [74]: *Cumque me vertissem, ecce in ripa*, etc. Hæ sunt arbores quæ *secus decursus aquarum* faciunt *fructum in tempore suo* [75]. Certum est autem peccata plenissime in baptismo remitti. Idem Psalmista: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* [76], etc.

[47] Luc. 21. [48] I Cor. 9. [49] Cap. 5. [50] I Mach. 1. [51] IV Reg. 18. [52] Exod. 4. [53] Luc. 13. [54] Cap. 1. [55] Gen. 4. [56] Gen. 16 et 21. [57] Gen. 27. [58] Gen. 49. [59] Joan. 1. [60] Exod. 4. [61] Cap. 9. [62] Cap. 9. [63] Cap. 14. [64] Matth. 8. [65] Cap. 1. [66] Isa. 4. [67] Matth. 27. [68] Luc. 3. [69] Cap. 13. [70] Cap. 47. [71] Luc. 3. [72] Cap. 43. [73] Cap. 13. [74] Cap. 47. [75] Psal. 1. [76] Psal. 45.

id est Ecclesiam suam per baptismum. Et idem : *Deus majestatis intonuit super aquas multas* [77]. Intonuit quando super Christum baptizatum vox Patris audita est : *Hic est filius meus dilectu* [78]. Mundus in diluvio purgatus est [79], et præsignatus est in eo baptismus. In transitu maris Rubri charitas aucta est, et fides confirmata in populo Dei, et persequentium multitudo subversa [80]; in quo patet in baptismo per gratiam remissio peccatorum. In veteri lege [81] per aquas fides matrimonii servati aut læsi probata est. Moyses pulverem vituli aurei misit in aquam, et per potum illius principes idololatriæ comprehendit [82]. In Hierosolymis erat piscina probatica, quam iu ingrediebatur post motionem aquæ primus, sanabatur [83]. Crediderunt etiam Judæi, et adhuc credunt sibi per aquam frigidam peccata dimitti. Unde et ipsi solent in multis baptismatibus exerceri. Nec sine mirabili sacramento Deus super firmamentum aquas constituit [84], extunc judicans, quod quandoque mundo aliquid supercœlestis gratiæ deberet infundi.

CAP. XXVI. *De sacramento altaris.*

Cœlesti providentia dispensante, mirabiliter habuit hominum communis opinio ut in sacrificiorum virtute confideret, futuræque religioni serviret. Erat autem præcipuum in lege [85] Domini sacrificium agnus paschalis, qui non solum mactari, sed et manducari præcipiebatur, ad significandum, quod nobis semetipsum daturus erat in pretium et cibum, ad figurandum etiam gratiam liberatoris et misericordiam redemptoris, qui hominem perditum morte sua a peccato et mortis debito liberavit. In sacramento autem altaris vita æterna est, ut impossibile sit digne participantes æternaliter mori. Hujus sacramenti quasi sacramenta fuerunt panis et vinum a Melchisedech rege et sacerdote oblata [86], atque in pane et vino hoc sacrificium celebratur, Christo instituente, qui est *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* [87]. Licet hoc autem sacramentum fuerit in sacrificio Isaac figuratum, aliorumque justorum sacrificiis, oblatio tamen Melchisedech illud expressius figuravit. Quod si Judæus obgrunniat dicens : Melchisedech dedisse panem et vinum Abrahæ in refectionem illius, non ut Deo sacrificium offerret; audiat Genesis lectionem, ubi post oblationem panis a Melchisedech factam, statim subjungitur : *Erat enim sacerdos Dei altissimi* [88]. Hæc enim in refectionem ferre potuisset, etsi sacerdos non esset. Sed in eo sacerdotis officium declaratur, cujus est sacrificare, benedicere et decimas accipere [89]. Figuravit lex sacramentum in pane, et agno, et manna. Panis enim de terra nascitur juxta illud : *Ut educas panem de terra* [90]. Et : *Veritas* Christus *de terra orta est* [91]. Agnus immolatus est Chri-

A stus, teste Isaia [92] : *Sicut agnus ad occisionem ductus est.* Manna de cœlo descendit [93]. Et Christus dicit : *Descendi a Patre, et veni in mundum* [94]. Manna non est susceptum a Judæis in ea veneratione quam decuit [95]. Christus etiam *in propria venit, et sui eum non receperunt* [96].

CAP. XXVIII. *De translatione legis ad gentes, et reprobatione Judæorum.*

Quanta sit excæcatio Judæorum superius ex parte tetigimus, sed quare pertinacius se obdurant, ita ut iniquitas eorum inveniatur ad odium, quædam prælibata recurrimus, ut miseram eorum excæcationem plenius intimemus. Loquitur Dominus ad Isaiam, dicens : *Excæca cor populi hujus* [97], etc. Isaias [98] de eodem : *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis*, etc. Sicut enim Christus in Evangelio dicit :
B *Ego veni in judicium* [99], etc. id est Judæi cæcitatem incurrant, ut gentium populus vocetur ad lucem. Judæis ergo signatus est liber cujus signacula in Apocalypsi [100] solvit *leo de tribu Juda.* Per hunc librum sacræ Scripturæ universitas designatur. Hic est liber, qui in Ezechiele [1] intus et foris, id est spiritualiter et litteraliter scriptus erat. De quo in Psalmo legitur : *In capite libri scriptum est de me* [2]. Vides apertissime, o Judæe, quod a te, qui litteratus eras, ablata est lex et data est populo gentium, qui legem nesciebant, quia legem ignorabant. Exsecrationem et reprobationem Judæorum Dominus per Jeremiam insinuat dicens : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam* [3], etc. Quod populum Israel vocat dilectam animam suam, idem est quod
C alibi dicitur : *Peccavit anima tua Deus* [4]. Cum Dominus alibi dicat : *Hæreditas mea Israel* [5]. Hic dicit se dimisisse hanc hæreditatem et odisse eam, quia dedit vocem suam contra eum, dum clamabat : *Crucifige, crucifige eum* [6]. Idem de eodem : *Dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses* [7], etc. Attende quod tanta est ira et aversio Dei contra Judæos, ut Moyses et Samuel, familiares amici Dei, non possint reconciliare illos. Dicant ergo mihi quos reconciliatores habituri sint? Forsitan deos suos, quos in Deuteronomio [8] Moyses improperat eis dicens : *Ubi sunt dii vestri*, etc. Amos [9] de eodem : *Audite verbum istud* etc. Hæc sententia Dei præcisa est, et spem retributionis aliquam non admittit. Reprobationem Judaicæ gentis et reprobationis causam Moyses in
D Deuteronomio [10], protestatur dicens : *Memento*, etc. In eodem : *Vos vidistis universa quæ fecit Dominus* [11], etc. Si intelligis, intelligentiam non habuerunt, quando Moyses erat cum eis. Dicat mihi Judæus, sub quo dube, vel quando data est eis intelligentia legis ? Irremediabilem eorum plagam indicans Isaias [12] : *Non est*, inquit, *circumligata neque curata medicamine, neque fota oleo.* Desolationem quoque

[77] Psal. 28. [78] Matth. 17. [79] Gen. 7. [80] Exod. 13. [81] Lev. 15. [82] Exod. 32. [83] Joan. 5. [84] Gen. 1. [85] Exod. 12. [86] Gen. 14. [87] Psal. 109. [88] Gen. 14. [89] Exod. 12 et 16. [90] Psal. 103. [91] Psal. 84. [92] Cap. 53. [93] Exod. 16 [94] Joan. 16. [95] Num. 11. [96] Joan. 1. [97] Isa. 6. [98] Cap. 29. [99] Marc. 4, Joan. 9. [100] Cap. 5. [1] Cap. 2. [2] Psal. 39. [3] Jer. 12. [4] Habac. 2. [5] Isa. 19. [6] Joan. 19. [7] Jer. 15. [8] Cap. 32. [9] Cap. 5. [10] Cap. 9. [11] Deut. 29. [12] Cap. 1.

Judaicæ gentis perpetuam metaphorice idem propheta describit, per vineam, quæ debuit uvas facere *et fecit labruscas*, cujus sepem Deus abstulit, ut spinas et vepres germinaret [13]. *Mandavit* itaque *nubibus desuper* [14], id est prophetis, ne pluerent super eam. Pluviam voluntariam abstulit eis Deus [15], gratiam scilicet bonæ voluntatis, et rorem misericordiæ suæ, ut sint sicut montes Gelboe, super quos nec ros, nec pluvia cadit [16]. Idem de reprobatione Judæorum, et conversione gentium: *Liga testimonia, signa legem in discipulis meis* [17], etc. Liga et signa testimonia legis a Judæis, ut non intelligant; et assigna eam discipulis Christi. Jeremias [18] de irreparabili desolatione Judæorum dicit: *Conteres lagunculam in oculis virorum*, etc. Ecce plaga sine remedio. Idem: *Propterea ecce ego tollam vos portans* [19], etc. Non solum a Christianis, sed etiam a paganis, Judæis improperatur quod occiderunt Dominum Deum suum. Psalmus de eodem: *Fiat habitatio eorum deserta* [20]. Amos [21] propheta de eodem: *In die illa deficient virgines pulchræ*, etc. Idem Isaias de causa reprobationis Judæorum: *Quis est liber repudii matris vestræ* [22], etc. Prius dixerat: *Sion dereliquit me, Dominus oblitus est mei* [23]. Sed quod suo vitio derelicta sit Dominus manifestat, quia scilicet eum sequi et audire noluit, et vertit ei humerum recedentem. Unde ad ipsam loquitur, dicens: *Erudiet te abscessio tua* [24], etc. Item: *Audite domus Jacob, qui vocamini in nomine Israel* [25], etc. Ecce filii Israelitæ carne, non spiritu. Idem de eodem: *Nunquid non vos filii scelesti, semen mendax* [26], etc. Hoc est crimen pessimum de quo Judæi traducuntur, arguuntur frequentius, et etiam damnantur, quia Christianorum parvulos abducunt et in abditis crucifigunt.

CAP. XXIX. *De vocatione gentium ad fidem.*

Quod reprobatis Judæis gentes converterentur ad Christum Isaias [27] prophetaverat, dicens: *Lauda sterilis, quæ non paris*, etc. Gentilitas sterilis erat, Synagoga vero fecunda in sobole. Unde et Isaias [28]: *Lætabitur deserta*, etc. Et ut aperte ostendat quod Christi adventus hoc faceret, addit: *Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri* [29]. Dicit Hieronymus per Libanum intelligi templum. Unde et Zacharias [30]: *Aperi, Libane, portas tuas.* Et in Ezechiele [31]: *Aquila magnarum alarum plena*, etc. Nabuchodonosor gazas templi. Carmelus mons uberrimus est, in uno significatur fecunditas Synagogæ. Saron interpretatur *campestria* vel *deserta*, et significatur gentilitatis sterilitas. Item Isaias [32]: *In die illa erit altare*, etc. Hic aperte habes prophetatum, quod in gentibus Christi nomen fuerat invocandum.

Malachias [33]: *Non est voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens*, etc. Isaias [34] de eodem: *Ecce accola veniet*, etc. In Malachia reprobatio Judaicæ gentis et sacrificiorum ejus aperta est. In Zacharia vocatio gentium patet. Isaias [35]: *Vos clamantis in deserto*, etc. Scilicet verbum Dei, et incarnationem Dei manifeste declarat. Ac si dicat: Videbit omnis caro Salutare Dei nostri [36]. Adhuc in hujus rei figuram subjungitur a Domino in eodem propheta: *Non memineritis priorum* [37]. etc. per quos significantur gentes quadam bestiali crudelitate viventes; quod quasi exponendo subjungit: *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit* [38]. Item in Isaia [39]: *Tempore accepto, exaudivi te*, etc. Aperta sunt verba Patris ad Filium qui missus est; sicut alibi in eodem propheta dicitur [40], dare clausis apertionem, captivis indulgentiam, cæcis illuminationem. Hæc Apostolus ad primum Christi adventum refert, et nos cum eo pariter referamus. Pater gentes Filio suo in hæreditatem dedit, easque Filius sua morte promeruit. Ideo in Isaia [41] loquitur Pater dicens: *Ideo dispertiam ei plurimos*, etc. Quod Christus esset dux et præceptor gentium apertius ostendit, in quo Pater loquitur de Filio dicens: *Ecce testem populi dedi eum* [42], etc. Et in eodem: *Quæsierunt me, qui ante* [43], etc. Centurio gentilis Deum non quærebat, et audire meruit a Domino: *Non inveni tantam fidem in Israel* [44]. Item de festina et repentina multiplicatione, ecce loquens et admirans Isaias [45]: *Antequam enim parturiret, peperit*, etc. Abraham, Isaac et Jacob et cæteri patriarchæ per longa temporum intervalla creverunt in generationibus suis. Populus autem Christi multiplicatus est inæstimabiliter subito et in tempore brevi. Cœperunt apostoli prædicare Jesum Christum sine mora. *Et in omnem terram exivit sonus eorum* [46], etc. Singulis fere diebus multa millia baptizabantur, et in adoptionem filiorum Dei per matrem innocentiæ gratiam populi nascebantur [47]. Isaias [48]: *Paravit Dominus brachium suum*, etc. Et in eodem: *Convertimini ad me ab extremis terræ* [49]. Et Psalmista. *Reminiscentur, et convertentur* [50], etc. Isaias [51]: *Percutiet Dominus Ægyptum*, etc. Item Isaias [52]: *In die illa erit Israel*, etc. Ecce translata est benedictio Dei ab Israel in Assyrium et Ægyptum. Idem: *Nonne adhuc in modico* [53], etc.

Respondeant Judæi, dicit Hieronymus [54], quomodo Libanus mons Phœnices versus sit atque translatus in montem Carmelum, qui Hebraice dicitur *Chermel;* et est in confinio Palestinæ atque Phœnicis imminens Ptolomaidi, et quomodo Charmel reputetur in saltum? quod cum dicere non possint,

[13] Isa. 5. [14] Psal. 77. [15] Psal. 65. [16] II Reg. 1. [17] Isa. 8. [18] Cap. 19. [19] Jer. 23. [20] Psal. 11. [21] Cap. 8. [22] Isa. 49. [23] Ibid. [24] Jer. 2. [25] Isa. 48. [26] Isa. 57. [27] Cap. 54. [28] Cap. 35. [29] Ibid. [30] Cap. 11. [31] Cap. 17. [32] Cap. 19. [33] Cap. 1. [34] Cap. 54. [35] Cap. 40. [36] Isa. 52. [37] Isa. 43. [38] Ibid. [39] Cap. 49. [40] Cap. 42. [41] Cap. 53. [42] Ibid. [43] Isa. 65. [44] Matth. 8. [45] Cap. 66. [46] Psal. 18. [47] Rom. 18. [48] Cap. 52. [49] Cap. 45. [50] Psal. 21. [51] Cap. 19. [52] Ibid. [53] Isa. 29. [54] L. 9. *Comment. in Isa.*

audiant Libanum, qui interpretatur *candidatio*, signare populum gentium, qui lotus in baptismo, est candidatus in Christo. Propterea dicit Psalmista : *Omnes gentes, plaudite manibus* [55], etc. Et idem : *Confitebor tibi, in populis, Domine* [56]. In his et multis similibus pro conversione gentium exhibetur Domino a prophetis multiplex actio gratiarum. Quod primitiæ Israel converterentur ad Dominum prophetæ prædixerant [57], et ad hoc Dominus specialiter venit. Hac testatur in Zacharia [58] Dominus dicens : *Lauda et lætare, Sion*, etc. Qui per Dominum Deum mittentem, et Deum missum possunt intelligi, nisi Pater et Filius? Isaias [59] : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant*, etc. Idem de Ecclesia congregata et gentibus : *Pro eo quid fuisti derelicta* [60], etc. Item Isaias [61] : *Annuntiabunt gloriam meam gentibus*, etc. Item Zacharias [62] : *Ecce salvabo populum meum de terra Orientis*, etc. Quod Isaias [63] insinuans ait ad Judæos *Dimittetis nomen vestrum in juramento electis meis*, etc. Super hunc locum Hieronymus : « Paulus dicit : *Non qui ex Israelitis sunt Israel, et qui semen Abraham, omnes filii* [64]. Ad quod Christus in Evangelio : *Si filii essetis Abrahæ, opera ejus faceretis* [65]. Non ergo jam ex Juda Judæus, sed a Christo dicitur Christianus. Nec jam juratur in idolis, sed in Deo. Et hæc sententia per, Amen, quasi per signaculum confirmatur. »

CAP. XXX. *Testimonia prophetarum quod reliquiæ Israel convertentur et salvabuntur.*

Isaias [66] : *In veritate reliquiæ convertentur*, etc. Hoc est quod dicit Apostolus ad Romanos [67] plenam salvationem futuram esse sub Christo. Item Isaias [68] ad easdem reliquias : *Dominum exercituum ipsum sanctificate*, etc. Prius missus est Jesus *ad oves quæ perierunt domus Israel* [69], sed reprobata ab eis prædicatione salutis, apostoli transierunt ad gentes ; quædam tamen Judæorum primitiæ præcesserunt [70]. Restat ergo ingrediatur ad finem plenitudo gentium, et postea reliquiæ Judæorum, et *erunt novissimi primi, et primi novissimi* [71]. Item quod reliquiæ salvandæ sunt, plenius aperit Isaias [72], dicens : *In die illa gloria Jacob*, etc. Hieronymus : « Pro *Valle Ephraim* Septuaginta *vallem duram* interpretati sunt ut Judaici cordis duritiam exprimerent de quibus tamen pauci humiles eligentur. » Item aperit manifeste confusionem reproborum Judæorum sanctificatione et gloria, qui ad fidem convertendi sunt. *Non modo*, inquit, *confundetur Jacob* [73], etc. Hoc assidue videmus impleri, Judæi convertuntur ad fidem, et alii dolore intabescunt, atque conversos despiciunt et abjiciunt ; sed Isaias consolatur eos dicens : *Au-*

A *dite verbum Domini* [74], etc. Consolatur iterum Isaias reliquias Israel quasi plangentes, quod Deus dereliquisset eos. Verba itaque reliquiarum sunt : *Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei* [75]. Cui respondet Dominus, dicens : *Si potest mater oblivisci filii uteri sui* [76], etc... Simile est illud Isaiæ. Vox eorum qui ad pœnitentiam convertuntur : *Abraham nescivit nos* [77], etc. Quasi dicat : Abraham et Jacob, qui cognoverunt Deum, non recognoscunt nos filios, quia displicemus Deo. Rursus de reliquiis in fine salvandis legitur in Deuteronomio [78] : *Dixit Moyses ad populum Israel*, etc. Et notandum est, quod ex quo nondum convertuntur ad Dominum, nondum ei accepti sunt. Item Isaias [79] : *Consurge, consurge, induere fortitudine*, etc. Non solum ad Je-

B rusalem propheta loquitur, sed ad Judæos ubicunque dispersos. Jeremias [80] de eodem : *Convertimini filii*, etc. In his verbis apertissime habes, quod arca testamenti, in qua lex erat reposita, abolesceret ; novique doctores legem aliter docerent, quam veteres docuissent. Idem de eodem : *Ego congregabo reliquias gregis mei* [81], etc. In Osee manifeste distinguitur, quas tribus reprobaverit Deus, et cujus reliquias salvaturus sit. Ait enim idem propheta : *Et concepit adhuc et peperit filiam* [82], etc. Sane decem tribus usque hodie Persarum regibus serviunt, et nullo unquam tempore solvenda est eorum captivitas. Domui autem Juda misericordiam pollicetur ; et dicit quod salvabit eos in Domino Deo suo. Item Isaias [83] de eodem : *In die illa adjiciet Dominus secundo manum*, etc. Ezechiel [84] de eodem : *Salvabo*

C *gregem meum*, etc. Hieronymus : « Hic est qui in Evangelio dicit de se : *Ego sum Pastor bonus* [85], natus de stirpe David. David enim mortuus erat, quando propheta hæc dicebat. » Psalmista : *Convertentur ad vesperam* [86], etc. Judæi enim conversi in vesperam mundi, verbumque Dei esurientes, latrabunt contra perfidos, et circuibunt civitatem, id est Ecclesiam, ut eam muniant et defendant. Item Isaias [87] de eodem : *Hæc dicit Dominus*, etc. Credimus enim, quod et de aliis tribubus, quam de Juda multi salvandi sunt. Paulus enim apostolus dicit : *Nunquid repulit Dominus populum suum* [88], etc.

CAP. XXXI. *Testimonia prophetarum de glorioso statu Ecclesiæ.*

D Notandum autem prophetas multa prædixisse de Ecclesiæ statu, quæ nec primo, nec secundo, nec tertio templo, quod Judæi somniant et exspectant, possunt congrue coaptari. Salomon in tertio Regum [89] protestatur, templum quod ædificaverat, non esse habitaculum Dei, ait enim : *Ergone putandum est, quod verus Deus*, etc. Quod autem templum manu-

[55] Psal. 40. [56] Psal. 32. [57] Isa. 10, Jer. 3. [58] Cap. 2. [59] Cap. 69. [60] Ibid. [61] Cap. 66. [62] Cap. 8. [63] Cap. 65. [64] Rom. 9. [65] Joan. 8. [66] Cap. 10. [67] Rom. 10 et 11. [68] Cap. 8. [69] Matth. 15. [70] Act. 13. [71] Matth. 20. [72] Cap. 17. [73] Isa. 29. [74] Isa. 66. [75] Isa. 49. [76] Isa. 63. [77] Ibid. [78] Cap. 4. [79] Cap. 52. [80] Cap. 3. [81] Jer. 23. [82] Ose. 1. [83] Cap. 11. [84] Cap. 33. [85] Joan. 10. [86] Psal. 58. [87] Cap. 65. [88] Rom. 11. [89] Cap. 48.

factum non sit Deo dignum habitaculum, Dominus A quasi indignando per Isaiam [90] ostendit, dicens : *Quæ est ista domus quam*, etc. Quasi dicat : Non in ædificiis ; sed in puris conscientiis habito, et congregationibus sanctis. Ille, qui, juxta prophetam [91], continet cœlum psalmo et terram pugillo, cui cœlum thronus est et in terra scabellum pedum, loco non clauditur, sed habitat in anima justi, et requiescit super humilem et mansuetum et trementem ad verba ejus. Isaias ad primitivam Ecclesiam de ædificatoribus ejus : *Leva*, inquit, *oculos tuos et vide* [92], etc. Descendente enim Spiritu sancto, cœpit ædificari Ecclesia Dei. Et sicut in Actibus apostolorum [93] legimus, erant in Jerusalem congregati de universo orbe terrarum, a quibus prius per apostolos susceptum est verbum Dei. Isaias [94] in persona Ecclesiæ : B *Gaudens gaudebo in Domino*, etc. Item Isaias [95] : *Et vocabuntur in ea fortes justitiæ*, etc. Hæc ædificatio est de fide Christi. Isaias [96] de Ecclesia Dei : *Vinea facta est electo meo in cornu olei*, id est in regno misericordiæ Dei. Cornu enim ubique fere in sacro eloquio significat regnum aut virtutem, ut in Psalmo : *Inimicos nostros ventilabimus cornu* [97], etc. Et multa in hunc modum, Isaias de ædificatione Ecclesiæ loquens, eam præferens templo, per similitudinem metallorum et lapidum meliores esse ostendit pastores Ecclesiæ, quam magistratus et doctores templi. Prosequitur dicens : *Et ædificabunt filii peregrinorum* [98], etc. Hæc, o Judæe, templo et civitati tuæ convenire non possunt ; sed videmus hodie reges terræ, et ipsos Cæsares jugo Christi colla sub- C mittere, publicis expensis ædificare ecclesias, promulgare leges adversus hæreticos et persecutores Ecclesiæ. Nullus a fide repellitur, nullusque qui credere velit a sinu matris Ecclesiæ prohibetur. Item Isaias [99] : *Pro ære afferam aurum*, etc. Item Isaias [100] ad Ecclesiam per apostolos congregatam : *Ecce in manibus meis descripsi te*, etc. Septuaginta aliam litteram ponunt, hanc scilicet : *Cito ædificaberis, a quibus destructa fueras*. Ob culpam Judæorum structa est, et a Judæis apostolis reædificata est. Item Isaias ad Ecclesiam de gentibus ne de veteris idololatriæ erroribus erubescat, quia Dominus ejus redemit eam : *Noli*, inquit, *timere, quia non* [1], etc. Et quia primitiva Ecclesia multis persecutionum pressuris opprimenda erat, eam consolatur Isaias [2], et ait : *Paupercula tempestate convulsa absque ulla consola-* D *tione*, etc. Attende, o Judæe, quam aperte propheta te a litterali sensu removet. Cum enim prius dixerit, quod prius fundaretur civitas in sapphiris, statim exponens, de quibus lapidibus intelligat, scilicet de virtutibus, dicit quod filii ejus doceantur, non ab homine, sed a Deo, et in justitia civitas illa fundetur. Idem ad primitivam Ecclesiam : *Surge, illuminare Jerusalem* [3], etc. Ecclesia quæ in Synagoga ceciderat, tunc orta est ; quando, qui eam ædificavit natus est in illa civitate, de qua *gloriosa dicta sunt, et ipse fundavit eam Altissimus* [4].

Cap. XXXII. *Manifestæ auctoritates, quod Scripturæ ad litteram non possunt intelligi.*

Inter omnia dona et bona, quæ habemus a Deo, gratior et acceptior ei fides est, quæ per dilectionem operatur. Ipse adeo dilexit nos, ut animam suam daret pro nobis in mortem [5]. Mutua ergo dilectio, sive charitas inter hominem et Deum præ cunctis virtutibus summam et præcipuam obtinet dignitatem. Tractat autem Salomon in Canticis suis de hac intima charitate inter Deum et hominem, inter Christum et Ecclesiam. Unde et librum illum propter eminentiam charitatis appellavit Cantica canticorum. Cum ergo Christianus in verbis, quibus utitur sponsus ad sponsam, Christus ad Ecclesiam, vel ipse e diverso ad eum, de medulla spiritualis intelligentiæ suavissimos gratiæ fructus, et quasdam delicias sancti amoris eliciat ; dicat mihi Judæus, qui sensum sequitur litteralem, quod hic intelligat, cum ad litteram nihil nisi lenocinia amatorum, atque verba et sensus extraordinariæ voluptatis inveniat. Et ut ad manum tibi, o Christiane, verba libri illius occurrant, quædam de ipso deduco in medium, quibus Judæum apertissimæ temeritatis arguas, qui in talibus studet, atque cum eo litteralem aut potius meretricalem destruas intellectum *Osculatur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* [6], etc. O vere fatua descriptio mulieris, ut sint oculi ejus, sicut oculi columbarum, vel sicut piscina in Hesebon, capilli sicut grex *caprarum*, *dentes* autem *sicut* grex *tonsarum*, *genæ* sicut turturis, et sicut fragmenta *mali Punici*, collum sicut turris David, nasus sicut turris in Libano, labia sicut vitta coccinea, venter et ubera sicut crater hinnulique caprarum [7], et multa similia in hunc modum. Hic saltem litterarum suarum erubescat Judæus, et sciat quod *littera occidit, spiritus autem vivificat* [8]. Sciendum igitur quod sicut Paulus apostolus de antiquis testatur Patribus : *Omnia in figura contingebant eis* [9]. Unde etiam actus eorum verba et itinera, consolationes et flagella, cæremoniæ et sacrificia, miracula etiam quæ fiebant, omnium quoque patriarcharum et prophetarum nomina hodie nostræ utilitati obsequuntur. Nihilominus etiam titulos Psalmorum Esdras propheta, nos ad spiritualem intelligentiam trahens, sancto Spiritu revelante sic Psalmis apposuit, ut frequenter, quamvis aliquando in titulo tangatur historia ; non historia tamen, sed historiæ significatio tractetur, quod in Psalmis quamplurimis tua experietur inspectio.

Cap. XXXIII. *Testimonia de adventu Antichristi.*

Illud autem ad cumulum Judaicæ damnationis ac-

[90] Cap. 66. [91] Isa. 40. [92] Isa. 60. [93] Cap. 2. [94] Cap. 61. [95] Cap. 58. [96] Cap. 5. [97] Psal. 43. [98] Isa. 60. [99] Ibid. [100] Isa. 50. [1] Isa. 64. [2] Cap. 54. [3] Isa. 60. [4] Psal. 85. [5] II Joan. 3. [6] Cant. 1. [7] Cant. 7. [8] II Cor. 3. [9] I Cor. 10.

cedit, quod qui in salutem suam noluerunt accipere Christum, in suæ mortis discrimen recipient Antichristum. Sic enim eis Dominus in Evangelio prophetavit, dicens: *Ego veni in nomine Patris mei* [10], etc., insinuans Antichristum. De adventu vero Antichristi, in quo Judæi Messiam exspectant, Zacharias [11] prophetat, et dicit: *Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi*, etc. In Daniele [12] propheta et Evangelio [13], et Epistola Pauli ad Thessalonicenses [14] Antichristus abominatio desolationis, et sessurus in templo Domini prophetatur, et exhibiturus se ut Deum. Psalmista tam de ejus potentia quam de ipsius perditione prædixit: *Cadet cum dominatus fuerit pauperum* [15], etc. Daniel [16] de eodem: *Judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat.*

CAP. XXXIV. *Testimonia prophetarum de novissimo Christi adventu in generali resurrectione.*

De novissimo Christi adventu et communi hominum resurrectione Vetus et Novum Testamentum multa veritatis testimonia introducunt. Unde beatus Job [17]: *Scio quod Redemptor meus vivit*, etc. Quisquis ergo virtutem resurrectionis abnegat, verba viri fidelis, sed adhuc tamen gentilis, erubescat et penset, quam terribili pœna sit cœlitus feriendus, si adhuc non credit suam, qui resurrectionem Domini Jesu sperabat adhuc esse futuram. Credendum ergo est quod non in aereo corpore, vel alterius naturæ substantia resurget homo, non enim esset vera resurrectio nisi vera resurgeret caro. Quam beatus Job asserit dicens: *Et rursum circumdabor pelle mea* [18], etc. Probatur iterum resurrectio, sicut Ambrosius dicit, ratione et universitatis exemplo, testimonio rei gestæ, plurimi enim resurrexerunt. Ratio est, ut resurgat corpus. Quomodo enim vocabitur in judicium sine corpore, cui de se et contubernali suo, necesse est respondere? Vides ortus obitusque, vices diei et noctis, in quibus quotidianus occasus est, et rediviva successio. Fructus terræ videntur mori, cum decidunt, resurgere cum virescunt, quod seminatur moritur, et resurgens in eamdem speciem reformatur. Granum folliculo vestitur, calorque vitalis quasi animare incipiens, spicæ adolescentis ætatem format in cumulum, et pubescentem quibusdam tunicis induit, et frugem quasi a primis erumpentem cunabulis, paulatim his quæ postulat necessitas naturæ communit. Caro autem nostra modo corruptibilis induet incorruptionem et mortale immortalitatem [19]. Quid ergo miraris, si homines acceptos restituat terra, cum seminum corpora sic vivificet, vestiat et producat? Nunquid Deo cura est de frugibus et arboribus reparandis et de hominibus nulla? Quare homo substantialiter de terra factus in terram non revertatur? Nunquid in solis hominibus terra degenerat,

A quæ omnia sibi commissa regenerat? Vides quia naturale est resurgere et naturæ contrarium interire. Pone membra hominis lacerata, dispersa, combusta, in cinerem et in ventos data; nonne de tam modica et exili materia corpus illud potest reficere, qui potuit creare de nihilo universa? Ethnici quidem mentiti sunt animas de quibusdam corporibus transire in alia; sed quid difficilius est animas redire in sua corpora vel ingredi aliena? Quod autem sequitur in Job [20]: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et non alius;* sic intellige, ut sit eadem caro et non alia, sed alterata in eadem persona, scilicet alterata per gloriam; erit subtilis quia incorruptibilis; erit palpabilis, quia non mutabit es-
B sentiam veræ carnis. *Reposita est hæc spes mea in sinu meo* [21]. Nihil nos certius habere credimus, quam quod in sinu tenemus. De eodem in libro Tobiæ: *Sicut B. Job insultabant reges, ita sancto Tobiæ* [22], etc. De eodem in libro Machabæorum: *Vir fortissimus Judas collatione facta* [23], etc. Item Ezechiel [24] de eodem: *Facta est super me manus Domini*, etc. Si Judæus oblatret quod hic non resurrectio, sed Israelitici populi restitutio figuretur, et quod per resurrectionis similitudinem liberatio captivi populi ostendatur, sufficit mihi, non enim per simulata, vel similia, sed per vera rerum similitudo probatur. Cum dicimus, sicut est verum quod hic sedeo; ita verum est quod audio, necesse est ut sessio vera sit, ad hoc ut probetur auditio. Expressa similitudinis forma resurrectionem Domi-
C nus per resurrectionem populi sui probat. Ac si dicat: Putasne captivorum meorum impossibilis sit liberatio? Sicut mihi possibilis est resurrectio mortuorum, ita possibilis est mihi liberatio. Sive ergo ad generalem resurrectionem verba quæ præmissa sunt, referantur, sive per similitudinem resurrectionis ad captivitatis liberationem, habet utriusque resurrectionis irrefragabile argumentum. Et nota quod alias similitudines satis competentiores Dominus induxisse potuit. Sed modum resurgendi, et suam in resuscitando potentiam docens, nobis fidem resurrectionis plenius intimavit.

CAP. XXXV. *Testimonia prophetarum de die judicii.*

D Isaias [25]: *Ecce dies Domini insanabilis venit furoris*, etc. Et David in Psalmo canit: *Initio tu, Domine, terram fundasti* [26], etc.

CAP. XXXVI. *Testimonia prophetarum de glorificatione sanctorum.*

Isaias [27]: *Et erit lux lunæ, sicut lux solis*, etc. Item de eodem: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis* [28], etc. Item: *Non erit tibi sol ad lucendum* [29], etc. Et nota quod non dicit lumen so-

[10] Joan. 5. [11] Cap. 11. [12] Cap. 7. [13] Matth. 24. [14] II Thess. 2. [15] Psal. 10. [16] Cap. 7. [17] Cap. 19. [18] Ibid. [19] I Cor. 15. [20] Cap. 19. [21] Job 20. [22] Tob. 2. [23] II Mach. 12. [24] Cap. 37. [25] Cap. 13. [26] Psal. 105. [27] Cap. 30. [28] Isa. 25. [29] Isa. 60.

lis aut lunæ defecturum, vel cessaturum, vel quia non erit salvandis necessarium: Nam Dominus ipse lux erit ipsorum. *Sicut enim cœli novi, quæ ego facio stare* [30], etc. Sophonias [31]: *Silete a facie Domini Dei*, etc.

CAP. XXXVII. *Testimonia prophetarum de damnatione impiorum.*

Isaias [32]: *Et erit in die illa: visitabit Dominus*, etc. Hieronymus super hunc locum dicit quod hæc visitatio erit eis in malum. Idem: *Ecce Dominus in igne veniet* [33], etc. Nahum [34], de eodem: *Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt.* Sophonias [35]: *Vox Domini Dei amara, tribulabitur iste fortis. Dies illa, illa dies iræ*, etc. Psalmus: *Deus noster manifeste veniet, Deus noster* [36] etc.

CAP. XXXVIII. *Testimonia gentilium de fide.*

Ea quæ de lege Mosaica et prophetis induximus, satis sufficere credimus, ut perfida Judæorum duritia obtundatur. Possemus autem producere in medium ad assertionem nostræ fidei quorumdam testimonia Judæorum, ut Joannis Baptistæ, atque Zachariæ et Elisabeth parentum ejus, et senis Simeonis, et Annæ prophetissæ, discipulorum quoque et apostolorum Christi, qui etiam Christi passioni et ascensioni præsentialiter adfuerunt, qui etiam tam fidele quam apertum et prophetis consonum Christo perhibuerunt testimonium. Porro Judæi odio Christiani nominis non solum dicta, sed nomina etiam abominantur eorum. Ne autem viderentur gentes a divina gratia penitus alienæ, quibusdam eorum datur prophetare de Christo, ut Judæos, qui prophetis, quos recipiunt, credituri non erant, manifestæ infidelitatis arguerent. In primis Balaam, per stellam significans Christum ipsum nasciturum de Jacob magis nolens quam volens, inspirante Dei gratia, prophetavit, regnumque Moab ejus potestate devastandum. Maro etiam Mantuanus primum Christi adventum denuntians describit, dicens:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas [37].
Jam nova progenies cœlo demittitur alto [38].

Cui consonat et Zacharias dicens: *Visitavit nos Oriens ex alto* [39]. *A summo* enim cœlorum *egressus ejus* [40]. Sibylla etiam Cumana vates de utroque Christi adventu, et quibusdam fidei nostræ articulis adeo aperta et prophetis sanctis consona prophetavit, ut omnibus pateat manifestissime in ea vocationem gentium figurari. Cujus versus ad confusionem Judæorum B. Augustinus [41] introducit in sermone illo, qui sic incipit: *Vos convenio, o Judæi.*

VERSUS SIBYLLÆ VATIS.

Judicii signum tellus sudore madescet.
E cœlo rex adveniet per secla futurus,
Scilicet in carnem, præsens ut judicet orbem
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis
Celsum cum sanctis ævi jam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipse,
Cum jacet incultus densis in vepribus orbis.
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam,
Exuret terras ignis, pontumque polumque.
Inquirens tetri portas effringet Averni.
Sanctorum sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, fontes æterna flamma cremabit,
Occultos actus retegens; tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus resecabit pectora luci.
Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis jubar, et chorus interit astris.
Solvetur cœlum, lunaris splendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum,
Jam æquantur montes campis, et cærula ponti
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum, variosque labores
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Decidet e cœlis ignisque et sulphuris amnis.

Hæc de Christi nativitate, et passione, et resurrectione, atque secundo ejus adventu ita dicta sunt, ut si quis in Græco capita horum versuum discernere voluerit, inveniet, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ. Quod et Latine scribere, et sic pronuntiare possumus, *Jesus Christus Dei Filius, Salvator.* Præter hoc, quæ Græcarum litterarum proprietas in Latino non adeo poterit observari.

Operis conclusio.

Habes arma pro tuitione fidei tibi missa, caute illis utere. Judæus enim inconstans est semper et varius. Modo ait, modo negat, nunc prævaricatur litteram, nunc ad sui Messiæ, id est Antichristi tempora totam refert; et in modum patris sui diaboli se in monstruosas species sæpius transfigurat. Si ergo vis ad plenum deprehendere et exterminare versutias ejus, bibliotheca Spiritus in medio proponatur, ut ei fugere, aut tergiversari non liceat, sed ut Goliath ense proprio jugulетur [42].

[30] Isa. 66. [31] Cap. 1. [32] Cap. 24. [33] Isa. 66. [34] Cap. 1. [35] Cap. 1. [36] Psal. 49. [37] Virg. *Egl.* IV, v. 4. [38] Ibid. v. 7. [39] Luc. 1. [40] Psal. 18. [41] Lib. XVIII *De civit. Dei*, c. 23, et *in orat. contra Jud.*, c. 16. [42] I Reg. 17.

DE AMICITIA CHRISTIANA
ET
DE CHARITATE DEI ET PROXIMI
TRACTATUS DUPLEX.

PROLOGUS IN UTRUMQUE TRACTATUM.

Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum [43], et refrigescente charitate multorum [44], vix aliquis in alio integritatem fidei experitur, vix invenitur dilectio, quæ non sit quæstuaria et venalis; communi malo condolui proponens mihi aliquid scriptitare secretius ad doctrinam et exercitium diligendi. Fodi ergo mihi fontem proprium, cui non communicet alienus. De diversis enim scriptoribus quasi flores excipiens, ut mellificarem mihi plurium tam veterum quam modernorum sententias de amicitia est dilectione Dei ac proximi in unum compendiosæ lectionis involucrum coarctavi. Super quo conscientiæ meæ testimonio conglorians, thesauro, quem absconditum teneo, præfixi titulum hoc sigillo impressiore signatum : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* [45]. Securius quidem mihi est opusculum præsens in sinu meo quasi sub modio claudere, quam exponere palpebris æmulorum, et fasciculum quem inter ubera mea secretius tenere delectat [46], transferre in theatrum et derisum. Scio siquidem, quod si libellus hic quandoque evaserit in publicum, statim grunniet æmulus, et labio virulento submurmurans compilationi ascribet, quod sententias veterum jam senio caligantes, vel ambigui intellectus intricatione perplexas studeo reducere ad evidentiam, et quæ situ et neglectu vetustatis obsoleverant, ferventiore studio digerantur in materiam virtutis, et in tractatum uberioris gratiæ coalescant. Sicut enim *in libro Saturnalium* et *in Epistolis* Senecæ ad Lucilium sæpe legitur, apes imitari debemus, quæ floribus in varios succos mirabili artificio naturæ digestis, novum in eos saporem maximamque virtutem quadam sui spiritus proprietate transfundunt. Sicut refert Valerius Maximus, Curius Albinus hunc legendi fructum esse dicebat, ut lector æmuletur in-
A genia veterum, et in proprium quandoque convertantur, quæ ab aliis bene dicta miratur. Item *in libro Saturnalium*, Afranius togatarum scriptor in ea togata, quæ Compitalia inscribitur, suis respondens detractoribus dicentibus eum *in libro Menandri*, non solum sententias, sed verba integra transsumpsisse : «Transsumpsi, inquit, sed ea quæ melius me posse invenire non credidi » Et in eodem: « Quis fraudi Virgilio vertat, si ab Homero multa mutuatus est, quæ jam negligentia et vetusta longiturnitas abolescit ? » Et post pauca : « Denique in hoc ipso est commendandus, quia id quod apud eum alienum est, melius ibi quam ubi natum est, sonare miramur. Quæ ergo invidia est, si inter sarmenta sterilia de vite veteri plantata eliguntur,
B quibus in ordinem complantatis uberioris vineæ successio propagetur. Verbum poetæ est :

Dixeris egregie notum si callida verbum
Tradiderit junctura novum [47].

Quid ergo æmulus detrahit et oblatrat, si sententias in sterili congerie, et neglectu vetustiore squalentes explanet apertius diligentia modernorum ; et quas nuper fastidiebat animus legentis, ornatu elegantiores eductas nunc voto avidiore auditas appetat etiam delicatus. Quocirca jam per æmulum meum contra Opusculum præsens non sibilet lingua serpentis antiqui, os obstruatur obloquentis iniqua, obturentur aures aspidis, et anticipet innocentia visus oculos basilisci. Gomor enim, quod colligo
C mihi, non ei communico ; sed illis duntaxat, quibus data est *manifestatio Spiritus ad utilitatem* [48], ut in simplicitate cordis hunc libellum familiarius, si velint, inspiciant, et si quid in eo inveniant scrupulosum, illud quæso, lima diligentiore complanent.

[43] Psal. 11. [44] Matth. 24. [45] Isa. 24. [46] Cant. 1. [47] Horat. *De art. poet.* v. 47. [48] I Cor. 12.

TRACTATUS I.
DE AMICITIA CHRISTIANA.

Cap. I. *Quæ sit vera amicitia.*

Subsannabit aliquis, et arguet, quod senex ama-
D toria ludam, qui jam delibor, et in membris meis responsum mortis accepi. Sed Michol irrideat nu-

ditatem David saltantis [49]; ego vero utinam cum A David ludam, et vilior fiam in oculis meis, quatenus cum eodem in Sion arcam fœderis introducam! Mihi tamen pro magno est, si vel paucos de massa universitatis eorum qui sæculari amore abstracti et absorpti sunt, et oculis effossis, crinibusque abscissis in mola cum Samsone laborant[50], per hoc Opusculum ineant fœdus Jonathæ cum David [51], qui in suavissimo amore Christi a tribulatione malorum et dolore respirent. Nimirum, ex quo Caleph adeptus est Hebron per Josue [52] populus quiescit a præliis. Cessant enim tentationum pugnæ, postquam contemplatio cordis se ad tractum amoris incipit exercere. Amoris siquidem campus latius patet, cæterisque affectibus animæ sinus diffusiores expandit. Amor enim est quæ- B dam vis appetitiva rerum, quas ex desiderio eligimus et amplectimur ad fruendum. Amor autem etiam in brutis animalibus, quæ a ratione aliena sunt, suos frequenter appetitus exercet. Et licet frui spiritualiter in his quæ ad Deum, sunt pertinere dicatur; Paulus tamen frui verbo aliter utitur. Nam ad Philemonem scribens dicit: *Ut te frater fruar in Domino refice in Deo viscera mea* [53]. Sane dilectio ex certo animi judicio vires capit; amicitia vero ex quodam usu diligendi cum electione rei, quæ diligenda est, et deliberatione procedit. Teste autem Tullio, amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate summa consensio; per charitatem forte mentis affectum intelligens, et per benevolentiam mutui obsequii ef- C fectum. Quod ethnicus hic nomine charitatis eam intellexerit, quæ omnium mater est radixque virtutum, verisimile non videtur; sed eam mentis affectionem, propter quam amicos nostros charos appellare solemus. Quidam philosophi amicitiam inter summas perpetuasque virtutes collocasse leguntur, quos Salomon videtur in Proverbiis imitari; dicit enim: *Omni tempore diligit qui amicus est* [54]. Unde beatus Hieronymus [55]: Amicitia, inquit, quæ desinere potest, nunquam vera fuit. Ideo, qui læsus desinit diligere quem amaverat, amicus in veritate non fuit. Ille nimirum longe est a lege amicitiæ alienus, qui sic hodie amat, ut cras oderit; sic omni homini amicus, ut nemini fidus; hodie laudans, cras vituperans; hodie blandiens, cras mordens; hodie promptus ad oscula, cras ad oppobria, cujus D amicitia leviter comparatur, et levi exsufflatur offensa. Vera denique amicitia in se solida est, et in omnibus amici necessitatibus ad omnem compassionem et tolerantiam se conquadrans gravius ex amici compassione affligitur, quam ex passione amicus. Vide Apostolum [56] qualiter confirmatur infirmis, scandalizatis couritur, et est illi tristitia magna pro fratribus suis, et dolor continuus cordi ejus. Vere amicus erat, nunc ut Magister corripiens, nunc timens ne sensus eorum corrumperentur, nunc eos cum dolore ad lacrymas et ad pœnitentiam provocans, nunc eos, qui non egerant pœnitentiam, lugens

CAP. II. *Quod olim raræ fuerint amicitiæ.*

Refert Tullius [57] vix tria vel quatuor amicorum paria in tot retro sæculis exstitisse. Sed nemo miretur inter infideles populos raros fuisse veræ amicitiæ professores. Illum enim ignorabant qui charitas est, qui amor est, cujus *charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* [58]. Verum ut vox turtures audita est in terra, nostra [59], vox annuntiantis pacem, annuntiantis amicitiæ veritatem atque dicentis: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* [60], multa millia hominum amicitias contraxere veraces, diligentes se invicem honestius, verius certius, prudentius et fortius quam Pylades et Orestes. Nonne inter eos rerum divinarum et humanarum erat cum charitate et benevolentia summa consensio, de quibus scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia* [61]. Cæterum, postquam Veritas protestata est, quia *majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [62], paritas amicorum multiplicata est supernumerum. Quot enim non solum jacturam rei familiaris pro fratribus suis in Christo passi sunt; sed etiam cruciatus corporis granter amplectentes, pro amicis suis animas posuerunt?

CAP. III. *Quam dulcis et quam fructuosa sit amicitia.*

In rebus humanis nihil dulcius amicitia invenitur, nihil sanctius appetitur, nihil fructuosius custoditur; habet enim fructum vitæ quæ nunc est et futuræ. Ipsa propria suavitat virtutes alias condit, adversa temperat, prospera componit, tristiaque jucundat. Homo sine amico non habet, cui vitam et affectus suos communicet, cui conscientiæ suæ sinum aperiat, cui ad solatium suum aliquid de molestiis terrentibus evaporet. Solus est, qui sine amico est. Vere dicitur solus, *quia si ceciderit, non habet sublevantem* [63]. E diverso quanta est jucunditas, quanta securitas, habere cum quo loquaris, ut tecum, cui cordis tui secreta committere audeas, quem in secretioribus tuis habeas ut te ipsum, cui plena securitate reveles, quantum in studiis spiritualibus a te ipso defeceris aut profeceris apud Deum, Quid denique desiderabilius aut dulcius, quam ut duorum tanta sit unio animorum, quod cum alter corripiatur ab altero vel laudetur, nulla interveniat ira, nulla seditio, nulla inter eos formido criminis, adulationisve suspicio? *Amicus*, ait Sapiens, *est me-*

[49] II Reg. 6. [50] Jud. 16. [51] I Reg. 18. [52] Cap. 13. [53] Philom. v. 20. [54] Prov. 17. [55] Epist. 41 *ad Ruffin.* [56] Rom. 9. [57] Cic. l. I *De amicitia.* [58] Rom. 5. [59] Cant. 2. [60] Joan. 15. [61] Act. 4. [62] Joan. 15. [63] Eccle. 4.

dicamentum vitæ [64]. [65] Optima enim medicina est homini homo, qui ejus remediatur adversis, qui ejus condescendit incommodis, qui gravia levigat, qui amici onera quasi juncto humero simul portat. Nec enim verus amicus impatientius propriam injuriam sustinet, quam amici. Verbum philosophi [66] est : Non aqua non igne, non aere pluries utimur, quam amico. In omni actu, in omni studio, in rebus certis, in dubiis, in omni eventu, in secreto, in publico, in omni consultatione, domi et foris : et ut multa paucis includam, in omnibus, quæ ad divina pertinent et humana, gratia se diligentium mutuo utilis invenitur. Audi Tullium : « Tanta est, inquit, amicitiæ virtus, quod ejus beneficio absentes amici sibi præsentes assistunt, egentes abundant, valent imbecilles, et quod mirabilius est, mortui vivunt. » Demum amicitia, est divitibus pro gloria, pro censu pauperibus; exsulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægroto, mortuis pro vita. Et sicut idem Tullius aiebat : « Solem videntur de mundo tollere, qui de vita hominum amicitiam tollunt. » — « Amicitia, inquit idem, quædam est vita hominum, sine qua nullum est humanæ vita solatium. » Amicitia quidam gradus est hominibus ad Deum. Dilectione enim mediante, homo Deo approximat, dum ex hominis amico Dei amicus efficitur. Audi Deum ad homines loquentem, quos in proximi dilectione firmaverat et dicentem : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* [67]. Quæ omnia, sicut plerique sancti asserunt, in Dei proximique dilectione consistunt.

CAP. IV. *Quod in vera amicitia nihil est cupiditatis vel inhonestatis.*

Illud autem sciendum, quod in amicitia vera nihil est inhonestum, nihil simulatorium, nihil lucri temporalis, aut inanis gloriæ venativum. Non enim amor ille nomine vel honore amicitiæ dignus est, qui alicujus mundanæ utilitatis obtentu contrahitur. Amicitia siquidem ipsa sui causa est, ipsa sibi merces, et longe infra fines amicitiæ amor ille subsistit, quam exspectatio ambitiosa, vel spes quæstuaria antecedit. Fons sane et origo amicitiæ amor est, et quasi genus ad speciem; nam cum amor sæpe sine amicitia sit amicitia nunquam sine amore consistit. Amor itaque, quandoque ex naturæ instinctu, quandoque ex motu carnali, quandoque ex officio causam recipit, quandoque vero ex ratione sola, plerumque etiam ex ratione et affectione procedit.

CAP. V. *De naturali amore.*

Natura amicitiæ originem modumque præscribit. Per hanc mater diligit filium; per hanc gallina colligit pullos suos et coinfirmatur infirmis [68], ursa A etiam catulis suis immurmurat [69]; aquila quoque volitat super pullos suos, portans eos in humeris suis [70]. *Sed et lamiæ nudaverunt mammas suas, lactaverunt catulos suos* [71]. Amor induxit Jacob, ut plangeret filium suum Joseph. Naturali amore impulsus est David plangere filium parricidam, et dicebat: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi Absalon* [72] ? Porro naturalis amicitia modestiæ legem sæpe transgreditur Dei et salutis suæ et obliviscens ex nimia teneritudine et affectione parentum. Ex officio contrahitur amicitia, dum ratione dati et accepti mutua inter amicos gratia coalescit. Sed timeat quisquis veræ amicitiæ professor est, ne sub liberalitatis obtentu venenum amicitiæ venalis obrepat. Sane pura et sola ratio amicitiæ causam præstat, cum aliquos divina B potius auctoritate, quam proprio affectu diligimus. Sic enim non solum pacificos, sed etiam dyscolos et perversos, qui nobis sunt oneri et labori pro Christo, qui dicit *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* [73], brachiis sinceræ dilectionis in Christo amplectimur, eisque sine omni fictione consulimus, condescendimus afflictis, et eorum onera compassionis humero supportamus. Ex ratione simul et affectu amicitia generatur, ut cum aliquis, quem nobis dictat ratio diligendi, se propria virtute amabilem reddit, ut amor, qui ex ratione castus est, ex affectione sit dulcis. Hunc vero amorem divinæ moderationis dispensatio introduxit, præcipiens homini, ut sic diligeret proximum, sicut diligebat se ipsum. Unde quia hoc effrenis et præceps erat C humana voluntas, Deus ei frenum imposuit, et ne ei liberum esset extra modestiæ limites evagari, eum quem habebat ad se coarctavit, et affectum ipsum dilectioni proximi proportione commensurabili coaptavit : *Dilige proximum tuum,* inquit, *sicut te ipsum* [74]. Credo, quod te ipsum diligas, si tamen diligis Deum. Vide ergo, si hujus dilectionis, qua te ipsum diligis, putas mercedem aliquam exigendam profecto nequaquam. Quisquis enim per se sibi charus est; nec aliena, nec intrinseca ope indiget, ut ad se diligendum vehementius excitetur. Ut ergo alium æque ut te ipsum diligas, necesse est ut in ipsum transfundas illum, quem habes ad te, dilectionis affectum, ut sit tibi quasi alter tu. Nec de hujusmodi amicitia fructus quæratur exterior, cum ipsa sit D *Charitas* quæ *nunquam excidit* [75], cujus fructus gaudium est, et pax in Spiritu sancto. Hunc fructum insinuans Veritas in Evangelio dicit : *Posui, vos, ut eatis, et fructum afferatis, fructus* vero *vester maneat* [76].

CAP. VI. *De carnali amore.*

Sane amor ex carne proveniens sequitur aures et oculos suos per varia fornicantes, atque per eorum aditus usque ad ipsam mentem rerum concupiscibilium imaginem introducit. Sic more meretricio

[64] Eccli. 6. [65] Aug. lib. *De amicit.*, c. 5. [66] Cic. *De amicit.* [67] Joan. 15. [68] Matth. 23. [69] Prov. 7. [70] Deut. 32. [71] Thren. 4. [72] II Reg. 18. [73] Matth. 22. [74] Ibid. [75] I Cor. 13. [76] Joan. 15.

icat pedes suos omniumque spirituum immun- A m spurcitiæ se exponit, productioris vitæ sibi um pollicetur. Contemnit terribilia Dei judi- ɔt hoc solum vitæ suæ ascribit, quod indulget ordinariæ voluptati. Sicque animus aspectibus dicis, verbis et nutibus, et obsequiis illectus tractus, in malum miserabiliter captivatur ; ɪue duæ mentes quodam fœdere fœdo in una ıtatc conflantur, quod odibilius est Deo et æ perniciosius operantes, se infelices omnia amicitiæ facere arbitrantur. Porro hæc amici- ɔc ex deliberatione initur, nec probatur judicio, atione regitur; sed sequens vagæ affectionis tum, per illicita indiscrete raptatur: nimirum nodum tenens, nec serviens honestati, nec in- ɔmmoda et damnosa discernens. Spiritu siqui- vertiginis ducitur, et effrenis concupiscentiæ B uis exæstuans quasi quibusdam interioribus agitatur. Hæc autem spuria et degenerans tia, quam scilicet libido contaminat, vel alte- pestis reatus incestat, delectabilius quidem ad us, sed perpetuo exitiales experitur affectus. enim præterit quod delectat et permanet sine ɪuod cruciat. Honesta ergo et casta contraha- micitia; in hac enim omnia secura sunt, dul- ıacifica, suavia et jucunda.

VII. *Non esse amicitiam veram, si sit quæstuaria.*

ıicitia, quam immunda cupiditas introducit, ulenta est: nihil certum, nihil securum aut e habet. Bona hominis amat, non hominem ; em metitur ex quæstu. Fortunam votis ample- C ·, non personam, juxta illud:

t est personæ, sed prosperitatis amicus,
Ǫuem fortuna tenet dulcis, acerba fugat

ı sacra Scriptura : *Est amicus secundum tem- t non permanebit in die tribulationis* [77]. Mer- est hæc amicitia, quæ quanto accedentius ɔntanea est cupiditati, tanto longius est ab itiæ palatio relegata. Licet enim amicitiæ cul- us plurimæ commoditates ex ipsa soleant ob- e, vera tamen amicitia in se ipsa fructus constituit, omnemque spem futuri obventus liberalitate præcurrit. A beneficiis siquidem, us Berzelai Galaadites David fugientem a facie lon benigne recepit, fovit et inter amicos ipuos numeravit [78], nemo credit eorum ami- D n habuisse initium; sed causam præstitisse usæ humanitati amicitiæ prævenientis affe- . Notum quidem est, quod rex illius ope non ; cumque vir ille opulentissimus esset, nullam ɜe retributionem propter hoc exspectaverat. ı cum ei divitias et delicias totius civitatis ·et, ille nihil suscipere acquievit. Sic et illud rabile fœdus inter David et Jonatham [79] non uæ utilitatis exspectatio, sed approbatæ vir- tutis contemplatio consecravit. Emersit tamen alterius utrobique profectus, ut vita unius alterius custodiretur industria, et unius beneficio alterius posteritas minime deleretur. Non est ergo amicitia in quæstu, nec in assentatione, sed in veritate et fide. Audi B. Ambrosium [80]: Non est, inquit, amicitia vectigalis, sed liberalis. Virtus enim est, et non quæstus; non pecunia conciliatur, sed gratia: nec licitatione pretiorum, sed concertatione mutuæ benevolentiæ gignitur et fovetur. Est autem amicitiæ suavissimus fomes sinceritas affectionum, mutua obsequela, rerum honestarum crebra collatio, parilitas voluntatum, jugis et inviolabilis fides. Certe Chusi Arachites [81] amicitiam David tanta fide studuit extollere et fovere, ut sollicitudinem securitati præferret, mortis pericula et labores gaudio et quieti, præeligens amici communicare doloribus quam honoribus homicidæ. Verbum Ethai Gethæi erat [82] (cum fugeret David nudis pedibus de Jerusalem, a facie Absalon, et diceret ei David, ut reverteretur): *Vivit Dominus*, nec *in vita*, nec *in morte* derelinquam te.

Cap. VIII. *Quod amicitia quædam commendetur, quædam reprobetur.*

Amori, qui ex concupiscentia carnis, aut ex superbia vitæ causam et originem trahit, plurimum affinis est amor mundi, qui totus de sola vanitate nititur juxta illud: *Filii hominum usquequo gravi corde, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* [83]*?* Sunt etiam amores, qui si ordinati fuerint approbantur, videlicet, socialis, fraternus, et conjugalis. Socialis, ut inter David et Jonatham. Hujus amoris affectio David urgebat ad planctum, ut diceret: *Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam* [84]. Frater et soror dulcissimi amoris vicissitudinem in se gerunt, ac mutuos et indivisos affectus consensu mutuæ voluntatis enutriunt. Sponsus et sponsa domesticis affectionibus indissolubili fœdere pudicitiam fidei conjugalis observant. Notandum vero quamdam amicitiam initialem esse, de qua B. Augustinus [85] scribit, eamque describit; colloqui scilicet, atque corridere amico, benevole obsequi, simul et legere et conferre, dissentire inter se sine odio, sicut dissentit aliquis a se ipso, desiderare absentes cum molestia, venientes cum lætitia suscipere, reamare amantem, præsentes defendere, excusare absentes, dentem detractionum retundere, atque omnibus modis fervorem intimæ dilectionis fideliter exhibere. Porro B. Augustinus quasdam hic teneræ dilectionis proprietates insinuat cui boni et mali plerumque communicant; nam illa, de qua loquimur, amicitia inter bonos tantum oriri solet, inter meliores proficere inter optimos consummari.

Eccli. 6. [78] Reg. 17. [79] I Reg. 18. [80] Lib. III *Officior.* [81] II Reg. 15. [82] Ibid. [83] Psal. 4. [84] II 1. [85] *De amicitia.*

CAP. IX. *De origine amicitiæ.*

Denique si amicitiæ inspicimus originem, a summa natura, quæ Deus est, suam traxit essentiam. Deus equidem mentibus humanis primos amicitiæ impressit affectus; auxerunt eam usus et experientia: ipsam demum legis ordinavit auctoritas. Deus siquidem, summe bonus, summæ pietatis, potens, sibi in sua beatitudine, quæ ipse est, in sua ineffabili gloria sibi sufficiens nec cœlo, nec terra, nec angelo, nec homine indigebat. Ejus nimirum sufficientiam omnis creatura protestatur, et dicit: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* [86]. Ipse omnium existentium causa, sententium vita, intelligentium sapientia, amor et gloria angelorum, dignatus est hominem, ad se amandum allicere, et ipsum per hæc invisibilia ad appetitum suorum invisibilium invitare. Unde non solum quatuor elementis, sed omnibus etiam creaturis quoddam amicitiæ vinculum æterna ratione præscripsit. Bona enim non essent, nisi mutuo sibi quodam amicabili fœdere consentirent. Legimus enim, quod *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* [87]. Bona siquidem sunt, in quantum a Deo sunt; pulchra sunt, in quantum quælibet pars suo congruit universo: ordinata vero sunt, in quantum unaquæque res in hac universitate congruum sibi locum, tempus etiam sortitur et modum. Locum, quia angeli obtinuerunt cœlum, irrationabilia solum, homo melius paradisum. Tempus, quia angeli in uno et eodem tempore facti sunt, homines diversis temporibus creati sunt, et quantum ad animam semper erunt; irrationabilia vero, nec simul facta sunt, nec semper erunt. Cæterum rationabili creaturæ Deus hunc indixit modum, ut si justa est, beatitudinis particeps fiat; si iniqua est, æternæ damnationi subjaceat. Irrationabili et sensibili creaturæ hic a Deo præfixus est modus, ut quia nec beata, nec misera esse potest, vel prædestinatorum saluti subserviat, vel infelicitatem accumulet præscitorum. Ideo provide Sapiens: *Ignis et ferrum, lac et panis, et mel, botrus uvæ, oleum et vestimentum: sicut hæc omnia sanctis in bonum, ita inpiis convertuntur in malum* [88]. Sic Deus, cui est summum bonum immutabilem esse, et cui est semper idem esse, dicente Propheta: *Tu semper idem ipse es* [89], sic ordinat creaturas, ut singula naturam habeant, qua bona sunt, speciem qua pulchra sunt, usum, per quem bene ordinata rationabili creaturæ proficiunt. In hoc autem vehementer admiranda et prædicanda est spientia Creatoris, quia cum nihil fecerit malum, ipse tamen mala nostra sic ordinat et disponit, ut nobis nocenda non noceant, sed ad correctionem, vel ultionem nobis proposita proficiant ad salutem, maxime his qui diligunt Deum. *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum* [90]. Ipse ergo

A incommutabiliter bonus et beatus solam irrationabilem creaturam providit, et voluit suæ beatitudinis esse capacem, ut idonea sit ei adhærere diligendo et sperando, cujus imago est, et omnia desiderabilia sua in ejus notitiam et obsequium jactare quam nosse, vivere, cui servire regnare est.

CAP. X. *Quatenus dilectio prius deformata peccato, postea reformata est.*

Demum per eorum prævaricationem refrigescente charitate, cupiditas subintravit, quæ bona propria communibus præferens, suspiciones, æmulationes, contentiones et odia introduxit. Imago tamen Creatoris, licet in homine sit corrupta, non est prorsus abolita, proptera memoriam habet oblivioni obnoxiam: scientiam vero sed errori objectam; amorem quoque, sed pronum ad cupiditatem. Cœlesti

B siquidem justitiæ congruebat, ut quia libero abusus arbitrio amorem suum a vero et incommutabili bono ad bonum fallax et transitorium deflexerat, similitudinem Dei sibi per rapinam usurpans, adjiceretur similitudini jumentorum. Ideo enim *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [91]. Sic profectum insolenter appetens decidit in defectum, et præsumens Deo esse similior, ei dissimilis factus et Deum perdidit et se ipsum. Nulla tamen prævaricatio ita imaginem Dei potuit abolere quin habeat in se qualitercunque beatæ Trinitatis imaginem. Anima enim hominis sui reminiscitur, eamque cognoscit, se diligit, et sicut scientiæ suæ reminiscitur, eamque cognoscit et diligit, cujus etiam dilectio-

C nem, ac memoriam suam diligit et reminiscitur ac utramque cognoscit, ut videas quasi in una substantia animæ unitatem, et in tribus, scientia scilicet, et memoria, et amore, in quibus est animæ substantia, videre est Trinitatis imaginem. Propterea credimus dixisse Psalmistam: *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur* [92]; insinuans non deesse imaginem Dei ex natura, sed inesse corruptionem ex culpa. Memoriam enim corrumpit oblivio, scientia obnubilatur errore, amor cupiditate degenerat. Sane soluto per Jesum Christum Salvatorem nostrum debito prævaricationis antiquæ, deleto chirographo mortis, cujus obligatio nos tenebat astrictos, triumphatis etiam principibus et potestatibus, quibus nos addixerat divina senten-

D tia, cœpit humana memoria reparari per sacrum eloquium, scientia restitui per fidei sacramentum, amor etiam refervere per illius, quam Christus in cruce nobis exhibuit, charitatis exemplum. Erit autem reformatio hujus imaginis plena, ubi memoriam non interpolabit oblivio, non obnubilabitur scientia errore, nec amorem Dei rei alienæ cupiditas depravabit. In patria hæc erunt, ubi nullus erit locus oblivioni viventibus in æternitate, nulla cupiditatis titillatio absorptis a charitate: ibi erit summa pax.

[86] Psal. 15. [87] Gen. 1. [88] Eccli 39. [89] Psal. 101. [90] Rom. 8. [91] Psal. 48. [92] Psal. 38.

plena requies, æterna felicitas, felix et jucunda, indeficiensque tranquillitas. Interim ad amicitiam revertentes dicimus, quod amicitia oritur, conservatur atque perficitur inter eos duntaxat, qui *sobrie, et juste, et pie* vivunt *in hoc sæculo*[93], nihil inhonestum volentes petere vel præstare, nihil agere vel sentire, aut consentire, quod displicere Deo, vel in animæ discrimen, vel commune incommodum sentiatur redundare. Et in hoc quorumdam sententia reprobatur, qui contra fidem, aut honestatem, seu contra rempub, bonumve commune amicitiam existimant ineundam. Certe servi regis Saul fidem domino suo laudabiliter servaverunt nolentes parere atrocitati ejus in effusione sanguinis sacerdotum, quam Doeg Idumæus[94], qui ejusdem sacrilegii malitia se ad imperium domini sui pariter inquinavit. Jonadab, amicus Amnon, consilio suo suggerens et procurans illius incestum, dum ad turpitudinem obsequium præstitit, crudeliter amicitiæ legem violavit[95]. Patet amicos Absalon sceleratos fuisse amicitiæ transgressores, qui in regem suum et regnum prælia excitantes cum Absalon perduellionis flagitium incurrerunt[96]. Erubescant itaque veræ nomen amicitiæ profiteri, qui eam vitiorum assensu vel cooperatione contaminant, et honestatis vocabulo abutentes mutuæ gloriam amicitiæ sibi sacrilega præsumptione usurpant. Porro qui non amat, amicus non est. Ille autem non amat, qui amat iniquitatem ; imo illam procul dubio animam odit, cujus amat iniquitatem[97], et ita, neque alterius amat animam, neque suam.

CAP. XI. *Quod omnes virtutes animæ ex dilectione dulcescant.*

Tria sunt, quibus Deo spiritualiter adhæremus ; memoria, scientia et voluntas. Memoria quippe quodammodo cujusdam æternitatis capax est, scientia notitiæ, voluntas amoris. In his tribus primus homo Deum in memoria tenebat sine oblivione, scientia cognoscebat sine errore, amore affectabat sine alterius rei cupiditate : cumque in his tribus esset homo beatus, in tertio tamen, id est in amore Creatori suo tanto familiarius adhærebat, quanto dulcius gustabat quam suavis si Deus[98]. Quanto nimirum major summi boni dilectio, tanto suavior in ea est delectatio, et tanto plenior beatitudo. Licet enim memoria multa præterita retineat, licet scientia profundissima percipiat, nulla tamen delectatio ibi est, nisi se dulcedo amoris infundat. In rebus itaque ratione utentibus Deus ordinat memoriam, scientiam et amorem; ut amor ex memoria et scientia convalescat, et illa duo in amore dulcescant. Ex his formatur et firmatur in hominibus quibusdam affectus in Deum, et in se quædam blanda et socialis communio voluntatum. Denique in creatione hominis fœdus et vinculum sociale specialiter com-

A mendatur. *Non est*, inquit Deus, *bonum hominem esse solum ; faciamus ei adjutorium simile sibi*[99]. Et ad majus et expressius unionis indicium unius substantiam de alterius substantia propagavit. Ideo etiam de latere Adæ socia ejus assumpta est, ut qui collaterales erant essentia, essent vita et moribus coæquales. Sic natura primitivos amoris affectus in hominum cordibus exaravit, quos sensus interior postea quodam diligendi usu quasi quodam gustu dulcissimæ suavitatis adauxit.

CAP. XII. *De dilectione amici, et quæ eam impediunt.*

In contractu amicitiæ multa veniunt, ex quibus formatur amicitia, et firmatur, atque continuum in se recipit incrementum[100]. Cum enim amicum talem esse oporteat, cui cor tuum, et omnia cordis B arcana committas, prius eligendus est, deinde probandus, denique admittendus, demum summa tractandus reverentia et continua devotione colendus. Ut autem in amicitia universa ordinate procedant, in Deo primitus, velut in fundamento dilectionis primitiæ consecrentur, postea vero electione, probatione, consensu etiam et jugi familiaritate amicitia foveatur, ut sit in ea non solum stabilitatis, sed quoddam æternitatis exemplar. Sic ergo tu illius, et ille tuus sit, ut nec in spiritualibus, nec in corporalibus inter vos aliqua obrepat animorum, sententiarum, affectuum, verborumve dissensio. Amicitiam enim firmant atque perficiunt electio, probatio, admissio, rerum divinarum et humanarum cum benevolentia et charitate plena consensio. Ad electionem autem pertinet, ut nullus in amicitia C eligatur, cujus opinio alicujus criminis enormitate laboret. Poterit tamen eligi et admitti, si alias sit commendabilis vitæ, et facile sanari valeat a vitio, cujus nævus mores ejus commendabiles decolorat. Sunt autem quatuor vita, quibus præclarus honor amicitiæ sæpius offuscatur. Hæc sunt iracundia, instabilitas, suspicio atque garrulitas. Sacra Scriptura de iracundo dicit : *Noli esse amicus homini iracundo*[1]. Ira enim furor brevis est. Unde et eadem Scriptura subjungit : *Ne ambules cum homine furioso*[2]. Item Salomon : *Ira* inquit *in sinu stulti requiescit*[3]. Et in Ecclesiastico : *Est amicus, qui odium et rixam, et convicia denudabit*[4]. Verum quidam ex propriæ complexionis naturali conditione iracundi sunt; sui tamen motum animi usque ad ea quæ, D testimonio Scripturæ, dissolvunt amicitiam, procedere non permittunt. Tales quandiu certa est eorum affectio patienter expedit tolerare, et excessum verbi et operis blande corrigendo, et benigne docendo vel dissimulare patienter, vel amicabiliter indulgere. Ex vitio iracundiæ solent quinque vitia. quorum singulis amicitia sæpe dissolvitur, quasi quinque hydræ capita pullulare. Hæc sunt convicium, improperium, superbia, revelatio secreti, et plaga dolosa[5]. Audi non mea sed sacræ Scripturæ verba

[93] Tit. 2. [94] I Reg. 22. [95] II Reg. 13. [96] II Reg. 15 et 16. [97] Psal. 10. [98] Psal. 33. [99] Gen. 2. [100] Aug. *De amicitia*, c. 12. [1] Prov. 22. [2] Ibid. [3] Eccle. 7. [4] Eccli. 6. [5] Eccli. 22.

dicentis : *Qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam* [6]. A Verumtamen si amicus aliqua subreptione præventus verbum aliquod triste protulerit, si consilium suum tuo prætulerit, in his et consimilibus amicitiam dissolvi non expedit. Est enim adhuc, sicut idem Sapiens ait : *Concordia ad amicum, excepto convicio, improperio, superbia, mysterii revelatione, et plaga dolosa* [6*]. Idem autem convicium vulnerat charitatem, quia quidquid, ira instigante, aliquis dixerit in amicum, verum æstimatur ab aliis, eo quod prolatum sit a conscio secretorum. Improperium vero detestabile est : cum quis, scilicet, falsa objiciens perfundit confusibili rubore innocentis faciem, gravans ejus opinionem exterius, et interius vulnerans charitatem. Superbia humilitati inimica est, eo potissime detestanda, quia reme B dium pœnitendi, aut humilitatem confitendi excludens reddit hominem audacem ad injurias, ad correctionem et consilium contumacem. Denique mysterii vel secreti revelatio exsecrabilis est. Quidquid inter amicos erat amoris aut gratiæ impudenter evacuans, et omnia felle amaritudinis, et odii, atque indignationis aspergens. Ideo Sapiens dicit : *Qui denudat arcana amici, perdit fidem.* [7] Et paulo post : *Amici mysteria denudare desperatio est animæ* infelicis [8]; redintegratio enim amicitiæ desperanda est in eo, qui primam fidem irritam fecit, et revelando, quæ sibi commissa fuerunt, tanquam Deo, universa turbavit. Plaga dolosa morsus est serpentis et aspidis. Verbum enim Salomonis est : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui detrahit in occulto* [9]. C

CAP. XIII. *Exempla eorum quæ amicitiam impediunt.*

Et ut de convicio et improperio, atque cæteris subjiciamus exempla, recolamus quod cum Semei consectaretur conviciis David a facie Absalonis fugientem [10], inter verba David testamentaria Semei mortis supplicio sententia cœlestis addixit. Exemplum de pœna improperii habes, quod cum Nabal Carmelus improperasset sancto David, quod esset servus et fugitivus, idem Nabal a Domino percussus interiit [11]. Pœnam superbiæ habemus in Amon, filio Naas regis filiorum Ammonitarum [12]. Cum enim rex David diu cum rege Naas amicitiam coluisset, et eo mortuo filio ejus Amon fœdus amicitiæ obtulisset, D ille superbus et ingratus amico contumeliam adjecit contemplui; in cujus criminis ultionem David eum et populum ejus, urbes etiam ipsius igne et gladio devastavit [13]. De revelatione secreti exemplum habemus in Achitophel, qui consentiens filio parricidæ, cum ei patris sui David prodidisset consilium, dignum flagitio proditionis finem imponens laqueo se suspendit [14]. De veneno detractionis exemplum habemus in Maria sorore Moysi, quæ dum fratri suo præsumptuose objurgando detraxit, Deus lepra percussam, et a castris ejectam septem diebus a populi communione præcidit [15]. Non solum iracundi, sed etiam instabiles et suspiciosi debent esse ab electione amicitiæ alieni. Cum enim magnus sit amicitiæ fructus securitas, qua te credis et committis amico, quomodo potes esse de illius amore securus, qui circumfertur omni vento, qui Protei vultus tota die induit, et in eadem voluntate vel etiam ad modicum non subsistit. Suspiciosi quoque longe sunt ab electione amicitiæ relegandi. Nihil enim amicitiæ magis congruit, quam quædam pax, et quieta tranquillitas cordis : suspiciosum autem semper curiositas inquietat, timoris stimulos suggerit, et multiplicem turbationis materiam subministrat. Si enim amicum viderit alii secretius colloquentem, proditionem putat ; si amicum viderit se alii benevolum et jucundum exhibentem, se contemni existimat, correctionem amici interpretatur odium, laudem vero irrisionem. Sic in omnibus perversus est universa pervertens. Linguosos ad amicitiæ secreta non arbitror eligendos. *Vir* enim *linguosus non dirigetur in terra* [16]. Et testimonio Sapientis [17], si videris hominem promptulum ad loquendum, non plus de ipso sperare poteris, quam de stulto. Talem itaque tibi eligas in amicum, qui tuis moribus, et tuæ conveniat honestati. Nam, teste B. Ambrosio [18] inter dispares mores amicitia esse non potest. Licet autem iracundia, instabilitas, suspicio et verbositas frequenter soleant electionem amicitiæ impedire, mihi tamen videtur non esse ab hac electione amicitiæ repellendos [19], qui patientia reprimunt iracundiam, levitatem debita gravitate coercent, qui vera dilectione suspiciones evacuant; et istos probatiores crediderim, et potius ad amicitiam eligendos, tantoque devotius amplectendos quanto fortius cohibent vitia virtutibus, et pugnantes contra se voluntatibus propriis dominantur.

CAP. XIV. *De fide amicitiæ, et quæ in amico diligenda sint.*

Probatur amicitia fide, intentione, discretione, patientia. Fide, per quam te et tua omnia ei quem diligis sine omni suspicione committas [20]. Intentione, ut nihil ex amicitia, nisi Deus et naturale bonum, cujus ipse est auctor, exspectetur. Discretione, quid amico præstandum sit, in quibus etiam pro amico tristandum, vel in quibus congratulandum ; vel in quibus denique corripiendus sit, aut etiam in quibus et qualiter tolerandus diligenti cautela et exquisita examinatione disquiras. Patientia etiam in amicitia maximum locum tenet, ipsa enim custos amicitiæ et nutrix est. In lætis ipsa

[6] Eccli. 6. [6*] Ibid. [7] Eccli. 27. [8] Ibid. [9] Eccle. 10. [10] II Reg. 16. [11] I Reg. 25. [12] II Reg. 10. [13] Ibid. [14] II Reg. 17. [15] Num. 11. [16] Psal. 139. [17] Prov. 26. [18] Il. III *Offic.* c. 16. [19] Aug. *De amicit.* c. 15. [20] Ibid. c. 18.

et tristibus, atque in quolibet vitæ statu se præbet æqualem, intuens eodem oculo amicum divitem vel mendicum, fortem aut debilem, sanum aut ægrum, humilem aut sublimem. Ipsa tamen in ea quæ circa animum amici sunt diligentia propensiore attendit; ea vero, quæ extra animum amici sunt, non multum considerat; si adsint, non magni facit; si abfuerint, non requirit. Sunt autem circa animum hominis mores, gratia et virtutes; extra animum, fama, divitiæ et honores. Et notandum quod, sicut aurum in conflatorio [21], sic fides in necessitate probatur. Scriptum est enim: In necessitate probatur amicus. Et iterum: Amici divitis multi sed in divitiis fides amicitiæ latet. Qui simulatorie amat in prosperis, erit adversarius in adversis. Deponat larvam dilectio, hypocrita in procella turbinis, et fucum subornatæ familiaritatis reteget, qui tibi blande obsequitur, et se ad veræ amicitiæ regulam sophistice commetitur. Verbum Salomonis est: *Omni tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur* [22]. Et arguens infidelem: *Deus*, inquit, *putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli die angustiæ* [23]. Nec solum adversitate, sed etiam silentio secretorum examinatur amicitiæ fides. Evangelica quidem sententia est, quod *qui in modico fidelis est, et in multo fidelis erit* [24]. Si ergo fidem amici experiri volueris, non ei prius tui cordis arcana committas, sed aliqua exteriora et modica, de quibus non magnum emergat dispendium, si fuerint revelata, et ea nihilominus sub ea cautione et adjuratione terribili credas, ac si obessent prodita, et celata prodessent. Probatum igitur in minoribus eum securius poteris in majoribus experiri. Denique si fama sinistrum quid de te divulgaverit, aut detractor aliquid turpitudinis tibi absenti inusserit, quod ille nullatenus inclinari valeat ad credendum, nulla moveri suspicione, nulla dubitatione nutare, quod fides ejus certa sit et stabilis, nulla tibi debet cunctatio superesse. Legimus in libro Valerii Maximi [25], quemdam suggessisse Platoni, quod Xenocrates eidem multipliciter detraxisset, et hoc ipsum relator offerebat juramento firmare. Cui Plato: Non est credibile quod me non amet fideliter quem fideliter amo. Cumque criminator instaret, Plato subjecit: Et hæc si in me dixerit, hæc ipsa mihi expedire cognovit. Ægrotabat Alexander [26], et de communi sententia medicorum Philippus medicus et amicus ejus ei medicinam suis manibus confectam porrigebat. Supervenerunt litteræ Parmenionis hortantis, ut rex Philippi caveret insidias, utpote quem Darius pecunia corrupisset; quibus lectis ille hausit incunctanter; ac tunc tradidit Philippo ad legendum, ex suo nimirum amore affectum pensans amici, in ipso mortis nuntio vitium suspicionis exlusit. Quædam vero, quæ in amici probatione potissima sunt, Flaccus [27] paucis versibus claudit, dicens:

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic mendax, hic est infidus amicus,

Cap. XV. *Quibus modis probetur intentio diligentis.*

Restat inspicere, qualiter intentio sit probanda. Sunt enim, qui non intendunt, aut sperant in amicitia nisi quæstum. Tales suos amicos diligunt, sicut bovem aut asinum suum; de quibus exspectant, non gratiam, non pacem mentis captant, sed lucrum. Illius itaque, quem in sacrarium tuæ familiaritatis proponis admittere, probetur intentio, ne spe commodi temporalis inire tecum amicitias velit. Mercalis est enim intentio et non gratuita. Propterea solidiores inveniuntur plerumque pauperum amicitiæ quam magnatum. Divitibus siquidem assentatorie gratificatur a multis. Nullus vero erga inopem simulatorie aget, sed tanto purior est erga pauperem charitatis affectio, quanto nulla circa eum subest adulationis vel simulationis occasio. Si ergo videris hominem aliquid anxie appetentem, quod per te præstare, vel per alium possis, sed in hujusmodi rei obtentu aliquis præferatur, facile qua tibi adhæserit intentione patebit. Nam in hujusmodi casu nunc ex dejectione oculorum, nunc ex vultus aversione, nunc ex verbo subtristi, nunc ex risu ficto, nunc ex reverentia et obsequio negligentiore ambitiosæ mentis ægritudo poterit deprehendi.

Cap. XVI. *Quod perniciosa sit indiscretio in amicitia.*

Discretio inter amicos plurimum necessaria est, Sicut enim navis sine remige, sic spiritus amicorum sine discretione motu quodam irrationabili et instabili circumfertur. Tales sunt, qui leves amicorum errores ferunt impatienter, austere corripiunt, et in suis actionibus præcipites negligunt magna, contra minima inflammantur, et omnia confundentes, non personam, non locum, aut tempus, seu casum ignorantiæ, aut necessitatis attendunt. Talis ex indiscreto animi motu nescit quibus, et quando rem publicare debeat aut celare.

Cap. XVII. *Quod per patientiam probatur amicitia.*

Probetur amici patientia, si opportunum videris, cum durius arguendo, ut exerceatur ejus tolerantia et probetur. Quod si quandoque incauta secreti revelatione, vel aliqua levi transgressione offenderit, non ideo ab ejus electione vel dilectione resilias, quandiu correctionis aliqua spes supersit; nec te in eligendis, aut probandis amicis tædeat exactissima deliberatione versari, cum ex tali studio percipias desiderabilem fructum, medicamentum sci-

[21] Prov. 27. [22] Ibid. 17. [23] Ibid. 25. [24] Luc. 10. [25] L. IV, c. 2. [26] Val. l. III, c. 8. [27] Sat. l. IV, 1.

licet vitæ, et jugis lætitiæ solidissimum fundamentum. Vide autem, ne sicut frequenter accidere solet, quidam amoris impetus probationis spatium præcurrat et præludat probandi judicium. Vir itaque prudens paulatim cohibeat et refrenet hunc impetum, ut benevolentiæ modum exponens regulam discrete in affectum transeat, et se tandem amico, præmissa probatione, committat. Necessaria enim probatio est inter homines parum bonos, vel ubi est bonorum malorumve commistio. Sed examinatione non indigent, quos probavit Deus, quorum jam conversatio est in cœlis [28], quos unius moris in domo facit regularis conditio, æqualitas voluntatum fida, et certa communio charitatis. Inter quos quisque alium sic diligit, ut se ipsum, atque omnium exsultatio affectione mutua propria efficitur singulorum; ubi universitatis gaudium, quod de conscientiæ bonæ testimonio interiore contrahitur, communione charitatis et amicitiæ beneficio quilibet facit suum.

CAP. XVIII. *Quibus amicitia sit fovenda.*

Fovenda est amicitia cum exactissima sollicitudine et cautela. Imprimis omnis ab ea relegetur suspicio; ipsa enim amicitiæ venenum est. In hoc ergo mentes nostræ quasi impetu solidiore firmentur, ut nec de amico male sentire, aut male dicenti de illo credere, vel nec in modico consentire possimus. Si videres aliquem alios omnes habere suspectos, in singulis suspicantem proditionis insidias, nllum diligentem, nec se diligi ab aliquo æstimantem, nonne hunc damnabiliter miserum reputares? E diverso eum felicissimum puta, qui sic amat omnes, ut mereatur amari ab omnibus, ut suæ mentis tranquillitas nullo timoris aut suspicionis scrupulo moveatur. Sic ergo fovenda est amicitia, ut sit in nostro sermone jucunditas, hilaritas in vultu, suavitas in moribus, et ipso aspectu quædam oculorum favorabilis et erata jucunditas. Sit enim in honestis rebus crebra collatio, et communicatio arcanorum, et in alterutris voluntatibus mutua obsequela. Dedit enim nobis Veritas formam, quam sequamur, ut secreta nostra invicem revelemus, et amicorum voluntatem mutuo faciamus, cum ait: *Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos, qui quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* [29]. Et rursum: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis* [30]. In his verbis, sicut ait B. Ambrosius [31], dedit nobis formam amicitiæ, quam sequamur, ut secreta nostra revelemus invicem, et amicorum voluntatem alterutram faciamus. Amicitia itaque vicaria congratulatione nutritur, et si severior amici facies quandoque maturam exhibeat gravitatem, ipsa gravitas tanto commendabilior erit, quanto benignius ad effectum descenderit socialem. Nimirum lex amicitiæ superiorem humiliori conhumiliat, ut qui ordine, dignitate vel scientia præeminent, pleno humilitatis spiritu minoribus condescendant.

CAP. XIX. *Quod Dei aut naturæ dona, et non alia sint in homine diligenda.*

[32]. Æstimet autem homo dona Dei et naturæ munera reputanda specialiter in amico, et omnia quæ extra hæc sunt pro nihilo existimentur. Amicitia itaque non gemmis ornatur, aut sericis, non deliciis impinguatur, non tumescit honoribus, non amplis possessionibus dilatatur. In amico ergo naturæ consideretur æqualitas, non fortunæ circumpendentia vel accidentia requirantur. Sed sic animorum paritas inter amicos universa disponat, ut descendat sublimis humilisque ascendat, distescat pauper et dives indigeat, et ex compari affectu et communione fiat æqualitas, sicut scriptum est: *Qui multum* habuit *non abundavit, et qui modicum, non minoravit* [33]. Lex amicitiæ est, tanto reverentius amicum suscipere, quanto majori necessitate intelligitur laborare. Jonathas amicus David non successionem in regno, non patris comminationes attendens, servum sui patris, quem in amicitiam susceperat a patre fugatum, morti addictum, in eremo absconditum sibi ad regni gloriam præferebat. *Tu eris*, inquit, *rex, et ego ero secundus post te* [34]. Audiant homines venerandum amicitiæ verbum, et imitatione dignissimum. Saul David quærebat ad mortem, et proditionis arguens sacerdotes, eos solo suspicionis intuitu trucidabat. Rupes ac montes, et valles, et nemora militibus obsidebat, omnesque principes jurare in David exitium compellebat. Solus Jonathas, qui David quasi æmulo et exhæredatori suo invidere poterat, aut offendi, resistebat patri, deferebat amico, præbebat afflicto solatium, et amicitiam regno præferens: *Tu eris*, inquit, *rex, et ego ero secundum post te*. Urgebat Saul Jonatham conviliis urgebat terribilibus minis, ut amicum David in ejus odium provocaret. Cumque Saul mortis sententiam dictaret in David, Jonathas quasi a sententia paternæ inhumanitatis appellans: *Quare*, inquit, *morietur* David? *Quid fecit* ipse [35]? posuit animam suam pro anima tua, et percussit Philisthæum, et lætatus es; quare ergo morietur? Saul vero in vesaniam versus, nisus est eum lancea per latus confodere, et improperia Jonathæ superaddens vocavit eum filium mulieris virum ultro rapientis. Adjecit etiam, quod diligeret David in confusione Jonathæ, et ignominiosæ matris ejus, totumque virus invidiæ evomens atque ambitionis et odii suscitare cupiens incentivum: Quandiu, inquit, vixerit filius Isai, non stabilietur regnum tuum [36]. Quem non moverent hæc verba? Cujus amicitiam non depravarent in odium? Quis se, et generationem suam alii non præferret? Quis fidei compromissum in hac parte non rumperet? Porro fortis et verus amicus, ad convitia patiens et ad

[28] Phil. 3. [29] Joan. 15. [30] Ibid. [31] L. III *Offic.* c. 13. [32] Aug. l. *De amic.* c. 24. [33] II Cor. 8, Exod. 16. [34] I Reg. 23. [35] I Reg. 20. [36] Ibid.

minas, amicum filiis, et honorem ejus honori proprio anteponens in omnibus memor gratiæ, et immemor gloriæ: *Tu eris*, inquit, *rex, et ego ero secundus post te*. Teste Tullio [37], quidam errant, qui præferre pecuniam amicitiæ sordidum æstimant. Illos autem erat impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potestates amicitiæ non præponunt. Imbecillis enim et manca est natura hominis ad oblatam sibi potentiam contemnendam. Sed inventus est Jonathas victor natuæ, et contra naturam contemptor potestatis et gloriæ. Hæc est amicitia vera, stabilis et æterna, quæ sic tentata, sic arietibus et machinis pulsata non nutat, non suspicione monetur, non invidia vel ambitione, non injuriis, non comminationibus vel improperiis lacessita vacillat. Sic amicitia æqualitate fovetur. Unde B. Ambrosius [38]: « Defer amico ut æquali, nec te pudeat amicum prævenire officio. »

Cap. XX. *Quæ et quanta liberalitas in amicitia requiratur.*

Lex amicitiæ, sicut scriptorum clamat auctoritas, est, ut non nisi honesta petamus ab iis, quos in amicitiæ sinum recipimus, eisque postulantibus aliquid sine difficultate et dilatione consensum et convenientia commodemus, sicut scriptum est: *Perde pecuniam propter amicum* [39]. Si pecunia propter amicum perdenda est, multo fortius ejus commodis et necessitatibus exhibenda est. Porro non omnes per omnia, sed certi per certa ditiores aut pauperiores inveniuntur: ideoque non omnia possumus omnes. Abundat iste pecuniis, ille agris, alter honoribus; alius plus in consiliis potest, alius in familiaritate potentium. Quidquid autem amico impenderis, nunquam improperes, recolens illud Jacobi verbum: *Si quis*, ait, *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat* [40]. Quoties ergo amico donaveris [41], non avertas faciem, nec frontem obducas, nec deprimas oculos, nec mercedem exspectes, nec differas aut prolonges, sed hilari vultu, aut serena facie, et sermone jucundo condire studeas munificentiam tuam, et quasi voluntatem petentis præsagiens occurras, et desiderium ejus liberalitate præcurras, ut non rogatus videaris præstare, quod donas. Animus ingenuus nihil magis erubescit, quam petere. Cum ergo debeat tibi esse cum amico una anima et cor unum, absurdum est quod non sit una cum amico pecunia. Sic petiturum beneficiis prævenire curemus, ut ille qui accepit, potius videatur præstare gratiam, quam ille qui dedit. Booz advertens inopiam Ruth Moabitidis colligentis spicas post messores suos, alloquitur eam, consolatur et invitat ad convivium puerorum [42]. Ejus etiam verecundiæ parcens præcepit messoribus spicas de industria relinquere, quas illa posset sine pudore col-

A ligere. Sane in hac liberalitate neminem paupertas excusat; et utinam omnes essent pauperes spiritu, uberior emineret in beneficio mutuæ benignitatis obventus! Sapiens dicit [43]. Felicissimam agerent omnes vitam, si duo verba essent sublata de medio: Meum et tuum. Seneca testatur in libro *De beneficiis* [44] quod, cum multi multa pro suis facultatibus doctori suo Socrati obtulissent, Æschines pauper ejus auditor: Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio, et in hoc uno pauperem me sentio. Hoc solum quod habeo, id est me ipsum tibi do. Cæteri tibi multa dederunt, et sibi plurima reliquerunt: ego quod sum, et quod habeo, totum dono. Cui Socrates: Magnum mihi munus dedisti, nisi te parvum existimes. Gratum habeo donum, et illud melius reddam tibi. De suo itaque dedit, qui
B quod daret de bonis fortunæ, non habuit, et sic inter paupertatis angustias liberalitas materiam invenit largitatis. Si ergo filius Christi es, aut Petri discipulus, ut possis dicere: *Aurum et argentum non est mihi* [45]; habes tamen, quod auro pretiosius est et argento. Potes pro amicis orare, consolari afflictos, lapsos erigere, compatientibus compati et gaudentibus congaudere. Potes docere ignaros, propriam reputare desolationem alterius, potes sustinere dyscolos, pusillanimes roborare.

Cap. XXI. *Quanta discretione et cautela beneficiandi sint amici.*

Illud autem inter amicitiæ mandata provida dispensatione curetur ut, cum omnes amicos tuos
C diligas, non tamen omnes munificentia æquali ad beneficia vel honores ablata apportunitate promoveos. Sunt equidem plerique, qui se non diligi conqueruntur et causantur haberi contemptui, si alios et non se viderint curis et officits implicari. Tu vero initio solerter attendas, num quid possis præstare, sed quid et quantum ille, cui donaturus es ferre valeat, et sufficienter implere. Multos in veræ amicitiæ sinum recipimus et fovemus, quos sine dispendio famæ nostræ, sine ipsorum periculo, sine scandalo communi ad eminentiam, quam appetunt, erigere non valemus. Virtutem itaque et prudentiam hominis nos metiri oportet, ut in distributione bonorum prævaleat ratio, non affectus: suas tamen partes in talibus obtineat liberalis af-
D fectio, ubi virtutum æqualitas invenitur. Alias tamen nemo autumet se contemptum, si ei melior præferatur. Sane cum Dominus Joanni prætulit Petrum, non affectum subtraxit discipulo quem diligabat, Petro conferens principatum. Claves regni cœlorum Petro contulit, ut cœlum aperiret et clauderet [46], Joanni vero nobis aperienda sui arcana pectoris reseravit. Petro commisit curam et regnum Ecclesiæ suæ, Joanni vero curam et custodiam Matris suæ. Petrus ergo sublimior, sed Joannes se-

[37] Cic. *De amicit.* [38] L. III *Offic.*, c. 16. [39] Eccli. 29. [40] Jac. 1. [41] Aug. *De amicit.* c. 25. [42] Ruth. 2. [43] Plato *De repabl.*; Chrys. *in acta.* [44] Lib. I, c. 8. [45] Act. 3. [46] Matth. 16.

curior. Petrus exponitur actioni, Joannes affectui. Petro suam Dominus passionem indicat, prædicens, quod alius eum cingeret et duceret, quo non vellet; de Joanne autem dicit: *Sic eum volo manere, donec veniam* [47]. Non audet Petrus inquire a Domino, quis eum traderet; Joannes autem, innuente Petro, quod Princeps apostolorum inquirere verebatur confidenter interrogat. Tali ergo modestia et consideratione tam provida distribuantur inter amicos officia, ut omnibus præsit ratio, non affectus, et juxta omnium facultatem, quod unicuique sit portabile aut utile discernatur. Non omnibus tamen æqualis effectio impendatur, quia secundum mores et convictum, et merita hominum nobis certa diligendi forma describitur. Diligebatur Joannes a Christo familiarius [48]; sed dubium esse potest, utrum ferventius. Paulus de Timotheo scribit se neminem ita habere in anima; de Tito etiam loquens: *Cum venissem*, inquit, *Troadem non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenissem Titum fratrem meum* [49]. Et idem: *Cum venissemus in Macedoniam, nullam habuit requiem caro nostra; sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi* [50]. Sit ergo inter amicos rationabilis ex moderata dispensatione beneficiorum collatio. Sit alter alteri manus, sit oculus, sit baculus sustentationis, sit mutua spirituum requies, sit in angustiis refrigerii sedes. Denique sic in amicitia conversentur, ut ad illum amorem conscendere mereantur, quo Christus toto corde diligitur, et plurimum in eo amicitiæ fructum carpant, quando timore sublato, et sollicitudine, quam nunc sibi vicissim exhibent, plena et æterna securitate fruentur.

CAP. XXII. *De reverentia exhibenda inter amicos, et de mutua correctione inter eos.*

Amicus præterea sic faciem revereatur amici, ut aures, vel oculos ejus verbo, sive gestu, vel opere non offendat. Optimus amicitiæ comes, et ornamentum pretiosissimum verecundia est. E diverso peremptoria ejus est inverecundia, et attritæ frontis infrunitas. Plerisque accidit quod, cum iracundiæ ignis in eorum corde conceptus jam prodiret in publicum, aut cum jam verbum contumeliæ protulisset ad fauces, supervenientis aspectus amici sedabat æstuantis animi motum, turbatamque mentis faciem quodam placore vultus, et auctoritate venerabili subito serenabat. In hoc etiam apparet amicitiæ magna virtus, quod in suadendo vel dissuadendo aliquid plurimum potest. Quippe cum nec fides ejus sit dubia, nec blanda admonitio ejus suspecta. Amico igitur quod honestum est suadeas aperte, libere et secure; et si utilitas ejus exegerit, eumdem ne timeas objurgare. Cum autem plerumque molesta sit veritas, et propter hoc amicitia quandoque turbetur, juxta comicum illud [51]: « Obsequium amicos, veritas odium parit; » illud quidem obsequium damnabile est quod amicum indulgentiorem vitiis facit. Fiat itaque admonitio non acerba objurgatio non contumeliosa, adsit honesta et suavis affabilitas. Omnis autem assentatio sit procul a conditione amicitiæ aliena. Verbum B. Ambrosii est [52]: Si quid vitiosum deprehendis in amico, illum prius occulte corripe; si te non audierit, corripe eum palam; si vero se lædi putat, tu tamen eum corripe; et si animum ejus vulneret amara correptio, tu tamen corripe. Tolerabilia enim magis sunt amici vulnera quam adulantium oscula [53]. Sicut Romani scribit auctor eloquii, objurgationes nonnunquam necessariæ sunt, quas fieri oportet et majore vocis contentione, et acriore gravitate verborum, ita ut videamur irati; verum sicut ad urendum et secandum, sic ad hoc genus castigandi inviti et rarissime veniamus; maxime, si nulla alia medicina supersit. Ira vero procul absit, cum qua nihil considerate, nihil recte fieri potest. Castigatio ergo ex gravitate et clementia condiatur, ut repellatur contumelia, et qui objurgatur, se ipsum causam esse hujus acerbitatis agnoscat. In omnibus itaque servetur censura modestiæ, ne videatur quis iracundiæ suæ plus satisfacere quam amori. Sunt enim, qui ebulliunt interius, et æstum vesaniæ nomine zeli palliant et colorant; sed qui sequuntur suæ mentis impetum, et non potius rationem, vix aut nunquam in corripiendo proficiunt. Sit ergo, quæso, in corripiendo sermo tristior, dejectior vultus, intercipiant verba singultus et lacrymæ; ut sentiat qui corripitur totum hoc ex amore, non ex rancore procedere. Si primam correptionem forte respuerit, recipiet vel secundam. Interim ora, plora, suspira, et vocem gemitus intercidat. Agat amicus in veritate, quidquid emollire potest alterius animum; nihil tamen sit in verbo, vel planctu, aut singultu simulatione aliqua subornatum. Simulatio siquidem et assentatio duæ virulentissimæ pestes sunt, quæ semper procul ab amicitia relegentur. Verbum sapientis est: *Simulator et callidus provocat iram Dei* [54]. Per callidum intelligit adulatoris astutiam, sicut comicus exprimit in Eunucho [55]: Negat quis? nego; ait? aio. Postremo imperavi egomet mihi omnia assentari. Scriptum est per prophetam: *Populus meus, qui te beatificant, in errorem inducunt, et viam gressuum tuorum dissipant* [56]. Item de assentatoribus loquitur propheta in persona populi infidelis: *Videte nobis vana, loquimini placentia* [57]. Et rursus: *Prophetæ prophetabant mendacium, et sarcerdotes applaudebant manu, et talia dilexit populus meus* [58]. De simulatore iterum Salomon dicit: *Simulator ore decipit amicum suum* [59], et tempore aversionis meditabitur dolum. Amici ergo correctio tota de medullis animæ et de;

[47] Joan. 21. [48] Joan. 13. [49] II Cor. 2. [50] II Cor. 7. [51] Terent. *in Andria*. [52] L. *De amic.* c. 27 l. III *Offic.*, c. 16. [53] Prov. 27. [54] Job 36. [55] Terent. [56] Isa. 3. [57] Isa. 30. [58] Jer. 5. [59] Prov. 21.

intima compassione procedat, ut sic se habeat in meliorationе amici, sicut circa se fieri Propheta desiderat, dicens: *Utinam corripiat me justus in misericordia, et increpet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [60]. Sicut autem simulatio et assentatio amicitiæ intoxicant puritatem; sic dissimulatio inter amicos quandoque parit et nutrit affectuum puritatem. Est enim quædam simulatoria, sed dispensatoria correctionis dilatio pro loco, pro tempore, pro personna. Nam si amicus publice objurgandus est, quantum salva lege amicitiæ fieri potest, decet nos ejus dissimulare aut excusare erratum, et ad correctionem ejus tempus exquirere opportunum, et familiare secretum. Dum enim ex turbatione recenti adhuc est inquietior æger animus, tanta dissimulatione opus est, donec mentis nubilo serenato, pacatior verba blande monentis admittat. Certe cum rex David adulterio proditionem et homicidium adjecisset [61], correpturus eum propheta Nathan, regiæ tamen deferens majestati, non subito, non mente turbata, tanti sceleris ei crimen impegit; sed congrua dissimulatione præmissa, et proposito ænigmate competenti sententiam contra se judicantis extorsit.

Cap. XXIII. *Quousque amicus tolerandus sit, si in aliquo enormi vitio incorrigibiliter perseveret.*

Frequenter autem reperire est aliquos, qui non solum admissi, sed jam in amicitia firmati sinistra opinione laborant, ita quod in suorum damnum, vel infamiam amicorum eorumdem peccata redundant. Hi salutaribus monitis sunt curandi; qui si se incorrigibiles exhibuerint, non statim rumpenda est amicitia, sed paulatim, sicut eleganter docet quidam sapiens [62], dissuenda. Et hoc ipsum exceptionem recipit. Rumpenda est enim, si amici crimen adeo enorme est, ut sine famæ dispendio tolerari non possit; videlicet, si contra fidem Christi, si contra publicam utilitatem, vel simile aliquid præsumptione damnabili attentaverit. Dissuenda est amicitia, in qua non prosiliatur ad jurgia, non ad seditiones, non ad contumeliæ verba. Inhonestum est enem bellum cum eo gerere, quem tuæ familiaritatis secretarium habuisti. Amicitia dissoluta, nulli maledicta congerant in amicos, non susurrent in tenebris, non in angulis detrahant, non excusent se mendaciter ut alios dehonestent. Soluta denique amicitia, semper ei, quem amicum habueras, hic honor exhibendus est, ut qui infert, non qui patitur injuriam, sit in culpa. Amicitia ergo nunquam a sua æternitate degeneret. *Qui* enim *amicus est, semper diligit* [63]; ideoque semper eum dilige, qui te dilexerit; et si amicitia subtrahatur, tamen dilectio perseveret. Consule famæ, consule saluti, et prospice paci ejus, nec unquam secreta amicitiæ prodas, licet ipse prodiderit. In his tamen omnibus ita caute ambules, ne bonum odorem opinionis tuæ ei consulendo, aut alias colloquendo aliena criminatione contamines; sed sic statum animi ordines, ut nullus amor religioni aut fidei, seu paci multorum, propriæve saluti præjudicet. Rex equidem Assuerus, qui superbum Aman præ cæteris ad penitiora suæ familiaritatis admiserat, in cruce suspendit [64], præponens conjugii fidem et salutem multitudinis amicitiæ, quem ille consiliis maculaverat fraudulentis. Jahel, uxor Haber Cinæi, licet pax firmata esset inter Sisaram et domum viri sui, illi tamen pacem populi præferens caput Sisaræ clavo malleoque transfixit [65]. David rex licet de jure veteris amicitiæ Jonathæ posteritati pepercisse debuerit, audiens tamen propter Saul et domum ejus, et ob sanguinem Gabaonitarum, quos Saul occiderat, populum a Domino fame gravissima tribus annis afflictum, septem viros de cognatione Saul et Jonathæ Gabaonitis tradidit puniendos [66].

Cap. XXIV. *Qualiter amicitia dissolvenda sit, et quam modeste.*

Illud autem est in amicitiæ solutione notandum, quod in partem illius qui amicus est solutio amicitiæ nunquam cadit. Qui enim læditur lædenti amicus esse non desinit, diligit non diligentem, benedicit maledicenti, suum contemptorem honorat, seque beneficum exhibet sibi maleficia machinanti. Turpe est, maxime homini orthodoxo refricare injurias et odiorum sopitos cineres denuo suscitare. In lege Moysi scriptum est: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum* [67]. Cicero de laudibus Cæsaris scribens: « Nihil, inquit, nisi injurias oblivisci solet. » Et in Ecclesiastico: *Qui vindictam quærit, inveniet vindictam a Deo* [68]. Et Apostolus: *Nemini malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto* [69]. In Evangelio [70] legimus quod ille, qui servo suo noluit misereri, datus est tortoribus, donec universum debitum persolvisset. Semper ergo sit in memoria gratia familiaritatis antiquæ, nec eam superveniens unquam possit malignitas abolere.

Cap. XXV. *Ex quibus causis et in quibus amicitia dissolvatur potius quam rumpatur.*

Sunt autem quatuor, in quibus amicitiæ disjunctio locum habet: dilectio, affectio, securitas atque jucunditas. Dilectionis est consulere, providere et amico beneficia exhibere. Ad affectionem vero spectat quædam jucunda et suavissima delectatio. Ad securitatem pertinet quorumlibet secretorum sine omni timore et suspicione communicatio; ad jucunditatem vero, de prosperis et adversis; de utilibus atque nocivis, atque de omnibus, quibus mens humana efficitur, amica et familiaris, dulcis et blanda collatio. In his itaque amicitia patitur sectionem quia, licet dilectio in aliquo statu re-

[60] Psal. 140. [61] II Reg. 11 et 12. [62] Cic. *De amic.* Cato. [63] Prov. 17. [64] Esther 7. [65] Jud. 4. [66] II Reg. 21. [67] Lev. 19. [68] Eccli. 28. [69] Rom. 12. [70] Matth. 18.

maneat, subtrahitur tamen illa interior, illa suavissima dilectionis affectio, perit securitas, per quam revelavit arcana; turbatur jucunditas quam blanda confabulatio serenabat. Manet itaque dilectio, sed gratia familiaritatis anfertur; veteris tamen amicitiæ vestigiis aliqua reverentia semper impendenda est, nisi eam enormitas reatus eliminet.

TRACTATUS II.

DE CHARITATE DEI ET PROXIMI.

—

CAP. I. *Quod charitas sit virtus omnium præstantissima.*

Sicut præcedentia docuerunt, amicitia vera non est nisi suum habeat in Deo fundamentum. Eapropter cum amicitia donum Dei sit, justum est ut qui ex dono Dei diligit, nihil præter Deum, aut nisi propter Deum diligat; ut illuc flumina refluant, unde fluunt, ne rivus a suo fonte degeneret, qui de plenitudine gratiæ affluentis emanat, Illam siquidem unice et singulariter veram atque summam amicitiam profitemur, per quam nos Deus amicos suos vocare dignatus est, si ejus præcepta fecerimus. *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis* [71]. Hæc Dei amicitia et charitas, qua nos dilexit ante mundi constitutionem, et eligit in dilecto Filio suo [72]. Ipsa est fons omnium bonorum, quæ nobis a munificentia supercœlesti proveniunt. Ab hac omnis, amor legitimus ordinem formamque sortitur, nec ordinata esse potest aliqua mentis affectio, nisi ad ea causam, modum et ordinem mutuetur. De hac ordinatissima charitate Sapientia in libro sui nominis dicit: *Ab æterno ordinata sum* [73]. Hæc ordinata a Deo ordinat angelos in ministeriis suis. Hæc studia et exercitia justorum disponit in professionibus suis; hac mediante, ordinata est lex per angelos in manu mediatoris. Sine hac amicitia inter homines ordinata esse non potest. Nam, cum Apostolus dicat;: *Omnia secundum ordinem fiant in vobis* [74]; et ipse iterum: *Omnia vestra in charitate fiant* [75], patet ea ordinem non habere, quæ in charitate non fiunt. Charitas via est et vita virtutum. Ipsa est via eminentior, et illic iter quo ostenditur salutare Dei. Unde Apostolus in prima Epistola ad Corinthios: *Adhuc*, inquit, *viam eminentiorem vobis demonstro* [76]. Et idem: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem, Dei* [77]. Hæc est via de qua Isaias dicebat: *Ambulabunt hac via qui, liberati fuerint et redempti a Domino et venient in Sion cum laude fugiet dolor et gemitus lætitia sempiterna super capita eorum gaudium et lætitiam obtinebunt* [78]. Charitas est *præceptum Domini lucidum illuminans oculos* [79]. Ipsa enim lumen cordis est, omnes sensus hominis et affectus clarificans et serenans ut discat homo et sciat, ubi sit lumen oculorum et pax. Charitas est oleum, quod omni liquori supernatat, quod sanat, quod illuminat, quod omnem asperitatem propria suavitate lenificat. Hoc oleo uncti apostoli, et martyres suavissimam reputabant mortis amaritudinem et immanium sævitiam tormentorum. Christus enim unctus a Deo præ participibus suis hoc oleo suos ungit [80], et exactoris jugum a facie olei computrescere facit. Spiritus, inquit, Domini super me, eo quod unxerit me. Charitas non solum mortis et suppliciorum amaritudinem suavificat, sed et ipsam mortem potentissima virtute mortificat. Nonne Christi charitas peremptoria mortis erat, cum ipse dux vitæ mortisque destructor comminaretur et diceret: *Ero mors tua, o mors* [81]? *Dilectio* siquidem *fortis est ut mors* [82], imo fortior morte. Cum enim mors vitam eripiat temporalem; nos ad vitam charitas introducit æternam. Illa nos a vita transitoria dejecit, hæc ad vitam et gloriam sine fine restituit. Charitas est porta speciosa, quæ in eversione Jerusalem portis aliis omnino destructis integra et intacta permansit. *Charitas nunquam excidit* [83]. Hæc est speciosissima Sunamitis, quæ David in virginitate sua calefaciebat, eo quod non poterat calefieri pellibus animalium mortuorum [84]. Qui enim versantur in operibus mortuis refrigescente charitate, cogitatione passionis Christi denuo recalescunt. Hæc est nubecula, quæ ad preces Eliæ magnam excrevit in pluviam [85]. Cum autem aliquis Deum ex toto corde diligere incipit, statim non solum ad proximos, sed etiam ad inimicos benevolentiæ stillicidia et gratiæ fluenta diffundit. Nimirum charitas est oleum viduæ, quod continuum ex sui distributione suscipit incrementum. Mulier siquidem de uxoribus prophetarum uxor Abdiæ clamavit ad Eliseum dicens: *Vir meus mortuus est et ecce creditores tollunt a me duos filios ad serviendum sibi* [86]. Implevit ad vocem prophetæ vasa oleo, quo debebat inungi. Sunt filii timor et amor, qui vasa non pauca afferunt, quibus mater gratia oleum benevolentiæ et devotionis infundit; claudit tamen ostium conscientiæ a favore humanæ laudis, ne sine oleo inter virgines fatuas reputetur. Creditores sunt importunissimi exacto-

[71] Joan. 15. [72] Ephes. 1. [73] Prov. 8. [74] I Cor. 14. [75] I Cor. 16. [76] I Cor. 12. [77] Ephes. 3. [78] Isa. 35. [79] Psal. 18. [80] Hebr. 1. [81] Ose. 13. [82] Cant. 8. [83] I Cor. 13. [84] III Reg. 1. [85] III Reg. 18 [86] IV Reg. 4.

res maligni spiritus, qui pro voluptate transitoria æternos exigunt cruciatus. Vicinæ, a quibus vasa mutuo accipiuntur, sunt angelicæ potestates, animæ sanctorum, qui nos consiliis erudiunt et exemplis, quod oleum misericordiæ proximis infundamus; scientes quod, quandiu vasa hujusmodi superfuerint, non stabit oleum et charitas impensa pluribus uberius sortietur augmentum. Linguæ angelorum, linguæ hominum, sustentatio pauperum atque martyrum sine charitate nihil sunt, prophetia prædicit, scientia comprehendit, fides credit. Sed nec prophetia, nec scientia, nec fides, etiamsi montes transferat, quidquam sine charitate valebit; sine charitate nihil prodesse potest [87], nihil vero cum charitate obesse. Charitatis beneficio præpediente peccata non obsunt, charitas operit multitudinem peccatorum [88]. Charitas est lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, sacræ Scripturæ compendium, præceptorum Dei consummatio, virtutum virtus et bonorum impletio meritorum. Omnia mandata vitæ, omnia justitiæ opera referuntur ad eam. Ex hac suum sortiuntur effectum operum commendatio, devotæ orationes, et ab ipsa tanquam fructus ab arbore, tanquam ramus a vite pendent tota lex et prophetæ. Sicut enim fructus a palmite suum recipit alimentum, donec ad maturitatem perveniat: sic boni operis fructus, sic sancta devotio, sic omne quod pie agitur suum a charitate recipit initium et progressum.

CAP. II. *Quod charitas est consummatio et vita fidei.*

Ut autem sub certa diffinitione, quid sit charitas possit apertius et efficacius comprehendi, audiamus qualiter eam diffiniat aut describat Apostolus. Ipse enim ad Timotheum scribens: *Finis*, inquit, *præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* [89]. Præceptum lex dicitur, cujus præceptis vita hominum informatur. Est autem lex positiva: lex, scilicet, Moysi et principum terræ. De qua Paulus apostolus dicit: *Lex justo non est posita, sed injustis* [90]. Et est alia lex, quam Psalmista postulat dicens: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum* [91]. Ista lex spiritualis est, illa carnalis. Istius professor coram principibus et inter gladios nihil timet, illa injustos et maleficos terret; illa injustis posita est, quibus præcipit ne occidant, hæc justis non est posita, quia lex principum nihil in hominibus justis invenit puniendum. Audi quid dicat Apostolus: *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* [92]. Et adjungit: *Si malum feceris, time* [93]. Ab hoc equidem timore justum eximit charitas de puro corde. Ideoque ipsa finis legius illis est, quæ timorem incutit; unde et ipsa mortis est finis; legis autem

A quæ justo posita est, charitas etiam est, cum sit operum bonorum consummatio et malorum abolitio, et sic finis est utriusque legis, illius scilicet legis malorum quam abolet, et alterius quam implet. Sane finis eorum ficta est, de quibus dicitur: *Dilexerunt, eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei* [94]. A qua malitia Joannes apostolus nos dehortans; *Noli*, inquit, *diligere verbo, nec lingua, sed opere et veritate* [95]. Veritas operis est actio rectæ intentionis. Veritas in ore est, simplicitas in sermone. Sicut autem cor purum non simulat, ita pura intentio non errat. Ubi autem non erat error, aut simulatio, seu fictio, est pura et simplex intentio, et in ea charitas requiescit. Fictio vero fidei longe a charitate est relegata; et dicitur fides ficta

B eorum, qui de corde suo fingunt suæ fidei formam, et sanæ doctrinæ adversari non dubitant. Ficta etiam a quodam Sapiente dicitur quasi fictilis, eo quod tanquam vas fictile et fragile tempore tentationis cito a veritate recedit. De charitatis laude et commendatione scriptum est: *Si dederit homo substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam* [96]. Petrus autem apostolus sic nos ad eam invitans: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in vobismetipsis charitatem habentes* [97]. Et Paulus: *Super omnia*, inquit, *hæc charitatem habete* [98]. Et idem: *Sectamini charitatem* [99]. Et rursum: *Æmulamini charismata meliora* [100]; charitatem intelligens, propter quam omnia quæ reputaverat lucra, dicit se æstimare detrimentum, et arbitrari ut stercora, ut

C Christum lucrifaceret [1]. Paulus in ea charitate, quæ est *finis præcepti, de corde puro et fide non ficta* [2] firmiter stabilitus: *Quis nos*, inquit, *separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an gladius? Certus sum*, inquit, *quia neque mors, nec vita, neque angeli, neque potestates, neque principatus, neque altitudo, neque profundum, neque præsentia, neque futura, neque creatura aliqua poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* [3]. Vere de corde puro et fide non ficta charitas quasi ignis scintillans fervebat in Paulo. Unde et adhuc non cessat incendere plures illius ignita locutio. Ipsa autem per hanc fidem dicit Christum habitare in nobis, quod quandiu vivit Christus in nobis per fidem vivit. Justus autem per hanc vivere dicitur, sicut testi-

D monio Habacuc prophetæ et Pauli apostoli probatur, aperte dicentium quod *justus ex fide vivit* [4]. Oportet sane quod viva sit fides, de qua vel per quam vivere nos oportet. Notandum ergo quod sicut vitam corporis ex motu dignoscimus, ita ex operibus bonis vitam fidei comprobamus. Illa siquidem fides vivit, quæ per dilectionem operatur. Est ergo charitas vita fidei, qua refrigescente fides moritur, sicut corpus Spiritu recedente. Spiritus autem Dei est,

[87] I Cor. 13. [88] Jac. 5. [89] I Tim. 1. [90] Ibid. [91] Psal. 118. [92] Rom. 13. [93] Ibid. [94] Psal. 77. [95] I Joan. 3. [96] Cant. 8. [97] I Petr. 4. [98] Col. 3. [99] I Cor. 14. [100] I Cor. 12. [1] Phil. 3. [2] I Tim. 1. [3] Rom. 8. [4] Rom. 1, Habac. 2.

per quem charitas diffunditur in cordibus nostris [5]. Sunt tamen qui cum spiritu cœperint, carne consummantur, et illud convenit illis verbum : *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* [6].

CAP. III. *Qualiter cogitandus est Deus charitas.*

Sciendum quod quanto terra inferior est altitudine cœli, tanto elegantior et eminentior, et inæstimabiliter dulcior est amore proximi amor Dei. Et ut de Dei dilectione loquentibus campus arrepti propositi desiderabilius et liberius ad intelligentiam se diffundat, pauca de Deo quasi delibando perstringimus, ut appareat quam ineffabili gratia et dignatione incomparabili Deus gloriæ mediante beneficio charitatis homini condescendat. Credendus, inquam, et cogitandus est Deus, quadam vita perpetua vivens in se, et omnia vivificans, immutabilis et omnia mutabilia immutabiliter faciens, omnia intelligens, omnemque creans intelligentiam. Sapiens, et ipsa sapientia, veritas fixa, justitia indeclinabilis, summa virtus, perfecta bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immensitas, summa essentia, a qua omne esse, summa et æterna substantia non subjecta prædicamentis vocum, aut cogitabilium, sed omnium rerum causale efficiens et superessentiale principium· Cogitandus est Deus simplex, purus; integer et perfectus, nihil habens quod in numerum transeat, nihil trahens a tempore, vel a loco, sed in omni loco, quod non includatur nec excludatur a loco. Cogitandus est Deus sine forma visibili, sine spiritu corporali, sine compositione partium, sine distinctione membrorum, ex quo omnia causantur non materialiter; in quo omnia non in loco sed virtute ; sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, sine habitu continens omnia et disponens. Disponit enim ut sapientia operatur ut virtus, amat ut charitas, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, videt ut æquitas, præsidet ut majestas. Non comprehendis ejus magnitudinem, nisi fias parvulus in oculis tuis, subjiciens te omni humanæ creaturæ propter ipsum. *Deus charitas est* [7], spiritus tamen specialiter charitatis appellatione significatur. Ipse est enim amor Patris et Filii, et suavitas, et unitas, et osculum, et amplexus, et quidquid commune amborum esse potest. Cum vero per gratiam Spiritus sancti anima hominis Deo mirabiliter et miraculose unitur, sciendum est quod idem Spiritus in illa unione donator est, et donum propterea Paulus aspostolus Spiritum sanctum interserit catalogo ministeriorum Dei, dicens : *In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei* [8]. Spiritum sanctum ponit in medio quasi artificem totius bonæ voluntatis ad Deum formantem affectiones, dirigentem actiones, omnia fortiter et universa suaviter disponentem [9]. Spiritus enim est qui vivificat spiritum hominis, ipsumque instruit et informat Deum diligere, quærere et invenire, tenere et frui. Ipse est sollicitudo quærentium Deum in humilitate, pietas adhortantis in spiritu et veritate. Ipse est sapientia invenientis, amor habentis, et gaudium perfruentis.

CAP. IV. *Quod cupiditas facit hominem multipliciter errare a vero bono, quod est in charitate.*

Porro quidam ad perfruendum sibi eligunt ea quæ peremptoria sunt salutis. Veneno enim cupiditatis infecti et absorpti a malitia hujus mundi, id est fallacibus divitiis in transitoriis scilicet honoribus, in voluptatibus carnis, sæculique favoribus, suæ intentionis finem constituunt, et in his quæ sunt æternæ damnationis occasio, felicitatem suam falsa opinione quasi somniando depingunt. Isti ut metam suæ intentionis attingant, viarum dispendia eligunt, et ecce cupiditatis multiplici præstigio dementati ad sui desiderii finem per divortia et anfractus incedunt. Tendit enim unus ad bravium sui cursus militia mediante. Alius negotiatione, alius exercitio alicujus artis, alius latrociniis aut rapinis. Id autem specialiter ab unoquoque diligitur, ad quod finaliter intentio ejus tota dirigitur. Cætera vero quasi quædam adminicula sunt, militia scilicet atque negotiatio, et cætera, quibus mediantibus id quod quis ad fruendum elegit obtinere conatur. Interim autem mens delusa, quæ sibi felicitatis imaginem jure præsagiebat inutili, dum post rei desideratæ obtentum, majori se sentit indigentia laborare, præoptata incipit fastidire, et denuo in alterius rei succenditur appetitum, non tamen satianda, sed alterius falsæ felicitatis, imagine fallenda. Hic est circuitus impiorum. Hæc est vituperatio multorum commorantium in circuitu. Hæc est mola Samsonis [10], quam decisis virtutum crinibus et effossis prudentiæ oculis circumvolvit sequens cupiditatis circuitus relicto compendio charitatis. *Caput*, inquit, *circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos* [11]. Porro de hoc labore non satiabitur homo, nisi de siliquis porcorum illa forte satietas inducatur [12], quæ divitem dormire non sinit. Ubi enim copia divitiarum major exuberat, ibi se gravior molestia sollicitudinum totius perturbativa quietis intrudit. Rationabilis itaque anima, licet ad summam beatitudinem desideranter aspiret, aliis tamen abstrahitur, et eam quædam falsæ felicitatis imago deludit, aut veræ miseriæ similitudo deterret. Quis enim paupertatem, persecutionem, ægritudinem non reputet magnam miseriæ portionem ? Istis tamen et vera miseria præcavetur, et vera beatitudo acquiritur. Nimirum paupertas regni cœlestis acquisitiva est: *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati qui lu-*

[5] Rom. 5. [6] Gen. 6. [7] I Joan. 4. [8] II Cor. 6. [9] Sap. 8. [10] Jud. 16. [11] Psal. 139. [12] Luc. 16.

suriunt, persecutionem sustinent, quia illi untur [13]; illi consolationem recipient, isti eleste regnum adepti sunt, non solum ad lum, sibi, sed et aliis conferendum.

CAP. V. *Quanta mala sint in divitiis.*

otem de temporalium divitiarum et delicia- mbratili et peremptoria felicitate causa exem- pua inducamus, et quod ad beatitudinem, quæ itate, est, ea liqueat esse penitus aliena; primis quanta circa pecuniam molestiarum versetur. Pecunia cum labore acquiritur, ita cum timore, servatur, et tandem cum do- nittitur. Ex proventu pecuniæ potest æstimar æ incrementum; hydropici enim more, qui ibendo, plus sitit, pecuniæ cupiditas multi- one grandescit. Timetur primo potens ne t, servus ne furto subripiat. Et frequenter ur verbum illud Sapientis, ut sint *divitiæ con- e in malum domini sui* [14]. Melius est ergo pau- quia nec metuit potentem, nec proditorem lat aut furem. Pauper cantat, dives plorat. uxta criticum:

loratur lacrymis amissa pecunia veris [15].

peri, cui Christus sufficit, nihil deficit. Dives , quanto plura possidet, pluribus eget, nec itiis unquam invenit copiam quam inquirit. m Salomonis est: *Avarus non satiabitur pe- et qui amat divitias fructum non capiet ex eis* cumspecte dictum est, *qui amat divitias;* po- im homo sic amare divitias, ut non habeat, r suum divitiis, si affluant, non apponat. Pro- præcipit Apostolus prædicandum divitibus uperbe sapere, non sperare in incremento rum, sed ut facile tribuant et communicent, saurizent sibi bonum fundamentum, ut ap- ndant veram vitam, ipso teste: *Non qui divi- t, sed qui divites esse volunt, incidunt in ten- em et laqueum diaboli* [17], sibique thesaurizant in die iræ. Quod insinuans Habacuc dicit; *Væ ngregat non sua! Usquequo et aggravat contra sum lutum* [18]*?* Sanctos etiam inter divitias, ollicitudo servandi nec timor amittendi sollicitat ic enim sollicitudinem Dominus interdicit: , inquiens, *solliciti esse dicentes: Quid man- imus aut quid bibemus* [19]*?* Et paulo post: *ite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc adjicientur vobis* [20]. Isti, sicut nunquam de is gloriantur, sic nec murmurant de amissione m; imo rapinam bonorum suorum cum gaudio piunt, considerantes se habere meliorem et ntem substantiam. Perversis denique totum in arium cedit; dum enim rationalis animæ titum, cui solus Deus sufficere potest, satiari imant vili affluentia mundialium rerum, nihil uantalibet rerum ingestione proficiunt, nec sibi infelicibus exinde subtrahunt, nec a la-

A bore quiescunt, et quod miserabilius est, talium vana delectatione tumescunt. Talium dico, *gloria in confusione* est, *quorum finis interitus* [21], quorum vita in continuo labore, quorum exitus in miseria sine fine. Quocirca nugatoria et fallaci temporalium divitiarum felicitate delusi, præteritæ vitæ fructum convertunt in materiam lacrymarum.

CAP. VI. *Lamentabilis querela eorum, qui a charitate deviant per cupiditatem.*

Miseriam siquidem talium sacra Scriptura patenter exprimit ac describit: *Dicentes*, inquit, *intra se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes: lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini*

B *ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia velut umbra, et tanquam nuntius præcurrens, tanquam navis quæ præterit fluctuantes aquas, cujus, cum transit, non est vestigium invenire; ita et nos nati continuo desivimus esse, et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere; in malignitate nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno qui peccaverunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur; et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur; et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unus diei prætereuntis* [22].

CAP. VII. *Quot mala sint in voluptate carnis.*

Quam fallax et delusoria sit illa perniciosa felicitas, quam plerique in carnis voluptate constituunt,

C in libro experientiæ legitur incessanter, dum in opere impudicitiæ cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat. De actu quidem immunditiæ nihil remanet nisi feda et fœtida recordatio peccati in tormentum animæ exspectationemque gehennæ. De talibus ergo lugendum potius sentio, quam loquendum. Eos, qui ad imaginem Dei creati sunt, in bestiales motus et impetus belluinos degenere videmus, quærentes quæ de ventre et sub ventre sunt, et impudenter impudicitiæ dari, qui tremenda super se Dei judicia non attendunt. Quid enim indignius quam animam suam, pro qua Christus mortuus est, viliori parti corporis sui substernere et se brutis irrationabilibus conformare? Porro multis est annexa doloribus hæc volu-

D ptas. In primis vis visus excæcatur illius, qui naturalis limites facultatis excedit. Ideoque et istius consuetudo, et quarumlibet voluptatum frequenter, non solum animæ periculum, sed etiam corporis inferre videtur exitium. Quocirca hic voluptatibus nihil est fœtidius, nihil est iniuletius, nihil a naturali tranquillitate remotius. Hæc nimirum lues sordidissima contaminat carnem, et mentem effeminat. Si quid vero in homine honestum et virile est, totum obruit et enervat. Cumque cætera vitia se

Matth. 5. [14] Eccle. 5. [15] Juv. *sat.* 13. [16] Eccle. 5. [17] I Tim. 6. [18] Habac. 2. [19] Matth. 6. [20] Ibid. ril. 3. [22] Sap. 5.

quibusdam virtutum tegumentis obpallient, et frequenter ad humanos aspectus quadam extollentia jactantiæ intumescant, mens hujus turpitudinis conscia tantum prima fronte præfert suæ actionis horrorem, ut non solum ea hora, qua ipsius caro perniciosa voluptate præstringitur, sed etiam quando audit aliquos loquentes de turpitudine sua, rubore perfunditur, absentiam captat, et immundi operis recordatione torquetur. Eapropter hic semper latebras quærit, et quia male agit, odit lucem. Sed in latebrosis absconditus non poterit tremendum judicem declinare non solummodo corporum, sed et cordium secreta videntem. Nec illud est silentio transeundum, quod omnium Creator genitalia membra tanta obscenitate damnavit, ut ei paterna maledictio et perpetua servitus sit inflicta [23], qui eadem in patre reverenter operire contempsit. Sane cum hodie circumquaque crux Christi triumphet potissima luxuriæ debellatrix, absurdissimum est, quod plurimi professores filii B. Virginis quasi jumenta in suis stercoribus computrescunt [24]. Bibunt urinam peccatorum suorum, versantur in abominationibns suis, et donec iram Dei sentiant improvisam, ignem, qui jam succensus est in furore ejus, non cogitant nec formidant. Porro, antequam comprehendatur peccator in desideriis suis, intelligat miser carnis immunditiam, in qua suam somniavit beatitudinem fuisse, a Deo quibusdam loco pœnæ gravissimæ irrogatam, volente eos in hoc puniri, quod eos suæ dimiserit voluptati. Verba enim Domini sunt in Psalmista : *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desiderium cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis* [25]. Apostolus quoque de his qui mutaverunt gloriam Dei in idololatriæ cultum, terribiliter loquens dicit : *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis* [26], non quod Deus sit incentor mali ; sed quod sentiant immissiones per angelos malos a gratia derelicti. De incestuosis, et his, quorum peccata in Sodomis Deus corporaliter igne et sulphure condemnavit [27], ut innotesceret abominatio iniquitatis, ex fetore et horrore supplicii, sub silentio claudi oportet, ne opusculum præsens, in quo de charitate agimus, quæ est intima requies animæ, abhorrenda locutio dehonestet. Ex prædictis apertissime liquet, quam perniciosus sit amor carnis atque lubidinum, ad quarum detestationem Deus de purpurata meretrice executoribus angelis dixit : *Quantum exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormenta et luctum* [28].

CAP. VIII. *Ostendit Salomon quanta sit vanitas hujus mundi.*

Restat prosequi quod in voluptate oculorum vel A aurium cæterorumque sensuum non est beatitudo vel requies, neque in his quæ pertinent ad delicias vitæ hujus ambitiosum honorem, aut potentiæ dominatum. Veniat igitur rex ditissimus, potentissimus, delicatissimus, et tamen sapientissimus, Salomon scilicet et quid de fine talium judicet, videamus. *Dixi*, inquit, *in corde meo : Vadam et affluam deliciis et fruar bonis* [29]. Et infra : *Ædificavi domos et plantavi vineas, feci hortos et pomaria, et conservi ea cuncti generis arboribus* [30]. Et multa similia prosequendo adjecit : *Possedi servos, et ancillas, et familiam multam nimis, coacervavi mihi argentum et aurum substantias regum et provinciarum* [31]. Et addens de voluptate aurium : *Feci mihi cantatores et cantatrices* [32]. Post pauca subjecit : *Quidquid desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor* B *meum quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ paraveram mihi* [33]. Quid, quæso, delicatius, quidve jucundius ? Sed attende quia nih vanius, ni mutabilius. Continuat enim Salomon et subjungit: *Cumque convertissem me*, inquit, *ad cuncta opera mea, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus, et nihil permanere sub sole* [34]. Sententiam quidem generalem præmiserat dicens : *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce omnia vanitas, et afflictio spiritus* [35].

CAP. IX. *In sola charitate requies et pax.*

Habes ex verbis Salomonis vanitatem et afflictionem spiritus. Apponit Veritas tertium, scilicet servitutem. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati* [36]. Conjungantur ergo hæc tria : *Vanitas,* C *servitus et afflictio spiritus* [37]. Ubi ergo requies, ibi Sabbatum. Nonne verbum legis est : *Nullum servile opus facietis in eo* [38] ? Qui est, qui peccatum non fecit ? Quis est ergo qui non sit servus peccati ? Dicit rex David : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* [39]. *Si dixerimus*, inquit Joannes, *quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* [40]. Quis ergo nos liberabit a jugo veteri et servitute peccati? ille de quo Veritas in Evangelio dicit : *Si filius vos liberavit, vere vos liberi eritis* [41]. Ipse ab Sabbatum nos invitans : *Venite*, inquit, *ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* [42]. Ecce refectio, quasi Sabbati præparatio. Audiamus et Sabbatum : *Tollite jugum meum super vos, et discite a* D *me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* [43]. Ecce Sabbatum, ecce quieta tranquillitas. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* [44]. Jugum hoc non premit, sed erigit. Pennas habet quibus elevet, non pennas, in quibus aliquos gravet. Jugum illud charitas est Dei proximique dilectio. Hic requiescitur, sabbatizatur, hic ab omni opere servili vacatur. Nimirum *charitas non agit peperam, non cogitat, malum* [45], sed et di-

[23] Gen. 9. [24] Joel. 1. [25] Psal. 80. [26] Rom. 1. [27] Gen. 19. [28] Apoc. 18. [29] Eccle. 2. [30] Ibid. [31] Ibid. [32] Ibid. [33] Ibid. [34] Ibid. [35] Ibid. [36] Joan. 8. [37] Eccle. 2. [38] Lev. 32. [39] Psal. 50. [40] I Joan. 1. [41] Joan. 8. [42] Matth. 11. [43] Ibid. [44] Ibid. [45] I Cor. 13.

lectio proximi malum non operatur. Vides, o Judæe, Sabbatum ubi sit; in quo, etsi aliqua peccati subreptio ex infirmitate contingat, non tamen perit Sabbati feriatio, quia charitas operit multitudinem peccatorum [46].

CAP. X. *Quod mundana concupiscentia in causa est, quare jugum Domini grave videatur.*

Videmus tamen aliquos, qui cum suaviter respirare deberent sub jugo et onere tam suavi et tam levi, sub utroque laborant et murmurant. Addicti enim et assueti Babylonicæ servituti vitium inolitæ consuetudinis non possunt dediscere, unde non intelligunt hoc de morbo proprio, sed de jugo vel onere Domini provenire. Sciant autem, quicunque causantur jugum vel onus Domini in habitu ferentes quod mentis humeros negotiorum sæcularium pressuræ supponant, atque jugo Domini laborum impatientiam, quos pro sæculo patiuntur, ascribant. Isti sunt, ut immundi canes ad proprium vomitum recurrentes [47], et sub habitu abstinentiæ ventrem colunt, sub cilicio pœnitentiæ gloriam mundi captant, sub sacro amictu pudicitiæ et munditiæ militant, sub ovis vellere lupum operiunt, et avaritia inexplebili æstuantes domum domui, agrum agro copulant, armantur ad lites et contentiones, non parcunt pauperi, viduæ aut pupillo, nec moventur super contritione Joseph. Ad jugum utique mundi pertinet, quod curis exæstuant, quod inflammantur odiis, quod torquentur invidia : et hoc jugum cupiditatis est, et onus sæculi grave. *Jugum enim Domini suave est, et onus ejus leve* [48]. Et, quæso, quid suavius est homini, quid jucundius quam mundum contemnere et se reputare sæculo celsiorem, atque in bonæ securæ vertice conscientiæ consistentem mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre quod appetat, nullum cui invideat quod metuat, nihil mali esse quod ab alio sibi possit inferri, nihil boni quod ab alio sibi possit auferri, et in illam hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis oculos dirigendo, fallaces divitias et honores perniciosos, et damnabiles delicias conculcare. Quid, quæso, desiderabilius, quid tranquillius quam suam sic animam stabilire, ut nullis motibus carnalis concupiscentiæ agitetur, extraordinaria appetitus incentiva non sentiat, aspectus illecebrosos abhorrens, carnem rore pudicitiæ tepescentem compellat ancillari spiritui : necjam illam ad carnis lenocinia illectricem sed ad exercitium militiæ spiritualis promptissimam habeat adjutricem. Quid præterea ita divinæ tranquillitatis imaginem gerit, quam anima, quæ sic ad omnium injuriarum tolerantiam se obfirmat, ut eam contumeliæ illatæ non moveant, mentem ejus a statu suo nullæ comminationum, aut injuriarum machinæ dejiciant, eamdem in prosperis et adversis servare constantiam, amicum et inimicum eodem oculo intueri? Nonne similis est ei, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* [49], et omnes sagena charitatis attrahit et amplexatur in Christo? Quæ cum circa ea omnia mutabiliter fiant, nulla tamen est in eis cordis mutatio.

CAP. XI. *Quod omnes virtutes ex charitate sint.*

Vere verum est in charitate Sabbatum, cum enim cæteræ virtutes vicem vehiculi vel viatici gerant ad requiem obtinendam, omnes in charitate requiescunt. Illud denique admiratione dignum est, quod sine charitate nihil est virtus, et ipsa unicuique virtuti exhibet ut sit virtus. Fides equidem, quæ hic operatur ad vitam, in Dei visione, jam non erit fides, sed veritas. Ibi enim absorbebitur fides, cum id videbitur, quod super omnia diligetur. Nec opus erit credere, quod nobis licebit plena cognitione percipere. Non erit etiam ibi de cætero spei locus, ubi Deo ferventes non habebimus ulterius quod speremus. Hic temperantia pugnat contra libidines prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra inæqualitates. Porro in charitate semper est perfecta castitas, ideoque non est ibi libido, cui temperantia repugnet. In charitate est perfecta scientia, ideoque nullus error quem prudentia climinet. In charitate vera beatitudo est; ideoque nulla adversitas quam fortitudo expugnet. In charitate omnia sunt tranquilla et coæquata; ideoque nulla est ibi inæqualitas, quam justificari oportet. Denique nec fides virtus est, nisi per dilectionem operetur. Nec spes virtus est, nisi quod speratur ametur. Rursum, si velis virtutum naturam æstimare subtilius, qui est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit? Quid est prudentia, nisi amor, quem error non seducit? Quid est fortitudo, nisi amor, qui nulli adversitati succumbit? Quid denique justitia, nisi amor, qui quod suum est unicuique distribuit?

CAP. XII. *Quod charitas est Sabbatum, et sex virtutes quasi sex dies ante Sabbatum.*

Sicut autem charitas est vera mentis humanæ requies, perfectumque Sabbatum, sic et sex prædictæ virtutes, fides, spes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia sunt quasi quidam dies operationis, Charitas vero quædam luminosissima dies est quietis, tranquillitatis et pacis. Et nunc, quæ est exspectatio mea, nisi tu, Domine, si forte desiderium pauperis exaudiat auris tua, ut ad modicum tempus requiescam cum regibus et consulibus, qui ædificant sibi solitudines et replent domos suas argento? Porro vix ad momentum mihi permittitur requies ab exactoribus Pharaonis. Verumtamen mihi sabbatizare liceat vel media hora. Utinam detur mihi vacare et videre quoniam Jesus Christus est Deus, ipse est Sabbatum animæ quærentis eum, præparans diligentibus se tranquillum et impermutabilem sabbatismum. O quam beati sunt qui ingrediuntur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei,

[46] Jac. 5. [47] II Petr. 2. [48] Matth. 11. [49] Matth. 5.

atque in voce exsultationis et confessionis tripudiant A et exsultant! memores verborum tuorum, Jesu, cum Habacuc propheta cantantes : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo*[50]. Sabbatizat Judæus, quia legit Deum sex diebus operatum fuisse, et quasi labore operis fatigatum die septimo quievisse[51]. Sane non laboravit operando Creator, sed dixit, et facta sunt omnia pro beneplacito suo; mandavit, et creata sunt universa. Summa et æterna essentia Deus nullius indigens, plene sibi sufficiens in sua tranquillissima charitate indeclinabiliter et immutabiliter manens et mutabilia operans, requiescit in se vivens, beatorum pax et indeficiens quies. Quocirca, sicut in successione dierum mane et vespere vicissim variantium creaturæ mutabilitas designatur; sic et in Deo, cui nihil advenit, nihil B præterit aut succedit, æterna tranquillitas ipsius et quieta æternitas intimatur. Notandum vero quod operibus Dei senarius, septenarius numerus divinæ quieti ascribitur. Nimirum, senarius numerus perfectus est constans ex partibus suis. Si enim connexeris unum, duo, tria, perfectum habes senarium qui Dei operibus specialiter est assignatus, ut in horum universitate, nihil superfluum, nihil recipias imperfectum. Magnæ quidem excellentiæ dies est, in quo prima lux Deo jubente resplenduit, nec mediocris prærogativæ dies est, in quo Deus superiores aquas ab inferioribus firmamento mediante divisit; nec minoris esse arbitror dignitatis diem, in qua, aquis in unum congregatis, a Deo arida vestita est herbis et arboribus decorata, venustata floribus et fructibus fecundata[52]. Nec est dies ille C reputandus inferior, in quo Deus cœlum suis luminaribus adornavit, et juxta temporum successus signorumque vices excursum totius anni disposuit. Sed nec ille dies alienus a laude est, in quo Deus partem animantium in aquis, partem in aere collocavit. Ab istorum eminentia et privilegio non degenerat dies sextus, in quo ad imaginem suam Deus plasmavit hominem, et vitam inspirans ipsum animantium universati præfecit. Porro diei septimi præeminentia omnibus antecellit. In quo nullius rei creatio, sed omnium creaturarum perfectio et diei requies commendatur. De singulis diebus scriptum est : *Factum est vespere et mane dies* unus, aut *secundus*, et deinceps[53]. At diei septimo non mane aut vespere, non initium aut finis ascribitur. Dies D enim requietionis Christi immutabilis et æternus. Mutua siquidem Patris filiique dilectio, suavissimus amplexus, amborum charitas scilicet, qua Pater in Filio et Filius in Patre, ipsa est eorum jucundissima quies, indivisibilis unitas, pax imperturbabilis æterna tranquillitas, Spiritus sanctus, qui ab utroque procedit, quod insinuans Filius Dei : *Ego*, inquit, *Patris mei mandata servavi, et maneo in ejus dilectione*[54]. Et rursum : *Ego et Pater unum sumus*[55]. Et idem de Filio Pater : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*[56].

CAP. XIII. *Collatio sex virtutum ad sex dies.*

Expressa igitur congruæ collationis imagine, sicut sex diebus, ita sex virtutibus circa piæ intentionis opera exercemur, ut post sanctarum vicissitudines actionum in tranquillo charitatis, quasi in vero mentis Sabbato respiremus. Quocirca fidem ponamus diem primum, quo fideles ab infidelibus quasi lux ex tenebris separantur. Spes etiam vicem secundæ diei obtineat, per quam hi, quorum *conversatio est in cœlis*[57], discernuntur ab aliis, qui terrena sapiunt, et liquescentes in se ipsis delabuntur et effluunt. Temperantia quasi dies tertius illucescat, in quo membra nostra mortificantes super terram, carnalis concupiscentiæ fluxum, quasi aquas amarissimas certis continentiæ limitibus coarctamus, ut terra nostri cordis appareat, et sitiens fontem vitæ, virtutum flores fructusque producat. Prudentia quasi dies quartus faciat scientiæ lumen erumpere. ut inter facienda et non facienda discernens dividat inter diem et noctem, quatenus sapientiæ lumen, velut solis splendor, effulgeat. Lux vero scientiæ spiritualis in quibusdam crescit, et in quibusdam deficit, quasi lunæ lux minor appareat. Exemplo etiam præcedentium Patrum quasi stellæ inter dies et annos mensesque distinguunt : quid videlicet distet inter eos, qui ante legem, et eos qui sub lege, vel qui sub gratia profecerunt : quæ cæremoniæ, quæ præcepta, quæ judicia, quæ promissa sub quo intellectu nostræ salutis conveniant. Fortitudo autem sit dies quintus, per quem in hoc mari magno et spatioso quasi pisces spirituales procellosa fluctuum volumina toleremus, cohibeamus linguæ lubricum sub censura silentii, et quasi volatilia pennata, nunc ad cœlestia erigamur, nunc autem condescendentes operibus misericordiæ, fructus operum bonorum sub Dei benedictione reddamus. Constituatur denique justitia dies sextus, per quem ad divinam imaginem reformati bestialibus desideriis vitiisque reptilibus imperantes, corpus spiritui, spiritum Deo subjiciamus, et sic utrique quod suum est, tribuatur. Et notandum quod Dominus non bestiis, non jumentis, nec reptilibus, sed hominibus et avibus atque piscibus benedicit; homini autem jumenta et bestiæ subjiciuntur. His enim qui in se Dei præsentant imaginem, jumenta, id est corpora nostra subjiciuntur, et bestiæ, id est nequitiæ spirituales, de quibus Propheta precatur : *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi*[58]. Et Dominus per alium prophetam : *Auferam*, inquit, *malas bestias*[59] de terra vestra, et dormire vos faciam fiducialiter. Hæc est dormitio septimæ diei tranquillissima dies. Dies enim septimus est charitas, dies Sabbati, dies requietionis,

[50] Habac. 3. [51] Gen. 2. [52] Gen. 1 passim. [53] Ibid. [54] Joan. 15. [55] Joan. 10. [56] Matth. 3. [57] Phil. 3. [58] Psal. 73. [59] Lev. 26.

jucunditatis et pacis, per quam homo securissime dicit : *In pace in id ipsum dormiam et requiescam* [60]. Ipsa est omnium virtutum consummatio, sanctarum onimarum suavis refectio, tranquillissima mentis feriatio. Ipsa est septimus dies, in qua manna cœleste nos reficit ; ipsa est mensis septimus, in quo post diluvium tentationum irruentium cordis arca suavissime requiescit ; ipsa est illud Sabbatum, quod Isaias propheta describens : *Et erit*, inquit, *Sabbatum ex Sabbato, mensis exi mense* [61], ut post septies septimum annum annus jubileus incipiat, annus placabilis Domino, in quo sua singulis restituatur hæreditas, plena jucunditatis, antiqua possessio et æterna libertas. Hic lacte reficimur ab uberibus consolationis ejus. Et cum avulsi fuerimus a lacte, epulabimur ab introitu gloriæ ejus, et implebitur quod Dominus in Isaia promittit : *Ecce*, inquit, *ego creo Jerusalem exsultationem et populum ejus gaudium, et exsultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo, et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris* [62]. Domine Deus, quandiu prolongrbitur jubileus, quando præveniet me misericordia tua ? Interim comedam panem meum in sudore vultus mei [63], et cum lacrymis in mensura, donec vinum detur mœrentibus et sicera his, qui amaro sunt animo [64], et tota deliciis illis absorbeatur anima mea, quarum primitias jam degusto.

CAP. XIV. *Quod triplex Sabbatum habet homo in dilectione Dei et proximi et dilectione sui.*

Erit, inquit, *mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato* [65]. In Veteri siquidem Testamento assignatur triplex distinctio Sabbatorum. Primum Sabbatum dicitur septimus dies ; secundum, septimus annus ; tertium, annus qui sequitur post septies septem annos, id est quinquagesimus annus. Est itaque primum Sabbatum dierum, secundum anorum, tertium Sabbatorum Sabbatum : ita ut in unitate septenarius concludatur, qui ab unitate progrediens in unitate perficitur. Omne siquidem opus ab unius Dei fide sortitur initium, et septenario sancti Spiritus munere incrementum suscipiens ad eum, qui vere unus est, imo quæ vera unitas, revertitur, in cujus rei figura arcæ fabrica in uno cubito consummatur. Et notandum quod in charitate hac triplex Sabbatum, si velis diligentius advertere, invenitur. In lege duo præcepta dilectionis expressa sunt : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum* [66]. Hæc duo mandata tria esse diligenda insinuant. Non potest quis proximum suum diligere, sicut se, nisi diligat se ipsum. Homo igitur tenetur diligere Deum, et proximum suum sicut se ipsum. *Nemo* siquidem *carnem suam odio habuit* [67] ; si vero diligat carnem, fortius teneturdiligere et mentem. Credo siquidem quod omnis A homo magis appetit sanum esse mente quam carne. Sit ergo primum Sabbatum hominis dilectio sui, secundum dilectio proximi, Sabbatum, Sabbatorum dilectio Dei. In dilatatione, seu distinctione est quædam earumdem admiranda connexio, ita ut singulæ in omnibus et omnes inveniantur in singulis, ut omnes habeantur in una, nec una sine omnibus habeatur. Nimirum nemo se diligit, nisi diligat Deum et proximum ; nec proximum diligere potest ut se, diligat se ipsum. Item Deum non amare omnino convincitur, a quo proximus non amatur. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, quomodo potest Deum diligere quem non videt* [68] ? Quia ergo Deus propter se diligitur, si propter Deum diligit se homo aut proximum, patet quod B ejus dilectio est aliarum dilectionum quædam vitalis essentia, quæ et in se vivit, et vivendi causam duobus aliis administrat. Quidam diligunt se propter se, et hoc non est diligere, sed odio habere se *Qui diligit*, inquit, *iniquitatem, odit animam suam* [69]. De talibus quidem inquit Apostolus : Erunt *in novisssimis diebus homines sese amantes, cupidi superbi, non obedientes, non continentes* [70], et his similia, ex quibus convincitur manifeste, quod non ipsi a se propter Christum, sed propter vanitatem sæculi diliguntur.

CAP. XV. *De Sabbato hominis in sui dilectione.*

Ut ergo homo se diligat, in ipso Dei dilectio inchoatur ; ut diligat proximum, capacior quidam sinus affectionis oppanditur. Verum ubi divinus C ille ignis medullitus incalescens cæteras dilectiones quasi quasdam sui scintillulas in sui plenitudinem trahit, omnes animi motus absorbet in desiderio illius sublimis et ineffabilis boni ; et sic nec homo a se, nec proximus diligetur, nisi quantum uterque affectus deficiens a se totus transfertur in Deum. Agitur autem ineffabili dispensationis artificio, ut licet hi tres amores semper in simul habeantur non semper tamen æqualiter sentiuntur ; sed quandoque mentis illa jucunda suavitas ex propriæ conscientiæ puritate procedit, quandoque ex bono proximi recipit congratulationis effectum ; quandoque contemplando, in desiderio et exsultatione aspirat in Deum. Quemadmodum quispiam diversas aromatum cellulas ingrediens, nunc istarum, nunc il-D larum specierum redolentia jucundatur ; sic animus diligentis nunc intuitu sui, nunc intuitu Dei aut proximi quadam inæstimabili suavitate perfunditur. Qui ergo prius recolebat in amaritudine animæ suæ dies perditos, postquam concupiscentiæ sæculari dedit libellum repudii et abolitione criminum, impetrata se pignus et arrham gratiæ cœlestis percepisse cognovit ; dum nihil quod ipsum accuset, aut Deo displicere debeat in libro conscientiæ suæ legit, reliquiis cogitationum diem festum agat ei.

[60] Psal. 4. [61] Isa. 66. [62] Isa. 65. [63] Gen. 3. [64] Prov. 31. [65] Isa. 65. [66] Deut. 6, Matth. 22. [67] Ephes. 5. [68] I Joan. 3. [69] Psal. 10. [70] II Tim. 3.

Cum enim immunis ab exteriori tumultu se intra contemplationis arcana reciperit, cum circumstrepentium sollicitudinum turbis ostium mentis occluserit, cum interius conscientiæ thesauros inspexerit, non inveniens ordinatum aliquid aut ineptum, vel rationi adversum, sed omnia pacifica et jucunda, ut ad instar disciplinatissimæ familiæ videat multitudinem cogitationum, sermonum et operum ei quasi cuidam patrifamilias obedire, et omnia interiora sua sibi in quadam humilitate assurgere : prorumpit ex omnibus his mira securitas, ex securitate mira tranquillitas, et ex ea ineffabilis jubilatio cordis, tanto devotior in Christi laude, quanto perspicacius intelligit hoc totum ex ejus gratia provenire. Hæc est septimi diei festiva solemnitas, quam sex dies præcedunt, id est sex opera misericordiæ. Se namque in eorum exercitio justus probat, et in sinu sanctæ conscientiæ, bonorumque operum contestatione respirans, in ea gratia quæ a Deo data est, ei fideliter sabbatizat. Hæc est primi Sabbati filialis jucunditas, in qua servilia opera, id est peccata quæ servos faciunt, prohibentur, in qua nec ignis concupiscentiæ accenditur, nec onera, id est colligationes impietatis sine legis transgressione portantur.

CAP. XVI. *De Sabbato secundo, de dilectione proximi.*

Sane, si ab hoc qenitiore thalamo cordis, quem primo Sabbato dedicavit, migravit ad illud diversorium, ubi solet gaudere cum gaudentibus coinfirmari infirmis, scandalizatis couri, suamque senserit animam fratribus suis indissolubili glutino charitatis unitam, adeo ut nec sinistra suspicio, nec invidiæ morsus, nec æstus iracundiæ aut tristitiæ possit aliqua occasione obrepere, sed brachiis sincerissimæ dilectionis amplectens, et fovens uno et eodem humero, et aliena, sive læta, sive sinistra communicans, cessante omni strepitu vitiorum, tumultuque sollicitudinum ad tantæ suavitatis delicias resolvitur inæstimabili gaudio, et fit in amoris sui dulcedine libera intus a noxiis omnibus mentis absoluta vacatio. Nam quod nullum vitium prorsus in hujus Sabbati quiete residere charitas fraterna permittat, testis est hujus secundi Sabbati continuus feriator Apostolus dicens : *Non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices* [71]; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* [72]. David dulcedinis hujus suavitate affectus, et ex tanta mentium unione in vocem jubilationis erumpens : *Ecce*, inquit, *quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* [73]. Notandum vero quod, sicut primo Sabbato unus dies tantummodo dedicatur, quod videlicet singulare est, quod in propriæ conscientiæ, cujusque tranquillitate consistit, ita nec immerito hic annus integer consecratur. Quemadmodum enim ex multis diebus annus efficitur, ita ex multis animabus unum cor et una anima charitatis igne conflatur. Sex autem annos, qui præcedunt hoc Sabbatum, possumus intelligere sex genera hominum, in quorum dilectione pro natura sui vel præcepti debito exercemur. Sicut vero annus multos dies complectitur, ita in singulis illis generibus hominum multi nobis animorum unione junguntur. Imprimis ergo dilectio nostra naturali ordine ad domesticos nostri sanguinis derivetur, quos diligere, sicut ex naturæ necessitate tenemur, sic nimis inhumanum est quod a nostro dilectionis sacrario repellantur. Nam, teste Apostolo : *Qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidei transgressor est, et deterior infideli* [74]. Hinc est quod hæc dilectio, quæ ex natura proficiscitur in mandatis quæ pertinent ad dilectionem proximi, primum Deo præcipiente sancitur. *Honora*, inquit, *patrem tuum et matrem tuam* [75]. Hinc ad eos qui nobis specialiter amicitiæ vel officii vicissitudine copulantur dilectio nostra progrediens, quodam sinu diffusiore laxatur. Verumtamen ista dilectio Pharisæorum justitiam non transcendit, quibus dictum est : *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum* [76]. Sane et parentum et amicorum affectio quamvis servata parum præmii consequatur, quippe cum ad illam lex naturalis inducat ; ad istam mutua, obsequia nos provocent : utraque, tamen, si neglecta fuerit, cumulum damnationis importat. Veritas in Evangelio dicit : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne ethnici hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros, quid*, inquit, *amplius facitis* [77]? Ut ergo in majorem amplitudinem dilectio nostra, se porrigat, amplectatur et eos qui nobiscum Deo militant, et ejusdem vitæ professionem nobis in vinculo pacis et spiritus unitate cohærent. Deus equidem hujus dilectionis est causa efficiens, dum a capite in barbam Aaron, et usque in oram vestimenti unctio spiritualis emanat [78], ut qui ab uncto uncti, a Christo Christiani vocantur, omnes in participium nominis Jesu se communi vinculo mutuæ charitatis invicem complectantur. Adhuc duo genera hominum restant, quos si in nostræ dilectionis sagenam concludimus, nihil aliud superest, nisi ut illius veri Sabbati requie perfruamur. Eorum enim qui foris sunt, gentilium videlicet ac Judæorum, schismaticorum et etiam hæreticorum, necesse est ut ignorantiam doleamus, compatiamur infirmitati, duritiam defleamus, per compassionis effectum succurrentes eis orationum suffragio, ut et ipsi in odore unguentorum nostrorum currant in Christo Jesu Domino nostro. Adhuc dilatat tentorium suum charitas et pallium, quod veteris legis tempore erat breve, sic ampliat, sic extendit, ut duos operire sufficiat, dum inimicum suum animæ suæ nova Spiritus sancti unione conglutinat. Hac dilectione homo

[71] Exod. 20, Rom. 13. [72] Ibid. [73] Psal. 132. [74] I Tim. 5. [75] Exod. 20. [76] Matth. 5. [77] Ibid. [78] Psal. 132.

Dei filius efficitur, ac divinæ bonitatis imago plenissime reparatur. *Diligite*, inquit Dominus, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* [79]. Hæc dilectio, dum inimicum simplici oculo intuetur, securissime dicere potest: *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus* [80]. Ita dimittitur qui dimittit. Sic filius Dei, sic hæres Dei et Christi cohæres efficitur. Attende, homo, quam securum, quam dulce sit, quam jucundum inimicis compati, injuriis non moveri, eum amare pro Christo, a quo me sentio non amari, et eam affectionem gerere erga ipsum, quam indulgentissimus pater erga charissimum sibi filium phrenesi laborantem, ut, quo majores ab eo irrogantur injuriæ, propensiore erga eum ferveat charitate.

CAP. XVII. *De tertio Sabbato in dilectione Dei.*

Verum omne Sabbatum habet sex præambulos dies, in quibus cœleste manna colligimus, ut in illa præclara solemnitate, quæ in Dei dilectione celebranda est, sugamus lac ab uberibus consolationis ejus, et inter duas sortes, inter ubera sponsi, inter sinistram et dexteram per viscera misericordiæ Dei nostri beatissime quiescamus. Isti sex dies sunt, Christi conceptio, nativitas, prædicatio, passio, resurrectio, ascensio. Istis sex diebus operatus est Dominus salutem in medio terræ, et requiescens ab omni opere quod patrarat [81], sedensque in gloria Dei Patris ad illud Sabbatum, quod est in illius dilectione celeberrimum, misericorditer nos invitat. O bone Jesu, o benigne, o amabilis, o suavis, o dulcis, o amor Deus, o charitas Deus. Quid dulcius, quid suavius quid amabilius quam vacare et videre, quantum nos amaveris, quam pie, quam misericorditer in conceptione et nativitate tua te dignatus es exinanire usque ad infirmitates infantilis naturæ, quam benigne, quam diligenter nos viam vitæ verbo et exemplo docueris. Quanta dignatione te pro nobis morti obtuleris, quomodo resurgens in gloriam tuam naturam reparaveris humanam, et ascendens in cœlum eam in throno majestatis tuæ collocaveris gloriosam. Quid felicius, quid jucundius Sabbato illius animæ, quæ contemplatione et dilectione Dominum comprehendens, et quasdam divinæ suavitatis experientias in se formans inæstimabili gaudio sanctæ fruitionis afficitur, dum a se peregrinans jam in cœlis habitat, et in memoriam abundantiæ suavitatis Dei exsultat et jubilat. O quies pacifica, o Sabbatum delicatum, o dulcedo charitatis, quæ animam diligentem Deum usque in altissima ejus magnalia provehit, provectamque inter voluptates æternas requiescere facit. Feriatione hujus Sabbati totus homo interior hilarescit, ejus intelligentia serenatur, affectiones dulcescunt, et sancta desideria in Deo quadam fruitione felicissima resolvuntur. O

A mane, o dies, quæ melior es in atriis Domini super millia. O splendor lucis et ardor charitatis, quæ inflammat angelos et illustrat interiora sanctorum. O præclara solemnitas, o jucunda pausatio et Sabbatum delicatum; o Sabbatum gloriosum! Et quæ gloria delicatior aut desiderabilior potest esse, quam Deo medullitus inhærere et jactare in eum omnes cogitatus et affectus suos, atque de dilectione ipsius colligere tantæ certitudinis fructus, ut de salute animæ suæ, de consortio angelorum atque de illa interminabili exsultatione, quæ diligentibus Deum præparata est, eum nullatenus oporteat hæsitare: *Propterea ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii* [82]. Andreas glorians et exsultans currebat ad crucem. Paulus igitur perfusus tanti gaudii suavitate

B dicebat: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* [83]! Et de Christi retributione securus: *Scio*, inquit, *cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem justus judex* [84]. Expertus, quod dilectio Dei esset tam jucundæ securitatis causa efficiens: *Scio*, inquit, *et certus sum quod neque mors, neque vita, neque gladius, neque angelus, neque potestates, neque aliqua alia creatura poterit me separare a charitate, quæ est in Christo Jesu* [85]. Moyses innixus tam solidæ charitati prælegit deleri de libro quem scripserat Dominus [86], quam sustineat populum sibi creditum divina indignatione deleri. Hac inexpugnabili arce munitus Ezechiel [87] in Chaldeam, Jeremias [88] in Ægyptum fretus in istius tuitione descendit. Job [89] frater draconum per hanc sine periculi

C suspicione factus est, et socius struthionum. Paulus sub tam certa securitate non metuit anathema fieri a Christo pro fratribus suis [90]. David sub istius umbra securus per umbram mortis incedere non veretur [91]. Cum enim Deus sit charitas [92], scit quod ubi est charitas, ibi est Deus. *Si ambulavero*, inquit, *in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* [93]. Infelix ego dilexi hactenus mundum, tuamque dilectionem, Deus, amori mundano posthabui. Nunc e diverso facias secundum divitias misericordiæ tuæ, ut te diligam, mundumque et omnia, quæ in eo sunt præ tua dilectione contemnam, fastidiat anima mea in desiderio tui, Deus, cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt. *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus*

D *cordis mei et pars mea Deus in æternum* [93*]. Deficiat in amore tuo et liquescat anima mea, ut *in deficiendo ex me spiritum meum* [94] psallam et cantem tui amoris delicias, et divitias charitatis illius, per quam torrentes voluptatis æternæ potantur, quorum affectio prorsus a tua dilectione absorpta est. Sicut enim ferrum ignitum in quamdam ignis essentiam transit, et guttula aquæ, si pleno vini dolio sit infusa, sua insipiditate deposita essentiam substantiæ

[79] Matth. 5. [80] Matth. 6. [81] Gen. 2. [82] Act. 5. [83] Gal. 6. [84] II Tim. 2. [85] Rom. 8. [86] Exod. 32. [87] Cap. 1. [88] Cap. 47. [89] Cap. 30. [90] Rom. 9. [91] I Reg. 27. [92] I Joan. 4. [93] Psal. 22. [93*] Psal. 72. [94] Psal. 141.

melioris assumit, sicut aer solari splendore perfusus totus est splendor; sic spiritus hominis divino amore affectus totus est amor. Quocirca, qui Deum diligit, sibi mortuus et soli Deo vivens quodammodo, ut ita dixerim, consubstantiat se dilecto. Si enim anima Jonathæ conglutinata est animæ David [95], aut siis, *qui adhæret Deo, unus spiritus cum eo efficitur* [96], non absimili unionis judicio quodam genere coessendi tota in Deum transit affectio, in qua sine alterius desiderii exceptione tota in se collecta transfertur in Deum omnium desiderabilium plenitudo. Diliget tamen anima perfectius, cum introducetur in gaudium domini sui [97], in amplexus sponsi, omniumque justorum beatitudinem suam faciet communione charitatis: beneficio cujus omnia in omnibus erit Deus [98].

CAP. XVII. *Apostrophe vel exhortatio ut diligatur Deus.*

Audite, cœli, et auribus percipe terra [99], quantum magnificaverit Deus nobiscum misericordiam suam. Et quis abyssum tam ineffabilis gratiæ consideravit? Quis de fonte tantæ dulcedinis gustavit, et non amavit? *Nonne subjecta Deo eris, anima mea* [100]? quare non effundis affectus universos in Deum, quos dirigis ad vanitates et insanias falsas [1]? *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me* [2]? Nunquid non est tibi consiliarius, aut salvator? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi* [3]? *Revertere, revertere Sunamitis* [4], *revertere ad Dominum Deum tuum* [5], divisa mea, dilacerata mea, perdita mea, sed Christi suscitata, Christi redempta passione? Cur, quæso, diligis aliud præter illum, qui tam benigne tam misericorditer a tot miseriis te redemit? Jugi scrutinio et assidua meditatione revolve, qualiter unigenitus Dei Patris, *cum esset splendor gloriæ et figura substantiæ ejus* [6], post exinanitionem usque ad formam servi [7], post famem, post sitim, post lassitudinem, post lacrymas, post vincula, post flagella, post fel, post acetum, post coronam spineam, post clavos, post et lanceam pro salute tua, inter duos latrones quandoque in cruce pendebat [8]. Crucis equidem cornua in manibus ejus, ac de illis pius ille Samaritanus tuis vulneribus vinum et oleum infundebat [9]. Porro autem erat ibi abscondita ejus fortitudo, et in amaritudine mortis dulcedo ipsius. *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* [10]. Testimonio Isaiæ: *Vere Deus absconditus tu es, Rex Israel salvator* [11]. Moriebatur Salvator tuus, anima mea, ut te vivificaret, affixus erat cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus cruci affigeret; manus elevabat ad Patrem in sacrificium vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret; vitamque suam, quæ in nullo morti erat obnoxia, pro te ad mortem obtulit, ut, dum a principe tenebra-

A rum justus injuste occiditur, quia quod suum non erat usurpasse convictus est, ea, quam habebat jure, potestate privatur. In tam exuberanti beneficio, in tanto cumulo gratiarum, quo te largitio divina quasi obruit et confundit, vide ne ingrata sis. Ingratitudo peremptoria est salutis, ipsa est flatus aspidis, virus animi, uredo virtutum, ventus pestilens et aura corrumpens, stillicidia pietatis, rorem gratiæ et misericordiæ fluenta desiccans.

CAP. XIX. *Adhuc improperat animæ beneficia Dei, ut grata sit Deo.*

Adhuc dico, nihil est enim satis dictum quod semper est dicendum, atque recordatione continua replicandum. Eras illi gravissimo creditori angelo Satanæ velut cuidam immanissimo exactori, tot debitis quot peccatis vinculo chirographi obligata, nec
B solvendo eras. Dei autem Filius non quæ rapuerat, sed quæ rapueras, pro te solvit, et, quod dignationis propensioris et gratiæ uberioris erat; non delegavit alium debitorem, sed dedit animam suam in causam soluti. Cumque ille angelus transfuga et emansor te in detestabilem peteret ancillatum, Christus litem contra te propositam suam fecit. Postque diversas productiones testium legis, oraculorum, prophetarum, signorum, tandem proprium sanguinem allegavit, obtinuit allegatio illa tuæ sententiam libertatis. Super calculo sententiali scriptæ sunt litteræ in membrana corporis crucifixi et confirmatæ osculo misericordiæ et veritatis, justitiæ et pacis obviantium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris, quam in pretium re-
C demptionis nostræ et placationem continuam jugiter exhibet ante oculos Patris. Adhuc exstat titulus causæ inscriptus in tantæ charitatis memoriam. Sciasque quod si te ingratam invenerit, nec velle tanto uti beneficio, exiget a te districtissime mortem suam, vereorque ne quandoque indignantissime tibi dicat: Tolle manum tuam et mitte in latus meum dextrum, mitte digitos tuos in fixuras clavorum, et vide quanta pro te passus sum. O ingrata et crudelis impietas, nonne putas Deum de collatis tibi divitiis pœnitere, si ea viderit per ingratitudinem periisse? Propterea oratio nostra sæpe repellitur, et hoc ipsum pia dispensatione fieri existimo, ne qui de præacceptis beneficiis ingrati fuimus, ex nova largitione cœlestium munerum gra-
D viore culpa ingratitudinis oneremur. Cum enim Deus beneficium perditum reputet, quod non prosequitur actio gratiarum, nobis expedit non exaudiri potius quam ad cumulum damnationis nostræ ingratitudinis materiam obtinere quod petimus. Qua ergo præsumptione non diliges illum, qui te non diligentem dilexit, qui te peccatricem non despexit? Vide, quæso, qua compensatione, quo merito summæ et æternæ respondeas Trinitati. Tradi-

[95] I Reg. 18. [96] I Cor. 6. [97] Matth. 25. [98] Ephes. 4. [99] Isa. 1. [100] Psal. 61. [1] Psal. 39. [2] Psal. 41. [3] Jer. 8. [4] Cant. 6. [5] Eccli. 17. [6] Hebr. 1. [7] Phil. 2. [8] Matth. 27. [9] Luc. 10. [10] Psal. 30. [11] Isa. 45.

dit propter te Pater Unigenitum suum morti. Tradidit et Filius se ipsum, pro tua salute in mortem. Datus est denique tibi Spiritus sanctus, attestante Apostolo, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* [12]. Sic amat nos Pater, amat Filius, amat Spiritus sanctus, amat nos Trinitas tota Deus. Amat nos Deus æternus, omnipotens et immensus, cujus *magnitudinis non est finis* [13], *cujus sapientiæ non est numerus* [14], cujus *pax exsuperat omnem sensum* [15], a quo et in quo universa sunt visibilia et invisibilia, cœlestia et terrena [16]. Sane, cum diligis, facis hoc ex debito; si te diligit, facit hoc ipse gratuito. Attende celsitudinem cœli et magnitudinem firmamenti, et modicum in locis palustribus lutum, talis est adhuc inæstimabiliter dispar comparatio tui ad Deum, sicut luti ad cœlum. Quid enim collatio tui ad ineffabilem, ad incomprehensibilem, ad incomparabilem? nibil ei ad mensuram meriti retribuere posses, si in retributionem eorum, quæ pro te sustinuit, te millies mille annis et gehennali incendio cruciares.

CAP. XX. *Quod elegantius et plenius diligat nos Deus, quam nos ipsum.*

Omnia quidem quæ in Deo sunt inæstimabiliter excellentiora sunt his quæ nostra sunt; ipse enim diligit ut charitas, judicat ut æquitas, disponit ut sapientia, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, operatur ut virtus, præsidet ut majestas. Circumscriptis autem omnibus, quæ ad dispensationem, Incarnationis suæ pertinent, diligenter attende, quod tibi universitas mundi de mandato ejus obsequitur, omnis natura tuis famulatur obsequiis, cœlum, aer, terra, mare, et ea quæ in eis sunt tuis pariter necessitatibus et oblectamentis inserviunt. Annua temporum revolutio, flores fructusque arborum et herbarum rediviva innovatione informat, atque labentibus palmitibus, et naturis germinum antiquatis, continua Dei munera tibi circuitus temporum subministrat. Recognosce, anima, quod quandoque non eras, et ab eo facta es, nihil ei dedisti ut te faceret, nil enim dare poteras, quia non eras. Cum autem melius esset esse quam non esse, gratis tibi esse contulit, omnibus illis te præferens, quæ de non esse ad esse poterat producere, nec produxit. Adjecit tibi speciem, et cujus essentia de nihilo prodierat per gratiam Salvatoris ipsa tua te imagine et similitudine insignivit. Adhibuit cum pulchritudine vitam. Unde tanta et tam gratuita et tam inaudita dignatio, ut fieres ad imaginem et similitudinem ejus, nisi ut simile tuum diligeres, et ei, qui te gratuita dilectione prævenit, dilectione mutua conformares? Nimirum ei te decenter tribuis diligendo. Ei ergo cor et medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui te diligere dignatus est, nihil tamen in te reperiens diligendum. Ama signaculum tuum et imaginem tuam, et ut expressior in te forma tui Creatoris appareat, ei qui charitas est, te fide et charitate conforma, et in materiam gratiarum beneficium ejus jugi meditatione recogita. Amator tuus ad hoc exhortatione prophetica te invitavit: *Pone me memoriale tuum in corde et brachio* [17], id est in corde et corpore, ut deposita imagine terreni hominis, cœlestis imaginem portes, attendens divinæ dilectionis argumenta, quæ refelli non possunt: *pone me super cor tuum, ut* fidei *signaculum*, ut amoris exemplum [18]. Tale signaculum ante prævaricationem suam se angelus apostata exprimebat testimonio Ezechielis dicentis: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore* [19]. Angelus siquidem in sua creatione tanta Deo conformitate est unitus, ut esset potius signaculum similitudinis, quam simile vel signatum. De sigillo quippe talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in eodem sigillo essentialiter habetur, et hoc homini competit. Angelis vero pro sua subtilitate naturæ Deo expressiori similitudine adhærebat, quia totus et tantummodo spiritus erat. Non vero luteo carcere inclusos, et in habitatione terrena depressos, charitas ad dignitatis angelicæ statum reparat; et licet corpus quod corrumpitur aggravet animam, et deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; tamen peccato deformatos novum diligendi mandatum ad Dei similitudinem nos reformat. Multiplicavit tibi Dominus dona sua, adjecit enim pulchritudini tuæ vivere, sentire atque discernere, et in omnibus quæ munificentia ejus contulit, accepit indigentia tua; gratia ejus non exigentia tui meriti antecessit. Desponsavit te fide, foris ornavit te sensibus quasi quibusdam præfulgentibus gemmis, te vero interius quasi naturali pulchritudine sapientia insignivit. Novit quis ornatus tibi competentior esset, ideoque dedit quod te decuit, et in tantum, ut etiam propter hoc ipse te diligeret, qui hoc dedit. Sane insana es, si eum mediocriter amas, qui te tanto amore prævenit, qui tanta et tam pretiosa largiens, majora etiam diligenti se pollicetur, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit* quorum æstimatio *in cor hominis non ascendit* [20]. Ex ejus munere pensare teneris, quantum sit diligendus, qui tantum diligit, ut jam non tantum temerarium, sed etiam nefarium debeas reputare, non solum diligentem non diligere; sed tanti, tam potentis, tam præcellentis amorem totis visceribus, totis interioribus præcordiis non amplecti. Omnium pulcherrimus sponsus *forma præ filiis hominum* [21], ama sponsum, ama regem in decore suo, regem virtutum plenum gratiæ et veritatis, coronatum gloria et honore Dominum majestatis [22]. Concupivit equidem rex decorem tuum et munera tua [23], quibus te ornare dignatus est, in tuum honorem ejus inclinarunt affectum; amat te in mune-

[12] Rom. 5. [13] Psal. 144. [14] Psal. 146. [15] Phil. 4. [16] Col. 1. [17] Cant. 8. [18] Ibid. [19] Ezech. 28. [20] I Cor. 2. [21] Psal. 44. [22] Psal. 8. [23] Psal. 44.

ribus suis. Si enim habes aliquod bonum, illud habes, intelligere ejus donum. Verbum Apostoli est: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* [24]? Si de aliquo gloriaris, quasi illud a te ipso, et non a Deo acceperis, furaris Deo quod suum est, honorem alterius tibi rapis, et te in alienam gloriam; præsumptuose intrudens habes quidem gloriam, sed non apud Deum, quia gloriam alienam tibi usurpas nequiter contra Deum. Vide ergo ne unquam obrepat tibi ingratitudinis nota. Recole incessanter te tua iniquitate perditam, ipsius misericordia reparatam.

CAP. XXI. *Quanta sit animæ prærogativa super cæteras creaturas.*

Studeas illi placere modis omnibus, quibus potes, qui te talem facere dignatus est ut placeres. Utinam te ipsam cognosceres et tui gratiam Creatoris in tuæ pulchritudinis inspectione probares. Porro oculus cuncta videns se ipsum non videt, ideo faciem tui cordis quandoque in speculo propriæ rationis attendas, ne tuæ facias injuriam dignitati. Quod equidem facis, si vis tibi te abjectiora præponere, et ea quæ decorem imaginarium et umbratilem habent, tibi, quæ in veritate pulcherrima es, coæquare. A tua dignitate nimis enormiter et ignominiose te dejicis, si transitorias et inanes rerum pulchritudines appetis, aut miraris. Mundus nimirum propter te factus est, ideo mundum non ames, quia mundus non est te dignus, cum sis eo longe dignior, et sole et luna et omnibus creaturis. Omnia quippe temporalia suæ pulchritudinis defectus agnoscunt; tu nec labore deficis nec pallescis ægritudine, nec marces senio, nec morte tabescis. Quocirca, si aliud diligis in hoc mundo, qui totus est tibi subjectus, summa temeritas est, ubi ea diligere sic velis, ut tibi servientia, ut munera sponsi, ut amici xenia, ut beneficia Domini. Nec ista diligas cum illo, sed propter illum, illum per ista, et ipsum diligens super ista. Degeneras equidem in amorem meretricum, si plus amas dantis munera, quam amantis affectum. Donanti quidem injuriam facis, imo te meretricali turpitudine dehonestas, si recipis dona, et dilectionis vicissitudinem non rependas. Ipsum ergo dilige propter se, et propter ipsum dona ipsius. Dilige te illi et illum tibi. Dilige ipsum, ut eo fruaris, ut in eo ponas affectiones tuas, et cum dilexeris ferventius, affectuosius diligaris. Hic amor sanctus est, nihil habens sordidum vel impurum; sed in Dei recordatione dulcissimus, omnes mundi supergrediens delicias, et quodammodo ex natura suæ stabilitatis æternæ. Illud autem jugi memoria teneas, quod quanto differentius præeminentior est essentia ejus fragilitate humana, tanto suavius, et incomparabiliter dulcius, et delectabilius diligit, atque diligitur, quam angelus, quam homo, vel aurum, seu argentum, seu lapis pretiosus, vel sanitas, vel li-

A bertas, vel quæcunque alia, quibus corda hominum distrahuntur. Nec te ab eo minus diligi credas, si quibusdam animantibus terræ tecum pariter beneficium solis et lunæ et cætera gratiæ suæ dona communicat. Nimirum quæcunque illis donata sunt, propter te donata non dubites; ut enim tibi serviant universa, ipsa de divina bonitate necessaria sibi dona receperunt, sine quibus esse aut servire non possunt. Nunquid ideo videtur circa te dilectio ipsius intensior, si tibi soli omnia contulisset? Nunquid beatior esses, si sola hæreditares in mundo, et omnia quæ in eo sunt sine ullo socialis vitæ solatio possideres? Et si etiam de malorum hominum societate causaris, scias procul dubio quod sicut tibi et malis hominibus cætera serviunt; ita malo-

B rum hominum vitam facit divina dispensatio in tuum militare profectum. Malorum siquidem societate hi qui boni sunt, in melius exercentur, docentur etiam jam affectare virtutes et alia dona Dei, quibus ipsi carent, et quæ longe meliora sunt, quam omnia quæ cum injustis hominibus possidentur. Denique cum videant malos ruere in interitum, de suæ salutis exspectatione crescit eorum affectus in Deum, et de divinis muneribus, quorum cum impiis nulla est communio, sequitur devotior exhibitio gratiarum. Cum ergo omnia tibi cooperentur in bonum, ut mali tibi exercitio et boni solatio fiant, non reputes te minus diligi, quia singulariter te non amat. Quia tamen quadam amoris singularitate te diligit, dum et bonos et malos in usum vitæ utilitatis inflectit; cumque ipso

C jure et debito charitatis velis tecum omnes alios æternæ beatitudinis esse participes, tua bona voluntas bonum alienum tibi proprium facit, et Spiritus sancti communicatione beatitudini omnium beatitudo accrescit. Fit igitur amor ex ipsa communione singularis, dum nihil ex plurium participatione diminuitur, et diffusus in omnes totus in singulis reperitur. Te itaque singulariter diligit, qui nihil sine te diligens alia propter te diligit, Licet enim amor diffundatur in plures, tamen est in singulis totus, ut omnes unice diligens ab omnibus unice diligatur. Propterea hic est amor unicus non privatus, solus non solitarius, communis non divisus, nec usu deficiens, nec tempore aut participatione decrescens. Repone igitur in thesauro

D memoriæ, ac recole incessanter quæ tibi a Deo donata sunt, ut nec de non acceptis præsumas, nec super acceptis ejus beneficiis in gratiarum actione lentescas.

CAP. XXII. *Quanto sit dulcior amor, quo nos diligit Deus, amore quo eum diligimus.*

Quanto præeminentior est humanitate divinitas, tantum amor Christi quem habet ad nos, amore illo quem habemus ad illum vel ad proximum, dulcior est, firmior atque profundior, violentior, penetrabilior, interior, compassibilior, ferventior

[24] I Cor. 4.

atque suavior. Omnes maternos affectus, omnes fratrum conjugum consensus illa quam habet ad nos inæstimabili charitate transcendit. Ipse paternæ gratiam lenitatis exprimens in se ipso, fidelem ad animam loquitur dicens : *Amodo voca me : Pater meus es tu, et dux virginitatis meæ tu es Deus* [25]. Et illud : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis* [26]. Ipse materna nos benignitate præveniens : *Quemadmodum*, inquit, *mater consolatur filios suos, ita et ego consolabor vos* [27]. Et rursum : *Nunquid potest mater infantem suum oblivisci, ut non misereatur filio uteri sui? et si mater oblita fuerit, ego autem non obliviscar tui* [28]. Ipse in se modum fraternæ dilectionis assumens animæ fideli sic loquitur : *Hortus*, ait, *conclusus soror mea* [29]. Et iterum : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa* [30]. Amicus est, dum fideli animæ dicit : *Pulchra es, amica mea* [31]. Et ipsa de illo : *Talis est*, inquit, *dilectus meus, et ipse est amicus meus* [32]. Sponsus est, cum de illo dicitur : *Gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus* [33]. Hoc ergo sentiamus in nobis quod et in Christo Jesu, qui extendens manus in discipulos suos vocat eos fratres, et quod amplius est, patrem et matrem atque sororem [34], omnem scilicet, qui sancte, qui humiliter, qui caste, qui socialiter ejus aut proximi fecerit voluntatem.

Cap. XXIII. *Inculcatio beneficiorum Dei ad majorem dilectionis affectum.*

Si recenseas diligenter effusam et indefessam circa te magnificentiam et munificentiam gratiæ Dei, licet ipse sit generalis omnium dispensator, videbis tamen eam circa commoditates tuas quasi totum et singulariter occupatum. Quocunque te vertas, tibi sollicitus et diligens provisor assistit. In intentionibus, in meditationibus, in verbis, in consiliis, in operibus, in adversis, in prosperis, foris et intus ejus gratia te subsequitur et præcedit. Tibi exhibet in omni tribulatione remedium. Sanat infirmam, reducit erroneam, corripit delinquentem, consolatur afflictam, erigit elapsam, tristem lætificat, nec diu vacillare sustinet deficientem. Illud, anima, tibi tanquam animæ meæ consulo. Sicut alias me recolo monuisse, ut primitias tuæ creationis attendens jugi scrutinio et sollicita meditatione revolvas ; quod speciosam te fecit, quod multiplices gratiæ dotes adjecit, quod cum postea per te fœda et fœtida facta esses, ipse misericors gratuita benignitate sua tuæ aversion compatiens, sic te non existentem dilexit, ut conderet, ita te conditam sed perditam gratia sua reparavit. Loquitur in Jeremia fons misericordiæ Dominus : *Vulgo dicitur : Mulier si dormierit cum adultero viro, nunquid revertetur ad virum suum? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, revertere ad me, et ego suscipiam te, dicit Dominus* [35]. Qui te integram et illibatam creaverat, tibi multiplicis gratiæ dona sponsalitia liberalitate contulerat. Tu vero amatoribus alienis adhærens, dedisti sponso tuo libellum repudii, tuam integritatem exposuisti corruptoribus, et illicitos amplexus affectans divaricabas pedes tuos spiritibus immundis. Tandem super omnes meretrices tibi facta est frons, noluisti erubescere, sed animo infrenato ad illicita ruens te ipsam devolvebas in abyssum damnationis æternæ; ipse vero tam excelsus, tam admirabilis, tam præpotens, tam insignis post lapsum adeo damnabiliter oculo misericordiæ te respexit; ipse ut te de luto fœditatis erigeret, de suæ gloriæ majestate descendit; et ut tuæ corruptionis ignominiam aboleret, pro te dira et ignominiosa sustinuit; et ut multa paucis includam, ut te liberaret a morte, damnatissimæ morti se obtulit; nec expressius, nec fidelius, nec dulcius, nec benignius exhibere potuit quanto te diligeret charitatis affectu. Nunc etiam tuæ prævaricationis oblitus refundit tibi gratiam quam amiseras, redintegrat amorem quem corruperas, nec sua beneficia tibi, nec tuos excessus improperat; imo si humiliter et fideliter adhærere digneris, accumulabit gratiam super gratiam, ut pulchrior quam unquam fueris, et purior fias, et quanta sit circa te dilectio ejus ex tui lapsus reparatione cognoscis. Scis quam fructuosum sit eum diligere, qui tam ineffabiliter bonus et incomparabiliter mansuetus est, quod nunquam fortasse scires, nisi tanti periculi experientia didicisses, sciens te ex infirmitate fortem, ex casu stabilem, cautam ex periculo, ex infelicitate felicem. Quocirca insto adhuc et iterum tibi usque ad nauseam replicabo, ut assidue cogites, quanta tulerit tantus pro te tantilla et tam perdita, sanguinem et mortem suam ponens pretium tuum, cum sit sanguis ejus impretiabilis, et mors ejus æstimationis non recipiat modum. Illud super omnia te cavere oportet, ut non arroganter de ipsius liberalitate effusa præsumas, sed continue recolas, qualiter te in lupanaribus opprobrio prostitutam ab immunditiis sanguine suo lavit, amavit, integritati restituit. Amor enim ipsius violata integritate restituere, non violare integra consuevit. Licet autem faciem ejus non videas, ipsum tamen tibi semper esse præsentem non dubites. Vide ergo ne aliqua indecentia tui oculos præsentis offendas; et sciss indubitanter, quod qui te dilexit turpem, plenius diliget speciosam. Induere ergo, quæso, veste innocentiæ, orna te quasi veste polymita varietate virtutum, et qui de fidei annulo subarrhavit, in te odorare lætetur aromata gratiarum. Dilige, quæso te, tota Dominum tuum et sponsum tuum, vitam tuam, solatium tuum, consilium, auxilium ac refugium tuum. Denique dilige illum qui tibi est quidquid optabile aut amabile esse

[25] Jer. 3. [26] Jer. 3. [27] Isa. 66. [28] Isa 49. [29] Cant. 4. [30] Ibid. [31] Ibid. [32] Cant. 5. [33] Isa. 62. [34] Marc. 3. [35] Jer. 3.

potest. Dilige eum caste, devote et sancte, non verbo, nec lingua, sed opere et veritate. Quære in amore tuo, non quæ tua sunt; sed quæ Jesu Christi [36]. Sic enim diligere nos Propheta docebat, cum diceret: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* [37]. De illo autem, qui quærit quæ sua sunt, scriptum est: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei* [38]. Sic ergo te totam jactes in eum, sic amando tota transeas in amatum, ut tui oblita, factaque apud te tanquam vas perditum, vivas in ipso et a te ipsa deficias, ut possis dicere cum Propheta: *Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* [39]. Domine Deus meus, *tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea* [40]; sed quando fiet hoc Deus? Quando venies, anima mea, et apparebis ante faciem Dei? Quando sinistra in dextram convertetur; quando te sponsus exhibebit non habentem maculam, neque rugam [41]: cum fluminis impetus lætificabit civitatem Dei; cum templum sanctum; quod tu es, ornabitur coronis aureis; cum majestate replebitur omnis terra; cum tibi exsultanti in conspectu Dei, et delectanti in lætitia ministrabit, transiens, dico, ab illa specie corporali, quam apostolis suis exhibuit ad illam gloriam, ad speciem in qua est coæqualis, et æternus, et omnipotens Deo Patri. Te itaque in spe et exspectatione futurorum jugiter exerceas, votis ac desideriis, ac de perceptione præsentium semper sit apud te gratiarum actio, et vox laudit.

Cap. XXIV. *Adhuc replicantur beneficia Dei, ut anima sit inde humilior.*

Usquequo dormies, anima mea, usquequo dormitabis, ut vel brevis hora otiosa subrepat, in qua non habeas memoriam Filii Dei pro tua misericordia crucifixi? Unicuique molestissimum videretur, si compari suo magnum impendisset obsequium, et ipsum super beneficii exhibitione inveniret ingratum. Quid ergo faciet Dominus majestatis, si nos, qui cinis et pulvis sumus [42], tantæ misericordiæ ingratos invenerit? Quemadmodum pater miseretur filiorum, misertus est nostri. Sic enim aliquem indurat, judicat et condemnat, non ab eo est, sed a nobis; licet enim cui vult misereatur et quem vult induret, ipse tamen, cui proprium est misereri semper et parcere, et suas misericordias coronat in nobis, et malitias nostras punit. Ipse nimirum Pater misericordiarum per prophetam loquitur, dicens: *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat* [43]? Recole quod Deus Dei unigenitus pro salute tua *inclinavit cælos et descendit* [44]; et ut te de luto fæcis erigeret quodam artificio ineffabili, manendo quod erat, usque ad vagitus infantiæ, usque ad livores et vulnera passionis se a sua majestate deposuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit, sed in ea pellis nigredinem non mutavit [45]. Te Filius Dei reperit multiplici peccatorum turpitudine denigratam, lacrymis suis et baptismo suo tandem et cruoris unda te lavit, et te sibi exhibuit gloriosam. Scis, nec ambigere potes, quantum sponso tuo sis inferior genere, specie, dignitate. Unde igitur tibi tantus et tam inæstimabilis honor, quod te Deus sibi in sponsam dignatus est eligere, per quem omnia facta sunt, qui habet potestatem vitæ et mortis, rex cœli et terræ, splendor et imago substantiæ Patris [46], *in quem desiderant angeli prospicere* [47], cujus pulchritudinem sol et luna mirantur: creator et rector universitatis, angelorum et archangelorum desiderium, Deus gloriæ et Dominus majestatis? Unde hoc tibi, quod te recepit sociam gloriæ, consortem regni, participem thalami, quem cum tetigeris casta es, cum cognoveris docta es, cum videris beata, et cum frui poteris es gloriosa vel etiam ad momentum? Stat angelus Domini, qui secet te mediam, si alienum amatorem receperis, si erga eum tepuerit amor tuus, si te in modico indevotam exhibueris, vel ingratam. Recole, quanta tibi fecerit Deus, attraxerit te ad thronum gratiæ suæ, te denuo ad thronum gloriæ provecturus, quæ non audebas de scabello pedum, aut de venia cogitare.

Cap. XXV. *Quod mandatum de dilectione frequenter inculcatur, nec cordibus nostris profundius infigitur.*

Quam affectuose, quam sincere, quam suaviter, quam dulciter Deum diligere tenearis, Dominus per Moysen docet, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* [48], hoc Dei præceptum exactissimam observantiæ necessitatem sibi habet implicitam. Potest equidem aliquis excusare, quod vigilare, jejunare aut laborare idoneus non sit, sed nullus excusare se potest, quod amare non possit. De virginitate datur consilium, non præceptum. *Qui potest*, inquit Dominus, *capere capiat* [49]. Et Apostolus: *De virginibus quidem præceptum non habeo, consilium autem do* [50]. Charitas autem a Deo præcipitur, ipsiusque præceptum fortiter et obnixe, et sub interminatione pœnali, cordibus humanis indicitur. Mandavit equidem hoc mandatum Dominus custodiri nimis; et ut ipsum cordibus nostris altius quam clavum infigeret, velut crebros ictus, sæpius inculcavit prius ut diligeremus ex toto corde, postea subjungit quod ex tota anima, demum adjecit quod ex tota virtute nostra. Vide quia clavus aut stimulus est hoc præceptum. Nam sicut Salomon dicit: *Verba sapientiæ stimuli sunt, et quasi clavi in altum defixi* [51]. Nonne plusquam stimulus est, aut clavus *sermo Dei vivus, et efficax, et penetrabilior*

[36] Phil. 2. [37] Psal. 104. [38] Psal. 48. [39] Psal. 72. [40] Psal. 26. [41] Ephes. 5. [42] Gen. 18. [43] Ezech. 18. [44] Psal. 17. [45] Exod. 2. [46] Hebr. 1. [47] I Hebr. 1. [48] Deut. 30. [49] Matth. 19. [50] I Cor. 7. [51] Eccle. 12.

omni gladio ancipiti [52]? Sane duritia cordis nostri A hanc exigebat inculcationis instantiam, ut hoc præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret; sicut duro stipiti clavus crebra percussione infigitur, donec interius adigatur. Expediebat etiam nobis, quorum corda mundanus amor infecerat, et interius animæ latebras obtinebat, ut ejiceretur. foras exsulans a corde nostro, ut in Deo maneret, et Deus in eo. Si quis totum corsuum habere confidat, cum Propheta de corde suo conqueratur, et dicat: *Multiplicasti super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me* [53]. Et iterum sui cordis recuperationi congratulans: *Invenit*, inquit, *servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac* [54]. Sæpe in libro experientiæ legimus quomodo a corde nostro relinquimur; nunc est nobiscum, nunc alibi, nunc B avolat, nunc recurrit, et in sola lubricitate manens in nulla unquam sui soliditate subsistit. Quomodo igitur diligam toto corde, qui a toto corde meo excidi? Aut quomodo cor meum habere valeo totum, nisi Deus ipsum fecerit meum? nihil equidem de corde meo habiturus sum, nisi Deus ipsum fecerit meum. Porro, si omnes affectus et intentiones ac motus mei cordis, Deo adjuvante, in ipsum dirigerem, fixumque in eo immobili devotione tenerem: insuper et medullas animæ meæ, ille cœlestis ignis accenderet, de quo propheta commemorat: *Ignem misit Dominus in ossibus meis et erudivit me* [55], liberum forsitan esset mihi toto corde diligere. Nunc autem imperfectum meum videant oculi tui, Deus, ut, si quantum debemus non datur nobis diligere, saltem quantum possumus diligamus. Si recolamus C beneficia Dei, non ea tantum in quibus per carnis dispensationem *visitavit nos Oriens ex alto* [56], sed quotidiana et fere continua, quibus nos in angustia et afflictione spiritus constitutos Pater misericordiarum assidue consolatur. Quis ei unum pro mille respondere aut rependere possit, qui tot miserationibus tot miserationes inculcans et ingerens, et in omnibus nobiscum magna faciens, tam crebris munificentiis obruit et confundit? Ut ergo cor nostrum totum in gratiam suæ dilectionis alliciat, ut ab amore mundi nos prorsus avellat, cum amicus mundi sit inimicus ipsius, et hoc doceat nos sacra eruditio, cor nostrum ad amorem suum paterna lenitate invitat. Quod enim præcipimur Deum diligere ex toto corde nostro, et ex tota anima, et ex tota D mente, perinde est ac si nos instruat Deus diligere se dulciter, prudenter et fortiter.

CAP. XXVI. *Dulciter diligitur Deus ex recordatione passionis.*

Et quid dulcius quam jugis recordatio dispensationis illius per quem apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia, Christe Jesu, passio tua nobis te amabilem facit, ipsa propitiata est omnibus iniquitatibus nostris; effuso enim sanguine sine culpa omnium culparum chirographa sunt deleta. Gratia tuæ cruci Jesu. Ipsa enim omnes cruciatus nostros evacuat: gratia clavis, qui nobis aperuerunt viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus *visitavit nos Oriens ex alto* [57]. O quam horrenda et insanabilis est plaga prævaricationis nostræ, pro qua Dei Filium oportebat tot dura opprobria, tot et tam dira vulnera sustinere? Clamabat sanguis Abel ultionem de terra [58]: clamabat sanguis Naboth [59], clamabat sanguis omnium justorum, qui effusus fuerat super terram dicentium: Vindica, Domine, sanguinem nostrum, qui effusus est super terram [60]. Solus sanguis Christi clamabat reconciliationem et redemptionem populi sui; clamabat mors ejus defunctis ad vitam, peccatoribus ad indulgentiam, ad liberationem captivis, perditis ad salutem. Ipse jugiter interpellat ad Patrem, ut pretium sui sanguinis et merces obedientiæ, quam Patri exhibuit; pro peccatoribus in redemptionem pœnitentium convertantur. Teste quidem Apostolo: *Deus Filium suum nobis propitiatorem constituit per fidem in sanguine suo* [61]. Apostolus clausulam hanc, per fidem, circumspectissime posuit. Si enim fidem et fiduciam tuam jactes in livores et vulnera crucifixi, et in tuæ salutis usum convertis memoriam Dominicæ Passionis, erit sanguis ipsius pretium tuæ redemptionis. Mors ejus tibi convertetur ad vitam, suus dolor in gaudium tuum, suæ angustiæ in tuas delicias, in tuum honorem sua opprobria, et ut multiplicato fenore gratiæ obtineas salutem, quam operatus est in medio terræ, tibi cedet in jucunditates æternas ipsius supplicium temporale. O fons misericordiæ Jesu, quem ad te diligendum non moveat, quod inter opprobria exprobrationum, inter mortis angustias tuarum miseriarum oblitus, sed memor tuarum misericordiarum, tam pie, tam opportune ad Patrem pro tuis crucifixoribus interpellas? Nam in extensione et transfixione corporis tui, cum jam figurativum medium everteretur in ipsa hora incensi, cum jam virtus holocausti cœlos aperiret, concuteret terram, et inferos spoliaret, et tu summus pontifex introire cum sanguine in Sancta sanctorum [62] exaudiendus pro tua reverentia, clamas: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* [63]. Quam dulcis erit diligentibus se, qui odientes etiam et occidentes se tanta et tam indebita, tam gratuita et stupenda benignitate prævenit!

CAP. XXVII. *Quid sit diligere sapienter.*

Quia amor tamen cordis totus est in affectu, ne sit nimium præceps, expedit ut sapientia et discretione regatur. Præcipimur ergo Deum tota anima, id est sapienter diligere. Anima enim sedes est sapientiæ. Diligebat Petrus Dominum dulciter quidem, sed non prudenter, quia carnaliter; amor enim cordis ad carnalis affectus proprietates accedit,

[52] Hebr. 4. [53] Psal. 39. [54] II Reg. 7. [55] Thren. 1. [56] Luc. 1. [57] Ibid. [58] Gen. 4. [59] III Reg. 20. [60] Apoc. 26. [61] Rom. 3. [62] Hebr. 9. [63] Luc. 23.

Ideoque ipsum mori prohibebat, quoniam non sapienter sed dulciter, non discrete sed temere diligebat. Quia etiam discipuli dulciter quidem, sed imprudenter amabant, dictum est eis : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* [64]. Ac si diceret : Si diligeretis me prudenter, desiderabilis esset vobis ascensus meus ad Patrem, qui naturam humanitatis vestræ mecum defero in Patris gloria collocandam.

CAP. XXVIII. *Quid sit Deum amare fortiter.*

Tertius amor zelo fidei et quodam affectionis fervore firmatur, et homini mentem suam ad Deum diligendum tota interiori virtute consolidat, atque ad dura et dira toleranda pro Christo se in desiderio cœlestium et temporalium contemptu constanter fortiterque conquadrat. Quia vero non diligebat Petrus ita prudenter, ut decebat, licet affectuose diligeret, increpatus est a Domino, vocatus est Satanas, eo quod adversaretur omnium redemptioni, quam Christus in sui passione corporis disponebat [65]. In quo etiam patet eum tunc diligere imprudenter, cum sola carnis affectione inductus propriam salutem et Christi gloriam retardaret. Sed nec dulciter, nec prudenter, nec fortiter diligebat, ubi negabat ad vocem ancillæ, qui se nunquam negaturum etiam pro periculo mortis evitandæ promiserat [66]. Porro, ut triplex hic amor purgaretur, et firmaretur in Petro, ter, sicut credimus, est interrogatus a Christo, Petre, amas me? ut qui in hoc triplici amore inventus fuerat minus habens, imperfectum suum triplici confessione redimeret, et suppleret. Sic ministerio dispensationis amandus est dulciter, et ne de redemptionis nostræ beneficio nimio præsumamus, aut in aliquo diffidamus, diligendus est prudenter. Habita vero consideratione ad potentiam et gloriam resurrectionis, per quam fortiter de potestate tenebrarum nos eripuit, nobisque gloriæ portas aperuit, amandus est fortiter et constanter.

CAP. XXIX. *Quod, sicut diligendus est Deus in beneficiis suis dulciter, sic in suis promissis prudenter.*

Denique cum ex toto corde diligendus sit Deus in beneficiis suis, sicut in superiori tractatu perstrinximus; sic eum tota anima in suis promissis amare tenemur. Ille quidem, qui Veritas est, qui salvare nos vult, et scit, et potest, promittit nobis requiem a labore, securitatem a timore, gaudium a mœrore, resurrectionem a morte, vitam æternam a transitu hujus vitæ, promittit regnum cœlorum, refectionem in mensa Patris, promittit *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit diligentibus se* [67]. Promittit insuper et se ipsum, sicut promisit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis [68]. In omnibus promissionibus suis excitat desiderium nostrum, ut ad ipsius promissiones, quæ omne desiderium superant, tota animæ possibilitate curramus. Licet sine modo debeat esse ad hoc hominis desiderium, tamen ex defectu hominis in se recipit modum. Quod desiderium circa Dei promissiones modum excedat non habet hic excessus excessum. Et hæc est impatientia commendabilis, dum *spes quæ differtur, affligit animam* [69], et amor ex desiderio juge recipit incrementum. David dilationem hanc impatientissime ferens : *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* [70]. Apostolus etiam patientiæ impatiens : *Coarctor*, inquit, *e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo enim melius: permanere autem in carne necessarium propter vos* [71]. Sponsa etiam desiderio sponsi ardenter et impatienter exæstuans, atque cœlestium virtutum sanctorumque precibus suos commendans affectus: *Adjuro vos*, inquit, *filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, nuntiate ei quia amore langueo* [72]. Et notandum quod amor, qui procedit ex desiderio promissorum, prius est animæ. Nam in sanctorum desideriis de affectione animæ frequenter exponitur ut est illud : *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini* [73]. Et iterum : *Sitivit anima mea ad te, Deus* [74]. Et in alio propheta : *Nomen tuum, Domine, et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis* [75].

CAP. XXX. *Quod Deus in judiciis suis diligendus est fortiter.*

Sicut autem ex beneficiis Dei procedit affectio qua Deum toto corde diligimus, ex promissionibus vero Dei desiderium surgit, quo mediante Deum tota anima affectamus, sic ex judiciis Dei causam et initium habet amor, quo Deum tota virtute totisque viribus, id est fortiter et constanter amamus. Est autem judicium Dei desiderabile, juxta illud : *Aspice in me, Deus, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum* [76]. Et est judicium terribile, de quo dicitur : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* [77]. Et hoc horrendo judicio nemo Deum diligit ante se ipsum. Deus, inquam, justissimo suo judicio quibusdam hic miseretur, non miserebitur in futuro. Quosdam autem flagellat tanquam iratus, ut ira et flagella ipsius afflictis in gloriam convertantur. Dimittit illos in desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis, ut iniquitatem iniquitati apponant. Et qui in sordibus sunt plus sordescant [78]. De hac misericordia et ira hac Propheta loquitur dicens: *Quis sapiens et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini* [79]? Et idem : *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare* [80]? *O quam magnificata sunt opera tua, Deus, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.*

[64] Joan. 14. [65] Matth. 16. [66] Luc. 22. [67] I Cor. 2. [68] Luc. 1. [69] Prov. 13. [70] Psal. 44. [71] Phil. 1. [72] Cant. 5. [73] Psal. 83. [74] Psal. 62. [75] Isa. 26. [76] Psal. 118. [77] Psal. 142. [78] Apoc. 22. [79] Psal. 106. [80] Psal. 89.

Vir insipiens non cognoscet et stultus non intelliget hæc [81]. Propterea *prosperitas stultorum perdet eos* [82]. Quod si a Domino corrigantur, neque mundantur, nec emendantur ; sed est mundatio eis suæ destructionis occasio. Juxta illud : *Destruxit eos ab emundatione* [83]. Isti inter flagella Dei murmurant et blasphemant, et pœnis præsentibus pœnas gehennales accumulant. Sancti vero, dum inter flagella, et flagella ipsius diligunt propter Deum, gratias etiam agunt Deo, de judiciis ejus se accusantes, et cum propheta dicentes : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti* [84], quia peccavimus tibi; sed *da gloriam nomini tuo* [84*]. Talibus convenit illud propheticum : *Exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine* [85]. Sunt qui non solum judicia Dei sustinent patienter ; sed ipsi se ipsos judicant, et manum adjuvant flagellantis, accusant se, testificantur contra se, se ipsos judicant, et propriæ sunt exsecutores sententiæ. Judicium Dei operatur patientiam in afflictis. *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem ; spes autem non confundit* [86]. Quomodo enim esset confusio, ubi est, quod omnem spem et fiduciam transcendit, æternæ scilicet gloriæ certitudo? Sub hac exspectatione Propheta dicebat : *Domine, in judiciis tuis supersperavi* [87] Et idem : *Judicia Domini vera, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* [88]. Cur ergo timebo in die mala? Consultius est hic puniri, hic uri, hic nos accusando et judicando torquere, quam *incidere in manus Dei viventis* [89], et in die tremenda damnationis æternæ supplicium a terribili et inexorabili Judice exspectare.

Cap. XXXI. *Quod probatur charitas in obedientia mandatorum Dei.*

Deus tota mente diligendus est in suis mandatis. Vult etiam Deus ut tota mens hominis se inclinet ad obediendum, ut omnes sensus et affectiones suas impendat observantiæ mandatorum cœlestium obedire. Siquidem Deo obedire, est voluntati ejus per omnia consentire, et sic obediendo vivere, quia *vita est in voluntate ejus* [90]. Cum autem voluntas Dei exprimatur in mandatis ipsius, nec Deum quis potest diligere, nisi ejus diligat mandata. Est denique probatio dilectionis ex mandatis Dei, si in eis meditemur, si secundum ea operemur, si in eorum exercitatione versemur. Quod insinuans Propheta : *Meditabor*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi* [91], ecce sollicita meditatio. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi* [92]; ecce diligens operatio. *Et exercebor in justificationibus tuis* [93]; ecce justificans exercitatio. Ce meditatione scriptum est : *Quod præcepit tibi Deus, hoc cogita semper* [94]. Cogitentur siquidem mandata Dei quam sancta, quam honesta, quam dulcia, quam salubria, quam jucunda, quam *fidelia et confirmata in sæculum sæculi* [94*]. In elevatione manuum sancta operatio designatur, cui justus libenter insistit. Certus est enim, quod meritis ejus æterna retributio exuberantissime respondebit. Jugis vero exhortatio luctam sibi habet annexam laboremque continuum. Justus autem pugnat ut coronetur, recepturus ab eo requiem pro labore, qui fingit laborem in præcepto [95]. Est itaque probatio charitatis, utrum vera sit, si homo mandata dilexerit, si ea meditatione, et operatione, et operum exhibitione servaverit, cui servire regnare est. Mandatorum siquidem obedientia nullius est meriti, nisi ex charitate procedat, quia enim annexæ sunt obedientia et charitas, ideo qui non diligit, nec mandata custodit. Audi enim quæ Veritas dicit : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* [96]. Et adjunxit : *Qui non diligit me, sermonem meum non servat* [97], manifeste insinuans, quod si quis diligit, obedit ; si non obedit, non diligit. Vera sane obedientia est vera observantia mandatorum Dei ; propterea semper obedientia inseparabiliter charitati adhæret. Propter quod scriptum est : *Qui offendit in uno, omnium reus est* [98]. Quod in uno mandatorum breviter exponi potest, ut de similibus censura similis habeatur. Huic mandato : *Non occides* [99]; ille qui diligit et non occidit, in dilectione obedit ; qui vero non diligit, et non occidit, mandatum quidem ad litteram facit, sed non facit secundum mentem mandati, quia non diligit. Legem enim facere non est verba legis exterius sequi, sed mentem et intentionem obedienter implere. Quia ergo non est sincera obedientia, quæ ex vera dilectione non fit, non dicitur obedire, qui non diligit, licet non occidat, eo quod legem opere tantum, et non intentione pura custodiat. *Charitas* siquidem *patiens est, benigna est* [100], in quibus obedientia commendatur; *non agit perperam*, quia nihil contra conscientiam suam facit, *non inflatur* beneficiis Dei, *non est ambitiosa*, quia omnem respuit dominatum ; *non quærit quæ sua sunt*, sed quæ Christi vel sui proximi, imo etiam ablata non repetit; *non irritatur*, ad iracundiam subaudi ; *non cogitat malum*, ut malum pro malo refundat ; *non gaudet super iniquitate*, subintellige alterius, ejus enim iniquitas nulla est; *omnia suffert* patienter, *omnia credit, omnia sperat* dicta vel promissa a Deo, *omnia sustinet* [1] obediendo humiliter. Qui ergo ex charitate obedit, legem mandatorum Dei adimplet ; quam sine charitate alias omnino implere non potest, ideo ipsas est finis legis, mandatorum impletio et terminus perfectæ consummationis juxta illud : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* [2]. *Hæc est testimonium conscientiæ nostræ* [3],

[81] Psal. 103. Psal. 91. [82] Prov. 1. [83] Psal. 88. [84] Dan. 3. [84*] Psal. 110. [85] Psal. 96. [86] Rom. 5. [87] Psal. 118. [88] Psal. 18. [89] Hebr. 10. [90] Psal. 29. [91] Psal. 118. [92] Ibid. [93] Ibid. [94] Eccli. 3. [94*] Psal. 110. [95] Psal. 93. [96] Joan. 14. [97] Ibid. [98] Jac. 2. [99] Exod. 20. [100] I Cor. 13. [1] Ibid. [2] Psal. 118. [3] II Cor. 1.

hæc est gloria nobis eveniens a Spiritu veritatis. Spiritus enim veritatis perhibet testimonium spiritui nostro [4], quod filii Dei sumus regenerati in spem vitæ per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis; quam regenerationem Joannes evangelista insinuans dicit: Scimus quia *qui natus est ex Deo* non peccat [5], quia cœlestis generatio, innovatio scilicet charitatis, eum servat, id est charitas, per quam prævidit Deus eum fieri conformem imaginis Filii sui. Nam etsi David proditioni adulterium homicidiumque adjecerit [6], licet septem dæmonibus Magdalena laboraverit [7], licet Petrus culpam apostasiæ incurrerit [8], non est tamen qui eos de manu Domini erueret. Charitas vitæ innovatio est, per quam crucifigitur et exterminatur in nobis vetus homo, terrenus, carnalis et animalis. Sic ambitiones et concupiscentiæ, mala opera, prava desideria charitate omnia nova faciente evanescunt, nunc autem si qua nova creatura est, in ipsa vetera transferunt.

CAP. XXXII. *Item de dilectione proximi, et progressu ejus.*

Charitas nunquam otiosa est, semper in alterum se porrigit, vel in proximum, vel in Deum. Natura nimirum charitatis est et amare et velle amari; sicut non potest non ardere, sic non potest charitas non amare. Amor siquidem ignis est, et amare ardere est. *Ignem*, inquit Dominus, *veni mittere in terram* [9]. Ignis semper ad exteriora se porrigit, et incendens alia interius in se crescit. Sunt equidem homines amantes se, et suis servientes desideriis, hi mortui sunt viventes. Sicut scribit Apostolus [10] de vidua, quæ in deliciis vivens mortua est. Proprium amorem, seu primatum, Apostolus reprehendens: *Erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes* [10], ita solliciti circa propriam curam, ut de proximi necessitate non curent. Dilectio sane sese transfundit in alium, quia esse solitaria dedignatur, et ideo vult communicari alii ne sit sola. Quia ergo illo summo et beatissimo dono, cum illud obtinuerimus, unusquisque pro sua capacitate fruetur; capaciores autem erunt omnes simul, quam singuli, si per se censeantur, procul dubio cumulatior erit illa felicitas. Siquidem plene habere quis non potest, nisi habere possit in altero. Verum habere, vel suum facere bonum alterius non poterit, nisi bona alterius in eo dilexerit. Sed nec bonum in altero diliget, nisi alterum ipse amet. Congrue igitur secundo præcepto divinæ legis auctoritas nos informat: *Diliges*, inquit, *proximum tuum* [11]. Cæterum, quare Deus summa nostra beatitudo fructus est in se et in nobis, atque in proximo, ideo ipse ex toto diligendus est tibi, ut diligas eum *ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex omni virtute tua* [11*]. Pro- A pterea, quia de felicitate proximi tantum ga[...] quantum de propria, recte subjungitur: *proximum tuum sicut te ipsum* [12]. Duo ergo diligenda sunt ad fruentum, Deus et proxim[...] similiter tamen. Deus, ut eo fruamur in se propter se ipsum; proximus, ut ipso frua[...] Deo et propter Deum. Proprie autem dicim[...] Deo, proximo vero improprie, licet Aposto[...] discipulum suum dicat: *Ita, frater, te fruar [...] mino* [13]. Cum autem scriptum sit: *Deum vidit unquam* [14]; Deus autem, *qui lucem [...] inaccessibilem* [15] nostris cordibus sæpe aliqua[...] suæ lucis clementer infundit; cumque [...] scriptum sit: Domine, *apud te est fons vitæ [...] lumine tuo videbimus lumen* [16]; ipse nihilo B est flumen, cujus *impetus lætificat civitatem* [...] Ipse per Isaiam dicit: *Ecce ego declino in [...] flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ g[...]* [18]. Et quæ est hæc civitas, quam fluminis in[...] lætificat [19], et quæ a voluptatis et gloriæ to[...] potatur, nisi eorum communio, quorum unu[...] et animam unam facit Deus [20], in glutino cha[...] *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut te ips[...]* Ac si dicat: Dilige consortem naturæ tuæ, q[...] futurus est consors gloriæ meæ. Dilige te ips[...] altero, agnosce te in imagine mea, et propt[...] misericorditer age cum proximo tuo, ne tibi [...] me misericordiæ aditum intercludas. Quocirc[...] bonorum nostrorum non indigens, nobis del[...] pro se fratres et proximos nostros, quibus [...] ejus vicariis beneficia impendamus, quæ si C eidem exhibere vellemus. Quomodo quis De[...] nullo eget, et quem videre non potest, im[...] misericordiam, si fratri qui indiget, et quem [...] compassionis affectum non exhibet? Prius eq[...] se diligebat homo propter se, et erat carnal[...] amor. *Prius* autem *quod animale, deinde spirituale* [21*]. Ideo autem est hic carnalis amo[...] *nemo carnem suam odio habuit* [22]. Porro ne de[...] hic amor latius evagaretur in malum, appon[...] frenum temperantiæ, et indicitur ei præce[...] quatenus consortem naturæ suæ diligat, ut se i[...] Quantum ergo voluerit homo se ipsum d[...] dummodo proximum in mensuram ejusdem [...]ctionis admittat. Exigit autem amor proximi [...] velle, idem nolle. Item Deum diligere. Deum [...] D et in omnibus secundum Deum mutuis volunt[...] consentire.

CAP. XXXIII. *Quando ratione proximi debeat o[...] plena esse communio.*

Est equidem in vera proximi charitate [...] communio. Sive enim aliquid, quod deceat [...]municari, quis habeat, vel non habeat, tame[...]ritas illud habenti et non habenti commu[...]

[4] Joan. 1. [5] I Joan. 3. [6] II Reg. 11. [7] Luc. 8. [8] Matth. 26. [9] Luc. 12. [10] II Tim. 3. [11] [...] 22. [11*] Marc. 12. [12] Ibid. [13] Phil. v. 20. [14] II Joan. 4. [15] I Tim. 6. [16] Psal. 35. [17] Ps[...] [18] Isa. 66. [19] Psal. 45. [20] Act. 4. [21] Matth. 22. [21*] I Cor. 15. [22] Ephes. 5.

Quod enim habet, commune facit aliis, et amat in aliis, quod non habet. In adversis etiam specialiter habet locum voluntatum communio, per quam efficitur uterque unius necessitatis; ut cum unus patitur, et alius condoleat. *Gratia* siquidem *Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus*[22*] istos mutuæ communionis affectus operatur in nobis. Nec enim charitas sine communione est, nec sine communione Spiritus sanctus. Charitas autem diffunditur in cordibus electorum per Spiritum sanctum qui datus est eis [23].

Cap. XXXIV. *Quod summa communio sit in S. Trinitate.*

Summa quidem communio, aut potius unio in sancta Trinitate est, et eb ea quasi de fonte luminis in homines beneficium cummunionis emanat. Nimirum non est Deus singularis, aut salitarius, quia trinus est unus; nec decebat solitarium esse, aut suæ beatitudinis consortem non habere. Cum ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus sint una vita, una essentia, eorum communis est vita, essentia, et natura. Est autem vita de vita, essentia de essentia, natura de natura, Filius a Patre, et Spiritus sanctus ad utroque. Filius vita est, qui dicit: *Ego sum via, veritas et vita* [24]. Cumque ipse vita sit, in se vitam habet a Patre. Sicut, idem inquit, Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. In sancta Trinatate tanta est communio, ut sapientia, potentia, æternitas, et omnia quæ pertinent ad Trinitatis essentiam sint unum, nec illi unioni præjudicet distinctio personarum. Sic ergo quidquid Filius habet a Patre, totum hoc habet cum Patre. *Splendor* enim *est gloriæ, et figura substantiæ Dei* [25], et imago ipsius. Sicut autem Filius vita est a Patre, sic Spiritus sanctus vita est ab utroque, ipse eorum amor, amborum nexus et æterna communio. Pro hac ineffabili communione per quam Pater et Filius et Spiritus sanctus, sunt eadem vita, eademque essentia, dicit Filius ad Patrem: *Pater mea omnia tua sunt, et tua omnia mea sunt* [26]. Item Joannes: *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manum ejus* [27]. Rursum Veritas dicit: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit* [28].

Cap. XXXV. *Quod sancta communio a Deo emanet in angelos et homines.*

De hac inaffebili unione, de qua Filius dicit: *Ego et Pater unum sumus* [29], emanavit quædam communio amoris in angelos, in qua per Filium et Spiritum sanctum firmati sunt, sicut scriptum est: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [30]. Propterea in eis est idem velle, idem nolle; ideo amantur singuli a singulis, et a singulis universi; ad instar communionis angelicæ *diffusa est Dei charitas in* hominum *cordibus per Spiritum sanctum* [31]. Sic enim Dominus per Joelem quandoque promisit: *Effundam*, inquit, *de spiritu meo super omnem carnem* [32]. Hujus Spiritus communicatio procedit in hominum corda, ut quæ propria sunt unius, fiant aliis ex charitate communia. Quod B. Petrus insinuans ait: *Unusquisque sicut accepistis gratiam ad alterutrum administrantes* [33]; si quis loquitur, sicut sermones Dei; si quis ministrat sicut ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus. Ab hoc ineffabili fonte summæ et individuæ Trinitatis derivationem accepit ista commuino, et in unitate Spiritus, fidei, et baptismi Ecclesia primitiva fundata est, sicut Apostolus breviter tangens: *Unus*, inquit, *Spiritus una fides una anima, unum baptisma* [34]. In hac autem communicatione Spiritus, fidei et baptismi *erat multitudinis credentium cor unum et anima una*. Ecce intima unio cordium et identitas voluntatum; *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse decebat, sed erant* eis *omnia communia dividebatur autem singulis prout unicuique opus erat* [35]. Sed quid sibi volunt, ista communio et ista distributio? Nam distributio rem distributam ei cui datur appropriat; communio vero, habere aliquid proprium detestatur. Porro charitas vitium proprietatis abhorrens, quæ distribuuntur non vult esse propria, sed ut in communionem transeant distributa. Testimonio siquidem Apostoli: *Divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministrationum sunt, et divisiones operationum sunt. Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* [36]; *unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic alius vero sic* [37]. Facit autem charitas, ut quod unusquisque proprium accepit, non sibi, sed eo, sed proximo acceperit, ut non suam, sed Dei gloriam, non suam, sed utilitatem proximi ex Dei munere quærat. Charitas enim *non quærit quæ sua sunt* [38], sed quæ Jesu Christi, aut in Jesu Christo proximi sui. Vides oculo fidei, quod in illa sacratissima Trinitate una est virtus, una est essentia, quæ tribus personis communis est. Persona enim a persona propria notatione discernitur, et beneficium communionis, aut potius unionis impendit, quod solus Pater est Pater, vel solus Filius. Filius est enim Pater, non sibi, sed Filio, cui de sua substantia genito dedit vitam habere in semetipso. Facit ergo charitas, ut omnia sint inter proximos communia, et tamen singulis propter proprias necessitates propria sunt conferenda subsidia. Quod enim unusquisque sic recipit, a communionis beneficio non recedit. Habent enim et sibi alii quod habent, imo alii minus, amplius sibi. Intelligant ergo homines, quidquid recipiunt ex dono gratiæ cœlestis, non suum sed omnium esse. Timeant sibi obesse, quod eis a Deo inditum est, nisi faciant in

[22*] II Cor. 13. [23] Rom. 5. [24] Joan. 14. [25] Hebr. 1. [26] Joan. 17. [27] Joan. 3. [28] Joan. 5. [29] Joan. 10. [30] Psal. 32. [31] Rom. 5. [32] Joel. 2. [33] I Petr. 4. [34] Ephes. 4. [35] Act. 4. [36] I Cor. 12. [37] I Cor. 7. [38] I Cor. 13.

commune prodesse. Eis enim gratia obest, si aliis per eos non prodest. Quod si communicant gratiam, transferunt eam in Dei gloriam. Propterea quicunque communicat donum Dei, ei dabitur et abundabit Et is vere habet id quod habet, ei vero qui sic non habet, et id quod videtur habere, auferetur ab eo. Gratia siquidem Dei homini data est in creditum, et in causam mutui transit; accipientem enim obligat Deo et proximo, Deo ad exhibendam gloriam, proximo ad gratiam communicandam. Hic est *justus qui miseretur et commodat* [39]. Homo vero delinquit, si contra pactum dati et accepti, seu crediti et mutui venire præsumat. Scriptum est enim: *Mutuabitur peccator et non solvet* [40].

CAP. XXXVI. *Quod non est communio bonorum ad malos.*

Huic fonti, huic sanctæ communioni non communicat alienus. Avarus enim aut cupidus, seu quisquis est fidei Christianæ contrarius, divisus est. Qui autem dona Dei communicat, indivisos ad proximum conservat affectus; iste ut columba et turtur, Abraham ex præcepto Domini dividente vaccam et capram, atque arietem, et ponente utrasque partes altrinsecus nullam recipit sectionem [41]. Sit ergo proximi ad proximum individua communionis affectio, sic tamen ut nunquam sit ibi assensus in malo. Sic diligatur proximus, ne laudetur *in desideriis animæ suæ* [42]. Quicunque peccatorem in hoc diligit, proximum bene odit. Nam, sicut prædiximus, non est proximi vera dilectio, si non fundetur et firmetur in Christo. Christus equidem ipse est communionis nostræ vinculum, firmans inter nos *Spiritus unitatem in vinculo pacis* [43]. Et *qui*, juxta verbum Job [44], *facit pacem in sublimibus suis ipse est pax nostra quæ fecit, utraque unum* [45]. Consilio itaque B. Petri [46] mutuam in nobismetipsis charitatem studeamus habere, quam sincera benevolentia foveat, quam simulatio non adumbret, nec suspicio interrumpat. Hanc hominum cordibus Christus imprimit et exemplo confirmat. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* [47].

CAP. XXXVII. *Quod ex mutuo membrorum nostrorum obsequio in amorem proximi erudimur.*

Illud etiam in proximi dilectione notetur attentius, quod ipsa natura corporis nostri ad mutuæ charitatis observantiam non informat. *Multi* enim *unum corpus sumus, alter vero alterius membra* [48]. Unus autem Spiritus universa membra vivificat, eorumque compages mutuis obsequelis et alterna compassione consiliat. Oculus non solummodo sibi videt, sed dirigit gressus pedum. Os non solum sibi comedit, nec stomachus sibi soli digerit; sed utrumque communi utilitati membrorum deseruit. Lingua, si quod membrum læditur, molestiam illius compassionem suam faciens, lædentem redarguit, dicens: Quid me lædis? Cor de communi utilitate sollicitum

A consilia membris omnibus profutura disp nus quæ nec famulari quandoque memb ctioribus erubescunt, se in usum publicæ exercent. Quod si manus una casu aliquo f dat alteram, illa quæ læsa est, non reperc se erigit in vindictam. Manus autem, qu quasi se ipsam accusans remedia meliora, test, læsæ sorori apponit, et ex humilitate, citudine sua sibi indulgeri postulat, et om spicionem malitiæ studio sollicitæ comp eliminat. Si manus oculorum obsequio vib aliud membrum senserit gladium imminent suum minime discrimen attendens, plus a sibi timens gladium excipit: et, ut alii p ipsa non sibi parcit. Sit ergo in nobis lex il

B munionis, quæ in membris nostris scripta unus Spiritus nos omnes quasi unum corp cet, ut per veram cordium unionem mane Deo, et Deus in nobis, quatenus omne co nexus et juncturas membrorum et compagi scat in mensuram ætatis plenitudinis Chri

CAP. XXXVIII. *Quod ex præcepto Dei tenemu inimicos.*

Inter proximos diligere præcipimur inim præcedentibus adversari videtur: Habere o micum [49]; quod mirabili artificio charitatis satio divina decrevit; ut scilicet, voluntas b quæ prompta est in odium mimici, manda ctionis imperio refrenetur, et quæ nimis e ceps ad diligendum amicum, censura divin quæ inimico indicit odium, temperetur. D

C nitate, de eleemosyna, de humilitate, de pos dimittenda et danda pauperibus, de visitand mis, et de aliis operibus misericordiæ co habemus a Domino, et de his, licet indicta doque necessitatem non habeant, retrib exspectamus æternam. Verumtamen de in lectione certo et expresso sententiæ decreto nus in Evangelio nos astringit, ita quod si micum non diligit, divinæ legis prævaricato *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, et benefacit oderunt vos, et orate pro persequentibus et cal tibus vos*, et modum mercedis adjungens: inquit, *filii Patri vestri qui in cælis est* [50]. bonitas Deus est, in cujus amore vim tuæ v facere te oportet, ut sicut *solem suum facit*

D *per bonos et malos* [51]; ita eodem oculo grat cum et inimicum ora Christo respicias. Si diligis, quia te amas, lex amicitiæ hoc e amicum pro Christo amat, hoc accedit ad m Sed tanto differentius et eminentius mereris Dei, si tuæ pro Christo imperans voluntati, cum diligis propter Deum. Audi quid Ve Evangelio dicat: *Si diligitis eos qui dilig quam mercedem habebitis? Nonne et public faciunt* [52]; sed et ursæ et leones et lamiæ ci

[39] Psal. 36. [40] Ibid. [41] Gen. 15. [42] Psal. 10. [43] Ephes. 4. [44] Cap. 25. [45] Ephes. 4. [46] I I [47] Joan. 15. [48] Rom. 12. [49] Matth. 5. [50] Ibid. [51] Ibid. [52] Ibid.

dilectionem naturæ inserviunt[53]. At si Christi pulus es aut professor, malefacientibus benefa- et maledicentibus benedicere, et orare pro :quentibus te oportet. Exigit enim ordo cœle- ustitiæ et divinæ regula æquitatis, ut qui jam ıinati sunt a sole justitiæ, orent, ut eorum il- nentur adversarii, et qui tenebræ sunt, fiant n Domino, juxta orationem Prophetæ dicentis: *iam tu illuminas lucernam meam, Domine, il- ıa tenebras meas*[54]. Paulus dicit : *Nemini malum ıalo reddentes*[55], *nec maledictum pro maledicto* ıristus teste B. Petro, pro nobis passus nobis uit exemplum ut sequamur vestigia ejus[57]. Ipse suis crucifixoribus exoravit : *Pater*, inquit, *ce illis, quia nesciunt quid faciunt*[58]. Hæc ve- ı secuti sunt Jacobus et Stephanus[59], quam ıs etiam alii, qui inter angustias mortis occi- suos totis præcordiis animæ sibi astrinxerunt exibus intimæ charitatis[60]. Ille siquidem quem ı reputas inimicum, sibi et non tibi inimicus Sibi obest, et non tibi; nocere hunc æstimas, e ad innocentiam te promovet. Scriptum est [61] : Abel non esse potest quem Cain malitia ɜxercet. Si *malum pro malo, maledictum pro licto* retribuis, jus in causa propria tibi dicis, ı in re tua judicem faciens, eum cui omne judi- dedit Deus Pater[62], qui dicit : *Mihi vindictam ɔ retribuam*[63], quantum in te est judicandi ɜ retribuendi potestate destituis. Tuis ergo pro ıto inimicis illum amorem exhibeas, quem te entibus exhiberes. Licet enim hoc tibi grave a facie videatur, colliges tamen ex hoc amore ssimos vitæ fructus. Novum quidem præceptum ı quo emanat ista dilectio. Nam, cum veteris edicto præcipiamur amicum diligere, et ha- odio inimicum[64], novæ legis censura constrin- .r inimicum diligere, non umbratice nec simu- ie, *sed opere et veritate*[65]. Ideo legislator non ɔndus dicere : *Diligite inimicos vestros*, sed aperte uans voluntate et opere diligendos, adjecit : *facite his, qui oderunt vos*[66]. Et item : *Si esu- inimicus tuus, ciba illum : et si sitit, da illi po- Hoc enim faciens carbones congeres super caput* [67]. Caput interioris hominis, est ratio : nec, ut ɔuto, alias aliquis adeo crudelis est, qui ad col- ɔeneficia non mitescat, qui ad proximi benevo- ım odium odio non habeat, qui cogitationes itatis quasi carbones ignis remoto calore ira- iæ non accendat. In eo itaque qui te molestius ietat dilige imaginem Dei naturæ consortem, ɔ peccatum ejus odio habeas, ut diligas pecca- ı. Hoc est enim odium perfectorum : *Perfecto, t, odio oderam illos*[68]. Recole charitatem Jo- ad fratres impios[69], Moysi ad populum rebel- [70], David lugentis persecutores gravissimo Saul

A et filium parricidam[71]. Et licet evangelicus legislator Christus prius promulgaverit hujus dilectionis decretum, multi tamen Patres antiqui, ejus gratia inspirante, humiliter observantiam coluerant.

CAP. XXXIX. *Quod secundum diversos hominum status in dilectione diversi sunt gradus.*

Illud autem dignum annotatione censemus, quod in proximi dilectione ordo et gradus eorum, qui diliguntur aut diligunt, sæpius variatur. Constat enim quosdam aliis præesse, quosdam subesse, alios vero coesse; quosdam etiam prodesse, aliis vero obesse. His omnibus necesse est judicium discretionis adesse. Superior quidem debet inferiorem corripere, et si necesse est ad virtutis opera distri- B cte compellere; sit tamen in correptione dilectio, et exhibeatur in coactione compassio. Si vero inferior in ordine suo legitime conversetur, ut ad meliora conscendat, moveri potest. urgeri non potest, nisi salutaribus monitis et exemplis, maxime si superior ad hoc inferiorem anhelare cognoverit proprio desiderio voluntatis. Ad inferiorem pertinet consilium in dubiis a superiore petere, reverenter assistere, supplicare devote, humiliter obedire, æqualis suo æquali honesta suggerere debet: in lætis aut tristibus congratulationis vel compassionis affectus impendere, ejus utilitati vel necessitati succurrere, se mutuo fovere sanctis collationibus, et honore invicem prævenire, eum qui prodest, id est amicum tenetur amicus in præcordiis animæ et visceribus charitatis amplecti. Eum vero qui obest, id est inimicum, sus- C tineat, patienter, errata clementer indulgeat, diligat eum et impendat illi necessaria propter Deum. Si autem diligendus est proximus, ut ratio habeatur ad illum charitatis affectum, qua supra te diligis Deum. Nam si Deum non diligis, nec proximum diligis, nec te ipsum. Cum ergo proximum tenearis diligere sicut te ipsum, scias quod ex dilectionis mensura, qua diligis Deum, potes æstimare, quantum proximum diligas vel te ipsum. Porro, qui Deum non diligit, nec se. Si autem non diligit se, nec proximum sicut se. Ideoque ex dilectione Dei potes, quam habes ad te et proximum dilectionem, certa æstimatione metiri.

CAP. XL. *Si licita est dilectio, quæ pro utilitate aliena patitur animæ detrimentum.*

D Illi autem enormiter errant, qui sic arbitrantur unumquemque proximum diligendum, ut duos plus quam unum diligere teneantur, et ex numero proximorum diligenti quantitas censeatur. Sane non dicitur : Diliges proximum quantum te, sed *sicut te* nec ex multiplicitate proximorum multiplicanda est affectio charitatis. Sic enim centum aut omnium universitatem tenerer diligere supra me, quod om-

Thren. 4. [54] Psal. 17. [55] Rom. 12. [56] I Petr. 3. [57] I Petr. 23. [58] Luc. 2. [59] Act. 7. [60] Hebr. 11. ɜg. *Moral.* l. IX, c. 39. [62] Joan. 5. [63] Rom. 12. [64] Matth. 5. [65] I Joan. 3. [66] Matth. 5. m. 12. [68] Psal. 138. [69] Gen. 45. [70] Exod. 32. [71] II Reg. 15 et 18.

nino rationi obviat et saluti humanæ. Quam enim æstimationem dabit homo pro anima sua? vel quid prodest ei, si etiam ad salutem æternam lucretur universum mundum; suæ vero patiatur animæ detrimentum [72]? Nec videtur huic sententiæ adversari, quod Moyses supplicans pro populo Israel dicit: *Domine, aut dimitte eis, aut dele me de libro tuo* [73]. Et illud quod Apostolus ait: *Optabam aliquando anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem* [74]. Moyses enim quasi materno affectu populum diligebat. Mater autem paupercula, si non alias intromittatur ad desiderabiles sibi cibos, nisi foris filium derelinquat, quid diceret, nisi aut mecum admittas filium meum, aut utrique interdicas introitum Affectum quidem Moyses prodidit quem habebat ad populum, sed consilium non expressit. Sic etiam Apostoli verba ex affectu potius quam ex consilii judicio consæntur. Quidam hoc verbum sic intelligunt, quod scilicet Apostolus optabat pro fratribus suis anathema esse a Christo, id est a secreto meditationis, ab orationis instantia et contemplationis arcano. Nam pro fratrum salute quodammodo separabatur a Christo, qui cum orando et contemplando vacaret et videret quam suavis est Dominus [75], ad mundi strepitum, et ad labores sæculi rediens, quodammodo avellebatur a Christo. Sane nullus aliquo præcepto, vel aliqua ratione tenetur, salutem animæ proximi perditione animæ suæ aut corporis ejus liberationem citra spem perpetuæ salutis proprii corporis interitu procurare. Quod enim præcipimur pro fratribus animas ponere ad vitæ contemptum, non ad animæ, pro qua Christus mortuus est, pertinet detrimentum. Sic enim pro fratribus animam ponere, non est animam perdere, sed salvare. Proinde hi qui morte propria temporali dominos suos a morte redimunt, recte quidem hoc faciunt, si potius salutem animæ suæ, quam liberationem alieni corporis in causa constituunt. Cum enim conscientia sua eis, dictet, quod dominis fidem suis debeant exhibere, videtur etiam consonum rationi, quod suæ vitæ corporali vitam dominorum debeant anteferre. Verum si pro captanda potius gloria, quam pro fide servanda tali se discrimini objecerint, egerunt temerarie; quia in sola fama populari mercedem sui sanguinis posuerunt. Dilectionis itaque causa et maxime pro salute multorum potest quilibet salubriter morti suum corpus exponere. Ut enim pro salute totius mundi suæ patiatur animæ detrimentum, nec potest ratio nec amoris regula tolerare. Animam suam perdere et recedere a dilectione Dei, carere visione illius, et sententiam perpetuæ damnationis incurrere.

CAP. XLI. *Quod delectabilis et necessarius est fructus in exercitio istorum affectuum ordinato.*

Sic ergo proximus diligatur, ut secundum exigentiam meriti, aut dignitatis ipsius unus alteri præferatur, et in amoris exhibitione certi ordinis mensura servetur. Propterea secundum gradum, modos et ordinum status unicuique dilectionis censura distribuat, quod ei debemus. Ad cujus rei evidentiam exemplar in anima diligentis quasi in arca Noe de imputribilibus lignis, id est de sanctis compacta virtutibus assignemus et tristega, et mansiunculas, ut inimicos et amicos, extraneos et familiares in sinu cordis juxta singulorum dignitatem et ordinem collocemus. Bestias itaque bestiali scilicet crudelitate grassantes persecutores scilicet nostris receptaculis inferioribus deputemus. Quia vero sunt mansiunculæ exteriores his, de hoc hominum genere, qui foris sunt exteriora concedimus. Illis vero qui nobiscum ejusdem fidei professione censentur, nequaquam ab interiori mansione repellimus, locum istis assignamus superiorem reptilibus et jumentis; his scilicet, *qui terrena sapiunt* [76], aut qui ventri aut libidini servientes in stercoribus ut jumenta putrescunt [77]. Talibus exhortationis consilium, flagellumque correctionis impendemus et præ inferioribus. Sed post superiores vivendi subsidia indulgemus, in quibus his qui proximitate naturæ, vel humanitate officii, vel beneficio nutrituræ nos tangunt, interiora committimus: interiora cæteri non merentur. Sunt qui nec bestias feritate, nec pecudes ferocitate, nec reptilia terrenorum desiderio imitantur, sed nec statum humanæ firmitatis aliqua virtute transcendunt Inter istos autem quanto quis nobis est aut carne conjunctior, aut gratia mortali acceptior, tanto sit nobis ad animæ præcordia et sinum charitatis interior. Sane locus prædictis eminentior volatilibus cedit. Isti pennis virtutum supra hominem transcendentes tanto sunt in arca Noe specie altiores, quanto eos credimus Deo familiarius inhærentes. Inter quos illi, quos affectio nobis arctius in glutino charitatis univit, secretius in nostri pectoris arca et suavius reconditi exactissima cordis benevolentia foveantur. His omnibus præeminet quidam gloriosior locus cui hujus arcæ fabricator et rector *speciosus forma præ filiis hominum* [78], *splendor et figura substantiæ* [79] Dei Patris præsidet, omnesque cæteros ordines ineffabili claritate serenans attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviter universa disponens [80]. Ipse hujus spiritualis arcæ latitudinem ad unum suæ dilectionis cubitum lineari dimensione traducit; ipse præ omnibus, ipse in omnibus nostros affectus in se dirigit; ipse in habitaculo cordis nostri et superiorem et inferiorem sibi locum exigens in se ipso divitias gloriæ suæ nobis indefessa et indeclinabili bonitate proponit.

CAP. XLII. *De diversitate affectuum, ex quibus et usus dilectionis æstimatur et fructus.*

Juxta hanc ordinum varietatem et graduum diversi formantur affectus, a quibus motum et usum dilectio mutuatur. Ad expressiorem vero notitiam affe-

[72] Marc. 8. [73] Exod. 32. [74] Rom. 9. [75] Psal. 45. [76] Phil. 3. [77] Joel. 1. [78] Psal. 44. [79] Hebr. 1. [80] Sap. 8.

ctuum, ex quibus dilectio nascitur, proficit, exercetur, videndum quid sit dilectio, qualiter in charitatem transeat, vel ab ea degeneret, aut in suæ nativitatis informitate subsistat. Judicio et æstimatio quorumdam, dilectio est quædam vis animæ rationalis appetitiva rerum, quas sibi quis eligit ad fruendum. Et licet hæc vis animæ naturaliter in se sit quoddam bonum, homo tamen pro sui libertate arbitrii vel bene utitur hoc bono per gratiam adjutus, vel hoc bono abutitur per justitiam derelictus. Illius itaque bonus usus bonum amorem et hominem commendabilem facit. Usus enim versatur in tribus, in electione, in motu et statu. Electio est, ex deliberatione, motus ex desiderio et actu, fructus pensatur ex utilitate et fine. Deliberationis equidem est discernere inter amara et dulcia inter delectabilia et aspera, inter Creatorem et creaturam, inter temporalia et æterna. Præcedit ergo electio rei, quam quis desiderat ad fruendum, ex illa electione movetur animus ad desiderium, ut cum adeptus fuerit, quod elegerit, fruatur eo, id est cum delectatione utatur. Sic est electio amoris inchoatio. Motus desiderii actus; finis vero sive utilitas, fructus. Si ergo mens id ad fruendum elegerit, quod oportet, et ad appetitum ejus moveatur, ut decet, eodemque fruatur, ut debet, tam dilecta electio, tam competens motus, tam salubris et desiderabilis fructus merito charitatis appellatione censetur. Sic electione charitas inchoatur, exercetur motu, fruitione perficitur. Verum si animus eligat imprudenter, moveatur indecenter, turpiter abutatur, ex istis cupiditas oritur, invalescit atque perficitur. Habes itaque duos fontes boni, et mali duas origines seu radices. Omnium enim bonorum radix est charitas; *omnium* que *malorum radix est cupiditas*[81]. Porro is, cui deliberatio circumspectior, intelligentia purior, oculus rationis acutior, considerans quantum homo alii creaturæ præcellit, quod quidquid desiderabile est id mundo perplexius hominem involvit miseriis, quam promoveat ad beatudinis statum, metiens suæ per omnia privilegia dignitatis: videt quam salubriter homini lex divina præcipiat ei soli servire, cui servire regnare est, et illud solum appetere, in quo solo summa beatitudo est. Indignans ergo divitiis, aut deliciis temporalibus, avaritiæ, idololatriæ, pecuniæ, ei duntaxat devotam exhibet obsequelam, de quo Scriptura sacra præcipit, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[82]. Quia igitur intelligit homo, quod tanta, tam sancta, tam sublimis et præeminens sit divina natura, ut sola possit hominem beatum facere, eum sibi specialiter eligit ad fruendum, cui deberi merito videt obsequium singulare. Sic Dei dilectio inchoatur, sic promovetur exercitio desiderii, ut tandem in usum desiderii convertatur. Ponit itaque lex divina, et in corde hominis scribit primum de dilectione, præceptum: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*[83].

Cap. XLIII. *De motu ad desiderium.*

Porro qualiter in electione rerum, quæ prætendunt umbratilem felicitatis imaginem, quosdam exagitat spiritus vertiginis et erroris, jam delibavimus; restatque diligentius aperire qualiter et quibus adminiculis ad electionem appetendorum animus moveatur. Fit enim motus vel intus ad desiderium, vel foris ad actum. Ad desiderium; cum scilicet quodam interno appetitu movemur et allicimur ad fruendum; ad actum vero movemur, quando ad exterius agendum quadam amoris affectione compellimur. Et notandum quod amor a quibusdam vel intensius excitatur ad desiderium, vel ad actum, quæ cursum amoris dirigunt, eique formarum universitatem pro varia sui qualitate præscribunt. Sunt autem duo præcipue, quæ movent et excitant animum ad desiderium et ad actum, eisque species diversas imprimunt, affectus et ratio nimirum. Aliquando enim amorem affectus tantum, aliquando ratio vel ad actum exteriorem vel ad interiorem stimulat appetitum. Affectus est erga aliquid quædam animi spontanea dulcisque ac suavis inflexio. Affectuum unus est spiritualis, alius rationalis, alius irrationalis, alius officialis, alius naturalis.

Cap. XLIV. *De spirituali motu, qui duplex est.*

Spiritualis est, quando Deus occulta immissione gratiæ et inspiratione, vel alicujus verbo, seu exemplo, aut correctionis paternæ flagello aliquem ad diligendum quod honestum et salubre est, invitat ac desiderium vitæ correctionis inspirat. Est etiam spiritualis econtrario, quando in eum, quem Deus reprobat, fieri permittit immissiones per angelos malos. Sic miser ad illicita defluit. Sicut de quibusdam propheta commemorat: *Spiritus fornicationis decepit eos*[84]. Nisi fallor Amnon filius David maligni spiritus immissione resolutus affectu noxiæ voluptatis[85], in propriæ sororis exarsit amplexus, domumque tanti patris contaminans incestu, fratris in se gladium provocavit, futurique denique parricidii, quo patrem suum infelix Absalon regni cupidus infestaturus erat, occasionem et materiam seminavit.

Cap. XLV. *De rationali motu.*

Rationalis affectus est, qui ex alienæ virtutis consideratione procedit. Hic affectus audita quandoque triumphali martyrum passione, audientium corda quadam suavissima devotione perfundit. Qui enim audiens in B. Pauli memoria pericula fluminum, pericula latronum, et cætera quæ longum est enarrare[86]: insuper vocem fortis athletæ, vocem virtutis, hominem in omnibus institutum per omnia in eo, qui ipsum confortat, paratum satiari et esurire, et abundare, et penuriam pati, paratum alligari in Jerusalem, et animam ponere pro fratribus suis, deside-

[81] I Tim. 6. [82] Deut. 6; Matth. 4. [83] Deut. 30. [84] Ose. 4. [85] II Reg. 13. [86] III Cor. 11.

rantem *dissolvi et esse cum Christo* [87]; quis, inquam, hæc in anima sollicita commemoratione describat, et non moveat eum quædam grata et suavis affectio? Quis recogitans verba constantiæ in B. Laurentio, beatoque Vincentio, cæterisque martyribus quasi scintillantia de corde ignito, et non accendatur erga eos suavissimus amor et prompta devotio? Hic affectus inter David et Jonathan suavissimi amoris primitias consecravit, ac socialis vinculum gratiæ, nunquam paterna commutatione solvendum gravissimo fœdere mutuæ charitatis innexuit. Visa namque immutabilis probitatis in adolescente constantia, qua loricatum gigantem puer inermis prostraverat [88], quod aliis fuisset invidiæ seminarium, fuit in Jonatha virtutis augmentum. Anima ergo Jonathæ testimonio Scripturæ colligata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam [89]. Hunc ipse Jesus misericorditer in se transformans affectum intuitus adolescentem, qui ei virtutes suas annuntiaverat, ut ait evangelista [90], dilexit eum. Huic affectui contrarius est irrationalis, qui comperto alicujus vitio, aut artificio turpi, aut philosophia inanissima, aut stultitia in re militari audacia alios ad indebitum illius amorem inclinat, et quod mirabilius est multis, quia prodigi sunt aut linguosi, seu detractores Deo odibiles, aut scurrilitatis aut sæcularis ineptiæ sectatores, hoc affectu plurimum favoris et applausus accommodat.

Cap. XLVI. *De officiali affectu.*

Officialem censemus affectum, qui obsequio conciliatur, aut donis. Moyses equidem, cum Pharaonis nequitiam declinaret, memorabili officio sibi sacerdotis Madian conciliavit affectum [91], cujus filias virgines, licet alienigena, viriliter a pastorum improbitate protexerat; admiratusque benevolentiam adolescentis eumdem non solum sibi amicum, sed et generum fieri postulavit. Cæterum, cum rex David fugeret a facie Absalon [92], Berzelai Galaadites eum officiosissima devotione suscipiens ipsius et muneribus excitavit affectum, qui ejusdem animo adeo perseveranter inhæsit, ut rex inter præcepta testamentaria filio suo Salomoni tantæ munificentiæ recompensationem statim de hac vita migraturus indiceret [93].

Cap. XLVII. *De naturali affectu.*

Est etiam naturalis affectus viri ad conjugem, matris ad filium, hominis ad domesticum sanguinis sui. *Nemo enim carnem suam odio habuit* [94], et non *potest* mater *oblivisci infantis ut non misereatur filio uteri sui* [95]; *et qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* [96]. Hoc affectu ducti Patres antiqui narrantur astrinxisse suos posteros sacramentis, ut non alienis, sed in patrum sepulcris eorum corpora sepelirent [97], ut quorum animæ fuerant glutino charitatis unitæ, corpora etiam unirentur beneficio sepulturæ. Matris affectum censuit sapiens Salomon in duarum meretricum disceptatione gladio explorandum. Cumque delato ense divisionem pueri regis prudentia decrevisset, matrem prodidit naturalis affectus. Sic cessit affectui, quæ improbitati non cesserat, et quæ laboraverat ne proprio pignore frustraretur, supplicavit ut potius inimicæ tradatur. *Obsecro*, inquit, *date huic infantem vivum, et non occidatur* [98]. E diverso, quæ maternæ pietatis expers se ipsam obfirmaverat in jacturam alterius, *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed dividatur* [99]. Porro naturalis affectus in pectore sancti Joseph fratricidali præponderavit injuriæ qui [100], cum fratribus dispensatoria severitate crimen explorationis impingeret, videns eos sera satis pænitentia de fratris proditione torqueri, secutus affectum, avertit se parumper ab eis, et prorupit in fletum. Hunc a piis visceribus David nec filii persecutoris abrasit immanitas; a quo cum ipse quæreretur ad mortem, injuriæ oblitus et memor naturæ, misit qui ejus obviarent insaniæ, se patrem in omnibus exhibens, persecutionem filii homicidæ dissimulans: *Servate*, inquit, *mihi puerum Absalon* [1]. Hunc ipse Salvator in se miserabili compassione transfudit affectum, dum videns civitatem quæ ipsius metropolis erat, et ex qua illi patres fuerant secundum carnem, naturali pietate commotus futurum ejus deploravit excidium [2]. Reor etiam, quod Paulus naturali compunctus affectu optabat quandoque *anathema esse a Christo pro fratribus* suis *secundum carnem* [3].

Cap. XLVIII. *De carnali affectu.*

Affectui naturali plurimum affinis est carnalis affectus, qui bifariam dividitur. Frequenter enim alicujus hominis, non virtus pensatur aut vitium, sed quadam exterioris hominis habitudine motus ad diligendum aliquem intuentis animus inclinatur. Verbi gratia, si forma elegantior, si sermo urbanior fuerit, si competentior habitus, si maturus incessus. Hæc in Moyse adhuc puero adeo gratia relucebat [4], ut contra tyrannicum Pharaonis imperium, quo masculos Hebræorum occisioni decreverat, *tribus mensibus a suis parentibus* servaretur, sicut Apostolus ait, *eo quod vidissent elegantem infantem* [5]. Expositus denique periculo mortis elegantia formæ illius pietatem filiæ Pharaonis illexit. Qui adoptatus in filium magnus effectus est coram servis omnibus Pharaonis. Est etiam alius carnalis affectus, qui animum hominis ad desiderium noxiæ voluptatis emollit. Hic David ambulantem in solario domus suæ ad speciem Bethsabeæ prævenit incau-

[87] Philipp. 17. [88] I Reg. 17. [89] I Reg. 18. [90] Matth. 19. [91] Exod. 2. [92] II Reg. 17. [93] III Reg. 2. [94] Ephes. 5. [95] Isa. 49. [96] I Tim. 5. [97] Gen. 49. [98] III Reg. 3. [99] Ibid. [100] Gen. 42. [1] II Reg. 18. [2] Luc. 19. [3] Rom. 9. [4] Exod. 2. [5] Hebr. 11.

tum [6], præventum dissolvit, obruit dissolutum, et quem in alienæ uxoris damnabilem animavit amplexum, quodam contrario motu in proprii militis crudelem armavit interitum. Hic affectus sapientiam Salomonis absorbuit [7], carnalique libidine dissolutum in spiritualis fornicationis barathrum detestabilis idolorum cultura dejecit.

CAP. XLIX. *Quod affectus sine consensu, multum nec prodest, nec obest.*

In omnibus istis affectibus circumspecta moderatione utendum est. Cum enim sint quædam origines, vel radices amoris eis excitati, nec multum utile, si boni, nec exitiabile, si mali sunt, æstimamus. Non est enim affectus amor, sed amoris origo. Nam in anima spirituali quem primo loco posuimus, plerique in sui perniciem sæpius abutuntur, et per hunc ultimum carnalem scilicet, quamvis cæteris suspectior habeatur, justissimi homines ad probationis meritum titillantur. Quocirca non his affectibus moveri utile vel noxium judicamus. Quando enim hi affectus movent animum, aut visitatio aut tentatio est, si citra consensum animi adhuc ista in sua informitate subsistunt. Porro si secundum suos affectus moveatur animus desiderantis, jam ibi plena est ipsius consensio voluntatis. Consensio aut occulta est, et versatur interius, aut manifesta et usque ad actum exterius exercetur. Utrum autem secundum prædictos affectus mens humana moveri debeat ad amandum, qualiter, et quanta moderatione, sequentia plenius declarabunt. Verum, quia duo quasi amoris incentiva et curricula diligendi posuimus, affectum scilicet, et rationem, expedit ut, causa majoris evidentiæ, de motu rationis aliquid memoremus. Mentem et enim, quam ad Dei proximique dilectionem nullus affectus excitat, plerumque ratio movet tanto sacratius, tanto securius, tanto defecatius, quanto nihil est rationali amore præstantius.

CAP. L. *Quod rationalis affectus tripliciter excitatur.*

Ratio siquidem, ut ad sui desiderium Conditoris animum excitet torpescentem, tribus innititur argumentis, necessitati nostræ, utilitati nostræ, Dei autem dignitati. Suadet ratio Deum esse diligendum, quia hoc nobis est necessarium, quia commodum, quia dignum ; necessarium, ne damnemur, commodum ut salvemur, dignum, qui ipse prius dilexit nos, et recompensatio hujus dilectionis a nobis exigitur. Cum Deus sit summum bonum, sine quo nihil bonum, necesse est ut desideretur qui bonorum nostrorum non eget, et cujus beneficiis continue indigemus. Si ergo ratio ad Dei dilectionem animum movere incœperit, prosequitur negotium suum ; sciens non posse obtinere quod desiderat, nisi præceptis ejus ad probationem veræ dilectionis obediat. Quia vero pensat ratio, quantum naturæ nostræ consortem non solum propria deliberatione, sed ex præceptione divina diligere teneatur, inclinat propositum suum, ut proximo consulat, et beneficium quod sibi vellet impendi, exhibens in eo sui Creatoris imaginem recognoscat. Cum autem omnis proximus, aut amicus nobis sit, aut non inimicus, vel etiam inimicus : amicus juvando vel consulendo, non inimicus non nocendo, inimicus officiendo ; vides quod amicus est ex sanguine vel ex gratia, non inimicus ex innocentia, inimicus ex injuria. Ut ergo homo se amico impendat, tria proponit ratio; ut non inimico subveniat, duo ; inimico succurat, unum. Triplici enim ex causa debetur proximo beneficium, ex natura, ex officio, ex præcepto. Ex natura, quia homo vel forte domesticus est. Ex officio, quia beneficus et amicus. Ex præcepto, quia proximus, licet inimicus. Amplectitur enim ratio Dei præceptum, quo diligi præcepit inimicum. Talis ex ratione diligens, licet affectum in hac dilectione non habeat, charitatis tamen meritum non amittit,

CAP. LI. *Quod rationalis affectus tripliciter excitatur.*

Porro cum ordo charitatis et regula dilligendi hoc exigat, ut non diligat homo quod diligendum non est, diligatque, quæ diligi debet, non æque aut similiter diligat, quæ inæqualiter, aut dissimiliter diligenda sunt, subtiliter et caute censeo distinguendum inter duos amores, qui ex affectu et ratione procedunt. Proponantur enim homines, duo, quorum unus sit tranquillus, suavis, hilaris, sapiens et urbanus, qui suæ mortalitatis favore omnium sibi conciliet amorem ; sit alter honestate maturior, provectior, sed austerior vultu, frontetristior, sermone severior. Ut illum diligat, movetur intuentis affectus ; ut hunc diligat, urget ratio et charitatis intuitus. Sciens id itaque homo animum suum ad aspectum illius quadam amoris suavitate perfundi, ad istius vero intuitum cor proprium inclinari, perplexus est, et veretur ne spiritum oporteat fines excedere charitatis. Cæterum, cum aliquem diligere incœperim, quia eum credebam sancta et morali suavitate conspicuum, si eum in aliquo vitiosum invenero, quædam pœnitudo incipit absorbere inchoatæ dilectionis affectum. et ex vitio fit mihi comtemptibilis, quem virtutis opinio fecerat gratiosum.

CAP. LII. *Similitudines inter affectum amoris et appetitum cibi vel desiderium verbi.*

Ponamus ergo duplicem animæ esse cibum, virtutem scilicet ac vitium, ut sit alter cibus utilis, alterque noxius. Exterior autem hominis austeritas vel benignitas quasi duo vasa, alterum rusticanum, alterum vero urbanum, in quibus duo ministrantium cibaria censeantur. Cibus equidem utilis in vasis plerumque deformibus scienter sumitur ; noxius autem nec in pretiosis admittitur. Evenit etiam, ut cibus vilior ob vasis decorem quandoque jucundius admittatur ; pretiosissimus autem ob terrorem vasis vel non acceptetur vel cum ratione sumatur.

[6] II Reg. 11. [7] Ibid.

Sic in homine austero et gravi quandoque placet A durior habitudo, quæ ex ejus virtute procedit, et in alio, qui ad mores compositus est, displicet ex vitio ejus urbana jucunditas, quamvis prius fuerit dilectionis occasio. Pone iterum quod veritas, virtus, suavitas virium æstimetur, nimia vero morum severitas quasi sermo incompositus et rusticanus, exterior autem hominis benevolentia quodam placore condita sit quasi sermo eloquentior et efficacior ad movendum. Vides quod ut in suavi colloquio non est suavitas admittenda, sic in duro rusticoque sermone, non est veritas aspernanda. Expressa similitudinis forma, nec in homine blando exterius et accepto placet vitium; nec in homine duro et severo virtus, cum vertatur in tædium. Quod si uterque vera et salubria persuadere noscatur, illius oratio etiam in crudo et indigesto sermone ingratanter admittitur, et in alterius assertione provida et ornata, sententia salubris cum suavitate recipitur. Potest utique tam dissuta et divulsa esse, atque inepta oratio, ut licet utilitatem in se plurimam habeat, tædio tamen audita res afficiat. Denique ut in juvenili ætate solet eloquentia esse vivacior, hilarior, expeditior, ita et in senectute gravior, circumspectior et omnino maturior; nec hilaritas ejus in dissolutionis vitium transit, nec istius matura gravitas, vitium nimiæ austeritatis incurrit. Amatur igitur aliquis ex solo affectu, ubi aliquem diligendum ex exteriore habitudine arbitramur, ubi vero sola virtus causa diligendi est, ex sola ratione diligimus. Quod si ratio et affectus in una voluntate conveniant, hic tertius amor erit præ cæteris quadam prærogativa præcipuus. Primus affectus dulcis est, sed periculosus : secundus durus, sed fructuosus ; tertius ex affectu et ratione securus. Ad primum sensus ex parte dulcedinis mentem allicit, ad secundum ratio manifesta compellit, in tertio ratio ipsa ex affectione dulcescit.

CAP. LIII. *Ex dilectione discernuntur affectus.*

Ex præcedentium serie colligere potes, quod si in his, quæ eligimus ad fruendum perversa electio fuerit, perversa erunt ea, quæ ex electione sequuntur, ut talis amor non charitatis nomine sed cupiditatis merito censeatur. Potest præterea electio et ipsa sana esse, motus tamen interior exteriorque perversus. Poterit denique et electio et motus qui in desiderio est, ex ratione procedere ; motus vero qui in actu est, poterit et electionem et interiorem motum corruptione sua pervertere. Pone enim, quod aliquis Deum eligat ad fruendum, et in fructu aliquid carnale constituat, sicut fingunt fabulæ Judæorum, quod in vita futura epulis et carnis voluptatibus affluent, et quod carnes Behemoth in illa deliciarum affluentia nunquam deficient ; electio quidem commendabilis erat, sed bonitatem illius exspectatio desiderii perniciosa contaminat. Sicut autem hic interior motus desiderii electionem reprobabilem facit, ita quandoque et actus exterior; ut si ad fructum vitæ sacrificiis gentilium, aut Judæorum cæremoniis, vel superstitione aliqua venire contendit. Porro si sit electio sana desiderium competens, actus commendabilis, sequitur hic amor regulatus, nec exorbitavit a limite charitatis. Erit itaque affectuosa, discreta et fortis ista dilectio, ut dulciter et prudenter, ac perseveranter rei dilectæ adhæreat, dulcedine sua vincat quidquid dulce vel concupiscibile in hac vita contra versutias Satanæ, et contra tentationes occultas consilium discretionis opponat, fortitudine vero contra persecutiones insurgat.

CAP. LIV. *Sicut in dilectione Dei, sic in dilectione proximi electio locum habet.*

Circa proximi dilectionem eadem fere notanda sunt. Nam si electionem illius amoris aliquod de- B siderium turpe vel actus reprehensibilis subsequitur, restat ut ipsius electionis integritas violetur, Illudque considerandum est, quod Deum diligendo, nobis consulimus, et non Deo, Deus enim bonorum nostrorum non eget. In dilectione vero proximi, quia ope mutua indigemus, expedit ut in his quæ ad necessitatem corporis et salutem animæ spectant, nobis invicem consulamus. Quanto circa hæc erit quisque ferventior, tanto in charitate perfectior. Hunc etiam amorem, nunc affectus, nunc ratio movet. Quocirca diligendi consideratione notandum est, qui affectus et in quantum ab homine sit sequendus. Sane spiritualis affectus, qui ex diabolica suggestione procedit, irrationabilis etiam et carnalis, quos vitiosos esse nullus ambigit, non C solum non sequendi sunt, sed a nostris cordibus radicitus eruendi. Proinde spiritualis affectus, qui ex Deo est, modis omnibus excitandus est, et salubriter promovendus.

CAP. LV. *Qui actus noster non sit celebrandus post affectum spiritualem.*

Porro hoc affectum nostrum expedit desiderium ferventius excitari. Excitandus est etiam eodem affectu noster actus, sed secundum hunc ordinari non potest. Voluntas enim bene operandi, quanto ferventior, tanto fructuosior semper erit. Sed si operationem nostram hic affectus ordinet, erit inordinata operatio, quia metas corporeæ possibilitatis excedit. Cum enim corpus hoc luteæ qualitatis sit, ex sua fragilitate passionibus diversis obnoxium, vim ferventis affectus ferre non sustinet. D Ideoque nisi actus exterior aliquo moderamine temperetur infecto negotio quod assumpsit deficiet aut succumbet. Nimirum affectus modum nescit, vires corporis non metitur, et quodam impetu irruens in dilectum, solum id mediatur, quod appetit, quod grave, quod arduum, quod molestum, quod impossibile, quod denique peremptorium præsentis est vitæ dulcissima illectus delectatione non sentit. Proinde quidam omnem in hoc affectu modestiam ignorantes, suique impetum desiderii præcipitanter et importune sequentes debiliores sunt quam sanctiores, dum ipsa voluntas affectu immoderatione oppressa tepescit. Et qui pro suarum

dispensatione virium ad omnium passionum injurias suum animum conquadrare debuerat, convertitur in die belli, et ubi victoria ex virtute pendebat, ibi ex sua temeritate succumbit.

Cap. LVI. *Quod secundum rationalem affectum noster actus quandoque dirigendus est, sed non semper.*

Rationalis affectus, qui ex alienæ virtutis contemplatione oboritur, cæteris perfectior est, quibus ad dilectionem proximi excitamur. Nec modicum virtutis indicium est amor ipse virtutis, et in maximum cedit meritum æmulatio charismatum meliorum. Quod desiderium nostrum, sive motus interior secundum hunc dirigatur non arbitror arguendum, imo commendabile reputatur. Si quis præsentiam ejus desiderat cujus instruitur verbo, cujus gestu et habitu eruditur, cujus informatur exemplo, sed in actum, quæso, non transeat ille motus, ut quis corporaliter propter hoc longa interminatione vexetur. Quos itaque corporaliter adire non possumus, videamus oculo cordis, et eos sanctarum affectionum brachiis amplectamur. Quanto enim dignius est cœlum terra, tanto spiritualis visus elegantior corporali. In jure siquidem civili possessio animi possessione naturali, id est incubatione corporali præstantior est; nec enim ita facile amittitur et per ipsam nec dominium usu capiendo acquiritur. Christus denique spiritualem fidei tactum a Maria exigit, dum eam a tactu prohibet corporali [8]. De hoc tactu vel visu fidei dicit Paulus: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* [9]. Thomas ex infidelitate mittit manum in latus dextrum et in fixuras clavorum Christi, sed per fidem melius et fructuosius tangit dicens: *Dominus meus et Deus meus* [10]; ac si dicat: Gloriosius est Christum nunc videre per fidem, quam vidisse in carne mortalem. Illa vero præsentia præcipue consideranda est, quam exspectamus in cohabitatione cœlesti. Si autem sanctorum æternam desideramus præsentiam, expedit ut sancte et juste et pie in hoc sæculo conversemur. Et ista quidem sanctorum præsentia corporalis desideratur utiliter, nec semper utiliter quæritur. Ideoque hunc actum, non affectus, sed ratio moderetur. Gratissima erat Antiochenis Pauli ac Barnabæ præsentia corporalis, quorum doctrina, collatione et disputatione firmabantur in fide. Audientes tamen a Spiritu sancto: *Segregate mihi Barnabam et Paulum in ministerium, quo vocavi eos*, quanquam repugnaret affectus, prævaluit ratio, *et imponentes eis manus dimiserunt eos* [11].

Cap. LVII. *Quod officialis affectus, licet sit periculosus, tamen commendabilis est interdum.*

Sequitur officialis affectus qui, licet admittendus sit, tamen periculose admittitur. Dignum siquidem est, et consonum rationi, ut vicem rependamus a manu obsequenti officium, gratias largienti. Illud tamen summe cavendum est, ne illectus obsequio, vel muneribus delinitus in vitio faveas vitioso. Nec mihi de illis sermo est, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, qui justitiam venalem habentes non hominibus sed muneribus favent. De iis quidem loquimur, qui prius amaverunt hominem, quam munera ejus; non hominem propter munera, sed munera propter hominem dilexerunt. Et hic tamen suspicioni locus est, ne sit vitiis ejus consentaneus, dum ejus obsequiis timet esse ingratus. Quorcica diligenti consideratione perspiciendus est status illius qui diligitur, ut si tanti sit meriti, qui dilectionis affectu sit dignus, transeat officialis affectus in rationalem. Et quem ob exhibita diligebamus beneficia, incipiamus diligere ob virtutem. Tali enim modo quo quandoque diligebamus rationabiliter, sed non dulciter hominem austerum et gravem, si se nobis exhibuerit munificum et benignum; qui prius placebat, sed non sapiebat; se velut in desiderium nostrum suavi affectione refundit.

Cap. LVIII. *Quis modus debeat esse in naturali affectu.*

Quis autem modus in affectu naturali servandus sit de cætero prosequamur. Sicut hunc affectum non admittere impossibile est, sic eum non sequi summæ virtutis est. Domestica siquidem parentum affectio refrenatur, dum electus discipulus a parentis sepultura retractus, audit a Domino: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade et annuntia regnum Dei* [12]. Naturalis affectionis quædam portio est amor sui. *Nemo* equidem se ipsum *odio habuit* [13] et tamen: *Qui venit ad me*, ait *Veritas, et non odit animam suam, non potest meus esse discipulus* [14]. Et item: *Qui venit ad me, et non odit patrem et matrem, non potest meus esse discipulus* [15]. Sed cum Apostolus contrarium dicere videatur, ut scilicet censeatur infidelis fideique trangressor, *qui suorum et maxime domesticorum curam non habet* [16]; quid in tanta contrarietate dicemus? Sed inter istos amores distinguitur, ut licet homo erga se et suos naturali moveatur affectu, hunc modum tamen ratione moderetur. Quod enim hic affectus ex carne sit, perhibet Apostolus, dicens: *Nemo unquam carnem suam odio habuit* [17]. Hunc tamen affectum circa se, et circa parentes, et circa vitam propriam, in quibus solet esse pronior, Dominus interdicit: *Qui non odit*, inquit, *patrem et matrem, adhuc autem animam suam, non potest meus esse discipulus* [18]. Amoris autem modus secundum rationem apostolica auctoritate indicitur, *qui suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* [19]. Nam amor iste rationem sequitur potius quam af-

[8] Joan. 20. [9] II Cor. 5. [10] Joan. 20. [11] Act. 13. [12] Matth. 8. [13] Ephes. 5. [14] Luc. 14. [15] Ibid. [16] I Tim. 5. [17] Ephes. 5. [18] Luc. 14. [19] I Tim. 5.

fectum, ut in domestico natura pensetur, aut necessitas, seu æstimatio meritorum· Quod autem affectus erga se, et erga parentes motum illiciti amoris insinuet; ex verbis Apostoli colligere potes, qui ad Timotheum scribens: *Scito*, inquit, *quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati sine pace, criminatores, incontinentes, tumidi et protervi, voluptatum amatores magis quam Dei* [20]. Hic enim affectus mollia suggerit et suavissima, quod delicatum, quod tenerum et jucundum; quod deliduum, quod asperum, quod utile, quod honestum refugit et abhorret. Utrumque amoris motum secundum affectum et secundum rationem Salvator brevi sermone distinguit: *Qui amat*, inquit, *animam suam perdet eam. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* [21]. Hic amor affectionis est, hoc odium rationis. Propterea dicit sanctus quidam [22]: Si male amaveris tunc odisti, si bene oderis tunc amasti. Qui enim amat secundum affectum, utique odit, quia qui diligit ventrem, odit animam suam. Qui vero odit secundum affectum, secundum rationem diligit. Ideo vero additur, in hoc mundo, ut fiat major affectus expressio. *Quidquid* enim *in* hoc *mundo est*, testimonio B. Joannis, aut *concupiscentia carnis est*, aut *concupiscentia oculorum*, aut *superbia vitæ* [23]. Qui ergo secundum affectum amat animam suam, eam in hoc mundo utique amat, quia in concupiscentia carnis, vel in concupiscentia oculorum, au superbia vitæ, quæ omnia ex affectu procedunt.

CAP. LIX. *De diversis causis affectuum.*

Et notandum quod alius est amor in Deo, alius propter Deum. Amatur quis propter se quando virtutes ejus hominem excitant ad amandum, et iste nec propter Deum nec in Deo diligitur. Si tamen amor iste divinam bonitatem ex gratiarum actione respiciat, jam causa hujus amoris est non affectus, sed ratio. Et licet non diligatur specialiter propter Deum, salubriter tamen exercetur a Deo. Inimicus autem, quem ratio et divini præcepti auctoritas suggerit diligendum, non meretur diligi propter se, sed diligitur propter Deum. Sic alios propter se, ut justos, alios in Deo ut amicos, alios propter Deum, ut inimicos, diligere certa ratione tenemur. Expedit ergo, ut hic naturalis affectus in omnibus et per omnia rationis moderatione ducatur; ut si prius mollis dulcisque sit, ex se aliquantulum indurescat beneficios rationis. Patriarcha Joseph prius erga fratres naturalem lacrymis protestatus affectum, ut a proditionis crimine purgarentur, eis notam explorationis imposuit [24]. Salvator etiam civitatem Jerusalem prius intima compassione deploravit, et post impendium naturalis affectus, calamitates quas pro suis iniquitatibus meruerat, sustinere prædixit [25]. Proxi- A mos itaque salubriter affectu naturali complectimur si honesti sunt; si vero laborare aliquo vitio cognoscuntur, instemus correctioni ut, sicut distinximus in officiali affectu, discernatur subtiliter, ne aliquo consensu alieni vitii maculetur.

CAP. LX. *Quod unus affectus quandoque mutatur n alterum.*

Evenit autem plerunque, quod unus affectus terminatur, aut mutatur in alterum, et qui a virtute cœpit originem, habet frequenter exitum vitiosum. Erat virgo in partibus nostris nominatissima in abstinentiis, in orationum instantia, in lacrymis, in vigiliis, disciplinis. Cœpit eam vir sanctus diligere virtutis obtentu et tantæ opinionis obtentu, cœpit eam visitare nuntiis, venerari muneribus, recreare B colloquiis, cœpitque amor mutuus inter eos mutuis fervere obsequiis; sic amor cui præstabat causam honestas, cœpit ex mutua liberalitate vigere, subitoque in officialem affectum transiit, qui ex sola prodierat ratione. Denique hic affectus dum se familiarus ad quædam blandimenta porrexit, cœpit ex naturali et officiali affectu carnalis ille, qui cæteris perniciosior est, latenter obrepere. Audivimus quosdam summæ perfectionis et probatissimæ opinionis qui, dum adolescentes pudicos et omni virtute conspicuos in ulteriorem familiaritatem virtutis amore et rationis intuitu admisissent propter officia cum sedulitate circa eos exhibita, cœpit rationalis affectus degenerare in alium, prius in officialem, postea in carnalem depravatus affectum. Et qui prius secundum rationis arbitrium modum dilectio- C nis ordinaverat, captus in oculis suis, semper in hujusmodi aspectu licet causali vel transitorio motu illicito titillabat. Consultius ergo est, ut inspecta ætate vel sexu sinus propriæ mentis provida circumspectione claudatur, ne ad verba familiaria, vel inania blandimenta permittatur defluere. Nam in quantumlibet perfectis et sanctis, unus affectus in alium latenter et subito insensibiliter atque tam perniciose quam prodigiose mutatur.

CAP. LXI. *Quod affectus sæpe contrarii sunt et se oppugnant.*

Illud considerare oportet, quod ipsi affectus frequenter inter se alienantur, et invicem se oppugnant. Alter alterum a corde hominis eliminare nititur, ut homo varia in vota divisus et perplexus D inter ambigua fluctuet in se, ignorans de duobus contrariis, quid potius eligatur. Summa igitur cautela utendum est, ne ab inferiore affectu superior et excellentior expellatur. Abraham jussus a Domino filium immolare contra naturalem affectum, nequaquam obduruit [26]; sed cum naturalis ei misericordiam suggereret in filium, spiritualis eum ad obedientiam exhilarat in Deum. Duo illi affectus in sancti viri pectore compugnabant; ipse tamen Deum filio prætulit, et affectum naturalem spirituali postha-

[20] II Tim. 3. [21] Joan. 12. [22] Aug. Tract. 51 in Joan. [23] I Joan. 2. [24] Gen. 42. [25] Luc. 19. [26] Gen. 21.

buit. Optimus adolescens Jonathas [27], cujus animam animæ David rationalis affectus glutino charitatis unierat, non prodidit in injuriam patris consilium, quo David morti addixerat; sed rationalem affectum naturali discrete præposuit. Nec mirandum, si amici gratiam paternæ crudelitati præposuit [28], qui propriam, sicut publice putabatur, injuriam pro amico immutabili virtute contempsit. Ipse etiam David, cum de ejus filio parricida populus victoriam reportasset, prius professor naturalis affectus officialem naturali præposuit, depositoque luctu, victori populo qui pacem fecerat in Israel, gratulabundus occurrit [29]. Salvator etiam affectus naturalis intuitu, quo *nemo unquam carnem suam odio habuit* [30], cum clamasset ad Patrem, ut calix mortis transiret ab eo, si fieri posset, eumdem spirituali, per quem Patri erat obediens, pro sua gratia et pro nostra salute submisit dicens : *Verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu* [31]. Proinde ratio hæc generaliter in his affectibus observetur, ut ille, quo mens humana excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur; deinde rationalis officiali, officialis naturali naturalisque carnali.

Cap. LXII. *Quod delectabilis et necessarius est fructus in exercitio istorum affectuum ordinato.*

Se ergo in affectibus istis provida circumspectione anima rationalis exerceat, et sentiat de Domino in bonitate et simplicitate cordis sui, seque cellam vinariam ignisque divini receptaculum tanta vigilantia studeat exhibere, ut in die bona Domini, et in hora beneplaciti ejus, cum audierit vocem Spiritus et velut sibilum auræ tenuis sanctum susurrum, offerat affectionem puram fidelemque intelligentiam, ut spirituales fructus quasi de ligno vitæ colligere mereatur. *Sunt autem fructus*, teste Apostolo, *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas benignitas, mansuetudo, fides, modestia, castitas* [32]. O felix anima, si benevolentiam ejus et inspirationem gratiæ cœlestis suamque circa te præsentiam tibi certis liceat indiciis experiri! Tanget enim te quædam in ipsius recordatione suavitas, afficieris nova et inexperta dulcedine, ut quasi abstracta et a te prorsus aliena exsultes quadam amœnitate cœlesti. Faciunt autem statim suæ præsentiæ fidem, quod omnes tui sensus hilarescunt, serenatur intelligentia, tua desideria incalescunt, et aspiras in amplexus illius, quem tenere te sentis, et vereris, ne elabatur, et ideo quantum potes non quantum vis, ipsum quodam delectabili nexu intimæ charitatis astringis. Iste est, o anima! dilectus tuus invisibiliter, misericorditer et dignanter accedens, ut excitet te, ut se tibi inspiret in sinu tui amoris, tibi se insinuet, ut tuum accendat desiderium, ut illuminet interiores oculos, ut inflammet affectum, sicut primitias non plenitudinem suæ dulcedinis, non ad satietatem, sed ad degustationem tibi exhibet; ut qualicunque experienta probes quam dulcem, quam suavem, quam jucundum, quam delectabilem se tibi præbeat, cum apparuerit gloria ejus, cum eum videris revelata facie coronatum diademate Patris sui, quem nunc adoras in diademate suæ matris. Hæc est sobrietas sobria tamen. Unde Apostolus : *Sive vivimus, sive morimur* [33], *Deo sobrii sumus* [34]; hæc sola ebrietas vino charitatis efficitur, sicut Sponsus in Cantico amoris insinuat dicens : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini* [35]. In vita præsenti panem lacrymarum in sudore vultus sui comedit [36], anima militans Deo; post exitum hujus vitæ non pascetur pane doloris, quia jam erit dolor, nec labor, quia priora transierunt [37]; sed amatorio poculo reficietur et inebriabitur, juxta illud : *Et calix meus inebrians quam præclarus est* [38]. De hoc etiam calice credo Isaiam dixisse : *Ad te quoque, filia Edom, venit calix, et inebriaberis* [39]. Inebriabitur ergo ab ubertate domus Dei, bibens vinum merum et novum in regno Patris Christi. Interim autem bibit vinum suum cum lacrymis in mensura, donec rex introducat eam in cellam vinariam, vel ipsam sibi cellam efficiat [40], et in ea ordinet charitatem. Illa siquidem nunc diligens, sed nondum dilectionis fructum percipiens et in solis affectibus se exercens, non dicit, vulnerata charitate ego sum; sed ad angelos atque animas sanctorum loquitur, dicens : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, dicite illi, quia amore langueo* [41].

Cap. LXIII. *Quod charitas dum est in desiderio, languor est.*

Mirum tamen est quomodo amor sive charitas sit languor sponsæ vel animæ, cum charitas operiat *multitudinem peccatorum* [42]; et cum Maria Magdalene, quia multum dilexit ab infestatione septem dæmonum et septem criminalium languore sanata sit [43]. Porro amor languor est, dum amans ex desiderii dilatione torquetur, dum sponsi suspirat in amplexus. Sed qui sanat omnes infirmitates tuas, anima mea, tuum languorem fruitione curabit, quando se tibi ad habendum, ad videndum, ad fruendum facie revelata præstabit; et nunquam de cætero separaberis ab oculo, vel amplexu illius. Gaudebit equidem Sponsus super sponsam, gaudebit super te Deus tuus. Tunc languoris angustiam fructus amoris excludet; languor enim excidet, sed non amor, quia *charitas nunquam* excidet [44]. Amor igitur nunc languor est, dum cruciatur desiderio utendi. Erit autem sanitas, quando jucundabitur usu desiderii. Utendi enim desiderium tantum differt ab usu desiderii, quantum fames a satietate, quantum appetitus a plenitudine voti. Interim ergo

[27] I Reg. 18. [28] I Reg. 19 et 20. [29] II Reg. 18 et 19. [30] Ephes. 5. [31] Matth. 26. [32] Gal. 5. [33] Rom. 14. [34] II Cor. 5. [35] Cant. 5. [36] Gen. 3. [37] Joan. 21. [38] Psal. 22. [39] Thren. 4. [40] Cant. 2. [41] Cant. 5. [42] Jac. 5. [43] Luc. 7; Marc. 16. [44] I Cor. 13.

graviter infirmatur et languore conficitur, dum opem ferat illi super lectum doloris ejus. Vox autem languentis est et plangentis : *Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo* [45]. Initia siquidem virtutum flores sunt, et fructus honoris et honestatis. Mala vero maturiora, patientiæ sunt exercitia et exempla. Stipatur itaque malis anima, dum temporis præteriti fructus percipit, convertens in utilitatem propriam Christi flagella, opprobria, et dolores, et cætera quæ passus est usque ad ignominiam crucis, et hæc omnia transierunt. Christus enim *jam non moritur* [46], fructum tamen quotidianum de ipsius passione colligimus ; fulcitur sponsa floribus quos naturæ humanæ innovatio de Christi resurrectione produxit. Hiems enim transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Ille nimirum qui dicit : *Ego flos campi, et lilium convallium* [47] ; terram carnis nostræ, quæ sub maledicto veteri spinas et tribulos germinabat [48], surgens a mortuis reflorescere fecit, et in novæ regenerationis infantiam nos reduxit. His malis et his floribus stipanda et fulcienda est, ut ea quam habet ad Deum non torpescat affectio, donec recepta in amplexibus Sponsi, dicat : *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* [49]. Quidquid enim in primo Sponsi adventu de illius sinistra nunc recipit, comparatione gloriæ, quam in amplexu dexteræ susceptura est, modicum reputabit, sicut scriptum est : *In sinistra ejus divitiæ et gloria, et in dextera ejus longiturnitas vitæ* [50].

Cap. LXIV. *De dimensionibus charitatis et communione sanctorum.*

Sane sicut nunc Deus imperfecte et ex parte cognoscitur, sic etiam imperfecte diligitur. Cognitio enim, quam de Deo in præsenti habemus, si comparetur ad notitiam patriæ, quando revelata facie videbimus Deum, quando videbitur in gloria sua, quando ostendet faciem suam, et salvi erimus [51]. Et sicut ingressus matutinæ lucis per tenuissimam rimam se habet, si ad meridianum splendorem conferatur quando sol lucet in virtute sua ; sic dilectio Dei, quæ in hac peregrinatione habetur, quasi scintilla ignis exigua est ad magnum illius amoris ignem, quo justi cum seraphim in superna Jerusalem igne charitatis ardebunt. Nunc enim *ignis in Sion*, tunc vero *caminus* erit *in Jerusalem* [52]. Cum autem in amore Dei erga nos sint, teste Apostolo, *longitudo, latitudo, sublimitas et profundum* [53] ; charitati divinæ humana dilectio pro suæ insufficientiæ modulo se captat. Deus equidem non superficialiter dilexit nos, non mediocriter, sed plene, sed sincere, sed medullitus. Utinam et nos comprehendere possimus cum omnibus sanctis, quæ sit tantæ charitatis altitudo, longitudo, latitudo profundum !

Altitudo est excellentia gloriæ, quam *præparavit*

A *Deus diligentibus se*, quam *non oculus vidit nec auris audivit* [54]. Profunditas ejus est inclinatio divinæ majestatis a Patris coæqualitate usque ad formam servi, et exinanitio Filii usque ad mortem, et ignominiam crucifixi. Longitudo ejus est sine initio, sine fine. Dilectio enim ejus non incipit, nec desinit, quæ *ante mundi constitutionem elegit nos in dilecto Filio suo* [55]. Et sicut scriptum est, *Misericordia ejus ab æterno, et usque in æterum super timentes eum* [56]. Latitudo ejus ampla, extensa, et diffusa est in omnem benevolentiæ modum. Ipse enim *vult omnes homines salvos fieri* [57]. Per ipsam *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ipsumque nobis donans, teste Apostolo, *nobis omnia donavit in eo* [58], sic etiam pari vicissitudine charitas

B hominis se divinæ charitati conformi dimensione coaptat. Alta est, dum æterna et cœlestia contemplatur. Profunda est cum ab homine propter Deum vilitas et abjectio affectatur. Longa est, quia finaliter perseverat ; fides enim et spes atque scientia et cætera evacuabuntur, *charitas* autem *nunquam excidit* [59]. Lata est quia læta est, quando in delectatione justitiæ cor hominis dilatatur. Lata est, cum extendit se non solum ad Deum et proximum ; sed etiam amore pio amplectitur inimicum. Lata est, cujus mandatum latum est, dicente Propheta : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* [60]. O lata et dilatans charitas, quam magna est domus tua et ingens locus possessionis tuæ, cujus longitudinem et laditudinem et altitudinem et profundum comprehendunt sancti ! Utinam et nos cum

C eis eadem sagena charitasis possimus pariter comprehendi ! Dilatat itaque charitas in sanctis tentorium suum, ut si Deum et proximum dilexerimus, recipiamur in communi exsultatione sanctorum. Quocirca non angustemur in visceribus nostris, non coarctemur intra limites quantulæcunque justitiæ nostræ ; credamus in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catolicam, sanctorum communionem, ut imperfectum nostrum videant oculi tui. Jesu, et in beneplacito tuo sanctorum communione nostra in sufficienta supplatur. Si enim in sanctis dilexerimus Deum, et ipsi pro suorum meritorum exigentia suam nobis communicabunt beatitudinem apud Deum. Si enim in medio diligentium se erit Deus *omnia in omnibus* [61], necesse est ut affectus com-

D munes gaudiorum communio comitetur. Non solum itaque promixi sed tota Chrisit beatitudo communione amoris et exultationis, atque alieni participatione gaudii nostra erit. Quod ergo minus beatitudinis in me habiturus sum, de beatitudine aliena supplebo. Bonum enim, quod in Deo vel in proximo diligam, diligendo faciam meum, ut perfectio gaudi alieni meum suppleat imperfectum. Vis, ut familiari exemplo rei hujus faciam tibi fidem ? Videt

[45] Cant. 2. [46] Rom. 6. [47] Cant. 2. [48] Gen. 3. [49] Cant. 2. [50] Prov. 3. [51] I Cor. 13. [52] Isa. 31. [53] Ephes. 3. [54] I Cor. 2. [55] Ephes. 1. [56] Psal. 102. [57] I Tim. 2. [58] Rom. 8. [59] I Cor. 13. [60] Psal. 118. [61] I Cor. 12.

mater filium suum, quem super omnia diligit regali unctione ac diademate imperiali sceptroque et infulis augustalibus insigniri, quanta est matris dilectio, tanta est exsultatio ejus ex filii honore, propriique fervorem amoris sui gaudii comitatur affectus. Sicut ergo gaudium filii sui atque populares applausus omniumque congratulationem sibi mater appropriat; sic in terra viventium unusquisque beneficio charitatis omnium beatitudini coexsultat. O communio! o dulcedo amoris! o securitas, o requies, o Sabbatum delicatum! o æternæ felicitatis introitus, quem pretiosiorem omnibus thesauris, desiderabiliorem omnibus divitiis, elegantiorem omnibus regni opera- A tur charitas de corde puro et fide non ficta [62]. Quis mihi dabit hoc amatorio potu inebriari, hoc lethargo sopiri, ut totus a corde meo mortuus, totus translatus in amorem Dei et proximi, inter has duas sortes *in pace in idipsum dormiam requiescam* [63]? Quis me illi sanctæ communioni ascribet, ubi jucunditas angelorum transfundetur in omnes et ab omnibus refundetur in Deum, eritque Deus *omnia in omnibus* [64], ut sit ipse universis diligentibus eum, amor, gaudium, pax, vita, quies, claritas, securitas et jubilatio, satietas omnium desideriorum, æterna et consummata gloriæ plenitudo! Amen.

[62] II Cor. 6. [63] Psal. 4. [64] I Cor. 12.

PASSIO REGINALDI

PRINCIPIS OLIM ANTIOCHENI.

Antequam comedam suspiro et quasi inundantis B aquæ sic rugitus meus, quia timor quem timebam evenit mihi, et quodcunque verebar accidit. Sperabam in eo, qui spes nostra est, qui facit concordiam in sublimibus suis, ut sedata contentione quæ effusa est super principes; promissum terræ promissionis auxilium exhiberent hi qui se voto illius peregrinationis astrinxerant. Nunc autem verbum crucis, quod super fidelium mentes inaudito fervore charitatis accenderat, sic tepuit, sic quotidie torpore sepultum est, ut spiritum soporis et oblivionem mortis filiis hominum videatur Deus immisisse. Ubi est eorum devotio, qui singultuosis quandoque suspiriis et in perpetuosa lacrymarum inundatione dicebant: *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea* [65]? hi, quos in obsequium inflammaverat amor Christi, a fide et charitate quæ in C Christo est degenerantes, militiam Dei in malitiam converterunt; eos autem qui aliis flamma et exemplo virtutum debuerant prælucere, tanquam carbones desolatorios fumare video potius quam flammare; non tepide sed ferventer et cum omni cordis exsultatione illuc ire debuerant, ubi de lapidibus vivis *fundatur mons Sion in exsultatione universæ terræ* [66] Aperuerat et complanaverat iis Dominus viam vitæ, ut ingrederentur in illam requiem, ad quam Apostolus nos invitat; sed quia dolose egerunt in conspectu ejus, immittit eis Dominus rotam malorum, quibus inquit: *Juravi in ira mea, non introibunt in requiem meam* [67], magnatibus, qui signum crucis acceperant, parum videbitur servire Domino ad suscitandos tribus Jacob terramque promissionis D tenendam, ubi fierent in lucem gentium, portarentque nomen Domini usque ad extremum terræ. Jactati autem vento jactantiæ quasi filii effreni, *intendantes et mittentes arcum, conversi sunt in d e belli* [67*], ut eis merito verbum illud Salomonis aptetur; *Ventus et nubes et pluviæ non sequentes, vir gloriosus promissa non complens* [68]; terra itaque promissionis, in qua *steterunt pedes* Domini [69], ut verbis Job utar, *data est in manus impii* [70], paucique fideles, qui de ista strage lamentabili remanserunt, *æstimati tanquam, oves occisionis* mortificantur *tota die* [71]. Sed et nobilis ille marchio, longa Tyri obsidione atque continua hostium impugnatione vexatus, et fame confectus, diutissime Occidentalium principum adventum et auxilium exspectaxit. In hac spe universa fortiter sustinuit, adventum bellicosæ gentis exspectans, sed vereor ne sic eam præstoletur, ut Britones Arturum et Judæi Messiam. Scriptum est: *Maledictus qui confidit in homine et qui ponit carnem brachium suum*, ideoque *vir* ille *benedictus* confidat *in Domino et erit Dominus fiducia* ejus [72]; *viriliter* agat *et confortetur cor ejus* [73], habitet *in abjutorio Altissimi* et *protectione Dei cœli* commoratus [74] expectet eum, qui est *exspectatio Israel* [75], ut sit brachium ejus in tempore tribulationis, atque per ipsum *salutem* operetur *in medio terræ* [76]. Reprobatis enim magnatibus qui injurias Christi et fidelium sanguinem vindicare hactenus distulerunt, hunc sibi specialiter reservavit *ad faciendam vindictam in nationibus* [76*], et de ipso cantetur quod in Salomone scriptum est: *Ab uno sensato inhabitabitur patria et a tribus infidelibus deseretur* [77]. Pro liberatione regni Jerusalem nobis abstulerat Dominus regnum cœlorum, nec autem quia nos ejus oblatione minus

[65] Psal. 136. [66] Psal. 47. [67] Psal. 94. [67*] Psal. 77. [68] Prov. 25. [69] Psal. 131. [70] Job. 9. [71] Psal. 43. [72] Jer. 17. [73] Psal. 26. [74] Psal. 90. [75] Jer. 14. [76] Psal. 73. [76*] Psal. 149. [77] Eccli. 16

A dignos invenit, ipse humanum dedignatus auxilium ex quo voluerit dedignatione aut potius indignatione sua fortitudinem gentium dissipabit, et dicet; *Brachium meum* salvabit *me et indignatio mea ipsa* auxiliabitur *mihi* [78]; ex quo non compatiuntur ejus injuriæ divinæque gloriæ damnum relevare non curant, per quod erant gloriam adepturi, ipse sibi non deerit, sicut per eumdem Isaias loquens : *Propter me*, inquit, *faciam ut non blasphemer et gloriam meam alteri non dabo* [79], *mea est*, inquit, *ultio et ego retribuam, percutiam et ego sanabo* [80]. Scimus, Domine, quod in manu tua est afflictio et consolatio, vita et mors. Verbum Isaiæ est: *Quis dedit Jacob in direptionem et Israel vastantibus ? Nonne ipse Dominus cui peccavimus* [81]? Revera, *omnia quæ fecisti nobis*, Domine, *in vero judicio fecisti* [82] quia
B peccavimus tibi et mandatis tuis non obedivimus: *sed da gloriam nomini tuo* [83], et fac nobiscum *secundum multitudinem misericordiæ* tuæ [84], quia peccavimus tibi: salva nos, Salutare Israel, quia iniquitates nostræ responderunt nobis et multæ sunt adversiones nostræ; quoniam *populum tuum, Domine, humiliaverunt et hæreditatem tuam vexaverunt* [85]; gloria nostra ad alienos translata est; elongata est a nobis, benignissime Jesu, crux tua; hæc erat nobis arca Novi Testamenti, hæc erat nobis propitiatorium exauditionis, vexillum salutis, titulus sanctitatis, spes victoriæ, fœdus et arcu divinæ gratiæ, character Christianæ militiæ, fundamentum fidei, subversio inimici, spoliatio inferni, scala cœli, janua paradisi, relevatio lapsorum, clausorum aperitio, consolatio afflictorum, tutela corporum, armatura
C spirituum, salus viventium, vita mortuorum, liberatio captivorum, humilium exaltatio et dejectio superborum. Quod arcam Veteris Testamenti præmisisti, Domine, ab allophylis capi, dura plaga, gravis animadversio, et sævæ indignationis indicium fuit. Sed in captione tuæ crucis iram tuam, Domine, tanto gravius et intolerabilius effudisti, quanto tibi erat acceptior crux quam arca, Novum Testamentum quam Vetus, lux quam umbra, veritas quam figura: et quæ collatio lucis ad tenebras, vivificæ crucis ad arcam veterem et lignum mortuum? Quid, inquam, bone Jesu, tua cruce vicinius aut conjunctius tibi fuit? Vide, Domine, fixuras clavorum non solum in manibus aut pedibus tuis, sed in cornibus crucis, quibus quandoque affixus
D eras reconcilians mundum tibi: hæc sola supererat quasi victoriosum insigne vel titulus triumphalis de pugna qua vicisti mundum, relicta in testimonium fidei et exemplum virtutis, in recordationes ineffabilis gratiæ et æstimabilis charitatis. Recognosce in ea, Domine, signa militiæ tuæ, et eam per quam redemisti mundum non differas a captivitate redimere. Victo siquidem ac mortuo Saul Philisthæi arma illius in templo Dagon posuisse leguntur. Arma tua, quæso, Domine, quibus aerias debellasti potestates, non humilientur in templo Dagon, sed glorificentur in templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. Vide ne manibus nefariis polluatur crux rubricata sanguine illo, qui petras scidit, qui solem obscuravit, qui terram concussit, qui monumenta aperuit et mortuos suscitavit.

O inexhaustæ et ineffabilis misericordiæ Deus, quare humilias et confundis cor populi tui, atque in tui nominis injuriam et contumeliam Christianæ fidei permittis inimicorum tuorum cornua exaltari? Querela Jeremiæ est: *Quare via impiorum prosperatur* [86]? gloriantur enim *qui oderunt te* [87], et qui diligunt nomen tuum, in vias desolatorias effusi sunt. Job etiam querelatur et dicit: *Cur impii vivunt? sublimati sunt confortatique, domus eorum securæ et pacatæ sunt, et non est virga Dei super illos* [88]. *Hoc est*, inquit Salomon, *pessimum inter omnia quæ sub cœlo* sunt, *quia eadem cunctis eveniunt, justo et impio* [89]. David quandoque adeo pulsatus est quæstione et turbatus, ut diceret: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei et zelavi*, inquit, *super iniquos pacem peccatorum videns* [90]. Cumque præsentem quæstionem multipliciter disputasset, tandem sub quadam determinatione omnem scrupulum dubitationis abscidit; dum subjicit: *Verumtamen propter dolos posuisti iis, dejecisti eos dum allevarentur* [91], prosperitas siquidem posita est illis in laqueum et ruinam, sicut scriptum est: *Prosperitas stultorum perdet eos* [92], nam Deus occulto judicio suo quosdam prosperari permittit et dimittit *eos secundum desideria cordis eorum*, ut eant *in adinventionibus suis* [93], *Misereamur*, inquit, *impio et non discet* facere *justitiam* [94], eos autem quos odit temporaliter honorificans et extollens, apponit *iniquitatem super iniquitatem eorum* [95], ut *qui in sordibus est sordescat adhuc* [96], seque in omne desiderium cordis sui effundat, donec ipsius malitia compleatur. Sic ergo lætatur *peccator in desideriis animæ suæ* [97], non intelligens quid super illum cogitet, *terribilis in consiliis super filios hominum* [98]. Subito enim transit in cumulum dolorum intolerabilium et interminabilium cumulus iste brevium voluptatum. Teste namque Job, *in diem perditionis* servabitur *malus et ad diem furoris ducetur* [99]. Justi autem Domini a Domino flagellantur; *flagellat* enim *omnem filium quem recipit* [100], vel in tribulationibus patientes Dei judicia gratanter acceptant, nam etsi Dominus eos corporaliter et temporaliter affligens videatur iratus, in voce tamen laudis et consolationis exsultant propter judicia Domini, cujus misericordiam flagellis sapienter

[78] Isa. 63. [79] Isa. 48. [80] Deut. 32. [81] Isa. 42. [82] Dan. 3. [83] Psal. 113. [84] Psal. 105. [85] Psal. 93. [86] Jer. 12. [87] Psal. 73. [88] Job. 21. [89] Eccle. 9. [90] Psal. 72. [91] Ibid. [92] Prov. 1. [93] Psal. 80. [94] Isa. 26. [95] Psal. 68. [96] Apoc. 22. [97] Psal. 10. [98] Psal. 65. [99] Psal. 21. [100] Hebr. 12.

scunt *Exsultaverunt*, inquit, *filiæ Judæ propter ia tua, Domine*[1]. Hi vero qui *in labore um non sunt, et cum hominibus non lantur*[2], in mortem propriam ruunt, dum novissima non intelligentes, sed prosperis cati, inter iram et misericordiam Domini non rnunt. Dominus enim Israel in eo quod mise- irascitur, et in eo quod irascitur miseretur. dicit ille sapiens: *Quis novit potestatem iræ* [2*]? et de misericordiis idem dicit: *Quis s et custodiet hæc, et intelliget misericordias* [3]? Judex misericors reum quandoque flagellat, sum a suspendio liberet, atque medicus incidit tema, ut melius ac plenius sanet. Sic et medi- omnium medicorum hominem a peccato melius et efficacius purgat, dum voces ægroti conque- s et clamantis audire dissimulat. Contra ulum Satanæ clamat Apostolus, atque ter inum rogat, nec exauditur[3*]. Legitur etiam quod beatus Antonius a malignis spiritibus vexaretur plagas durissimas, illis portentis evanescentibus em cœlesti lumine recreatus dixit «: Bone Jesu, ras hucusque? » et vox ad eum: « Antoni, ram, tuamque patientiam exspectabam. » Ideo heta dicit: *Deus meus, clamabo per diem et non dies, et nocte, et non ad insipientiam mihi*[4]; uans quod cum Deus hominem pro voto suo idoque non exaudit, salutem tamen ipsius non diendo procurat. Quis enim novit quid expe- sibi? Quis enim novit *utrum ira an odio dignus* ? Ideo beatus Job ignorans quod eum flagella ini efficaciter et plene purgassent: *Cum sverit*, inquit, *Dominus voluntatem suam in me c alia multa præsto sunt ei*[5*]. Sic ergo filios itionis exaltat Deus ut gravius allidantur, et s allidit temporaliter ut gloriosius exaltentur. ectant autem justi cum lætitia mercedem labo- suorum[6]; nam exspectatio justorum lætior spes- jucunditatis æternæ eos inconfusibiles facit. *ilatio enim patientiam operatur, patientia vero ationem, probatio spem, spes autem non confun-* [6*]. Confidant ergo et sperent in te qui noverunt en tuum, quoniam non derelinquis sperantes in omine[7]. Arrham hujus spei habentes apostoli mam reputabant in hac vita beatitudinem ter justitiam persecutionem pati[7*]. Donum si- em cœleste est, *donum optimum et descendens a e luminum*[8], pro Christo contumelias sustinere. e et Apostolus ait: *Vobis, fratres, donatum est solum ut credatis in eum, sed ut etiam patiamini o*[9]. Teste namque sacro eloquio sicut Christus apite, id est in seipso passus est, ita et eumdem oportet in membris suis, quatenus ad perfi- dum holocaustum suum unusquisque canonem

A solvat pro debito publicæ functionis. Ideoque Paulus unum inter cætera membra Christi præcipuum: Suppleo, inquit, *ea quæ desunt passioni Christi in carne mea*[10]. Justi ergo lucrum reputant et existimant gaudium, quoties pro Christo varias tribulationes incurrunt, sicut vox apostolica monet, dicens: *Fratres, omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis*[11]. Scimus siquidem *quod omnes qui pie volunt vivere in Christo*, sicut scribitur Timotheo, *patiuntur persecutionem. Mali autem homines et seductores proficiunt in pœnis, errantes et in errorem mittentes*[12]. Non solum justi sed etiam perversi et impii quandoque igne tribulationis uruntur. Immittit enim iis Dominus frequentes immissiones per angelos malos[12*]. Sed longe diversa B sunt aurum in fornace rutilans et palea fumans, et, si pari motu agitentur unguentum et cœnum, ex uno tamen suavitatis odor fragrat, ex altero fetor exhalat: sic inter pressuras justi probantur, impii reprobantur; et cum justi in patientia possideant animas suas[13], impii nullam habentes in adversitate patientiam, Dominum in prosperis benedicunt, sicut scriptum est: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei*[13*], deficiunt autem in duris et in miseriis non subsisunt. Scriptum est autem de *his qui perdiderunt sustinentiam*[14]. Ideo in illa lamentabili strage et inconsolabili plaga, quam in terra promissionis furor Domini nuper exercuit, multi sancti et multi impii miserabiliter in ore gladii corruerunt, ut in illa contritione grana separarentur a paleis, ut vasa C ignominiæ quassarentur, atque in vasis gratiæ suam Dominus misericordiam revelaret; nam sicut Apostolus dicit: *Volens Deus ostendere iram suam et notam facere patientiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasis nunc quæ præparavit in gloriam, quos et vocavit*[15]; percussit itaque simul impium et justum, ut alterum consumeret, alterum consummaret. *Mors enim peccatorum pessima*[16], *pretiosa* autem *in conspectu Dei mors sanctorum ejus*[17].

TRANSITUS AD ULTERIORA.

Congregaverat ille Babylonius canis, ille filius perditionis fere universos principes nationum. *Convenerunt* universi *reges terræ adversus Dominum et adversus Christum ejus*[17*]; cumque ex adverso D Christianorum paucitas in pugnam procederet, Saraceni absque æstimatione et numero circumquaque effusi, et ex omni parte operientes faciem terræ, Christi milites undique circumcluserunt. Referebat nobis frater regis Hierosolymitani qui cum cruce captus est; referebant etiam fratres Hospitalis et Templi, quod omnes illi qui, tanquam degeneres et imbecilles, sibi in fuga posuerunt præsidium,

Psal. 96. [2] Psal. 72. [2*] Psal. 89. [3] Psal. 106. [3*] II Cor. 12. [4] Psal. 21. [5] Eccle. 9. [5*] Job [6] Sap. 10. [6*] Rom. 5. [7] Psal. 9. [7*] Matth. 5. [8] Jac. 1. [9] Phil. 1. [10] II Cor. 9. [11] Jac. 1. Tim. 3. [12*] Psal. 77. [13] Luc. 21. [13*] Psal. 48. [14] Eccli. 2. [15] Rom. 9. [16] Psal. 33. [17] Psal. 115. Psal. 2.

quasi in ictu oculi occisi et contriti sunt alii vero qui in Christi charitate fundati accinxerant fortitudine lumbos suos, coronam immarcescibilem et hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam in cœlis fiducialiter exspectantes [18], licet pauci et longo itinere fatigati, diutissime tamen illi infinitæ multitudini non sine plurima strage hostium restiterunt, atque potius impulsi et oppressi quam capti, in conspectu illius Antichristi oblati sunt. Sedebat enim crudelis bestia in ostio papilionis sui, in cujus ore mors militum Christi erat. Stabant et illi exuti armis tanquam oves ad victimas, fortes quidem et omnino intrepidi; nam super omnia desiderabilia hujus vitæ unicum et præcipuum habebant in voto, quidquid excogitare posset hostilis malitia, sustinere pro Christo. Habebant siquidem passionem Christi et vitæ æternæ præmium præ oculis cordis, in quorum recordatione sese ad omnem malorum tolerantiam confirmabant. Aspiciebant, sicut de illis et aliis Apostolus loquitur ad Hebræos [18*], *in auctorem fidei et consummatorem, Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.*

Erat autem intêr eos gloriosæ memoriæ Reginaldus, quondam princeps Antiochenus, dominus montis Regalis, egregius atque constantissimus Christi professor et in proximo pro Christo felili martyrio coronandus. Scripturæ committerem, ad ædificationem forte simplicium, pauca quæ de triumpho ipsius ex certissima relatione cognovi; verumtamen *ego, vir videns paupertatem meam* [19], vereor gloriam tanti viri in materiam narrationis assumere, qui stylum prudentiæ et eloquentiæ majoris exposcit. Quia tamen, ut verbis Job [19*] utar: *Si tacuero, os meum condemnabit me*, et ex ipsa taciturnitate mea Christi martyrem offendisse videbor sufficit mihi, si per verborum folia qualitercunque fructum in eo probatissimæ virtutis ostendam, ut nomen illius memoriæ commendetur, cujus memoria in benedictione est. Utinam possem tantum iter incipere quod alterius elegantior facundia debeat consummare! *Vir siquidem pollutus labiis sum ego, et in medio populi polluta labii habentis ego habito* [20]. Utinam de superno altari mihi calculus afferatur, cujus tactu, ut in tanto martyre digne aliquid loquar, oris mei spurcissimi scoria excoquatur.

DE VITA ET VIRTUTIBUS PRINCIPIS REGINALDI.

Erat siquidem jure successario dominus Castillonis Sanciti Burbonis aliorumque magni nominis Castilliorum. Cumque ei dux Burgundiæ suam filiam in matrimonio obtulisset, ille licet puerulus, senili tamen gravitate mundum sibi arridentem irridens, et tam mundi quam sui corporis florem contemptibiliter calcans, cœpit gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi, et terram, in qua steterant pedes Domini, tota cordis affectione suspirans, signoque crucis accepto, Jerosolymam festinantius

A petens suo desiderio satisfecit. Prosperum siquidem iter fecerat ei Dominus salutarium nostrorum, qui ipsum segregavit de utero matris suæ in opus virtutis et exemplum fortitudinis. Quis hujus pueri fidem inferiorem judicet fide Moysi, quam Apostolus commendans ait: *Fide Moyses grandis factus negavit se filium Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei potius quam peccati temporalem habere jucunditatem; majores enim divitias Ægyptiorum divitiis reputabat improperium crucis Christi* [20]. O quam *bonum est viro, cum portaverit jugum* Domini *ab adolescentia sua* [20*], nam, cum adhuc esset adolescentulus et contemptus, quia tamen sub Domini jugo prurientis carnis insolentiæ motus sancta maturitate cohibuit, magnificavit eum Dominus in conspectu regum, et ad regnum confirmavit æternum;
B nimirum in sinistra Domini divitiæ et gloriæ et dilectiones dextera ejus usque in finem [21]. Affluebat itaque sapientia et gratia apud Deum et homines [21*] Erat enim in armis strenuissimus, in fide Christi firmissimus, serenissimus in facie, in operibus timoratus, spe longanimis, charitate profusus, misericors, providus, mitis et humilis, jucundus vero et circumspectus in verbis. Erat sane mel et lac sub lingua ejus, dederatque ei Dominus linguam eruditam, ut sciret quando deberet proferre sermonem. Cum ergo totam provinciam strenuis et gloriosis bellorum actibus adeo celebriter illustrasset, ut congrue posset dici, quod data erat sibi *gloria Libani, decor Carmeli et Saron* [22], nunquam tamen in ore ejus verbum jactantiæ prodiit, nec in vultu ejus
C nota vel motus electionis apparuit. Et jam factus princeps Antiochenus, triumphales eventus, quibus in confusionem gentium Christi gloriam magnifice dilatabat, quanto in ipso erat, dissimulatione et silentio ab humanis laudibus abscondebat. Nonne videtur Isaias de ipso præsensisse quod dicit: Erat vir abscondens sermones suos, et apparebit in terra Sion sicut fluvius gloriosus in terra sitienti. Porro cum in ejus peregrinatione de uxore ejus timorata et sancta, quam cum principatu acceperat, filiam genuisset, eamque illustri regi Hungariæ in matrimonio collocasset, constanter in corde suo firmavit pro lege Domini sui certare usque ad mortem. Videbat enim quod non habebat in hac peregrinatione manentem civitatem, sed futuram oporte-
D bat inquiri [23*]. Sic Apostolus, de Abraham loquens: *Fide*, inquit, peregrinatus *in terra promissionis, quasi in aliena* habitans, promissionem *exspectabat, fundamentum spei* habens *civitatem, cujus artifex et* creator *est Deus* [24]. Captivabat equidem omnem intellectum et omne corporis exercitium in obsequium servituris illius, cui servire regnare est. Quadam autem die, cum solito gloriosius de filiis dissidentiæ triumphasset, volens cœlestis figulus probare vas, quod fecerat in honorem et gloriam,

[18] I Petr. 1. [18*] Cap. 12. [19] Thren. 3. [19*] Cap. 9. [20] Isa. 6. [20*] Hebr. 11. [21] Thren. 3. [21*] Eccli. 45. [22] Psal. 11. [22*] Luc. 2. [23] Isa. 35. [23*] Hebr. 13. [24] Hebr. 11.

um dolo quorumdam fratrum falsorum ab :api et in exsilium duci. Captivatus itaque issimilitudinis, quasi alter Ezechiel erat t orationibus serviens die ac nocte [24*]; r injuriis et contumeliis super dorsum ejus it peccatores, ipse contra omnes insultus ıalitiæ scutum patientiæ opponebat, vin- ɔmnia in bono malum; eratque sicut de *acob* legitur [25] *in medio populorum quasi* ıino *et quasi* stilla *super* arborem, *quæ non virum, neque præstolatur filios hominum.* aque in manibus animam suam et institu- nibus, sicut Apostolus dicit: Sciebat *sa- esurire, abundare et penuriam pati,* potens *eo qui* ipsum confortabat [25*]; sane ille qui suis dicit: *Non vos relinquam orphanos* [26], B ɔermittet tentari suos supra id quod pos- ed tollit *virgam peccatorum desuper sor- rum, ut non extendant justi ad iniquitatem as* [28]: hunc in exsilio examinare, non exi- ɔcrevit. Ideoque quindecim annis, quibus , elapsis, ipsum tanquam argentum purga- ı, tanquam aurum obryzum, de camino ca- eduxit. Ad ejus liberationem desideratis- ın solum regnum Jerosolymorum, sed omnia orum regna ineffabili gaudio sunt perfusa; n juvenis esset, præmatura tamen sene- captivitate potius quam ætate proveniens, put ejus canitie intempestiva resperserat. ı est autem: *Corona dignitatis senectus, iis justitiæ reperitur* [29]. Cedebat ei ad glo- ectus venerabilis nec diuturna neque an- C umero computata; nam cum capitis cani- ɔrant sensus hominis, cumque Apostolus *mne quod antiquatur et senescit prope inte-* [30], propterea canities eum circa novissi- ɔogebat esse sollicitum; cœpit autem vir ıs conversatio jam erat in cœlis [31], habi- nonte-Regali, cujus dominus erat; ibique, ı Isai [32] utar, *princeps, quæ digna sunt* cogitans, vigiliis, jejuniis, disciplinis, ora- et eleemosynis jugiter insistebat, et, sicut ius cæteris obtinebat militiæ Christianæ ti- a quibuslibet religiosis in terra sanctitatis ræeminebat, et sæpissime magni et ambi- nores regni etiam Jerosolymorum eidem ue oblatum est; sed pro Christi amore ho- D ɔssessionum paucitate contentus, ea dunta- retinuit quæ ad usum pauperum et armo- ırcitium contra inimicos crucis Christi sibi ɔ videbantur. Nonne videtur tibi esse alter s, de quo scriptum est quia *anima Jonathæ nata est animæ David* [33]; nam, *qui adhæ- ino, unus spiritus est cum illo* [34], *et exspo- Jonathas tunica qua erat indutus, et dedit* A *eam David et reliqua vestimenta usque ad gladium et arcum et balteum* [35]. Porro iste, cum arca Domini caperetur, in fugam conversus occubuit; iste cum Domini cruce pariter captus cursum hujus vitæ glorioso consummavit.

LONGITUDO ET LATITUDO PALÆSTINÆ SECUNDUM HIERONYMUM.

Porro ille filius perditionis Salahadinus, cujus funesto et damnato nomine invitus et dolens hanc epistolam contamino, biennali spatio non cessaverat præmiis, precibus et promissis, fere universos principes et populos nationum congregare; fuitque tanta multitudo supervenientium canum, quæ nec numero claudi nec ratione humana poterit æstimari. Pro causa consilii partes occiduas patriarcha Hierosolymitanus adierat, sed, quod probrosum est dicere, adeo pauci aut nulli secuti sunt eum, quod nec numerum habuerint. Dicebat vir sanctus et prudens, quod tanta paucitas tantæ infinitati non resisteret, sciens quod Dominus erat offensus propriæ terræ, in cujus fide et virtute unus quinque prosequebatur mille, et duo fugabant decem millia [35*]. Sane si quis brevitatem terræ promissionis et inæstimabilem immensitatem provinciarum et regionum circumjacentium, eamque impugnantium diligenter attendat, manifeste videbit quod Deus positus est in ea murus et antemurale, qui nunquam nisi offensus permittit illam multitudinem prævalere.

A Dan usque Bersabee, ubi vix XL milliaria interjacent, ejus longitudo protenditur; latitudo vero a Joppe usque Bedleem, spatio X milliarium interposito, nam eidem conterminat vastissima solitudo; si vero juxta librum Numeri [36], velis terræ promissionis ambitum circumquaque metiri, incipias a meridie maris Salinarum per Syriam et Cadesbarne usque torrentem Ægypti, qui juxta Rinochorum magno mari influit, et ab occidente ipsum mare quod Palæstinæ Phœnicis, Syriæ cœlæ, Ciliciæque protenditur; ab aquilone Taurum montem et Zephyrum usque Emath, quæ appellatur Ephraim Syriæ; ab oriente vero per Antiochiam et lacum Ceremth, quæ Tiberias dicitur, et Jordanem qui mare influit Salinarum, quod nunc mare Mortuum dicitur. Trans Jordanem vero et duarum et semis tribuum possessio est Reuben et Gad et dimidia tribus Manassæ. Ita siquidem promissa sunt, non possessa; nam nec David rex fortissimus, nec Salomon in omni gloria sua, nec eorum successores ultra primam divisionem quam fecimus, palmum unum habuisse leguntur. Sed nec Abraham, cui promissio facta est, teste beato Stephano protomartyre in Actibus apostolorum, pedem illius terræ obtinuit. Sed et de sanctis Patribus Apostolus loquens: Hi homines, inquit, mortui sunt non acceptis promissionibus, sed procul eas videntes, et

c. 2. [25] Mich. 5. [25*] Phil. 4. [26] Joan. 14. [27] I Cor. 10. [28] Psal. 124. [29] Prov. 16. [30] Hebr. 8, 3. [32] Cap. 32. [33] I Reg. 18. [34] I Cor. 6. [35] I Reg. 18. [35*] Deut 32. [36] Cap. 34.

salutantes et confitentes quod peregrini erant *et advenæ super terram* [37]. Judæis vero terrena sapientibus terra Chanaan promissa est, sapientibus vero cœlestia regnum cœlorum promittitur. Ex his certissime liquet aliam esse terram promissionis, in qua est cœlestis Jerusalem, cujus hæc figura est. Unde et cum David regnaret in ea, dicebat, quasi ad altera peregrinans : *Advena ego sum et peregrinus, sicut omnes patres mei* [38]; et : *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est* [39];et beatitudines illius exspectans : *Credo*, inquit, *videre* bonitatem *Domini in terra viventium* [39*]. Placet nimirum ei, qui finxit sigillatim corda hominum, de terrestri Jerusalem dilectos suos transferre in cœlestem. Unde et in ea, per quam recepimus nostræ fidei fundamentum, paratur nobis et affertur nobis via libera et progressus in cœlum. Eapropter terrena Ilium frequenti hostilitate destruitur ut, juxta verbum prophetæ [40], filii peregrinorum reædificent eam, et non manufactam in cœlis sibi ædificent civitatem; nam, sicut Isaias dicit : Posuit eam Dominus lapidem oneris universis gentibus, dum in vastatione illius vires suas unusquisque circumjacentium principum experitur [40*].

Legimus equidem quod, irruentibus Moab et Philisthiim, postea Syria infestante, demum vastante Babylonia, septuaginta annis templum in solitudine fui; tandem sub Cyro rege Persarum, sicut Esdras et Neemias propheta plenissime referunt, templum reædificatum est, atque sub Dario rege Persarum et Medorum a Zorobabel filio Salathiel et Jesu filio Josedec sacerdote magno. Passa est autem civitas pressuras intolerabiles, vicissim irruentibus Ægyptiis, Medis et Macedonibus. Quare loquerer tyrannidem crudelissimi Antiochii Epiphanis, gravem Pompeium, Gabinium Scaurum solum, quorum unusquisque illius civitatis et terræ procuravit exitum? transeo Titum et Vespasianum quibus irruentibus, civitas data est lamentabili desolationi in solitudinem et desertum. Quid de illorum quibusdam loquerer, Manasse, Aman, Joachim, Sedechia qui omnes damnabili exitio consummati, dati sunt universis regibus in horroris materiam et timoris exemplum. In istis dat Dominus metuentibus significationem, ut fugiant a facie arcus [41]. Ideo, quoties contra pia Domini flagella populus ille in sua malitia obsurdescit, ipse super habitatores terræ spiritum indignationis et despectionis effundit, sicut beatus Job spiritu prophetiæ loquens: *Effundit*, inquit, *despectionem super principes; balteum regum dissolvit et præcingit fune renes eorum. Adducit consiliarios in stultum finem et judices in stuporem ; ducit sacerdotes in gloriam et optimates supplantat* [41*]. Sic humiliat iratus, quos placatus exaltat; nam ira indignationis ejus *et vita in voluntate ejus* [42]. Hæc omnia in terra illa nuper accidisse cognovimus; nam, ut verbum prophetæ assumam, non poterat Dominus ulterius portare propter malitiam impiorum hominum; pervenerunt enim peccata eorum in cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum populi et super eos infudit iram indignationis suæ [43]. Sed quare tam longa et tædiosa digressione utar? quare ad nostrum principem non revertor? Hunc equidem et quosdam alios concaptivos, cæteris illustriores fama et genere, fecerat Salahadinus suo conspectui præsentari. Proposuerat filius diffidentiæ prius uti deliciis, ut sic Montem-Regalem et alias munitiones fortissimas proditoriis suasionibus obtineret. Sed *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* [44]; fidelis siquidem Naboth hæreditatem patrum suorum nec permutat nec vendit; pretium vel commutationem aliam non accepta pro Monte-Regali nisi montem Domini, ut inhabitet in eo *in longitudinem dierum* [45]. Ab annis pueritiæ voverat animam suam Domino, et hanc sub certa æstimatione dederat pretium redemptionis suæ. De hoc pretio rerum optimus æstimator Apostolus loquens, et vitam sive animam pretium redemptionis suæ constituens: *Non facio*, inquit, *animam meam pretiosiorem quam memetipsum* [46]. Ut autem corda militum Christi versutissimus ille tyrannus ad votum suum fortius et efficacius inclinaret, quasi iis crucem Dominicam redditurus, quam peccatis nostris captivam tenebat, eam captivis præcepit ostendi. Sed sapientia Dei omnia convertit in bonum his *qui secundum propositum vocati sunt sancti* [46*], unde in principe nostro ad præsentiam vivificæ crucis tantus amor Christi, tanta gratiæ virtus incaluit, ut merito possit dicere cum propheta : *De excelso misit Dominus ignem in ossibus meis et erudivit* [47]; unde et verbum exhortationis assumens: « Ecce, inquit, fratres, ecce lignum in quo pependit et redemit nos Filius Dei; in hac pro nobis mortem patiens cœlum aperuit, et morte destructa in hac æternam beatitudinem nobis dedit. Nobiscum capta est, ut ab æterna captivitate nos liberet; et quia patrias nostras reliquimus propter istam, hæc in nostram patriam nos reducet. Gaudete, fratres, quia non respexit Dominus, crucem suam ex industria nosbicum sustinuit capi, ut redemptio nostra concaptiva nostra fieret essetque nobiscum in præsenti morte solatium. Scio enim quod nobis mors parata est, summamque gloriam reputo ibi mori, ubi video gloriam Christianitatis et salutis humanæ vexillum. Sequitur ducem ac principem hujus vexilli, qui vitam suam pro nobis posuit, et ut vitam nostram pro ipso ponamus exposcit. Tutum est vitam suam ei committere, qui dux vitæ est et Dominus gloriæ. Exhibete operibus, si Christum diligitis, pro quo tanto

[37] Hebr. 11. [38] Psal. 38. [39] Psal. 119. [39*] Psal. 26. [40] Isa. 60. [40*] Zach. 12. [41] Psal. 59. [41*] Job 12. [42] Psal. 29. [43] Thren. 4. [44] Prov. 1. [45] Psal. 22. [46] Act. 20. [46*] Rom. 8. [47] Thren. 1.

tempore laborastis. Ecce merces laborum nostrorum! pro amore ipsius diligamus mortem et hanc præsentem laboriosam et miseram vitam habeamus contemptui, quia hodie nos Dominus in regno gloriæ suæ inter sanctos martyres collocabit.»

Circa verba principis nihil prorsus immuto, sed in illa simplicitate in qua domino papæ et multis, qui tunc aderant, relata et scripta sunt, tandemque a fratre regis Jerosolymitani, qui ibidem captus est, Cantuariensi archiepiscopo et nobis, qui pariter aderamus, vivæ vocis officio apertius declarata, eadem memoriæ et scripturæ commendo. Intelligens autem ille infidelitatis et perfidiæ princeps, quod apud sanctum principem blandiendo non proficeret, fremens corpore et dentibus frendens: «Tuus, inquit Arabice, Christus te docebit, nec ipse, nisi abnegaveris eum, hodie de manu mea liberare te poterit.» Sane quem favor blandientis auræ non moverat, nec turbo tempestuosus inclinat. Suam enim in cœlo radicem fixerat cedrus illa nobilis, nulliusque timebat violentiam tempestatis; nam, sicut Apostolus scribit ad Timotheum: *Fundamentum Dei firmum stat, habens hoc signaculum* [48]; princeps autem, cum in juventute sua captivatus fuisset, Arabicam linguam quam noverat audivit, sed eam post longo usu et magisterio necessitatis addidicit et respondens Arabice: «Christus, inquit, neminem decipit, sed ille deceptus est qui in eum non credit: ipsum adoro, ipsum confiteor ipsiusque tibi nomen nuntio. Si in eum crederes, evadere posses supplicia damnationis æternæ, quæ tibi parata esse non dubites. Sed quid prorogas quod facturus es? Scio quod nihil sitis nisi sanguinem Christianum.»

Cruenta itaque bestia milites armatos, qui ad occisionem sanctorum præparati fuerant, præcipit introduci. Sed, irruente in principem turbine tempestatis, apparuit quid esset in homine; non expalluit ejus facies, non sanguis congelatus est; non riguere comæ, vox faucibus non adhæsit, non tremuit corpus, nec mens ejus turbata est; non intellectus aut memoria torpuit, sed intrepidus et longe solito securior nil omnino de statu consuetæ dignitatis amisit. De Moyse legitur ad commendationem ejus, quod non est veritus animositatem regis; iste vero jam sæculo altior victumque mundum conculcans, nam testimonio Joannis: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* [49], nil sapit nisi quod divinum et cœleste est, ideoque terribiles tyranni minas et circumstantes gladios vilipendit. Adhuc tamen granum sinapis integrum est, sed ex quo cœperit conteri majorem accipiet ex contritione virtutem [49*]. Intonat et intentat terribiles minas ille malleator fidelium Christi; sed athleta Domini fortissimus sermones ignitos quasi scintillas intimæ charitatis emittens, *ex abundantia enim cordis os loquitur* [50], contra arma iniquitatis et impetum mortis nil nisi Christi nomen et scutum fidei ponebat. Ea siquidem in eo charitas fortis ut mors, imo fortior morte, et quæ ipsam mortis amaritudinem in dulcedinem temperabat. O quanta est, Deus, *magnitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te* [51]! quam dulcis et suavis es his qui sancto sunt corde, quibus unctio tuæ charitatis ipsam etiam mortem suavem et desideratissimam facit; hac dulcedine captus nominatissimus princeps, quanquam, a corpore peregrinans et complantatus in similitudinem mortis Christi, cupiebat *dissolvi et esse cum Christo* [52]. Summo desiderio appetebat finem vitæ, imo, ut verius loquar, vivendi principium; nam, sicut Salomon ait: *Cum consummaverit homo, tunc* incipit [53]; hujus enim vitæ transeuntis egressus est ad illam, quæ nec transit nec deficit, vitam; scit invictissimus princeps cui credidit, et certus est quod potens est depositum suum in illum diem justus Judex servare [53*]. Tutius ei videtur, juxta consilium Dei, perdere animam suam ut eam custodiat, quam custodire ut perdat [54]. Quis enim custodiet, fidelius animam suam quam Creator et Redemptor illius? multiplicabit in anima ejus virtutem [54*], ut quam terrena inhabitatio deprimebat, reddat liberam sine macula, sine ruga et lucis æternæ gloria coronatam. Constantia principis mirabiliter confirmaverat fratres suos ad omnem sustinentiam tormentorum. Jamque revelatæ erant e multis cordibus cogitationes, ita quod excelsa voce clamarent, Christum unanimiter confitentes: quibus princeps congratulans et præ gaudio seipsum vix capiens: «Confidite, inquit, fratres; regnum enim gloriæ vobis paratum est, et sciatis quod ab ipso impio et populo ejus sanguis noster exactissime in proximo requiretur.» Adhuc dabit, illustrissime princeps, voci tuæ Dominus vocem virtutis [55]; exigetur sanguis tuus de manibus impiorum et huic interfectioni gladius ultor, multiplicata occisorum victima, respondebit. Sic implebitur tam verbum tuum quam sermo prophetæ dicentis: *Victima Domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom* [55*]. Illum diem desidero et exspecto, Domine Deus, quando *inimici tui peribunt* [56], *quando facies de persequentibus* te *judicium* [56*]; scio quod hoc facies et non tardabis; *reposita est hæc spes mea in sinu meo* [57]; et, licet canis ille de victoria, quæ illi propter peccata nostra nunc accidit, glorietur; *scio* tamen, ut verbis Job utar, *quod a principio, ex quo natus est homo super terram, laus ipsorum brevis est* [58], ideoque corde suspenso et aure erecta felicioris eventus rumores

[48] II Tim. 2. [49] Joan. 5. [49*] Matth. 13. [50] Matth. 12. [51] Psal. 30. [52] Phil. 1. [53] Eccli. 18. [53*] II Tim. 1. [54] Marc. 8. [54*] Psal. 137. [55] Psal. 67. [55*] Isa. 34. [56] Psal. 91. [56*] Psal. 118. [57] Job 19. [58] Job. 20.

scienter exspecto ; nam, testimonio Salomonis : *Aqua frigida animæ sitienti nuntius bonus de terra longinqua* [59]. Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, quem in injuriam nominis tui, Jesu Christe, fudit Synagoga Satanæ, congregatio perditorum. Hæc est mulier illa, de qua legimus in Apocalypsi ; *Vidi mulierem ebriam sanguine martyrum Jesu Christi* [60].; et: *Pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. Reddite*, inquit, *illi sicut et ipse reddidit vobis; in poculo quo miscuit, miscete ei duplum ; quantum exaltavit se in deliciis, tantum date ei tormenta et luctus* [61]. Conversus autem ad Jerusalem Dominus verboque Isaiæ judicium in misericordiam convertens : *Ecce*, inquit, *tuli de manu tua calicem saporis, fundum calicis indignationis meræ ; non adjicias ut illum bibas ultra, et ponam illud in manu eorum qui te humiliaverunt* [62] ; peribunt equidem peccatores a facie terræ et exterminabuntur subito filii diffidentiæ. et in fortitudine tua, Domine, venient ad cognitionem nominis tui omnes gentes : sed putas, Domine Jesu, durabimus ? putas videbimus ? Jam venit per quem tuam effudisti indignationem ? nunquid natus est adhuc per quem capturus es benedictionem ? scio quod benedictionem dabis legislator ; festina, Domine, et fac ut prophetæ tui fideles inveniantur ; subjicies tibi gentes et regna, ut constituaris in caput gentium. Verbum Jeremiæ est : *Dominus fortitudo mea et robur meum ; ad te venient ab extremo terræ et dicent : Vere mendacium operati sunt patres nostri et vanitatem, quæ eis non profuit* [63] ; per Sophoniam quoque promittit se redditurum populo *labium electum ut invocent omnes in nomine Domini et serviant ei humero uno*, quia *ultra* flumen *Æthiopiæ supplices mei* sunt, dicet Dominus, et *filii dispersorum deferent munus mihi* [64]. Audi et Zachariam : *Venient*, inquit, *populi mei dicentes ; Eamus et deprecemur faciem Domini et quæremus faciem Domini exercituum* [65], et post pauca : *Judicabit populos et arripiet gentes fortes in longinquum* [66] ; nam, licet servitium Domini malitiosa voluntate detrectent, eos tamen, velint nolint, compelli oportet ad serviendum Deo viventi ; acceptissimam siquidem Deo existimo hujusmodi coactionem ut procuretur salus hominum, et quantum in nobis est Domini voluntatem promoveamus ; *Dei enim adjutores sumus* [67]. Sicut ergo oramus ut adveniat regnum Dei, sic actualiter intendamus ut multiplicetur ejus imperium, gentesque subjiciantur ei in virga ferrea, et qui voluntarie nolunt ingredi trahantur violenter ad regnum. De hac violentia loquitur Dominus per prophetas : *In manu*, inquit, *forti et brachio extento et in furore meo regnabo super vos, et subjiciam vos sceptro meo, ut inducant vos in vincula fœderis mei* [68].

Erant de populo barbaro et de generatione illa perversa atque adultera, qui tyrannum suum graviter increpabant, eo quod tam diu damnatorum superbiam sustineret. O quam commendabilis et Deo grata superbia procul dubio his qui animales sunt, et non percipiunt quæ sunt spiritus Dei [68*] ! Viri sancti videntur superbire, dum sæculum spernunt, dum tortores irrident, dum honores et divitias vilipendunt : superbia reputatur nobilis conscientiæ libertas, et libera fidei Christianæ nobilitas. De hac superbia legimus : *Ponam te in superbiam sæculorum* [69] ; et illud : *Fortitudinem gentium comedetis et in gloria eorum superbietis* [70]. De hac iterum gloria Sapientia loquens, dicit : *Mecum divitiæ et gloria, opes superbæ et justæ* [71] ; acceleraverunt impii et in modis omnibus procurabant ut sine dilectione effunderetur sanguis innoxius. Sed et sancto principi et cæteris commartyribus ejus longissimum videbatur quod differebantur eorum supplicia, singulaque momenta suæ gloriæ dispendium reputabant. Tu autem, profane, impie et crudelis Antichriste, quid protrahis, quid prolongas martyrum vota, quid ascendunt cogitationes in cor tuum ? nunquid exquiris suppliciorum genera, quibus fidelium mentes a Christi charitate divellas ? verbum tui antecessoris est Agad regis infidelis et pinguis : *Siccine separat amara mors* [72] ? Scias quod mors illa non separat, sed unit in Christo. Ideo mors illa dulcior est quam vita, quibus acceptior *est una dies in atriis* Domini *super millia* [73]. Cogita et delibera, consume omnes adinventiones humanas in suppliciis. Tum *neque mors*, neque gladius, *nec vita, nec angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit* me *separare a charitate Dei quæ est in Jesu Christo* [74]. Sciunt *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram* illam *gloriam quæ revelabitur in nobis* [75]. Sciunt quod pro confusione duplici et rubore in terra sua duplicia possidebunt, *quod leve est et momentaneum tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis* [76]. Seminat martyr in lacrymis et dolore, *sed potens erit in terra semen ejus* [77]. Dolor enim generabit gaudium, pressura libertatem, jucunditatem afflictio, amaritudo dulcedinem. Nonne lucrosum et dulce commercium est seminare corpus mortale, animale, ignobile, ut resurgat immortale, spirituale [77*], *in splendoribus sanctorum* [78] *coronatum gloria et honore* [79]. *Justus autem, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* [80], et ut verbo beati Job utar : *Miseriæ suæ obliviscetur, et quasi aquarum*

[59] Prov. 25. [60] Apoc. 17. [61] Apoc. 18. [62] Isa. 51. [63] Jer. 16. [64] Sophon. 3. [65] Zach. 8 [66] Mich. 4. [67] I Cor. 3. [68] Ezech. 20. [68*] I Cor. 2. [69] Isa. 60. [70] Isa. 61. [71] Prov. 8. [72] I Reg. 15. [73] Psal. 83. [74] Rom. 8. [75] Ibid. [76] II Cor. 14. [77] Psal. 111. [77*] I Cor. 15. [78] Psal. 109. [79] Hebr. 2. [80] Sap. 14.

quæ præterierunt non recordabitur; *quasi meridianus fulgor consurget ad vesperum, et cum* se *consumptum* putaverit, *orietur et Lucifer*[81]. Irrue in virum justum, tyranne inhumanissime, ure, contunde, occide, incide, succide: nihil agis; nam in Christi charitate radicatos explantare non potes. Hoc est lignum quod ad honorem mittit radices et in tempore siccitatis nan erit sollicitum. De hoc ligno Job dicit: *Lignum habet* speciem[82], *si* pretium[83] *fuerit rursum virescit et repullulant rami ejus*[84]. Christianus, cui *vivere Christus est et mori lucrum*[85]. vitam invenit moriendo; et cum videatur *oculis insipientium mori*[85*], *in pace* fit *locus ejus*[86], et *in loco pascuæ* collocatur[86*], quoniam vita ipsius custodita est cum Christo in Domino.

DE EODEM.

Ab ore tyranni pendebant ministri Satanæ, veloces ad effundendum sanguinem, et ecce filius mortis æternæ in filios et hæredes vitæ cœlestis mortis judicium dictaturus: « Hunc, inquit, qui meæ gloriam majestatis ausus est blasphemare, interficiet manus mea; alii autem avertantur hinc, et omnes, qui non negaverint Christo, capitaliter puniantur. »

Cœlestis dispensatione consilii segregavit eum Dominus ab aliis, et certamen forte dedit ei ut vinceret et sciret quoniam omnium protector est Sapientia. Illustrissimus princeps in terram prosternitur: cumque supinus jaceret atque oculos erectos et fixos haberet in cœlum, sancto ejus pectori superposito pede dextro, ipsius gutturi gladium tyrannus infixit. Christi nomen, quod semper in corde et ore, illius gladius intercepit; nullam sui corporis partem movit egregius Christi martyr, carpebat de crucis arbore fructum vitæ; ei namque cruciatum in delicias convertebat memoria crucis Christi: hæc enim est arbor illa de qua sponsa in Canticis dicit: *Sub umbra ejus sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo*[87]; habebat nominatissimus princeps fructum crucis in gutture et gladium dulciorem reputans omni cibo, inter angustias mortis gustabat et videbat quam *suavis est Dominus*[88]. Hoc isti sapiebat gladius quod ignis beato Laurentio, qui suos ridebat carnifices, suumque judicem subsannabat, cum Apostolus dicat: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*[89]. Cum beatus Andreas in patibulo crucis inæstimabiles deliciarum thesauros invenerit, liquet quod in passione sanctorum quidam fructus vitæ cœlestis et quædam delibatio æternitatis abscondita prægustatur. Alioquin Propheta non diceret: *Si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra*[90]; et quare non absconderetur in passione Christi dulcedo? nam *ibi abscondita* A *est ejus fortitudo*[91]; ibi manna cœleste absconditum est his qui lignum vitæ apprehenderunt. Sicut elephanti animantur ad bellum ostensione sanguinis sic et fortius animaverat Christi milites vivificæ crucis ostensio et memoria Dominicæ passionis: nam arbor illa salutifera, scilicet sanguine Salvatoris infusa, non cessavit postea fundere oleum lætitiæ, sudare balsamum gratiarum, stillare unguentum fortitudinis et producere fructum vitæ. In quo triumphavit Christus, facit etiam suos milites triumphare, sicut ad Timotheum[92] scribens Apostolus: *Videmus*, inquit, *Christum propter passionem mortis tentatum gloria et honore coronatum In eo autem quod passus est ipse et tentatus auxiliatur eis qui tentantur*[92*]. Crux enim Christi pereuntibus B stultitia est; his autem qui salvi fiunt, Dei virtus et Dei sapientia. Et ad Corinthios scribens dicit: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per ipsum abundat consolatio nostra*[93]. Cedebat principi non tantum ad consolationem sed ad plenitudinem gaudiorem ei, quod omnes dolores corporis proprii fugabat recordatio vulnerum Christi et certa atque festina retributio præmiorum. Scit quod cito apprehendet tritura vindemiam et attriti corporis contumelia ei cedet ad gaudium et coronam. Ecce, nobilissime princeps, ecce finis viæ et consummatio peregrinationis tuæ. *De torrente in via* bibisti; *propterea* exaltabitur *caput* tuum in patria[94]. Secure jam potes dicere: *Susceptor meus es tu, gloria mea, et exaltans caput meum*[95]. Procul dubio coronaberis, quia legitime certasti[96]. Nam testimo- C nio Job: Qui afflictus est *erit in gloria*[97]. Impius ergo te humiliando coronam tibi gloriæ fabricavit. Beatus es, quia possessionem gloriæ quam Adam cum progenie sua perdidit, tu cum sociis tuis hodie ingredi meruisti. Tuas vias optime derexisti, dicere potes: *Sine iniquitate cucurri et direxi*[98]; *bonum certamen* certasti, *cursum* confirmasti[99]. Beati sunt qui tuis monitis crediderunt, et sicut de beato Elia Sapiens dicit: *Beati sunt qui te viderunt et qui in amicitia tua* delectati *sunt*[100]. Credo tamen quod si aliquos noluisti secundum carnem, sed jam forte nosti quoniam introisti in potentias Domini et ingressus es abyssos luminis et jucunditatis æternæ. Vides quod tyrannus retraxit a gutture suo gladium, et felix anima corruptibilibus D exonerata exuviis, soluto tributo mortis, libera evolavit in cœlum; assumpta est ab eo qui dicit: Volo[1] *parare vobis locum*[2]; et iterum: Veniam ad vos ut assumam vos ad memetipsum; et illud: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus*[3], a pueritia sua incipiens in singulis ætatibus, quasi in omnibus horis diei tanquam strenuus cultor in vinea Domini Sabaoth laboravit, et in consum-

[81] Job 11. [82] Vulg. *spem*. [83] Vulg. *præcisum*. [84] Job. 14. [85] Phil. 1. [85*] Sap. 3. [86] Psal. 75. [86*] Psal. 22. [87] Cant. 2. [88] Psal. 33. [89] Gal. 6. [90] Psal. 57. [91] Habac. 4. [92] Imo ad Hebr. 2. [92*] Hebr. 2. [93] II Cor. 1. [94] Psal. 109. [95] Psal. 3. [96] II Tim. 2. [97] Job 22. [98] Psal. 58. [99] II Tim. 4. [100] Eccli. 48. [1] Vulg. *Vado*. [2] Joan. 14. [3] Joan. 12.

matione sanctorum virtutis perfectissimæ diem clausit, sicut apud Salomonem scriptum est: *Justorum semita quasi lux splendescens procedit et crescit usque ad perfectum diem* [4]. Mors principis multos excitavit ad lacrymas, sed nullam hic video materiam lacrymarum. Mors illa, per quam *mirificavit Dominus sanctum suum* [5], non mors, sed dormitio est, portus mortis et porta vitæ. Vocatus est in cœlum, quo mundus non erat dignus; nec exstincta est hæc lucerna, sed flatu transitorio percussa est, ut jam exstingui non possit, et ut illuminata cœlitus luceat omnibus qui in domo sunt. *Desiderium cordis ejus tribuisti ei*, Domine, *et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* [6]. Gaudeamus ergo, fratres, nam et ipse gaudet et tripudiat introductus in gaudium Domini sui.

DE EODEM.

Illi etiam gloriosi milites et socii passionum *ibant gaudentes a conspectu concilii; quia digni habiti sunt pro Christi nomine* mortem *pati* [7]; juxta consilium Sapientis: *melius* videbatur iis *ire ad domum luctus quam ad domum convivii* [8]; hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt, ideoque gaudebant sicut Apostolus loquens ad Hebræos dicit: *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* [9], sciunt quod si domus eorum terrestris hujus habitationis dissolvitur, ædificationem ex Deo habent, domum non manufactam, in cœlis æternam [9*], sciunt quod, inquit, temporalis brevissimus somnus est. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* [10]! tunc *mansueti hæreditabunt terram et delectabuntur in multitudine pacis* [10*]. Sicut enim complantati sunt similitudine mortis Christi, sic et resurrectionis, erunt regenerati in spem vitæ et resurgentes in gloria filiorum Dei: *Fulgebunt* enim *justi sicut sol* [11] in conspectu Dei, cum reformaverit Christus *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* [12], ut *qui splendor* est *et figura substantiæ* Dei [13], non dedignetur filios adoptionis suæ imagini conformari, sicut beatus Joannes in Epistola sua loquens: *Nunc*, inquit, *filii Dei sumus, sed nondum* apparet *quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit similes ei erimus* [14]. Venerant ad locum martyrii, corpora suppliciis gratanter exponunt: *væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis* [15]! non sufficit ministris Satanæ amputare capita martyrum, sed ensibus effodiunt oculos et rimant gladiis interiores latebras animarum. In corpora enim desævire potest inhumana crudelitas. Porro *justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum* malitiæ [15*]. Consummati ergo in brevi expleverunt tempora multa [16]. O quam *pretiosa* est *in conspectu Domini mors sanctorum ejus* [16*], vere pretiosa; isto enim pretio hi empti sunt de terra; isto pretio datur ei possessio gloriæ, regnum cœli, corona immarcescibilis et pax vitæ. *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* [17]: nec ergo pro istis mihi videtur esse lugendum. Suos enim in gaudia luctus verterunt [18]; *absterget Dominus lacrymas ab oculis eorum, et jam non erit luctus, neque ullus dolor*, quoniam priora transierunt [19]; momordit sed non deglutivit mors improba viros Dei; visa est vicisse et absorbuisse eos, sed *absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua* [20]? certe ille qui habet vitæ et mortis imperium, tuam itaque mortificabit potestatem, ut jam efficiaris vitæ causa et introitus ad salutem.

TRANSITUS AD ALIA.

Hi præfati martyres ita glorificaverunt Dominum in corpore suo et acceperunt *calicem salutaris. Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit* nobis [21]? Eadem imagine insigniti sumus, eodem sanguine redempti, iisdem sacramentis initiati, nec tamen pro Christo possumus aut volumus quidquid pati. Dicet aliquis: « Libenter pro Christo paterer, si occasio se offerret. » Novit Dominus figmentum nostrum [21*]; namque delectus, quem exhibemus in minimis, manifeste declarat quid ageremus in magnis.

[4] Prov. 4. [5] Psal. 4. [6] Psal. 20. [7] Act. 6. [8] Eccle. 7. [9] Hebr. 12. [9*] II Cor. 5. [10] Psal. 126. [10*] Psal. 36. [11] Matth. 13. [12] Phil. 3. [13] Hebr. 1. [14] I Joan 3. [15] Isa. 1. [15*] Sap. 3. [16] Sap. 4. [16*] Psal. 115. [17] Sap. 3. [18] Jer. 31. [19] Apoc. 21. [20] I Cor. 15. [21] Psal. 115. [21*] Psal. 102. [22] Isa. 1. [23] Psal. 36. [24] Psal. 93.

DIALOGUS INTER REGEM HENRICUM II
ET ABBATEM BONÆVALLENSEM.

—

REX. *Filios enutrivi et exultavi, ipsi autem spreverunt me* [22]; *amici mei et proximi mei adversum me steterunt* [23], quosque domesticos ac familiares habueram, crudeles et impios inimicos et proditores inveni, Verumtamen *Deus ultionum, Dominus Deus* [24], ultionem mihi faciet de inimicis meis, eosque qui confusionem meam desiderant destruat et confundat. *Posuerunt* mihi *mala pro bonis, et odium pro dile-*

ctione mea ; constituat *super* eos Dominus angelum percussorem, *et diabolus stet a dextris* eorum: *cum* judicantur exeant condemnati, *dies* eorum *fiant pauci filiique* eorum *orphani et* uxores eorum viduæ *fiant, nati* eorum *in interitu, nec sit qui misereatur pupillis* eorum, *et pereat de terra memoria ipsorum* [25], fiant viæ eorum *tenebræ et* lubricæ, *et angelus Domini persequens eos* [26] : *erubescant et conturbentur in sæculum sæculi ; et confundantur et pereant* [27]: *veniat mors super illos et descendant in infernum viventes* [28] ubi *eorum ignis non* exstinguatur et *vermis eorum non moriatur* [29]. Deliciæ eorum convertantur in amaritudinem et dolorem, atque cum Dathan et Abiron, cum Cain et Juda proditore suam interminabiliter habeant portionem.

Abbas. Quid est hoc, prudentissime princeps ? quæ est hæc tuæ mentis turbatio, ut creaturæ Dei maledicas et maxime homini qui est Dei forma et imago Altissimi ? De his quæ ipse facit, nec te decet, nec te licet expetere ultionem. Mala quæ sustines Dominus facit. Si mihi non credis, crede Isaiæ qui dicit : Non est malum in civitate, quod non faciat Deus : et in eodem propheta : *Quis dedit Jacob in direptionem et Israel vastantibus? Nonne Dominus cui peccavimus* [30] ? Si te odit aut persequatur homo, judicium Dei est, nec hoc ab homine sed a Deo. Cum David egrederetur de Jerusalem propter percussionem filii sui Absalon, nudis pedibus atque in cinere et cilicio, maledicebat ei Semei, dicens : *Egredere, vir Belial, egredere vir sanguinum* [31]. Cumque Abisai frater Joab illum sic maledicentem regi vellet occidere prohibuit David dicens : Noli eum interficere, quia misit ipsum Dominus ad maledicendum mihi [32]. Si vis, o rex, esse imitator David, profitearis et dicas quia misit istos Dominus ad maledicendum mihi.

Rex. Si isti missi sunt ad maledicendum mihi, quare non sum missus ad maledicendum malefactoribus meis ? Si ego, non possum eis malefacere quantum volo, maledicam tamen quantum potero ; nam maledictio ipsa quodammodo species ultionis mihi est, et grata consolatio in adversis.

Abbas. Illustrissisme princeps, ex quo inimico tuo maledixisti, jam ipsum judicasti, jam accepisti de ipso ultionem, et sic abstulisti summo judici Deo, ne fiat tibi de tuo inimico judicium aut vindicta. Nonne melius sciebat et poterat te vindicare, qui malorum vindex est et omnium judex ? Ipse quoniam per prophetam dicit: *Mihi vindictam et ego retribuam* [33]. Fecisti quod ipse facere debuerat, quia sicut scriptum est : Non puniet Dominus bis in idipsum [33*]; non invenit in tuo inimico quid puniat, quia jam illum punisti, illum quem Deus punire debuerat. Deus enim judicata non punit, id est non judicat, et punita non punit. Si Christi judicium evadere volumus, nos et non alios judicemus. Si enim a nobis ipsis judicati sumus, jam judicium quasi justitia. Paulus namque apostolus ait : *Si nos ipsi judicaremus, non utique judicaremur* [34].

Rex. Legot in Vet eri Testamento duces, reges etiam et prophetas frequenter de hostibus suis gravissimam sumpsisse vindictam. Ut autem verbo Eliæ prophetæ utar : *Non sum melior quam patres mei* [35] ; Dominus ad Moysen dicit : *Maleficos non patieris vivere* [36], et, maledictus qui non impleverit verba legis hujus. Unde et sex tribus constitutæ sunt in uno monte ad maledicendum transgressoribus legis. Abrahæ quoque dictum est : *Quicunque maledixerit tibi, sit ille maledictus* [37]. Non legerentur ista in sacro eloquio nec scripta fuissent, nisi liceret maledicere aut malefacere inimicis.

Abbas. Attende, rex, quod non es de populo Judæorum aut discipulus Moysis, sed de populo acquisitionis, Christique discipulus et professor. Populus ille Judæorum duræ cervicis erat, sicut scriptum est. *Durus es tu et nimis ferrea cervix tua* [38] ; ideoque delectabatur in retributione malorum : exercebat itaque sine omni misericordia duritiam ultionis, auferentes *manum pro manu, dentem pro dente, oculum pro oculo* [39]. Propter hanc duritiam præcepit iis Dominus : *Diliges amicum tuum et odio habebis inimicum tuum* [40], Porro, licet mandata Veteris Testamenti id est legis, ad tutelam corporum pertinerent, salutem tamen animæ non habebant, quod per prophetam suum manifeste Dominus ostendit, dicens : *Dedi iis legem non bonam et præcepta non bona, quia mandata in quibus non vivant* [41] ; veniens itaque Dominus pius et misericors, sicut ipse dicit [42], judicari et non judicare, docet nos non solum inimicis et persecutoribus nostris veniam dare, sed inimicos diligere et pro ipsis orare. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* ; *orate pro calumniantibus vos et persequentibus vos* [43]*; misericordia enim superexaltat judicium, et qui misericordiam non* exercet [44], sine misericordia damnabitur in æternum.

Rex. Quidquid in evangelica vel in alia Scriptura invenias, illud in corde meo invenire non possum, ut persecutori meo benefaciam aut dilligam inimicum : hoc vitæ perfectioris est. Video quod agnus in agnum, columba in columbam quandoque irascitur, et percutiendo ille cornibus, illa pennis, suam sicut possunt profitentur iracundiam ; mihi autem non licebit irasci, cum iracundia sit quædam virtus animæ et potentia naturalis ? Non videtur illicitum quod mihi est a natura permissum : natura

[25] Psal. 108. [26] Psal. 34. [27] Psal. 82. [28] Psal. 54. [29] Isa. 66. [30] Isa. 42. [31] II Reg. 16. [32] Ibid. [33] Rom. 12. [33*] Nahum 1. [34] II Cor. 11. [35] III Reg. 19. [36] Exod. 22. [37] Gen. 27. [38] Isa. 48. [39] Deut. 19. [40] Matth. 5. [41] Ezech. 20. [42] Joan. 12. [43] Matth. 5. [44] Jac. 2.

sum filius iræ; quomodo ergo non irascar? Deus ipse irascitur, in quo, sicut scriptum est: *Non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* [45]. Quomodo ergo stabiliam cor meum, ut non irascar? maxime contra illos, quorum contra me sunt omnia opera, omnia verba, omnes cogitationes in malum, ut verbo Job viri prudentissimi et patientissimi utar: *Nec fortitudo mea fortitudo lapidum est, nec caro æn mea ea est ut illa sustineam* [46].

ABBAS. Sed hæc et consimilia te oportet sustinere per Christum, si non vis sustinere dolores interminabiles et intolerabiles in inferno. Expedit itaque ut vim facias cordi tuo, convertens odium in gratiam, inimicitias in amorem. Si hanc vim cordi tuo feceris pro amore Christi, per hanc vim cœleste regnum acquiris: *Regnum enim cœlorum vim patitur* [47]; Dominus in Evangelio dicit: *Dimittite* et dimittetur vobis, et *si non dimiseritis* aliis ex corde, *nec Pater* meus *cœlestis dimittet vobis* [48]; qui misericordiam non facit, sine misericordia peribit. Et iterum Dominus in Evangelio dicit: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* [49]; facias igitur misericordiam apud proximum, si vis invenire misecordiam apud Deum. Audi verbum aut potius Evangelium Salomnis: *Homo homini servat iram et a Deo quærit medelam; atque in hominem similem sibi non habet misericordiam* [50]; homo caro est, et reservat iram; quomodo ergo propitiationem petet a Deo? Audivisti Salomonem, et ecce plus quam Salomon hic. Christus enim, Creator et Salvator noster, ipse est qui dicit: *Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit, potum da illi* [51]; et in Evangelio [52], servus qui cum conservo suo noluit misereri, datus est tortoribus donec debitum persolveret universum; et in oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* [53]. Pactum et conventionem facimus cum Deo, et ita «nobis debita nostra et peccata dimittat, sicut non aliis condonamus et dimittimus inimicis et malefactoribus nostris,» tanquam falso et mendaciter loquentes, nos ipsos seducimus ac judicium damnationis æternæ scienter incurrimus. *Deus non irridetur* [54], et ipse est qui scrutatur occulta cordium, nec decipere nec decipi potest. Sicut te habebis erga inimicum tuum, ita se habebit erga te, qui in sanguine suo de servo et inimico fecit filium et amicum. Si vis pro malo reddere malum, Deum ad iracundiam provocas, et vereor ne ille, qui *terribilis est super filios hominum* [55], contra te et cogitet super te majus malum. Verbum equidem Salomonis est: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne forte videat Deus et avertat iram suam ab eo*, et convertat in caput tuum [56]. Scriptum est enim: *Qui lætatur in ruina alterius non erit impunitus* [57]. Alius enim lætabitur in ruina illius; ideo secura conscientia dicebat: *Si gavisus sum ad ruinam inimici mei et exsultavi eo quod malum invenisset eum* [58], etc., et David: *Si reddidi retribuentibus mihi* [59], etc.; vir prudens et sanctus tam graves imprecationes sive devotiones non faceret, si se mala pro malis retribuere cognosceret. Sane multos persecutores habuit; sed in omni iracundia sua a misericordia et mansuetudine non recessit. Ideoque hilari conscientiæ securitate cantabat: *Memento, Domine, David, et omnis* [60], etc.

REX. Utinam, Pater, retribuere possim inimicis meis juxta impetum et desiderium iræ meæ; irasci possum et plus quam volo, sed retributionm in mea non habeo potestate: ille qui omnia potest *retribuat abundanter facientibus mihi superbiam* [60*], et accipiat anima mea de illorum confusione lætitiam.

ABBAS. Illustrissime rex, proprium est hominis quandoque irasci, sed cavendum est ne ira convertatur in odium et peccatum, sicut scriptum est: *Irascimini, et nolite peccare* [61]. Prohibet autem Deus ne cadat *sol super iracundiam vestram* [62]: et, ut hoc simpliciter exponamus, induret ira nostra a mane usque ad vesperum. Habeamus itaque in omnibus patientiam: si quis offendit nos, personæ peccatum habeamus odio, non personam; hoc enim perfectorum odium sive perfectum, sicut scriptum est: *Perfecto odio oderam illos*, etc. [63]. Abjectis ergo maledictionibus reddamus maledicentibus et malefacientibus bona pro malis; habeamus exemplum in beato Stephano, qui pro persecutoribus suis oravit et obdormivit in Domino [63*]. Ille etiam, *qui docet hominem scientiam* [64], suo nos docet et informat exemplo, dum pro suis crucifixoribus orans: *Pater*, inquit, *dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* [65]. Si maledixerimus hominibus, maledictio convertetur in sinum nostrum, et ira quam habemus erga illum, qui Dei est imago, omnem nobis reddet iratum. Si quis pater multos haberet filios et aliquis illorum alium flagellaret in oculis patris, credo quod non irasceretur filio pater flagellato, sed potius flagellanti Cœlesti ergo Patri reservemus omne judicium, nec faciamus malum aut oremus malum malefactoribus nostris, ne nobis fiat oratio nostra in peccatum.

Qui alii maledicit, seipsum maledictione implicat, et involvit, et inimico suo per maledictionem divinæ fructum benedictionis acquirit. Dicit enim Dominus: *Maledicam benedictionibus vestris et benedicam maledictionibus* [66], ergo inimicum tuum melius adjuvare non potes, quam si ei maledicas:

[45] Jac. 1. [46] Job. 6. [47] Matth. 11. [48] Matth. 6. [49] Matth. 7. [50] Eccli. 28. [51] Rom. 12. [52] Matth. 18. [53] Matth. 6. [54] Gal. 6. [55] Psal. 65. [56] Prov. 24. [57] Prov. 17. [58] Job 31. [59] Psal. 7. [60] Psal. 131. [60*] Psal. 30. [61] Ephes. 4. [62] Ibid. [63] Psal. 138. [63*] Act. 7. [64] Psal. 93. [65] Luc. 23. [66] Mal. 2; Deut. 28.

non malum facias; sic enim facis ut misericordiam et benedictionem consequatur a Domino, et tu qui alii maledicis, solus subjaces maledictio; ideo Apostolus dicit: Maledicimus et benedicimus nemini, *malum pro malo reddentes; benedicite maledicentibus vos et nolite maledicere* [67].

Rex. Inimici mei quotidie contra me invalescunt [68], *et superbia eorum qui* me *oderunt ascendit semper* [69]. Quomodo ergo possum humiliare cor meum ad misericordiam, qui video inimicos meos contra me exaltari in iracundiam?

Abbas. Ille, quem tuum reputas inimicum, non uus sed suus inimicus est. In eo enim quod te odit, seipsum occidit; de hac occasione vel potius homicidio Joannes evangelista: *Qui odit fratem suum homicida est* [70]*;* dum te odit, seipsum mortificat, et te cum injuste persequitur, velit nolit, in Christo ivificat. Si ergo vis de inimico tuo consequi ultionem, totum committe Altissimo et confide in eo; ipse autem mala tua convertet in bonum, damna in lucrum, tristitiam in gaudium, tribulationes in pacem, molestias in delicias, dedecus in honorem.

Rex. Possem persecutoribus meis misereri ab tempus; sed in sua malitia perseverent, eorum sustinere injurais non possum, quia summa inertia cordisque pusillanimitas et defectus animi videretur; quia igitur a sua malitia non desistunt, ego ipsorum nequitiæ misereri non possum.

Abbas. Moveat te, quæso, ad misericordiam, egregie princeps, amor Christi, pietatis negotium, timor divini judicii et exempla veterum patrum. Moyses,cum eum vellet populus durus et lapideus lapidare [71], fugiens ad tabernaculum, stabat in contractione coram Deo, pro ipsis animam suam ponens, pravæ et perversæ generationi paternos impendebat affectus et maternæ gratiam pietatis. David Nabal viro stulto nequitiam suam benigne condonat [72]. Idem Sauli persecutori suo compatitur [73], et mortem sui mortalis inimici, scilicet Absalon, lamentatur [74]. Eliseus, a rege Samariæ quæsitus ad mortem, ipsum et populum et ejus a morte liberavit [74*]. Joseph etiam a fratribus suis venditus eosdem benigne recipit et honorat [75]; si velis habere cum humilitate patientiam, in humilitate vinces ommes adversarios tuos et in patientia, tua possidebis animam tuam [76].

Rex. Cum hanc patientiam et humilitatem in corde meo, sicut dictum est, invenire non possim, loqueris et laboras in vanum, nisi velis ostendere quibus modis virtutes illas obtinere debeam et servare.

Abbas. Amice et domine reverende, si patientiam et humilitatem habere desideras, recogita quam immundum et vile sit, unde homo concipitur, in

A quanto dolore parturitur a matre, et in quantis miseriis et immunditiis nascitur et nutritur, quam brevis est vita ejus, quantis doloribus et laboribus ducitur, quantis insidiis et periculis subjicitur, quam sit horribilis finis ejus! Consideranter attende terribilem judicii diem, horrendum tribunal iratum Judicem, ardentem fluvium, vermes qui non moriuntur, flammas inexstinguibiles, fetorem mortificantem, stridorem dentium, umbram mortis et dolorem cui non est similis aut æqualis, quæ omnia, etsi præsentia non sunt, scias tamen procul dubio quod non tardabunt. Praterea plurimum prodest devota oratio ut homini a Domino Deo concedatur humilitas et patientiæ fortitudo,

Rex. Quare de oratione loqueris, Pater? Nonne B vides occupationes et sollicitudines meas tam importabiles ut vix Domino *Pater noster* possim in missa dicere; vix una hora dici aut noctis valeam respirare?

Abbas. Has occupationes tibi, rex, tu ipse facis, qui pacem et quietem animæ tranquillissimam habere poteras, teque infinitis commotionibus atque turbationibus implicas et involvis: millia hominum assidue te sequuntur, quorum negotia audivisti et omnia deferuntum, in futurum, quæ tamen brevi de liberatione poterant expediri.

Rex. Illi soli, sicut existimo. Pater, me sequuntur, quorum petitiones injustæ sunt qui, quia de suo jure desperant, curiam sequuntur ut improbitate sua et importunitate me vincant.

Abbas. Noli, optime princeps, teipsum fallere, C noli rationes prætendere inutiles *ad excusandas excusationes in peccatis* [76*]. *Deus* enim *non irridetur* [77]. Scimus quod velox et strenuus in negotiis tuis, tardus autem in negotiis alienis; multorum magna tamen consuetudo, quasi quædam altera natura est in plenitudine curiæ suæ et in magna frequentia gloriari. Quid de talibus sacra et Scriptura terribiliter et quasi in modum tonitrui dicat, patienter, quæso, et libenter attende. *O vos qui placetis vobis in turbis, data est vobis potestas a Deo, qui interrogabit opera et cogitationes vestras; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis neque secundum Dei voluntatem ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui præsunt* [77*]; exiguæ D enim conceditur misericordia et fortioribus instat fortior cruciatus.

Rex. Scriptura hæc horrenda et terribilis est principibus universis; verum secura conscientia dicere possum, voluntatem atque desiderium meum semper esse ut sim in solitudine et in paucitate potius quam in multitudine. Sed non est datum mihi desuper ut possim quandoque secretius vivere, et unius brevissimi momenti gaudere tranquillitate

[67] Rom. 12. [68] Thren. 1. [69] Psal. 73. [70] I Joan. 3. [71] Exod. 17. [72] I Reg. 25. [73] I Reg. 24. [74] II Reg. 19. [74*] IV Reg. 6. [75] Gen. 45. [76] Luc. 21. [76*] Psal. 140. [77] Ephes. 4. [77*] Sap. 6.

Etiam in missa non solum laici sed etiam clerici viri et reliogiosi me sollicitant, et quasi abjecta reverentia summi sacrementi, suas mihi petitiones non cessant offerre.

ABBAS. Vide, charissime mi rex, ne hanc consuetudinem tu ipse induxeris; quam quidem facile poteris amovere, si in ea tuam conscientiam læsam sentis; periculosum enim nimis est, ut ea hora, qua Dei Filius ante oculos immolatur, homines avertantur ab oratione vanisque fabulationibus occupentur. Scimus quod si aliquis præpotens princeps aliquos invitasset ad mensas molestissime ferret, si cibum ejus convivæ despicerent.

REX. Ego, si consulitis, Pater, petitiones omnium differam, et quandiu in ecclesia sum, nullius preces exaudiam.

ABBAS. Salva missæ et horarum diei reverentia, non minus in ecclesia quam in camera potes fratrum necessitates audire, et ubi misericordiam postulas, ibi aliis misericordiam exhibere; sane sive aliquis decus aliquid postulat, sive sua sibi restitui exigat, sive justitiam exhiberi sibi petat præcipias. In omnibus his debitor es omnibus, nec sine periculo animæ tuæ talia differuntur. Ab vindictam malefoctorum, laudem vero bonorum, gladium justitiæ accepisti. Si ergo justitia petitur, eam gratis et sine pretio facias, nec præcellentissimum officium tuum permittas aliqua venalitate corrumpi. Si necessitas pauperum et religiosorum petit sibi porrigi manum misericordiæ ac munificentiæ tuæ, non differas; verbum Salomonis est: *Ne dicas amico tuo; vade et revertere cras, cum statim possis dare* [78], nescis enim quid ventura pariat dies; nescis utrum dilationem et moram possit eorum necessitas sustinere. Hodie vivis et nescis si in crastino vivas. *Rex hodie est et cras morietur, cum autem mortuus fuerit, hæreditabit serpentes et vermes* [79]. Rex, rex, istos hæredes habiturus es, quia de carne tua nascentur. Illi autem qui jam de carne tua nati sunt, si te vivum non diligunt, quomodo mortuum diligent? Ecce habes filios et hæredes pro quibus animam destrinxisti et carnem mortificasti; non magis proderunt animæ tuæ quam profuerunt carni tuæ: quidquid in iis posuisti vanitas est, mendacium est carnale, est transitorium, est perditum, nil de Deo ibi est. Si vis hæredes habere, fac tibi hæredes pauperes Christi, nam, deficientibus filiis, tuis, pauperes *stabunt in magna constantia adversus eos qui te angustiaverunt* [79*]. Si filii tui pro hæreditate terrena et momentanea te affligunt, pauperes te regni cœlestis hæredem facient esse. Nam testimonio Christi: *Ipsorum est regnum cœlorum* [80].

REX. Filios meos exhæredare non valeo, nec volo, nec debeo; quamvis enim decreta et leges

A repellant eos ab hæreditate paterna, qui contra patres suos arma moverunt, nolo tamen filios meos ab hæreditate repellere; etsi exhæredare eos possem, cor meum hanc duritiam non posset sustinere.

ABBAS. De filiorum tuorum hæreditate loqueris: quare nullam facis de hæreditate pauperum mentionem?

REX. Propositum ac desiderium meum est, maximam mearum rerum partem ponere ad liberationem terræ illius in qua steterunt pedes Domini, in qua nos nascendo et moriendo redemit, partem pauperibus distribuere, residuum vero in usus orphanorum et aliorum egenorum misericorditer erogare.

B ABBAS. Potentissime rex, sustine patienter quæ tibi dicturus sum. Ubi de salute animæ tuæ igitur, ut parcam regiæ potestati, fecit te de nihilo factor omnium Deus. Si placuisset ei, genuisset et pater tuus ex ancilla vili et humili, nec esse hodie inter reges, nudus egressus eo de utero matris tuæ [80*]; omnia quæ habes commendavit tibi Deus. Si non potes reddere quantum debes, redde quantum potes, vide ne mundus avertat te a Christo. Legitur de quodam viro magno quod, cum laboraret in extremis et monerent amici ejus ut bona sua largirentur egenis, obsessus tam maligno spiritu quam morbo respondit: « Libenter hæc fecerem, sed domina avaritia non permittit. »

REX. Quanta ecclesiis fecerim noverit Deus, nec
C me ita dure argueres, si novisses quantum honor Ecclesiæ temporibus meis crevit.

ABBAS. Scio quod magnifice et munifice dedisti ecclesiis et ecclesiasticis viris, et eleemosynas tuas enarrat omnis Ecclesia sanctorum. Sed attendit Dominus non quantum, sed ex quanto detur; non ubi sed unde: nam si spolias unum altre, ut alterum tegas; si uni pauperi auferas, ut alii conferas, testimonio Scripturæ non acceptat Deus sacrificium de rapina [81]; rapina namque, imo sacrilegium est, quidquid in rebus ecclesiasticis potestas civilis usurpat.

REX. Quid si Romana Ecclesia antecessoribus meis et mihi dedit ac privilegiavit magnam in rebus ecclesiasticis potestatem? Debemus eam per omnia sequi; mater magistra nostra est, nec tibi absurdum videri debet, si velim privilegiis, ejus uti.

D ABBAS. Scriptum est non quid Romæ fiat, sed quid Romæ fieri debeat considerandum est; ideoque, prudentissime rex, diligenter attende quid deceat, non quid liceat; quid ad interminabilem salutem et gloriam ineffabilem, non quid ad falsam et transitoriam dignitatem pertineat: multa privilegia possunt emi; porro unum necessarium quod non potest auferri [81*]. Summum privilegium est libertatem filiorum Dei obtinere et per regnum temporale

[78] Prov. 3. [79] Eccli. 10. [79*] Sap. 5. [80] Matth. 5. [80*] Eccle. 5. [81] Isa. 61. [81*] Luc. 10.

miseriis et doloribus plenum acquirere regnum cœlorum, cujus gloria non deficit, cujus honor non interrumpitur, cujus beatitudo non transit. Quid est gloriosius aut desiderabilius in hoc mundo quam regnare et exercere super alios potestatem. Tu vero per experientiam didicisti quod temporalis regni felicitas, in quo plus metuit qui plus potest, plus indiget qui plus habet, nunquam quiescit qui pro omni quiete laborat, omnibus servit, qui omnibus dominatûr, utrum dicta vera tu noveris.

REX. Novi ego, novi, nec possem aut corde cogitare aut voce proferre quantum laboraverim pro populo meo, et hanc retributionem mihi facit Dominus quod nec in populo meo fidem, nec in filiis meis amorem invenio.

ABBAS. Rex, attende, quæso, et recogita quanta in magnis necessitatibus fecerit Deus tibi : vidi cum necessitates gravissimas [82], et credo quod precibus populi tui liberavit te Deus, ex gratia et misericordia Dei semel adeptus es, potes reputare miserrimum si eam elongas a te, si ipsam non custodis et retines in futurum.

REX. Multoties expertus sum et in orationibus et necessitatibus meis quod habeam gratiam Dei, sed nunquam novi retinere aut servare habitam, et qualiter hoc possem facere, Pater, a tua sanctitate libenter audirem.

ABBAS. Duo sunt quorum alterum acquirit gratiam, alterum retinet acquisitam, pura confessio oris et operis satisfactio : cum enim peccator accedit ad sacerdotem vicarium Dei, et affundit cor suum quasi aquam in conspectu Altissimi, quasi ovis ante pastorem, quasi ægrotus ante medicum, quasi reus ante judicem, ex quo accusare et per confessionem damnare se incipit, judex omnium peccatorem seipsum judicantem in gratiam suam recipit, amplectitur, osculatur et annulo suæ charitatis insignit : hic est enim filius ille prodigus, qui portionem suam vivendo sumptuose consumpserat, cumque de siliquis porcorum quarum copiam habere non poterat, rediret ad patrem, vides quod a longe pater cucurrit ad filium et amplexatus est eum et cecidit super caput ejus [82*]. Quid putas cogitabat miser famelicus ille filius, dum nudus et afflictus tam pia circa se sentiebat viscera paternæ dulcedinis ? hanc dulcedinem experiuntur omnes qui in vera cordis contritione ad Patrem misericordiæ revertuntur. Quidam tamen sunt qui erubescunt confiteri peccata sua ; quos Dominus erubescet in regno suo : timent fortasse ne sacerdotes detegant eorum iniquitates, aut ne ipsos in cordibus suis propter confessionem reputent viliores. Sane ibi *trepidaverunt ubi non erat timor* [83], secreta sua garrulis et infidelibus tota die committunt, et illos quos ordo, quos sacramentum facit Christi vicarios, erubescunt. Hæc erubescentia non sanat sed inqui-

A nat, non justificat sed condemnat. Jus justificari habes hoc in potestate tua : dic tu iniquitates tuas ut justificeris. Verbum prophetæ est : *Dixi : Confitebor* [83*] et remisisti.

REX. Video quandoque aliquem facere confessionem et pœnitentiam recipere ; postea vero gravius labitur et fuerunt *novissima hominis illius pejora prioribus* [84].

ABBAS. Fili, in isto et consimilibus deprehendere potes falsam confessionem et pœnitentiam simulatam ; ut autem plenius intelligas de bono fructu pœnitentiæ, meis, quæso, sermonibus, non solum aures corporis sed auditum cordis appone.

REX. Libenter audio et licet magna atque ardua negotia me exspectent, ergo tamen admonitionibus

B tuis postponam.

ABBAS. Novisti, rex egregie, quod nos omnes in primis parentibus fuimus vulnerati : vulnera illa in baptismo sanata sunt, sed per insipientiam nostram cicatrices vulnerum illorum renovaverunt, superveniente putredine et corruptione peccati. Sicut David propheta dicit : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* [84*]. Prima medicina fuit baptismus, secunda est pœnitentia. De hac medicina dicit Salomon : Medicinam cavit Deus hominibus et stulti despiciunt eam ; medicina baptismi lenissima est, quia non exigit gemitum neque planctum. Baptismus enim est quasi quædam pannorum levis ablutio. Sicut autem ferri rubigo nonnisi cum igne et cum quadam malleatione deducitur, ita grave peccatum nonnisi gravi pœniten-

C tia aboletur, violatio vero pœnitentiæ talis est ac si crus vel aliud membrorum prius fractum consolidetur, et ideo periculosius iterum frangitur secundo aut tertio quod prius fuit renovatum.

REX. Multi homines hujus temporis et maxime milites agere pœnitentiam erubescunt coram aliis ; quibusdam enim videtur quod hoc ex quadam hypocrisi aut ex cordis defectu et pusillanimitate procedat.

ABBAS. Heu mihi ! quam perniciosa et pessima est illis hæc erubescentia, per quam amittitur et destruitur animæ medicina ! Summa est insania non erubescere de vulneribus et erubescere de vulnerum ligatura ; vulnera nostra sunt sermones otiosi, detractores, verba dolosa, falsa promissa, perjuria,

D maledicta, ira, invidia, odium, cupiditas, gulositas, avaritia, luxuria, superbia ; vulnera etiam nostra sunt quod bonos viros offendimus, quod aliquando potentes a nobis graviter exasperamus, quod justitiam vendimus et calumniatores recipimus et oppressores pauperum sustinemus, quod injustas preces frequenter audimus, quod nec ordinem ecclesiasticum nec religiosorum vitam debita et condigna reverentia honoramus, quod testamenta morientium, quod jura viventium, quod matrimonia virginum

[82] *Deest aliquid.* [82*] Psal. 13. [83] Luc. 15. [83*] Psal. 31. [84] Matth. 12. [84*] Psal. 37.

impendimus, quod desideramus mortem hominum, A quod inter amicos seminamus discordias, quod res ecclesiasticas vel alio modo illicitas usurpamus; apponatur ergo medicina vulneribus nostris, ne, si putrescere permittantur, ea cum dolore maximo vel comburi oporteat vel incidi.

REX. Multi peccatorum suorum vulnera celant, vel propter erubescentiam, vel propter negligentiam, vel propter occupationes quotidianas, donec tempus habeant ad hoc liberum, sed periculum necessitatis gravissime incurrunt.

ABBAS. Scias, amantissime princeps, quod periculosissimum est pœnitentiæ dilatio. Multi credebant se diu victuros, quos mors repentina subtraxit. Qualiter differt homo pœnitere, qui non unum diem, imo unam horam brevissimam habet in pro- B pria potestate? Quidam exspectant ad pœnitendum tempora senectutis; quæ gratia iis debetur si tunc peccare desinunt, cum peccare non possunt? Si servus tuus toto tempore juventutis suæ tuo inimico serviret, fractus a senio tandem veniret ad te, nunquid ejus obsequium bona voluntate reciperes? vis facere Domino Deo tuo quod tibi fieri non permittis a servo? Vidi aliquos qui toto corde pœnitere volentes, suam tamen agere pœnitentiam distulerunt et apoplexia vel alia subitatione percussi sine pœnitentia discesserunt. Summus enim Judex sæpe permittit ut moriens homo sæpe obliviscatur sui, qui unius oblitus est Dei, et qui pœnitentiam non vult agere quando potest, quando vult agere, ira Dei superveniente non poteste. Ideo divinum judi- C cium, quæso, nullus exspectet, sed attendat illud verbum Sapientis qui dicit: *Memento quod mors non tardat* [85].

REX. Peccavi, Pater clementissime, supra modum; tota enim militum vita in peccato est, et habita ratione temporis peccatorum et pœnitentiæ, nisi misericors Dominus me respiciat, digne pœnitere non possum.

ABBAS. Rex illustris, attende quia Christus Filius Dei, patiens in cruce, peccata nostra manibus suis cruci affixit. Ideo nemo desperet quod peccata illius non deleat per pœnitentiam Dominus; benignus enim est ut peccatorum veniam dare velit, optandum est ut possit. Achab adeo impius erat ut de ipso dicat sacra Scriptura quod *venundatus erat ut faceret malum contra Dominum* [86]. Sed ex quo D humilitatem pœnitentiæ se convertit, statim sermo Domini factus est ad Eliam dicens: Quod *humiliatus est* Achad in conspectu meo, *non inducam malum in diebus illius* [87]. Manasses, qui totam Jerusalem, testimonio sacræ Scripturæ, sacrilegio et iniquitate repleverat, postea, in captivitatem ductus et adversitate purgatus, inter Dei amicos non minimus reputatur. Exemplum pœnitentiæ habes David, habes publicanum, habes Chananæam et Saulum, habes illam nominatissimam peccatricem quæ, quam cito audivit quod venisset summus animæ medicus Christus Jesus, non exspectavit ut vocaretur, sed sicut impudens fuerat ad peccatum, ita frontuose et fiducialiter acceleravit et accessit ad medicum.

REX. Reverentissime Pater, multoties pœnitentiam corde contrito et humiliatio suscepi, nullam tamen pœnitentiam a Deo plane et integre, sicut mihi fuerat injuncta, servavi.

ABBAS. Rex in Christo charissime mi, verra pœnitentia est commissa flere et flenda iterum non committere; non enim pœnitere, sed irridere est dimittere ad tempus peccatum suum et recidere in idipsum. Sacra enim Scriptura dicit: Qui baptizatur pro mortuo [88], et iterum contingit eum, quid prodest illi sanatio? testimonio Petri apostoli: *Canis reversus ad vomitum et sus lota in volutabrum luti* [89] peccatori qui revertitur ad peccatum verbum Salomonis est: *Fili, peccasti, non adjicias iterum; sed de pristinis deprecare, ut tibi remittantur* [90] ideo, Dominus in Evangelio dicit. *Ecce sanus factus es; noli amplius peccare, ne deterius contingat tibi* [91].

REX. Nonne via Jerosolymitana posset vere confessis et pœnitentibus pro omni satisfactione proficere ab salutem?

ABBAS. Posset utique, et hæc erat præcipue spes mea in Christo, ut in labore hujus viæ Deo satisfacerent, qui alio modo facere negligebant. Sed, peccatis nostris exigentibus, derelicta est via Domini quæ ducebat ad vitam: video homines ambulantes in via diaboli, festinantes ad mortem; crux, quæ nos redemit, capta est, et non est qui eam redimat. Sepulcrum et templum atque cætera loca, quæ Dominus sua corporali præsentia consecravit, tenentur et profanantur ab impiis; unde et verba mea dolore sunt plena. Mitte ergo me, benignissime rex, ut plangam paululum dolorem meum. Ego vero, ut possim singultuosi doloris angustias explicare liberius, verba prophetæ Lamentatoris assumam.

Explicit Dialogus magistri Petri Blesensis, Bathoniensis archidiaconi, inter regem Henricum secundum et abbatem Bonævallensem.

[85] Eccli. 14. [86] III Reg. 21. [87] Ibid. [88] I Cor. 15. [89] II Petr. 2. [90] Eccli. 21. [91] Joan. 5.

DE DUODECIM UTILITATIBUS TRIBULATIONIS.

Ordo et modus docendi, de quo tribulationes deserviunt, est, ut eas non solum patienter, sed etiam libenter sustineas, et consoleris interius ex eo quod exterius desolaris. Nam, ut ait Seneca, « non est major consolatio, quam quæ ex desolatione trahitur. » Quam consolationem nemo potest habere, nisi prius noverit effectum tribulationis ; qualiter scilicet Deus, qui tribulationes immittit, eas ordinat ad profectum et utilitatem sustinentium, nisi ex perversitate rebellionis se ordinationi Creatoris opponant. Illi ergo qui defectus suos ex parte una cognoscunt, et utilitatem tribulationis ex altera considerantes, in firmo proposito a Deo in tribulatione petunt, ut a se tribulationes exstirpet, contra seipsos fortassis petunt, sicut Paulus, qui petiit carnis stimulum amoveri. Cui responsum est a Deo : *Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur* [92]. Sunt autem multi fructus tribulationum ; sed ad præsens de duodecim tangemus, in quibus etiam multi alii continentur, quos de facili intelliget qui tractatum istum diligenter legerit, vel audiverit plus attente. Nam, sicut cibus male masticatus de difficili digeritur, et parum prodest, sic doctrina sacræ Scripturæ sine attentione lecta cursorie vel audita.

PRIMA utilitas quem facit tribulatio in hoc attenditur, quod tribulatio est fidelis succursus a Domino missus ad eripiendum animam de manibus inimicorum omnium ejus. Isti autem inimici sunt, falsa gaudia et deceptoria hujus mundi prosperitas, quæ cor indisciplinatum tanto plus periculose seducunt, quanto magis dulciter blandiuntur. Isti autem sunt inimici, a quibus secundum vulgare proverbium dicitur : « Stultus non timet hos. » Qui tanto plus timendi sunt quanto blandius alliciunt, decipiuntque in fine. Isti sunt inimici, qui blandiendo occidunt, et occidendo blandiuntur. Qui significantur per Joab, qui tenens mentum Amasæ, ac si vellet osculari, interfecit ipsum [93]. Unde dicit Gregorius : « Etsi omnis fortuna timenda est, magis tamen timenda est prospera quam adversa. » Quod manifeste apparet, eo quod inimicus, qui occulte impugnat, magis timendus est quam qui aperte. Et nota quod iste tribulationis succursus non solum a Deo mittitur, sed exercitus ejus dux et marescallus est ipse Deus, ipsam ordinans ad liberationem amicorum suorum. Unde promittit per David prophetam Deus : *Cum ipso sum in tribulatione* [94], id est tribulatus et tentatus. Et sequitur : *Eripiam eum et glorificabo eum* [95].

A Cum ergo nobiscum Deus sit in tribulatione, patienter et libenter sustinenda est, quia secundum quod tribulatio plus gravat, secundum hoc Deus tribulato magis appropinquat. Unde dicit Psalmista : *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde* [96]. Ergo dum præsentia tribulationis te molestat, præsentia Salvatoris, qui tecum in tribulatione consistit, solatium interius tibi præstat. Sed forte dicit, præsentes tribulationes bene sentio, sed societatem Dei in tribulatione mea non sentio. Nam si dulcedinem suæ præsentiæ ita manifestaret, sicut amaritudinem tribulationis manifestat, patienter et hilariter tribulationem sustinerem. Et addis forsan, quod ante tribulationem magis sentiebas Dei dulcedinem, quam in tribulatione positus. Ad hoc responderi B potest dicendo, quod præsentia Dei in tribulatione dupliciter potest attendi, vel intelligi, ut jam patet : primo in collatione virtutis et gratiæ ; quia, sicut augetur tribulatio, ita Deus virtutem et gratiam multiplicat, secundum Apostolum dicentem : *Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari ultra id quod potestis, sed faciet, cum tentatione provendum, ut possitis sustinere* [97], id est augmentum gratiæ dabit et virtutem sustinendi tribulationem patienter. Sicut enim obsessis in castris solent domini castrorum garnitionem et succursum mittere ; sic Deus animæ tribulatæ augmentum gratiæ solet infundere. Secundo, præsentia Dei in tribulatione potest attendi seu intelligi in collatione consolationis internæ, quam tribulato infundit. Unde dicit Apostolus : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita* C *abundat per Christum consolatio* [98]. Passiones Christi abundare in nobis dicuntur, quia ab ipso immissæ, et ideo pro peccato debent patienter sustineri, et ad similitudinem Christi, et hoc sine culpa, ut non patiamur sicut fur vel homicida, qui quod patiuntur bene meruerunt. Sed nota quod augmentum gratiæ, quod confertur in tribulatione, non datur semper sentiri a tribulato, quod fit ad ejus probationem, timorem et liberationem. Præterea consolatio non debet venire, donec locus sit ei paratus, quem parat tribulatio, juxta illud : *Post tempestatem tranquillum facis, et post lamentationem et fletum exsultationem infundis* [99]. Unde David : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* [100]. D Consolationes autem unius horæ excedunt tribulationes multorum annorum. Nam ipse Deus, qui prius venit ad succurrendum tibi, post tribulatio-

[92] II Cor. 12. [93] II Reg. 20. [94] Psal. 90. [95] Ibid. [96] Psal. 33. [97] I Cor. 10. [98] II Cor. 1. [99] Tob. 3. [100] Psal. 93.

nem tecum remanebit confortans te, sicut dicit Bernardus. Et si forte conquereris, dicens, quia nimis tardat ista consolatio, sicut conqueruntur amatores, huic respondet Cassiodorus dicens, quia ipsa velocitas cordi consideranti et amanti videtur tarditas. Quod si quæris de justis qui nunquam mortale peccatum habuerunt, quomodo dicitur, quod de manibus inimicorum suorum liberati sunt, ad hoc potest dici quod, licet boni in manus inimicorum non ceciderunt per consensum peccati mortalis, tamen potuerunt cecidisse; sed, Deo auxiliante, non ceciderunt, et manus eorum evaserunt. Quod Augustinus tangit loquens de justo, quem Deus a peccato conservavit : « Et te, inquit, ne in peccatum rueres, tenuit. » Ex prædictis concludi potest, quod anima tribulata non debet se reputare impugnatam, quando patitur tribulationes, sed liberatam et ereptam de mundi prosperitate decipiente et de carnali consolatione desolante. Ex quo igitur tribulationes ab inimicis animam liberant, licet aliquando sunt onerosæ, tamen hilariter sunt pro Domino sustinendæ et sine murmure ; quia, si per murmurationes homo contra tribulationes efferatur, tunc adjutores suos impugnat et suos adjuvat inimicos.

Secunda utilitas tribulationis est, quod obstruit os diaboli, ne animam in tribulatione existentem alloqui audeat, eam tentando. Timet enim repelli et vinci. Quod figuratur in Job [1], ubi dicitur quod *nemo loquebatur ei verbum : videbant enim dolorem ejus esse vehementem*. Loquitur ibi Scriptura de fictis amicis Job, qui significant dæmones animam impugnantes, qui non audent animæ tribulatæ appropinquare, visa ejus gratia ut tribulatione ; timent enim a tali anima vinci. Sed nota quod diaboli tentatio non est homini periculosa vel nociva, nisi per sequentem responsionem, hoc est per delectationem et consensum : Sicut allocutio excommunicati non nocet tibi, nisi ei respondeas. Quod significatum est in Isaia [2], ubi dicitur quod Ezechias mandavit populo quod non responderent blasphemiis Rapsacis principis exercitus regis Assyriorum. Per Rapsacen intelligitur diabolus, et per ejus blasphemias significantur cogitationes malæ quas suggerit, sed non nocent, si non respondetur eis per delectationem vel consensum. Nam, quamvis pravæ suggestiones et contumeliosa verba illata homini multum affligant cor ejus ; tamen non nocent nec maculant id, quandiu eis non respondetur, ut dictum est ; sed econtrario homini talia inferentes multum cruciantur, quando vident eos quos blasphemant nil penitus respondere.

Tertia utilitas tribulationis est, quod animam tribulatam purgat. Pro quo sciendum est quod sunt quinque species purgationis materialis. Prima est, purgatio corporis humani, quæ fit dupliciter, potione et minutione. Secunda est metallorum, ut igne purgatur aurum et lima ferrum. Tertia purgatio est arborum, quæ fit amputatione ramorum vel fossatione surculorum. Quarta est granorum, quæ fit per flagellum. Quinta purgatio est vindemiæ vel vini, quæ fit per torcular. Omnibus his modis purgat tribulatio. Primo igitur purgatur corpus humanum potione. Quando ergo tribulatio te apprehendet, cogita medicinam tibi missam a Domino, ad te purgandum a superfluo humore et inordinata affectione. Nam, sicut amara potione purgantur mali humores, sic per tribulationes purgantur animæ mali mores. Quia secundum Gregorium : « Mali mores sunt mali humores. » Suscipe igitur cum humilitate medicinam tibi a Domino missam, qui est summus medicus cognoscens intimam complexionem cordis tui, quia scit quantum potes sustinere, et nihil tibi dabit nisi quod utile tibi fuerit. Bibit enim ipse Filius Dei mortis tribulationem, non pro sua, sed pro salute et purgatione tua. Unde dicitur : *Bibite, amici mei, et inebriamini charissimi* [3]. Et de filiis Zebedæi dictum est : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum* [4]*?* Hic est potus salutaris, quem cum gratiarum actione recipiebat Dominus dicens : *Calicem salutaris accipiam* [5]. Et si propter amaritudinem tibi difficile videatur illum transglutire, invoca Dominum in auxilium, sicut dicit David ; unde sequitur : *Et nomen Domini invocabo* [6]. Et nota quod, sicut medicina corporalis non debet degustari, nec per linguam diu teneri, sed cito deglutiri, sic nec tribulatio debet a cursu rebellionis retardari ; sed, sicut effectus medicinæ aliquando impeditur non ex defectu sui, sed ex mala dispositione recipientis, sic effectus tribulationis impeditur ex mala dispositione duri cordis et animi pertinacitate rebellis. Sicut patet in Pharaone, qui quanto plus affligebatur, tanto durius cor ejus efficiebatur [7]. Unde dicit Salomon : *Cor durum male habebit in novissimis* [8].

Secundo, purgatur corpus humanum minutione, et hoc dupliciter, videlicet venæ apertione et phlebotomia. Venæ apertio confessioni comparatur, phlebotomia tribulationi. Et nota quod, sicut superfluus sanguis corporalis venas et vesiculas cordis corrumpit, sic peccatum, quod in Scriptura vocatur sanguis, animam corrumpit et maculat. Vena per quam sanguis ipse ejicitur, scilicet peccatum, est os. Unde Proverbiorum Liber : *Vena vitæ* est *os justi* [9] ; quia *justus* in principio *est accusator sui* [10], scilicet in confessione. Et nota quod, sicut in minutione debet homo emittere malum sanguinem et retinere bonum ad cordis sui nutrimentum, sic in confessione debet homo dicere peccata sua, ut ejiciantur, et bona quæ fecerit, tacere, ne amittantur. Bona enim in confessione dicta amittuntur per jactantiam et va-

[1] Cap. 2. [2] Cap. 37. [3] Cant. 5. [4] Matth. 20. [5] Psal. 115. [6] Ibid. [7] Exod. 10. [8] Eccli. 3. [9] Prov. 10 [10] Prov. 18.

nam glariam. Ut patet in Pharisæo, qui bona sua recitabat per jactantiam, dicens : *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo*[11]. Sed *publicanus* non audebat *oculos* suos *ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori*[12]. Et sequitur quod, *descendit hic* publicanus *justificatus in domum suam*[13], scilicet per humilem confessionem, ab illo, scilicet Pharisæo, qui propter jactantiam in peccatis suis remansit. Peccata enim, quæ in vera et humili confessione manifestantur, delentur Unde Psalmista ; *Dixi : Confitebor adversum me injustiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*[14]. Minutio vero phlebotomiæ tribulationi comparatur. Quot enim tribulationes immittit Deus cordi, tot ictus phlebotomiæ dat ei ad purgationem ejus. Sed nota quod sicut ante purgationem et percussionem minutionis necesse est carnem calefieri, ad hoc ut ictus facilius sustineantur ; sic cor humanum necesse est igne charitatis accendi, ad hoc ut de facili sustineat tribulationes. Unde dicit Augustinus[15] : « Omnia sæva et immania facilia et prope nulla facit amor. » In figura cujus descendit Spiritus sanctus super apostolos in linguis igneis[16]. Ex quo a Deo roborati sunt, et post ejus exceptionem *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati*[17] ; qui ante receptionem ejus erant valde timidi. Sicut patuit in Petro, qui Dominum negavit ad vocem unius provocantis ancillæ[18], qui tamen post receptionem Spiritus sancti passionem crucis pro Domino toleravit libenter.

Secundus modus purgationis est quomodo metalla purgantur, ut aurum igne at ferrum lima. Primo ergo tribulatio purgat animam et puram reddit, icut signis aurum. Unde dicit Augustinus: Quod flagellum grano et ignis auro, quod lima ferro, hoc facit tribulatio justo. Hoc est dicere, sicut ignis separat aurum ab aliis metallis, et a scoria purum reddit, sic tribulatio animam puram reddit. Unde de martyribus in Sapientia : *Tanquam aurum in fornace probavit illos*[19]. Hoc enim igne tribulationis probatus fuit Job[20], qui dicebat : *Probavit me, sicut aurum quod per ignem transit.* Et nota quod inter omnia metalla aurum non pretiosius, et plumbum vilius ; tamen aurum non probatur sine plumbo. Plumbum enim fæces auri secum trahit in fornace. Et boni, qui significantur per aurum, per malos qui significantur per plumbum, frequenter purgantur. Unde, si quæratur, de quo deserviunt mali bonis ; responderi potest, quod de eo quod deservit plumbum auro. Unde dicit Salamon[21] : *Stultus serviet sapienti*, scilicet ipsum purgando. Sic servivit Esau Jacob, cum scilicet persequendo, de quo dicitur, *Major serviet minori*[22].

A Secundo tribulatio purgat animam sicut lima ferrum limando, scilicet et clarificando. Sicut gladius qui nunquam exit de vagina sua, et cultellus qui nunquam scindit, contrahunt rubiginem ; sic cor humanum sine exercitatione tribulationis contrahit rubiginem spiritualem. Unde Jeremias[23]: *Sterilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis*[24]. Noli ergo conqueri, si Deus limet lima cor tuum ut fulgeat, et clarificetur, et gloriosum appareat, quia aliter non poteris Deum videre. Secundum illud Matthæi : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[25].

Tertius modus purgationis qui tribulationi competit, est putatio arborum. Sicut vitis quæ fit putatione ramorum superfluorum, de quo dicit Christus : *Omnem palmitem in me non ferentem fructum,* B *tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat*[26]. Per vitem, cor humanum intelligitur, cujus hamor ipsum faciens fructificare est amor. Unde quantum habet de amore, tantum habet de humore. Nam quantum humor defertur per ramos superfluos vitis vel alterius arboris, tanto minus fructificat vitis illa. Sic amor cordis quanto plus diffunditur per carnales amicos vel res temporales, tanto minus aptum est cor ejus ad fructificandum spiritualiter. Et si sapiens hortolanus putet et resecet ramos superfluos vitis vel alterius arboris, ad hoc quod vitis vel arbor magis fructificet, non est mirum si Deus, qui est cultor humani cordis, secundum id Joannis : *Pater meus agricola est*[27], resecat superfluum amorem a corde C tuo, scilicet parentes et amicos carnales, sarculo mortis, quod in manu sua tenet, vel bona temporalia, ad hoc quod amor cordis tui et desiderium proprios terminos suos non excedat. Quia ipse Dominus dicit : *Ego quos amo, arguo et castigo*[28]. Et Apostolus : *Flagellat autem*, inquit, *omnem filium quem recipit*[29]. Et totum hoc facit Deus, ne amor cordis tui a se elongetur, et ne diffundat se in rebus temporalibus, ubi multum oportet ponere, et inde consequi nullum bonum imo malum finem, secundum Gregorium, dicentem : « Qui labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur. »

Quartus modus purgationis qui tribulationi competit, est purgatio granorum ; quæ fit per flagellum, ut granum exeat, et separetur a palea. Unde Au- D gustinus, quod flagellum grano, ut supra ; verbi gratia, sicut flagellum cogit granum exire de palea, sic tribulatio cogit cor humanum ab amore humano separari, quia mundus displicet cordi tribulato. Et ideo David sciens utilitatem flagelli tribulationis dicebat : *Ecce ego in flagella paratus sum*[30] ad sustinendum, ut cor meum purgetur. Unde dicit Augustinus : Noli conqueri de flagello tribulationis, si vis habere panem grandium, et reponi cupis in

[11] Luc. 18. [12] Ibid. [13] Ibid. [14] Psal. 31. [15] Serm. 10 *De verbis Domini.* [16] Act. 2. [17] Act. 5. [18] Matth. 26. [19] Sap. 3. [20] Cap. 23. [21] Prov. 11. [22] Gen. 25. [23] Vulg. *fertilis.* [24] Jer. 48. [25] Matth. 5. [26] Joan. 15. [27] Ibid. [28] Apoc. 3. [29] Hebr. 12. [30] Psal. 37.

cœlo, ubi nonnisi purum granum reponetur. Sed, sicut contingit quod granum immaturum nec desiccatum ictu flagelli non excutitur a palea, sed magis inhæret ei; sic cor habens humorem et affectionem carnalem flagello tribulationis nec separatur a mundo, sed magis inhæret ei per amorem et delectationem, de quo tamen non recipit nisi tormentum et laborem : *Homo* enim natus est ad laborandum *et avis ad* volandum [31], sicut dicitur : *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in eo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne quod est in mundo* [32], etc.

Quintus modus purgationis, qui competit tribulationi, est purgatio vini in torculari. Nam, sicut torcular premit racemos, ut pretiosus humor a fæcibus separetur; sic Deus ponit animam in torculari tribulationis, ut infirmitate corporis, vel persecutione, vel dolore de morte amicorum, seu damno bonorum temporalium; scilicet ut purget eam a fæcibus malarum affectionum et peccatorum. Et ideo noli repellere torcular tribulationis, si vis reponi in cellario Christi, juxta illud : *Introduxit me rex in cellam vinariam* [33]. Unde dicit Augustinus quod martyres in præsenti vita ita pressi sunt, quod grossa materia corporum eorum remansit in torculari, et animæ pretiosæ sicut vinum pretiosum positum in cellario vitæ æternæ. Noli ergo conqueri, si Deus in torculari tribulationis te reponat, cum ipse prius torcular calcaverit, sicut dicitur : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* [34]. Vir dicit, non mulier, quia omnes apostoli in passione sua, relicto eo, fugerunt; sed beata Maria virgo ab eo non recessit per infidelitatem, sed cum eo compassa est per compassionnem. Unde promiserat ei Simeon dicens : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* [35].

QUARTA tribulationis utilitas est, quod illuminet cor hominis ad cognitionem suis ipsius, in quo consistit conditionis humanæ perfectio. Unde Augustinus, qui tot legerat et audierat, plus non petebat, dicens in libro *Soliloquiorum :* « Noverim te. » Inquit et in libro Sapientiæ : Scire te *est sensus consummatus* [36]. Sicut enim videmus quod ictus virgæ cogit discipulum inclinare caput, et respicere in libro, et lectionem repetere, sic tribulatio tibi a Domino mittitur ut, mediande tribulatione, discas agnoscere tuum Creatorem. Unde dicit beatus Bernardus : « Deus fecit se cognosci verberando, qui oblitus erat, et incognitus parcendo. » De hoc habemus exemplum de Nabuchodonosor rege superbo, quem Deus ejecit de regno suo, et fuit habitatio ejus cum feris et bestiis, *et fenum sicut bos comedit; sed in fine dierum*, scilicet tribulationis et pœnitentiæ suæ, levavit *oculos* suos *ad cœlum, et sensus* ejus *redditus est ei* [37]. Oculos suos levat ad cœlum, qui cognitionem suam ad Creato-

A rem suum dirigit. In hac elevatione oculorum sensus redditus est ei, qui per inclinationem ad inferiora eam perdidit. Nabuchodonosor ergo ante tribulationem clauserat Creatori suo, scilicet respiciendo ad terrena, post tribulationem levavit oculos suos ad cœlum, ubi erat ille qui eum verberavit, quia Deus vult quod tribulati ad ipsum vertant facies suas. Considera ergo, o anima, quia mos amantium est mittere litteras ad se invicem, et in memoriam revocare grata et mutua beneficia, et timere ne oblivioni dentur. Idcirco amator tuus Jesus Christus immittit tibi tribulationes, qui forte omnino oblitus exstiterat, dum in prosperitate vixeras, sicut pincerna Pharaonis in prosperitate positus oblitus est Joseph interpretis sui [38]. Consi-
B dera ergo quod Jesus ipse cicatrices vulnerum, quæ pro te sustinuit, in memoriam tui retinuit; ac si nodus in corrigia fieret ad memoriam alicujus rei retinendam. Unde ipse dicit : *Non obliviscar tui; in manibus meis descripsi te* [39], quando scilicet expandi in cruce pro amore tuo. Si ergo cicatrices vulnerum ad memoriam retinuit Christus, noli irasci, si tribulatione tibi immitiit ad memoriam sui retinendam; quia quot tribulationes habes, tot nuntios mittit tibi ad memoriam sui revocantes. Noli ergo monitores bonos repellere, quia dicitur quod multum valet monitor bonus in civitate. Sed posses dicere quod tribulationes ad hanc memoriam sui faciendam non sunt necessariæ, quia Deus beneficia dando, admonet sufficienter, sicut dicit Augustinus
C quod beneficia Dei nil aliud sunt, quam admonitiones veniendi ad eum. Sufficiat ergo illi quod monitiones facit dando beneficia, quia talis monitio deceat magis Deum quam alia, quæ fit per verbera. Ad hoc responderi potest quod, quamvis beneficia te revocent ad cognitionem sui, tamen aliquando amor inordinatus inhæret ipsis beneficiis temporalibus, et datur oblivioni Creator, qui est summum bonum et incommutabile, dans bona æterna. Unde Deus conqueritur de talibus, dicens : *Extendi manus meas*, scilicet beneficia largiendo*: et non* erat *qui aspiceret* [40]. Non dicit, non fuit qui acciperet quia multi libenter accipiunt, pauci vero respiciunt; nam a majori ad minorem omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Sed posses dicere, licet conveniens sit quod Deus corda dura et indiscipli-
D nata, quæ ad eum non convertuntur per beneficia, revocet per tribulationes, tamen conveniens non est bonos, qui largitorem suum per beneficia recognoscunt, taliter revocare. Ad hoc dici potest, quod licet cor bonum per delectamentum naturale in beneficiis recognoscat suum largitorem, tamen ad perfectam cognitionem Dei non perveniet sine probante tribulatione. Unde dicitur *Qualia scit vir, qui non est tentatus, in multis expertus multa*

[31] Job. 5. [32] I Joan. 2. [33] Cant. 1. [34] Isa. 63. [35] Luc. 2. [36] Sap. 6. [37] Dan. 4. [38] Gen. 40. [39] Isa. [40] Prov. 1.

moscit [41]. Sed vide quod Deus revocavit Salo- em ad cognitionem suam munera largiendo, vero sua conferendo et adversa inferendo. Sed ılationes duxerunt eum ad perfectionem, mu- vero Salomonem ad stultitiam et perditionem. go Salomon tanta scientia præditus, suis ille- s in prosperitate Dei cognitionem amisit, non ecurus quod tu in ea Dei cognitionem diu ıs retinere. Sustine ergo patienter et libenter lationem, ut possis venire ad Dei cognitionem. per magnitudem tribulationis desolare, in onsolare, quod ad majorem coronam major latio te faciat pervenire. Dicto quomodo tri- iones revocant cor ad cognitionem Creatoris, dicendum est qualiter revocant ad cognitio- sui ipsius. Cor enim, quod gaudium munda- elongavit a se ipso, non potest recognoscere sum. Unde, in persona talium David dicit: *men oculorum meorum, et ipsum non est me-* [42]. Væ ei qui lucernam cognitionis suæ expen- ı cognitionem extraneorum, et in sui cognitio- nihil reservat! Sed quomodo se cognosceret, ecum non est? Prosperitas enim mundana plus animam a se ipso elongat, quanto plus insequitur et diligit. Sed sicut obsessus vel ssus per violentiam inimicorum cogitur re- ad se ipsum, et quanto plures habes adversi- , tanto potiores habet exitus ad eumdum a se Felix est ergo adversitas, quæ te reddit tibi, proprium hospitium te facit reverti. Unde in o [43]: *Maneat unusquisque apud seipsum* hoc, est gnoscat, ut sibi ipse intendat et a se ipso per inatum amorem non recedat; nam domus in ıemo habitat cito annihilatur; ita cor, quod irtuose inhabitatur, ad vastationem et ad ım deducitur. Væ cordi quod ad similitudinem ıtoris vagos et verecundos morcellos extra m suam transglutit, et quanto plus in alieno tio cantat, tanto plus in hospitio proprio in- quod defleat: Sicque quanto plus cor in lanis delectatur, tanto minus in se invenit consoletur. Tribulatio ergo cordi mittitur, ut a gaudiis mundanis cogat reverti ad se ipsum, joculator tandem cogitur ad suam domum i et remanere reversus; et sicut columba, on invenit ubi requiesceret pes ejus, reversa Noe in arcam [44]. Noe Christum significat, Ioe requies mentis intelligitur. Quando enim num cor non invenit exterius in quo amor equiescat, tunc ad se revertitur. Per pedem bæ, amor cordis intelligitur. Tunc enim co- non invenit ubi requiescat pes ejus; quando ımanum non ponit amorem suum in aliquo o, et tunc revertitur ad se ipsum, et dicit 'salmista: *Convertere, anima mea, in requiem*

A *tuam* [45]. Et in Canticis canticorum dicit Dominus ad animam peccatricem quæ cor suum evagare permisit in mundanis: *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* [46]; ego scilicet et tu: tu intuearis te oculo conscientiæ, ego vero te intuear oculo misericordiæ. Sustine, o anima Christiana, per tribulationes te revocari ad te et ad Deum, quem prosperitas mundana elongaverat ab utroque; et maxime quia tribulationes ligant et constringunt te Creatori tuo, quem mala mundi libertas solverat et fecerat per insolentias evolare. Unde dicebat Job [47], qui in talibus expertus erat: *Si accinctus fuero stimulo paupertatis, indicabit eis opera eorum.* Et nota quod non vocat hic paupertatem rerum temporalium carentiam, sed defectum B solatii temporalis, qui in divitiis temporalibus consistit. Unde habetur juxta illud Ecclesiastici: Est pauper cum in multis desit. Stimuli paupertatis vocantur omnes tribulationes, quæ a Deo mittuntur ad restringendum cor a solatiis mundi. Hi sunt stimuli vel funiculi Adæ parentis nostri primi, qui ad nos jure hæreditario pertinent, per quos Deus multos quasi violenter ad se trahit. De hoc dicitur in Osee [48]: *In funiculis Adam*, id est in tribulationibus, *traham vos in vinculis charitatis*, hoc est ex charitate missis. Unde dicit Bernardus [49]: « Trahimur cum tribulationibus exercemur. » Noli ergo, o anima quæ vinculis es astricta, æstimare te vivificatam, nec putes illos, qui non stringuntur, esse in vera libertate, quibus conceditur omne illud quod appetunt; sicut enim nec infirmum putares C esse in bono statu, nec in bona spe sanandi, si omnia quæ appeteret, ei concederentur a medico, quia de ejus sanitate desperando dicit: « Detur quidquid vult. » Hoc enim est certissimum signum mortis ejus. Ex quo patet quod libertas mundana non est nisi argumentum ac signum pereundi. Unde quanto liberius sine tribulatione miseri implent quod volunt, tanto citius ad inferna descendunt. Si vis ergo Deum habere propitium, sustine te stringi vinculis tribulationis, quæ a Deo veniunt et ad Deum trahunt. Unde ad Ezechielem dicit Dominus: *Ecce dedi vincula mea super te* [50]. Et per hoc datur intelligi quod vincula tribulationis sunt dona Dei. Ex præmissis patet quod tribulationes sunt vincula Christo animam ligantia, et quanto D tribulatio est vehementior, tanto fortius animam stringit Deo.

Quinta utilitas tribulationis est, quod accelerat iter tuum ad Deum. Unde quot tribulationes habuisti, tot nuntios misit tibi Deus, ut ad ipsum festinares nec in via tardares. Et vide quam prava sunt, quæ cor pravum retardant ne homines festinent ad Deum. Cum ergo tribulatio auferat delectationem et amorem in rebus transitoriis, quæ retardant hominem ire ad Deum festinanter; unde Gre-

coli. 34. [42] Psal. 37. [43] Cap. 16. [44] Gen. 8. [45] Psal. 114. [46] Cant. 6. [47] Cap. 36. [48] Cap. 11.
n. 21 *in Cant.* [50] Ezech. 3.

gorius : « Mala quæ hic nos comprimumt, nos ire ad Deum compellunt : » noli ergo parvum æstimare beneficium tribulationis, quæ a gravi carcere te liberavit, et accelerat iter tuum ad regnum cœli. Juxta illud Ecclesiastis : *De carcere catenisque quis* introducitur *ad regnum* [51]. Carcer vocatur ibi quidquid cor inordinate diligit in hoc mundo. Vincula quibus ligatur, sunt affectiones pravæ. Et quando amor est major, tanto carcer est profundior. De hoc carcere Deus te ducit per tribulationem, quanto rem inordinate amatam vel inposterum amandam tibi aufert, vel contrariam tibi facit eam. Quod significatum est, ubi dicitur quod Petrus *servabatur in carcere* Herodis ; et sequitur, quod *angelus Domini ei astitit, percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter* [52]. Per latus intelligitur fratrer tuus, qui de eodem latere exivit de quo tu, vel omnes generaliter illi, qui de cognatione vel affinitate tibi sunt juncti. Quando ergo ille, qui jure naturali deberet esse amicus tibi, est contrarius, vel morte subtrahitur, intellige te percussum latere ad hoc quod de carcere exeas, et cor tuum in solo Deus ponas, qui deficere non potest. Sed considera quod Petrus non conqueritur de ictu in latere, per quem liberabatur a carcere; sic tu conqueri non debes de tribulatione, quæ te ab amore mundano malo vel falso anat et liberat. Et si forte ictus tribulationis difficilis est tibi sustineri, respice Christum, qui pro te vulneratus erat in latere, et tunc facilius sustinebis. Sicut bonus miles, quando videt vulnera domini sui, non sentit sua. Noli ergo repellere nuntios Domini, qui te ad Dominum revocat et festinare cogunt ; quia, qui repellit nuntium, repellit Dominum. Tunc enim nuntius repellitur, quando cor per impatientiam tribulationi contradicit. Et nota quod tribulatio duo facit, scilicet affligit animam ipsam purgando et purgat affligendo. Sed quando cor cum rebellione recipit tribulationem, ab afflictione non recipit tribulatus purgationem. Unde talis amaritudinem tribulationis accipit, et ejusdem perdit utilitatem, et tamen velit nolit, oportet eum sustinere tribulationem.

Sexta utilitas tribulationis est, quod datur ad solutionem debitorum quibus obligaris Deo, quæ non potes effugere ; nec aliquid de debito auferre seu celare. Hæc debita sunt pœnæ, quæ debentur pro peccatis quæ fecisti. Et licet pro peccatis mortalibus pœnæ æterna debeatur, per contritionem et confessionem illa pœna æterna mutatur in pœnam temporalem, ita et pœnæ istæ temporales per jejunia et tribulationes diminuuntur, et aliquando totaliter relaxantur, et maxime per tribulationes. Unde quidquid pro Deo sustineas, illud a Deo in solutionem tui debiti computatur. Et sicut dispensator regis quando reddit rationem de receptis sui domini, computat et jactat cum denariis plumbeis vel cu-

A preis recepta, et aliquando in fine computa sua unus denarius plumbeus vel cupreus val significat centum marcas auri vel argenti, qui est parvi valoris; sic tribulatio unius horæ in senti cum patientia recepta, liberat a tribul inferni, quæ est gravissima et est æterna, E plum habetur in latrone qui a dextra Christ pensus fuit, qui, cum tormentum crucis pro malis sustineret, et ad aliam pœnam inferni obligatus, contritionem tamen habens de mali in illa hora convertit se ad Dominum, dicen *mento mei dum veneris in regnum tuum ;* et stat omni delicto et debito absolutus est et liber quia meruit audire illam vocem suavissimam: *dico tibi quia hodie mecum eris in paradiso* [53].
B qui in hac vita nihil solvit, sed peccatum peccatum addit ; de quo dicitur in Psalmo : *M bitur peccator, et non solvet* [54] *!* Væ ei qui de et prodigis expensis quæ fecit, cogitur ad æq mam computationem devenire! Talis enim vixit semper sine computatione, meretur qu inferno semper pœnas solvat sine alicujus relaxatione. Ibi flebunt multi mercatores, q præsenti rident, et gaudent de varietate solati temporalium. Hoc significatum est in Apocalyp ubi dicitur : *Mercatores terræ flebunt.* Per mer res terræ intelliguntur illi qui cogitationem et amorem suum posuerunt in terrenis, qui a flebunt, quia mercaturam suam malam om Deus ostendit. Sed mercatores cœli ridebunt,
C videbunt quod gloriam paradisi pro modica t latione adepti sunt. Quod significatum est ubi tur *: Est qui multum redimat modico pretio* [56]. I modicum pretium est sufferentia tribulationis præsentis, quam Deus recipit pro magno de Quia secundum vulgare proverbium : « De mal bitore recipitur fenum vel avena. » Et si fort nullo debito tenearis pro mortali peccato seu niali, a quo te liberet tribulatio, tamen præse te a contractione sive commissione delicti; niam secundum Gregorium : « Multa sunt innoce quæ cito innocentiam suam perderent, nisi trib tiones ea præservarent, » etc. Tunc ergo, o ani quæ te sentis obligari debitis, vel times solution futuram, patienter sustine hujus mundi tribula
D nem ; quandiu habes tempus tuum pro obligati debitorum, in quibus Deo teneris solvere. N omnes tribulationes vitæ præsentis tribulationi un horæ quæ in futuro est, vix valent comparari. militer si omnes tribulationes mundi essent si positæ, non essent dignæ ad adipiscendum para gloriam, dicente Apostolo : *Non sunt condignæ p siones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ re labitur in nobis* [57].

Septima utilitas tribulationis est quod dilatat hominis ad receptionem gloriæ et gratiæ Dei. Q

[51] Eccle. 4. [52] Act. 12. [53] Luc. 23. [54] Psal. 36. [55] Cap. 18. [56] Eccli, 20. [57] Rom. 8.

malleus aurifabri dilatat aurum vel argentum ıenti percussione ad faciendum vas pretiosum ; ıeus fabricator totius creaturæ ordinavit tribunem ad cordis dilatationem, ad reponenda dona æ. De hac tribulatione dicit Psalmista : *In tri- ione dilatasti* cor meum [58]. Sustine ergo tribuıis ictus, quia quanto dilatatur cor tuum in plus nendo, tanto plura spiritualia dona in te repoıeus. Considera quod quanto metallum est preıs, tanto est ductilius et magis obediens ictibus ıl; sic cor pretiosum et mite majorem habet in latione patientiam. Et licet ictus mallei, tribuıis scilicet, te dure affligant, in hoc tamen ılare, quod Deus aurifaber tenet in manu sua ıum tribulationis, qui bene novit ictum suum ıdum possibilitatem recipientis materiæ mode- Noli ergo esse sicut metallum in massa, sine sione, sicut sunt corda dura et indisciplinata, ibus locum non invenit tribulatio vel disci- . Similiter noli esse sicut sartago vetus, quæ etustate sub ictu frangitur, et pro una fractura multas recipit novas ; sic durum cor et imıs in tribulatione auget damnum suum. Sustine hilariter tribulationem cor tuum dilatantem. ıc te invitat Sapiens dicens : *Sustine sustenta- Dei,* conjungendo te *Deo; et sustine ut crescat ıissimo vita tua* [59]. Quasi diceret : Sustine pa- r et libenter tribulationes hujus mundi pro qui pro te multa sustinuit ; et redde ei vicem servitii. *Conjungere Deo et sustine :* ac si di- : Sociare Deo, et quidquid tibi imposuerit e, et scito quia non ultra possibilitatem te ıit. Unde Apostolus ; *Fidelis est Deus, qui non ıtit vos tentari ultra id quod ferre potestis* [60]. ıe ergo libenter modis prædictis, ut crescat in ıimis vita tua, quia per hoc vives in æternum ria.

ᴀᴠᴀ utilitas tribulationis est, quod Deus exıdo terrena solatia quæ sunt inferius, cogit re cœlestia, quæ sunt superius. Sicut terreıminus, qui vult vendere vinum suum, prohibet quis audeat tabernam suam aperire, donec lerit vinum suum ; sic Deus aliquando excluatia terrena, ut conferat cœlestia, quæ sunt oc significatum est in Joele, ubi dicitur : *agri quasi area sitiens suspexerunt te, quo- ıxsiccati sunt fontes aquarum* [61]. Bestias agri at affectiones et desideria carnalia. Fontes ım vocat mundana solatia ; quando ergo sic- fontes aquarum, id est quando deficiunt soıundana in adversitatibus, tunc cogitur cor ere superius et quærere largitorem solatio- præmiorum cœlestium ; unde tanto est Docorde benignior, quanto cor in exterioribus ıs reperit amaritudines. Sed posses dicere : De ın contristor, quia taberna solatiorum munım non est mihi aperta, sed de hoc quod ta-

A berna solatiorum supernorum est mihi clausa, quia nec inferius nec superius invenio solatium. Ad hoc respondetur quod per hoc quod solatia mundana interdicta tibi sunt, non habebis cœlestia, nisi prius redieris ad cor tuum desiderando et quærendo Deum et superna. Vult enim Deus hoc, quia majus meritum consistit in desiderando et quærendo Dominum, quam delectando totaliter in ipso et propter ipsum. Similiter quanto ferventius eum desideraveris et quæsieris, tanto majus solatium tibi conferetur, et majorem in eo invenies dulcedinem, sicut famelico sapit aliquid melius quam non famelico ; et scies quod non diu differenter cœlestia solatia, si per tribulationem fuerint exclusa terrena, si ardenter petieris et quæsieris, licet videntur B differri, sicut dicit Salomon : *Desiderium suum* justo dabit [62].

Nᴏɴᴀ utilitas tribulationis est, quod te ponit in memoriam Dei. Nam per tribulationes ipse te revocat in memoriam sui. Et quanto major est tribulatio, tanto plus imprimeris in memoriam Dei. Non quia Deus alicujus obliviscatur qui omnia videt, sed quia Scriptura dicit Deum oblivisci hominem, cui non dat succursum, tribulatum ipsum consolando spiritualiter et gratiam augendo. Si ergo, o anima, vis reponi in memoriam Dei, in cujus memoria est salus tua, et in cujus oblivione consistit damnatio tua, disce patienter sustinere adversa, et sic sustinendo intime de Deo cogita, et ipse versa vice cogitabit de te, sicut amicus de amico suo afflicto C frequentius cogitat, quam si esset sine afflictione. Si ergo, o anima, sentis te desolatam ex tribulatione, consolare, quia ipsa tribulatio ponit te in Dei memoriam, et memoria Dei plus valet tibi quam omne quod posset tibi auferre tribulatio. In figura hujus dicit Dominus : *Vidi afflictionem populi mei* qui est *in Ægypto*, et *descendi ut* liberarem *eum de manibus Ægyptiorum* [63]. In his verbis duo consideranda sunt : primum, quod Deus oculo misericordiæ respicit populum afflictum ; secundum est, quod Deus per afflictionem reddit pactum suum, quod pepigerat cum eodem afflicto. Ipse autem respectus Dei importat quoddam speciale donum, quo ipse Deus inclinatur ad miserandum amici sui afflicti. Licet ergo Ægyptii te persequentes affligant, in D hoc tamen consolare, quod respectus Dei ad te multum valet in afflictione. Ideo dicitur de David qui fugiebat a facie Absalon filii sui, quod Semei videns maledicebat et dicens : *Egredere, vir sanguinis et vir Belial*, etc. *Abisai hoc videns dixit regi : Quare ipse canis maledicit domino meo regi? vadam et amputabo caput ejus ; et respondit David : Dimitte eum, ut maledicat* mihi *juxta verbum Domini : Si forte respiciat afflictionem meam, et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna* [64]. In hoc considera quod David maledictionem adversarii sui voluit sustinere, ut benedictionem Dei posset habere.

ıal. 4. [59] Eccli. 2. [60] I Cor. 10. [61] Joel. 1. [62] Prov. 10. [63] Exod. 3. [64] II Reg. 16.

Quanto plus ergo optas benedictionem Dei, tanto magis patienter sustinere debes maledictionem adversarii tui, quia sufferentia maledictionis malorum, Dei benedictionem et liberationem a malo provocat. Quod significatum est Danielis III [65], ubi dicitur quod *Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem ; et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, et flamma excussa est super ministros regis, qui eam incendebant. Et vide quod non solum ignis fornacis injustos excussit ; sed etiam pueris refrigerium præstitit, per quod intelligitur, quod Christus est præsens tribulato. Si vis ergo tibi refrigerium præstari in tribulatione, et inimicos tuos qui tibi tribulationes procurant, comburi ; patienter sustine tribulationes, quia in tribulatione tecum est Deus, et de ipsa liberabit te, et pro ea magnum tibi reddet meritum. De his tribus dicitur in Psalmo : *Cum ipso sum in tribulatione ;* ecce societas Dei : *eripiam eum ;* ecce liberatio : *et glorificabo eum* [66] ; ecce præmium. Ecce ergo quod tribulatio ponit te in memoriam Dei, quæ plus tibi confert quam tribulatio posset auferre.

Decima utilitas tribulationis est, quod orationes tuas facit exaudiri et offerri ante Deum ; quia non est consuetudo in conspectu Dei quod repellat orationem tribulati, sed eam potius exaudiat. Unde Salomon : *Deprecationem læsi exaudiet Dominus* [67]. Ideo enim multoties Deus verberat homines et tribulationes eis immittit, ut eos misericordiam postulare compellat, ut aperiat os eorum ad petendumeum in tribulatione, quia clausum illud habuerunt in prosperitate. Unde Augustinus : Deus immittit tribulationes aliquibus, ut excitentur in tribulatione, et petant illud a Deo quod ipse vult illis conferre. In persona talium dicit Psalmista : *Ad Dominum cum tribularer clamavi et exaudivit me* [68]. Et si forte contingat quod tu Deum in prosperitate invoces, ut prosperitas te totaliter dormire non faciat, tamen te somnolentum aliquando reddit, ita clamor tuus in prosperitate non fit ita efficax sicut in adversitate. Et si forte adeo adversitas occupaverit cor tuum, quod non sit ita intentum orationi in adversitate sicut in prosperitate tamen ipsa adversitas orationem pretiosiorem facit. Si vero tantum tribulatio te opresserit, quod non potes aperire os ad clamandum ad Dominum, tribulatio tamen orat pro te, dum tu patientiam habes ; dicit enim magister Petrus Lombardus de Lazaro, quod quot habebat vulnera, tot habebat ora clamantia ad Deum ; quia, quando Lazarus ore suo tacebat, vulnera sua pro se clamabant. Unde Dominus dicit ad Cain de Abel fratre suo quem occidit : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* [69]. Sic ergo patet quod tribulatio orationem pretiosiorem reddit et acceptabiliorem. Tribulationes enim sunt quasi solutio pro una bullata littera liberationis suæ. Unde Job [70] dicit : *Quis mihi det ut veniat mihi petitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus ; qui cœpit, ipse me conterat, solvat manum suam et scindat me, et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Nota quod Job, qui possessiones suas, filios et filias amiserat, percussus est vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem, afflictus ab amicis, vituperatus ab uxore; tamen videbatur quod Deus parum eum affligeret, nec in alio consolationem quærebat, nisi tantum in hoc quod Deus ei non parceret. Sed si quæris quid pertinet ad liberationem afflictionis suæ ; ad hoc responderi potest quod afflictio ejus est solutio litterarum suarum, sicut quando pauper bibit vinum in taberna, et non habet unde solvat escotum suum, petit ut verberetur, et sic dimittatur ; si autem, in quo erat ipsius Job consolatio quando petebat affligi ; ad hoc responderi potest secundum quod Deus aliquibus in præsenti non parcit, ut in futuro parcat eis.

Consolatio Job in hoc erat, quod in præsenti tribulatione sciebat se evasurum futuram. Consolare ergo, quia si in præsenti fueris afflictus, patienter sufferens, in futuro parcet tibi Deus. Nam dicitur quod non judicabit Deus bis id ipsum [70*]. Unde Job, qui petebat ne sibi parceret Deus in præsenti, alibi petit ut sibi parcat Dominus in futuro, dicens: *Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei* [71]. Ut ergo in futuro parcat tibi Deus, sustine in præsenti tribulationem ; quia tribulatio animam sanat, sicut dicit Job, *ipse vulnerat et medetur* [72] ; vulnerat enim corpus, immittendo tribulationem, sed sanat animam.

Undecima utilitas tribulationis est, quod custodit et nutrit cor. Sicut ignis custoditur et nutritur in cinere, sic cor amici Dei custoditur in tribulatione. Ideo præcepit Deus, quod tabernaculum sagis cilicinis cooperiretur [73]. Saga cilicina pretiosas curtinas et omnia vasa aurea et argentea contra ventos et pluvias protegebant ; ad significandum quod in adversitate tribulationis pretiosæ virtutes sanctorum, et præcipue humilitas conservantur. Tribulatio enim cogit hominem, humiliari, quem forte humana prosperita ultra terminos suæ infirmitatis exuberat in excessum. Jam tribulatio nutrit cor, sicut nutrix nutrit puerum. Nam, sicut mater durum cibum, quem masticare non potest parvulus, masticat et in ventrem suum trahit, ut illic cibus convertatur in lac ad nutrimentum pueri ; sic Christus in Scriptura appellatur mater nostra propter vehementiam charitatis, quam habet ad nos, et propter amaritudines, quas habuit in cruce, ubi pœnas, dura verbera et opprobria masticavit nobis, ut nos nutriret et fortificaret spiritualiter ad sustinendum ejus exemplo tribulationes hujus mundi. Sicut enim vinum colatum per succum plenum speciebus, sic homo tribulationes sustinens debet eas

[65] Vers 49. [66] Psal. 90. [67] Eccli. 35. [68] Psal. 119. [69] Gen. 4. [70] Cap. 6. [70*] Nahum 1. [71] Job 7. [72] Job 5. [73] Exod. 26.

colare per corpus Dominicum, considerando scilicet tribulationem et passionem quam pro se sustinuit; et sic indulcorabuntur ut tolerabiles fiant, quæ prius intolerabiles videbantur.

DUODECIMA utilitas tribulationis est quod reddit homini certum testimonium quod Deus ipsum diligit. Unde Apostolus : *Ego quos amo, arguo et castigo* [74], etc. Et in Eccli. : *Qui amat filium, assiduat ei flagella* [75], hoc est assidue immittit ei aliqua flagella, unum post aliud. Summus Pater Jesus Christus semper filios suos sub aliquo flagello et virga retinet. Unde quando eripiuntur ab uno, sumuntur ab alio. Nec omnia simul immittit, sed post unum alterum; sicut homo post unam sagittam immittit aliam. Sed malos, qui in præsenti vita sine flagello Dei et disciplina vivunt, et quos nulla correctio ab errore trahit ab omnibus tribulationibus, quas in præsenti vita bonis particulariter immittit, et unam post aliam, et hoc ad purgationem suam, simul in futuro sagittabit. Omnia enim tormenta, quas in præsenti vita per totum mundum divisa sunt, in futuro quasi in loco proprio requiescent. Sicut enim dicit Dominus : *Congregabo*, inquit, *super eos mala, et sagittas meas complebo in eis* [76]. Si ergo, o anima, vis amari a Deo, noli rejicere tribulationes, quæ testimonium divini amoris tibi ostendunt. Sed si tu dicis quod de manu Dei recipiunt filii bona et mala, quare ergo receptio malorum est magis indicium amoris Dei, quam receptio bonorum? Ad hoc respondetur: Certum est quod amicis A suis spiritualibus meliora bona Deus confert, et illis quos magis diligit, sed magis dilexit Christum incomparabiliter quam totum mundum, et tamen multa mala et pauca bona temporalia ei contulit in hoc mundo. Imo secundum Bernadum, post ingressum uteri virginalis usque ad patibulum crucis nunquam habuit nisi paupertates et tribulationes. Consolatio ergo tribulationis et adversitatis est magis indicium Dei amoris quam consolatio temporalis prosperitatis. Præterea Jesus Christus Filius Dei, qui vixit in hoc mundo, sicut mercator, qui est in nundinis, eligit bonas merces, et malas rejicit, sic elegit tribulationes et fugit prosperitates, sicut patet in Evangelio. Fugit enim in desertum, cum vellent cum Judæi rapere in regem; tamen non B fugit, quando eum quæsierunt ad destruendum et occidendum. Imo et dixit eis : *Ego sum* [77]. Dum ergo Christus fuit sapientissimus in eligende, constas illos esse stultos qui contemptis tribulationibus et adversitatibus prosperitatem mundanam eligunt, quæ non valebit eos liberare de manibus inimicorum suorum, scilicet dæmonum, in futuro. Sustine ergo tribulationem in præsenti cum Christo, ut tandem percipias coronam in regno cœlorum Aliter non intrabis in regnum cœlorum, secundum Apostolum dicentem, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum* [78]; quod nobis concedat qui vivit et regnat omnipotens Deus in sæcula sæculorum. Amen.

[74] Apoc. 3. [75] Eccli. 30. [76] Deut. 32. [77] Joan. 6. [78] Act. 14.

TRACTATUS QUALES SUNT.

PROLOGUS.

Detur utinam episcopis Sanctonensi et Lemovi- C censi quam sobrie, juste et pie vivant [78*]; domino regi Anglorum duci Northmannorum et Aquitanorum illustri me scribere compulit pietas ac necessitas; pietas suadendo, necessitas urgendo. Ad hoc vero perficiendum sumptus longe ultra superabundasse, quam prius evangelici [79] memor consilii sedens computaveram, ego ipse admirari non possem, nisi ex modico multum, ex exiguo plurimum accrevisse legissem [80]. Sed super his admirari compellitur, qui modica magnis audit majora, qui divitum opulentias audit paupertate viduæ superatas, quibus offerentibus de multo modicum, obtulit illa de modico multum. Vidua quoque Sarepthana, dum modicum, quod habebat non celaret [81]; dum prophetam ex pauluto pasceret; quod sibi filioque reservabat, pauperculæ laudabilis parcitas, tantulum ipsum non deficere laudabilior erogacitas impetravit. Modicum ergo modicus scribere proposueram, ne deditos pluribus oculos regis prolixitate paginæ tenendo, in commoda publica peccarem. Nec ad inchoantis vota peractum dissentiret opus, nisi vicinis proposito digressibus satisfacere tenerer obnoxius. Erant autem circa materiam deambulatoria quædam, ad quæ thematis ipsius importunitas lugubri lassum querimonia me sæpe coegit exire quasi per herbosa spatiatum, donec salubres animum auræ recrearent. Unde lætior in reditu postquam aliquantisper amœna visendo respiraveram, nesciebam domum sine floribus redire. Ipsa quoque materia me suo receptum alveo naufragum a se rursus expellebat. Sed quoniam portum eunti riparum altitudo negabat, D reluctantem sæpe detinuit tenacium quas evolvere cœperam pelagus iniquitatum. Hinc conti

[78*] Tit. 2. [79] Luc. 14. [80] Luc. 21. [81] III Reg. 17.

gisse videtur, quod cum in scribendo me modum epistolarem excessum iri nequaquam existimarem, cœpto operi prius epistolæ nomen indidissem. In longius quam speravi stylo paulatim pertracto ; brevis æstimatione tractus quam epistolam incœperam, denique liber improvisus exivit. Cui, nisi forte alius regi congruentior videatur materiæ satis convenientem apposui titulum: *Quales sunt.* Licet enim : Quales habent, totum fere subditum opus insinuet: quoniam, res quales habent, quales dicti sunt patres velut in speculo conspicitur : ab hac prima sui parte libellus sine columna prætitulatur. In quo me non parum excessisse fateor, quod tantæ scribens altitudini conceptum de visis illorum actibus risum tenere non potui, tristibus horum jocis sæpe compulsus ad jocari. Sæpe quidem, vellem nollem, risisse A me memini, risu tamen solo, nisi quem soli movere dolores. Unde, et si multis in locis maxime in secunda et quarta parte, regi legenda libellus offerat verba jocosa; non minus ibidem veritatem constare suspicetur. Ludere autem cernuntur in superficie lecta, quæ non ludere sentiuntur intellecta. Libellum ergo rex accipiat et legat. Nam, nisi fallor, non regem legisse, nec me compegisse pœnitebit; ubi et rex sibi, et ego mihi, et multa multis utilia, si totus pure legatur, invenientur. Quem idcirco per partes et partium particulas distinctum prudentia noverit, ut eum totum simul a rege legi, et scripti prolixitas necessaria et varia regis negotia prohibeant, quoties se ad aliam translaturo fectionem intercidere regi placuerit, quando et ubi B voluerit, metas præsto reperiat.

EXPLICIT PROLOGUS

—

INCIPIUNT CAPITULA PARTIS PRIMÆ.

Quatuor itaque sunt partes istius libelli. In prima parte ostenditur quales sunt dicti Patres ; et ab hac prima parte, totum opus appellatur *Quales sunt.* In tribus sequentibus ostenditur : Quales habent. In primo harum trium agitur de nepotibus episcoporum, primis, secundis, tertiis, et deinceps usque ad infinitum. In secundo, de adulatoribus, qui cum nepotibus pontificum primas sedes obtinent in majoribus ecclesiis. In tertia de emptoribus ordinum et ecclesiarum, qui minoribus ecclesiis præsunt. In fine ejus breviter continetur honestorum expulsio, et lugubris querimonia Ecclesiæ pro filiis ad regem clamantis. Est autem quæque pars distincta per capitula.

—

INCIPIT PARS PRIMA.

CAP. I. Quales sunt Patres prætaxati, significaturus ego regi, silere quidem mallem atque celare; nam super hoc meus mihi pudor supplicat et lacrymæ ; sed nimis dura loqui cogor, quia nimis duriora formido. Nec eorum scelera tegere queo, quæ etiam, me tacente, cœli revelant, quæ irreverenter cernit orbis detecta ; nec per me magis minusve celeratur, si rubis fabulam urbiumque susurrum solus ego tacerem, vilis homuncio ; et quæ cœlo terraque testibus sileri possent, nullis ego dessem veritatibus. Hos enim tanto evidentius dudum audita publicat infamia, quanto profundius avaræ cupiditatis abysso D sopitos, excæcationis antro sepultos, obstinationis desuper cumulata congerie comprimit eos et occultat nominari formidans ignominia. De cæteris, qui cæteros non novi, non loquor ego prælatis. Præsertim cum horum nomine tenus episcoporum digna prælatio non mihi, sed orbi, sufficientem parit loquendi materiam. Si qui tamen, quod absit ! his in orbe similes inveniantur, quos infamibus similis associet infamia, non est nostrum inclusos hinc excludere ; sicut nec nostrum est inter infames includere, quos ab istorum infami commercio secludit honestas. Unde ne similes his fiant cæteri. Aquita-

niæ pontificibus, qui dulcis et periculosæ baculo A sustentationis noviter inniti cœperunt, non parum cavendum est. Nam nisi vigiles instanter excubando sibi providerint, quæ jam capita decalvavit vicinia sua, me dolente, scabies eadem depilatius enudabit. Hujusque pestilentiæ sive pestifero morbo eodem quasi pastu refectas metuo, totus, quod Deus avertat! grex peribit, et ab hoc immunes adhuc contagio cathedræ subvertentur.

Cap. II. In his igitur quæ dicturus sum, nimis hæsitantem et ambiguum me facit quæ se repente objicit innascentium multitudo cogitationum; et ubi figatur vix invenit deliberationis anchora in animi fluctuantis profundo, diu que versantis ex insperato. In quam subito cecidi, Charybdin aggrediar. Memet enim ipsum tanquam profundum quoddam ingressus sum, nesciens Deus scit qua emersurus.

Cap. III. Proposueram aliquid scribere; qui plenius securiusque scriberem alii, si me scribere regi præsumptio est. Quis enim sum ego, qui regi scribam? Aut quomodo damnum regis Ecclesiæque celabo? Qua fronte loquar? Qua mente tacebo? Illud supra me est, istud contra me. Illud quoque non parum angit me, quod si patribus obloqui videar, in cœlum os ponere nostrum me plateæ prædicabunt. Imminet utrobique periculum; nam loquendo reperient me vero humilem, tacendo reperiam ego me cæteris inutilem esse. Neutra viarum fore tuta conspicitur. Altera tamen mihi tenenda non irrationaliter eligitur. Publicum enim tacere damnum periculosius perpendo, cum rationi deliberanti se ingerit illud prophetæ dolentis: *Væ mihi quia tacui*[31*]! Et me tandiu siluisse magis pudendum esse decerno, quam ab æmulis et depravatoribus superfluum et præsumptuosum scriptorem appellari.

Cap. IV. Hinc inest mihi scribendi domino meo regi generosa, sed non contumax audacia. Cui scribere mea quidem non vetat inscitia, sed dat ausum audita regis humilitas, audita misericordia. Quem rex humillimus ille qui non venit ministrari sed ministrare [32], non solum cœlestis doctrinæ auditorem sed auditæ factorem fecit [32*]. A quo non incassum audivit: *Quanto major es, humilia te in omnibus* [33]. Audax etiam audacem me facit charitas foras emittens timorem [33*]; quæ me non mihi scribere jubet, sed communi oppressorum utilitati, qui in Aquitania, tanquam in alia Ægypto, dudum luti et lateris afflicti laboribus, sub venerationis gratia obsequentes, dictis patribus, quasi sub totidem Pharaonibus gementes, quod inauditum est, in domibus suis exsulant, et in hæreditatibus propriis exhæredati intercidunt. Adsit hæc et augeatur, et aucta permaneat, quæ cœpit huic incœpto consulere charitas, et charitati præsto sit veritas, ut zelum Dei habeam secundum scientiam, et serpentina columbinæ non desit astutia simplicitati; ut sit in electione discretio, sicut in imitatione dilectio.

Cap. V. Universos unum unus ego deposco; qua tenus impietatis patres liberum et insontem me arguant. Quoniam risus Cham excusabilis et sine culpa maneret, si fratres inter alios Noe pater illius esse dedignatus fuisset [34]. Sed quia, quem inter extremos medium ordinata mystice nativitas includebat, pater benignus a dilectione paterna non exclusit; merito maledici meruit, qui patris pudenda non operuit, cæteris videndo revelavit. Nec in cœlum os me quisquam posuisse contendat: quod quidem verum esset; si patres dicti patres essent. Sed illorum filii nulli sunt, cum nullorum ipsi patres existant. Hos ego patres pauperum et refugium olim opinabar, ut cæteri; quod postea certius deopinabar ut cæteri. Cur enim patres habendi sunt, cur qui filios B habere nolunt, et si casu natos alicubi percipiunt, illico necari præcipiunt? Nunquid, propter feminas, quas reservant, patres appellandi sunt, qui masculos occidunt? Sic pater Israelitarum Pharao dicit posset, quorum magis dicendus erat interemptor Pauperum vero refugium, quis eos opinetur? A quibus, ne pauperis ad illos fugientis fuga Sabbato vel hieme fiat [34*]. ignarum fugere pauperem docet pauper expertus. *Quærite*, inquit *et invenietis; petite et dabitur vobis* [35]. Quare vero quæret aut petet aliquis si quæsitis contraria quærens inveniat, et petenti non detur nisi quod sibi displiceat? Sæpe nondum experti petunt ab his egeni; quibus pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo porrigunt scorpionem [36]. Hos enim adeo probantium improbat necessitas, ut in C turpi experientium repulsa, apud omnes primum celebris felix omnino pereat opinio. In quibus opinionem bonam primo decoloravit suspicio nequam, quam denique consummatione terminavit infelici, repente veniens sinistrum quod timebatur.

Cap. VI. Scio, scio ego, nec me latere patitur magis æmulorum obrosio non deesse, qui me de incepto tanquam de otioso et non necessario suggillent opusculo; clamque palamque me dicant hominem, qui de hujusmodi etiam mutire non habeam, osque meum tali dictu duris dignum contundi lapidibus. Quos patienter audire satius erit, quam nugis ventosisque verbis sine sono, verba dare sonantia. Quidquid in vulgi auribus muti mussitent susurrones, quidquid apud aulicos canes oblatrent; paulatim D innocentia manebit illæsa, et justitia sufficiet defensioni. Sit duntaxat corpus totum lucidum, oculo manente simplici [37]. Quem vero simplicem faciet, qui simplicem facere cœpit; faciet, vero simplicem, ut fallere nolit, nec falli possit, qui simplicem, facere cœpit, nec fallere velit. Faciat fallere nolentem, ne pietatem amittat bono carendo zelo; faciat falli renuentem, ne cautelam non habendo, vero careat judicio. Oculus enim qui facile non fallitur, sed facile fallit, erui præcipitur, quia nequam est [38]. Oculus qui non facile fallit, sed facile falsus est, cæco non

[31*] Isa. 5. [32] Marc. 10. [32*] Jac. 1. [33] Eccli. 3. [33*] I Joan. 4. [34] Gen. 9. [34*] Matth. 24. [35] Matth. 7. [36] Luc. 11. [37] Matth. 6. [38] Ibid.

præbet ducatum, quia cæcus est [88*]. Adsit ergo prudentiæ simplicitas, ne ignorantia de malitia nascatur! Adsit simplicitati prudentia, ne malitia revelanda per ignorantiam tegatur!

CAP. VII. Meminit me summi pastoris illius qui dixit: *Ego sum pastor bonus* [89]. Bonus addidit, quoniam malos esse non labuit. Quia enim ei omnia præsentia erant, omnes etiam hunc loquendo cernebat. Pastores bonos et malos, cujus conspectui præteriti non præterierant, nec erant futuri qui nondum erant. Videbat igitur omnes malos, a quibus omnibus se sequestravit, cum dixit: *Ego sum pastor bonus*. Sed nunquid mali pastores, pastores sunt? nonne magis fures et latrones, aut inutiles mercenarii? *Omnes*, inquit, *quotquot venerunt, fures sunt atque latrones* [90]. De omnibus hoc dixit, qui præter eum venerunt, et præster eum venturi sunt. Non enim hoc dixit de bonis pastoribus antiquis, qui eum prævenerunt, sed de bonis qui ei successerunt; qui non propter eum, sed cum eo venerunt. Cum eo venerunt; quia *in principio erat Verbum* [91], et illi cum Verbo Dei venerunt. Cum eo venerunt; quia ipse est veritas, et ipsi veraces fuerunt, et eamdem fidem boni præcedentes et succedentes habuerunt.

CAP. VIII. De supradictis vero pastoribus et his similibus quid adicemus? Nam bonis eos eadem copulat fides, ut non dicantur præter Christum, sed cum eo venisse? Quare hoc? Quid effecit fides eorem? Nonne mortua est? Et quia sine operibus est: *Fides*, inquit, *sine operibus, mortua est* [92]. Ideo mortua, quia non viget in ea vegetatio actionis. Ideo mortua, quia non movet, nec regit animam ad gaudia patriæ cœlestis. Fide hujusmodi dæmones insigniti sunt. Credunt, et nihilominus eis præparatur æternum incendium. Quippe fides sine opere, flos est sine fructu, manipulus sine grano, moneta sine argento. Si nihil in eis efficit eorum fides, non eos eis connectit qui cum Christo venerunt; in ovile non per ostium intraverunt. *Qui non intrat*, inquit, *per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde fur est et latro* [93].

CAP. IX. Duo vero quos proposuimus, nunquid per ostium intraverunt? Negant hoc qui noverunt, negant qui intrare viderunt. Dico ego, et scio quod ostium hoc humile est; venientem ad hoc ostium oportet incedere plano pede, ut non offendat; humiliari, ut sano capite intret. Humilis enim janua Christus est, humilis hujus janua ipse idem janitor humilis. Janua, quia per eum intrantur; janitor, quia ipse se januam aperit. Non dubitet eam esse januam et janitorem, ostium et ostiarium, qui audit dicentem: *Ego sum ostium ovium* [94]. Non solum enim per hoc verbum Christus se ostium, sed ostiarium indicat, cum quis ipse sic aperit; aperit qui prius ignota nota facit. *Quæcunque enim*, inquit, *audivi a Patre meo, nota feci vobis* [95]. Factus igitur ostium, et ostiarius; simul factus pastor, ovis et agnus; ut ipse ovis innocens, et agnus immaculatus, maculas emundaret, et mortem destrueret pastorum et ovium. Legitur Evangelium, et pastor invenitur *Ego sum*, inquit, *pastor bonus* [96]. Legitur propheta, et invenitur ovis: *Sicut ovis ad* immolandum ductus est [97]. Interrogatur amicus sponsi, et ab ipso Agnus auditur: *Ecce* inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* [97*]. Pius itaque pastor, ovis, agnus, ostiarius humilis, et ostium, aperuit unquam his quos proposuimus, si nunquam intrare humiliter proposuerunt, si ad humilem januam contumaciter et superbe venire præsumpserunt? Absit!

CAP. X. Quomodo non superbe venerunt, quorum alter manifeste, contra ipsum ostium nimis erectus; alter, nimis occulte, erecto erectius contra ostiarium, qui et ipse ostium est, venit minus inclinatus? Uterque nimis præsumpsit, uterque nimis ascendit; sed plus nimio ascendit, qui plus nimio descendit, nimia enim humiliatio nimia est elatio. Unde illum contra ostium, istum dixi venisse contra ostiarium, licet idem sit ostium et ostiarius; quoniam apud homines plus esset contra ostiarium, quam contra ostium. In domibus enim est major ostiarius ostio; major enim est qui præponitur, quam cui præponitur. Uterque enim nequam, uturque nequissimus fuit. Sed nequissimo nequior fuit, qui iram Dei provocavit. Pejor enim est qui iram Dei provocat, quam qui meretur. Meretur, qui manifeste peccando cæteros corrumpit; provocat qui, cum introrsus sit turpis et incestuosus, appetit videri pulcher et castus. Uterque prætulit quando et quantum potuit. Et uterque sic prælatus, superbus patuit et elatus. Superbo vero superbior fuit, qui superbiæ tumorem humilitatis cataplasmate compressit.

CAP. XI. Quoties hunc pessimo pejorem ad memoriam reduco, alterum ex toto dimittere volo. Quoniam major hujus iniquitas me loqui contra se compellit. Unum tamen de utroque sentio. Quoniam quæcunque quibuslibet pseudopontificibus, ut uniuscujusque propria sunt, unicuique congrue distinguendo possunt attribui, istis simul attributa sunt, minus convenienter omnia conveniunt. Cum enim aliorum alii fures sint sive latrones, sive mercenarii; isti totum sunt, et adhuc nituntur ut lupi sint. Fures sunt, aliena sua faciendo; latrones sunt, quæ furati sunt interimendo. Mercenarii, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærendo [98], ac, viso veniente lupo, fugiendo. Adhuc et lupos se faciunt; qui non solum dimittunt oves, sed dispergunt et laniant [98*].

CAP. XII. O quantum a pastoribus primis per omnia discrepat hæc male mutata posteritas; qui

[88*] Matth. 15. [89] Joan. 10. [90] Ibid. [91] Joan. 15. [92] Jac. 2. [93] Joan. 10. [94] Ibid. [95] Joan. 15. [96] Joan. 10. [97] Isa. 53. [97*] Joan. 1. [98] Philipp. 2. [98*] Joan. 10.

ubicunque ministerium suum honorificabant, qui Christi bonus odor erant in omni loco [99], quorum fama celeberrima et vita continentissima! Lux vero nostra, dicti pontifices, non lumine tenebras, sed tenebris lumen effugat; non splendore nos irradiat, sed fumo atro nos molestat, stellas obtenebrat, solum effuscat, cœlum obnubilat, terris noctem ingerit. Quam non lucere non tantum dolerem, si minora quæ penitus exstinguit, sineret lucere lumina. Hos male mutatos minus plangerem, si domus Dei stabilis in pristino statu maneret. Sed ipsi male subversi, semper ejus subversionem moliuntur et ruinam. De his et sibi similibus credo prophetam idipsum locutum fuisse: *Venerunt* inquit, *structores tui destruentes te* [99*]. Funditus enim eam evertere conantur; et ædificium cum fundamento mutare mutati leguntur architecti: *Fundamentum*, inquit, *positum est, præter quod nemo aliud ponere potest* [100]. Quomodo vero non aliud positum esse credet simplicitas, ubi non modo fundamentum, sed quidquid fundatum erat, subverti videtur? Quid enim mutandum restat? Ubi, ut nonnullis visum est, fundamentum jacit hypocrisis, adulatio parietes erigit, avaritia tectum consummat, consummatum ædificium dolus et falsitas ornant. Legi bonos, optimos ac meliores, qui supra petram Christum solidam ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos. Sed optimates isti aliter forte legerunt; quos nil superædificare videmus, nisi ferrum, æs et plumbum, Quos ita superædificantes, diruere convenientius quam superædificare dicimus.

Cap. XIII. Quales eos satis digne dicere queo: quos dudum avaritia coegit ante Baal genua curvare, cum morte pactum facere, cum inferno fœdus inire. Apud quos imperat aurum, judicat argentum: leges canonesque silent, locum ratio et æquitas non habent. Ubi virtus, ubi lex, ubi sacrorum auctoritas canonum, ubi disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus insigne, reverentia majestatis? Ubi lumen oculorum nostrorum, ubi pectus nostrum, ubi lingua docens, ubi manus indefessa; lumen oculi simplicis, pectus consilii, lingua docens judicium, manus ab opere bono non torpens? In his, horum nulla, sed his contraria reperiuntur. Quales eos esse digne dicam; hoc digne satis invenior; quales se indigne facerunt. Sed, quos eos digne vocem, digne non invenio. Usu tamen eos didicimus vocare pontifices, prælatos, pastores episcopos, et hujusmodi nominibus. Sed si vere pontificum sunt hæc nomina, non eorum quos veris pontificibus in omnibus et per omnia novimus oppositos. Unius tantum significationis nomina, contrariis minime conveniunt rebus. Nec nomine vocandi sunt, qui rem nominis non habent.

Cap. XIV. Cur igitur pontifices dicemus, qui se cæteris pontes non faciunt? Pontifex vero dicitur, qui supra mare hujus mundi factus est pons, usque ad Deum et proximum pertingens. Usque ad Deum pertingit, ex fiducia quæ non suam sed illius gloriam quærit. Usque ad proximum, ex pietate qua ipsi non soli sibi prodesse desiderat. Sed nunquid tales isti? Quis insensatus dicit pontem, quem nullæ juvant bases, quem mare cadentem recipit, et se profundius involvit?

Cap. XV. Antistites dicere possemus, quia stant contra subditos; sed quia contra dæmones non stant, quos contra se cernunt erectos, antistites digne dicere non valemus.

Cap. XVI. Præsules vero quare dicerentur; qui dignitatem et gloriam suam alteri dederunt? Quomodo præsulare creduntur, idololatræ facti, quibus archipræsul imperat avaritia?

Cap. XVII. Episcopi, qua ratione dici debent, qui divinitus sibi datum os sublime, non ad superna erigunt, non quærunt quæ sursum sunt; sed pronius pecoribus corporis sensibus incubant, infimis inhærent, terrenis inhiant?

Cap. XVIII. Pastores quis nisi fatuus æstimat, se pascentes et non oves suas; qui lac ovium comedunt, et lanis se induunt? Hos Spiritus sanctus pastores esse negat, cum dicit: *Lac* ovium consumitis, *et lanis* vos tegitis; *quod infirmum* est *non* confortastis, *ægrotum non* corroborastis; *quod perierat non* requisistis; quod forte fuit confregistis; *et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non* sit *pastor* [1]. Dispersas dicit oves, quia non est pastor, licet malos habeant pastores. Dicam ego pastores, qui non sunt? Asseram ego, quod Deus negat? Absit!

Cap. XIX. An prælati dicendi sunt, qui se, quando necesse est, non præferunt? Qui adversario more leonis rugienti se non opponunt? Qui, viso, lupo, fugiunt dispersarum immemores ovium? Qui non se nobis præferunt, ut pro nobis præferant, sed ut sua nulli conferendo, nostra nobis auferant? Nonne magis dicendi sunt elati quam prælati? Qui nostro non premuntur onere, sed nostro super nos, et contra nos honore eriguntur. Quos igitur eos vocabimus? Scio, et dico multos esse vere pontifices; sed qui tales sunt, pontifices dicendi non sunt, sed pseudopontifices. Si tamen, usum sequentes, his eos nominibus appellemus, veniale nobis esse credimus. Non enim mirum est, de his qui dicunt et non faciunt, si dicuntur et non sunt.

EXPLICIT PARS PRIMA.

INCIPIUNT CAPITULA PARTIS SECUNDÆ.

[99] II Cor. 2. [99*] Isa. 49. [100] I Cor. 3. [1] Joan. 7.

2. Quod nepotibus dant quæcunque possunt.

3. Hæreditario jure canonias ab his obtineri.

4. Esse qui consulat hominem ignotum, et sine parentibus eligendum, propter hujusmodi mala.

5. Quod tali consilio non sit credendum.

6. Quod non erat humilitas in vili persona quam elegerunt, sed humiliatio fallax.

7. Quod modo nihil de pristino statu retinet, nisi oculos obliquos.

8. Fecisse homines pro eo quidquid dicerent.

9. Deceptos omnes fuisse per exteriorem simplicitatem.

10. Quod modo notus est a cæteris, qui se noscere et cæteros desiit.

11. Quod nullo bono perstitit ex quo ab humilitate cecidit.

12. Quod nullum habere putabatur parentem, qui sublimatus habuit infinitos.

13. Quod eligi non debet talis, a prædictis et a sequentibus subinfertur.

14. Quod iterum parit egregie fortuna, quos quomodo terra pepererat.

15. Oportere primo exuere veteres homines, et mox induere novos.

16. Quod momento uno fortuna facit eos curiales, discretos, astutos.

17. Quam celebris sit eorum iterata nativitas; quique saxis hucusque vixerant duriores, quam subito fiant graves, delicati, teneri.

PARS SECUNDA.

CAP. I. Quales secum habent, quales præferant ecclesiis, quem latet hoc? Sibi similes. Sunt in partibus illis majores et minores ecclesiæ. In majoritus primum locum tenent primi nepotes episcoporum: secundi secundum; et ita deinceps donec loca desint. Unaquæque loco sibi congruo nubit progenies, et quasi quædam copula conjugalis vinculis astricta sterilibus maritatur fecunditas. Nepotes autem dico quoslibet illorum carne, moribus et vitas cognatos; quibus applaudunt, quibus thesaurizant, quos sibi præparant successores antistites nostri. Qui pacem habere nequeunt donec videant nepetes et pronepotes suos, aut filios filiorum suorum, tribulationem et iram super israel. Talibus tales associantur filii patribus, discipuli magistris, congrua dominis familia.

CAP. II. His patres acquirunt, servant, rapiunt, custodiunt. Acquirunt sollicite, servant sollicitius, rapiunt moleste, custodiunt molestius. Discurrunt, torquentur et gemunt, augere desiderantes quod adfiliatis relinquant hæredibus. Nec de rebus miseri tangere permittuntur, quas post se futuris servare nituntur. Commendata namque deputant, quæ ad successores etiam in vita transmittant. Quibus utinam aurum, argentum, et fori divitias ad male sortitos transmittere sufficeret hæredes. ut etiam non cogeretur Ecclesia pro suis alere alienos, pro filiis fovere filiastros, quorum pugnis pectus illius assidue tunditur, dentibus ubera lacerantur: Eliminarentur utinam Ismaeles; ut, cum filiis liberæ filii non hæreditarent ancillæ! Quod longe aliter est. Ab his enim et cæteris dignitatum audimus officia, cujus nulla unquam audita fuere merita. Dona narrantur, sed nulla donorum causæ tractantur. Promotiones audiuntur, sed promotionum negotia non audiuntur.

CAP. III. In nihilo deinceps, aut minimo degenerantes a patribus filii, quanquam firmata sit supra firmam petram, domum Dei diruunt, ac etiam evellunt; ad hoc unum nitentes, ut locum ejus desolantes comedant Jacob, nec *memoretur nomen Israel ultra;* qui jam certi se successuros hæredes, ad invicem dicunt: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei*[1]. Ex hinc genimina viperarum, gens incircumcisa corde et aure, hæreditario jure canonicatus obtinet, proh dolor! perniciosa hæc et exhæredans hæreditas. Consuetudinis jure carnalis, gratia possidetur spiritualis, et tamen gratiæ stipendium non facit hæredi testamentum. Perit enim gratia ubi hæreditas principatur. Sic canonicum fieri est, exire de ecclesia, non ecclesiam intrare. Sic intrantes, non sunt hæredes Dei, non cohæredes Jesu Christi. Tales ad se vocantes pontifices nostri, si forte videant paucos interesse dissimiles, nec eos vocant, nec diligunt, licet honorent coacti: nimis obliti summi pontificis illius qui, cum cognatos habuerit apostolos, nullum eorum præfecit aliis, sed alii super eos primatum concessit.

CAP. IV. Est forte qui hominem ignotum, et de nobilitate parentum vel amicorum non suspectum, consulat eligendum; et dicat, in electione pontificis, providentia consilio præmunire valet electuros, et providendo utilis potest adhiberi cautela; ut videlicet homo vilis, scientia modicus fama nullior, sibi notus, ignotus orbi, sublimitatem abhorrens, sublimis subito factus episcopetur. Si non talis in urbe, non deerit talis in rure. Si non reperiatur in oppido, reperietur in eremo. Multos habet tales eremus exsilii exiles eremicolas; quos licet quotidiana penuria intrare coegit, de cogenti tamen in spontaneam felicius se transtulere paupertatem. Felix quidem est necessitas quæ in melius cogit. Isti mundum contemnunt, mundum in mundo fugiunt, quorum adhuc in terra viventium conversatio

[1] Psal. 82.

in cœlis est [3]; quos adhuc detinente terra peregri- (A) nantes in tabernaculis, cœlum jam suscipit habitatores in domibus. Isti pennas assumunt, volant et non deficiunt. Volant enim super pennas ventorum, usque dum cœli spatia sibi subdant, ac pene penitus in cœlo consistunt. Pars etiam tantilla, quæ vix in terram restat, terram odit, terram detestatur, ad cœlos tota spirat, tota cœlis inhiat. Isti de superfluis non curant, necessaria sibi dimidiant, carnem insequuntur, spiritum ditare nituntur; quorum facies divinum quiddam portendit, humanum omne transcendit, hominem facit admirari, stupere, horrere; quæ scilicet hominem cum angelis indicat habere commercium. [Isti se parentes habere nesciunt unde venerunt. Tales sine damno credo posse sublimari. Ne credas iniquo. (B)

Cap. V. Ne credas, nixi: Non enim omni spiritui credendum est. Scio eremicolam olim pontificem; qui, antequam esset qui modo est, totus angelum sapiebat, angelum vincebat. At superinduto pontifice tunicatus latuit eremita, et super humeros illustrium incathedratus, capitis umbram cornuti prospexit longe anteire per urbem. Se devovit protinus, se descivit, sui penitus oblitus qui fuerat: et in lethargiam subito prorumpens, hujus infortunio passionis se felicissimum in corde jactavit. Quem si inter cæteras quæ se gratis offerant cogitationes, deinceps evasit eremi recordatio; illico præsto fuere formido, timor, horripilatio. Et quoniam præ omnibus quæ sibi placebant, eum eremi delectabat oblivio, totus sicut eremum, sic (C) eremitam, licet non exuit, exivit. Oblitus itaque sui devovit, ac cæteros qui hoc ad usque tempus nec se, nec alium noscere dignatus fuerat; et eum paulatim agnoscere cœperunt, qui tunc usque devoverunt; quem sic utinam a principio novissent! Nam, si rudis adhuc hominis tergiversatio pateret urbanis, si multiformes illius intelligerent fucos; silvestres adhuc colerent saltus et lucos. Si primum rudentinis bene novisset, ille Ægyptius velut a Moyse sepultus, adhuc in sabulo dormisset, et nunquam de luco ad lucem exisset; sed qui cavere didicerant a superbo et nobili, cavere nescierunt ab ignoto et humili. Et, quos fallere non potuit superbia, omni homini suspecta, facile fefellit humilitas hominis, ab omnibus aspecta.

Cap. VI. Non tamen erat humilitas, sed humi- (D) liatio fallax. Non erant virtus, sed vitutis actui similis actio. Gloriosa quippe res humilitas; qua ipsa etiam superbia palliare se appetit, ne vilescat. Humilitatem in vultu prætendebat, qui persequi humilitatem intendebat. Ovem in facie simplicem ostendebat, qui rapacem lucum in mente occultabat. Tunc fermentum parabat, quo cleri plebisque massam corrumperet. Tunc se longe retro post cæteros faciebat, quo præ cæteris longe antefieret; ut majori de longe remeans impetu prosiliret longius. Qui ut clero præferretur, et populo, locum sibi fertilem sterili præparavit in sabulo; ut quæ creditori semen negat mandatum, arena, fertilem ei pareret episcopatum. Cui etiam locus ipse multum deferre nostrates admonuit, quem quia remotus erat a locis publice peccantium, sanctitatem præstare credebant. Quod si esset, nec Satan e cœlo, nec Adam caderet in paradiso, nec Lot in monte peccaret, qui in Sodomis sanctus exstiterat. Locus tamen iste, quoniam arenosus et exsilis erat, plus cæteris homini sicco et exsili congruebat, cui nihil pingue, nihil carnale placebat. Cui refectio dulcis, satietatis jugis erat esuries, potus jucunditatis, sitis assidua. Quippe totus erat in spiritu, cujus fere tota caro defluxerat in lacrymis. De quo non est hominis dicere, quam pius, quam sanctus oculis orbis apparebat, quantum ab homine homo distabat.

Cap. VII. Nunc vero nihil in se pristinæ retinet consuetudinis, nisi unum solum, quod a puero consuevit; alterum videlicet tanto altius obliquare oculum ad supra, quanto inferius alterum ad infima declinat. Ut quoties ipse loquitur, solos, quos in terra prospicit, cernere cernatur oculus alter auditores, alter intendentes eidem sermoni, totum pontificis verbum fieri portendit ad oves in aere. Quod in argumentum probitatis et sublimitatis suæ sumptum, multos ad promotionem illius incitavit. Nam, cum illum sibi loquentem altero liberius et expedite cœlos oculo rimari, altero nimis libenter et laboriosius necessariis hominum usibus in terra providere cernerent, Deo gratias egerunt, quod utroque Rachelis et Liæ lumine caput unum insignitum invenerant. Multi quoque opinione sua rem subtilius intuentes, non mediocriter eos peccare dixerunt, qui lumen alterum ab alterius contemplatione detinebant. Quibus convenientius videbatur, ut in eodem homine, Petro in Joannem, Martha in Mariam transvolante, totum in spiritum conversus homo cœlos liber intrare sineretur.

Cap. VII. Sed quid hæc contra? Omnes pro eo loquebantur, omnes pro eo faciebant, quando de eo altiora prædicabant. Omnes ad illius libitum promotionis intendebant terminare negotium. Quis enim se subtraheret ipsius negotio sanctitatis? Erat apud omnes de homine ignoto, qui ignotum deseruit sancta et admirabilis opinio. Opinabantur alii melius de eo, alii optime, omnes bene, sinistre nulli. Omnem enim auferebat suspicionem aspecta in homine sanctitas, visa in eo religionis mira compositio, una fuit omnium voluntas, una cor ium concordia, affectus unus animorum, eademque sententia senum, juvenum et puerorum, Quippe universos univit in unam unius admirationem personæ forma hominis contemptibilis, habitus vilis, incessus humilis, humilis vultus, demissio pudica, gestus moderatio, suavis prolatio vocis

[3] Phil. 3.

pudor in facie, pallor in ore, macies in corpore toto, tremor in exsultatione, lætitia in timore, timor in servitio.

CAP. IX. Nec mirum fuit homines admirari in homine probitatis signa, cum adversantia probitati majori etiam admiratione digna dicerent qui aderant. In tantum enim videntes olim oculos et ingenia, quondam proborum ingenia, hebetavit opinata in extra simplici religio, ut quæ ipsi naturæ placuit in eo formare deformia membra, inter cætera magis torta laudarent et obliqua; et cui communem cæterorum visum natura negabat, cæteris illum videre clarius assererent. Quibus sua suasit credere fatuitas. Ut quidquid mutante natura minus ille receperat in datum optimum, totum ei larga præamantis gratiæ manus abundantius restitueret in donum perfectum. De quo magis credendum erat, quod exterior inferioris est nota deformitatis; ut qui oblique cernebat, oblique decerneret; qui oblique videbat, oblique disponenda cogitaret, oblique præcogitata disponeret. Non deferendum erat oculis, licet plus cæteris palpebras aperiebant, quorum pupillas albugines operiebant. Albugines non solum exteriorem visum obnubilant, sed obnubilatum interiorem designant. Nisi enim albugo et scabies intimam animæ significarent corruptionem, non sanctam habentibus negarent administrationem, nec in lege prohiberentur hujusmodi promoveri. Sed tam diu nos latuere significantia, quousque præsto fuere significata.

CAP. X. Modo notus est ab homine, qui se desiit hominem noscere. Notus est in persona non in homine, qui manserat ignotus in homine non in persona. Incepit paulatim a paucis agnosci, quem ulterius progrediendo magis magisque noverunt universi. Modo notus est extra se, qui mansit ignotus quandiu mansit apud se. Modo humilitatem simulare, sine simulatione dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur, frontosus et impudens factus, facile fatur, facillime minatur, ardescit ira, tollitur insania, furore fervescit; nec in flagitiis vires illius debilitat dierum antiquitas, quem ipsa senectus animare videtur ad scelera. Nec mirum : suum est enim scelerum, ut, dum non resecantur, increscant, et in augmenta criminum prosilitur quoties impunitate secura peccatur. Unde furor ejus non minuitur, non refrenatur, ardescit, in pœnis magis accenditur. Concipit facinora, sed concepta festinanter implet. Disponit scelera, sed instantissime perpetrat. Nec ut sua solus exerceat flagitia, suæ patiuntur divitiæ. Factus enim dives arca, non merito; possessione, non genere; nomine, non honestate, multa secum et minis et muneribus compellit insanire millia; et unus ipse demens dementes efficit multos; ut de ipso recte dici videatur : *Currit adversus* humiles et *erecto collo, cervice armatus* durissima [4]; incedit erectus et tanquam onager se liberum natum putat. Et sic ab humilitate in qua stare videbatur, in superbiam corruisse probatur.

CAP. XI. Ab humilitate vero in superbiam cadens, a quo bono in quod malum non corruit? A nullo, si nullum habuit. Sed, si habuisset quæ habuisse et habere videbatur, corruisset a charitate in odium, ab humiliatione in elationem, a largitate in rapinam, ab interiori profectu in exteriorem gloriam, a pietate in crudelitatem, a fide in perfidiam, a spe gaudii sequentis in desperationem, a patientia in iram, a pace in jurgia, a lacrymis in risus, a consideratione vitræ mortalis in voluptatem. Verumtamen tota fraus sua, imo totus suus ipse fraudis, imo tota ipsa fraus, totus ipse modo fraudatur; nam, qualis erat ante, deprehenditur modo, fallitur cum foris agnoscitur, et intus, notatur ab omnibus indicatur ab omnibus, eo quod vehementius indignantur omnes, qui falsum conspiciunt quidquid prius de eo opinabantur. Elegerunt hominem paces, quem pacis habent inimicum. Sub quo namque tyranno tot unquam auditæ sunt strages, tot ruinæ, tot in Ecclesiæ scissuræ, tot scandala? De Simonia, de cæteris quæ sibi dedicat cultrix idolorum avaritia, quid dicam? Quibus horum facinorum caret angelus hic apostata? Quæ sunt in foro, quæ ipse non faciat in sancta domo?

CAP. XII. Hunc nimirum sicut nulli præcesserant parentes, sic nullos ei suspicabantur successores. Sed audito nomine, steriles enisi sut parere montes, et nati sunt ei mures ridiculi. Quibus recenter natis, prima die ebullit tota aula pontificalis, secunda vero repertæ sunt vulpes fraudulentæ. Interposita enim nocte, de muribus fecit vulpes illa vulpe vulpior omni. Hos deformando sibi conformavit. Hos dedocendo docuit. Hos male instructos, pejus intrusit, exclusis Ecclesiæ filiis. Ramos fregit naturales, ut oleastrum insereret, et socium faceret radicis et pinguedinis olivæ. Cujus non modo socius effectus est; sed, abscissa oliva, dominium usurpans radicem sibi vindicavit oleaster. Respiciente tamen Orientis ex alto misericordia, surgere cœpit aquilo et auster venire, quo spirante suavis illico fragravit odor aromatum in horto sponsi. Cujus mirabili dulcedine loca tangente vicina, circumquaque flare cœpit aura serenior solita, blando et benigno vultu redire serenitas; ac, suo denuo sole læta cœpit Ecclesiæ facies indui. Gaudet post hiemem verna temperies, grata sentitur serenitatis aura post nubilum, quietis recreatio post laborem, post transitum per ignem et aquam eductio juvat in refrigerium. Reclamante oleastro, reinserta est oliva. Potens est enim Deus oleastrum radicitus exstirpare, quod, in spe longanimis, sperat oliva; cujus spes quanto productior tanto fructum dabit gratiorem. Hoc etiam ipsum non erit inutile deceptis, quos falsa diu delusit imago, malam arborem inter cæteras movisse, ut deinceps a nota caveant quos ignota fefellit. Olim

[4] Job 15.

ı foliis opinabantur, quam oleastrum a enique perceperunt.

{III. Tace igitur qui talem eligendum con- Ne credas amplius exsanguem esse sine e spiritum sine carne, agnum sine dolo, ne lupo, nullius hominem generis sine pa- s, nullius posterum sine successoribus. Ger- uidem est dignitatis, multitudo ; et insepa- inhæret ei consanguinitas, quam Æthiopi , Inaudita est dignitas sine parentela. Una e tot ei parit parentes arena, quota ipsa est. erra sinum suum, parturit sine dolore ; et ndum mota senuerat, gens simul oritur ple- cujus ortu, totus ubique cernitur orbis de- i scatere popello. Stupet quicunque vide- ecunditatem parientis, capacitatem uteri, li modum, nascentium gestum et habitum. ıempe momento uno radium oritur innume- ut nunc primum videantur impleri prophe- *serta et solitudines terræ* angustabuntur *præ ıribus, et longe fugabuntur* [5] qui habitabant, licent filii sterilitatis : Angustus est locus, tium nobis ut habitemus. Sed quid ad hoc non habens unde tot nutriat terra mater nisi ejudem prophetæ lingua loquatur et *Quis genuit mihi istos ? Ego* quondam *sterilis pariens, transmigrata et captiva, et istos quis* et*? Ego destituta et desolata, et isti ubi* [6] *?*

XIV. Ilis igitur absque patre natis, unde ıria ministret, quasi mater altera, sollicita cum in se non invenit quæ tantæ multitudini nt alimento, præcavens suis, suos facit alte- t quos natura de die in diem magis impau- ostiatim concesserat mendicare ; hos fame- nformes et semihomunculos, mobilis in gre- :ipit fortuna ; ut eos iterum concipiat, pariat, tet, nobilitet. Gaudet enim jus et potentiam ıus exercere ; quæ semper ex innata sibi con- ine, et *pauperem facit et ditat, hnmiliat et sub ıgenum de pulvere suscitat et elevat de ster- :uperem* [7]. Unde terræ matri anxiæ, voce cer- nte, voce prophetæ respondere potest : *Ecce 'o ad gentes manum meam, et ad populos exal- ɪnum meum, et afferent filios tuos in ulnis, et ıas in humeris portabunt ; et erunt reges nutri- et reginæ nutrices tuæ* [8].

XV. In instructione vero rudium, primum t fortunæ, suis eos extunicare panniculosis s, multiformiter assutis et resarcitis panno altero et deinceps. In quibus dubia erat ma- ıi formarum discolor imprimeretur varietas. super his, ut huic operi, majorem dedissem ı, cum furore tortor vellet de jure causari, ræjudicaret acus texturæ, quam tantum, non ım pluralitas, sed suendi superat assiduitas. ere namque studuerunt innumerabiles et cives et civitates, lanas adhuc rudes fullonibus committere fucandas ; ut materia simplex, fallentibus ludificata formis, nec minus intuentes decepta deciperet oculos ; et mutatis artificio velleribus placuit urbanis admirandas componere telas ; de quibus post annorum curricula multorum, unum hujusmodi vile conficiatur indumentum. In quo pannus novus, « qui splendeat unus et alter » assutus panno veteri, majorem cogit fieri scissuram. Unde, quoniam in pannoso hujusmodi tegumento, de reliquiis innumerabilibus, quas decrepita digne rejici censuit antiquitas, dispariter conjuncto, paupertina resarcientis acus quotidianæ subvenit necessitati ; merito rude unius, polito multorum supereminet artificio. Licet quæ primo hujus operis non parum insudavere labori, jam mille sunt defunctæ manus, milleque superstites. Nobis igitur supervenientibus, omnem in alumnis interimit fortuna vetustatem. Et quos ubique prædicat dignitatis esse nepotes, dignitati digne mandat alendos.

Cap. XVI. Hos igitur vix quoquo modo genitos, quos diu sub panno tenui celaverat ignobilitas ; sublimitati, ne sterilis vivat, plene gignit et parit fortuna. Quibus, eo ipso quo nascuntur momento, animosa genitrix inspirat altum sapere, cogitare sublimia, discrete loqui. Mox eos delata omni ruditate, quasi fungos compluit in palatium. Quos eadem horula simul concipit, parturit, parit, ornat et instruit. Tempore uno nascuntur et equitant per urbem, feruntur et imperant, aulam ingrediuntur, et familias disponunt : manibus ad ecclesias portantur, ubi exaltant et deponunt, pretiis et precibus ad causas trahuntur, ubi soli conduntur auditi simul oratores et judices ; momento facti diserti judicio, qui diu vixerant imperiti sine verbo : heri, senes erant nondum locuti ; perorant et disserunt mirabiliter, hodie nati.

Cap. XVII. Est horum audita secunda nativitas celebris apud multos, quorum prima nescita fefellerat universos. Quos enim de nihilo conceptos, nihiliores natura pepererat ; in pompa et præconio splendide facit renasci fortuna benignior. Proh dolor ! Non pedebat olim nudos, sua cunctis patere pudenda pedibus albis nuper usques ad urbem venerant. Modo, repente mollibus induti, liberos olim pedes, huic ingratos honori, stragulatis incarcerant sotularibus ; qui renuunt et recalcitrant, ac si capsam camelus argenteam aculeis intrare cogatur. Reclamantes autem et renitentes urgent talos auratis lucere calcaribus. Facti quoque subito subita graves majestate, sceptris innituntur, tribunalia scandunt, pulvinaribus molliter insident sericis, purpura pedibus jacet substrata tenellis ; quos a spinis ne pungerent, a lapidibus ne læderent acutis, olim defendebat innata durities. Et, qui post pecora fistulas buccis inflare solebant trans-

49. [6] Ibid. [7] I Reg. 2. [8] Isa. 49

slati de caulis ad causas, proh dolor! audiuntur audacter imperare magnatibus, hæccine viget et floret optima dignitatis generatio, perversis prava, exasperans!

EXPLICIT PARS SECUNDA.

INCIPIUNT CAPITULA TERTIÆ PARTIS.

PARS TERTIA.

CAP. I. Supradictis in eodem adduntur honore filii fraudis, quis cenodoxiæ oleum copiose vendere didicerunt. Quos ad duo promptissimos magistra talium componit adulatio; ut videlicet, et bona malo semper animo, et mala dicant, dolose laudando. Hi pariter omnim, quos a dominis audiunt, judices candidi sermonum existunt indefessi. Qui, ob nimium dominorum unguem, si forte rudi sectum forcipe reperiant, si longiorem cæteris in barba pilum inspiciunt, si malum positum in capite videant obliquare capillum, fremunt, frendent, stomachantur, ab ipsis etiam dominis vix denique sedandi. Quorum tota intentio est, ut se dominis amabiles faciant, causas quibus obsequantur, exquirere. Unde in verbis et in operibus nihil sine laude perire sinunt. Quidquid enim dicunt et faciunt, non quantolibet hominum, sed solis dignam prædicant angelis. Quorum facta, si etiam manifeste pessima sunt, arbitorum præjudicio talium bonis præcellent. Aliorum favent dictis, annuunt factis, nihil renuunt, nihil recusant, quod voluerint volunt, quod ab his optatur, exoptant: quod desideratur, et ipsi desiderant, secundum cor eorum cogitant, gerunt, concipiunt, perficiunt; corda, sed non corde, cordibus jungunt, mentem, sine mente, mentibus adnectunt. Efficit enim hoc in suis adulatio, ut quibus adulentur aientibus aiant, et negantibus negent; qui cæteris displicere, solis placere quærunt, a quibus extorquere intendunt. Sicut enim sola non adjecit, quæ secum arrogantiam et derogationem socias habet indissolubiles: ita non modo, quod sui juris est, blandiri scilicet, et favere: sed, quod ex accommoda trahit comitum proprietate, derogare facit et arrogare. Unde primum oleo capita dominorum impinguant; secundo ut se jactanter arrogent, cæterisque dolose derogent. Quos Apostolus dicit: *Deo odibiles* [9]. eosdem Propheta comdemnat, dicens: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguan magniloquam* [10]. Labia quippe dolosa, ad derogationem, linguam magniloquam detulit ad arrogantiam. Arrogantes namque in se ipsis extolluntur, et jactantur, de se loquuntur, loqui multiplicant, in magnis et mirabilibus super se ambulant. Derogatione vero assidue susurrant, discordias inter fratres seminant, aliorum bona negant seu invertunt. Qui ut alios fallant nec ab aliis fallentur, duabus semper viis gradiuntur. *Væ*, inquit, peccatoribus *terram duabus viis ingredientibus* [11]; terram duabus viis ingrediuntur, qui in et corde loquuntur; *qui loquuntur bona cum proximo suo mala autem in cordibus eorum* [11*].

[9] Rom. 1. [10] Psal. 11. [11] Eccli. 2. [11*] Psal. 27.

Cap. II. Ab his, licet non parum cavebat, obsessum se Propheta dicit et circumdatum: *Circumdederunt me sicut apes* [12]. Apes recte vocati sunt, qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt. Loquendo enim mellis dulcedinem proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. Quos stimuli causa alius propheta scorpiones appellat, cui dictum est: *Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* [13]. Isti enim increduli sunt Deo, subversores hominibus infirmis, scorpiones fortibus et robustis; quibus, etsi in facie contradicere non præsumunt, ex occulto tamen vulnus derogationis inferunt. Qui recte scorpiones dicuntur, quando blandi et innoxii in facie videntur, sed a dorso venenum infundunt; pacem ostendunt, et odia nutriunt; amica dicunt, et inimica faciunt; pacatas suscitant iras, æmulantur, invident, alter alterum obliquis comedunt morsibus; vitia dissimulant, dicentes: *Pax, pax, et non* est *pax* [14]. De talibus recte dictum est: *Sonitus terroris semper in auribus* eorum, *et cum pax sit, insidias suspicantur* [15]. Dolose namque agentes, erga se simpliciter agi non æstimant. Quorum mentes semper in laboribus sunt, quia aut moliuntur mala quæ inferant aut metuunt, ut hæc sibi ab aliis inferantur. Qui dum alios infestare non cessant, in seipsis requiem non habent. Illis tantum est hoc opus, otium et labor iste, quies. *Exultant* enim *cum male fecerint, et lætantur in rebus pessimis* [16]; sed *extrema gaudii* sui *luctus occupat, et risus* eorum *dolore miscebitur* [17]. Docent linguas suas *loqui mendacium*, os suum abundare malitiæ [18], *sed labor labiorum ipsorum operiet eos* [19].

Cap. III. Hæc tria vitia, quoniam mortifera sunt, se totis persequi viribus, tribus ostendit propheta versiculis, ubi dicit: *Qui loquitur uniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar; superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam* [20]. Quid aiebat in arrogantem? *Cum hoc*, inquit, *non edebam*. Quid contra derogantem? *Hunc*, inquit, *persequebar*. Quid contra adulantem? *Non derexit in conspectu oculorum meorum*. Quis non direxit? *Quis loquitur iniqua*. Adulatores enim iniqua, et inique maxime loqui dicuntur; quoniam cuicunque isti subdoli prædones adulantur, nisi caveat, ipsum sibimet rapiunt et furantur. Et cum simul in uno sint, et fere ubicunque sunt, connexa sunt hæc tria vitia, non tamen apud omnes quibus officiunt, sua simul habent officia. Uno namque tribus his jaculis feriente, non quoscunque ferit omnes omnibus feriuntur. Multos enim ferit adulatio, quibus derogatio parcit; et arrogantia nemo læditur, nisi de quo ipsa nascitur. Unde sæpe fit ut, qui hujusmodi sceleribus operam dare consuevit, quoties vitium vitio commutat, personam etiam mutare videatur. Differt enim a se jam altero laudator blandus, cum de levi fautore detractor efficitur austerus, et differt a se utroque technis ipse fetus arrogans, qui cum defert sibi soli, auferre nititur omni, quod sibi cumulat uni. Cum igitur sint pessima tria hæc, efficacius ad pejus malum est adulatio, quod suos vanæ laudis edocet præconia, et edoctos item ad laudis instruit contraria. Inauditus enim est laudator immoderatus, qui vel eidem cui modo laudes ore pleno cantabat, vel alii cuilibet quando et quantum libuerit, cantata decantare sit ignarus. Nam quidquid hodie laudum irrogat esurienti; cras, si volet, digniori poterit auferre vituperio. Arrogantia, solos quos inficit, interficit; et ex derogatione audita patienter, solet in auditore virtus augeri. Ex adulatione vero, quanto patientius auditur, tanto profundius in eo auditoribus virus dulce infunditur. Quod si miser auditor sponte semel gustet, bibat, hauriat; tunc propinatores applaudunt, tunc uberius effundunt, et *euge* repetito, dicunt, *devorabimus eum* [21].

Cap. IV. Hinc est quod Propheta, quem non latebat latens sub labiis eorum venenum aspidum, a Domino petebat non solum istos a se repelli, sed festinanter, et confusos, et erubescentes. *Avertantur*, inquit, *statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge* [22]. Et alibi: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi; Euge, euge* [23]. *Statim*, inquit, *avertantur*, ne contra tales increpatio protelетur; cum tamen sæpe increpatio provide differatur, ut postmodum benigne suscipiatur. Nam et femina sapiens, videns Nabal ebrium, increpare noluit; quem digesto vino non inutiliter increpavit [24]. Adulatio vero, si vel ad tempus patienter suscipitur, augetur; ut paulisper demulceat animum, et a rigore suæ rectitudinis emollescat in delectationem sermonum; quæ, ne crescere queat, statim est ferienda. Non crescebat in conspectu illius qui dicebat: *Non direxit in conspectu oculorum meorum* [25].

Cap. V. Venit in mentem me legisse [26] filios Amon barbas legatorum David, qui de morte patris eos consolari venerant, dimidias rasisse, et vestes præcidisse medias usque ad nates. Adulatores namque turbidi et inutiles, ad quos consolandos de morte patris sui venerunt legati David, cum super eos spirituali Patre orbatos ministri Christi pastoralem curam suspiciunt, convertunt se ad redendas barbas, cum eorum rigorem et severitatem oleo iniquæ adulationis emolliunt; vestes etiam usque ad nates præcidunt, cum eos tanquam molles et effeminatos usque ad immunditias et flagitia pertrahunt pravis colloquiis miserisque blandimentis a dignitate castitatis enudant. Hoc enim solum est quod machinantur et fabricant, initiantur et consumunt

[12] Psal. 117. [13] Ezech. 3. [14] Jer. 6. [15] Job 15. [16] Prov. 2. [17] Prov. 14. [18] Jer. 9. [19] Psal. 139. [20] Psal. 100. [21] Psal. 34. [22] Psal. 69. [23] Psal. 39. [24] I Reg. 23. [25] Psal. 100. [26] II Reg. 10.

integritatis inimici, pudoris hostes, pudicitiæ latrones, castitatis prædones. Qui, sancto Job testante [27], pedicam suam abscondunt in terra, et decipulam suam super semitam. In terra pedicam abscondunt, cum culpam sub terrenis occultant commodis, ut videat homo quod concupiscat et non videat in quo culpæ laqueo pedem ponat. Et decipulam suam super semitam. Intuentur enim mores cujusque, cui vitio sint propinqui; et illa ponunt ante faciem, ad quæ cognoscunt facilius inclinari mentem. Quorum impossibile est foveri consiliis, oblinire blandimentis, quin altera vel utraque hominis castitas amittatur. Utraque sæpe, altera semper. Semper enim castitas mentis amittitur, quoties castitas inimicis creditur. Mente vero manente non integra, irrita apud Deum manet carnis integritas. Unde et Moyses cordis præputium jubetur circumcidere [28]. Et Job, [29], sicut vir lumbos præcingere. Non enim cordis præputium circumcidit, nic sicut vir lumbos accingit, qui carnis edomat lasciviam, mentis amissa castitate; cum Deo nequaquam pulchra sit casta generatio, nisi cum charitate [29*]. Debent itaque legati David contra insulsos adulatorum sermones, contra condita sine sale colloquia, et a Deo postulare tutelam, ne forte postquam seniles virus dulce gustarint morbi, vix aut nunquam curabiles valeant invenire medelam. Contra hujusmodi homines Propheta in se sibi non inveniens auxilium, auxilium petiit a Domino qui fecit cœlum et terram [30]: *Domine*, inquit, *libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* [30*]; ab his etiam qui perperam agere me palam incitant: ab his etiam qui mala, quæ suggerunt, verborum foliis obnubilant. Idem quoque, ne sibi vel alii loquendo noceret, omne linguæ vitium a se removeri petiit, dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* [31].

CAP. VI. Ostium vero nolunt poni labiis suis isti vaniloqui, malevoli, facinorosi qui libitis indifferenter pro licitis; qui ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis, animum, manum et pedem non cohibent; sed quidquid in cor, in os et ad manum venit, machinantur, garriunt et operantur, ubicunque ambulant, stant, sedent; lingua, manus, caput, aures, oculi, digiti, pedes non pausant, non vacant a strepitu, minor etiam particula corporis; sed moventur membra omnia simul et tota, ita ut e motibus exterioris hominis homo valeat interior agnosci. Horum sunt in conventu primæ sedes; in consiliis, primæ responsiones. Veniunt non vocati, intromittunt se non rogati, silentia loquentibus imponunt, audacter omnibus opponunt, respondentes suffocant, sermones sermonibus cæcant: quibus elatrantibus satius est tacere quam respondere. Sufficit enim pro responsione labia movere tacendo, quoties hi sese clamositate sua non audiunt, nec respondentem. Credunt enim qui seipsos insurdant, quod sibi ringendo clamantibus cæteri pariter acclament, et respondeant, si solum eos labia movere prospexerint. His conceditur a dominis ordinata reordinare, facta reficere. Quidquid ipsi non fecerint vel ordinaverint, nec recte factum, nec pulchre dictum credunt, neque ordinatum. Horum est, post audita judicia, judices corrigere: præjudicare judicaturis. Horum est perpetua sitis et esuries, auditores habere quos vanitando decipiant, quos verbis inanibus illiciant, quibus mel venenosum effundant, quibus quales et quanti sunt innotescat, et tandem occasione reperta loquendi, de thesauris sceleris vetera proferant et nova. Verba resonant turgida et ampullosa. Nullus interrogat, et respondent. Nemo quærit, et determinant. Ipsi quærunt, ipsi solvunt; et a tacente sæpe audiunt quod ipse etiam non considerat. Nec verbis modum sciunt ponere, usque dum in Eliu verba prorumpant: *En ventres nostri quasi mustum sine spiraculo, quod lagunculas dirumpit* [31*]; aut loquemur ergo aut dirumpemur. Pleni enim sumus sermonibus, et coarctat nos spiritus uteri nostri.

CAP. VII. Dicant itaque pontifices qui sunt, quid sibi visum est de nostris qui dicuntur episcopis. Estne credendum eis, qui tales audiunt, qui tales consulunt, talibus aures præbere lætantur? Hos hi prælati latus sibi tutum habent. Hos hi domini pie fovent. Nam si dominis impie favent, horum est his grata præsentia, dulce consortium, suave colloquium, jucunda queis ac sermo efficax, ferventissimusque affectus. His lætis domini lætantur, his præsentibus omnia præsto sunt; his sublatis, et omnia simul abeuntibus abeunt, simul et deliciæ et lætitiæ; curæ irruunt, molestiæ hinc inde pulsant, angustiæ sunt undique, soli remanent, soli sub honoris onere laborant, soli sub dignitatis sarcina gemunt; quam aut ponere aut opprimi necesse est, si humeros isti subduxerunt.

CAP. VIII. Dicant ipsi qui tam impudenter agunt, qui tam crudeliter in sese sæviunt; unde rabies hæc? Unde est quod sibi de se non credunt, sed fautoribus suis mendacissimis? Et cum de cæteris rebus magis sibi credant quam cæteris, quare de se solis magis credant cæteris quam sibi? Credunt quod audiunt, laudantibus applaudunt, sed quid laudator attendat non attendunt. Obliviscuntur intentionem, dum amplectuntur opinionem; et quidquid de se laudatum agnoscunt, non ignorantiæ aut benevolentiæ laudatoris, sed suis meritis ascribunt. Unde tanta obstinatio? Unde cæcitas hæc? Sese, credo, ignorant; sui penitus obliti sunt, et a se longe remoti. Multum est ab his cœlum remotum; et ipsi multum plus a se quam a cœlo, et affiniores sunt Caucaso monti quam sibi. Qui quanto a se re-

[27] Cap. 18. [28] Deut. 10. [29] Cap. 16. [29*] Sap. 4. [30] Psal. 120. [30*] Psal. 119. [31] Psal. 140. [31*] Job 32.

motiores existunt, tanto magis incuria sui curiosos facit ad alia.

Cap. IX. Ad alia circumspicienda se Dina transtulit [32]; sed in se torpida mansit, sese non circumspexit. Voluit male videri, sed pejus visa fuit. Voluit male cognoscere, sed pejus cognita fuit. Relicto duce pubertatis suæ simul se et domum patris exivit, ut videret mulieres regionis illius. Egressa cæteras vidit, ipsa se latuit. Alias agnovit multas, se ignoravit unam: quid foris lucrata est negotiando, quod domi non haberet otiando? Sibi corruptionem, patri dolorem, contumeliam fratribus, opprobrium generi. Non consuluit patrem filia; filia dicenda, non patris, sec patrui; patrui, quem imitata est exeundo domum, foras vagando non patris, quem imitari noluit, domi simpliciter manendo. *Erat,* inquit, *Esau gnarus venandi, et homo agricola; Jacob autem vir simplex* habitavit *in tabernaculis* [32*]. Illo foras vagante, per saltus venante, cum penitus oblitus esset a fratre venditæ lentis; iste cibos domi paravit, paratis patrem invitavit, consilio prudentis feminæ [33]. Prudens fuit femina, quæ consuluit; prudens fuit vir, qui prudentis consilio feminæ credidit. Hujus prudentis viri imprudens filia fuit Dina [33*], sed non fuit digna Dina prudentis viri dici filia-nec dici filia Jacob, cujus Jacob pater exstitit. Sicut *enim non omnes qui sunt ex Israel, Israelitæ sunt;* et sicut non omnes *qui sunt semen Abrahæ* sunt *filii* [34], sic nec filia Jacob appellari meruit, quæ noluit supplantare peccata; sed succubuit a peccatis supplantata. Depatrissantem namque filiam, filiam nemo sapiens appellarit, sicut nec Joseph fratris sororem, quæ a fratre degeneravit. Qui, postquam mulieris impudicæ blandimenta, jocos, amplexus, oscula sprevit; postquam multiformes assultus illius non respexit; post varios anfractus, relicta veste qua tenebatur, fugiens evasit [34*]. Sed qui tacentium Moysis et Susannæ clamorem audivit, clamantis audiens silentium juvenis pudici, nudum illum fugere non permisit, quem pallio longe præstantiori præsto cooperuit, innocentiæ, pudicitiæ, castitatis. Quibus in hac lucta de virginis hoste triumphantibus, palmam adeptus est, quam merebatur integritas; non passus est alter iste Jonas in ceto naufragium. Puer iste cum pueris non in ea sensit ignis incendium, quem, quantum in se fuit, femina, fera pessima, devoravit; sed integrum et illæsum in ipsa voragine manere juvenem stupuit gulosa belluæ devorantis esuries. Unde spiritu prophetiæ tactus ex parte patriacha Jacob flens et ejulans prædixerat: *Fera pessima devoravit filium meum Joseph* [35].

Cap. X. Proponitur igitur Joseph sanctissimus, mirabile cæteris exemplar, ut a prædonibus pudicitiæ caveant, se custodiant, a se non recedant, et sui non obliviscantur. Quem non imitando et Dina virginitatem, et Esau hæreditatem perdidit et, adhuc patres prædicti amittunt sanctitatem. Qui, dum se cognoscere negligunt, dum se videre contemnunt, dum se circumspicere torpent; nec cum apostolo [35*] in anteriora se extendunt, nec cum sanctis animalibus ante faciem suam nec coram facie sua ambulant [36]. Ante faciem suam non ambulant, quia anteriora non petunt. Nec coram facie sua; quia sibimetipsis præsentes non sunt, absentes enim sibi sunt qui semetipsos exquirere atque cognoscere solliciti non sunt. Quibus ad aliud intentis, latenter interim in cor eorum serpens labitur adulatorius; cujus persuasio gratanter auditur, deceptio sponte suscipitur; placent eis ejus venenata colloquia; quæ, dum recipiuntur, despiciuntur monita salutaria. Blandus hic in dolo serpens, blandimenta sitientes blande nimis alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit; et tanquam iterum audito: *Nequaquam moriemini* [36*]; et palliato fine consilii, velut iterato, *eritis sicut dii* [37], hauriunt virus perituri, propinanti virus futuri. Nescit enim mentiri, qui patrem mortuum sepelire volenti, dicit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* [38].

Cap. XI. Dimitte, inquit, se invicem sepeliant adulatores, et qui audiunt, cum ab indignis indigni laudantur, et sontes sontium testimonio comprobantur, accipiunt et reddunt, et consequuntur, et referunt; uno tempore et qui dederat recepit, et qui receperat reddidit. Sese itaque sepelire mortuos patres ac filios vanæ laudis amatores, item ipsa Veritas dicit. Quoniam sibi invicem facti; sunt sepulcra, et patres filiis et filii patribus, culpa simili, sed deformi, conformes, simili quoque pœna plectendi; graviori tamen qui, quos deberent corripere, corrumpunt. Nam, si difficili dignos efficit pœna filios non corripere corruptos; difficillima coercendos instituit corruptos magnis corrumpere. Non corripuit filios suos Heli [39]; unde filii ab hostibus interfecti sunt, capta arca Domini, mulier in partu, morta, ipse ruptis cervicibus de sella retro cecidit. Core, Dathan et Abiron multos corruperunt [40], et cum multis perierunt. Missus est ignis de cœlo, consumpsit alienum ignem offerentes. Alios, ruptis terræ compagibus, absorbuere tartara viventes. Quid erit igitur de his qui nullam in corripiendi operam fecere, quorum tota et omnis est intentio hos a quibus occiduntur, occidere, a quibus humantur humare. His quippe quos audiunt, non immerito sepelire dicuntur auditores; quoniam diligenter audiendo eos in scelere fovent et faciunt adulatores. Si enim aures averterent, vultum contraherent; male loquentes etiam tacendo docerent, discerent non libenter dicere, quod didicerunt non libenter audiri. Quod nimirum facit qui sibi dictum

[32] Gen. 34. [32*] Gen. 25. [33] Gen. 27. [33*] Gen. 34. [34] Rom. 9. [34*] Gen. 39. [35] Gen. 37. [35*] Phil. 3. [36] Ezech. 1. [36*] Gen. 3. [37] Ibid. [38] Luc. 9. [39] I Reg. 2. [40] Num. 16.

recolit; *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* [41].

CAP. XII. Sepelitur autem a mortuis, mortuorum mortuus auditor, cum peccatores adulando furoribus indignis falsisque laudibus peccantem deliniunt, eumque exstinctum quasi sub verborum aggere suorum abscondunt. Contra quos omni filio suo Sapientia consulens: *Fili mi*, inquit, *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* [42]. Illos vero qui Sapientiæ credere contemnunt, tanquam parvulos et stultos arguit ipsa, dicens: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ noxia sunt cupitis* [43]? Recte etenim, licet senes et decrepit sint, parvuli dicuntur, qui panem fastidientes adultorum, adulatorum adhuc lacte nutriuntur. Quos bene Dominus tribus jam suscitatis mortuis [44], in quarto quem mortuum audivit et suscitare noluit, vix aut nunquam a peccatis suscitandos significavit. Quoniam qui labiis iniquis ac linguis dolosis libenter acquiescunt, vix aut nunquam a vitiis resurgunt. Tales namque peccatorum oleo impinguatis capitibus suis [44*], consilium Sapientiæ contemnunt, et reprobatis sensibus in profundum malorum miseri trahuntur, vitiorumque tyrannidi captivi traduntur; ita ut carnalium voragine desideriorum absorpti, suæ rationis divinique timoris obliti, insipientes dicere cogantur: *Non est Deus* [45].

CAP. XII. O quam terribile, quam profundum et inscrutabile Dei judicium! Postquam prima flagitia iniquitas sequitur, experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, regnante peccato, sopitur vitio, ligat consuetudo. Indignum est quidem hominem sordere; dignissimum autem in sordibus existentem plus abhuc sordescere [46]. Nostri siquidem in oculis suis sapientes sæpe legerunt illud Sapientis: *Omni custodia custodi cor tuum* [47]. Quo igitur a corde recedunt? Cui se interim committunt? Recedentes a corde, recedunt a Deo, a se pariter, et a nobis. « Redite prævaricatores ad cor, » audito millies, non redeunt, magis magisque contemnunt. Sparsis enim mentibus foris, ad semetipsos redire difficile est. Quia prava itinera semel captos tanto delectabiliter tenent, quanto quod libuerit licet. Disciplinæ namque muro injuriis non obviante, nulla retributionis pœna prospicitur quæ terreat; sed, clausis oculis cordium, præcipitantur animæ, et tanto securius mala perpetrant temporalia, quanto durius bona desperant æterna. Unde non audiunt, sed adhuc in regione dissimilitudinis morantur; ubi morando moriuntur, et mortui sepeliuntur; ubi porcos diu pavisse, unique non solum civium, imo tot regionis illius, civibus, quot vaniloquis, fautoribus, adhæsisse non erubescunt, Quos non revocat pudor, ratio non coercet, non emollit pietas, non terret auctoritas, justitia non flectit. Cogitur enim Israel captivus dominanti reddere tributa Chananæo; quem in manu forti et brachio extento subjugaverat, subjugatum sibi tributarium esse coegerat. Arma dat hosti turpiter victus; quem victor insignis mobiliter exarmaverat. Nec quod habitat peccatum, nolente quem habitat modo peccare, dicitur. Ubi carnalis vestigia pruriginis animam sequi non pudet, simul cum carne titillantem; uterque homo miserrime trahit et trahitur. Inde per ignoratam carnis fortitudinem, superbia cum præcipitante, quo per agnitam ejus debilitudinem humilitas eum sublimaverat. Super quem os suum puteo urgente, nulloque super lectum doloris ejus opem ferente, jacet, languet, torpet, cæcus, claudus, aridus, nec meretur audire medicum qui dicat: *Surge, tolle grabbatum tuum et ambula* [47*].

CAP. XIV. Caveant igitur a fermento cenodoxorum, quod est adulatio; caveant vigilantius, quicunque vigilanter hucusque caverunt; quibus non placuit verba suggere nefanda, quibus hujus modi labes non adhæsit, quos hæc tabes non infecit. Caveant ne seducantur inanibus verbis [48]; sed resistant fortes in fide [48*]. Modicum enim hujus fermenti massam corrumpit omnium bonorum [49]. Nemo audiat nemo credat. Cui semel aures miserabilius præbuisse est allici blanditiis; simul credidisse, duris astringi catenis. Ex quod enim vaniloquio creditur, credentem adulatio regendum suscipit; quem deinceps dominæ moribus obtemperare necesse est. De qua vix triumphat, de quo ipsa semel triumphavit. Leges enim obligant, omne jus injuriat, divinas obradit sanctiones, hominem sibi totum vindicat; quem in exterminium ducit erroris, oblitum quam cum Deo et ex Deo habeat dignitatem. Audiant pastores pastorem et episcopum animarum suarum, jubentem sanato, ne cui diceret. Audiant successores apostolorum, Petrum a Cornelio licet bene agentem, immoderate venerari recusantem, seque similem illi recognoscentem: *Surge*, inquit, *ne feceris*; *et ego ispe suum homo* [49*]. Audiant angelum Dei angelo Joanni respondentem: *Vide ne feceris; conservus enim tuus suum et fratrum tuorum* [50]. Apostolus quoque, de meritis baptistarum jactantes, et dicentes: *Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo* [51], audire non potuit, sed velut obstupefactus, audito nomine Pauli, inquit, *nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* [52]? Quid autem respondendum dicemus blanditoribus istis, qui bona nunquam intentione, sed subdola tentione laudatum attendunt? Recolant sancti pontifices, quid tentatori sanctissimus respondit pontifex; *Vade*, inquit, *retro, Satana* [53].

CAP. XV. Antiepiscopis vero nostris quid in hujusmodi tentationibus pulchrum videatur, admodum admiror. Nam, sive a se, sive ab aliis bona sua publicare placeat; postquam vas sanum et ser-

[41] Eccli. 28. [42] Prov. 1. [43] Ibid. [44] Joan. 14. [44*] Psal. 140. [45] Psal. 13. [46] Apoc. 22. [47] Prov. 4. [47*] Joan. 5. [48] Ephes. 5. [48*] I Petr. 5. [49] Galat. 5. [49*] Act. 10. [50] Apoc. 19. [51] I Cor. 1. [52] Ibid. [53] Matth. 4.

vandis idoneum secretis conscientia vel frangitur, vel deposito quod servabat exinanitur, et latere nolens per aures optimum et auras inanes dispergitur; quanto crescere quærit, tanto in infamiam redacta fama deperit. Nequit enim non devorari famositas quæ fauces intrat et exit infamium. Et thesaurum, cujus tota et sola est celari permanentia, dum passim quisque ventorum conflictus annullat. Non a se vel ab alio laudari quærebat Apostolus qui, cum diceret : *Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die ;* adjecit, *sed neque meipsum judico* [54]. Non enim poterat de se vel ipse proferre sententiam, qui non ex toto credebat se vel ipsi conscientiæ suæ : *Qui autem me judicat, Dominus est* [55]; Dominus qui falli non potest, quoniam ipse scit cogitationes hominum [55*], quas cernunt oculi illius solius : *Auferte*, inquit, *malum cogitationum ab oculis meis* [56]. Ipse videt non apparentes, audit ipse non loquentes; audit etiam ipse in corde cogitantis quod non audit ipse qui cogitat, cujus auri non cessat quies, non tacet silentium. *Quid cogitatis mala*, ait, *in cordibus vestris* [57] ? Ipse solus est qui judicat, qui cor intuetur [57*]; cui nec verbum pervolat, nec subterfugit cogitatio ; qui novit decipientem, et eum qui decipitur ; qui *abducit consiliario in stultum finem, et judices in stuporem* [58]; qui dignum commendatione Job, digne commendare potuit; ipse tamen Job sese commendare abhorruit, ne indignus digne fieret a se indigne commendatus. Quem dignissime commendavit, quando ait : *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus, et timens Deum, et recedens a malo* [59]? Sanctus vero Job de se dicebat : *Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum* [60]; quis mihi tribuat adjutorem ? Manum suam osculatur ore suo, qui laudat quod facit : *quod est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum ;* quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.

CAP. XVI. Manum suam nempe nec a se, nec ab alio juvabat laudari. Quod autem dixit manum suam se osculatum non fuisse ; magis eum credo quod intelligebat, quam quod dicebat negasse. Manum namque suam aliquem osculari consuetudo non est. Quod si casu fiat, et nihil intelligatur, nec laudo nec vitupero. Illius tamen ab alio vel manum, vel pedem osculari, vel capiti caput inclinari, vel secundum varias terrarum consuetudines alias venerationes majoribus exhiberi, pro variis utriusque partis intentionibus, et laudo et vitupero. Laudo multum, vitupero plurimum. Magna est hujus boni commendatio, sed major est hujus mali vituperatio. Laudabile quidem est ut potestatibus debitus a subditis honor exhibeatur. Nam omnis A *potestas a Domino Deo est ; qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit* [61] ; ita qui potestatem honorat, Dei ordinationem, imo ipsum Deum honorat. Credere namque debet, qui debitas hujusmodi venerationes exhibet, ut per eas quas inter se et Deum medias sive spirituales sive sæculares invenit potestates, quasi per ordinatos gradus ad altissimam omnium possit ascendere potestatem. Constat enim in exhibendo regibus cæterisque hujus ordinis potestatibus honore, Regem regum, et Dominum dominantium honorari ; in episcopis suisque majoribus, eumdem quem in regibus, pastorem et episcopum animarum nostrarum. Est autem in hoc admodum attendendum, ut qui debitos redditurus honores accedit, non ficte aut fraudulenter accedat. B Cavendum quoque ne recipientes inanis gloriæ dulcedo demulceat, nec tumor elationis extollat. Sic enim utrique utrorumque præda simul et prædones, rapina simul et raptores existerent, glutirent pariter et glutirentur, vorarent et vorarentur ; ut quod in Deo et propter Deum agi præcipitur, contra Deum impudenter ageretur. Illud etiam laudabile dictum superius a laudabili et ordinato divinitus usu, in exsecrabilem et in ordinatum prorueret abusum. Novi familiares dominorum inimicos, qui hujusmodi habent accessum ad similes sibi dominos, quos reddentes simul et recipientes crimen simile facit indignos. Novi qui dominos venerantur, ut ab eis præficiantur; ad dominos familiarius appropinquant, ut festinantius domini fiant. Osculantur manum, ut furentur animum ; osculantur pedem, C ut rapiant mentem ; capita cæteris inferius humiliant facies et oculos subtiliant, ut quibus hæc faciunt, sibimetipsis ipsos furentur et rapiant. Novi enim quos supercœlesti nesciente curia vulgo dicunt episcopos, qui visis his gestis arrident, applaudunt, tument et extolluntur ; et hinc superbia eorum semper ascendente [61*], et hoc adipe sceleris eorum iniquitate prodeunte, credentes se propter hæc obsequia deificari, *dii fortes terræ vehementer elevati sunt* [62]. Qui si mitis et humilis corde magistri discipuli essent, magis exhibitis sibi reverentiis humiliari quam superbire didicissent. Omnis enim a Deo concessa majoritas minorem efficit habentem, si usurpatur, quam usurpare noluit summa omnium potestas ; qui minoravit se paulominus ab D angelis [62*], in forma hominis exinanita servili hominem profanum in se potestatem habere non negavit, sed ei desuper esse datam asseruit : *Non haberes*, inquit, *potestatem nisi tibi datum esset desuper* [63].

CAP. XVII. Seclusis igitur hinc supradictis, qui jam venerunt in profundum vitiorum, et contemnunt [63*]; discant cæteri majores, quibus curæ Deus est ; discant a magno humili, a minori minimo, se

[54] I Cor. 4. [55] Ibid. [55*] I Paralip. 28. [56] Isa. 1. [57] Matth. 9. [57*] I Reg. 16. [58] Job 12. [59] Job 2. [60] Job 31. [61] Rom. 13. [61*] Psal. 73. [62] Psal. 46. [62*] Hebr. 2. [63] Ibid. 2. [63*] Prov. 18.

minoribus comminorare, humilibus humiliare. Magnus enim ille Dominus, cujus magnitudinis non est finis [64], ut hæreditas rehæreditaret potestates, factus hæres parvulus non distabat a servo cum esset Dominus omnium [64*]; non distabat a servo se præferendo, qui forte a suo distabat servo se subjiciendo. *Erat*, inquit evangelista [65], *subditus illis*. Quis quibus? Dominus servis, major minoribus, Deus hominibus; habebat enim humilitatem consummantem. Sunt qui habent sufficientem, sunt qui habent abunbantem; habuit ipse consummantem. Sufficientem habet, qui majori subditur, et æquali non præfertur; abundantem, qui subditur æquali, et non præfertur minori. Ille vero consummantem habuit, qui præferebatur nulli, et subdebatur omni. Et qui sic humilis erat, sic humiles esse decebat. *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde* [65*]. Discant igitur ab hoc humillimo rege et pontifice, reges et pontifices, humiles esse. Neque enim rex, neque pontifex, sed tyrannus est quælibet potestas humilitate non condita. Humilitatis expers hominem diffitetur, et a Deo degenerat. Humilis hominem pooftetur, et Deo se confœderat.

Cap. XVIII. Humilitas est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum; quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostentat. Humilitas est lorica regis, cujus clypeus patientia est. Conservat enim humilitas interiora, ubi est vita hominis. Et si forte clypeus patientiæ jaculis diaboli perforetur; evadit in quem jacitur, si lorica humilitatis opponatur. Quæ non modo sana custodit, sed infirma consolidat, collisa restituit. Diruta enim et male scissa restaurare consuevit et resarcire; reddens ad plenum sanansque quod tollit et vulnerat impatientia. Regi Ninivitarum Deus irascitur [66], sed ipse illico se regem esse obliviscitur. Purpuram projicit, diadema deponit, cæteris factus devotior, qui cæteris erat potentior. Hostes fuerat solitus armis bellicis triumphare, Deum vincere didicit armis justitiæ. Illos virtute, illum humilitate. Rex humilis David, humiliter dicit: *Peccavi*, et audit, *Transtulit Dominus peccatum tuum* [66*]. Magdalena humiliter obsequitur, et Deus respondet: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* [67]. Flet humiliter princeps apostolorum Petrus, qui magistrum negaverat, et misericorditer a magistro respicitur [67*]. Latro se humiliter accusat, et ei promittitur: *Hodie mecum eris in paradiso* [68].

Cap. XIX. Quid mali humilitas non aufert? Quid boni non confert? Humilitas humilibus regnum offert, quod aufert superbia superbis. David humilem Deus elegit, superbum Saulem stravit. Probatur, quem populus non agnoverat; spernitur, qui super populum regnaverat. Hic, de post fetantes ad regnum: ille a regno destinatur ad supplicium. David ante regnum humilis, humilis existitit in regno. Rex erat potentissimus, et universi vocabant eum regem et dominum. Ipse vocavit se, pulverem, publicem, cinerem et canem mortuum Terminos populorum sibi subdiderat, sed cui ascribebat? cui attribuebat? Nihil sibi, totum Deo. *In Deo*, inquit, *speravi, qui subdidit populum meum sub me* [69]. Et ne propter subditum a Deo sibi populum superbire videretur, consequenter subdidit: *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt* [70]. Considerent reges hæc verba regia, humilia, nobilia. Quæ quanto humilius prolata sunt, tanto insignius nobilitat ea humilitas. Considerent reges verba regis; considerent pontifices his similia verba pontificis; qui, cum plus se cæteris laborasse dixisset, ne virtuti suæ videretur tribuisse quod fecerat, continuo subjunxit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* [71]. Sed quid est quod dicit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum?* Quomodo non egit ipse, sed gratia Dei cum ipso? Aut quomodo egit gratia Dei cum ipso, si ipse non egit? Idem est ac si ipse diceret: Non autem ego, sed ego. Quoniam enim sola Dei gratia præventus est, dicit: *Non ego*. Quoniam vero cooperando Dei gratiam subsecutus est, dicere potuit et ego. Dixerat autem rex ille; *Homo vanitati similis factus est* [72] Dicit pontifex iste: Omnis *creatura vanitati subjecta est* [73]; et idem: *Omnis creatura ingemiscit et parturit adhuc* [74]. Et ne pontificalis hunc dignitas vanitatis hujus expertem servare viderentur, addit, et non solum illa, sed et nos ipsi, primitias spiritus habentes, intra nos gemimus. Hinc anxius et ingemiscens, et ab hac vanitate quærens liberationem, a gemitu porrumpit in clamorem: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* [75]. Quo uno, quo unico volente ac valente liberare experto, securus de reposita justitiæ corona, sibimet respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum* meum [76]. Hos ergo duos regum pontificumque patronos, reges imitentur atque pontifices. Regem reges, ut quanto latiora sibi regna subduntur, quanto de die in diem simplificantur, quanto plus eis honoris impenditur; humiliores efficiantur, et gratias agant datori, Datori, dico non dictori. Datori qui dedit, ut inde plus humilient; non dictori qui dicit, ut inde plus jactitent, Quod namque crescentibus donis non tam gaudendum quam de ratione donorum metuendum est. Ita, cum prædicto rege reges gaudere debent ut metuant. Qui facit unde reges gaudeant, facit unde reges contremiscant. Ipse namque est per quem reges regnant [77]. Ipse, qui dat salutem regibus [78]. Ipse, qui subdit eis populos; est idem ipse *qui aufert spiritum principum; terribilis apud* omnes *reges terræ* [79]. Ipse est qui

[64] Psal. 144. [64*] Galat. 4. [65] Luc. 2. [65*] Matth. 11. [66] Jon. 3. [66*] II Reg. 12. [67] Luc. 22. [67*] Matth. 26. [68] Luc. 23. [69] Psal. 143. [70] Ibid. [71] I Cor. 15. [72] Psal. 143. [73] Rom. 8. [74] Ibid. [75] Rom. 7. [76] Ibid. [77] Prov. 8. [78] Psal. 143. [79] Psal. 75.

facit ut *potentes potenter tormenta*, patiantur [80]. Unde operæ pretium, est ut, cum reges sibi regnum subjugant, cum de hostibus triumphant, seipsos ipsi sentiant esse homines, qui ab hominibus sentiuntur reges. Sese cum fidelissimo centurione reminiscantur homines sub potestate constitutos, qui sub se milites habent [81]; et, cum rege sanctissimo sæpe, imo semper dicant: *Quid* retribuemus *Domino pro omnibus quæ retribuit* nobis [82]?

Cap. XX. Illum quoque, qui se abortivum et minimum apostolorum dicebat, pontificem, pontifices imitentur. Ut cum jam dictas venerationes recipiunt, cum in foro salutationes audiunt, cum ab hominibus Rabbi vocantur, cum primi recubitus eis in cœnis parantur; non super his gaudeant, non extollantur, non propter hoc dilatent phylacteria sua, B neque magnificent fimbrias [82*]; sed hæc audiendo, videndo, recipiendo, magis ac magis timeant, tremant et formident. Et omnia hæc dolorem, non delicias; non opes, sed inopias sibi connumerent. In his omnibus onera, non honores considerent. Quid enim justo perniciosius, quam quod justus videri desideret; quod ad salutationes in foro hilarescat et exsultet; quod adulationis favore demulceatur? In talibus hominem homo diffitens, æqualem se superis metitur et mentitur. Metitur se superis æqualem, qui paucorum quæ vix ministrat bonorum æstimat se factorem; et inde laudem quærens, omnium bonorum auctorem, cujus gratia prædicandos sibi titulos cumulavit, obliviscitur: quod suum est elationis. Postquam enim fidelis anima de abysso C vitiorum emergens, ad salutare virtutum culmen ascendit, velut ex insidiis prosilit et occurit elatio; totum domus Domini ædificium concussum ad ruinam supprimit, quod jam surrexerat ad consummationem. Sed inanes hujusmodi venerationes, imo venationes, duo prætaxati rex et pontifex non appetebant: qui nec de bonis gloriam usurpare volebant. Recolo dicta sanctissimi regis, et audio regem humilem altissimo regi dicentem: *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam* [83]. Revolvo scripta sancti pontificis et scriptum invenio: *Gratia Dei sum id quod sum* [84].

Cap. XXI. Ad pontifices qui sunt, habebam modo sermonem. Sed currit sermo velociter a cæteris ad cæteros. Unde gloria, gloria hæc est, dicant dicti pontifices. Si enim sunt quales a domesticis suis D hostibus prædicantur, quid sibi de gloria in se, non in Domino? Quid commendabile in se sentiunt a se? quid habent quod non acceperunt? quid gloriantur quasi non acceperint [84*]? quare non timent illud audire: *Gloriam ab invicem quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est non* vultis [85]? Vel magis illud: Recepistis mercedem vestram [86]. Vel, dum apud vendentes oleum tandiu commorantur, sponsi cor obserari non formidant [87]. Credo non confi- A dunt de conscientia sua, cui nil boni committunt, quam bonis evacuant omnibus, cujus thesaurum piratis ac publicis exponunt prædonibus. Non curarent quidem clarere præconio, si conscientiæ suæ propriæ contenti essent testimonio; quo contentus erat qui dicebat: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* [88]. Nullum vero bonum in hujusmodi conscientia restat. Ubi, si aliquid forte conceperant; violenter parturientes, aborsum coguntur parere animæ, quas ligantes in peccatis adulantium linguæ, quod justus scintillare cœperat, exstinguit et incinerat.

Cap. XXII. Si vero bona in se non sentiant, quæ de se prædicari audiunt, quare linguis miseris miseriores ipsi miseras præbent aures? Heu, heu, dum male gloriantur et præsumunt quod non sunt, in confusione consternuntur, et amittunt quod sunt. O cæca hominum providentia! o stolida prudentia! Magna cavent a furibus sollicitudine, ne suam unam furentur ovem; majori, ne bovem; minima vel nulla, ne mentem. Sollicite ab his cavent qui furantur res hominum, non ab his qui furantur rerum dominos homines. Censum custodiunt; sensum vero custodire negligunt. In censu sunt avari, in sensu prodigi, in culo ttargi. Res suas a furibus custodiunt, semetipsos furibus exponunt. Quanto aurum aure pretiosius! custoditur a furibus aurum, exponitur furibus auris. Quid in homine pretiosius mente? Quid in homine vilius mendacio? Mendacium auditur, et mendacio mens emitur. O si res dici possint, rerum disparium commercium! Ubi tam carum, tam vile comparatum est; ubi quod in mundo pretiosius est, quod inter res optima res est, eo quod in mundo abjectius est, quod res non est, imo quod nihil est, tam imprudenter emptum est. Quid est mens? Quid est mendacium? Mens est sanctum quoddam, quiddam purissimum; mendacium est quoddam seu quiddam spurcissimum. Mens aliquid magnum est; mendacium magnum nihil est. Omni peccato, mendacium magis nihil est. O infelices hujusmodi mercatores, qui seipsos vendunt, et suimetipsorum pretium ipsum nihil accipiunt! Legunt, sed negligunt, vanos esse filios *hominum in stateris, ut decipiant de vanitate in idipsum* [89]. Legunt, sed non intelligunt, sic beatificantes a se beatificatos in errorem mittere. *Erunt*, inquit, *qui beatificavit seducentes, et qui beatificantur præcipitati* [90]. Quæ si recte intelligerent, non illos eligerent, sed fugarent et fugerent. Ad quos procul a se fugandos, armat regem et prophetam suum, Rex regum et prophetarum; primum ab ipso quærens quæ arma contra hujusmodi valent: *Quid*, inquit, *detur aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam* [91]? Mox ipsum instruit et munit: *Sagittæ*, inquit, *potentis acutæ, cum carbonibus* suis *desolatoriis* [92]. Dat sagittas, apponit carbones. Sa-

[80] Sap. 6. [81] Luc. 7. [82] Psal. 115. [82*] Matth. 23. [83] Psal. 113. [84] I Cor. 15. [84*] I Cor. 4. [85] Joan. 5. [86] Matth. 5. [87] Matth. 25. [88] II Cor. 1. [89] Psal. 61. [90] Isa. 9. [91] Psal. 119. [92] Ibid.

gittas ad defendendum et fugandum; carbones ad consolandum. Sagittæ namque potentis, verba sunt Salvatoris, quæ faciunt vulnus non livoris, sed amoris; quæ linguas adulantium superant; si addantur carbones desolatorii, exempla scilicet sanctorum de iniquitate conversorum. Qui recte carbones dicuntur, quia de mortuis reviviscunt, et adhibiti aliis alios incendunt; et desolatorii, quia spiritum consolando, carnales desolantur affectiones. Postmodum divinorum eloquiorum sagittis, atque sanctorum paradigmatibus propheta munitus, lætus exstitit qui lugebat, fretus qui pavebat. Pavebat enim Omnipotentis de secretis, quod non pavent apocrisiarii Belial [93]. Cavebat, quos ipsi non cavent qui vehementi gaudent lætitia, cum eos inveniunt sibi sepulcrum.

Cap. XXIII. Induratum est cor Pharaonis, sed hi magis indurati sunt Pharaone. Pharao quomodo sustinuerat septem præcedentes plagas, sed succedentem octavam locustarum sustinere non potuit. *Ventus*, inquit, *urens levavit locustas et operuerunt universam faciem terræ et comederunt omnem herbam*, et *quidquid pomorum fuit in arboribus* [94]. Quibus excitatus Pharao, non ultra sedit, sed festinus surrexit et clamavit ad Moysen et Aaron, Quid autem intellexit per locustas, quæ ducem non habent, nisi adulatores, qui nec hominem verentur, nec Deum timent? Quid? accedentibus devoratur herba; quia quorum sunt fautores, verbis annihilant verba; et arborum poma devorant, cum eorum etiam opera qui fortissimi videntur, enervant. His subito visis, excitatus illico Pharao; non ultra sedet, sed surgit festinus. Terruit Pharaonem terribile quod videbatur, nos istos terret terribilius quod intelligebatur. Terruit illum figura pestis futuræ, non istos pestis complens promissa futuræ. Timuit ille ventum de longe minantem; non timent isti grandinantem, non timent necantem novellas fruges mentium, non timent fulminum ictus ferientium. Timuit ille sagittam adhuc in pharetra latentem, quam non timent isti de arcu prosilientem. Non sedit, inquit, ultra, sed surrexit Pharao festinus, et clamavit ad Moysen et Aaron: *Peccavi in Dominum Deum vestrum et in vos* [95]. Nostri vero Pharaones quando dicent, Peccavimus? Quorum universa negotia antequam fiant jam sæpe dictæ tam honestæ, tam idoneæ personæ præmasticatione subdola fabricant. Quando dicent, peccavimus; qui majores ecclesias clavis Parmenonibus suis regendas commiserunt; quibus etiam ipsi seipso gloriosos fecere Thrasones. Tales namque quanto alter altero fraudulentior, quanto a prælatis creditur facinorosior; in majoribus ecclesiis loca concedunt altiora; et minor habetur in sede, qui minor auditur in scelere.

EXPLICIT PARS TERTIA.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTÆ ET ULTIMÆ PARTIS.

PARS QUARTA.

Cap. I. In minoribus ecclesiis quales intromittuntur, non sine pudore dicere queo. Quæruntur, ut dignum est, qui digni sunt; sed unum est quod dignos efficit, dignitas habendi. Soli habentes apud dictos episcopos ordinibus digni judicantur et ecclesiis. Solet ante celebrationem ordinum, ut qui digni sunt ordinandi pateat, periculum in litteris fieri; et a quarta feria canonice statuta præcedere disquisitio. Modo multo dignius videmus fieri: cum per totum annum qui digni sunt audiri non cessent

[93] II Reg. 32. [94] Exod. 10. [95] Ibid.

auditores indefessi. Sed ad hos audiendos, non libri sed libræ revolvuntur. Non quæritur quantum legerunt, sed quantum collegerunt; non quantum didicerunt, sed quantum dederunt. Non quæritur quid sciant, sed quid habeant; non quid habeant in anima, sed quid in arca; non quid in animo, sed quid in horreo. Quoniam apud hujusmodi auditores facilius impetrant apothecæ quam bibliothecæ; suffragia et dona cellarii quam bona sacrarii. Non curatur utrum accedant honesti, sed quam onusti. Sese namque efferunt honores onustis, pretiosis tamen prius exon ratis oneribus, ne honorum ponderositas alia eos sarcina gravatos inveniat, et duplici pondere pressos in præceps ire compellat. De parentibus et parentela non curatur, si habeant. Quoniam omnes pariter habentes, facit pariter habere nobiles, et neminem suorum vivere degenerem. Murmurant sæpe contra ordinandos aulici decuriones; sed omnis in fine murmuratio cessat. Omnia denique sunt pacificata, omnia reformata, a planta pedis usque ad verticem, tota curia sedata: sancta Patres marcis, Patrum nepotes labris, consiliarii solidis, ostiarii donariis. Nec propter hoc restant anseres et altilia, carnes, pisces et diversi generis volatilia, ut utrique ventris et bursæ satisfiat famelicæ voracitati.

Cap. II. Si vero sic auditi a Patribus, imo ab antipatribus per totum annum, rursus ab archidiaconibus audiantur per præcedens triduum; nec officit, nec proficit. Admirantibus enim ipsis qui audiunt archidiaconis, quos liber improbat, approbantur, et quos approbat, improbantur. Si super his dubii præsumant quærere, quare; audiunt sibi responsum: « Non est vestrum nosse tempora, quæ Patres posuerunt in sua potestate. » Nisi tantum archidiaconi simul et nepotes sint; nisi sint de felicibus illis, quos inter purpureos curialium choros sanguis vel adulatio Nazareos efficit, quibus datum est nosse mysteria regni hujus mundi. Cæteris enim omnia fiunt in parabolis.

Cap. III. Per totum igitur annum auditi, a perfecte probatis perfectissime probati; secundum Quatuor Temporum varietates, quater in anno confidenter accedunt ad pontifices ordinandi. Qui si de rebus unicuique tempori congruis copiose Patres honorent; venientibus Patres assurgunt, congratulantur accedentibus. Hoc modo filios amplectuntur simul et osculantur. Clausus illos recipit liber, in quos his nihil difficile scriptum est. Et propter quadripartiti temporis obsequium probantur totum legisse, ac memoriter tenuisse quadrivium. Quoniam vero de tribus inferioribus elementis sunt quæcunque convenientia pontificibus offerunt munera; propter triplicem hujusmodi varietatem, trivium perfecte didicisse reperiuntur. De bonis siquidem superioris elementi non curant antistites isti, Bonum enim cœleste venter non devorat, bursa non includit, arca non incarcerat. Ipsum

A quoque bonum dedignatur et abhorret; quieti, deliciis et sopori vacantes; quod vix a sobriis acquiritur cum labore. Laborem vero negat dominis delicata Domini natura; quibus etiam morbus est incurabilis ipse timor infirmandi. Non enim, inquiunt, bonum, quod nulli sanum est; nec sanum est, quod pectori nocet aut capiti. His vero nimium officit invisibilium nimia meditatio bonorum. Pectus enim siccat, mentem lacerat, cerebrum infatuat, totum hominem attenuat contemplatio jugis. Et nisi in prima febris hujus accessione succurratur a physicis, facile phthisis incurritur. Vel, si pinguis est persona quæ phthisin evasisse videatur, non minus ei cavendum est ab orationibus et vigiliis. Nam ex his nimia contracta sitis, ex quo superfluis et immoderatis potibus restingui non potest,
B turgidam, inflantem, sitientem generat hydropisim. Ex his inferunt, non est bonum contemplari cum labore; ubi consueta sine labore gratam dat actio quietem. Appetamus ergo bona quæ nutriunt, non quæ nutritia destruunt. His auditis, secure veniunt qui ordinandi sunt. Quos antequam ordinentur, præterita de futuris in tantum certificant, ut a cæteris qui rem noverunt etiam ante ordines appellentur ordinati; et pro variis trium aut quatuor prædictorum servitiis, a cæteris dicantur terque quaterque beati. Qui in supradictis auditi, si velint in aliis adhuc audiri, ut luculenta magis eorum sapientia pateat, se doctos indicent vendenda emere et empta revendere, lucrumque quolibet modo multiplicatum Domino suo reportent.
C Quo facto, propter geminam negotiandi scientiam, in utroque Testamento non modo docti, sed doctores inveniuntur. A Domino suo plene laudantur; a curia tota beantur; cæteri a cæteris judicantur: « Hi sunt, inquiunt, qui proferunt de thesauris suis nova et vetera. » De cæteris quæ ante ordines quæri solent; de moribus scilicet et vita ordinandorum; utrum etiam legitime nati sint: nihil ultra quærendum prudentissima consulit dispensatio. Non est enim quærendum de matrimonio, ubi tanta pollet scientiæ perfectio. De moribus et vita non quæritur, quæ sapientiæ conformari non ambigitur. Si enim vitæ vel morum hos perversio detur, paret aut hebes aut nulla eorum penitus esset sapientia.

D Cap. IV. Post hæc nihil restat, nisi ecclesiam intrare. Ubi multa quæruntur, sed adsunt qui respondeant. Pontifice quærente, de sic accedente, utrum velit ordinari; respondens subjungit pecunia: *Volo.* Quærente, utrum si dignus; respondens subnectit argentum: *Dignus.* Quærente utrum sit justus; respondens submurmurat aurum: *Justissimus.* His auditis, Pater lacrymans filio dat osculum, et benedicit ei, dicens: *Det tibi Deus de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei, et serviant tibi populi. De rore cæli* [96], prætermittitur; quia venter eorum rorem cœli non quærit. Deinde, licet per se

[96] Gen. 27.

doctus sit, auctoritate tamen pontificali, de lege et prophetis quædam ei memoriter tenenda commemorat, dicens : *Fili, memento nostri in beneplacito tuo, et visita nos* [97]. Item : Veni, festina et noli tardare. Et illud de cantico amoris : *Revertere, revertere, ut intueamur te* [98]. Tandem inter cætera, quæ tenaciori desiderat commendari memoriæ, illud legis postremum instillat auribus : Non appareas in conspectu Domini tui vacuus [98*]. Denique Filius sanctissimus a Patre sanctissimo sanctissime recedit exsecratus.

CAP. V. Semel itaque ministerii sui reverenda irreverenter peracta celebratione, aliquem forte videt in confinio simplicem sive decrepitum, de cujus ab ecclesia sua supplantatione, una hujus cura est et parentum. Quo concepto scelere, festinanter cum amicis redit ad pontificem : ut quo simul sunt impraegnati, venenosum germen in gremium pastoris simul infundant. Quibus penitus exspoliatis rebus pariter et sensibus; sub quo fuerat ordinatus, sub eodem canone sacerdos regreditur ecclesiasticus. Hæc enim ab his episcopis in tanto tenore Regula custoditur, ut si vectigalia Simoniæ non exigendo semel se designasse recordentur, irremissibilius quam in Spiritum sanctum credant se peccasse. Qui nisi de die in diem solito dolosius et inhonestius agendo proficiant unum, in omnibus ab eis detestabile timetur virtutis crimen incurrere. Unde si contra Simoniæ majestatem eos aliquando facere cogat penuria et paucitas emptorum, longe lateque diffusi sunt præcones, qui die noctuque clamare non cessant : *Messis quidem multa, operarii* vero *pauci* [99]. properate, emite. Venite, inquiunt, secure; quoniam omni habenti dabitur, et non habenti auferetur [99*]. Compelluntur igitur de longinquo venire qui habent; procul ejectis et exterminatis, qui non habent, indigenis.

CAP. VI. Et ut quantum quanto juste respondeat, de longe venientia trutinantes munera stateræ secretior bus parata sunt in cameris ; ut qui plus auri, plus Dei, qui plus pecuniæ largitur, plus sibi gratiæ sine fraude rependatur. Facit enim in hujusmodi fraus ipsa, ut tota sine fraude res agatur; cum totum fraudulenter agendo, solo tramite fraudis recte inceditur, et in nullo penitus a fraude devietur. Unde viatores hujus itineris in hunc solum timent errorem incidere deviationis, ut quoties negotia doli et vim falsitatis exsequuntur, alicujus seductione virtutis decepti, a dolo ad verum, a devio ad rectum divertant; quos a via sua nunquam deviare, est nunquam ad viam reverti. A via nempe sua nimium deviarent, si qui fiducialiter aurum suum justis pontificum commisere stateris, talionem non reciperent, juxta pretium et valentiam ponderati æris. Unde provide circumspiciuntur, et circumspecte provident, ut nihil fraudis infraudis negotio com-

A mutatio patiatur; sed totum utriusque partis commercium soli utrinque pariter assentiat æquitati. In quo facto miro modo cernitur, ut qui in omnibus iniqui sunt, in sola iniquitate reperiantur æquissimi. Huic vero nequissimæ æquitati tantam eos operam dare credimus, ut sui Simonis magistri in omnibus et per omnia obediant mandatis. Legunt enim in decretis avari Simonis, quod multa danti carnalia, multa danda sunt spiritualia.

CAP. VII. Qui dederit, inquit, Simoni multas auri vel argenti marcas, multas et magni nominis habere meretur ecclesias. Qui lapides pretiosos, pretiosus habendus est super populos. Qui multas solidorum libras, solidæ huic ecclesiæ librabuntur. Qui multas equas, æquabile non æquale munus accipit. Qui
B multas vaccas, non vacabit, sed multas possidebit animas. Qui multas oves, ovabit multarum factus spiritualium pastor ovium. Hæc et similia decreta a dictis pontificibus tanta caventur violari cautela, quod levius ducerent se molæ ligatos asinariæ in profundum maris demergi [100], quam de his et similibus eorum magistri Simonis assertionibus iota unum perire aut apicem. Sed quot et quantas, in hujusmodi jocis, lituras in litteris lacrymæ meæ fecere, ipsa quam meis scripsi fere deleta pagina manibus testatur. Scio, quod nec latet me, quod hæc et cætera in hunc modum scripta, more meo jocando scripsisse videbor. Nam juxta dictum Apostoli tempus videns ego *ridendi tempus et flendi* [100*] ; obsecrandi, increpandi, opportune importune instandi [1]; sæpe, post duras increpationes, leves pariter et lu-
C gubres in multis voluminis hujus locis exhortationes interseruisse me recordor. Oportuit etiam me ludentis habere verba, qui deflentis et ridentis Ecclesiæ locum in enarrata quantum potui serie supplevi, servaturus idem iis enarranda. Luget enim hic incessanter cum filiis suis prætaxatis qui pontifices a simplicibus appellantur, exsul et anxia, illa quæ sursum est Jerusalem libera, mater nostra; quæ sub quibus luget, eosdem, vilibus hic sanctiis occupatos, desuper, ubi grassanti stultitiæ non est fas aspirare, non minus irridet. Irridendos enim censet supercœlestis curia, quos diu incurvavit idolis avaritia; quos diu coegit antea sua ludere sculptilia; quorum neomenias odit; et nullam in eis de propitiando rectu spem habens, quibus ipsa pro-
D pitiatio sua vertitur in reatum. Hinc quoque dictis indigne Patribus, digne a filiis qui essent, si Patres haberent, illuditur. Hinc et ego memetipsum recolo sæpe luctum ludis intercidisse necessariis. Noveram enim non inutilem esse doctrinam, in qua ludo luctus et luctu ludus interciditur. Nam, dum vicibus alternis se invicem hæc duo tuentur, nec in luctu luctus aliquam sinit aperiri rimulam, qua mendax hypocrisis irrepat : nec in ludo quem luctus coercet dissolutæ fas lætitiæ conceditur, et veritatem excludat: nec dissolutam ego, nec ineptam jocosis

[97] Psal. 105. [98] Cant. 6. [98*] Exod. 2. [99] Matth. 9. [99*] Matth. 13. [100] Matth. 18. [100*] Eccl. 3. [1] II Tim. 4.

syllabis suspicor inesse lætitiam, ubi salva salvatur majestas et reverentia veritatis. Quæ autem et quam speciosa, per totum hoc opus, ubicunque jocari jussum, sub joco lateat veritas, enucleandum ingeniosis relinquo. Et ut veritatem mecum intelligant, intellectamque discutiant, pigris ut excitentur, studiosis ut exerceantur, jugem operam indico. His enim supersedere compellor, transiturus ad ea quæ faciunt dicti pontifices juxta tenorem prædictorum magistri sui mandatorum. Quorum aut in nullo aut in modico transgressores existunt.

CAP. VIII. Aures habent audiendi pontifices et nares odorandi, de longe sentiunt, quorum sunt plena promptuaria, oves fetosæ, boves crassæ [1*]. Quorum, etsi multos in domibus inveniant filios filiasve compositos templo similes ornato, non subsannant, non abhorrent; sed benedicunt populum cui hæc sunt; nos judicant solos servire dignos altario. Antequam tamen judicent securi de pretio. Nemini enim datur intrandi licentia, donec pontifici toto reddito peculio, inania silent animalium stabula. Multa enim variaque supellectile vacuæ ramanent ædes dominorum. Non ut prius eructant ex hoc in illud promptuaria. Intercedunt enim pro dominis apud pontifices hæc omnia. Quibus perpetua supplicantibus intercessione, nulla retrorsum patent vestigia. Horum autem domini, non a mercede fraudantur optata; quos, his digne receptis, digne recipit Ecclesia. Hos sancti aiunt antipatres in domo Dei digne celebrare, digne clareque cantare; qui mihi magis mugire videntur Quanquam enim dulcis vocem cantilenæ hominis ore modulentur exterius; animalis introrsus ore frendentes, omni tauro dementius homines mugiunt animales.

CAP. IX. Ecce, quales existentes, quales habent. Sed, unde plus dolendum est, quales objiciunt, quos et a quibus volunt nec videre nec videri. Neminem opinor lætere prudentem, quod sicut omnino sibi similes supradictos eligunt, sic illis et sibi dissimiles dissimiliter negligunt. In illis non placent eis nisi mala; in istis non placent eis, imo displicent, nisi bona. Placet illis in illis rudis imperitia, stulta simplicitas, hebes ignorantia, obstinata difficultas, cura inutilas, illicitæ cupiditates; sacrilegi mores seu errores, timor vanus, amor noxius, pudenda gaudia, fides perdita, spes relicta, charitas neglecta, intelligentia abjecta, voluntas captiva. Quos simul omnes princeps hujus mundi fecit, regnum suum; fortis armatus, atrium suum; pater tenebrarum, trnebrosum habitaculum suum. Si forte sint aliqui, in quibus videant bona malis positis opposita; quorum dies sobrii, noctes pudicæ. vigiliæ sanctæ, sopor castus, actus probi, conversatio honesta, vita ex omni parte sibi consentiens; vita in se pretiosa, in cæteris fructuosa; quorum depellit languorem, torporem, errorem, infirmitatem animi juvando; negligentiam, exhortando; ignorantiam, erudiendo; si tales, inquam, inveniant paucos; quantum possunt A pauciores faciunt et annullant, honestos reprobant, probos dehonestant, simplices fugant, prudentes fugiunt, mansuetos exasperant, humiles persequuntur. Si crimen quæritur, quod tanta infestatione sontes in insontibus ulciscantur? verum in eis tamen detestabiliter reperitur honesta conversatio. Nec mirum; quoniam a primo heri usque hodie, innocentia ipsam quam patitur instigat invidiam, et æmulos in se sancta incitat vita. Auditis aliorum morbis, in se tabescunt; audita cæterorum bona conversatione, febricitant; aliorum sapientia est illis altera paralysis; et quæ apud alios juvat, apud istos habenti scientia, non solum apud eos habenti habita, sed non habentibus officit audita. Nam propter sapientes, quos habent odio, displicet eis in cæteris falsum B nomen sapientis et opinio. Si quis liberius et expeditius vacet orationi, manum a sæcularibus retrahat, mentem revocet; nimis simplex ab his judicatur, et idiota. Si quis libris invigilet, lectioni det operam, sapientes audiat: hunc dicunt inertem et ineptum, cordis pusillanimitate cæteris postpositis ineptias et otia sectari. Disceptantes et conquirentes invicem, ut veritas in dubiis eluceat; verbosos aiunt, et garrulos, et totam eorum ratiocinationem ascribunt phrenesi vel melancholiæ, qui se potius plangere debeant peccatorum morbo languentes, et phrenesi criminum laborantes. Mandatorum cultores, vitiorum ultores dicunt dæmoniacos, et ab eis cavendum prædicant per plateas.

CAP. X. Quid autem in his sentire debemus, nisi, Joseph ignorato, filios Israel opprimere, ne forte C multiplicentur? Nonne proponunt eis magistros operum, qui duris eos luti et lateris operibus affligunt, cum cenodoxiis suis, mendaciis et parasitis subdunt conculcandos. Hi sunt coadjutores eorum, qui prudentiores filiis lucis in generatione sua, suam et dominorum rapacem ingluviem assiduis non cessent urgere capturis. Insidiantur ut rapiant, rapiunt ut devorent, et qui rapuerunt, validiori fame cruciantur. Opes et illis et dominis suis exuberant, sed egestate torquentur. Quorum bursas paupertas evacuat, fames exinanivit horrea, sitis exhaurit apothecas. Liber ab his non legitur, nisi liber extortionis, quem millies in die revolvunt. Quibus circumquaque deprædantibus, ditatur, et diademate incedit ornatus Pharao; Israel autem D oneratus cophino, onere pressus, honore privatus, labore fatigatus, afflictus miseriis, lacessitus injuriis gemit, luget, pulsat cœlum clamoribus, pedes Patris orphanorum lacrymis madefacit, clamat etiam, gemit et suspirat, ad protectorem suum regem Angliæ, ducem Aquitaniæ; ut illi videre placeat afflictionem Ecclesiæ suæ, duriter ab Ægyptiis oppressæ. Clamat etiam pro se, clamat pro filiis, imo clamant Ecclesiæ multæ; cui fraus imperat, dolus principatur. Clamat Ecclesia pro filiis, quibus ubera pueris, panem coacta negat adultis. Stupet mater, quos odit, in gremio se fovere privignos;

[1*] Psal. 143.

sed magis stupet, filiis se novercari dilectis, alienis servire pro suis, hostibus pro amicis, pro patribus parricidis, pro sponsis adulteris, pro Simone Petro Simoni Mago, pro Deo mammonæ et dæmoni. Dolet ut videt sponsa, naribus polluta porcorum monilia, quibus olim ornata sponso placebat cœlesti Habitat in parietinis, ubi multiplici patente damno ruinarum, judex eccelsæ remanet spiritualis aulæ vestigium, et regiæ domus imago. Exsulat cum filiis, suis intra parietes proprios; unde uno multorum suspirio, uno dolentium planctu, una sui et filiorum lacryma, a rege sibi divinitus dato flagitat consilium; implorat auxilium, auxilium a potente, consilium a prudente. Moveat regem domus Dei, opponat se murum pro domo Israel, quam sibi templum elegit rex sublimis, rex humilis; qui *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam* Rex *altissimus* [2]. In qua pauper est et dives: in qua laborat ipse viator, et quiescit habitator; in qua temporale petit ipse viaticum, et panem largitur æternum; peregrinatur. et regnat. Sed ubi peregrinatur, a regibus postulat auxilia; ubi regnat, regibus donat miranda stipendia. Placeat regi Regis magni domum videre; videri tamen verecundantem, videri formidantem. Unde non verecundabitur? Unde non timebit? Erubescit domus orationis, se factam esse speluncam latronum [3]. Erubescit, quod *principes* sui facti sunt *socii furum diligunt munera sequuntur retributiones* [4]. Timet, quæ etiam a suis secura non est. Homines enim pacis suæ, qui comedunt panes suos, magnificant super eos supplantationem. Timet et dolet, quæ ab intrantibus aliunde, non per ostium, se lædi sentit et violari. Sed magis timet quam sibi prope videt, nisi prope subveniatur, funditus imminere subversionem.

Cap. XI. Placeat ergo Regi reginæ subvenire, sponsæ summi Regis. Placeat diligenter inspicere, quales in antedictis Aquitaniæ Patribus ecclesiis præsunt, dominantur et disponunt; quales ibidem mendicant et exsulant. Dignetur dux et rector a Deo datus, nec non modo cæteris, sed et clero. Deinde cæteris dignetur prædictus rex prædictæ nationis clerum ante suam convocare præsentiam; videat, interroget, audiat ipse præsentes. Tunc credet dominus meus rex oculis suis et auribus; credet sibi, non mihi homini cotemptibili, qui de longe rogo, supplico. Supplico pro cæteris magis quam pro me; cui divitias præstat exsilium, delicias parat exterminium; cui peregrinatio felix, fertilis incolatus, felix primæ felicitatis oblivio, lenis austeritas, crudelitas blanda, dulcis amaritudo patrum patriæ mutatio jucunda: cui transalpinam se dedit in sociam gratia læta comes:

Qua cunctis placui, cunctique mihi placuere.

Italus enim risit, applausit Appulus, Siculus obsecutus est, auxit Romanus honores. Pro cæteris itaque rogo, quos apud seipsos exsulare cogit dulcis in se patria, in Patribus amara; non pro me qui feliciter exsulo. Moveant regem miseræ lacrymæ pietatis, planctus innocentiæ, passio charitatis, gemitus humilitatis, clamores justitiæ, silentia benignitatis, vulnera patientiæ, compassio charitatis, suspiria prudentiæ, scandala simplicitatis, pudoris violentiæ, læsiones integritatis. Placeat et videat quanta sit in partibus illis multitudo proborum, honestorum, prudentis et simplicis vitæ conversationis optimæ, quorum quia materia rebus gerendis deficit, virtus tacita consenescit. Quibus sub memoratis sæpe Patribus mater Ecclesia providere nec ausum habet, nec facultatem. Tunc ipse noverit, in quam honestos usus, imo in quam miseros et profanos abusus, res ecclesiasticæ simul omnes, proh dolor! expenduntur in fumum et cinerem rediguntur, penitus consumuntur. Quo viso, quo cognito, quo certo comperto, quid deinceps facturus est, quid sit super his facturus rex ipse sciet, ipse cogitabit. curabit, perficiet ipse, ut sibi suisque consulat, suos et se consulet.

Cap. XII. Unum tamen scio, et sine præjudicio dico, quod rex ille magnus, regum omnium potentissimus, qui vices et jura sua regibus suis exsequenda commisit, bis a templo ementes et vendentes ejecturus, bis ad hoc templum intravit, his ejiciendos ejecit. In quo facto, non solum ejectio, sed ejectionis modus attendendus est. Legi Evangelium, quod ementes et vendentes a templo docet ejectos et verbo et verbere [5]. Legi Evangelium, quod ejectionem loquitur, et verbera silet [6]. Quod non casu, sed cauta credo providentia factum. Rex enim ille cujus actiones vitæ regiæ sunt institutiones, dum adhuc in terris videretur, dum adhuc cum hominibus conversaretur [6*], quoniam ipse erat et pontifex, posteros suos reges et pontifices, in hoc facto docuit quid facerent et idem faciendi dedit audaciam: intravit templum, intravit semel, intravit iterum Intravit rex, intravit pontifex. Rex ejecit ejiciendos ejiciendos ejecit pontifex. Ejecit gladio regis, ejecit gladio pontificis. Ejecit lingua, ejecit manu; ejecit verbo, ejecit verbere. Ille unus gladium utrumque quando placuit, exercuit. Ipse, quandiu placuit, occultum utrumque tenuit; utrumque in vaginam humilitatis ad tempus humiliter occultavit; utrumque loco et tempore mirabiliter evaginavit; utroque cohæredes suos, reges et pontifices armavit, altero reges, altero pontifices quos non semper in vagina sua voluit teneri, sed et loco et tempore suo, pro personis, pro causis exigentibus, exeri. Exeri quidem voluit, ut erudiantur indocti, foveantur infirmi, feriantur rebelles, et repellantur superbi. Se solum armavit utroque; utrumque gladium, credo, evaginaret, prælia Dei hominum solus ille præliatur, inferos dimicatur, dæmones triumphatur. Quando de utroque mentio facta est: *Domine* inquiunt, *ecce duo gladii hic* [7].

[2] Psal. 83. [3] Jer. 7, Matth. 21. [4] Isa. 1. [5] Joan. 2. [6] Matth. 21. [6*] Baruch. 3. [7] Luc. 22.

Et ipse respondit : Sufficit [8]. Duo namque sufficiebant capiti, duo quoque sufficiunt et membris. Sufficit enim in domo Dei, censura curiæ regalis et disciplinæ rigor pontificalis.

Cap. XIII. Nec vacare credo, quod ille Rex universalis sæpe in templum intraverat, ubi multos forte fornicatores, adulteros, homicidas invenerat ; quos ad tempus in templo sustinuit ; a quo vendentes et ementes festinanter ejecit [9]. Nam cæteri peccatores leniter sunt præmonendi, patienter exspectandi, a solis denique pontificibus suis vel vicariis, ut spiritus salvi fierent, eliminandi. Venditores et emptores columbarum, spiritualium videlicet gratiarum, a quocunque rege sive pontifice prius in templo reperiantur, lingua, manu, verbis et verberibus, sine mora sunt ejiciendi et expellendi. Quod quanta virtutis animositate Dominus fortis et potens expulit, ostensum est cum, venditoribus et emptoribus ejectis, oves, et boves, et nummulariorum effudit æs, cathedras et mensas vendentium subvertit, his qui columbas vendebant, dicens : *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* [9*].

Cap. XIV. Quid amplius dicam ? quid ultra referam ? Si pontifices pontificum vitia palpant, si palpata palliant, si cœli scelera celent, si lumina mundi ad videnda facinora cognita oculos occultant, et ocellis inspiciunt, si vulneribus inclyti et electi generis auditis aure semisurda medici nobiles prætereunt ; dissimulabit quicunque viderit; et quisquis audierit, erit surdus auditor ? Si a superficiali clero clerus affligitur non erit qui clero subveniat ? Deerit auditor pupillo et orphano ? Si gladius alter hebes est, erit hebes uterque ? Si jam perit gladius pontificis, erit gladius regis ; præsertim hoc tempore, quo mali pisces rete Petri rumpunt, quo unitatem Ecclesiæ schismata scindunt, quo cupiditas et ambitio Romana Dagon juxta arcam Domini posuit, altare contra altare erexit ? Num hoc tempore, cui sufficit malitia [10], dormitabit aut dormiet rex Angeliæ, rector Aquitaniæ ? Absit !

Cap. XV. Omne meum super his velle, volo pateat, non celabo. Esset utinam qui domum Dei liberaret, qui in manu forti vendentes et ementes omnes expelleret ! Esset utinam qui manum mitteret, non in episcopos, sed in Simoniacos ; non in fidei, sed perfidiæ domesticos : non in legislatores, non in clerum, sed in cleri corruptores ! Nec credat dominus meus rex, quisquis hoc susurret ei, quisquis hoc mentiatur, me vel ira vel odio contra pontifices scripsisse hæc. Non enim in mundo pontifex, cujus ego suus non sim et subditus et servus; et, nisi præsumptio sit amicum dicere, fidelis amicus. Amicus enim prælatorum, non elatorum ; episcoporum, non episcoporum ; non opibus intendentium, sed superius intuentium. In his etiam quæ hucusque, non contra majestatem pastorum, sed

A contra hæresim Simoniacorum, protenuissimi mei sensus imbecillitate, contexui ; non in nimis, sed in minus quam debui dicendo, me deliquisse cognosco. Nec in prædictis de Simonia dixisse me memini, quod licet mulier una pariter dixisse potuisset, si pariter dixisse scisset. Quoniam quamlibet altos de nota sibi Simonia potest etiam accusare vetula, cum fragilis sexus accusationem tantum in hoc solo crimine juvent et roborent sancta decreta, ut licet impetitos non possit convincere debilis pars accusantium, se canonice purgare teneantur accusati.

Cap. XVI. Prætaxatos quoque de quibus videtur. nec odio habeo, nec habere debeo. Licet enim quo ditior essem non erogarent ; quo minus dives essem non irrogarunt. Et si forte in eis quid odivi, perfe-
B ctum odium fuit ; ut non quod facti sunt, sed quod faciunt odissem. Unde dolui et semper doleo; Sed inter cæteros, est dolor unus, cumulus mihi dolorum ; quod eos, ut soliti sunt, audio adhuc date canibus panem filiorum. Hæc et cætera dictorum scelera patrum dum video, doleo : qui de malis dolere, non mala dolere queo. Faciam tamen, et facio non quod volo, sed quod valeo. Totum equidem mundum conspicio, et adulatoribus plenus est. Sunt in mundo qui corrumpant multi, vix qui corripiat unus. Abundat oleum ubique, quo pinguefiant capita sanorum ; nusquam fere vinum invenitur, quo laventur vulnera sauciatorum. Scio quid faciam, inveni quid agam. Incipiam a modo displicere, ut placeam uni, hominibus et Deo. Mea saltem increpatio contra
C pseudo non cessabit donec ipsi pseudo, pseudo agere cessaverint. Obsecravi semel et increpavi amplius, sine precibus increpatio fiet. Palpavi putridum, patet ingressus ad vivum. Libellum compegi, sed jam libros concepi. Libellum finio, sed jam libros incipio Aut illi cessabunt, aut ergo non cessabo. Hoc possum, hoc valeo. Mala queo detegere, non detergere ; referre, non auferre ; dolere, non delere, Auferat et deleat, qui potest ; velit, qui valet ; festinet et faciat rex opera principe digna, Videat, et judicet. Ut audito per orbem, quod honor regis judicium diligit : quod justitia et judicium reparatio sedium suarum ; Regem glorificent qui in cœlis est. Videant hæc pauperes, et lætentur [10*]. Videat rex ; et cogitet quid sibi scriptum sit, non quis sibi scripsit. Nec
D regi quisquis dicat, comburendum credat hoc opus; sed magis comburi dignos, qui comburi dignum dixerint. Nec, quia brevitas amica solet esse regibus, hæc idcirco cum scriptore scriptura simul unam prolixitatis calumniam patiatur. Quod enim de duobus inceptum, et de multis intellectum est : nonnullis utile faciet ipsa prolixitas, quam nusquam superfluitatis arguet lector attendus. Epistolam quoque facit prolixitas vitiosam, sed ab hoc vitio liber immunis est. Ubi et hoc ipsum, quod extra materiam abundasse cernitur, copiosæ Dei largitatis esse non ambigitur ; quæ indissolubili concordiæ vinculo,

[8] Luc. 22. [9] Joan. 2. [9*] Ibid. [10] Matth. 6. [10*] Psal. 68.

diversa uni principio copulat. Ipsa etenim quæ multa facit argento venarum suarum principia, unum statuit auro locum ubi conflettur; et de medio petrarum sonantium, unam lætatur insonuisse vocem, quæ etiam donorum minima suorum, prudenter ad tempus in mente servata, postmodum mirabiliter auget exterius erogata. Hoc enim cætera proprium tenuere sibi Dei munera, ut ipsos etiam habentes, tunc A abundantius locupletent, quando uberius ea largiuntur et ipsa magis in se distributa multiplicentur. Ipsum namque Dominum Jesum, alibi quinque, et alibi septem legimus habuisse panes, antequam distribuerentur; at, ubi dari cœperint, satiatis hominum millibus, sportas legimus implevisse et cophinos.

Explicit liber qui intitulatur, QUALES SUNT, *editus per venerabilem Blesensem.*.

DE DIVISIONE ET SCRIPTORIBUS

SACRORUM LIBRORUM.

Vetus Testamentum ideo dicitur quod, veniente Novo cessavit; de quo et Apostolus meminit dicens: Cætera *transierunt, et ecce nova facta sunt* [11]. Testamentum autem Novum ideo nuncupavit quia innovat. Non enim illud dicunt nisi homines revocati ex vetustate per gratiam, et pertinentes jam ad Testamentum Novum, quod est regnum cœlorum. Hebræi autem Vetus Testamentum a Deo auctore juxta litterarum suarum numerum in XXII libros accipiunt, dividentes eos in tres ordines: legis scilicet, prophetarum et hagiographorum. Primus ardo legis est quem in quinque libris accipiunt; quorum primus est Beresith, qui est Genesis; secundus Vellesemoth, quod est Exodus; tertius Vaicora, quod est Leviticus; quartus Vagedaber, quod est Numerus; quintur Elle addebarim, quod est Deuteronomium. Hi sunt quinque libri Moysi, quos Hebræi Thorah, Latini Legem appellant. Proprie lex autem appellatur quæ per Moysen data est. Secundus ordo est prophetarum, in quo continentur libri octo; quorum primus Josue Ben Nun, quod Latine Jesu Nave dicitur; secundus Sophetim, quod est Judicum; tertius Samuel, quod est Regum primus; quartus Malachim, quod est Regum tertius et quartus; quintus Isaias; sextus Jeremias; septimus Ezechiel; octavus There-asar, qui dicitur XII Prophetarum; qui libri, quia sibi pro brevitate adjuncti sunt, pro uno accipiuntur. Tertius hagiographorum, id est sancta scribentium, in quo sunt libri novem. Quorum primus Job, secundus Psalterium; tertius Massot, quod est Proverbia Salomonis; quartus Coheleth, quod est Ecclesiastes; quintus Sir-assirim, quod est Canticum canticorum; sextus Daniel septimus Dibrehajamin, quod est verba dierum, hoc est Paralipomenon; octavus Esdras; nonus Esther. Qui simul omnes quinque et octo novem fiunt viginti et duo, sicut superius comprehensi sunt. Quidam autem Ruth et Cinoth, quod Latine dicitur B lamentationes Jeremiæ, hagiographis adjiciunt. Viginti quatuor volumina Testamenti Veteris faciunt juxta viginti quatuor seniores qui ante conspectum Dei assistunt [12]. Quartus est apud nos ordo Veteris Testamenti eorum librorum qui in canone Hebræorum non sunt. Quorum primus Sapientiæ liber est, secundus Ecclesiasticus, tertius Tobias, quartus Judith, quintus et sextus Machabæorum; quos, licet Judæi inter apocrypha apparent, Ecclesia tamen Christi inter divinos libros et honorat et prædicat. In Novo autem Testamento duo sunt ordines: Primus evangelicus, in quo sunt Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes; secundus Apostolicus, in quo sunt Paulus in quatuordecim Epistolis, Petrus in duabus, Joannes tribus, Jacobus et Judas in singulis, Actus apostolorum et Apocalypsis. Summa autem utriusC que Testamenti trifarie distinguitur, in historia, in moribus, in allegoria. Rursum ista tria multifarie dividuntur: quid a Deo, quid ab angelis et ab hominibus gestum denique sit; quid a prophetis nuntiatum de Christo et corpore ejus quid de diabolo et membris ejus; quid de veteri et novo populo; quid de præsenti et futuro sæculo, regno atque judicio.

Veteris Testamenti secundum Hebræorum traditionem hi perhibentur auctores: Primus Moyses, qui divinæ historiæ cosmographiam, id est mundi scripturam, in quinque voluminibus edidit, et Pentateucon cognominatur. Pentateuchus autem quinque volomina dicitur. Penta enim Græce, *quinque;* teuchus *volumen* dicitur, Genesis autem liber BeD resith appellatur, eo quod exordium mundi, et generatio sæculi in eo contineatur. Exodus vero exitum de Ægypto vel egressum populi Israel digerit, et ex ea causa nomen accepit. Leviticus appellatur, eo quod levitarum ministeria et diversitatem victimarum exsequitur, totusque in eo ordo Leviticus adnotatur. Numerorum liber vocatur, eo quod in eo

[11] II Cor. 5. [12] Apoc. 4.

egressæ de Ægypto tribus annumerantur: et quadraginta duarum per eremum mansionum in eo descriptio continetur. Deuteronomium Græco sermone quod Latine interpretatur *secunda lex*, id est repetitio evangelicæ legis, præfiguratio est quæ sic ea habet quæ priora sunt, ut tum ea nova sint omnia quæ in eo replicantur. Josue liber nomen accepit a Josue filio Nave, cujus historiam continet. Scriptorem vero ejus eumdem Josue Hebræi asserunt, in cujus textu post Jordanis transitum regna hostium subvertuntur. Terra populo dividitur, et singulas urbes, vitulos, montes, aquæ confinia Ecclesiæ cœlestisque Hierusalem spiritualia regna præfigurantur. Judicum nominatur a principibus populi, qui præsederunt in Israel post Moysen et Josue, antequam David et cæteri reges existerent. Hunc librum et Ruth edisse creditur Samuel. Liber Samuelis ejusdem, Samuelis nativitatem, et sacerdotium, et gesta describit. Idcirco ab eo nomen accepit; et, quamvis hic liber Saul et David historiam contineat, uterque tamen ad Samuel refertur, ex eo quod ipse unxit Saul et David in reges futuros. Cujus libri primam partem conscripsit idem Samuel, sequentia vero ejus usque ad calcem scripsit David. Malachim proinde appellatur, eo quod reges Judæ et Israelitæ gentis gesta per ordinem digerat temporum. Malach enim Hebraice, Latine *regnum* interpretatum est; hunc librum Jeremias primus in unum volumen coegit; nam antea sparsus erat per singulorum Regum historias. Paralipomenon Græce dicitur, quod nos prætermissorum vel reliquorum dicere possumus; quia quæ in lege, vel Regum libris uel omissa, vel non plene relata sunt, in isto summatim ac breviter explicantur. Librum Job quidam Moysen scripsisse arbitrantur, alii unum ex prophetis; nonnulli vero eumdem Job post plagam suæ passionis scriptorem fuisse existimant, arbitrantes ipsum qui certamen spiritualis pugnæ sustinuit, narrare quas victorias expedivit. Principia autem et fines libri Job apud Hebræos ipsa ratione certa sunt; media autem ipsius ab eo loco in quo ait: *Pereat dies in quo natus sum* [12*], usque ad eum locum, *idcirco me reprehendo et ago pœnitentiam* [13], omnia heroico metro discurrunt.

Psalmorum liber, Græce Psalterium, Hebraice Nablat, Latine organum dicitur: vocatur autem psalmorum liber, quia uno Propheta canente ad Psalterium chorus consonando responderit. Titulus autem in Psalmis Hebraicis ita est: Ysopocalim, quod interpretatur *volumen hymnorum*. Auctores autem Psalmorum qui ponuntur in titulis: Moyses scilicet, David et Salomon, Asaph, Ethan, et Idithun, et filii Chore, Ezechielites, et reliqui, quos Esdras uno volumine comprehendit. Omnes autem Psalmi apud Hebræos metrico carmine constant esse compositi. Nam in metro Romani Flacci et Græci Pindari: nunc alii ambo currunt, nunc alcaico per-

A sonant, nunc Sapphico nitent, trimetro vel tetrametro pede incedentes. Salomon filius David regis juxta numerum vocabulorum suorum tria volumina edidit; quorum primus est Massot, quem Græci Parabolas. Latini Proverbia nominant: eo quod in ipso sub comparativa similitudine figuras verborum et imagines veritatis ostenderet. Ipsam autem veritatem ad intelligendum legentibus servavit. Secundum librum Coheleth vocavit, qui Græce Ecclesiastes dicitur, Latine concionator: quod sermo ejus non specialiter dirigatur ad unum sicut in Proverbiis: sed ad universos generaliter dirigatur: docens omnia quæ in mundo cernimus, caduca esse et brevia, et ob hoc minime appetenda. Tertium librum Sir-assirim prænotavit, qui in Latinam linguam vertitur Cantitum canticorum; ubi per epithalamicum B carmen conjunctionem Christi et Ecclesiæ mystice canit. Dicitur autem Canticum canticorum, eo quod in omnibus præferatur quæ in Scripturis sanctis habentur, sicut quædam in lege dicuntur sancta; et quæ majora sunt, Sancta sanctorum. Hujus autem tertii libri carmina hexametris et pentametris versibus apud duos composita perhibentur: ut sunt Josephus, Hieronymus. Isaias evangelica potius quam prophetica forma edidit librum suum. Cujus omnis textus eloquentiæ prosa incedit. Canticum vero hexametro et pentametro versibus discurrit. Jeremias similiter librum suum edidit cum Threnis, quos nos lamenta vocamus, eo quod in tristioribus rebus funeribusque adhibeantur; in quibus quadru- C plex diversis metris alphabetum composuit. Quorum duo prima Sapphico metro scripta sunt, quia tres versiculos, qui sibi nexisunt, et ab una tantum littera incipiunt, erectum coma concludit. Tertium alphabetum trimetro scriptum est, et a ternis versibus threni incipiunt. Quartum alphabetum simile primo et secundo habetur. Ezechiel er Daniel a viris quibusdam sapientibus scripti esse perhibentur, Quorum Ezechiel principia et fines multis habet obscuritatibus involuta. Daniel vero claro sermone regna orbis prænuntiat, et tempus adventus Christi manifestissima prædicatione adnotat. Hi sunt quatuor prophetæ qui majores vocantur, quia prolixa volumina condiderunt. Liber XII Prophetarum auctorum suorum nominibus prænotatur; qui pro- D pterea minores dicuntur, quia sermones eorum breves sunt. Unde et connexi sibimet invicem in uno volumine continentur; quorum nomina sunt Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias et Malachias: Esdræ liber auctoris sui titulo prænotatur, In cujus textu ejus Esdræ Nehemiæque sermones pariter continentur. Nec quemquam moveat quod unus Esdræ dicitur; quia liber secundus, tertius et quartus non habentur apud Hebræos, sed inter apocryphos reputantur. Esther librum Esdras creditur conscripsisse; in quo eadem regina sub

12* Job 3. 13 Job 42.

figura Ecclesiæ, Dei populum a servitute et morte eripuisse creditur ; atque interfecto Aman (qui interpretatur *iniquitas*), diei celebritas in posteris mittitur. Liber Sapientiæ apud Hebræos nusquam est : unde et ipse stylus Græcam magis quam Hebræam eloquentiam redolet. Hunc Judæi Babylonis esse affirmant : qui proinde Sapientiæ nominant, quia in eo Christi adventus, qui est sapientia Patris, et passio ejus evidenter exprimitur.

Librum autem Ecclesiasticum certissime Jesus filius Sirach, nepos Jesu sacerdotis magni, composuit ; de quo meminit et Zacharias [14], qui liber apud Latinos propter eloquii similitudinem Salomonis titulo prænotatar. Dictus autem Ecclesiasticus, eo quod de totius Ecclesiæ disciplina religiosæ conversationis magna cura et ratione sit editus. Hic apud Hebræos reperitur, sed nunc apocryphus habetur. Judith vero, et Tobiæ, sive Machabæorum libri, quibus auctoribus scripti sunt minime constat. Habent autem vocabula ex eorum nominibus, quorum gesta scribunt.

Quatuor autem libros Evangeliorum quatuor evangelistæ singulariter conscripserunt. Primus Matthæus conscripsit Evangelium litteris Hebraicis in Judæa, nuntians per suum Evangelium humanam Christi filii David nativitatem, dicens : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham ;* significans descendisse corporaliter ex semine patriarcharum Christum, sicut promissum erat in prophetis per Spiritum sanctum. Secundus Marcus plenus Spiritu sancto scripsit Evangelium Christi, eloquio Græco, in Italia secutus Petrum ut discipulus ; a Joanne initium spiritu prophetali fecit, dicens : *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino,* ut ostenderet Christum post assumptionem carnis Evangelium prædicasse in mundo. Ipse enim Christus et propheta dictus est, sicut scriptum est : *Et prophetam in gentibus dedi te* [15]. Tertius Lucas inter omnes evangelistas Græci sermonis eruditissimus ; quippe, ut medicus, in Græcia Evangelium scripsit Theophilo episcopo, initians a sacerdotali spiritu, dicens : *Fuit in diebus Herodis regis Judææ Zacharias sacerdos* [15*], ut manifestaret Christum post nativitatem carnis et prædicationem Evangelii hostiam fuisse effectum pro salute mundi. Ipse enim sacerdos, de quo dictum est in Psalmis : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* [16]. Ubi enim Christus advenit, sacerdotium obmutuit, lex et prophetia cessavit. Quartus Joannes scripsit Evangelium ultimum in Asia, incipiens a Verbo, ut ostenderet eum Salvatorem, quia pro nobis dignatus est nasci et pati, ipsum ante sæcula Dei Verbum e cœlo venisse, et post mortem iterum ad cœlum remeasse. Hi sunt quatuor evangelistæ, quos per Ezechielem [17] Spiritus sanctus A significavit quatuor animalibus. Propterea autem quatuor animalia sunt, per quæ per quatuor mundi partes fides Christianæ religionis eorum prædicatione disseminata est. Animalia autem dicta sunt, quoniam propter animam hominis prædicatur Evangelium Christi. Nam et oculis plena erant intus et foris, quoniam prævident Evangelia, quæ dicta sunt a prophetis, et quæ promiserant in priore. Crura autem eorum recta, quia nihil pravum in Evangeliis est. Alas senas habebant tegentes crura et facies suas, sed revelata sunt quæ tegebantur in adventu Christi. Evangelium autem interpretatur *bona annuntiatio ;* Ευ enim *bonum*, angelium *annuntiatio* dicitur. Unde apostolus et angelus *nuntius* interpretatur.

B Paulus apostolus suas scripsit Epistolas quatuordecim Græce, ex quibus novem septem Ecclesiis scripsit ; reliquas discipulis suis Timotheo, Tito et Philemoni. Ad Hebræos autem Epistola a plerisque Latinis ejus esse incerta propter dissonantiam sermonis ; eamdemque alii Barnabam conscripsisse, alii a Clemente suspicantur. Petrus scripsit duas nominis sui Epistolas. Jacobus et Joannes, et Judas suas scripserunt Epistolas ; quæ canonicæ ideo nominantur, quia non uni tantum populo vel civitati, sed universis gentibus generaliter scriptæ sunt. Actus apostolorum primordia fidei Christianæ in gentibus et nascentis Eccleciæ historiam digerit. Actuum apostolorum scriptorem Lucam esse evangelistam legimus ; in quo opere nascentis Ecclesiæ infantia texitur, et apostolorum historia retinetur : C unde et Actus apostolorum dicitur. Apocalypsim librum Joannes evangelista scripsit eo tempore, quo ab Evangelii prædicatione in insulam Pathmos traditur relegatus. Apocalypsis autem e Græco in Latinum *revelatio* interpretatur. Revelatio autem dicitur manifestatio eorum, quæ abscondita erant, juxta quod et ipse Joannes dicit, *Apocalypsim Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis.* Hi sunt scriptores sacrorum librorum qui per Spiritum sanctum loquentes, ad eruditionem nostram præcepta vivendi et credendi regulam conscripserunt. Præter hæc alia volumina apocrypha nuncupantur. Apocrypha autem dicta, id est secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo ; nec patet Patribus, e quibus usque ad nos D auctoritas veritatis Scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est in eis canonica auctoritas, quæ recte a prudentis judicantur non esse eorum credenda quibus ascribuntur. Nam multa et sub nominibus prophetarum, et recentiora sub nominibus apostolorum ab hæreticis proferuntur ; quæ omnia sub nomine apocryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.

[14] Cap. 3. [15] Jer. 1. [15*] Luc. 1. [16] Psal. 109. [17] Cap. 1.

DE HIEROSOLYMITANA PEREGRINATIONE ACCELERANDA.

Charissimis sociis et amicis GUID. et GOL. P. Bles. Bathon. archid., salutem.

A

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo interfectos populi mei [18]? Utinam in fletum totus effluam, et pascatur lacrymarum solatio dolor meus; deducant oculi mei lacrymas, deficiat in dolore vita mea, *quia vox lamentationis audita est de Sion, vastati sumus et confusi vehementer* [19]. *Cecidit corona capitis nostri, et in luctum conversus est chorus noster* [20]. Quidquid adversus Jerusalem et regnum ejus, multis sæculorum curriculis prophetæ comminando prædixerant dies una lugubris et infelix, dies caliginosa et tenebrosior omni nocte, complevit (15). De hac damnatissima die credo certum et expressum Ezechielis oraculum præcessisse: *Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus, in qua confirmatus est rex Babylonis adversus Jerusalem* [21]. Hodie, sicut audivimus, sic accidit in civitate Domini virtutum, *Sola sedet*, imo solitudo *facta est civitas plena populis, domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo. Omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes* ejus *gladio ceciderunt. Juvenes* eorum, *et virgines* eorum *in captivitatem* dati sunt, et pulchritudo eorum in manus inimici. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, abstulit Dominus omnes magnificos de medio civitatis* [22], *destruxit in furore suo* omnes *munitiones* filiæ *Juda* [22*], *repulit altare suum, maledixit sanctificationi suæ* [23]. Et quid Threnos Jeremiæ revolvo? Totus Jeremias non sufficeret faciem miseriæ præsentis exprimere. Ut tamen lamentabilem rei eventum verbo ejusdem prophetæ concludam: *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ* [23*], inebriavit sagittas suas sanguine. Et juxta verbum Isaiæ: *Completa est malitia tua, Jerusalem* [24]; *bibisti de manu Domini calicem iræ ejus usque ad fundum, calicem soporis bibisti, et potasti usque ad fæces* [25]. O bone Jesu, o benigne, o amabilis, o desiderabilis, o suavis, o dulcis, o amor Deus, o charitas Deus, *ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ* [26]? Quomodo oblitus es miserationum tuarum? Quomodo nobis versus es in crudelem [27]? Multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum continuerunt se super nos, vigilavit jugum iniquitatum nostrarum in manibus tuis. *Signasti quasi in sacculo delicta* nostra [28], et cum eorum fuissemus obliti, nonne hæc condita fuerunt apud te, et signata in thesauris tuis? Ideo

B

repulisti nos, *et confudisti nos; dedisti* servos tuos *tanquam oves escarum et in* populis *dispersisti nos* [29]. *Qui factus* eras *nobis a Deo* non solum *sapientia*, sed *justitia, et sanctificatio et redemptio* [30], jam non sanctificator, aut redemptor, sed mortificator, et peremptor effectus es. *Utquid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione* [31]? *Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione* [32]. *Exsurge, quare obdormis, Domine* [33]? Nunquid oblivisceris *misereri, Deus, aut* continebis *in ira misericordias* tuas [34]? Nunquid abscindes misericordiam tuam, *aut non* appones, *ut complacitior* sis *adhuc* [35]? *Peccavimus cum patribus nostris, inique egimus* [36], nostram non diffitemur malitiam atque miseriam; tuam nihilominus justitiam et misericordiam confitemur.

C

Maledictum et mendacium, homicidium et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem teti-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(15) « Anno Domini 1189 Saladinus, rex Saracenorum potentissimus, occasionem ex discordia Christianorum rei bene gerendæ nactus, cum alias urbes multas, tum Hierosolymam, a nostris totos octoginta annos occupatam, cepit. Quo acerbissimo nuntio consternatus Romanus pontifex Urbanus III, ex mœrore animi vita decessit. Eum secuti Gregorius VIII, qui duobus tantum mensibus pontificatum tenuit, et Clemens III, maximis condonationibus propositis, per legatos suos principes Christianos ad sacrum bellum et signum crucis suscipiendum in Saladinum sunt cohortati. Primus e principibus nomen huic sacræ profectioni dedit Richardus, comes Pictaviensis, Henrici II Anglorum regis filius, idque eo ipso anno 87; in sequenti vero anno et Fridericus I Ahenobardus, Romanorum Imperator, et post colloquium habitum, rex Francorum Philippus, et Henricus II, rex Angliæ. Verum optimos conatus nescio quis malus genius, gravissimo bello inter dictos reges et Richardum redintegrato, retardavit. Quam rem hoc tractatu mirabiliter ex Scripturarum testimoniis quasi vermiculato opere contexto prolixe Petrus Blesensis deplorat, ac tandem, si principes promissis suis stare nolint, pauperes omnes hortatur ut iter Hierosolymitanum

D

quam citissime ingrediantur, ac gloriosum crucis Christi lignum, ipsamque Terram sanctam Christianis hæreditatem infesto Christiani nominis hosti, eripiant. » Ita scribit Vincent. Bellovac. lib. XXX *Spec. histor.*, cap. 43 et seq.; Polyd. lib. XIII *Anglic. Histor.*; Neubrig. Paris., Anton. Platina, et alii omnes.

[18] Jer. 9. [19] Ibid. [20] Thren. 5. [21] Ezech. 24. [22] Thren. 1. [22*] Ibid. 2. [23] Ibid. [23*] Thren. 4. [24] Isa. 40. [25] Isa. 51. [26] Psal. 88. [27] Job. 30. [28] Job. 14. [29] Psal. 43. [30] I Cor. 1. [31] Psal. 10. [32] Psal. 122. [33] Psal. 43. [34] Psal. 76. [35] Ibid. [36] Psal. 105.

git: Propter hoc in terra lugentes [37], obsecramus victricem manum tuam, ut sis memor *nostri in beneplacito populi tui* [38], vincant misericordiæ tuæ miserias nostras, et non miseriæ nostræ misericordias tuas, vincat sapientia tua malitiam nostram. Et tu, *Domine miserator et misericors* [39], respice in faciem testamenti tui [40], respice in hæreditatem, quam acquisivisti in sanguine tuo, *et ne repellas in finem* [41]. Etsi olim repuleris tabernaculum in Silo, [42], et dederis Synagogæ libellum repudii [43], non tamen repellas Ecclesiam tuam: *Confidat in ea cor viri sui* [44]. Nullum præter te amatorem secuta est. Hoc apostoli, hoc martyres, hoc alii tuæ scholæ discipuli, hoc omnes fratres tui sciunt; fratres tuos dico, tui nominis professores.

Ex parte sponsæ tuæ terram illam vindicas, quam nunc inimici tuæ crucis, tuique blasphematores nominis invaserunt; per hanc facti estis duo in carne una [45]. Ut de patre tuo taceam, qui tibi dedit *gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* [46], certe mater tua de stirpe regis David lineali computatione descendit. Jure igitur materno terra illa tua est; si tamen sustines quod tua sit, et non eorum potius, *qui oderunt* te *gratis* [47]. Scimus quia peccatis nostris offensus es, sed in opprobrium, quæso, nominis tui tuam non convertas offensam. Doctrina tua est, alii ne dederis honorem tuum [48]. Et si spiritus habentis potestatem supervenerit, locum tuum ne deseras; ut minus sapiens dico, sed forte non ad insipientiam tibi. Mihi licet peccatori videtur consiliosius, ut deleas omnes peccatores a facie terræ, quam sustineas filios perditionis nobis, in tui nominis contumeliam, superbe et procaciter insultare in medio populi tui. Proverbium vulgare est: « Male ulciscitur dedecus sibi illatum, qui amputat nasum suum. »

Non sic puniat, quæso, Dominus servum suum impium, ut in pœnam servi se humiliet, et magnificet. Inimicum *Convertere* igitur aliquantulum, *et deprecabilis esto super servos tuos* [49], cogita, *ut complacitior* sis *adhuc* [50]. Non des hæreditatem in opprobrium, et in conculcationem vineam, quam plantavit dextera tua [51]. Peccavimus, sed corde contrito et humiliato post iracundiam misericordiam imploramus. *Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo* [52]. Sufficit populo tuo, si in terra illa, quæ tuo, et servorum tuorum sanguine rubricata est, tui gloria nominis celebris habeatur. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* [53], *ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum* [54]? ne superbiant hostes, et dicant: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia* [55]. Quiescat ira tua, Domine; et manus tua, quæ nos percussit, ipsa nos sanet. Exsurge, exsurge

A *de pulvere captiva filia Sion* [56], quæ recepisti *de manu Domini duplicia* [57]. *Consurge*, misera *Jerusalem quæ bibisti de manu Domini calicem iræ ejus* [58]. Quantum glorificasti te et in deliciis fuisti, tantum sunt tibi data tormenta et luctus [59]. *Sicut cisterna frigidam aquam suam* facit, *sic frigidam* feceras iniquitatem tuam [60]. Ille ergo, cui cogitatio hominis confitetur, de quo scriptum est quod explorat Jerusalem in lucernis [61], omnes tuas malitias numeravit. Ipse tamen *tanquam homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* [62], diu dissimulavit, et tacuit, et secundum divitias magnificentiæ suavitatis suæ multis annis ad pœnitentiam exspectavit. Frequenter exigentibus meritis tuis acuisset ut fulgur gladium suum, et arripuisset contra te judicium manus ejus; sed *angeli pacis amare* flebant [63],
B et in te dignos fructus pœnitentiæ exspectantes divinæ animadversionis inducias impetrabant. Quibus tamen verbum, quod in Jeremia legitur, sæpissime proponebat: *Circuite vias Jerusalem, et aspicite, considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quærentem fidem, et propitius ero eis* [64]. Quid de rege tuo dicerem, nisi quod Ecclesiasticus dicit: *Rex insipiens perdet populum suum, regnumque de gente in gentem transferetur propter injustitias et diversos dolos* [65]. Et in eodem: *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus. Et qualis est rector civitatis, tales sunt habitantes in ea* [66]. Convertere igitur ad cor, Jerusalem, et ad Dominum Deum tuum revertere. Quid scis, *si* et ipse *convertatur, et relinquat post se bene-*
C *dictionem?* dulcis est enim, *et misericors, et præstabilis super malitia* [67]. Non vult *mortem* peccatoris *sed ut convertatur, et vivat* [68]. Ipse enim est, qui per Zachariam dicit: *Reverlar' ad Jerusalem in misericordiis. Adhuc affluent civitates meæ bonis. Consolabitur Dominus Sion, et eliget adhuc Jerusalem* [69]. Et per Isaiam miserias tuas paterna consolatione demulcens: *Induere*, inquit, *vestimentis gloriæ tuæ, captiva filia Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem civitas sancta* [70]. Et post pauca subjungit: *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus meis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui* [71]. *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur*
D *filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. Muri tui in oculis meis semper* [72]. Utere ergo Jeremiæ consilio, et *lava cor tuum a malitia* [73]. Jerusalem, accipe arma pœnitentiæ.

Scio enim quod si placatus fuerit tibi Dominus, juxta verbum Isaiæ, *consolabitur Sion, et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi*

[37] Ose. 4. [38] Psal. 105. [39] Psal. 85. [40] Psal. 83. [41] Psal. 43. [42] Psal. 77, Deut. 24. [43] Matth. 19. [44] Prov. 31. [45] Gen. 2. [46] Psal. 2. [47] Psal. 34. [48] Prov. 5. [49] Psal. 89. [50] Psal. 76. [51] Psal. 79. [52] Psal. 78. [53] Psal. 113. [54] Psal. 78. [55] Deut. 32. [56] Isa. 52. [57] Isa. 40. [58] Isa. 51. [59] Apoc. 18. [60] Jer. 6. [61] Sophon. 1. [62] Psal. 37. [63] Isa. 33. [64] Jer. 5. [65] Eccli. 10. [66] Ibid. [67] Joel. 2. [68] Ezech. 33. [69] Zach. 1. [70] Isa. 52. [71] Isa. 74. [72] Isa. 49. [73] Jer. 4.

hortum Domini; gaudium et lætitia invenientur in ea, A *gratiarum actio, et vox laudis* [74]. Sane præter consolatoria prophetarum mihi secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo spes desideratissimæ consolationis arriserat, ex eo quod principes et magnates terræ signum crucis nuper acceperant; privilegio siquidem Petri apostoli, et auctoritate Ecclesiæ generali proposuerat Dominus in hoc signo verbum reconciliationis, ut viæ Hierosolymitanæ assumptio esset pœnitentia consummata, et sufficiens satisfactio de commissis (16). Mysterium itaque crucis nobis in introitum sanctorum, sicut Apostolus dicit, *in sanguine Christi novam* initiaverat *viam* [75]; nos quoque educebat *Dominus in viam rectam, ut* iremus *in civitatem habitationis* [76]. Sed B nolentes ambulare super semitas justitiæ, elegimus fallacium viarum tortuosos anfractus. Quique terrigenæ, et filii hominum, quare quæritis divortia viarum, cum vobis offeratur viæ et vitæ æternæ compendium? Dirigit vos Dominus in viam pacis et salutis, et vos viam dissensionis et mortis eligitis. Omnes siquidem *viæ* Domini *pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ* [77]; quas qui declinaverint, et in via peccatorum steterint, vereor ne sit *via hæc illorum scandalum ipsis* [78], et ne illis accidat quod dicitur per Psalmistam: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* [79]. *Sunt viæ*, sicut Sapiens dicit, *quæ videntur homini rectæ, et novissima earum ducunt ad profundum inferni* [80]. Sicut alibi scriptum est: *Viæ peccatorum complanatæ lapidibus, sed in fine earum tenebræ, et pœnæ* [81]. C

Universæ viæ Domini misericordia et veritas [82]: de quibus ipse dicit: *Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos ejus humiliassem* [83]. Mansuetudinem quærimus, et non bella, quia dissipat gentes, quæ bella volunt, et dirigit Dominus mansuetos in salutem [84]. Ipse prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, ut *cantabiles* nobis sint *justificationes* ejus *in loco peregrinationis* nostræ [84*], ut simus *immaculati in via* [85], ut laudemus Dominum *in viis Domini, quia magna est gloria Domini* [85*]. O quam beatus est, qui dicere potest: Deus, qui *præcinxisti me virtute, et posuisti immaculatam viam meam* [86]. Hoc non cogitant filii Adam, qui oblatam sibi gratiam respuentes, et constituentes se indignos regno Dei, pro regno transitorio pugnant, et abjecto divinæ miserationis remedio pro quæstu litigant temporali; justoque Dei judicio, qui pacem habere ad Christum noluerunt, apud se pacem habere non possunt. *Posuisti me*, inquit, *contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis* [87]. Videns equidem inimicus inæstimabile lucrum Christi, et incomparabilem proventum Christianæ messis, quadam quasi nova virtute crucis consurgere, superseminavit zizania, suamque malitiam ad omnes versuatias circumducens bonum saluberrimæ viæ tentatione multiplici conatur exstinguere. Scriptum est enim: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* [88]. Sic Pharao in exitu Israel de Ægypto truculentius sævit [89], et Satanas ab homine quem tenuerat ab infantia, exiturus, eumdem gra-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(16) In eamdem sententiam ante Blesensem scripsit B. Bernardus in epistola 322, ad episcopum, clerum et populum Spir., quem graviter hortatur et inflammat ad bellum sacrum suscipiendum contra infideles infestantes Palæstinam. « Suscipe, *inquit*, crucis signum, et omnium pariter de quibus corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipsa, si emitur, parvi constat; si devoto assumitur humero, valet sine dubio regnum Dei. Bene ergo fecerunt, qui cœleste jam signaculum susceperunt. » Similiter mox post Blesensem ita scribit Thomas Cantipratensis (*a*) in libro secundo *Exemplorum*, qui dicitur *Apum*, cap. 2, sect. 10: « De indulgentia autem, inquit, quæ crucem suscipientibus prædicatur, nullus fidelium dubitare D permittitur quin integraliter vere pœnitentes et confessi indulgentiam recipiant omnium peccatorum, et in ea desiderii voluntate, qua pro fide, si se obtulerit locus, mori gestiunt, totaliter a pœna simul absolvantur et culpa. Certa ergo mihi fides de his omnibus est, et nihil hæsito de hoc, quod summus pontifex noster per legatos auctoritatis suæ mandaverit faciendum. » Hæc ille. Hinc liquet Martinum Chemnitium in IV parte *Examinis concilii Tridentini*, cap. 4, manifestæ veritati parcere, cum ait doctrinam nullam nullumque usum indulgentiarum ante ann. 1200 a Christo nato in Ecclesia exstitisse. Nam privilegio Petri, ut loquitur hic Blesensis, hoc est auctoritate summorum pontificum, et auctoritate Ecclesiæ generali, id est conciliorum, jam multo ante indulgentiæ propositæ et publicatæ populo Christiano fuerunt, ut ostendit Bellarminus, lib. II *De indulgentiis*, cap 17. Et hoc ipso anno 1187 et seq., quo scripsit Blesensis hunc tractatum, Gregorius VIII et Clemens III, teste Vincentio Bellovac., loco supra citato, indulgentiam plenariam omnibus ad bellum sacrum se accingentibus publicarunt. Dices, Blesensem hic asserere, ipsam *viæ Hierosolymitanæ assumptionem esse pœnitentiam consummatam, et sufficientem satisfactionem de peccatis*, ac proinde nullum relinqui locum indulgentiæ. Is enim proprie indulgere dicitur, qui aliquid de satisfactione integra et perfecta detrahit. Respondeo, esse *pœnitentiam consummatam quidem*, sed *ex privilegio Petri apostoli*, ut loquitur Blesensis, hoc est, ex indulto, vel indulgentia sedis apostolicæ. Et idcirco tam B. Bernardus, quam Thomas Cantipratensis diserte appellant indulgentiam.

(*a*) *Floruit anno Domini* 1240.

---

[74] Isa. 51. [75] Hebr. 10. [76] Psal. 106. [77] Prov. 3. [78] Psal. 48. [79] Psal. 13. [80] Prov. 16. [81] Eccli. 21. [82] Psal. 24. [83] Psal. 80. [84] Psal. 24. [84*] Psal. 118. [85] Ibid. [85*] Psal. 157. [86] Psal. 17. [87] Job. 7. [88] Eccli. 2. [89] Exod. 5.

vius in egressu discerpit [90]. Expressa similitudinis forma, in his, qui sanctæ peregrinationis arripuere propositum : grassantur acerbius, et sunt novissima eorum pejora prioribus. *Concepimus et quasi parturivimus*, dicit Isaias, *et spiritum salutis in terra non fecimus* [91]. Servitium illius elegerant cui servire regnare est ; sed ad vomitum revertentes [92] suam spiritualem Jericho ædificant [93], quam in crucis professione destruxerant. Inter ipsas saluberrimi voti primitias suæ peregrinationis inducias statuerunt, non attendentes jacturam temporis salutis esse dispendium, et quia dilatio magna ruina est. Apostolus dicit : *Jerusalem, quæ est mater nostra* [94]. Si mater est, ubi sunt ejus filii ? Sane, qui matrem suam dehonestari, conculcari et prostitui sustinent, non sunt filii, sed privigni, imo quod magis est, nota mignominiosæ proditionis incurrunt, si matris suæ patrimonium, si sui hæreditatem Domini non defendunt. Christus est qui dicit : *Qui non est mecum, contra me est ; et qui mecum non colligit, spargit* [95]. Campum, in quo Dominus occisus est, ubi sanguinis ejus effusionem non solum Scripturarum lectio, sed petrarum scissio clamat, ejusdem occisores hodie possident, ut eis merito verbum illud divinæ indignationis aptetur : *Occidistis insuper et possedistis* [96]. Clamavit sanguis Naboth [97], clamavit sanguis Abel ultionem de terra [98], et invenit ultorem. Clamat sanguis Christi auxilium, et non invenit adjutorem [99]. *Considerabam*, inquit, *ad dextram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.* Et per Isaiam : *Circumspexi, et non erat auxiliator : quæsivi, et non erat, qui adjuvaret* [100]. Bone Jesu, ventus urens, ventus superbiæ levavit locustas. Cumque superbia eorum qui te oderunt, ascendat semper [1], non est, qui pro te ascendat ex adverso, qui zelum Phinees, et Mathathiæ arripiat. Vident infelices occupari, et destrui a filiis diffidentiæ terram, in qua steterunt pedes Domini. Audiunt profanari sancta, fratres suos incarcerari, torqueri, occidi, et non moventur super contritione Joseph, cum ille filius perditionis, cujus nomine præsentem nolo epistolam funestare, omnes terræ illius munitiones jam obsederit, et ex parte magna possederit. Nostri cruce signati moras suæ peregrinationis variis occasionibus aucupantur, quasi in partem illius nefarii conjurantes, et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem [2]. O quam longe est a salute, qui salutis suæ venatur inducias ! O quam exiliter diligit, imo quam crudeliter odit Christum, qui honorem ejus impedit, et propositum publicæ justificationis evacuat ! *Gratia sit omnibus* [3], dicit Apostolus, qui amant Dominum nostrum Jesum Christum. Et idem : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha* [4]. Putas

A quod non requirat Dominus, si est, qui diligat domum Jacob, et locum habitationis gloriæ suæ ? *Propter* hoc *irritavit impius Deum ; dixit enim in corde suo : Non requiret* [5]. Quanta, quæso, insania est, in tam anxiæ necessitatis articulo dilationes innectere, suam protelare salutem, Christi dissimulare injurias, permittere ut lupus in ovile desæviat, et tunc primo parare subsidium, cum oves devoraverit universas. Certe, qui opportunitatem deserit, opportunitas eum fugit. *Filii hominum, usquequo gravi corde* [6] *?* quomodo estis ad salutaria pigri, ad vana, et caduca solliciti ? Nunquid vinitores exspectant, donec vindemia transeat ; aut institores, donec nundinæ finiantur, aut messores, donec tempus messionis excurrat ? Scriptum est : B *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* [7]. Sperabam quod refloruisset crux Christi, et quasi sanguine ejus iterum irrigata, et vivificata, fructum salutis, et gratiæ faceret tempestivum. Nunc autem, quod flens dico, inimici crucis Christi, qui debuerant esse filii, per avaritiam suam prætextu cujusdam collectæ damnabilis, primam voti sui fidem irritam faciunt, luxuriantes in cruce Domini, et quam olim prædicabant apostoli, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam [8], hodie apud Crucifixi professores, in stultitiam, et scandalum converterunt. *Væ homini per quem scandalum venit* [8*] *! Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis* [9]. Durum est, quod sequitur, duriore judicio se dignum constituit, qui tantam et tam electam multitudinem scandalizare præsumit. De Juda legitur quod, ac- C cepta buccella, *introivit in eum Satanas* [10] ; vereor ne signum crucis plerisque in subversionem animæ cedat, eo quod illud minus digne fortassis ad quæstum, vel ad apparentiam, vel ad gratificationem hominis usurparunt. Hoc signum positum fuit, et propositum *in ruinam et in resurrectionem multorum* [11]. Nam ex eo sequitur Judæorum dejectio, et subjectio nationum. Unde cum propheta præmisisset de reprobatione Judaici populi, postea de gentium vocatione subjungit : *Levate signum in nationes* [12]. Quidam signati sunt, sed non *est signum in lumen vultus tui, Domine* [13]. Signum hoc, sicut video, datum est infidelibus, non fidelibus. Nam si in lapide adjutorii fundamentum voti sui firmassent, stabilem sancti propositi nullæ cupiditatum machinæ D concussissent. Sic enim Paulus ad Timotheum scribens : *Firmum*, inquit, *fundamentum Dei stat, hoc habens signaculum* [14]. Similiter ad Ephesios loquens : *In Christo*, inquit, *signati estis Spiritu sancto, qui est pignus hæreditatis vestræ* [15]. Et ad Corinthios : *Signaculum apostolatus mei vos estis in Christo* [16], Adhuc dico, signati sunt, sed non ab eo, qui Filium

[90] Marc. 9. [91] Isa. 26. [92] Prov. 26. [93] Josue 6. [94] Gal. 4. [95] Luc. 11. [96] III Reg. 21. [97] Ibid. [98] Gen. 4. [99] Psal. 141. [100] Isai. 63. [1] Psal. 73. [2] Psal. 105. [3] III Cor. 16. [4] Ibid. [5] Psal. 10. [6] Psal. IV. [7] Jer. 48. [8] I Cor. I. [8*] Matth. 18. [9] Ibid. [10] Joan. 13. [11] Luc. 2. [12] Isa. 11. [13] Psal. 4. [14] II Tim. II. [15] Ephes. 1. [16] I Cor. 9.

suum Jesum signavit, et misit. Nam si ab eo signati essent, super peccatis suis dolerent, et gemerent. Ipse est namque, qui præcipit signari Thau super frontes dolentium, et gementium [17]. In quo signanter ostenditur quod hoc signum non nisi in gementibus, et dolentibus pro peccatis suis suum sortitur effectum. Illudque plurimum notabile est, quod, licet, plurimi signum hujus peregrinationis accipiant, nunquam tamen signantur signo Thau, nisi divinæ jussionis arbitrio, et ministerio angelorum. Tu igitur, Domine Jesu quem signavit Pater, *fac mecum signum in bonum* [18]. Tu forma pulchritudinis, figura gloriæ, signaculum vitæ, signa cor meum lumine vultus tui, *Deus cordis mei, et pars mea in æternum* [19]. Præcipuos siquidem, et maximos signatorum crebra exhortatione conveni, ut saperent, et intelligerent, ac novissima providentes [20], saluberrimum pœnitentiæ propositum hilari devotione peragerent. Sed, ut verbo Jeremiæ utar: *Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt; ecce verbum Domini factum est in proverbium, et non suscipiunt illud* [21]. Certe ille qui primus dixerat ad Sion: *Ecce adsum* [22], et Jerusalem evangelistam, id est annuntiatorem pacis, et liberatorem terræ se crucis assumptione promiserat, conversus est in arcum pravum [23]. Nec enim novit, nec noverunt cæteri divites magnum, et supereminens, et gloriosum, et supercœleste, et inæstimabile pœnitentiæ donum. Hæc est secunda tabula post naufragium, cœlorum scala, reconciliato pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio, corporum custodia, medicina spirituum. Hæc est, de qua Salomon scribit: *Medicinam creavit Deus hominibus, et stulti despiciunt eam* [24]. Porro nihil adeo deprimit et suffocat pœnitentiæ fructum sicut opum affluentia et eminentia dignitatum. Quis enim magis indiget remedio pœnitentiæ quam dives, qui semper pœnitenda committit, et de salute animarum vix aut nunquam cogitans, semper curam carnis in desideriis agit? Sterilem pascit, nec viduæ benefacit. Cumque licentiæ frena laxaverit, et in omnem impetum voluntatis, et in bonis deduxerit dies suos, in momento ad inferna descendit. Adde quod Dominus *terribilis in consiliis super filios hominum* [25], pauperem jugiter examinat in purgatorio paupertatis; divitem vero, quem ad supplicia reservat æterna, quasi aquam diffundit in omnes concupiscentias vitæ hujus, ut in omni suo stercore computrescat. *Misereamur*, inquit, *impio, et non discet facere justitiam* [26]. Ideoque periculosior est in divitibus pœnitentiæ dilatio, quia, præter moriendi genus publicum, frequenter est eis mortis occasio, gladius, aut venenum. Tanto itaque deberet esse paratior anima divitis, quanto periculosior, et multiplicior eidem imminet causa mortis. Ethnicus dicit:

Ad generum Cereris, sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni [27].

Relege annales, et revolve historias, regesque paucos invenies, qui morte communi decesserint. In primis occurrit tibi rex Saul, rex Ela filius Baasa, quem occidit Zamri servus ejus, et regnavit pro eo [28]. Sed et Zamri cum domo regia se succendit [29]. Azael strangulavit regem Benadab, et eidem in regno successit [30]. Rex Joas a duobus servis suis occisus est [31]. Sellum filius Jabes percussit Zachariam regem Israel, et regnavit pro eo [32], Manahen filius Gadi percussit Sellum in Samaria, et regni gubernaculum occupavit [33]. Filius Manahen a Phacee filio Romeliæ interfectus est [34]. Ose vero filius Ela interfecit Phacee, et pro eo regnavit [35]. Rex Amon a duobus servis, rex Josias filius Amon a sagittariis, Joachim rex filius Josiæ a Nabuchodonosor interemptus est [36]. Sedechias ab eodem orbatus est oculis, et tandem morte turpissima condemnatus [37].

Si principum Romanorum gesta recenseas, quia forte onerosum est tibi audire de regibus Judæorum; incipe a Julio Cæsare, qui primus imperatoris nomen, et officium usurpavit, quem Brutus, et Cassius occiderunt. Cui Antonius volens succedere, occisus est a se ipso. Claudius Cæsar a Caio Caligula, Caius a suis prætorianis, Otho manu propria, Vitellius aliena; Domitianus, qui beatum Joannem damnavit, et in Pathmos insulam relegavit, a senatu damnatus est, et in palatiolo suo interfectus. Aurelius Commodus, supra modum libidinosus, in domo Vestali strangulatus interiit. Hujus successorem Ælium Pertinacem Julianus occidit. Idem Julianus apud Pontem Milvium occisus est. Aurelius vero Antoninus ejus successor apud Ædissam gladio cecidit. Macer vero Macrinus succedens Antonino in tumultu militari animam gladio exhalavit. Marcus Aurelius huic successit, et cum matre sua gladio cecidit. Marco successit Alexander, Alexandro Maximus, Julianus Maximo; Juliano Gordianus, et istorum trium quilibet gladio vitam terminavit. Philippus, qui primus inter imperatores Christi fidem suscepit, cum Philippo filio suo, qui cum eo regnabat, a Decio fraudulenter cæsus interiit. Successorem ejus Decium cum filio suo, qui imperabat cum patre suo, barbari occiderunt. Huic Gallus, et filius Galli Volusianus successerunt, et ambo gladio ceciderunt. His successit Valerianus, qui beatum Sixtum et beatum Laurentium martyres fecit. Hic a Sapore Persarum rege captus, et perpetua servitute damnatus, morte vilissima diem suum clausit. Post hunc Quintillus imperator occisus est. Aurelius a Deo percussus Probus mili-

---

[17] Ezech. 9. [18] Psal. 85. [19] Psal. 72. [20] Deut. 32. [21] Jer. 6. [22] Isa. 52. [23] Psal. 77. [24] Eccli. 38. [25] Psal. 65. [26] Isa. 26. [27] Juv: *sat.* 10. [28] I Reg. 31. [29] III Reg. 16. [30] IV Reg. 8. [31] IV Reg. 12. [32] IV Reg. 15. [33] Ibid. [34] Ibid. [35] Ibid. [36] II Par. 33, 35. [37] IV Reg. 25.

tari tumultu interemptus. Varius Apri soceri sui fraude cæsus, Diocletianus ab imperiali dignitate depositus, Julianus Apostata beati Mercurii lancea cœlitus interfectus est [38]. Valens beati Ambrosii persecutor, a Gothis in casa, qua se meticulose absconderat, est combustus. Tales sunt exitus divitum, et magnatum. Unde, Valerio Maximo teste [39], desiderabilior debet esse diviti certitudo mortis, quam inter varios, et terribiles vitæ casus pendere ad ambiguum imminentis exitii. Omissis igitur divitibus, quia sermo meus non capitur in eis; convertar ad pauperes. Utinam *voluntaria oris mei beneplacita faciat Dominus* [40], ut sit Spiritus Domini super me ad evangelizandum pauperibus [41], et quæ tam mihi quam eis expediunt ad salutem, parare velit *in dulcedine* sua *pauperi Deus* [42]. Currant igitur *pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* [43]. Exspectant eos angeli, imo Dominus angelorum. Nondum impleta est domus: adhuc exspectantur, de quibus nuptiæ repleantur. Curramus, fratres, sed sic, ut apprehendamus. Redimamus *tempus, quia dies mali sunt* [44]. Regnum cœlorum nobis offertur. *Nolite confidere in principibus* [45]. Sequimini consilium Altissimi, nec principum consilia vos seducant. *Reprobat Dominus consilia principum; consilium autem Domini manet in æternum* [46]. Operabitur *in* nobis *velle, et perficere pro bona voluntate* [47]. Nec labor viæ nos deterreat; nam *qui* fingit *laborem in præcepto* [48], quietem et vitam æternam nobis præparat in labore. Mittimur a Domino, ut pro ipso legatione fungamur. Non detrectemus mandatum Domini cum Jona [49], ne in mare mergamur et absorbeamur a ceto. Nemini, quæso, difficilis videatur hujus peregrinationis assumptio. Si fortis est, animo patriam deserens a patria non recedit:

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet [50].

Abraham de terra, et de cognatione sua egreditur, ut in gentibus crescat [51]. Jacob suæ terram nativitatis egrediens, et Jordanem in baculo transiens cum duabus turmis revertitur [52]. Joseph, venditus a fratribus suis, Ægypto præficitur [53]. Moyses a parentibus expositus, a filia Pharaonis in filium adoptatur [54]. Rapiamus per violentiam cœlum, nam a diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur [55]. Et quæ major vis est, quam per pœnitentiam acquirere, quod nobis per naturam nostram, et per Dei justitiam denegatur? Faciant alii divitias, et non in judicio spolient viduas et pauperes deprædentur. Nonne, quæso, isti ante oculos Patris immolaturi sunt Filium, quoties de substantia indigentium oblationem faciant ante faciem patris pauperum,

A rum, et judicis viduarum [55*]? Sane Deo abominabilis est oblatio de rapina, sicut ipse dicit: *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto* [56]. Hinc est quod griphes, haliæetus, vultur, et milvus, et cæteræ prædatoriæ aves, nunquam in sacrificio Domini acceptantur [57]. Procedere non decebat ab injuriis, aut rapinis hujus peregrinationis initium. Salomon dicit: *Initium viæ bonæ facere justitiam, accepta est autem Deo magis quam immolare hostias* [58]. Vereor ne quandoque prædæ sint, quos nunc delectat violenta prædatio. Verbum Isaiæ est: Tu, *qui prædaris*, scito quia *prædaberis* [59]. O pecuniæ amor, o tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum, virtutum subversio, genimen vitiorum, vertens dilectionem

B in odium, et Dei gratiam in contemptum. Quomodo divitum corda excæcas, ut quanto amplius habeant, tanto minus habere se credant? Porro, cui Christus sufficit, nihil deficit, cui offertur portio in terra viventium, contemnenda est possessio terrenorum. Si dives indigentiam timet, pauper, quæso, non timeat. Scriptum est: *Quod timet impius, accidet ei* [60]; et *qui timet pruinam, veniet super eum nix* [61]. *Ecce peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias* [62], et tamen de illis frequenter auditur: *Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* [63]. Certe non est ignobilis apud Deum titulus paupertatis. Sola illa paupertas Deo displicet, quæ cum rancore et murmure sustinetur, sicut Sapiens dicit: *Nequissima paupertas est in*

C *ore impii* [64]. Frequens experientia docet quod non in pecuniis, nec in multitudine armatorum, nec in virtute pugnantium datur victoria Christi militibus, sed in virtute Domini virtutum. *Dominus* enim *fortitudo plebis suæ est* [65]. *Dominus fortis, Dominus potens in prælio* [66], de quo scriptum est: *Gloria virtutis eorum tu es* [67]. Utinam nunquam fuisset hæc pecunia, quæ nec felices exitus habitura est, et per quam mille animarum salus vel dilata est, vel ablata. Non est venalis Dominus, ut possit emi pecuniis, sed nos venales sumus, et venundati sub peccato. His equidem qui pro Christi hæreditate laboraturi sunt, et nolunt hæreditari in terra, paratur æterna in cœlis hæreditas. Nam, *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* [68], isti

D auditiri sunt: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* [69]; non dicetur, qui pecunias collegistis. Attendit Dominus, non quantum, sed ex quanto quis offerat. Nam, sicut in Ecclesiastico legitur: *Substantia hominis secundum cor ejus* [70], acceptior Domino fuit oblatio viduæ, quam magnatum. Unusquisque, ait Dominus, ex eo quo abundavit,

[38] Damas. Or. 1 *De Imag.*; Amphil. *in Vita S. Basilii;* Tripart. l. 8, c. 14. [39] l. 9, c. 12. [40] Psal. 118. [41] Matth. 11. [42] Psal. 67. [43] Matth. 5. [44] Ephes. 5. [45] Psal. 145. [46] Psal. 32. [47] Phil. 2. [48] Psal. 93. [49] Cap. 2. [50] Ovid. *Fast.* I. [51] Gen. 12. [52] Gen. 32. [53] Gen. 40. [54] Exod. 2. [55] Matth. 11. [55*] Matth. 25. [56] Isa. 61. [57] Deut. 14. [58] Prov. 16. [59] Isa. 33. [60] 10 Prov. [61] Job. 6. [62] Psal. 72. [63] Psal. 33. [64] Eccli. 13. [65] Psal. 27. [66] Psal. 23. [67] Psal. 88. [68] Psal. 126. [69] Luc. 22. [70] Eccli. 38.

misit in gazophylacium: *hæc autem omnia quæ habuit, totum victum suum, misit in gazophylacium* [71]. Bonorum nostrorum non indiget Dominus, nec vincit in multitudine, sed in paucis. Cum a principibus sacerdotum, et a populo Judæorum Christus quæreretur ad mortem, et de emendis gladiis ageretur, voluit duobus gladiis contentos esse duodecim [72]. Arma Alexandri, et Cæsaris hodie celebri opinione transcendit unicus ille gladius Petri, quo servi auriculam amputavit [73], sicut quidam sapiens dicit : « Bellorum eventus non est in numero vel audacia robustorum, sed in ejus beneplacito, qui pro suæ voluntatis arbitrio universa disponit. » Nunquid filii Israel posséderunt in gladio suo terram [74]? Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia [75]? Nonne ideo, quia Dominus vendidit eos, et Dominus conclusit eos? Ille, qui in cœlis habitat, et humilia respicit [76], qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt [76*], qui abjecta elegit, ut fortia confundat [77], terram illam, quandoque per pedissequos provinciarum, quandoque per manum femineam a gravissimis exactorum persecutionibus liberavit. Unde verisimile nunc videtur quod, reprobatis magnatibus terræ, quibus Dominus titulos hujus peregrinationis obtulerat, viros famæ humilioris elegit, quibus, in contumeliam potentum, hujus vitæ triumphales eventus, totiusque negotii gloriam reservavit. Romanorum imperator, et rex Francorum, qui votum hujus viæ quandoque professi sunt, si in electa paucitate, et humilitate devota, non in multitudine gravi et indisciplinata processissent, evacuassent exactoris jugum, et pacem in terra perpetuam confirmassent. Quod si principes

A nostri, forte prudentiæ altioris usi consilio, viam hanc tandiu differre decreverant, quare, quæso, non elegerunt viros prudentes, et strenuos, qui præirent, qui victualia congregarent, qui tentarent pericula, qui pararent transitus, qui vires hostium explorarent? sane unusquisque abundat in sensu suo, sed sciant universi et singuli, quod cujus via accepta est a Domino, et ipse diriget gressus ejus. Nam de tali scriptum est: *Gressus hominis a Deo dirigetur, et viam ejus volet* [78]. Ille autem, qui est *via, veritas, et vita* [79], nostros signatos reducat, ab errore et invio, in viam veritatis et vitæ. Liberet terram, quam elegit in habitationem sibi [79*], quam inhabitando quasi alterum cœlum fecit, quam suis miraculis illustravit, suis initiavit sacramentis, sua instituit prædicatione, suo tandem sanguine rubri-

B cavit; quam beatæ resurrectionis et ascensionis suæ magnificentia gloriosam, non solum toti mundo prætulit; sed per eam totum sibi mundum mirabiliter et misericorditer acquisivit. Transeat, Jesu Christe, ira in gratiam, tempestas in auram, judicium in dispensationem, vexatio in refrigerium, percussio in medelam, licet sis *Deus ultionum Dominus* [80], tamen homo es, fraterque noster, et pater misericordiarum. Verba tua sunt : *Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam et sanabo* [81]. Da secundum divitias illius exuberantissimæ charitatis, in qua nos redemisti, ut post terribilia tuæ disciplinæ flagella, sub tua miserationne respiret populus acquisitionis. Moveat te *gemitus compeditorum* [81*], aut juxta verbum Moysi : Ulciscere *sanguinem ser-*

C *vorum tuorum, et propitius* esto *terræ populi tui* [82].

[71] Marc. 12. [72] Luc. 22. [73] Joan. 18. [74] Psal. 42. [75] Deut. 21. [76] Psal. 112. [76*] Rom. 4. [77] I Cor. 1. [78] Psal. 36. [79] Joan. 14. [79*] Psal. 119. [80] Psal. 93. [81] Deut. 32. [81*] Psal. 78. [82] Ibid.

INSTRUCTIO FIDEI CATHOLICÆ

AB ALEXANDRO III PONTIFICE ROMANO.

AD SOLDANUM ICONII MISSA.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, soldano Iconii, veritatem agnoscere, et agnitam custodire.

Ex litteris tuis, et nuntiorum tuorum fideli relatione cognovimus, quod in votis habeas ad Christum converti ; cumque jam receperis, ut audivimus, Pentateuchum Moysi, prophetiam Isaiæ et Jeremiæ, Pauli etiam Epistolas, atque Joannis Evangelium et Matthæi, postulas tibi mitti virum aliquem orthodoxum, per quem in lege Christi, quasi vici nostra, plenius instruaris. Nos autem petitioni tuæ plurimum in Domino commendabili grato concurrentes assensu, tales excellentiæ tuæ procurabimus destinare, qui apud te in doctrina sana et salutaribus

D monitis, vices apostolicæ auctoritatis suppleant ; quorum etiam mores et merita ab honestate et munditia eruditionis evangelicæ non discordent. Quoniam vero nostræ fidei seriem et tenorem litteris tibi supplicas aperiri, nos tuis congratulantes desideriis illam sub quodam compendio, et quasi digito tenus intimamus. Illud igitur pie credas et fideliter teneas, quod unus est Deus, sic tamen ut in assignatione Deitatis sit unitas in substantia et Trinitas in personis. Est enim Deus Pater, Deus

Filius, et Deus Spiritus sanctus; sed Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sunt. Est autem ea discretio in personis, ut nec Pater sit Filius, nec Filius sit Spiritus sanctus nec Spiritus sanctus sit Pater aut Filius. Res quidem difficilis est intellectu, et aciem rationis humanæ transcendit, sed tanto elegantius habet fidei meritum, quanto difficilior est ad credendum. Porro, licet nihil invenire possimus, quod expressam habeat unitatis, quæ in Deo est, et summæ Trinitatis imaginem, nec verba etiam inveniantur, quibus possimus de summa illa essentia digne loqui; quod possumus tamen facimus, et quasi balbutientes per verba rebus accommodata transitoriis rem tibi ineffabilem aperimus. Paulus apostolus dicit, quia *invisibilia* Dei *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* [83]. Vide ergo mentem hominis, corpusque solare considera, et videbis qualiter cunque, licet tenuiter, et quasi oculo conniventi quamdam similitudinem Trinitatis. Est in mente hominis intelligentia, memoria et voluntas. Mentem autem vocamus memoriam, mentem dicimus intelligentiam, mentem dicimus voluntatem. Memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens; sed nec memoria est intelligentia, vel voluntas. In eodem corpore solis radium video, sentio calorem et agnosco splendorem. Hac tria unius essentiæ sunt, nullum tamen eorum est alterum.

Sic et in illa ineffabili et incircumscriptibili gloria Deitatis est Filius a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque. Cumque Pater, et Filius, et Spiritus sanctus ejusdem substantiæ, ejusdem potentiæ et gloriæ sint, non sunt tamen tres dii, sed in tribus personis sunt una substantia, et unius potentiæ, et in una substantia tres personæ. Hæc fidei nostræ professio, non tantum a Christo et ejus sequacibus traxit exordium, sed a Moyse et patriarchis atque prophetis suum habuit fundamentum.

In libro Moysi divinæ essentiæ unitas declaratur, ubi dicitur: *Audi, Israel. Dominus Deus tuus Deus unus est* [84]. Et iterum: *Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: non erunt tibi dii alieni præter me* [85]. Pluralitatem vero personarum ibi patenter insinuat, ubi dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [86]. Cum enim Verbum sit Filius Dei, sicut Joannes, cujus Evangelium recipis, protestatur dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [87], vides quod ad Filium et Spiritum sanctum Patris sermo dirigitur, cum hæc duo pluraliter dicat, *faciamus* et *nostram*. Per Verbum enim et Spiritum

A sanctum Dominus Deus operatus est universa. Sicut David propheta commemorat: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [88]. Idem etiam propheta mysterium Trinitatis eleganter insinuat, ubi ter hoc nomen, Deus, in eodem versiculo repetit et inculcat dicens: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ* [89]. Prænominatus Joannes in Epistola sua canonica dicit: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* [90]. Isaias etiam propheta, quem recipis, se audisse testatur saraphim clamantia: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* [91]. Quatre tertio replicat, *sanctus*, nisi ut in Domino Deo exercituum Trinitatem insinuet personarum? Est itaque in summa ac beatissima

B Trinitate Pater, qui Filium genuit, Filius qui genitus est a Patre, Spiritus sanctus, qui progreditur ab utroque. Nec in illa genitura vel processione damnum refectionis, vel imminutionis passa est in Patre vel Filio divina substantia. Sicut enim lumen a lumine sumitur, sine imminutione luminis, a quo sumitur, sic æqualis, a Patre genitus est Filius, et utrique coæqualis procedit ab utroque Spiritus sanctus. Modum tamen geniture, aut processionis hujus humana ratio non attingit. Unde cum Isaiæ de filii generatione constaret, modum tamen generationis inenarrabilem esse sciens: *Generationem*, inquit, *ejus quis enarrabit* [92]? David propheta in persona Filii de hac generatione sic loquitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* [93].

C Filius etiam David Salomon, quem Deus scientia et intellectu mirabiliter illustravit, in persona Christi, qui est, sicut Paulus dicit, Dei virtus et Dei sapientia [94], in libro Sapientiæ, si tamen eum recipis, ita dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum ab æterno, ordinata sum antequam terra fieret, antequam, quidquam faceret; necdum erant abyssi, et ego concepta eram. Quando præparabat cœlos aderam, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens* [95]. Apostolus etiam Paulus Spiritui sancto, imo toti Trinitati testimonium perhibet dicens: *Misit Deus spiritum sui Filii in corda* nostra [96]. Et alibi: *Si spiritus ejus, qui Jesum suscitavit, habitat in vobis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabi-*

D *tantem spiritum ejus in vobis* [97]. Si Christi testimonium de unitate essentiæ et personarum Trinitate desideras, ipse in Evangelio dicit: *Ego et Pater unum sumus* [98]. Christus etiam discipulis suis dicit: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* [99]. Cum igitur homo perdidisset propter inobedientiam paradisum, et infernales miserias perpetuo meruisset, missus est a Pa-

[83] Rom. 1. [84] Deut. 6. [85] Deut. 5. [86] Gen. 1. [87] Joan. 1. [88] Psal. 32. [89] Psal. 66. [90] I Joan. 5. [91] Isa. 6. [92] Isa. 53. [93] Psal. 2. [94] I Cor. 1. [95] Prov. 8. [96] Gal. 4. [97] Rom. 8. [98] Joan. 10. [99] Matth. 28.

tre Filius; dignumque fuit ut mitteretur Filius, et non Pater. Cum enim a nullo esset Pater, et Filius ab aliquo, erat convenientius ut haberet in tempore matrem, qui ab æterno habuerat Patrem. Cum enim scriptum esset in Psalmo David: *Non est qui redimat, neque qui salvum faciat* [100]; *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* [1]; non est qui det placationem pro anima sua, nedum pro aliena [2]: missus est a Deo Patre Filius, ut homo pro homine moreretur, et pro homine captivo tributum mortis tanquam homo exsolveret, eumque tanquam Deus cœlesti potestate redimeret. Ejus adventum desideraverant patriarchæ, prædixerant prophetæ, atque illius dilationem impatientius sustinentes querela continua dicebant: Quando veniet? quando videbimus? *Da, Domine, mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur* [3]. *Utinam*, dicit Isaias, *Domine, disrumperes cœlos, et venires* [4]. Et David: *Domine, inclina cœlos tuos, et descende* [5]. Sed et, teste Isaia, angeli pacis præ dilatione nostræ salutis amare flebant [6]. Idem vero Isaias de Christi nativitate manifestius loquens: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* [7]. Cum autem Maria de Jesse originem traxerit, idem propheta nativitatem Mariæ, et per Mariam Christi, atque plenitudinem gratiæ spiritualis in Christo manifeste declarat dicens: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [8]. Natus est itaque Filius Dei de Virgine incorrupta, sicut plasmatus est primus Adam de terra virgine et inviolata, Spiritu sancto in ea operante, nostræque salutis negotium ineffabiliter procurante. Abyssus enim inscrutabilis est incarnationis Dominicæ sacramentum. Plurima tamen antiquis patribus acciderunt, in quibus hujus nativitatis figura præcessit. Quod enim vellus Gedeonis rore cœli complutum est, cum area circumquaque arida remaneret [9], ros Spiritus sancti designatur in Virgine, quæ ad hoc propter humilitatem suam specialiter et singulariter est a Domino præelecta. Cui Psalmista concordat dicens: *Descendet sicut pluvia in vellus* [10]. Quod Moysi ignis in rubo apparuit [11], et non est rubus corruptus igne, virginitatis integritas in Maria monstratur. Quod virgis aliarum tribuum remanentibus siccis, virga Aaron, de cujus stirpe Virgo beatissima traxit originem, fronduit et floruit [12], florem de virga Jesse, quem vaticinaverat Isaias, partum scilicet incorruptæ Virginis indicavit. *Cum inimici Dei essemus*, per adventum Christi *reconciliati sumus* [13], sicut propheta prædixe-

A rat: *Et pax*, inquit, *erit in terra cum venerit* [14]. Ideoque angeli in ipsius nativitate gloriosæ pacis canticum cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [15]. Nova etiam stella magis apparuit: atque historiarum testimonio Romæ fons olei de terra fluxit in Tiberim. Templum etiam olim Romæ conditum, quod idola non ruiturum prædixerant, donec virgo pareret, eadem nocte funditus corruit [16]. Probatica quoque piscina quæ Hierosolymis erat, ad adventum angeli moveri, et sanitates conferre tunc cœpit [17]. Vehementissime nobis nocuit vetus Adam, sed plus profuit novus. Amplius nobis contulit hujus humilitas, quam superbia istius abstulerat.

Nam, Paulo apostolo teste, *non sicut delictum*, B *ita et donum* [18]: damni enim æstimationem beneficii magnitudo transcendit. Quem prius habuimus terribilem Dominum et judicem, nunc habemus humilem fratrem et proximum. Christus itaque cursum nostræ mortalitatis transigens in fame et siti, in lassitudine et dolore, et in universis miseriis hujus vitæ, demum traditus a discipulo, et tanquam vile mancipium venditus, flagellatus, consputus, spinis coronatus, illusus, clavis affixus stipiti, et morte turpissima condemnatus, quæ non rapuit, solvit, et sponte morti se offerens omnia in humilitate sustinuit, sicut Isaias aliquando prædixit: *In humilitate*, inquit, *judicium ejus sublatum est. Sicut agnus ad occisionem ductus est, et sicut ovis coram tondente se, sic non aperuit os suum* [19]. Qui ergo puerulus a justo Simeone semel oblatus fuerat in templo [20], in vespe- C ra legis et fine cæremoniarum pro redemptione nostra in cruce manus suas levavit ad Patrem, juxta illud Davidicum: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* [21]. Sic reatus, quem Adam per superbiam ligni delectatione contraxerat, mortis amaritudine per humilitatem Christi sublatus est, fusoque sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta. Alium siquidem redemptionis modum poterat Dominus procurasse, sed nullus suæ benignitati nostræque saluti congruentior occurrebat. Cum enim homo juxta suæ prævaricationis exigentiam captus a diabolo teneretur, postulabat justitia ut non eriperetur per violentiam, sed qui per superbiam lapsus est, sua, si posset, sed quia sua non poterat, aliena saltem humilitate resurgeret. D Ita Christus innocens, quem agnus paschalis in lege significaverat, se pro nobis hostiam obtulit salutarem. Cumque lex Moysi capram vel ovem constituisset pretium ad redemptionem hominis a peccato [22], Christus, per quem gratia et veritas facta est [23], attendens umbratiles legis cæremonias non sufficere ad salutem, hominisque æstimationem pluris faciens quam sanguinem ovis, hirci, aut vituli,

[100] Psal. 7. [1] Psal. 13. [2] Psal. 48. [3] Eccli. 36. [4] Isa. 54. [5] Psal. 143. [6] Isa. 33. [7] Isa. 7. [8] Isa. 11. [9] Judic. 6. [10] Psal. 71. [11] Exod. 3. [12] Num. 17. [13] Rom. 5. [14] Mich. 5. [15] Luc. 2. [16] Euc. in Chr. Petrus Dam. in homil. *apud Sur*. t. VI. [17] Joan. 5. [18] Rom. 5. [19] Isa. 53; Act. 8. [20] Luc. 2. [21] Psal. 140. [22] Levit. 4. [23] Joan. 1.

sanguinem et mortem suam pro nostra salute obtulit, et sic *semel introivit in sancta* summus et verus *pontifex æterna redemptione inventa* [24]. Aperuit itaque librum, et solvit signacula ejus Leo fortis de tribu Juda [25], et quod hostiæ legales non potuerunt, gladium amovit versatilem, et paradisi, qui in omnibus antiquis clausus fuerat, reseravit ingressum [26]. Sic enim olim in morte summi pontificis solebat his qui ad civitates refugii confugerant, securus ad propria reditus indulgeri [27]. Olim consueverat homo causari, et dicere : « Cur exigit a me Dominus amplius quam a cæteris creaturis ? quid pro me fecit ? quid pro me laboravit ? Dixit, et factus sum ; sicut jumenta, et arbores, et cætera universa, sic suæ potentiæ nutu, soloque jussionis arbitrio me creavit. » Sed jam *obstructum est os loquentium iniqua* [28]. Nam homini dissimulare non licet quanta pro eo Dominus fecerit, qui, ut servum redimeret, *proprio Filio non pepercit* [28*]. Porro in redemptione hominis laborem et dolorem invenit, quia famem, sitim, fatigationem, insidias, opprobria, flagella, coronam spineam, clavos et lanceam, ignominiam crucis et mortis angustiam pro nostra impietate et pro sua pietate, pro nostra necessitate et pro sua humilitate sustinuit. *Nonne* ergo *Deo subjecta erit anima mea* [29] ? nonne *omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi* [30], ut non cesset de cætero ab ore et corde meo gratiarum actio et vox laudis ? Quomodo potuit sapientia Dei mecum misericordius agere, aut me ad ipsum diligendum dulcius et efficacius invitare ? Præterea justorum animæ, quæ quantum ad prærogativam originis, non multum a cœlestium spirituum dignitate degenerant, omnes ad inferos descendebant : decebatque, ut Deus quandoque memor suæ imaginis esset, atque, juxta suorum præconia prophetarum, de animabus electis, jacturam casus angelici repararet. Sic in hac nostræ salutis dispensatione dilectio Christi nobis medullitus intimata est qui, cum in lege Moysi nobis dilectionem Dei et proximi dederit in mandatis, eamdem in schola evangelicæ disciplinæ frequentius et fortius verbis, et tandem exhibitione operis inculcavit. *Majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [31]. Dedit itaque materiam diligendi se, qui in suis dilectionibus nos prævenit ; nec aliud a nobis exigit, nisi ut ipsum diligamus ex corde. Sane inhumanus est et crudelis, qui misericordiam ejus non recolit, qui Dominum tam clementem ex affectu non diligit, qui se pro eo, si opus est, mortis periculo desiderabiliter non exponit. Christus autem mortuus et sepultus tertia die resurgens a mortuis, sicut discipulis vivendo prædixerat, eisdem postea frequenter apparuit, et cum ipsis loquens et comedens, ostensis vulneribus manuum, pedum ac lateris, a cordibus quorumdam, qui adhuc hæsitabant in fide, ostensione vulnerum, vulnus dubitationis amovit. Quadraginta itaque diebus cum eis visibiliter conversatus [32], eisdem comitantibus, venit in montem Oliveti; et videntibus illis, elevatus est, et ascendit ad Patrem ; ubi eum esse in Patris dexterea credimus, atque in communi resurrectione ipsum vivorum et mortuorum judicem exspectamus. Ut igitur Dominus noster Jesus Christus voluit et debuit ad horam mori, quia homo, potuit et debuit post mortem resurgere ; ut qui hominem superaverat diabolus, ab homine superaretur et superatus confunderetur. Erubescant infideles et prævaricatores, qui inordinate in hæc prorumpunt deliramenta : Si Christus Deus fuit, quomodo potuit mori ! si homo, quomodo resurgere ? Fuit nempe Deus et homo : quia homo, debuit mori; quia Deus, potuit resurgere. Utile quoque nobis fuit, quod sub iniquo judice sponte mori dignabatur, valuit et voluit resurgendo mortem superare. Et sicut diabolus per suos ministros in Dominum suum manus ausu temerario injecit violentas, ita juste ac judicialiter dominium et tyrannidem, quam in hominem exercuerat, amisit in æternum ; et hoc modo competenti, qui hominem vicerat, ab homine vincebatur, et qui in ligno superaverat, in ligno scilicet crucis, potenter et prudenter superatus fuit a Deo et homine Christo Jesu ; ut quasi frater ab homine amaretur et quasi Deus timeretur. Cæterum, necessarium fuit ut ille idem, qui nos creavit, nos recrearet ; et qui nos fecit, redimendo reficeret, ac perditos repararet, ne unum Deum tanquam Creatorem obligaremur adorare, et alium redemptorem venerari teneremur, et ita duobus dominis famulari. Et quod Filius, non Pater, non Spiritus sanctus, incarnaretur, necesse fuit et conveniens, quia Filio assimilari præsumpsit homo, scilicet Adam, aspirans et volens scire bonum et malum, ut Deus [33]. Videbatur igitur Filius esse in causa sicut sanctitas Abel invidiæ Cain, et sic mortis ipsius [34]. Dixit igitur filius noster, quasi Jonas, cum ait : *Ego sum qui peccavi, projicite me in mare* [35] ; non sufficit exile sacrificium et holocaustum, ad tanti sceleris, quod patraverat homo, expiationem. *Ecce venio*, ego ipse venio, quia *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam* [36] ; ecce adsum immolandus.

Iterum, si tantum negotium, scilicet hominis redemptio, angelo committeretur, non esset tutum; quia in Lucifero superbia angelum reddidit infamem et suspectum. Si homini, non foret similiter securum, cum primum hominem, scilicet Adam, inobedientia culpabilem merito condemnavit. Angelus insufficiens, homo deficiens : unus imbellis, alter imbecillis. Convenienter igitur procuratum est, ut homo hominem, adjutus numinis adminiculo, a diaboli faucibus liberaret, ne tam arduum, tam nobile commercium vacillaret, imo potius irrefragabilius finem

[24] Hebr. 9. [25] Apoc. 5. [26] Gen. 3. [27] Exod. 35. [28] Psal. 62. [28*] Rom. 8. [29] Psal. 61. [30] Psal. 34. [31] Joan. 15. [32] Act. 1. [33] Gen. 2. [34] Gen. 4. [35] Jon. 1. [36] Psal. 39. Hebr. 10.

prosperum sortiretur: et ordo angelicus, qui per lapsum Luciferi et suorum complicum fuerat mutilatus, feliciter restauraretur Magna igitur, et omni laude dignissima fuit mater et Virgo Maria beatissima, quæ tantum Dei et hominis mundo edidit mediatorem, et nostrum parere meruit Salvatorem; quæ inter omnes, quas mundus habuit, mulieres, nec primam, nec similem meruit, nec sequentem habere. Concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, et hinc migravit sine corruptione, juxta verbum angeli, imo Dei per angelum, ut *plena*, non semiplena *gratiæ* esse probaretur [37]; et Deus Filius ejus, antiquum quod pridem docuit mandatum, fideliter adimpleret, videlicet patrem et matrem honore prævenire; et ne caro Christi virginea, quæ de carne matris virginis assumpta fuerat, a tota B discreparet. A prædictis igitur Christianæ fidei capi- A tibus venerabile surgit in celsa culmina fundamentum. Hæc est catholicæ religionis scala, per quam homini datur ascendere ad æternæ patriam claritatis. Si ergo habes in desiderio de tenebris prodire in lucem, et amplecti saluberrimam Christi legem, Christianæ conversationis primitias baptismali lavacro necesse est consecrari, quatenus deposita in aquis regenerationis peccati vetustate, in novam animæ innocentiam, et vitæ infantiam renascaris, ut illius gloriæ cœlestis particeps efficiaris, quam *auris non audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit* [38]; tam copiosa, ut non possit annullari; magna, ut non possit comprehendi; multa, ut non possit numerari: pretiosa, ut non possit æstimari; diuturna, ut non possit terminari, *quam repromisit Deus diligentibus se* [38*], et sua sequentibus vestigia pedetentim. Vale, et vive, et vivat in te Christus.

[37] Luc. 1. [38] I Cor. 2. [38*] Jac. 1.

LIBER
DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

Rogasti me, ut tibi aliquid de virtute confessionis recisiore stylo in schedulis, sicut soleo, exararem. Sic aquam postulat fons a rivo, magister a discipulo scientiam, contemplativus ab activo, ab archidiacono præsul, spiritualis a carnali, sanctus a peccatore, sapiens ab ignaro. Desiderium quidem hujus operis in me parturit affectuosa devotio. Sed, sicut propheta commemorat, *vires non habet parturiens* [39]. Facio quidem quod possum, et si citra C limites facultatis suspendatur affectus, votis tamen exuberans, et accumulata charitate voluntas meum suppleat imperfectum. Utar itaque vice cotis, quæ obtusa est, et tamen ferrum acuit. Et, ut verbo Sapientis minus sapiens utar, quod *sine fictione didici* [40], vestræ sine invidia communico sanctitati. Incipio ergo, nihil de spiritu meo prophetans, sed ea quæ præsens tractatus exposcit, sanctorum Patrum auctoritate confirmans. Micas enim collegi. quæ ceciderunt de mensa dominorum meorum [41]; et cum Ruth Moabitide, in agro Booz spicas coadunavi [42]. quæ manus evaserunt messorum; si forte in earum excussione inveniatur mensura ephi [43]; de qua in valle plorationis peregrinantes a Domino D confitentes sibi panem conficiant lacrymarum.

Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: *Vir in cujus cute varius apparuerit color veniet ad sacerdotem, et se ostendet illi* [44]. Per quod intelligi datur, quod peccati confessio designati per lepram facienda est sacerdoti. Verbum enim Augustini [45] est: Nemo dicat sibi: Occulte confiteor et ago pœnitentiam apud Deum. Si enim sufficiens est ista confessio, ergo sine causa datæ sunt claves Petro, Frustra etiam dictum est: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* [46]. Omnia sane in confessione lavantur [47]; et sicut *corde creditur ad justitiam*, ita oris *confessio fit ad salutem* [48]. Magna est confessionis virtus: quia, sicut beatus Ambrosius in libro *De paradiso* scribit: Confessio lavat animam, confessio aperit paradisum: hæc est secunda post naufragium tabula, baptimus que pœnitentiæ. Devota confessio est tanquam potio valida, scrutans corda et renes, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, et exhauriens de medullis animæ noxiales affectus. Sicut autem per ingratitudinem peccata redeunt, sic per confessionem opera mortua reviviscunt. Unde Augustinus in libro *De pœnitentia* [49]: Pium est credere ut recepta Dei gratia quæ in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona, ut cum destruxerit quod suum non invenit, amet et diligat bonum, quod etiam in peccante plantavit. Apostolus ad Hebræos: *Jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis* [50]. Opera mortua sunt, quæ fecimus, dum in peccato eramus [51]. Hæc, teste Gregorio, sicut per peccatum irrita fiunt, sic per pœnitentiam redivivunt. Cætera ergo nostræ salutis remedia confessio antecedat, ut *præoccupemus faciem* Domini *in confessione* [51*] sicut scriptum est: *Præcinite Domino in confessione* [52]. In hujus rei auspicium Judas, qui interpretatur *confitens*, sive *confessio*, in transitu maris Rubri, quodam dignitatis privilegio, populum

[39] IV Reg. 19. [40] Sap. 7. [41] Matth. 15. [42] Ruth. 2. [43] Ibid. [44] Levit. 13. [45] Homil. 49. [46] Matth. 16. [47] D. Bern. serm. 2, *De resurrect.* [48] Rom. 10. [49] Cap. 14, dist. 3. [50] Hebr. 6. [51] S. Chrys. ep. 5, *ad Theod. laps.* dist. 3, cap. *Talis.* [51*] Psal. 94. [52] Psal. 146.

Israel antecessit [53]. Hæc est secunda circumcisio, quæ facta est in Galgala [54], quæ interpretatur *sanctificatio*. Confessio enim sanctificatio nostra est; sicque Psalmista commemorat: *In exitu Israel*, etc. *facta est Judæa sanctificatio ejus* [55]. Tanta est efficacia confitendi, quod si peccator reatum suum confitendo aperit, Deus illud operit, se accusantem excusat, et peccatum suum agnoscenti ignoscit, testimonio Salomonis: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit misericordiam consequetur* [56]. Ex occultatione quidem et oppressione peccati, nascitur quædam lapidea cordis obstinatio, fitque talibus in orationibus suis cœlum æneum et terra ferrea, ut sint quasi montes Gelboe, super quos nec ros nec pluvia cadit [57], quorum malitia rorem misericordiæ, fontem pietatis, et gratiæ fluenta siccavit. Iratus itaque Dominus dimittit eos post desideria sua, ut eant in adinventionibus suis [58]. sibique iram thesaurizent in die tremendi judicii [59]. Est iterum conscientia miseri quasi fovea ericii et leænæ, ibique sibi occurrunt dæmonia, ululæ et pilosi, dum apostata spiritus secum ad habitandum in ea septem spiritus nequiores se assumit [60]. Infelix homo, quare te abscondis a facie Domini in similitudinem prævaricationis Adæ? Quare dissimulas mortiferum vulnus? ulcus pravæ conscientiæ, quod nunc pallias, quandoque in multa tui confusione publice revelabitur, cum in conspectu omnium sanctorum ante tribunal tremendi Judicis stabis nudus: nihil enim occultum, quod ibi non reveletur. Tunc hi qui sua scelera suppresserunt, *dicent montibus, Cadite super nos, et collibus, Operite nos* [61]. Manifesta enim erunt occulta cordium, et præ confusione et horrendo divinæ majestatis aspectu vellent, si liceret, fugere, demergi etiam in voraginis tenebrosæ abyssum. Filius ergo plorationis æternæ, qui nunc Deum despicit consulentem, monentem et misericorditer arguentem, audiet indignantem, ulciscentem, judicantem terribiliter, et irremediabiliter condemnantem. Saluberrimum est confiteri Domino, *quoniam, bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* [62]. Propterea beatus Job dicit: *Non parcam ori meo, dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo: Noli me condemnare* [63]. Sciebat quod sicut Deus judex et ultor est culpas suas abscondentium, sic advocatus est confitentium. Nec melius causam nostram justificare possumus, quam si accusando et puniendo nos partes judicis exsequamur. *Si nos*, inquit Apostolus, *dijudicaremus, non utique judicaremur* [64]. Summum ergo salutis consilium est humiliari sub potenti manu Dei, et se miserabilem exhibere in oculis misericordiæ ejus, nostram per omnia voluntatem illius subjicere volun-

A tati. Nam et *vita in voluntate ejus* [65]. Salubre est ergo confiteri, quia, teste Hieronymo [66]: Nemo sine confessione salvatur. Et notetur quod confessio sine pœnitentia alia est falsa, ut in Esau et Saul; alia desperata, ut in Cain et Juda. Salutifera in Petro et Magdalena. Quatuor nimirum solent confessionis gratiam impedire, pudor, timor, spes, desperatio. Qui autem sub istis quatuor lapidibus jacet, quadriduanus est in sepulcro. Nam a mortuo tanquam ab eo qui non est, perit confessio [67]. Veniat ergo Jesus misericors et clamet: *Lazare, veni foras* [68]. Foras venit, qui per confessionem interiora cordis aperit. Si vero pudor prohibeat confiteri, recolat quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die judicii cum revelaverit Dominus

B abscondita tenebrarum [69]. Et sicut nunc nemo se abscondit a calore ejus [70], ita tunc non erit, qui se abscondat a splendore illius. Non ergo pudeat dicere quod non puduit facere; sed utili erubescentia confundatur, ut in splendoribus sanctorum de humilitatis suæ merito glorietur. Contra timorem pœnitentiæ, quæ videtur importabilis, objicitur gehennæ memoria, timor ignis inexstinguibilis, vermis non moriens, fetor mortificans, et dolor, cujus non est intermissio, sive finis. Non videatur ei gravior brevis curatio quam pœna supplicii gehennalis. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* [71]. Ideoque pœna temporalis transigat cum æterna, et sustineat patienter flagella tortoris. Si autem sperat de longitudine vitæ, et de Dei miseratione præsumit, attendat quam brevis et incerta sit vita ejus, quicunque

C in Spiritum sanctum peccat, et quantum in eo est, summi Judicis justitiam omnia judicantis evacuat. *Existimasti inique quod ero tui similis; arguam te, et statuam contra faciem tuam* [72]. Qui tales fiunt, non præsumant de Dei miseratione, quasi velit Deus eorum ignorare versutias, et sub quadam pia dissimulatione transire. Nam *propter* hoc *irritavit impius Deum: dixit enim in corde suo: Non requiret* [73]. Sed certe *requiret Dominus, et retribuet abundanter* [74] his, *quorum non est memor amplius, et ipsi de manu sua repulsi sunt* [75]. *Mentita est* namque *iniquitas sibi* [76], sed damnabit Veritas æternaliter quod mendacium temporaliter occultavit. Sicut scriptum est: *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula* [77]. Desperatio autem miserum ho-

D minem in omne desiderium perniciose præcipitat, ut contemnat tremenda judicia Dei; *peccator* enim, *cum venerit in profundum malorum, contemnit* [78]. Huic opponimus, Domine Deus, *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ* [79], quam exhibuisti David homicidæ, adulteræ, proditori, Mariæ peccatrici, Petro neganti, Chananææ clamanti, latroni seditioso pendenti, ipsis etiam crucifixoribus tuis. *Sperent* ergo

[53] Hier. *In Ep. ad Gal.* [54] Jos. 5. [55] Psal. 113. [56] Prov. 28. [57] II Reg. 1. [58] Psal. 80. [59] Rom. 2 [60] Luc. 11. [61] Ose. 10. [62] Psal. 105. [63] Job. 10. [64] I Cor. 11. [65] Psal. 29. [66] In c. 10 *Eccle.*, et ep. *ad Pammach et Ocean.* [67] Eccli. 17. [68] Joan. 11. [69] I Cor. 4. [70] Psal. 18. [71] Hebr. 10. [72] Psal. 49. [73] Psal 9. [74] Psal. 30. [75] Psal. 87. [76] Psal. 26. [77] Psal. 80. [78] Prov. 18. [79] Psal. 144.

in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te, Domine [80]. Nullus, quæso, absorbeatur abundantiore tristitia, quandiu Christus ad indulgentiam se exponit, et de cruce ad amicabiles nos amplexus invitat.

Est confessio perfectorum qui jam tentationum pericula evaserunt, apud quos non est nisi gratiarum actio et vox laudis. Alia est pœnitentium confessio, quæ et Deum iratum placat, et placatum ad beneficia graciæ uberioris invitat. Unde in Cantico Isaiæ: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, et consolatus es me* [81]. Propter triplicem statum, justorum, pœnitentium, reproborum, scripta erant in libro, qui Ezechieli [82] datus est, carmen, lamentationes, et væ. Carmen laudantium, lamentationes confitentium, væ illorum qui pœnitentiam respuunt, quos exspectat damnationis æternæ supplicium. O stulti et tardi ad obtinendum misericordiam Dei! Non præcipitur vobis maria transfretare. *Regnum Dei intra vos est* [83], quibus prope est verbum in ore, verbum in corde [84], id est contritio cordis et oris confessio; quibus offertur terra viventium, et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Ad confitendum te Dominus exspectat, et jam præparationem cordis tui audivit auris sua. *Dixi*, inquit Propheta, *confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei* [85]. Nec tuam solummodo confessionem, sed confitendi desiderium Deus miserando præcurrit: prodigum filium redeuntem videt pater a longe [86]; atque festinantior est indulgere misero, quam miser indulgentiam postulare. Hieronymus ad Rusticum [87]: David a Nathan propheta correptus respondit: *Peccavi;* statimque audire meruit: *Et Dominus peccatum abstulit a te* [88]. Et idem: Unde scelus commiserunt in morte Nabuthæ, Achab et Jezabel [89]. Conversione Achab pœna ejus differtur in posteros, et Jezabel impœnitens præsenti judicio condemnatur [90]. Confessionem ergo ne differas; nam nescis *quid ventura pariat dies* [91]. Nescis, si hac ipsa die mors repentina te rapiat, et non sit qui eripiat. Frequens est illud judicium cœlestis iræ, ut qui non vult pœnitere quando potest, non possit, quando voluerit pœnitere. De his qui pœnitentiam differunt, donec suis desideriis satientur, scriptum est: *Væ prægnantibus et nutrientibus in illa die* [92]. Dic ergo iniquitates tuas, ut justificeris. Sicut enim testatur beatus Ambrosius [93]: Confessio justificat, omnesque sordes, quas negligenter vita congessit, evacuat. Ei quoque non timeas confiteri, quem Deus tibi vice sua consiliarium delegavit, testimonio Job [94]: *Qui timet pruinam, veniet super eum nix.* Erubesce temporaliter, ne æternaliter erubescas. Si modo confunderis, confusio hæc gloriam adducet. Pro confu-

A sione enim hac et rubore, in terra tua duplicia possidebis. Cur timebis in die mala? Nonne melius est audire vocem consilii, quam illius sententiæ judicialis exspectare tonitruum: *Ite, maledicti, in ignem æternum* [95]? Sic autem confessio fiat, ut excurrat per singulas inigitates, et singulis vulneribus de sacrificio cordis humiliati quasi unguentum ex adipe devotionis infundat. In sacrificio quidem singula intestina hostiæ abluuntur [96]. Augustinus de pœnitentia [97]: De universis et singulis pœnitentiam age. Deus septem dæmonia simul ejecit, simul sanavit surdum et mutum; legionem etiam simul ejecit ab alio, docens quod, etiamsi peccata sint mille, de omnibus tamen oportet pœnitere. *Lavabo*, inquit Propheta, *per singulas noctes lectum meum lacrymis*
B *meis* [98], id est per singulas iniquitates conscientiam meam. Lacrymæ laverunt apostasiam Petri. Et si velis per Novi et Veteris Testamenti [99] exempla discurrere, fructum et efficaciam earum non poterit humana ratio æstimare. Deducant igitur confitentes quasi torrentem lacrymas, tum angustiæ, tum doloris.

Nam, si totus eorum sanguis et cerebrum, universæque ossium medullæ liquefactæ in aquas pœnitentiales currant et effluant, in diluvio tamen aquarum multarum ad Deum non approximabunt, nisi oculi tui, o bone Jesu, eorum videant et suppleant imperfectum. Illud autem spem pœnitentis exhilaret, quod lacrymæ peccatricis oculos, Christe, tuos ad lacrymas compulerunt. Confitenti igi-
C tur sint *lacrymæ panes die ac nocte* [100]; comedat panem doloris, et bibat aquam amaritudinis, si forte respiciat Deus, et in verbo magni prophetæ, aquæ Mara ligni appositione dulcescant. Omnes autem circumstantias peccatorum, is qui confitetur, aperiat: causam, locum, tempus, modum, et quidquid mensuram reatus exaggerat. Sic enim beatus Augustinus in libro *De pœnitentia* scribit [1], dicens: Pœnitens suorum criminum exprimat qualitatem, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, ut attendatur excellentia officii sui, turpitudo operis, si in sacro, loco si in die festivitati vel orationi consecrata, aut jejunio, quanta tentatione impulsus sit [2]. Sunt enim qui ultro se peccato offerunt, nec exspectans tentationem, sed præveniunt voluptatem, et omnia faciunt pro recuperanda vita
D animæ, quæ facerent pro vitanda corporis morte. Et, ut gratia evidentiæ ponamus hujus rei exemplum: qui fornicatur, non solum suam, sed illius animam perimit, quam in consensum et participium suæ iniquitatis allexit. Porro animæ tertiæ homicida est, si rogatu ejus aliquis mediator illius turpitudinis intercessit. In tua luxuria vili et brevi æternum mul-

[80] Psal. 9. [81] Isa. 12. [82] Cap. 4. [83] Luc. 17. [84] Deut. 30. [85] Psal. 31. [86] Luc. 15. [87] Epist. 46, c. 3. [88] II Reg. 12. [89] II Reg. 4. [90] III Reg. 21. [91] Prov. 27. [92] Matth. 24. [93] L. VI, *in Lucam*, et l. II *De pœnit.*, c. 6. [94] Cap. 6. [95] Matth. 25. [96] Lev. 1. [97] De V. et F. pœnitentia, c. 9, Dist. Vide pœnit. c. *Sunt plures.* [98] Psal. 6. [99] Marc. 7, 16; Luc. 8, etc. [100] Exod. 15. [1] L. de V. et F. pœnitentiæ, c. 14. [2] C. consid. D. 5. *De pœnit.*

tis procurasti supplicium, et eis in igne concupiscentiæ tuæ ignem perditionis inexstinguibilem succendisti. Cum Dominus sub specie Babylonis dicat de anima peccatrice: *Quantum exaltavit se in deliciis suis, tantum date ei tormenta et luctum* [3]. Tu qui pro tuo proprio et speciali peccato, tam gravia passurus es; quam graviora pro multorum peccatis exspectas, quorum innocentiam argumentosa libidinis astutia subvertisti. Aliqui eorum forte jam decesserunt, et in inferno positi sunt, ubi mors depascit eos, ubi in fornace gehennalis incendii sulphurea infelices, more ferventium et liquescentium metallorum flamma inexstinguibili cruciantur. Tu vero totius adhuc flamma concupiscentiæ carnalis ebulliens, contemnis terribilia Dei judicia, nec tormenta illorum, nec imminentem tibi diem tuæ damnationis attendis. Simplicem mulierculam, aut puerum, quod absit! horrenda enim et odibilis Deo abominatio est, blanda et seductoria pollicitatione corrumpens in tui desiderii voluptate animam, pro qua Christus mortuus est, occidisti. Illud ad cumulum tuæ perditionis accedit, quod cum factus sis princeps Sodomorum et Gomorræ, immunditiæ tuæ discipuli post te sedebunt in cathedra pestilentiæ, serpetque pestis cancerosa in multos, ut veniat super te omnis sanguis eorum, quos corrupisti sanguine, opere vel exemplo. Sane ideo irremissibilis fuit culpa diaboli, et inventa est iniquitas ejus ad odium, quia in malitia, quam nullo suggerente commisit, fuit subversio et ruina multorum. Quis æstimare sufficit quam exsecrabiliter damnabilis sit apud Deum et homines Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit [4]; atque malitia Pharaonis, qui submersit parvulos Hebræorum [5]? Et illi quidem non animarum, sed corporum homicidæ fuerunt. Quanto igitur detestabilius est, eorum non dicam homicidium, sed parricidium, qui tot innocentum animas occiderunt? Procul dubio, quanto excellentior est anima corpore, tanto infeliciores Pharaone sunt proditores, et damnabiliores Herode. Putas quod dissimulando transeat, et non requirat Deus de manu tua, quod in concupiscentiis et in immunditiis tuis nobilissima ejus periit creatura? Nonne hoc est peccatum, quod lex Moysi damnat ad mortem [6], lex imperialis gladio ultore persequitur [7]? Deus etiam, qui solet peccatores misericorditer ad pœnitentiam exspectare, quasi suæ bonitatis oblitus, in ultionem tanti criminis de cœlo pluit ignem sulphureum [8], ut fetorem peccati pœnæ fetor ostenderet, atque etiam cum supplicio temporali cruciatus æternæ damnationis inciperet. Turpe reputas, de tam turpi materia loqui: sed turpior est infernus. Si fœdus est sermo, fœdius est putrescere in peccato. Nunquid audebis facere, et ego illud dicere non audebo?

A Testis in cœlis Deus, etiam conscius in excelsis, quod zelo et sitio salutem animæ tuæ, et tota hæc exhortatio mea procedit ex medullis animæ et adipe charitatis. Sic ergo confessio fiat, ut etiam in tui accusationem peccati veniant quæcunque videntur illius accessio vel sequela. Vix equidem invenitur peccatum, quod aliud annexum non habeat. Colligatæ namque sibi sunt squamæ Behemoth [9]; una uni conjungitur, et spiraculum vitæ non incedit per eas. Vides quod in homicidiis, perjuriis, proditionibus et detractionibus, comessationibus, ebrietatibus, in verbis turpibus, pravisque consiliis, et in cunctis fere criminibus, nobiscum participio consensus innocentiam alienam trahimus in reatum. Tuam igitur conscientiam solerti revolve scrutinio, explora

B omnes angulos ejus, nihilque in ea remaneat indiscussum. Fode parietem, et abominationes conscientiæ monstruosas revelabit tibi familiare scrutinium. Venialia non negligas. *Qui* enim *minima contemnit, paulatim defluit*, et ad majora prolabitur [10]. Quid autem adeo veniale est, quod non possit importare timorem, cum de verbis et cogitationibus otiosis oporteat reddere rationem [11]? Vide ergo ne obruaris arena, ne levia te submergant. Nam et guttulæ aquæ, dum in sentinam navis paulatim et occulte influunt, navem quæ procellosos impetus maris antea fortiter sustinuerat, ex improviso submergunt. Cave igitur ne de radice colubri regulus, et de usu venialium lethifera consuetudo nascatur. Teste siquidem Augustino [12], ex quodam contemptu peccatum committunt in Spiritum sanctum, qui ne-

C gligenter venialibus assuescunt. Propterea beatus Job omnia opera sua verebatur [13]. Quis enim confessionis, aut pœnitentiæ beneficio seipsum justificare præsumat? Ipse Apostolus de se dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [14]. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* [15]. Ergo non propter meritum meum, sed *propter nomen tuum propitiaberis peccato meo: multum est enim* [16]. Si enim *non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam* obtinendam [17], quid erit de imperfectis, aut falsis potius pœnitentiis, quando terribilis et horrendus Judex ipsas justitias judicabit? Peccatum itaque tuum coram te sit semper [18]. Cumque omnia bene feceris, dicas, quia es inutilis servus [19]; atque juxta sententiam Salomonis, de in-

D dulto et propitiato tibi peccato nunquam sis sine metu [20]. *Beatus homo qui semper est pavidus* [21]. Frequenter enim memoriæ peccata se offerunt, quæ scopa pœnitentiæ videbatur pœnitens abstersisse. Putant aliqui sibi sufficere quod aliquandiu a sua turpitudine destiterunt, atque de primitiis arreptæ continentiæ præsumentes, veteres excessus non recolunt, et quasi spatio temporis evanuerint culpæ,

[3] Apoc. 18. [4] Matth. 2. [5] Exod. 1. [6] Levit. 20. [7] Item lex Julia. *De adult. de publ. indic.* [8] Gen. 19. [9] Job 41. [10] Eccli. 19. [11] Matth. 12. [12] *De ver. et fals. pœnit.*, c. 8. [13] Job 6. [14] I Cor. 4. [15] Psal. 142. [16] Psal. 24. [17] Rom. 8. [18] Psal. 50. [19] Luc. 17. [20] Eccli. 5. [21] Prov. 28.

vel earum oblitus sit, aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis brevi pœnitentiæ compendio transegisse.

Recole quid Job ad Dominum dicat : *Signasti quasi in sacculo peccata mea* [22]. Et Dominus in Deuteronomio : *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis* [23]? Non sine dolore cordis acerbissimo et anxia cordis afflictione sanantur quæ longo usu inolita et intimis animarum medullis infixa sunt; nec horaria et levi contritione redimi possunt quibus mors æterna debetur.

Quis scit *utrum sit dignus amore an odio* [24]? Conscientia hominis est quasi later luteus, qui, dum plus abluitur, plus sordescit. Unde Dominus in Jeremia: *Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, polluta eris in sanguine tuo* [25]. Et beatus Job : *Si lavero me aquis nivis, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur inde vestimenta mea* [26]. Quod si pœnitentiæ severitatem æqua lance libraveris cum tuorum excessuum quantitate, ad satisfaciendum tamen Deo, tota tua non sufficit longitudo. Regnum Dei acquiri potest, æstimari autem non potest ; per dolores acquiritur, per violentiam rapitur [27], per intrusionem sanctorum hæreditas obtinetur. Si ergo quæ tibi injuncta sunt, videantur gravia, gravioribus dignum te reputa. Omnis quidem disciplina in principio sui amarissima est, sed postea, testimonio Apostoli, pacatissimum fructum justitiæ faciet [28]. Simulatoria itaque est, et falsa prorsus confessio, si ex cordis amaritudine non procedit. Nam Thamar, quæ *amaritudo* interpretatur, Judæ, id est *confitenti*, seu *confessioni*, conjugio copulatur : et juxta edictum legis nemo nisi cum lactucarum agrestium amaritudine paschalis agni carnibus communicare præsumit [29]. Recogita igitur annos tuos in amaritudine animæ tuæ habeas præ oculis cordis tui passionem Christi, tuorum memoriam peccatorum, et exspectationem districti judicii. Cogita ultimæ diei necessitatem, brevitatem vitæ, finem dubium, et terribilem arcum Domini, quem adversus peccatores tetendit et in eo paravit vasa mortis [30], dans tibi significationem, ut fugias a facie arcus [31]. Propterea de pœnitentiæ diuturnitate vel austeritate non murmures; nam cum pro sola criminum tuorum redemptione te totum debeas, e diverso, si ad angustias crucis Christi respexeris, totum corpus tuum, totam animam tuam ei debes. Animam enim suam posuit ad mortem pro te; si ab initio mundi usque in hunc diem sobrie, pie justeque vixisses, non posses gratiæ illius ad meritum respondere. Quidquid potest humana conditio, si ad passionem Domini comparetur, erit quasi aquæ guttula ad magnitudinem maris, scintilla ignis ad solem, et quasi nihil ad universitatem.

A postolus pondus tribulationis præsentis leve reputat, respiciens in remunerationem atque in æternam et inæstimabilem præmii quantitatem [32] : tribulatio enim præsens quasi guttatim influit; retributio vero quasi torrens voluptatis affluit, nunquamque pereffluit. Si ergo gravis tibi videatur pœnitentia, cogita quod incomparabiliter gravior est gehenna. Exercearis in lacrymis, vigiliis, jejuniis, disciplinis ; nec tibi videatur absurdum, si propter abstinentiam aliquando caput doleat, quod sæpius ab ebrietate doluit ; si rugiat venter, quem frequens ingluvies suffocavit. Peccati ergo sanies non solum abstergenda, sed abradenda est asperitate doloris. Tunc equidem cum beato Job testa saniem radis [33], si districtiore pœnitentia sordidas delectationes abster-
B gis. Quod enim non purgaveris in præsenti, in igne purgatorii purgaturus est Deus, sicut ipse per Joel dicit : *Purgabo*, inquit, *sanguinem, quem non purgaverunt* [34]. Isaias quoque : *Et purgabit filios Levi in spiritu judicii et spiritu ardoris* [35]. *Christus* autem *purgationem peccatorum faciens* [36], nun in judicio, sed in desiderio ; non in ardore, sed in amore, tria nobis purgatoria misericorditer assignavit : cordis contritionem, oris confessionem, carnis afflictionem : hæc sunt cymbala bene sonantia, hæc sunt tres civitates refugii.

Ad contritionem pertinet timor Dei, et desiderium regni, pœnitentiæ humilitas, longanimitas patientiæ, et abjectio sui. *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet* [37]. Sic ergo cor dolor pænitentiæ conterat, ut *in spiritu vehementi* conterat *naves Thar-*
C *sis* [38]. Tharsis interpretatur *exploratio gaudii*. Mentes autem nostræ, naves sunt, quibus in hac sæculi voragine navigamus, explorans vias, quibus ad cœleste gaudium provehamur. Et nos quidem filii Petri sumus, et ambulare super aquas præcipimur [39], super hoc scilicet mare magnum et spatiosum; semper autem mergimur, nisi spiritus adjuvet infirmitatem nostram, ut possimus dicere cum Propheta : *Nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan aqua absorbuisset nos* [40]. Propositum itaque pœnitentiæ perseverantia comitetur. Quid enim omnia prædicta proderunt pœnitenti, si ad vomitum revertatur ? Verbum Sapientis est : *Unus ædificans, et unus destruens, quia est nisi labor* [41] ? Ita et *qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid*
D *profuit ei lavatio* [42]? Verbum Augustini est [43] : Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum [44], sanatur tardius, si lugens et peccans veniam non meretur, nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata : nec valet de malis veniam poscere, et mala denuo iterare. Gregorius [45] : Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, se inaniter mundant, et nequiter inquinant ; idcirco lacrymis

[22] Job. 14. [23] Deut. 32. [24] Eccl. 9. [25] Jer. 2. [26] Job. 9. [27] Matth. 11. [28] Hebr. 12. [29] Exod. 12. [30] Psal. 7. [31] Psal. 59. [32] II Cor. 4. [33] Job. 2. [34] Ivel. 3. [35] Isa. 4. [36] Hebr. 1. [37] Psal. 50. [38] Psal. 47. [39] Matth. 14. [40] Psal. 123. [41] Eccli. 34. [42] Ibid. [43] C. *Inanis*, D. 3. *De pœnit.* [44] Ibid *in Dialog.* [45] Part. III, *Pastor.* admon. 31.

se lavant, ut mundi ad sordes redeant. Item Gregorius : Lavamini, mundi estote ; post lavacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lacrymas, vitæ innocentiam non custodit. Nemo itaque de momentanea contritione, vel affluentia lacrymarum præsumat. Sunt enim plerique irreligiosi, aut potius iniquitatum abysso absorpti, lætantes cum male fecerint et exsultantes in rebus pessimis, quos videmus timore pœnæ, aut peccatorum recordatione compungi usque ad lacrymas, mira etiam devotione liquescere in amorem Jesu, et ipsum totis medullis animæ, brachiis devotæ affectionis amplecti. Videmus etiam alios in exercitio pœnitentiæ, et inter multiplicia virtutum præsidia constitutos, ita ex toto arescere, ut nec unam ab oculis suis possint lacrymam extorquere. Sciendum itaque quod gratia lacrymarum, quædam Dei visitatio est, quæ quandoque datur, ad excitationem torporis, quandoque ad consolationem laboris, quandoque ad gratiam retributionis. Prima enim quasi stimulus desidem pungens, secunda quasi baculus debilem sustinens, tertia quasi lectulus quietum suscipiens. Sicut enim Deus nunc verbo, nunc exemplo, nunc etiam flagello torpide aut tepide viventes ad salutem provocat : sic eosdem per inspirationem occultam compunctione aut terrore ad statum vitæ melioris invitat, ut sic hæc divinæ gratiæ oblatio reprobis ad judicium ; his autem, qui electi sunt, ad profectum. Nec solum lacrymæ, sed etiam virtutes, ut sapientia, eloquentia, et multa hujusmodi, quæ de thesauro cœlestis misericordiæ producuntur, multis per abusionem, aut elationem convertuntur in malum. Dona siquidem Dei, tam bonis, quam malis sunt quandoque communia. Nam et Saul inter prophetas [46], et inter apostolos numeratus est Judas [47], propter quod et Salvator in Evangelio dicit : *Multi mihi dicent in illa die : Nonne in nomine tuo, Domine, dæmonia ejicimus? et in nomine tuo signa multa fecimus? et tunc confitebor illis, quia non novi vos : discedite a me operarii iniquitatis* [48].

Pœnitentia Cain [49], fletus Esau [50], seu confessio Judæ plangentis se tradidisse sanguinem justum [51], eis cesserunt in judicium et tormentum. Sæpe filii Israel in eremo correpti a Moysi [52], fleverunt coram Domino, quibus illa pœnitentia nihil profuit, ad pristinas concupiscentias denuo resolutis. Sed et in terram promissionis ingressi cum loqueretur eis angelus in loco, qui propter hoc postea vocatus est locus flentium, levaverunt vocem, et fleverunt, et tamen paulo post facere malum coram Domino addiderunt [53]. In electis autem compunctio est ad consolationem, quibus omnia cooperantur in bonum [53*]. Hæc enim in melius promoventur, dum ex ipsa dulcedine, qua fruuntur, ad exercitia spiritualia fortius se accingunt. Qui dum dura et aspera

A gaudent sustinere pro Christo, proficiunt in illud compunctionis excellentius genus, quod infirmos sanat, debiles roborat, consolationem et quietem indulget. Quam experiebatur Propheta, cum diceret : *Memor fui Dei, et delectatus sum* [54]. Et : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* [55]. Nemo igitur secundum primum visitationis genus sanctitatem in se mentiatur, cum illam reprobis sciamus frequenter accidere. Sed nec de secundo genere visitationis præsumat ; illa enim non sanctificat, sed ad sanctificandum præparat ; et evenit quandoque tentatis, ne corruant : plerumque tentandis, ut levius ferant. Si quis autem secundo visitationis generi assuescat facile proficiet ad tertium genus, quod jam non solum excitat aut confortat, sed uberiore gratia B victorem remunerat. Si ergo senseris in te gratiam compunctionis et effluentiam lacrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris Domino reconciliatum. Nec opinetur servus se esse filium, licet quandoque pascatur pane filiorum. Nam de talibus scriptum est : *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula. Et cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* [56].

Nota in his verbis, et alios esse Domini inimicos, et tamen ex adipe frumenti, et melle spirituali a Domino satiatos. Quia tales patientia Dei ad pœnitentiam sustinet et exspectat, credunt se indulgentiam obtinuisse divinam, et totum suarum lacrymarum meritis ascribentes, dicunt cum uxore Manue : *Si Dominus voluisset nos occideret, non utique* C *de manu nostra sacrificium suscepisset* [57].

De talibus etiam credo scripsisse Apostolum *Dedit*, inquit, *illis Dominus spiritum compunctionis : oculos, ut non videant, et aures ut non audiant* [58]. Nonne ista compunctio eorum excæcat oculos, et aures cordis obturat, qui credentes se aliquid esse, cum nihil sint, abominabiles criminum maculas sine fructibus pœnitentiæ paucis lacrymis æstimant abluisse? Vera siquidem pœnitentia non in lacrymis momentaneis, aut horaria compunctione consistit. Nulla etiam affectio pia meritoria est ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat. Sæpe in tragœdiis et aliis carminibus poetarum, in joculatorum cantilenis describitur aliquis vir prudens, decorus, fortis, amibilis et per omnia gratiosus. D Recitantur etiam pressuræ vel injuriæ eidem crudeliter irrogatæ, sicut de Arturo et Gangano et Tristanno, fabulosa quædam referunt histriones, quorum auditu concutiuntur ad compassionem audientium corda, et usque ad lacrymas compunguntur. Qui ergo de fabulæ recitatione ad misericordiam commoveris, si de Domino aliquid pium legi audias, quod extorqueat tibi lacrymas, nunquid propter hoc de Dei dilectione potes dictare

[46] III Reg. 10. [47] Matth. 10. [48] Ibid. 7. [49] Gen. 4. [50] Gen. 27. [51] Matth. 27. [52] Num. 11. [53] Jud. 2. [53*] Rom. 8. [54] Psal. 76. [55] Psal. 30. [56] Psal. 80. [57] Jud. 13. [58] Rom. 11.

iam ? Qui compateris Deo, compateris et
Ideoque utrasque lacrymas pariter perdis,
diligis Deum, si de fontibus Salvatoris, spe
fide et charitate, devotionis et pœnitentiæ
ıs non effundis. Sane mirabili Deus artificio
ordiæ salutem nostram operatur ineffabili-
ıe sapientia illuminans, ipse justitia terrens,
aritas blande invitans, velut si aliquem melle,
nis inexpertum, velles ad appetitum mellis
ı, et ideo ejus ori mellis guttulam instillares.
vator carnalibus immersos illecebris, quos
edicatio, nec districti Judicis timor convertit
uitatibus suis, quodam rore misericordiæ,
n gustu suæ dulcedinis ad salutem vocat,
ɜi jugum suavissimum suæ servitutis impo-
icet enim, post illius suavitatis experientiam,
ille ad vanitates sæculi revertatur, coope-
tamen gratia Dei, ille in se reversus in se-
onfunditur, semetipsum odio habet, quia
sibi Dei gratia toties est abusus. Hinc de
e cogitat vita, motus refrenat illicitos, et
t sibi legem tantæ necessitatis imponere, ut
abeat velle in peccando, non habeat tamen
in talibus eorum sanctitas fructus est lacry-
n. Ad hoc siquidem datæ sunt, et hoc per
peratur Altissimus. Si ergo per eas impletum
ɔpter quod datæ sunt ut quid necessariæ de
ı sobrie et pie et juste viventibus erunt ?
profecto quam gratum Deo sit sacrificium
ıarum, et pro omnibus delictis sufficiens
.ustum. Sed quibus ? Confitentibus, pœniten-
non revertentibus ad vomitum,[58*] sed in spiritu
itatis, et in animo contrito fugientibus ad pia
a Jesu, et continuantibus dignos pœnitentiæ
s. Sic in vigiliis, jejuniis, disciplinis, mor-
io carnis assumpta in omnibus membris cum
narum profusione se offerat, ut holocaustum
devotissimorum affectuum suavitate pingue-
coram summo sacerdote de ara spiritus
ɔris odorem suavitatis effundat. Expedit eis
ɔnvertuntur ad cor ut bestiales sensuum mo-
strictiore censura cohibeant, quatenus tota
alitas ad arbitrium spiritus in Christi obse-
ı captivetur. *Non enim vir propter mulierem,
ulier propter virum facta est* [59], caro scilicet
ritui ancilletur. *Quæ utilitas si bene offers et
dividis* [60], dicens ei anathema, qui dicit :
sti, quiesce, *vade et noli amplius peccare, ne
us tibi contingat?* [61] In initiis igitur, abstinen-
ɔdis alliganda est caro, ut ita sine difficultate
ı cum vitiis et concupiscentiis crucifigas.
tus equidem prius ligatus est, postea crucifi-
Et vos *hoc sentite in vobis quod et in Christo*
[62], ut cum Josue [63] quinque reges, id est quin-
sensus, patibulo pœnitentiæ affigatis. Caro

A siquidem Dalila nostra est: domesticus hostis noster; hunc occidere nobis non licet, imo circumferre et alere nos oportet. Sic autem affligatur, ut serviat; sic tendatur chorda, ne rumpatur. Sic etiam pascatur jumentum, ut labori sufficiat. Nam et in sacrificio avium, non abscinduntur ascellæ turturis, sed franguntur [64]. Certa vero moderatione dispenses ea quæ circa miserias carnis exigentia naturalis exposcit, et ad custodiam cordis tota studii vigilantia transferatur. Verbum Salomonis est : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* [65]. Non enim satis est ad salutem, extraordinarios reprimere motus carnis, quos a nostræ originis corruptione contraximus, nisi profectus animæ summa diligentia procuremus. Quid B enim prodest, si extra aut circa vineam stirpes spinarum veternosas explantes, nec spinas, aut tribulos interius eradices? Non decet etiam de partu ancillæ esse sollicitum, et in domina non dolore sterilitatis opprobrium. Non expedit ut terram corporis pœnitentialiter excolas, si de anima plantaria superbiæ, cupiditatis et invidiæ non evellas.

Nec etiam multum interest, si, domita carne, peccatum obtineat mentis arcem, ut qui foris victus apparet, partem sui perdiderit meliorem. Scriptum est : *Foris pugnæ, intus timores* [66]. Res plena discriminis est, si sic extra civitatem committimus bellum, ut nihilominus in civitate patiamur excidium. Non sunt forsitan pedes tui veloces ad effundendum sanguinem, sed currunt affectus tui ad acquiescen- C dum carni et sanguini, quæ non possident regnum Dei. Testatur autem Pius papa [67] religionis opera homini non prodesse, nisi mens in Dei timore a prava cogitatione jejunet. In primis itaque *Deum time, et mandata observa* [68], ut, sicut Apostolus dicit cum timore et tremore tuæ salutis negotium opereris [69]. *Initium* siquidem *sapientiæ timor Domini* [70]. Verbumque Isaiæ est : *A timore tuo Domine, concepimus, et spiritum salutis peperimus* [71]. Expedit sane his qui convertuntur ad cor, ut in timore judiciorum Dei turbam irruentium cogitationum districte cohibeant, ne transeant in affectum cordis. Sit autem homo exterior, tanquam mortuus a corde, ut in sanctarum meditationum serenitatem libere liceat interiori homini respirare. Sunt equidem vagæ D cogitationes, in quibus non grande periculum est, dummodo habeas Dominum in conspectu tuo, et sit anima tua in manibus tuis semper [71*]. Sunt et cogitationes de cibo, de indumento, de potu et consimilibus, quas exigentia corporalis exposcit, et hæc nostræ carni familiarus adhærent: nobiscum enim coaluerunt a prima origine, ut quasi nostra primogenita censeantur. Si ergo hæ cogitationes, aut alii primi motus, quos lex peccati scribit in carne,

Prov. 26 ; II Petr. 2. [59] I Cor. 11. [60] Gen. 4 *juxt.* LXX. [61] Joan. 5 et 8. [62] Philipp. 2. [63] Cap.
[64] Levit. 1. [65] Prov. 4. [66] II Cor. 7. [66*] Psal. 118. [67] Epist. 12, c. *Nihil prodest.* dist. 3 *De pœnit.*
cle. 12. [69] Philipp. 2. [70] Psal. 110. [71] Isai. 26. [71*] Psal. 118.

cœperint ascendere, et contaminare conscientiæ tuæ A lectum, dicas cum B. Jacob: *Ruben primogenitus meus non crescas quia ascendisti cubile patris tui* [72]; et sic in spiritu fortitudinis allidantur ad petram parvuli Babylonis [72*]. Tertium cogitationis genus damnabile est, quod de luxuriæ, aut superbiæ, aut invidiæ, vel alterius detestandæ iniquitatis sterquilinio latenter obrepit; cujus fetorem, quam cito exhalare persenseris, averte animum, cogita terribilem in suis judiciis Deum, curre ad lacrymas et gemitus, illamque cogitationem de longe auctoritate imperiosa cohibeas. Mors in illa est, ideo ipsam nulla occasione tibi approximare permittas. Quod si tui dominata non fuerit, tunc immaculatus eris [73], *eritque sub te appetitus tuus et tu dominaberis illi* [74]. Si vero aliqua cogitatio virulenta, vel in modico tuos sensus B infecit, et vulneratus es a serpente, curre ad serpentem æneum; Christum invoca, cui omnis cogitatio confitetur. In corde contrito et humili poteris cogitationem tuam mirabili artificio humilitatis auferre ab oculis ejus, ut eam non videat, qui omnia videt. *Auferte*, inquit, *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* [75]. O quam mirabiles et terribiles oculi, quos neque cogitatio parva prætervolat? Deus enim, sicut videt actus, ita hominum contemplatur affectus; nec opus est ut quis ei testimonium perhibeat de homine. Ipse tamen nullum post humilem confessionem, videt peccatum, quoniam *charitas operit multitudinem peccatorum* [76]. Super omnia studeas ante misericordes oculos Dei humilis et miserabilis apparere; præ cunctis virtutibus humi- C litas Deo familiariter et confidenter assistit. Hæc Deo cognata est et amica, hæc sola virtutum se esse ignorat, ipsa de suo contemptu fit honorabilior, et in sui abjectione alias virtutes exigens, dum ex eo proficit quo officit, omnium dispendia recompensat. Humiliare ergo, nec filio Patris tui sit dedecori humilitas, quæ non dedecuit Filium Dei. Descendit Naaman de curru superbiæ in Jordanem [77], qui interpretatur *descensus*, sive humilitas, et a lepra mundatur. Descende et tu, atque humiliare, si vis a peccato mundari. Propterea Psalmista dicit: *Memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico* [78]. Mons quidem modicus est superbia hujus vitæ, tam brevis, tam miseræ, tam incertæ. Et unde superbiet terra et cinis, vermis fetens, reptans in palude ranunculus, cadaver putridum, lutum vermibus scatens, et vile morticinium? Leva manus tuas in superbias nostras Deus et confringe cornua peccatorum [79]. Humilietur in pulvere anima nostra, ut cum lamentatore propheta ponamus *in pulvere os* nostrum, *si forte sit spes* [80*], si forte convertatur et ignoscat Deus, atque secundum multitudinem iræ suæ non quærat [80]. *Horrendum quippe est incidere in manus Dei viventis* [81]. *Ignis* enim *succensus est in furore* ejus *et ardebit usque ad inferni novissima* [82]. *Domine, ne in furore tuo arguas me* [83], sed sustine, ut me ipsum arguam confitendo. Et quæ tibi gloria, Deus, si creaturam tuæ conformem imagini et charactere tuæ fidei consignatam perpetua excommunicatione præcidas a communione sanctorum, ut eam æternæ mortis abyssus absorbeat, et super eam urgeat os suum puteus infernalis? *Quæ utilitas in sanguine meo*, Deus, si descendero *in corruptionem* [84]? *Quis ex vobis poterit* stare *cum igne devorante? aut quis* stabit *cum ardoribus sempiternis* [85]? Vincat, quæso, Domine, misericordia tua miserias meas, et meas iniquitates benignitas tua. Suscites in me veræ contritionis et confessionis affectus, et ne torquear gehennalis ignis incendio, ignem in me tuæ dilectionis accendas. Quod nobis concedat, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[72] Gen. 49. [72*] Psal. 136. [73] Psal. 18. [74] Gen. 4. [75] Isa. 1. [76] I Petr. 4. [77] IV Reg. 5. [78] Psal. 41. [79] Psal. 74. [80] Thren. 30. [80*] Psal. 10. H. [81] Hebr. 10. [82] Deut. 32. [83] Psal. 6. [84] Psal. 29. [85] Isa. 33.

DE POENITENTIA VEL SATISFACTIONE

A SACERDOTE INJUNGENDA.

Venerabili Patri et amico in Christo domino W., D Dei gratia abbati, N. PETRUS Blesensis salutem, et de pœnitendis pœnitere.

Nimia tui rigoris austeritas, quam exerces in tuorum confessionibus fratrum, sicut dicitur ex eorum querela communi, enormium generat materiam scandalorum. Susceptos enim ad pœnitentiale remedium, post confessionem, publice dehonestas. Nam, licet infirmitates eorum verbo non publices, quadam tamen superciliosa et notabili despectione opinionem eorum apud alios sinistra suspicione constaminas. Novisti quam gravi animadversione plectatur transgressio sacerdotis peccata sibi confitentium revelantis. Nec multum interest utrum voce vel signo, vel quodam vultuoso contemptu, aut alias nimia severitate satisfactionis secreta conscientiæ alienæ vulgentur. Tales equidem canonica censura deponit, ac depositos perpetuæ et ignominiosæ peregrinationi addicit. Sicut scribit B. Gregorius [86]: Ars est artium regimen animarum. Spi-

[86] Cap. *Qui vult*, c. *Sacerdos de pœnit.* d. 8.

ritualis ergo medicus in recipienda confessione multa cautela utatur. Oportet enim, sicut in Pœnitentiali Romano docemur [87], ut sacerdos in multa mansuetudine et benignitate suscipiat pœnitentem Oret in primis pro eo, nec se peccatorem profiteri dubitet, ut ad compunctionem provocet pœnitentis affectum proprio humilitatis exemplo. Nullum omnino despiciat peccatorem, quia sicut B. Hieronymus scribit : Ille nullum despicit peccatorem, qui peccatores redimere venit. Et adjungit : Si pœnitens post confessionem contemnitur a prælato, facile in desperationis foveam detruditur : quod quidem peccatum adeo damnabile est, ut Deum ad iram provocet, nec veniam mereatur.

Sicut ergo confitenti necessaria est humilis et sincera devotio, sic pœnitentiali, id est sacerdoti, necessaria est diligens et circumspecta discretio, ut discernat inter lepram et lepram, ut habeat in se tria, bonitatem, scientiam, disciplinam : bonitatem in sanctitate, scientiam in eruditione, disciplinam in correctione. Hæc tria quidam postulabat, dicens : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me* [88]. Sit Samaritanus infundens oleum misericordiæ vinumque justitiæ. [89]. Habeat conscientia ejus, quasi arca fœderis, manna et virgam [90], ut sciat compati et ignoscere, arguere et monere. Gaudeat de primitivis fructibus pœnitentis, sicut bonus agricola compatiatur infirmo, dubiumque confortet recolens illud Apostoli : *Quis infirmatur, et ego non infirmor* [91] ? Et audiens tentationes illius, suam infirmitatem cogitans, apud se dicat : Si in tanta tentatione fuissem, gravius cecidissem. Nihil dicatur aut fiat cum indignatione et ira : *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* [92]. Medium autem teneat, ne nimia remissio, vel nimia austeritas sit in eo, certumque pœnitentiis modum, juxta sanctorum Patrum instituta præscribat. Beatus enim Gregorius [93] falsas pœnitentias vocat, quæ non secundum auctoritatem sanctorum et pro qualitate criminum imponuntur. Sunt equidem qui peccatis gravibus leves et inusitatos injungunt pœnitentiæ modos, consuentes, juxta verbum prophetæ, *pulvillos sub omni cubito manus, et cervicalia sub capite universæ ætatis* [94]. Hieronymus super Danielem : *Quamobrem consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, si forte ignoscat tibi Deus* [95]. Cum beatus Daniel, præscius futurorum, de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt qui audacter veniam peccantibus pollicentur. Isidorus De *summo bono* [96] : Sunt qui pœnitentibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per prophetam dicitur : *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes : Pax, pax, et non est pax* [97]. Cum ignominia, inquit,

A curant contritionem, qui cito pœnitenti promittunt securitatem. Sunt qui austeritate jugum Domini suave exasperant, et onus ejus leve aggravant, alligantes *onera importabilia. nigito autem suo nolunt ea movere* [98]. Isti sunt qui, contra præceptum legis, infirmo fratri commodant ad usuram ; usura enim est quidquid satisfactionis supra debitum regulare injungis. Isti exercent zelum justitiæ in fermento, et non in azymo, ut iracundiæ satisfaciant, non ut Christo fructificent. De talibus scriptum est : *Concupiscentia spadonis devirginavit juvenculam, ita et qui per vim judicium facit* [99]. Anima siquidem pœnitentis scandalizata corrumpitur, nec ex correctione illa fructus justitiæ generatur. De talibus dicit Dominus

B per prophetam : *Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt* [100]. Ad pastores perversos dicit Dominus per prophetam : Vos cum austeritate imperabatis eis. Sed, juxta verbum Sapientiæ : *Horrende et cito judicium his qui præsunt, fiet* [1]. Recta igitur, et sine animi turbatione oportet esse judicia, sicut Eliu in libro Job [2] dicit : *Non te supprimat ira, ut aliquem opprimas.* Legislator monachorum in Regula dicit [3] : Cogitet abbas se de omnibus judiciis suis reddere rationem in die judicii, ne forte zeli, aut invidiæ flamma urat animam suam. Quorumdam mos, aut potius mors est ; animæ enim peremptorium judicatur a sanctis Patribus, quod ferventiore zelo proprias, quam Christi prosequuntur injurias. Verumtamen sicut beatus Augustinus scribit [4] : Pec-

C care in nos longe levius est quam peccare in Deum. *Si enim vir in virum peccaverit,* dicit Samuel, *remitti ei potest. Si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo* [5] ? Nos autem econtrario, dicit Augustinus, injuriæ Dei misericordes, et faciles sumus, et ejus offensam, quasi velle et nolle Dei in nostra potestate sit, sine pœnitentiæ satisfactione remittimus. Si quid autem in opere, vel in verbo contumeliose attentatum est contra nos, illud graviori animadversione persequimur. Unde Ambrosius in homilia : Quod in hominem committitur, remitti facile potest ; non autem sic, quod attentatur in Deum. Graviter itaque offendis, si Dominico debitori culpas, quæ in Deum sunt, impune dimittis, ac cœlestis Regis debitum tua præsumptione resolvis.

D Pœnitentialis auctoritas multos convertit in reprobum sensum.

Refert beatus Hieronymus de sene quodam, qui juvenem vexatum spiritu fornicationis et pœnitentem in foveam desperationis dejecerat, sed ab alio sene confortatus est, ita ut spiritus immunditiæ juvenem derelinquens, primum senem aggrediens eumdem anxie molestaret [6]. Sæpe videmus aliquos

[87] Greg. part. I *Pastor.* c. 1. [88] Psal. 118. [89] Luc. 10. [90] Hebr. 9. [91] II Cor. 11. [92] Jac. 1. [93] *De pœnit.* c. *Falsa.* dist. 5, in c. 15, l. I Reg. et homil. 26 *in Evang.* [94] Ezech. 13. [95] Dan. 4. [96] Lib. III, cap. 13. [97] Jer. 6. [98] Matth. 23. [99] Eccli. 20. [100] Ezech. 13. [1] Sap. 6. [2] Cap. 36. [3] Benedictus in cap. II Reg. [4] Serm. 48 *De Sanctis.* [5] I Reg. 2. [6] Vitæ Patr. p. II ; Cassia. col. 2 c. 13.

hujus vestri ordinis episcopis confiteri, vel illis quos pro se delegant episcopi, quod quidem scimus esse contra constitutiones Patrum et honestati contrarium. Sed quid faciet anima deterrita ab abbate alicui de monasterio suo confiteri prohibita? Quid faciet *columba seducta non habens cor* [7]? *Attendite*, o abbates, *vobis et universo gregi* vestro [8], non principes, non domini; sed *forma facti gregis* in congregationibus vestris [9], animarum medici, imo, ut verius loquar, curatores sentinarum, et stercorum purgatores. Quæ enim stercora, quis enim sanguis menstruus, quæ putredo cadaverum immundior est, quam peccatum? Periculosum est fratrem suum contemnere, et compunctum corde mortificare. Sane illi qui post confessionem despiciunt pœnitentem, non multum absimiles sunt Simoni Pharisæo, qui in corde suo Christum accusabat, eo quod Mariæ peccatricis pœnitentiam admittebat [10]. Credo quod, si cum Simone tunc fuisset, qui fratrem pœnitentem nunc despicit, Mariam calcibus repulisset. Porro, sicut Apostolus dicit, *conclusit Dominus* sub peccato *omnia, ut omnium misereretur* [11]. Non enim proficeret virtus spiritualis, nisi subesset infirmitas carnis. *Nam virtus in infirmitate perficitur* [12]. O si cognovisses et tu quam districto et tremendo judicio oporteat te respondere. Juxta consilium Joannis Damasceni [13], consiliosius et tutius esset tibi rationem reddere de misericordia quam de severitate justitiæ. Ille misericordiam superexaltat judicio, quem dixisse legisti: *Misericordiam volo, et non sacrificium* [14]. Si zelus justitiæ quandoque, sicut expedit, attendatur, misericordia tamen primas partes obtineat, pastor que, tanquam prudens medicus, ulcus alienæ conscientiæ suaviter tangat. Calamum quassatum non conterat, et linum fumigans non exstinguat [15]. Qua igitur fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia præsumit de Dei misericordia, quem durum et immisericordem sentit fraterna miseria? Sunt qui compellunt aliquos sibi, et non aliis confiteri: ideo illi suos excessus abscondunt, et in suis turpitudinibus perseverant, quibus illa maledictio intentatur: *Væ prægnantibus, et nutrientibus in illa die* [16]! Animæ siquidem illorum peccatis gravidæ sunt, et in sua sorde se nutriunt, donec suis desideriis satientur. Propter austeritatem prælatorum declinant corda in verba malitiæ. Sicut Augustinus in libro De *Pœnitentia dicit* [17]: Prompti sunt ad excusandas, excusationes in peccatis, [17*] aut ea sub silentio claudunt, quod est perniciosa hypocrisis. Tales medici curant, et non sanant juxta illud: *Curavimus Babylonem, et non est sanata* [18]. Verbum Augustini est: Sacerdos debet esse immunis a culpa quam judicat; alioquin alium judicando se ipsum condemnat. Animadvertat, dicit B. Augustinus, qui hujusmodi est, evangelicam peccatricem, Dominumque dicentem: *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat* [19]. Qua igitur præsumptione alium lapidat, qui se dignum lapidatione cognoscit? Hæc dicit Dominus: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et sic videbis festucam ejicere de oculo fratris tui* [20]. Magna trabs est mentis elatio, quæ sic mentis oculum obscurat; ut non qualis es, sed qualem te opinaris, aspicias. Quod damnas in fratre tuo, forte damnabilius est in te ipso. *Tu quis es, qui servum judicas alienum? Domino suo stat, aut cadit* [21]. Quomodo scis de te ipso, *utrum sis dignus amore, an odio* [21*]? Nam *delicta quis intelligit?* [22]. *Nemo novit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in eo est* [23]. Sed nec homo se ipsum cognoscit. *Pravum est cor* hominis, *et inscrutabile, et quis* novit *illud* [24]? Ideo apostolus, licet nihil sibi conscius sit, minime tamen se ipsum judicare præsumit: *Nihil*, inquit, *mihi conscius sum, sed neque me ipsum judico; Dominus autem me judicat* [25]. Omne judicium dedit Pater Filio. Qui ergo alium judicat, sibi perniciose privilegium Redemptoris usurpat. Pastor itaque pœnitentem blande suscipiat, nec ipsum gravioris pœnitentiæ observantiis aut gravi et tyrannica vultuositate confundat. Sed *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, qui* spiritualis est, instruat eum *in spiritu lenitatis, considerans* semetipsum, *ne et* ipse tentetur [26]. Apostolus Paulus loquitur sapienti, qui non condescendit fratri minus sapienti, eumque scandalizare non metuit: *Peribit*, inquit, *in tua scientia frater* tuus, pro quo *Christus mortuus est* [27]. Quanto frater infirmior est, tanto ei mansuetior et diligentior esse debes. Infirmior quidem filius tenerius a matre diligitur. Et, sicut Apostolus dicit, infirmioribus membris *abundantiorem honorem circumdamus* [28]. Sis ergo infirmanti misericors, ut misericordiam consequaris. *In qua* enim *mensura* mensus fueris, *remetietur* et tibi [28*]. *Judicium enim sine misericordia fiet ei qui misericordiam non fecit* [29]. Misericordes vero misericordiam consequentur [30]. Christus *splendor, et figura substantiæ* Dei peccatorem blande suscipit [31]. Tu peccator, qua præsumptione eum despicis et repellis? Christus non mediocre reputat lucrum, se recuperasse ovem perditam, et diem festum cum angelis suis agit; exsultat cœlestis curia de converso et reverso ad pœnitentiæ fructum [32]. Tu nec lucrum, nec jacturam reputas animarum; vis sub certis finibus limitare mise-

[7] Ose. 7. [8] Act. 20. [9] I Petr. 2. [10] Luc. 7. [11] Rom. 11. [12] II Cor. 12. [13] In orat. de fidel. defunct. [14] Matth. 9. [15] Matth. 12. [16] Matth. 24. [17] Cap. 15 et 20. [17*] Psal. 140. [18] Jer. 51. [19] Joan. 8. [20] I Cor. [20*] Luc. 6. [21] Rom. 14. [21*] Eccle. 9. [22] Psal. 18. [23] I Cor. 2. [24] Jer. 17. [25] I Cor. 4. [26] Gal. 6. [27] I Cor. 8. [28] I Cor. 12. [28*] Matth. 7. [29] Jac. 2. [30] Matth. 5. [31] Hebr. 1. [32] Luc. 15.

ricordiam Dei, cujus misericordiæ non est finis? Paterfamilias largus est, et avarus est dispensator. *Existimasti inique, quod ero tui similis* [33], dicit Dominus, et misericordiam meam de duritia tua metiris? Quid scis, si jam lacrymis et contritione mundatus est? Liberatus est forte ipso proposito confitendi. *Dixi: Confitebor, et tu remisisti* [34]. Lazarus a Domino suscitatus est [35], antequam ab apostolis ejus institæ solverentur. Leprosi a Domino mundati sunt, antequam se ostenderent sacerdotibus [36]. Christus autem dimisit peccatum, pro quo tu pœnitentem judicas, et cum Pharisæo despicis Publicanum [37]. Pius et misericors Deus pœnitenti offert pacem, priorque mittit legatos de pace, qui prius de pace fuerat requirendus. Nimirum in negotio pœnitentiæ misericordia et veritas obviant sibi, seque osculantur justitia et pax [37*]. Justitia et veritas rei se judicantis et punientis, misericordia et pax Dei gratuito indulgentis. O beata spes confitentium! Iste prodigus filius, qui adeo immaniter peccavit in cœlum et in terram, nec in aliquo satisfecit, statim reconciliatus est patri [38], longeque promptior et ardentior erat pater ad miserandum, quam filius ad misericordiam obtinendum. *Nolite timere pusillus grex* [39]. Accedite securi ad thronum gloriæ, qui non audebatis vel de gratia cogitare. *Venite omnes, qui laboratis, et onerati estis* [40]. Venite omnes, qui computruistis in immunditiis vestris. Velit, nolit superciliosa hypocrisis Pharisæi, baptismus pœnitentiæ cunctis exponitur. Hic patet fons domus David in ablutione peccatoris et menstruatæ. Non hic baptizas tu, qui despicis pœnitentem; non Joannes, sed Christus, qui quanto differentius præcellit omnibus, tanto dulcius et gloriosius confirmata est super nos misericordia ejus. Vale.

[33] Psal. 49. [34] Psal. 31. [35] Joan. 11. [36] Luc. 17. [37] Luc. 18. [37*] Psal. 84. [38] Luc. 12. [39] Ibid. [40] Matth. 11.

CANON EPISCOPALIS

ID EST

TRACTATUS DE INSTITUTIONE EPISCOPI.

Reverendo Patri et domino JOANNI (17) Dei gratia Vigorniensi episcopo suus PETRUS Bles. archid., salutem et fidelem esse in ministerio Christi.

Petis instantius, reverendissime Pater, ut de episcopali officio aliquid tibi scribam, quod in hac novitate solatium tibi sit, et ædificet ad salutem. Ego siquidem latitans in obscuro, et sub modio fumigans, lucernæ super candelabrum positæ tenebras meas compellor ingerere. Doctum indoctus docere præcipior, et ægrotus bene habenti remedium medicinale conficere. Abundas vino et oleo spirituali, teque unctio docuit de omnibus, et tamen a me postulas unctionem. Ego autem servus sanctitatis vestræ, non habeo nisi modicum olei, quo ungar; imo paululum aceti, quo sub diebus æstivis liceat mihi cum messoribus Booz buccellam panis intingere [41]; illud vero tantillum non recipit portiones; *charitas* tamen *nunquam excidit* [42]; et quanto, quæ sua sunt, manu largiore dispensat, tanto plenius crescit, et ex impendio liberali, farina viduæ et olei lecythus exuberat [43]. Manna quidem putrescit, et vermibus scatet, si fuerit reservatum [44]; erogatum autem utiliter, fit panis cœlestis et refectio angelorum. Scio quod gratia Dei obest, si non alii prodest. Qui autem Dei donum in usum, et utilitatem alienam communicat, plenius meretur habere, quod habet; nam dabitur ei et abundabit. Qui autem e diverso talentum Domini abscondit, quod videtur habere, auferetur ab eo [45]. Ego siquidem talentum non habeo, sed minutum, quod me in gazophylacium mittere oportet; ibit tamen in creditum, ex quo invenitur, qui illud in causam mutui recipiat, si forte ex sorte modica uberior accessio usuræ proveniat: faciam quod possum; præsumet dilectio quod non possum. Vena ingenii languentis animabitur desiderio, stylumque jacentem eriget accensa charitate devotio. Nunquam ex parte mea degenerabit ille socialis affectus, qui inter nos longi temporis excursu coaluit. Illi accessit tua dignitas, non successit, atque familiaritatis antiquæ vinculum tua cathedra non dissolvit. Si ambules super pennas ventorum, si ascendas in cœlos, vel descendas in abyssos, mutationem status affectio non agnoscit. Jam fervet, jam ebullit animus ad

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(17) Appellabatur hic Joannes de Constantiis, qui ex decano Ecclesiæ Rothomagensis factus est episcopus Wigorniensis in Anglia. De eo vide quæ diximus in notis ad epist. 121.

[41] Ruth. 2. [42] I Cor. 13. [43] III Reg. 17. [44] Exod. 16. [45] Matth. 13.

scribendum. Jam epistola præsens, quæ ab initio meticulosa fuerat, animosior ex amore, non minus imprudenter quam impudenter prodire appetit ad palpebras populares, seque temeraria audientiæ vulgari exponit. Ipsa tamen securius lateret in sinu conscientiæ meæ, et prudentius inter silentii cardines clauderetur.

Amore igitur illectus et tractus, quod *sine fictione didici, sine invidia* vestræ *communico* sanctitati [46]. Ille, *in quo sunt omnes sapientiæ et scientiæ thesauri absconditi* [47], ipse os meum in beneplacitum gratiæ suæ et in usum publicæ utilitatis aperiat, Spiritusque sanctus, bonarum mentium institutor, per quem mihi velle adjacet, in me velle et perficere prosequatur. Si autem stylus istius epistolæ delicatis auribus sonare aliquid durius videatur, parce seni, qui super senes intelligis [47*], qui a primis moribus adolescentiæ studuisti tempora prævenire meritis et ætatis insufficientiam virtutibus compensare, nec verba ex operibus metiaris. Audisti, amantissime Pater, de his qui sedent super cathedram Moysis: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere* [48]. Levius est facienda præscribere, quam præscripta implere. Nam et liber prophetæ traditus ad devorandum, dulcescit in ore ipsius: amaricatur vero ad interiora transmissus [49], sicut Apostolus dicit: *Accepistis ab eo quomodo vos oporteat ambulare et placere Deo per omnia, sic et ambuletis, ut abundetis magis* [50]. Et ne longe exempla petere vos oporteat honestatis, vobis episcopalis officii formam vestri avunculi Rothomagensis archiepiscopi doctrina præscribit (18), cujus vestigia, si velitis fideliter imitari, eritis ad mores compositus, liberalis, affabilis, mansuetus, in consiliis providus, in agendo strenuus, in jubendo discretus, in loquendo modestus, timidus in prosperitate, in adversitate securus, mitis inter dyscolos [50*], cum his qui oderunt pacem pacificus [51], effusus in eleemosynis, in zelo temperans, in misericordia fervens, in rei familiaris dispensatione nec anxius, nec supinus, cicumspectus ad omnia, illorum quatuor animalium imitator, quæ ante et retro, et in circuitu habere oculos providentiæ describuntur [51*]. Constitutus es, venerabilis Pater, inter filios prophetarum, ascendisti in montem Garizim [52], ut populo benedicas. Igitur *sic* te *existimet* homo, *ut* ministrum *Christi, et* dispensatorem *mysteriorum Dei* [52*]. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur* [53]. Qualem te esse oporteat, Veritas sub clausula recisiore d escribit: *Fidelis*, inquit *servus, quem Dominus constituit super familiam suam* [54]. Fidelis es, si quæ sursum sunt, non quæ super terram quæris, non quæ tua sunt, sed quæ Jesu Christi [55], et in symbolum publicæ utilitatis conferas quod tibi cœlestis gratia prærogavit. Fidelis es, si Deum diligis propter se, et proximum propter Deum. Infidelis vero es, si communem naturam contemnis in altero, et imaginem Dei propriam non agnoscis. Quære ergo, non quod tibi expediat, sed quod multis. Quære cum Apostolo *non datum, sed fructum* [56]. Interest gloriæ sanctitatis tuæ superintendere populo tibi credito, ut episcopi nomen interpreteris episcopali officio. *Sapientibus et insipientibus debitor es* [57]: ideo consiliosius agere te oportet. Sapientia in sui nominis libro dicit: *Ego sapientia in consiliis habito, et eruditis intersum cogitationibus* [58]. Utere consilio Salomonis: *Fac*, inquit, *omnia cum consilio, et non pœnitebis* [59]; et adjungit: *Causam tuam tracta cum amico tuo, et secretum tuum extraneo ne reveles* [60]. Si usus fueris consilio sapientium, non eris ad vindictam vehemens, ad corrigendum severior, non immisericors ad parcendum, non præceps in sententiis, non in victu aut vestitu notabilis, non festinus ad promittendum, non ad reddendum tardus, non subitus in responsis, non avarus, aut prodigus in expensis. Prius teipsum doce, quam alios doceas: non est, sapiens, qui non est sapiens sibi. Cumque alii de pectore tuo, quasi de fonte, hauriant, tu prius bibe de fonte putei tui: sic deriventur fontes tui foras, ut tui tamen immemor non existas. Maledictus qui facit partem suam deteriorem! *Qui autem sibi nequam est, cui bonus erit* [61]? In animæ negotio, et in acquirenda hæreditate cœlesti, nemo tibi germanior sit teipso. Egredere frequenter in agrum cum Isaac ad meditandum [62], et, juxta sententiam Salomonis, si concupiscis sapientiam, serva mandatum ejus, et tibi Dominus eam dabit [63]. Habeas tecum quorum vitam verearis et verba; qui te, etiamsi velis deviare non sinant, refrenent præcipitem, confirment dubium, et excitent torpescentem. Insolentia magna est, non pro ratione, sed pro libidine agere; et bestiale est, appetitum consilio anteferre. Scriptum est: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [64]. Non tamen credas omni spiritui, sed prius proba, utrum ex Deo sit [65], ne forte veterator ille serpens aliquid per malitiæ suæ instrumenta insibilet; cujus astutias facile poteris deprehendere ex modo suggestionis, ex facile et gestu, ex oblatione precum et ex ipsa consilii qualitate. Et, ut omnino elidas machinationes apostatæ angeli, sint quasi in

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(18) Loquitur de Waltero de Constantiis Rothomagensi archiepiscopo, de quo videnda quæ dicta sunt ad epist. 124.

[46] Sap. 7. [47] Coloss. 2. [47*] Psal. 118. [48] Matth. 23. [49] Apoc. 10. [50] I Thess. 4. [50*] I Petr. 2. [51] Psal. 119. [51*] Apoc. 4. [52] Deut. 11. [52*] I Cor. 4. [53] Ibid. [54] Matth. 24. [55] Coloss. 3. [56] Philipp. 4. [57] Rom. 1. [58] Prov. 8. [59] Eccli. 32. [60] Prov. 25. [61] Eccli. 14. [62] Gen. 24. [63] Eccli. 1. [64] Psal. 48. [65] Joan. 4.

vultu conscientiæ tuæ timor Dei, ignis gehennæ, vitæ brevitas, incertissimus vitæ finis, et exspectatio tremendi judicii. Contra salutem et præter salutem tuam nihil facias, aut præcipias faciendum. Nam si collaterales tui, aut alii, qui tuæ familiaritatis auctoritate utuntur, offenderint, scis quia in te culpa refundetur. Scis quia ratihabitio mandato comparatur. Illudque censetur opus tuum, cui proprium alio mediante impartiris assensum. Est qui sibi soli credit, quod pessimum est, et hoc duntaxat reputat, quod obdurata adinventione concepit. Verbum Sapientis est: *Itinera insipientium recta sunt in conspectu eorum, sed a Domino reprobantur* [66]. Et idem: *Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, et novissima eorum ducunt ad profundum inferni* [67]. Omnia ergo cum consilio et modesta maturitate disponas. Si rem proposueris arduam, prius tecum delibera, postea cum multis, quorum fidem probaveris; et, juxta evangelicam parabolam, prius sedens computa sumptus tuos, et cum rege congressurus, recense copias tuas domi [68], ne incauta propositi gravioris assumptio tibi in erubescentiam convertatur. Ubi autem consilium familiare non sufficit, eorum consilium explora, licet familiares tui non sint, quos organa Spiritus sancti esse non ambigis. Agis tamen melius et longe securius, si de sola oratione confidis. Jam itaque non tuo, sed Spiritui Dei vivas, quo aguntur hi qui sunt filii Dei [69]. Credimus autem, quod et tu spiritum Dei habeas [70]. Non de rapinis et exactionibus, aut obventionibus et actionibus judiciorum, sed de Evangelio vivas, sicut constituit Dominus [71]. Proventum Evangelii voco quidquid pro evangelizata fide tuæ contulit Ecclesiæ liberalitatis antiquæ devotio. Alii multitudine gravi hominum aut equorum otiose panem comedunt alienum, tu vero ambules cum paucis, et in omnium ædificationem panem circumferas angelorum. Semper sis, quod potes, in exercitio Scripturarum, semper cum domesticis tuis conferas de profectu virtutum. Nam et Apostolus, qui non ab homine, sed a Deo Evangelium didicit [72], illud tamen censuit cum hominibus conferendum. Nihil contra conscientiam tuam facias, et, ut verbo Apostoli utar, a tuo sensu non movearis, si rectus est, *neque per epistolam, neque per spiritum, neque per sermonem* [73]. Etiamsi spiritus potestatem habentis super te veniat, locum tuum ne deseras; plus dico, sed cum Apostolo tamen: Si angelus annuntiaverit aliud quam quod ad Christi gloriam spectat, anathema sit [73*].

Nullum tempus feriatum habeas, sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio te impendas. Sic illi, qui tecum sunt, in operibus tuis legant, qualiter eos conversari oporteat, et tu eos in justitia et sanctitate præcedas. Felix illa anima, quæ aliis forma est sanctitatis. Nunquam tibi deficiet, quod per te alteri proficiet: lucerna non minuitur alteram accendendo, nec soli dispendium infert contemplantium multitudo. Posuit te Dominus ad dandam scientiam salutis plebi ejus [74], reddere Domino populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, et cum omni diligentia parare Domino plebem perfectam. Quoniam dies mali sunt, oportet te de malitia temporis in usum animarum aliquid sequestrare, quod componat mores, regat affectus, dirigat actus, ipsumque ordinem tuum ordinet et honestet. Adhuc replico: Semper sis in exercitio Scripturarum, nullumque tempus te inveniat otiosum. Otium siquidem sine litteris est, sicut dicit Hieronymus [74*], vivi hominis sepultura. Ab infantia sacras litteras didicisti. Vide ne in vacuum gratiam Dei receperis. Ædifices alios non solum verbo, sed opere et exemplo, quia *regnum Dei non est in sermone, sed in virtute* [75]. Ædifices subditos in vultu, aspectu, gestu, habitu et incessu. Vivere, et non dare operam, ut recte vivatur, vitam perdere est; omnia vero spiritualis exercitii lucra referas ad illius gloriam, qui est rex gloriæ. Fur enim et latro es, si tibi aliquid inde usurpare præsumas. Illuc, unde flumina exeunt, revertantur. Animalia apud Ezechielem [76] ibant et revertebantur, quidquid gratiæ conferebat eis, ad Dominum referebant. Veritas in Evangelico dicit: *Gloriam ad invicem quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est, non vultis* [77]. Absit ut tibi dicatur a Domino: Recepisti mercedem tuam [78]. Sed potius cum Domino dicas: Si ego quæro gloriam meam, *gloriam mea nihil est* [79]. Qui tumet inani gloria, omnino vacuus est, tam plenus nihilo quam superbiæ vento. Si ergo aliquid habeas, unde debeas gloriari, non in te, sed in Domino glorieris, et dicas: *Gratia Dei sum id quod sum* [80]. In omnibus donis Dei extollentiam fuge, memor verbi illius Dominici: Vidi *Satanam de cælo cadentem* [81]. *Si gloriari oportet*, dicit Apostolus, *de meis infirmitatibus gloriabor* [82]. Gloria enim prælati est, si se ipsum miserum judicat et infirmum, insufficientem oneri et honore indignum. Sunt qui honores virtutes reputant, suisque meritis ascribunt gradum eminentiæ, quem in ira Dei fortassis adepti sunt. Honoris assumptio multis tentatio facta est et subversionis occasio. Igitur sic præsis, ut prosis. Væ his, qui præsident hominibus, nisi præsideat eis Deus! Semper tibi occulte, vel ad disciplinas, vel ad lacrymas, vel ad alia, quæ citra hominis testimonium solus agere poteris, impone tibi jugum Dominicæ servitutis. Summum enim captivitatis genus est, si sine alicujus voti vinculo

[66] Prov. 12. [67] Prov. 16. [68] Luc. 14. [69] Rom. 8. [70] I Cor. 7. [71] I Cor. 9. [72] Gal. 1. [73] II Thess. 2. [73*] Gal. 1. [74] Luc. 1. [74*] Sen. ep. 83. [75] I Cor. 4. [76] Cap. 1. [77] Joan. 5. [78] Matth. 6. [79] Joan. 8. [80] I Cor. 15. [81] Luc. 10. [82] II Cor. 12.

evagetur ad arbitrium suum licentia libertatis. In A
alto itaque sedens, non alta sapias, per omnia sentiens humiliter, humilibusque consentiens. Non ambules in magnis, nec in mirabilibus super te [82*]. Sed si de bono conscientiæ tuæ gloriaris, cum beato Job dicas : *Si justus fuero, non levabo caput* [83]. *Non enim justificabitur in conspectu tuo*, Domine, *omnis vivens* [84]. Paulus, qui nihil sibi conscius erat, se tamen justificatum negabat. *Ego*, inquit, *non arbitror me comprehendisse* [85]. Et item : *Non quod*, inquit, *acceperim, aut perfectus sim*, sed eorum *quæ retro sunt*, oblitus ad anteriora me extendo [86]. Ipse non de dominio, sed de ministerio gloriatur. *Ministri Christi sunt*, inquit, *et ego. Ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus* B
frequenter [87].

In his tibi gloriandi forma præfigitur, non in veste pretiosa, non in supellectili multa, non in congregatione pecuniæ, non in ædificiis aut culturis, non in dilatandis possessionibus, non in equorum multitudine, non in ornatu pompatili, non in frequentia clientelæ. Nam hæc omnia gentes inquirunt [88]. Sed, sicut gloriatur Doctor gentium [89], in cruce Domini nostri Jesu Christi, in infirmitatibus suis, in mortibus, in laboribus, in carceribus, et in plagis. Dedit tibi Dominus scientiam sanctorum. Qui hanc scientiam apponit, apponit et dolorem, non gloriam, sicut scriptum est: *Qui* apponit *scientiam*, apponit *et dolorem* [90], de quo quidam pœnitens dicit : *Et dolor meus in conspectu meo semper* [91] ; non humanam gloriam, quæ est ventus urens, cœlestis C
gratiæ fluenta desiccans. Absit a te gratia illa, qua fias in oculis tuis gloriosior, et inde odiosior in oculis Dei ! Ira est, non gratia, cum quis ponitur super ventum, nullas habens radices in soliditate virtutum. Illius servituti addictus es cui servire regnare est ; cujus servitutis intuitu, ille servum servorum se reputat, qui tenet Ecclesiæ principatum : Hoc ergo sentias in te ipso, quod in Christo Jesu, ut sicut *exinanivit se, formam servi accipiens* [92], sic eorum qui tibi subjecti sunt, servum te reputes humilem et abjectum ; non sit tibi dedecori humilitas quæ decuit Filium Dei. De prælatione potes habere gloriam, sed non apud Deum. Si autem gloriaris de humilitate, non eris insipiens. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic [93]. D
Non ergo te dominum exhibeas, sed ministrum. Petrus apostolus dicit : *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis in populo* [94]. Unde gloriabitur miser homo de immundo conceptus semine, genitus in peccato et natus, brevi vivens tempore [94*], fugiens velut umbra, et nunquam in eodem statu permanens? Si ergo te aliquo elationis motu aura favorabilis afflaverit, recole illud quod dictum est Sedechiæ: *Viri tui pacifici seduxerunt te* [95]. Si te lactaverit peccator, non acquiescas, nec laus, vel potius fraus adulatoria te seducat [96]. Perniciosum est prælato, libenter audire de se supra id quod sentit in se. Parco autem, dicit Apostolus [97], ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Porro ille non parcit sibi, nec suæ animæ miseretur, qui jactitat actus suos, volens æstimari quod non est, et nesciri quod est. Sit *anima* tua *in manibus tuis semper, et Dominus in conspectu tuo* [98], ut dicas, cum cœperit adulator applaudere: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* [99]. Et illud : *Nolite me vocare Noemi, sed Mara, quoniam amaritudine plena sum* [100]. Sicut autem ventus dissipat nubes, sic tui vultus austeritas ventum adulationis et venenum detractionis exterminet. Interrumpe sermones malitiæ, et intersere aliquid de lege Dei, de canticis Sion, de judiciis cœlestis iræ, de meritis sanctorum, de torrente voluptatis æternæ. Est qui plus credit alterius linguæ de proprio statu, quam conscientiæ suæ. Porro longe est a salute membrum hujusmodi stupidum et infirmum, ægrotans, et se ægrotare non sentiens: eo ipso insanabile, quia insensibile. Quamplures video, qui, post acceptum cœlestis gratiæ donum, effluunt in passiones desideriorum, sicut et gentes, quæ ignorant Deum ! Tu a longo tempore possedisti vas tuum in sanctificatione. Quod fecisti hactenus, feliciter consumma, sic agens quotidie, quasi semper incipias. Frequens est inter episcopos aliquem invenire, qui primum suæ promotionis annum dedicet sanctitati : cumque in sua novitate sit factus agnus, inveteratus aliquot dierum fit rapacissimus lupus. De tali scriptum est: *Ante messem totus effloruit, et immatura perfectio germinabit* [1]. Et de eodem : *Si fructum fecerit, alii comedent illum* [2]. In omni angustia, totam spem tuam jacta in Domino, quoniam nomen Domini plurima fortitudo. Non confidas in eis qui solent dare verba, quorum amicitia quæstuaria est et familiaritas sumptuosa. Intelligis quæ dico : et recolis Machabæos, qui quoties Romanorum imploraverunt suffragium, eorum amicitia principibus et populis Israel versa est in singultum. Frequenti, quæso, scrutinio dispice, et attende qualis ex dono Dei sis, et qualis sis ex te ipso, et redde quæ tua sunt tibi, et quæ Dei Deo [2*]. Recole quam miserabilem, quam infirmum te de ventre materno natura produxerit. Nudus egressus es de utero matris tuæ, nudus natus es ad laborem, non ad honorem. Si quid tibi dispensatio cœlestis adjecit, semper timeas illud Psalmistæ : *Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur* [3]. Quidam epi-

[82*] Psal. 150. [83] Job. 10 [84] Psal. 142. [85] Phil. 3. [86] Ibid. [87] II Cor. 11. [88] Gal. 6. [89] II Cor. 11. [90] Eccle. 1. [91] Psal. 37. [92] Phil. 2. [93] Marc. 10. [94] I Petr. 50. [94*] Job, 14. [95] Jer. 38. [96] Prov. 1. [97] II Cor. 12. [98] Psal. 118. [99] Ibid. [100] Ruth, 1. [1] Isai. 18. [2] Isai. 65. [2*] Matth. 22. [3] Psal. 72.

scopi regum munificentias, et eleemosynas antiquorum, abusive baronias et regalia vocant, et in occasione turpissimæ servitutis seipsos barones appellant. Vereor ne de illis queruletur Dominus, et dicat : *Ipsi regnaverunt, et non ex mei principes exstiterunt, et ergo non cognovi* [4]. Scias te assumpsisse pastoris officium, non baronis. Certe Joseph in Ægypto patrem suum et fratres instruxit, ut dicerent Pharaoni : *Viri pastores sumus* [5]. Maluit eos profiteri pastoris officium, quam principis aut baronis. Christus dicit : *Ego sum pastor bonus* [6] ; tu vero constitutus es ab eo pastor aut villicus : villicatio tibi commissa est ; et scias quia villicationis rationem reddere te oportet. Agricultura Dei tibi commissa est, opus est sarculo ut agricolæ, baculo ut pastori : sarculo, ut, tanquam prophetæ filius, evellas et destruas, ædifices et plantes [7] ; baculo utere, lupos ab ovili coercendo, oves debiles sustentando, erigendo lapsas, erroneas reducendo. Semper autem inter fructus episcopalis officii, æterna temporalibus præferantur. Et quoties te circa curam possessionum turbatrix activa sollicitat, nunquam tamen in te quies contemplativa degeneret. Fac alium pro te molere, tu animarum saluti solerter intende. Vacuum a sæcularibus oportet esse animum, divinæ servitutis obsequio consecratum. Magnis addictus es, noli minimis occupari. Minima et vilia sunt, quæcunque ad sæculi quæstus, et non ad lucra pertinent animarum. *Sæcularia negotia si habueritis*, dicit Apostolus, *eos qui contemptibiles sunt inter vos, constituite ad judicandum* [8]. Si autem ad te intraverit causa pauperis, causa pupilli et viduæ, judica *in justitia pauperes et* argue *in æquitate pro mansuetis terræ* [9]. Fac *judicium injuriam patientibus* [10], procura humilibus pacem, rebellibus obedientiam, claustris quietem, ordinem monasteriis, clericis disciplinam. In judiciis nunquam ad rumusculos movearis, nec tibi obrepat furtiva suspicio. Dominus Judam, quem proditorem noverat, quia non convincitur, non condemnat. Parcit mulieri in adulterio deprehensæ, eo quod non appareat accusator [11]. Non Sodomam subvertit, donec descendat et videat *utrum clamorem opere compleverint* [12]. Ego, inquit, sicut audio, sic judico, cujus audire est scire. Tu vero non nisi ex assertione partium et rationabili animi motu censeas ad sententias procedendum. Duo sane sunt, quæ in judicio faciunt cordis oculum caligare, ira et cupiditas. Hæc duo remittenda puniunt, et punienda remittunt : *Ira* siquidem *justitiam* Dei non operatur ; cupiditas vero, dum quæ sua sunt quærit, judicia Dei tremenda contemnit. Tu vero manus tuas excute ab omni munere [13], et quod gratis accepisti, da gratis [14].

Non sis de numero illorum qui sequuntur retributionem, nec vendas conscientiæ tuæ libertatem. Nemo possit tibi dicere : Ditavimus Abraham [15] ; sed cum Samuele fiducialiter dicas : *Loquimini coram Domino et Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut equum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus acceperim, et contemnam illud hodie vobisque restituam* [16]. Si mentem tuam munerum cupiditas titillaverit, ibi moriatur, ubi oritur nequissimum germen, et in suæ matris utero præfocetur. Revolve in animo tuo quantum ex honoris assumptione profeceris, et ex quotidiana collatione spirituales virtutum metire profectus, utrum sis insolentior aut humilior, affabilior vel austerior, mansuetior aut gravior, liberarior aut avarior. Ex quadam enim obligatione, quæ tuo annexa est officio, exigitur a te spiritualium frugum mensura propensior, ut sis devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior, suavior in conversatione, gravior in vultu, et gestu et habitu, moderatior in verbis, profusior in lacrymis, in charitate ferventior. Redde conscientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem, vide si diem et noctem sine cujuslibet peccati macula transegisti, si minus legisti, aut orasti ; si in verbo, si in cibo, si in potu, si in somno temperantiæ modum excessisti, et scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in otio aut fabulis expendisti. Cæteri divites sunt in latibulis suis, sicut leænæ in fovea, ericius in antro, leo in spelunca. Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi, sed cunctis genitum te vivere credas, datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, et omnibus debitorem. Adhuc replico, ut ad eruditionem plurium in sacra Scriptura te exerceas, ut quod tibi conversatio curialis quandoque præripuit, gratia magistrante recuperes. Otiositas inimica est animæ. Si non legeris, si non studueris, dormitabit anima tua præ tædio [17], et hostes tui animæ sabbata tua deridebunt [18]. Tu igitur, præsul optime, animarum saluti omnia postpone. Tanto enim digniores sunt animæ corporibus et universis quæ humana ambitio concupiscit, quantum dignitate præeminet cœlum terræ. Et, ut verbo Apostoli ad Timotheum scribentis liceat mihi uti : *Nemo contemnat adolescentiam tuam, sed esto exemplum fidelibus verbo et conversatione* [19]. Semina super omnes aquas, super bonos et malos, publice et privatim. Modis omnibus cave ne sæcularibus te involvas. Nulla enim consonantia est Spiritus Dei ad spiritum hujus mundi ; permane in vocatione tua. *Mundus in maligno positus est* [20]. *Noli æmulari in malignantibus* [21].

[4] Ose. 8. [5] Gen. 46. [6] Joan. 10. [7] Jer. 1. [8] I Cor. 6. [9] Isai. 11. [10] Psal. 145. [11] Joan. 8. [12] Gen. 18. [13] Isai. 33. [14] Matth. 10. [15] Gen. 14. [16] I Reg. 12. [17] Psal. 118. [18] Thren. 1. [19] I Tim. 1. [20] I Joan. 5. [21] Psal. 36.

sed permane in vocatione tua, secundum mensuram A regulæ, qua mensus est tibi Deus. Hodie apud quosdam consistit in his duntaxat episcopalis auctoritas, ut creta vel fimo ager sationarius impinguetur, ut multiplicantur vivaria, et clausulæ ferarum possessionumque termini dilantentur. In ædificandis palatiis, molendinis, et furnis; in augendis reditibus tota pontificum sollicitudo fervescit. Nunquid vox Salvatoris est ad Principem apostolorum et præsulum: Si diligis me, excole terras, ædifica domos altas? Legimus eum dixisse ad Petrum: Si amas me, *pasce oves meas* [22]. Hæres es et vicarius Petri, pasce oves meas evangelizando, fac opus evangelistæ et pastoris; non erubescas Evangelium, si erubescendum non credis pastoris officium. Insta importune, opportune [22*], ministerium tuum imple. B Ministerium tuum plus oneris habet quam honoris. Si affectas honorem, mercenarius es; si onus amplecteris, potens est Dominus augere gratiam suam, ut lucra ex lucris et ex profectibus profectus accedant. Quod si abhorreas onus, et insufficientem te reputes, sera querela est, prius sedisse debueras et æstimasse opus, sarcinulam ponderasse, computasse virtutum sumptus, et dignitati meritum comparasse. Si te tamen deterreat labor plus solito, spes mercedis invitet: *Unusquisque* enim *secundum suum laborem mercedem accipiet* [23]. Si te curialium et maxime scacarii (19) labyrinthis immerseris, magna spiritualis exercitii dispendia patieris. *Nemo potest duobus dominis servire, Deo et mammonæ* [24]. Non excidat a te quomodo in tonsura capitis, C quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ laicali. In die autem consecrationis tuæ, superabrenuntiatione sæcularium emisisti vota, quæ distinxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, ubi ad consecrantis interrogationem sine exceptione aliqua promisisti quod, de cætero, a terrenis negotiis et a turpibus lucris te alienares, tuamque sollicitudinem divinis semper negotiis mancipares. Quid tibi ad scacarium, quid tibi ad fiscales reditus, ut vel horula brevi curam posthabeas animarum? Nunquid Christus te ad telonium elegit? Matthæus semel inde assumptus, denuo ad ipsum non rediit. Non sis ergo in turba eorum qui sæcularia spriritualibus anteponunt, glutientes camelum, culicemque liquantes [25]. Legimus [26] quod in diebus Constantini quidam episcopi prin- D cipi adulantes, majorem reverentiam regalibus edictis quam sanctionibus evangelicis exhibebant. Sunt et hodie quibus commissa erat dispensatio Verbi Dei, qui silent a bonis [27], *canes, muti, non valentes*, imo non volentes, *latrare* [28], nisi forte evangelicæ libertati obgrunniant et oblatrent: *conversi* enim *sunt in arcum parvum* [29], præbentes seipsos arma iniquitatis peccato. Juste judicate, qui judicatis orbem [30]: nam et ille, qui terribilis est super filios hominum [31], etiam justitias judicabit [31*]. Verbum prophetæ est: *Væ qui conditis leges iniquas, et justitiam justi aufertis ab eo* [32]. Vis, ut aliqua lex tibi gratia exempli proponatur? Pauperrimus aliquis inhorrescit nuditate et fame, videtque uxorem et familiam suam inedia lethali tabescere; certe eis mors imminet, nisi rapiat aut furetur. Furatur itaque modicum aliquid, dubium vitæ discrimen eligens, ut certum periculum mortis et famis angustia importabilis evitetur. Miserabilis homo in furto deprehenditur, et damnatur ad mortem. Judices vero nec miseriam pauperis, nec urgentiam necessitatis, quæ ipsum ad furandum compulit, pensant. Nunquid justiores sunt Deo, qui in lege, quam dedit Moysi, pecuniaria mulcta fures puniri decrevit? Nunquid est æquior lex eorum lege imperiali, quam vigilanti studio et exactissima deliberatione sancivit æquitas? Illa equidem inter furem manifestum, et non manifestum circumspecte distinguit, et hunc in duplum, illum vero in quadruplum punit. Porro, sicut Jeremias deplorat [33], adulteriis plena est terra, et passim conjugati atque soluti ad uxores hinniunt alienas; pauper rapiens alienam oviculam suspenditur, adulter alienam uxorem rapiens patientissime sustinetur. Hæc est detestabilis patientia, quem Apostolus ironice proponebat. *Libenter*, inquit, *suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes* [34]. Audiant itaque nostri reges quod rex sapientissimus Salomon in Proverbiis suis dicat: *Non est grandis culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam; deprehensus quoque reddet septuplum; qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam; turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur* [35].

Lex Mosaica [36] et imperatoriæ sanctiones adulteros [37], et eos qui nefando coitu legem naturæ impugnant, morti addicunt. Propterea etiam principibus datus est gladius ad vindictam malefactorum [38]; ipsi vero abominationes eorum dissimulant, aut per impunitatem potius fovent. Videntes furem currunt cum eo, et portionem suam cum

PETRI DE GUSSANVILLA ET NOTÆ.

(19) Sumitur scacarium pro *ærario regio, sive procuria regia, vel tribunali in aula Westmonasteriensi, ubi de rebus et reditibus fiscalibus barones quatuor definiunt*, ex Glossario Matthæi Parisiensis. Videndus Guillelmus Somnerus in Glossario, et Vossius *De vitiis sermonis*, lib. II, cap. 17, et lib. III, cap. 44.

—

[22] Joan. 21. [22*] II Tim. 4. [23] I Cor. 3. [24] Matth. 6. [25] Matth. 23. [26] *Rufin.* l. x *Hist.* c. 3; Greg. l. IV, ep. 75. [27] Psal. 38. [28] Isai. 56. [29] Psal. 77. [30] Psal. 9. [31] Psal. 65. [31*] Psal. 74. [32] Isai 5. [33] Cap. 5 et 9. [34] I Cor. 11. [35] Prov. 6. [36] Lev. 20. [37] Inst. § *Item lex Jul. de adult. de publ. jud.* [38] Sueton. in *Octavio*, c. 65.

adulteris ponunt, et pollut ilabii participio peccant, A et non corrigunt, ut eis conveniat quod Apostolus dicit [39]: Propterea vos non corripitis, quia eadem sæpius agitis. Omnia illicita committuntur impune, nullusque pro divinæ legis prævaricatione damnatur [40]; imo *laudatur peccator in desederiis animæ suæ, et iniquus benedicitur* [41].

Impunitas est equidem negligentiæ filia, contumaciæ mater, radix peccati, nutrix adulterii et incestus, mortis æternæ præambula, præparatrix inferni; per impunitatem impiorum malitia convalescit, per hanc in suis stercoribus miseri computrescunt, atque peccatorum suorum bibentes urinam, gloriantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis. Quantum sit innocentiæ bonum nesciunt, qui semper nocere noverunt, tanto liberius, quanto desperatius, totas in peccatis B habenas concupiscentiæ laxant, toto desideriorum impetu feruntur præcipites in contemptum, sicut scriptum est: Peccator, *cum venerit in profundum malorum, contemnet* [42]. Sancta Dei mandata et terribilia ejus judicia verba reputant, nec mortis æternæ supplicia timent, donec pernicioso nimis experimento cognoscant per interminabiles cruciatus, quod credere aut timere noluerant. Nam, cum Christus in judicio corpus illud exhibuerit pro salute nostra susceptum, pro nostra absolutione damnatum, pro nostrorum vulnerum medicina clavis et lancea perforatum, quid erit, quando contra immunditias nostras, livores et cicatrices in accusationem et damnationem nostræ pertinaciæ proferentur? Illud cœlestem exasperat iram, et C plerisque discrimen æternæ damnationis accumulat, quod quidem principes sacerdotum et seniores populi, licet non dictent judicia sanguinis, eadem tamen tractant disputando et disceptando de illis, seque ideo immunes a culpa reputant, quod mortis aut truncationis membrorum judicium decernentes, a pronuntiatione duntaxat et executione pœnalis sententiæ se absentant. Sed quid hac simulatione perniciosius est? Nunquid discutere et definire licitum est, quod pronuntiare non licet? Certe Saul de morte David multiplici machinatione tractabat, et ut malitiam suam sub umbra innocentiæ palliaret, dicebat: *Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum* [43]. Sane quantum hæc dissimulatio eum excusabat apud homines, D tantum apud Deum eumdem damnabilius accusabat. Expressa similitudinis forma, in consistorio illo, in quo Christus ad mortem damnatus est, Pharisæi et scribæ dicebant: *Nobis non licet interficere quemquam* [44]. Cumque tamen clamarent, dicentes: *Crucifige* [45], sententiam in eo occisionis cruenta malignitate dictabant. Quem occidebant gladio linguæ, publice protestabantur sibi occidere non licere, eorumque iniquitas eo ipso detestabilior erat, quia ut evaderent humanum judicium, eam simulatio innocentiæ occultabat. Animabus prælatus es, non corporibus, nihil prælato commune est cum Pilato. Christi villicus es, et vicarius Petri; nec te respondere oportet Cæsari de commissa tibi jurisdictione, sed Christo. Quidam tamen per usurpatas sæculi administrationes se vinculo curiali obnoxian, et quasi renuntiaverint suæ privilegio dignitatis, calculum durioris eventus exspectant. Nam pro causa hujusmodi hodie in Sicilia mancipati sunt episcopi quidam carceralibus vinculis, nec aliquod exspectant ab Eclesia Romana solatium, quibus improperatur a summo pontifice, ut bibant de calice, quem sibi temere miscuerunt. Ad umbratilem hujus temporis justitiam spectat illud, quod si episcopus aut sacerdos occiditur, pœna tanti flagitii sub dissimulatione transitur; pro interemptione vero Judæi exactissima districtione rigor judiciarius exercetur. De tota illa multitudine, quæ in necem beati Thomæ archiepiscopi et primatis manum consilii et auxilii præbuerunt, nec unus auriculam perdidit. Interempta vero uxore Aaron Judæi, in illius rei auctores et consiliarios exquisitis suppliciorum generibus tota terra infremuit.

Illud nihilominus absurdum detestandumque dicitur, quod effracta ecclesiarum immunitate et dignitate sacri ordinis conculcata, quidam principes terræ de sola immunitate cogitant ferarum, et, hominibus gementibus inter serviles angarias, cervi, capreoli, damæ et lepores privilegio summæ libertatis exsultant. Pauperum segetes et hortos impune depascunt, nec est qui eos arcere præsumat; lex enim funesta homines hodie, non solum de captione ferarum, sed de simplici captionis suspicione condemnat. Succiduntur membra, quæ in causam humanæ propagationis natura creavit, effodiuntur oculi, pedes etiam manusque truncantur, et homo qui ad imaginem et similitudinem Dei creatus est, in sui Creatoris contumeliam horribiliter deformatur. Hanc equidem et alias odibiles Deo leges dominus rex non instituit, sed institutas invenit, quæ sicut conditoribus versæ sunt in æternum supplicium, ita domino regi cederent in præmium salutis æternæ, si eas, hortatu vestro, aut omnino delere studeret, aut ex parte aliqua temperaret. Deus equidem propter hominem bestias fecit; et sicut legitis in Genesi [46], voluit et præcepit Dominus, hominem piscibus maris, avibus cœli, et bestiis terræ, et cunctis animantibus dominari; ut taceam de conjugiis, quæ per violentiam contrahuntur, de pupillorum custodiis et tutelis, quas sola dictat ambitio, et de aliis enormitatibus innumeris, quas refrigescente charitate multorum communis abusio

[39] Rom. 13. [40] Rom. 2. [41] Psal. 10. [42] Prov. 18. [43] I Reg. 18. [44] Joan. 18. [45] Luc. 23. [46] Cap. 1.

introduxit. Tuum saltem excitet zelum quod, ecclesiastica dignitate calcata, vineam Domini, quam plantavit dextera ejus, exterminavit aper de silva [46*]. Misereatur Dominus vineæ suæ, et exsurgat eo inspirante aliquis ex filiis excussorum [47], qui avulsas propagines ejus in sanguine suo studeat replantare. Positus es inter principes populorum, inter patres conscriptos, quibus dati sunt *gladii in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus* [47*]. Exsurge igitur, homo Dei, ex adverso ascende, ad opus fortitudinis te accingens : succurre plagæ Ecclesiæ : vende cum apostolis tunicam, ut emas gladium, ignitum eloquium et spiritum vehementem [48] : arma potentia Deo ad convincem lam omnem inobedientiam [48*], ad captivandum omnem intellectum in obsequium Christi. Vas electionis es, ut portes nomen Domini coram gentibus et regibus. Evaginato linguæ gladio, in exsecutionem episcopalis justitiæ, juxta formam quæ tuæ professioni annexa est, circumcurre; vultus tuus sit super facienlos mala [49]. Clama iniquis, nolite mique agere, et delinquentibus, nolite exaltare cornu. Dominus Jeremiæ, et in Jeremia loquitur tibi, dicens : *Sta in atrio domus Domini, et loquere ad omnes, si forte audiant et pœniteant, et convertantur a via sua mala* [49*]. *Vade et clama. sermones istos : Revertere, aversatrix Israel, dicit Dominus, et non avertam faciem meam a vobis ; convertimini filii Israel revertentes* [50].

Duo sunt, justititia et libertas, pro quibus quisque fidelis usque ad sanguinem stare debet. Si ergo res exegerit, pro justitia et libertate Ecclesiæ, non dubites facultates tuas raptoribus, famam ludibrio, fortunam periculis, et caput hostilibus gladiis objectare. Delectabile spectaculum est angelis, si sit homo pro justitia opprobrium abundantibus et despectio superbis [50*]. Apostolus non verebatur vitam suam periculis exponere pro subjectis. *Et ego,* inquit, *superimpendar pro animabus vestris* [51]. Cum Dei beneficiis etiam angeli se impares fateantur, quid ei retribuere potes pro omnibus quæ tibi ejus gratia prærogavit [51*] ? Pro te posuit ad mortem animam suam, quid ergo vereris pro eo ponere vitam brevem, fragilem et incertam, quam lex mortis in proximo exactura est, et nunc eam salubrius posset offerre devotio? Utinam daret voluntas, quod necessitas extorquebit, et quod tunc solvetur ex debito, nunc offeretur ex voto ; testimonio Veritatis [52], qui vitam suam perdiderit, eam custodiet, et qui eam custodierit, perdet ; longe consiliosius est perdere illam, ut custodias, quam custodire ut perdas. Si ergo Christi discipulus es, ignoscat zelus tuus, exsurgat episcopalis auctoritas, nec inveniaris in magnis minimus, qui magnus in minimis exstitisti. Si longa est manus regis, longior debet esse manus episcopi. Arripiat judicium manus tua. Si dixeris, plaga magna est, et curari non potest, scias quia major est divina misericordia, quam humana miseria. Spera et confide in eo qui posuit adjutorium super potentem [52*], cui non erit impossibile omne verbum. Stabulario dictum est : *Curam illius habe* [53]. Curam habere et non curare præciperis. Cura ergo et labora ; nam si ægrotum non curaveris, implesti tamen medici vices, si nihil ex contingentibus omisisti. Apostolus non dicit plus profui, *sed plus omnibus laboravi* [54]. Deus autem mercedem laborum sanctorum, non ex proventu laboris, sed ex labore metitur. Ideo Paulus non in plurima obventione laborum, sed in pluribus laboribus gloriatur [55]. Annuntia populo scelera eorum, si obduratæ frontis sunt, et tu e diverso frontem tuam obdura, frontem duram fronte duriore obtundas, ut dicat tibi Dominus, quod legitur quandoque dixisse prophetæ [56] : Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Sufficit, si cum Apostolo secura conscientia dicere merearis : *Contestor vos hodie, quia mundus sum a sanguine omnium* vestrum. *Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei* [57]. Sicut beatus Hieronymus scribit [58] : Maluit Joannes periclitari apud regem, quam divinæ legis silere justitiam. Elias contra Achab et Jezabel, et Joannes contra Herodem et Herodiadem missi sunt. Vide, si et tu a Deo missus es, ut magnates terræ arguas, Achab et Herode pejores. Constat enim Achab Judæum, et Herodem proselytum fuisse : damnabilius autem est in Christiano quodlibet crimen, quam in proselyto vel Judæo. Sic ergo studeas implere pontificem, ut in Domino vivas, et in Domino moriaris. Verbum Apostoli est : *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus* [59]. Vita quidem confessorem, causa martyrem facit ; ubi autem persecutionis causa non imminet, pia in se ipsum crudelitas et desiderium patiendi vicem martyrii recompenset. Vale.

[46*] Psal. 79. [47] Psal. 126. [47*] Psal. 149. [48] Psal. 118. [48*] Luc. 22. [49] Psal. 33. [49*] Jer. 26. [50] Jer. 3. [50*] Psal. 122. [51] II Cor. 12 [51*] Psal. 115. [52] Matth. 10. [52*] Psal. 88. [53] Luc. 10. [54] I Cor. 15. [55] II Cor. 11. [56] Baruc. 8. [57] Act. 20. [58] *In* c. xi *Matth.* [59] Rom. 14.

INVECTIVA

IN DEPRAVATOREM OPERUM BLESENSIS.

Exhortatiunculam tuam cum gratiarum actione multiplici suscepissem, nisi præblandientis suaviloquii lenitas captiosa in evidentis injuriam convicii evasisset. Scriptum est quia *omnis homo primum bonum vinum ponit* [60]; nec propinantur venena nisi melle condita. Si prologum istius opusculi mei super Job diligentius inspexisses, me satis excusabilem faciebant ea quæ mihi liberum scribendi arbitrium omnino invidebant. Sane ante opusculum illud nondum hoc genus scribendi attigeram, simplicesque laboris mei primitias, quas in Christi obsequium dedicabam, et tunc primo nascentem studii mei spiritualis infantiam exquisitis machinationibus impugnasti. Parcere simplicitati debueras, nec in derisionis materiam dare salivas decurrentes in barbam David [61], et verba infantilia Jeremiæ [62]. Et *ego quidem carnalis* homo *sum*, et *venundatus sub peccato* [63]; tu vero regularis canonicus, et spiritualis homo, quod in canonica Epistola legitur, recolere debuisses: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* [64]. Utinam corripiat me justus in misericordia, et increpet me [65]. Benigna enim est correctio, quæ ex charitate procedit; nam et *charitas benigna est* [66]. Porro ex abundantia cordis, et ex adipe iniquitatis os tuum locutum est; ideo lingua cædens proximum vulneras, calamum quassatum conteris, et exstinguens linum fumigans [67], *in spiritu vehementi conteris naves Tharsis* [68]. Sciolos, es, paucæque litteræ faciunt te insanum. Volens ergo constituere justitiam tuam, conversus es in verba malitiæ, aliosque judicans et diffamans, venaris tibi ex aliena depravatione favorem. *Pro minimo tamen mihi est, ut a te judicer aut ab humano die. Qui enim judicat me, Dominus est* [69]. Quis te constituit judicem super nos? *Tu quis es, qui judicas servum alienum? Domino suo stat, aut cadit: stabit autem* [69*]. Ego vero, quem impudentius et imprudentius arguis, arguam te et statuam contra faciem tuam, ut discas non blasphemare. Apponam ergo sagittas potentis acutas contra linguam dolosam [70*], maledicam, magniloquam, scurrilem, dissolutam; loquar contra sibilos serpentis antiqui: nam in lingua tua loquitur, qui quondam in serpente locutus est [71]. Lingua siquidem detractoria, vipera est, leniter transit, et graviter percutit. Membrum substantia modicum, malitia magnum, et, ut verbo B. Jacobi utar: *Lingua modicum membrum est*, sed plenum *veneno mortifero* [72]. *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam hujus vana est religio* [73]. Religiosum te putas, quia religionis habitum geris, sed sanctitas et lingua viperea simul esse non possunt. Sane *vir linguosus non dirigetur in terra* [74]; incircumcisa enim labia plurimum sordis sibi coagulant; et omne vas, quod non habet cooperculum, in lege Domini reputatur immundum [75]. Verbum Isaiæ est: *Cultus justitiæ silentium* [76*]. Utinam posuisses ostium circumstantiæ labiis tuis [76], et non prosiluisses usque ad maledicendum! *Maledici* enim *regnum Dei non possidebunt* [77]. Ad rixas me invitas invitum. Testimonio enim Salomonis: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* [78], et lingua occasio est scandali, quoties in detractionis profluvium se diffundit.

Qui me commorit, (*melius non tangere clamo*)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe [79].

Utinam tacuisses, ut prudentior appareres. Sed unde me nosti?

Non exspectato vulnus ab hoste tuli [80]

Porro licet faciem tuam non viderim,

..... *ego te intus et in cute novi* [81]

Existimasti inique quod essem *tui similis* [82]. Ego quidem in opere meo simpliciter ambulabam, tu dolose agebas in lingua tua. Seminabam triticum, et tu inimicus homo superseminabas zizania [83]. Noli, quæso, loquendo sublimia gloriari, *non plus sapere quam oportet* [84]. Alta enim sapere mors est. Et facile periclitatur qui se in alto prospiciens obstupescit.

Dicis, et scribis, quia me non vidisti. Gaudeo plane quod me non videris. Jam spiritum aspidis in te sensi. Utinam me non videat oculus basilisci. Invide et detractor Deo odibilis, quid me mordes? Qui enim detrahit, dicit Ecclesiastes [85], sicut serpens, qui mordet in occulto. *Si invicem mordetis et comeditis*, dicit Paulus, *nonne ab invicem consumemini* [86]? Si ore ad os disputatio et con-

[60] Joan. 2. [61] I Reg. 21. [62] Jer. 1. [63] Rom. 7. [64] Gal. 6. [65] Psal. 140. [66] I Cor. 13. [67] Matth. 12. [68] Psal. 47. [69] I Cor. 4. [69*] Rom. 14. [70] Psal. 119. [71] Gen. 3. [72] Jac. 3. [73] Jac. 1. [74] Psal. 139. [75] Num. 19. [76] Isa. 32. [76*] Psal. 140. [77] I Cor. 6. [78] Prov. 17. [79] Horat. *Sat.* l. II, sat. 1, vers. 46, 47. [80] Ovid. *Heroid.* epist. 6, vers. 82. [81] Pers. *Sat.* 3, vers. 30. [82] Psal. 49. [83] Matth. 13. [84] Rom. 12. [85] Cap. 10. [86] Gal. 5.

flictus esset inter nos, patinentius sustinerem. Facile est tibi impugnare absentem, testeque Hieronymo, delicata doctrina est pugnam dictare de muro. In me utinam experiaris et oris et operis vocem! Tutum tamen mihi esse non arbitror cum homine cerebroso contentiosum funem trahere, et contra consilium Salomonis, stulto juxta suam stultitiam respondere [87]. Meas ergo injurias dissimularem silentio; sed vereor ne deterioris in te præsumptionis excitet incentiva vaga et effrenis impunitas. Epistolam scribere incœperam, sed exuberans materia loquendi non patitur se ad epistolare compendium coarctari. In librum ergo epistola crescit, et evenit Salomonis verbum, quia faciendorum librorum non erit finis [88]. Decebat ordinem tuum ea scribere quæ publicæ utilitati proficerent, quæ mentem reficerent, quæ omnem intellectum in servitutem et obsequium Christi redigerent. Tu vero, apostolicæ professionis oblitus cui dederas manus, et *illius quæ secundum pietatem est doctrinæ*, ut verbo Apostoli utar, *superbus et nihil sciens, languens circa quæstiones et pugnas verborum* [89], cum illis, qui detractioni et scurrilitati vacant, matronalem adulteratis sacræ Scripturæ integritatem, Jeremia lamentante et dicente: *Contritum est cor meum intra me a facie Domini et sanctorum verborum ejus quoniam adulteris plena est terra* [90]. De te et consimilibus tuis Apostolus loquens: *Audivimus*, inquit, *quosdam ambulantes inter vos inquiete, et curiose agentes. His qui hujusmodi sunt denuntiamus et obsecramus in Domino, ut cum silentio panem suum manducent* [91]. Adulatorem principis, et sancti ordinis delatorem, vocas hominem, quem non nosti, sed docuisti linguam tuam loqui mendacium: et in hac parte *mentita est iniquitas sibi* [92]. Spiritus Dei reddit testimonium spiritui meo, quia nunquam fui olei venditor, nec soleo magnates palpare in vitiis, aut laudare peccatorem *in desideriis animæ suæ* [93]. In *Compendio* meo super Job, in *Epistolis* meis, in libro *Exhortationum* mearum, in *Dialogo* meo ad regem Henricum, in tractatu meo *De Jerosolymitana peregrinatione*, in libro meo *De præstigiis fortunæ*; et in opere meo novello *De assertione fidei*, in libro *Contra perfidiam Judæorum*, in libro *De confessione et pœnitentia*, et in eo qui *Canon episcopalis* inscribitur, et in quam plurimis aliis scriptis meis, regem nostrum, et alios terræ magnates, ubi materia se offert, plena libertate redarguo, sollicite suggerens quidquid ad eorum ædificationem citra invectivæ injuriam potest humana devotio. Vitam religiosorum, quorum diversæ sunt species (polymita est enim tunica Joseph [94], et circumamicta varietatibus sponsa Christi [94*]) tota cordis affectione veneror, ipsorumque pedes brachiis devotissimæ humilitatis amplector. Scio enim quia, præ cunctis sæcularibus, et clericis et laicis, tanto differentius virtutum titulos referunt, quanto impressioribus vestigiis apostolorum regulis inhæserunt. Ipsi in humilitate, hospitalitate, obedientia, charitate et cæteris, quibus regnum Dei rapitur ac possitetur, indefessa sollicitudine se exercent. Hi cornem deprimunt, spiritum erigunt, vitam in terra ducentes angelicam. Christo militant in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliarum excubiis, in psalmis, et hymnis et canticis spiritualibus, in confessionibus, in disciplinis et lacrymis, in cœlestium suspiriis, in ignitis compunctionibus et in jubilationibus arcanis, in excessibus mentis, dulcibusque susurriis, in quibusdam gloriæ cœlestis experientiis, in amplexibus Sponsi. Porro illud omnino dissimulare non poteram: quod cum cæteri balsamum gloriosæ opinionis in odorem suavitatis effundant, ut tibique similes facti estis *odor mortis in mortem* [95]. Quod si textura cilicii et pelles, sicut *ad excusandas excusationes in peccatis* allegas [96], foris exponuntur pulveri et labori, utinam sint pelles Salomonis [97], et non pelles terræ Madian. Utinam, qui pro domorum suarum negotiis exeunt, molant pro his qui in lecto sunt, et se dissolutius ad illicita non relaxent. Legimus autem in libro quotidianorum eventuum, quod in his qui evomuerunt sæculum, frequenter amor sæculi recidivat, suamque reædificantes Jericho, quam in primitiva conversatione subverterant, ignem et cineres ambitionis suscitant jam sopitos [98]. Et quid est in vobis amor mundi nisi odium Dei? quid est ardor ille concupiscentiæ, qui aurum vestrum vertit in scoriam, nisi mors animæ, transgressionis mater, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, sicaria virtutum, seditionis origo, et fovea scandalorum? Non ad jactantiam dico, sed ut impudentiam tuam (*frons* enim *meretricis facta est tibi* [99], quamplurium Angliæ magnatum testimonio et assertione) retundam. Bonæ memoriæ rex Henricus pro denario S. Petri (20), quandoque adversus duos priores ordinis tui inexorabiliter et irreconci-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(20) Denarius ille sancti Petri erat eleemosyna quædam a regibus Angliæ instituta, pro pauperibus Angliæ scholasticis, qui Romæ in Anglorum schola erudiebantur. Solvebatur autem a singulis domibus Angliæ, Romamque mittebatur in festo S. Petri ad Vincula: ideo *Denarius sancti Petri* appellabatur, Anglice *Romescot*. Ejus institutionem alii referunt ad Inam regem Merciorum, alii ad Offam itidem Merciorum regem. Matthæus Westmonasteriensis, in *Floribus Angliæ*, ad annum 727, ita loquitur: « Anno gratiæ 727 Ina rex felix et potens Æthelardo cognato suo regnum suum relinquens. Romam petiit, ut pro regno tem-

[87] Prov. 26. [88] Eccli. 12. [89] I Tim. 6. [90] Jer. 23. [91] I Thess. 3. [92] Psal. 26. [93] Psal. 10. [94] Gen. 37. [94*] Psal. 44. [95] II Cor. 2. [96] Psal. 140. [97] Cant. 1. [98] Josue 4. [99] Jer. 3.

liabiliter excanduerat. Nemo præsumebat se opponere ex adverso; ego steti in confractione pro eis, *et in tempore iracundiæ factus sum reconciliatio* [100]. Ad instantiam meam, inspirante Deo, frequenter regia manus in eleemosynarum gratia munifice et magnifice se effudit, *et* adhuc *eleemosynas illas enarrat Ecclesia sanctorum* [1]. Testimonio multitudinis aulicæ quandoque ad meæ parvitatis instantiam, eo adjuvante, in cujus manu sunt corda regum [2], magna debita personis ecclesiasticis condonavit, relaxavit compeditos, et damnatorum supplicia levigavit. Illud autem æquanimiter ferre non possum, quod, abjecto consilio et congregatione justorum, qui prius fueras canonicus regularis, factus es canonicus insularis. Signum ægrotantis animi est, quod exis a conversatione communi, solitudinem congregationi prætulisti, et insulam claustro. Fecisti te anathema fratribus tuis, terram promissionis pro Ægypto, pro Babylone Jerusalem, et cœlum deseris pro inferno. Quid tibi est solitudini? *Væ soli* [3]. Multos in discrimen animæ solitudo dejecit. Erraverunt in solitudine quidam, *et a serpentibus perierunt* [4]. Ego serpentes reputo vipereas cogitationes, quæ te in solitudine obsederunt. Ibi tentationum turba te circumstrepit, ibi multiplex vitiorum exercitus te infestat : cumque videaris evassisse fremitus mundi, mundus in hac singularitate tua tibi cum multiplicibus phantasiis insultat. Sedere posses in claustro solitarius, et tacere, et levare te super te. Ibi sunt, testimonio Job, qui ædificant sibi solitudines [5]; ibi inter multos poteras esse tecum. Nunc autem solus es, et tamen in turbis affectuum. Habebas in claustro secretum solitudinis, locum pœnitentiæ, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu sancto, consilium in hæsitatione, in tentatione remedium, et in omnibus efficax beneficium medicinæ, Ibi virtutum schola est, summæ ibi modestiæ usus, morum regularitas, legendi libertas, fraternitatis affectio, omnium communicatio, disciplinæ virgo, lex obedientiæ, vinculum charitatis, et mutua obsequela.

Verum molestus est tibi pœnitentiæ labor, abstinentia onerosa, importabilis disciplinæ austeri-

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

porali commutaret æternum. Quo cum pervenisset, fecit in civitate domum, consensu et voluntate Gregorii papæ, quam Scholam Anglorum appellari fecit : ad quam reges Angliæ et genus regium cum episcopis, presbyteris et clericis in doctrina et fide Christiana erudiendi venirent, ne quid in Ecclesia Angelicana sinistrum aut catholicæ unitati contrarium doceretur, et sic in fide stabili roborati ad propria remearent. Erant enim doctrina et scholæ Anglorum a temporibus sancti Augustini per Romanos pontifices interdictæ, propter assiduas hæreses quæ in adventu Anglorum in Britannia emerserant, dum pagani Christianis permisti sanctæ conversationis gratiam corruperant fidei Christianæ. Fecit propterea juxta domum præfatam ecclesiam in honorem beatæ Virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus divina celebrarentur mysteria, et in qua possent, si quem ex Anglis Romæ mori contingeret, sepeliri. Et hæc omnia, ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, statutum est generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut singulis annis de singulis familiis denarius unus, qui Anglice *Romescot* appellatur, B. Petro et Ecclesiæ Romanæ mitteretur, ut Angeli ibidem commorantes vitale subsibium inde haberent. » Idem ad annum Christi 794, ubi de peregrinatione Romana regis Offæ et gratiis ipsi ab Adriano papa collatis verba fecit, ita prosequitur : « Rex Offa quid digne tantæ largitati rependere valeat, secum pertractat. Tandem divino ragem inspirante gratia, venit salubre consilium : Et in die crastina scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingressus, dedit ibi ad sustentationem gentis regni sui illuc venientis singulos argenteos de familiis singulis, omnibus imposterum diebus singulis annis, quibus videlicet sors tantum contulit extra domos in pascuis, ut triginta argenteorum pretium non excedat, » Et paulo post: « Dominabatur Offa rex magnus in viginti tribus provinciis, quas Angeli *shiras* appellant, etc. Ex his omnibus provinciis dedit rex præfatus denarium B. Petri, ut prædictum est, quod Anglice *Romescot* appellatur. » Hæc iisdem omnino verbis refert Matthæus Patris. in Vita Offæ, secundi regis Merciorum, additque : « Idcirco B. Petri denarius appellatur, quia sæpedictus rex Offa die S. Petri qui dicitur ad Vincula, ipsum martyrem (*S. Albanum*) ipso die meruit cœlitus invenire, et ipsum annuum reditum ipso die Romanæ Ecclesiæ pro redemptione animæ suæ contulit, ad sustentationem videlicet scholæ memoratæ, propter Anglorum rudium et illuc peregrinantium eruditionem. » Rogerius de Hoveden, *Annalium* parte II, ad annum 1180, hæc habet: « Eodem anno Henricus rex Angliæ pater constituit Ranulfum de Glanvilla summum justitiarium totius Angliæ, cujus sapientia conditæ sunt leges subscriptæ, quas Anglicanas vocamus. » Hic intimatur quid Willelmus regi Anglorum cum principibus suis constituit post conquisitionem Angliæ. Tum recensentur multæ leges inter quas hæc habetur : « De denario sancti Petri, qui Anglice dicitur *Romescot*. Omnis qui habuerit triginta denariatas vivæ pecuniæ in domo sua de proprio suo, Anglorum lege dabit denarium S. Petri, et lege Danorum dimidiam marcam. Iste vero denarius debet summoneri in solemnitate S. Petri et Pauli, et colligi ante festivitatem quæ dicitur ad Vinculi S. Petri, ita ut ultra alium diem non detineatur. Si quisquam deinuerit, ad custodiam regis clamor deferatur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est. Justitia faciat denarium reddi, et forisfactionem episcopi et regis. Et si puis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit, in festo apostolorum Petri et Pauli denarium reddat. » Eadem fere de denario sancti Petri habentur apud Joannem Bromton, pag. 754 et 776; Radulfum de Diceto, ad ann. 793; Henricum Huntidoniensem *Historiarum* lib. IV, ad ann. 768. Plura vide apud Polydorum Virgilium lib. II *Historiæ Anglorum*, cap. 11, et Spelmannum in Glossario, voce *Romescot*.

---

[100] Eccli. 44. [1] Eccli. 31. [2] Prov. 21. [3] Eccle. 4. [4] Judith 8; I Cor. 10. [5] Job 3.

tas, quæ sola est clavis innocentiæ, religionis anchora, custodia cordis, et peremptoria prorsus appetitus illiciti. Propter quod Propheta [6] nos admonet apprehendere disciplinam. Et Apostolus dicit: *Si estis extra disciplinam, ergo filii adulteri estis* [7]. Vereor, ne qui spiritu cœpisti, carne consummeris [8]; et ne te tangat illud Isaiæ verbum : Concepisti ardorem, et stipulam peperisti [9]. Primam enim fidem irritam faciens, sub quodam religionis colore fundamentum initiatæ religionis evertis, tuamque animam quasi sub jactu aleæ ponens, in salutis et famæ tuæ periculum te devolvis. Scriptum est : *Qui amat periculum, in eo peribit* [10]. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti? et quid tibi in via Assyriorum, ut bibas aquam turbidam? Aquam Siloes respuisti, et elegisti aquas Rasin [11]; dereliquisti fontem aquæ vivæ, et fodisti tibi cisternas veteres, quæ aquam continere non possunt [12]. Nam, ut sermonibus extraordinariis et scurrilibus vaces, tanquam ferus de silva, singulariter vivis, et qui de radicibus et herbis [13], si verus anachoreta esses, sustentari debueras, tibi et puero tuo fratrum tuorum vestes et alimenta usurpas. Porro, cum duæ sint leges, interior et exterior, licet tibi, et his qui tibi blandiuntur placeat singularitas tua, spiritus tamen veritatis, qui neminem palpat, et ipse est lex interior, quæ te accusat et damnat. Assuesce igitur jugo Domini, frater invise; te enim non vidi. Pone, sicut dixit Salomon, *pedem tuum in compedibus illius, et ne accideris in vinculi ejus* [14]. Vides quia *omnis creatura vanitati subjecta est* [15], et *in imagine pertransit homo* [16]. Non ergo aliquo singularitatis obtentu deseras domum tuam, ne alibi domum tibi ædifices ad gehennam. In ea vocatione, in qua Vocatus es, finaliter persevera. Apostolus enim ad Thessalonicenses scribens : *Operam,* inquit, *detis, ut quieti sitis, et vestrum negotium peragatis* [17], negotium salutis insinuans. Idem ad Corinthios scribens : *Fratres,* inquit, *mei dilecti, stabiles* semper *estote et immobiles in opere Dei* [18]. Claustrum semel ingressus clausisti te, et Christi vinculis alligasti. Clausus es et alligatus per ordinis censuram, per disciplinæ observantiam, per stabilitatis promissionem, per clausuram reverentiæ et timoris, per obedientiæ ligaturam. Clausuram hanc ille abjecerat, de quo Salomon improperans, dicit : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam stulti, maceria lapidum destructa erat, totumque repleverant urticæ et spinæ* [19]. Quasi aliquid cæteris altius et cœlestius sapias, libertatem tibi cujusdam familiaritatis usurpas. Scias autem, quod recedens a claustro elongaris a Deo; nec te potes facere liberiorem, quam si claustralem diligas et impleas servitutem. Sane tua te litteratura insanum et prævaricatorem regularum observantiæ facit. Sed juxta verbum Sapientiæ, *Melior*

A *est homo minoratus sapientia, et sensu deficiens in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Dei* [20]. Ideo te in solitudinem recepisti, ut scurriles ineptias licentius mediteris, atque in opinionis alienæ discrimen possis liberius evagari.

Eapropter te jam non annumero inter lupos rapaces, qui veniunt sub vestimentis ovium [21], sicut me quosdam religiosos insimulasse causaris, sed inter pulices mordaces te pono, inter demolientes tineas, inter cynomias et ciniphes, et muscas Ægypti gravissimas. Quare de quadrantibus nos arguis, qui de oblationibus pauperum, et de viduarum quadrantibus vivis? Nonne prior tuus ecclesiis apponit ecclesias, et reditum reditui, atque possessionem possessioni accumulat? Quod si ad colorandam turpi-
B tudinem culpæ titulum publicæ utilitatis allegas, scias quia nec eum defendit numerus, nec multitudo conventualis excusat. Non enim minus ardebit, qui cum multis aut pro multis ardebit. Cum vero Apostolus dicat, hoc ipsum *delictum esse in vobis, quod* vestra repetitis, *et non* potius injuriam *patimini* [22]; tu pauperrimus legista de legibus garris, et contra Turonense concilium, contra legem Dei, et in animæ tuæ perniciem usurpas officium postulandi.

Quid tibi, et togatorum professioni, qui mortuus eras mundo, et complantatus similitudini mortis Christi? Abjecta lege Domini, quæ immaculata est, convertens animas, legibus decurtatis et corruptis in libro pauperum te exerces, ut in causis non ex originali scriptura, sed ex integro et corrupto alle-
C ges. Certe, sicut Tripartito historio refert [23], Joannes Chrysostomus, licet juris civilis scientia præemineret, rogatus tamen a familiaribus suis, ut eorum causas ageret, nomen semper abhorruit advocati. Nam in homine religioso vile et abjectum est advocationis officium ; quod satis insinuat Apostolus, dicens : *Sæcularia* negotia *si habueritis,* eos qui contemptibiliores sunt inter vos, *constituite ad judicandum* [24]. Isti sunt cilicia et pelles, de quibus loqueris, qui foras ad pulverem exeunt et laborem; ut utinam tendantur, sicut tabernacula Cedar [25], ut se ad illicita non relaxent! Clericorum voluptates accusas, quas apud plerosque spirituales in Christo potius censeo, quam carnales. Novi quamplurimos, quibus ad occasionem turpitudinis suspectior esset
D sua camera, quam forte tibi ecclesia ; plus fortasse in tuis semicinctiis, quam clericus in purpura et hysso gloriaris. Melior est purpurata humilitas quam pannosa superbia. Pietas ipsa est cultus Dei. Vide ne speciem pietatis habeas, et non cultum : ne de illorum numero censearis, contra quos Apostolus dicit : *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem vero abnegantes* [26]. Quid, putas, est iniquius, publica peccati professio, an simulatio sanctitatis?

[6] Psal. 2. [7] Hebr. 12. [8] Gal. 3. [9] Isa. 33. [10] Eccli. 3. [11] Isa. 8. [12] Jer. 2. [13] Psal. 79. [14] Eccli. 6. [15] Rom. 8. [16] Psal. 38. [17] I Thess. 4. [18] I Cor. 13. [19] Prov. 24. [20] Eccli. 19. [21] Matth. 7. [22] I Cor. 6. [23] L. x, c. 3. [24] I Cor. 6. [25] Cant. 1. [26] II Tim. 3.

Porro non auferunt conscientiæ vermem habitus et tonsura: *regnum Dei intra vos est* [27], non in exteriori vestitu. Nonnullos clericos novi, qui quasi nihil possidentes multa possident; non enim habent sibi, sed omnibus quidquid habent. Sic temporali foventur subsidio, sicut in stabulo viator utitur lecto. Pausat ac festinat recedere, novit enim se esse peregrinum et hospitem super terram. Putas eos omnes ita elongatos a Deo, ita suæ salutis immemores, et in reprobum sensum datos, ut eos aut gehennalis miseriæ timor, aut cœlestis gloriæ beatitudo non excitet? Nunquid disciplinæ et pœnitentiæ, et cæterorum, quæ ad spirituale pertinent exercitium, penitus sunt ignari? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi* [28]? Si Galaad est acervus testimonii vel martyrii, quod idem est, leva oculos tuos, et recole, si unquam videris alicujus Regulæ professorem per agonem martyrii de sæculo triumphasse. Nam si eo modo aliquem triumphasse proponas, hunc ab ordinis observantia prærogativa episcopalis exemerat. Non oportet omnes regulari militiæ manum dare. Credo non minoris esse meriti citra professionis vinculum, et assumptæ necessitatis angariam simpliciter ambulare cum Deo, et custodire vas suum in sanctificatione et gratia, suasque manus a sordibus munerum excutere, quam detrectare onus impositum, et luctari cum obedientiæ jugo. *Religio* enim *munda et immaculata* [29] hæc est custodire se immaculatum ab hoc sæculo, et se in operibus misericordiæ jugiter exercere. Si ovile Jacob, si rete Petri, si domum Patris cœlestis attendis, diversas oves, diversos pisces, diversasque et multas invenies mansiones. Noe, Daniel et Job diversas vitæ meritoriæ semihabuerunt. Et, si Christus commendavit otium tas Mariæ, non tamen ei displicuit occupatio Marthæ [30].

Gratius acceptat Dominus plerumque peccatoris pœnitentiam humilis et contriti, quam innocentiam justi tepidi et remissi; ille fortiter cadit, sed fortius surgit; iste lentescens in via Domini, et in proximo evomendus in suo tempore et torpore marcescit. Ovis in lege Domini [31] longe ab ostio tabernaculi offerri præcipitur; et capra, quæ hostia pacifica est in ipso tabernaculi ostio, unde ovis elongata est, immolatur. Familiarius enim in sinum cœlestis gratiæ admittuntur, qui extraordinarios actus austerioris pœnitentiæ judicio puniunt, quam qui in via vitæ acedia dormitantes animo languescente fatiscunt. Non præfero religioni, quæ ad Deum via certa et directa est, nostræ sæcularitatis incertum. Non dico cum Naaman Syro meliores esse fluvios Damasci Abana et Pharphar, omnibus aquis Israel [32]. Non dico cum Gedeone [33], quod meliores sint racemi Ephraim vindemiis Abiezer; neque homines angelis, neque comparo terras cœlis, sed imperfectum, quæso, vestrum videant oculi tui, teque ipsum judicans non judices, quem non nosti, donec de illius vultu judicium vestrum prodeat, qui revelabit occulta cordium et manifestabit abscondita tenebrarum. Omnem equidem ordinem sanctum in visceribus Christi diligo, magnifico, veneror et adoro. Eapropter diu a retroactis temporibus aliquem tui ordinis virum semper mecum habui meæ conversationis testem, meique corporis et animæ angelum et custodem. Unum tamen elegi et præelegi mihi dilectum Deo et hominibus, quem judicio meo longe differentius multis quadam præeminentia probatissimæ religionis illustrat. Dives in sæculo, et venerabilis fuit, sed pro Christo paupere se pauperem fecit. De ejus amicitia glorior, eamque universis curialibus et palatinis familiaritatibus antepono. Ipse procul dubio amicus Dei est, canonicæ institutionis strenuissimus æmulator, suæ carnis crudelis adversarius, animæ vero custos sollicitus, fide firmissimus, spe longanimis, charitate profusus, in operibus timoratus, mansuetus et humilis, in consiliis providus, jucundus et circumspectus in verbis. Semper mel et lac sub lingua ejus; diffusa est enim gratia in labiis suis. Quadam vero hilaritate festiva, quodam pallore angelico ita serenata est facies ejus; sic et facta ipsius et dicta quidam favor cœlestis gratificat, ut aspectus ejus, et sermo ejusdem sibi fere omnes in vinculum amicitiæ spiritualis alliciat. Memoriam ejus posui tanquam signaculum super cor meum [34]; cujus humilitatem, maturitatem, prudentiam, constantiam, et, ut includam multa paucis, incomparabilem honestatem in interioribus meis jugi recordatione circumfero, quantumque permittit conversatio sæcularis ad exemplar illius quasi ad sigilli spiritualis imaginem me consigno. Et quia sententias involvens præstigiosis sermonibus tirocinium meum et primitias in theologica facultate palliata iniquitate depravas, ad hominem, et non ad orationem respondeo. Nam cum sis disputator dyscolus et perversus, responsio tota hæc ex sola indignatione dictatur.

Arguis me dixisse quia melior est vox operis, quam vox oris. Argue ergo eum, *in* cujus *ore non est inventum mendacium* [35]; ipse enim tuæ institutionis Regulæ contradicens, de te et consimilibus tuis dicit: *Quæ* dicunt *facite*, quæ autem faciunt, *nolite facere* [36]. Ipse etiam prius fecit, et postea docuit, sicut scriptum est: *Cæpit Jesus facere et docere* [37]. Quæ prius fecit, postea docuit: voci orationis vocem operis anteponit. Si me de illa quam posui inter vocem oris et vocem operis comparatione causaris, adhuc dico, et cum Salomone replico quia *Melior est vir patiens expugnatore urbium* [38]; *Melior est canis vivus leone mortuo* [39]; *Melior est puer sapiens et pauper rege sene et stulto* [40];

[27] Luc. 17. [28] Jer. 8. [29] Jac. 1. [30] Luc. 10. [31] Lev. 3. [32] IV Reg. 5. [33] Jud. 8. [34] Cant. 8. [35] Apoc. 14. [36] Matth. 23. [37] Act. 1. [38] Prov. 13. [39] Eccl. 9. [40] Eccl. 4.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii [41]. Infinita possem exempla inducere, et hæc omnia se variant alternatim, atque ex intensionis, aut remissionis intelligentia sibi respondent, quasi excedentia et excessa. Super timore initiali me arguis, quia non est timor Dei ante oculos tuos, et loqueris de timore perfecto : *timor* equidem *pœnam habet* [42]. Ideoque mihi dubium est qualiter intelligas hominem in timore perfectum. Ubi enim est timor, nulla est perfectio. Audi Augustinum in homilia super Epistolam Joannis [43]: Si perfecta est, inquit, charitas in homine, jam non timet; perfecta enim charitas perfectam facit justitiam : nec jam timet, sed desiderat, ut transeat iniquitas, et veniat regnum Dei. Beatus etiam Ambrosius [44] dicit : Castus timor facit dulcescere quod amarissimum prius fuit ; sed tam mundanus, quam servilis timor in futuro non erit. Joannes etiam Damascenus super verbo illo in Epistolam ad Hebræos : *Exauditus est pro sua reverentia* [45] : Intellige, inquit, hanc reverentiam totius timoris expertem. *Deus* enim *charitas est* [46]; charitas autem timoris consortium non admittit. Adhuc de fovea ericii, et de occultioris malitiæ latibulo procedit invidia, ut derideatur simplicitas innocentis. Me namque blasphemasse proponis, eo quod dixerim quod Christus pro nobis de divite factus est pauper. Audias quid B. Basilius in libro *Exhortationis* scribat : Sermo omnipotens de eo quod erat per naturam unum cum Patre, factus est unum cum homine, natus de Patre, de muliere natus, de Omnipotente infirmus, de Domino exinanitus in servum. Ad hæc impugnas turrim David, atque præstigiosis sophismatibus attentans titulos veritatis, ea quæ communem et simplicem intelligentiam habent, versuto interpretationis veneno depravas. Cum de transfiguratione Domini loquerer, simpliciter dicens quod, post illam gloriæ apparitionem, divina quæ ibi apparebat species quodammodo rediit in humanam, tu hoc nomen, species, in Deo calumniose pervertis, ut nunquam ad contemplandam speciem suæ celsitudinis perducaris. Audi quid dicat Ambrosius, exponens illam clausulam Jeremiæ : *Quis stabit in substantia Domini, et videbit verbum ejus* [47] ? Sapientia, inquit, Dei verbum Patris, est non degenerans ab ejus specie, cujus substantiam in alia specie nobis ad remedium obtulit. Et Hilarius : Refulget in imagine usus in munere. Et idem : Prærogativa enim speciei, in qua erat splendor et figura substantiæ Dei, piæ dispensationis ministerio, sic se exinanivit ad speciem servi, ut non esset alienus a substantia Patris. Ex concilio enim Toletano habes, quia in Christo duæ sunt species naturales : virtus et infirmitas. Unde Apostolus dicit : *Et si Christus mortuus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei* [48]. Item Hilarius : Distinctio innascibilitatis speciem insinuat : nec degenerat, quod nascitur, aut procedit, cujus unionem et speciei conformitatem incommutabilis natura conservat. Ulterius procedit impostura malitiæ, *nec in omnibus his aversus est furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta* [49]. Ezechiam regem nulli patitur peccato fuisse obnoxium, cum publice Scriptura testetur, nec unius diei infantem a peccato esse immunem [50]. Non inficior Ezechiam fuisse justum et sanctum ; sed verbum Isaiæ [51] est quoniam *omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Sanctus David, in quo invenerat Dominus virum secundum cor suum [52], querebatur, quia iniquitates supergressæ sunt caput suum [53] ; Job etiam, cujus virtutes Dominus ita magnificat et extollit [54] ; Jeremias quoque atque Moyses, et cæteri, quorum laus est in Evangelio, concepti, nati, et conversati sunt in peccatis.

Si peccata Ezechiæ ignoras, recole quia sicut David ad gloriam et ad pompam populum numeravit [55], sic et ille de fuga Sennacherib et exercitus ejus strage superbiens [56], gratias Deo testimonio Augustini [57] non retulit. Scis autem quia vitium ingratitudinis omnino peremptorium est animæ, et detestabile apud Deum. Ad cumulum etiam superbæ transgressionis, ad fastum et ostentationem cellas aromatum, thesaurosque Domini nuntiis Merodach regis Babylonis ostendit [58]. Non solum Merlinum, sed et te prophetam voco ; nam propheta es Antichristi : *jam* enim *per te operatur mysterium iniquitatis* [59]. Sane nunquam Merlinum ponendum decrevi in catalogo sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum, sed te et ipsum constituo inter prophetas Baal, annumero inter quadringentos prophetas Achab, qui ei in mendacio divinabant [60] : vel, quia in sortem sacerdotii es assumptus, collegam summo sacerdoti Caiphæ te adjungo, qui in eo crudeli consistorio, in quo Christus innocens condemnabatur ad mortem, *cum esset anni illius pontifex, prophetavit* [61]. Scripturas, quæso, lege et intellige : non enim omnia inveniuntur in Catone. Certe si Merlinum prophetam irrisorie dixi, non debueras excanduisse tam graviter. ut mihi notam adulatoris inureres. Recole quod, cum Saul esset in ira Dei electus, et a Domino reprobatus, legitur tamen quod descendebat cuneus prophetarum, et factus est Saul inter prophetas [62]. De Sibylla gentili, et de Balaam ariolo [63], et de aliis quorum prophetias recipit Ecclesia, contra Ecclesiæ doctores aliquid virulentum vomuisse debueras. De Jahel, illud tibi respondeo, quia vir ejus Haber Cinæus jam cum omni domo sua

[41] Eccl. 7. [42] I Joan. 4. [43] Tract. 8 In I epist. Joan. [44] In Psal. 118, et 31, v. 2. [45] Hebr. 5. [46] I Joan. 4. [47] Jer. 23. [48] II Cor. 13. [49] Isa. 9. [50] Job, 14 *juxt.* LXX. [51] Cap. 64. [52] Act. 13. [53] Psal. 37. [54] Job 1. [55] II Reg. 24. [56] IV Reg. 19. [57] Lib. II De *mirab. S. Script.* c. 27. [58] Isa. 39. [59] II Thess. 2. [60] III Reg. 18. [61] Joan. 11. [62] I Reg. 10. [63] Num. 24.

recesserat a fratribus suis, fœdusque percusserat cum rege Asor: Sisara vero habens ex illa obligatione fiduciam, divertit ad tentorium Haber. Rogavit ergo Jahel, ut ipsum celaret, ac poculum daret: dedit et Jahel ei lac, ut gravius obdormiret: ipsa vero tempora dormientis usque in terram clavo tabernaculi perforavit [64]. Vide, si rea est proditionis, qui misero transfugæ quærenti subsidium securitatem præstiterat dormiendi. Sed, ut verbo Job utar, umbra umbram* protegit [65], similis excusat similem nec eam excusares, si proditionis facinus abhorreres. Verum, licet factum illud fuerit impium, habet tamen in se venerabile sacramentum. Expressa vero similitudinis forma posset item mysticæ significationis beneficio excusari, quod Cain fratrem suum occidit [66], quod Judas cum sua nuru concubuit [67], quod David uxorem alienam rapuit [68], quodque ipse Uriam [69], et quod Joab Abner [70] et Amasam [71] proditorie interfecit. Nec intellige sacram Scripturam Jahel specialiter præconiis extulisse, sed Deum, qui per feminam salvaverat Israel, miraculose concludens in manu feminæ inimicum. Frequens est etiam in sacro eloquio, ea quæ bona sunt in mala, et ea quæ mala sunt in bona significatione accipi, ita ut sermo historicus semper salubriter famuletur intelligentiæ sacramenti. Samson, qui interpretatur *sol*, Domino consecratus, et qui figuram Christi sæpe in sacro eloquio gerit, peccatoris tamen figuram exprimit, ubi scilicet a Dalila, id est carnali concupiscentia funibus peccatorum ligatur, et eo converso ad pœnitentiam, atque insiliente in eum spiritu Domini vincula relaxantur [72]. Urias innocens vir et justus, typum diaboli repræsentat, ubi pro uxore sua occiditur [73]. Babylonia vero in idololatriæ peccato flagitiosa, *dilecta Domini* quandoque vocatur [74]: et per Saulem, licet fuerit inobediens, contumax, temerarius et præsumptor, Christus Dei Filius figuratur. Rursum, dum opuscula mea venenoso dente invidiæ mordicando divellis, me inter cætera gratiam et liberum arbitrium commiscere et confundere blasphemando subgrunnis. Et ego quidem confidenter assero liberum arbitrium ita inniti et pendere de gratia, ut benignitas Dei merito non præjudicet, et liberæ voluntati gratia non præscribat. Licet enim dicat Apostolus: *Justificati* enim estis *gratis* [75], id est per gratiam, neminem tamen abnuit salvari per fidem. Dico autem, quod gratia liberum arbitrium eximuit a jugo peccati, ut voluntas sanata jam non in vacuum gratiam Dei cooperantem recipiat, sed seipsam ad actum beneficio adjuvantis exerceat, veluti, si quis luto infixus se inde expedire sine ope aliena non possit, si ab aliquo liberatur, ipso liberatore ducente et adjuvante expedite incedit. Licet ergo dicatur aliquis ex fide salvari, totum tamen est ex gratia, sine qua nemo credit. Unde Augustinus in epistola ad Sixtum dicit quod gratia est remissio peccatorum; nec eam præcedunt merita, quia gratia non esset, si redderetur ex meritis, aut non esset gratuita. Ad Bonifacium vero scribens ait, quod Apostolus dicit: *Justificati* estis *gratis*, hoc dixit ideo, de fides superba sit; si autem ex fide, quomodo gratis? quod enim meretur fides, cur non potius redditur, quam donatur? Sed respondet Apostolus: *Quid habes quod non accepisti* [76]? Fides itaque augetur per gratiam, ut in gratia magistrante voluntas obsequatur, et obsequens operetur. Tu vero Proteo monstruosior, nunc totum ascribis gratiæ, et meritum evacuas, nunc exinaniendo gratiam totum merito attribuis, et in primo hæresim Manichæi, in secundo blasphemiam Pelagianam incurris. Sic errorum veterum cineres jam sopitos iterum suscitas, et dogmata damnata solemniter quasi lignorum materiam tibi ad æternum incendium coacervas. Hæc omnia decreveram prosequi lima correctionis, aut persequi novacula damnationis in hoc opere meo, sed occupationibus variis aliis revocatus totum hoc vacatiori tempori et liberiori disputationi reservo.

[64] Judic. 4. [65] Job 40. [66] Gen. 4. [67] Gen. 38. [68] II Reg. 11. [69] Ibid. [70] II Reg. 2. [71] II Reg. 20. [72] Judic. 16. [73] II Reg. 11. [74] Isa 21. [75] Rom. 3. [76] I Cor. 4.

FRAGMENTUM

EPISTOLÆ DE SILENTIO SERVANDO.

Silentium teneas; quia, secundum Isidorum, custos est omnium virtutum. Cum tibi licet loqui, magis elige silere, si vis pacem cordis habere. Cum debueris loqui, in mansuetudine præpara animum tuum, ne cum impetu loquaris. Non sis promptus ad loquendum; sed multum custodi, cui, et quid, et de quo, quomodo, ubi, et quando loquaris. Cave, omnibus modis, ne sis alicui scandalum, vel occasio scandali. Cave ne in ira cujusdam dicta vel facta reprehendas. Cave ne consilium bonum despicias, et sensui tuo nunquam multum credas. Reprime iram in quantum potes, ne aliquando appa-

reat in vultu, in moribus, in verbis. Noli de absentibus loqui, etiam bona, quia de facili intermiscent se mala. Reputa et minus scientiam, minusque bonum. Non des consilium priusquam requiratur. Non eas ad consilium, nisi vocatus. Si quis de aliquo malum dixerit, de facili non credas ei. Non libenter audias, quia ex hoc crescit tibi charitas. Oculos vagos non habeas. Caput et alia membra a levi motu custodias. Prælatis tuis acquiescas; et in ordinationibus suis, quæ non attendunt dissolutionem, eis non resistas. Labora totis viribus custodire cor tuum. Voluntatem tuam voluntatibus aliorum subjice. In mente tua diem judicii revolve, pœnas inferni, passionem Christi, gaudia cœli. Stude omnia opera tua coram Deo facere, et ad ipsum referre. De ordinatione et dispositione quæ ad te non spectant, ne temere discutias. Privatum amorem a te repellas. Et studeas te benignum et obsequiosum in omnibus exhibere, etc.

LIBELLUS DE ARTE DICTANDI.

Incipit prologus magistri Petri Blesensis, archidiaconi Ecclesiæ Bathoniensis, in libellum De arte dictandi rhetorice.

Licet magistri Bernardi de dictaminibus liber prudenter sit pertractatus, delicatis tamen et minus districtis lectoribus perplexæ prolixitatis dicitur arguendus. Turonenses etiam magistros dictandi scientiam in summulas redigentes nihil perfectum asserunt scripsisse. Unde fit ut tam bene condita quam insipida fastidientes ad mensam philosophiæ lautis refertam ferculis siccis dentibus emarcescant. Eliminatis igitur tantæ parcitatis conviviis, avidos magistri Bernardi et Turonensium sequaces nec non et Romanæ cancellariæ notarios ad suas epulas invitamus, ut ea, quæ divisim paraverunt cum sollicitudine, summa hilaritate communiter epulentur. Formulam vero dictandi, secundum prædictos dictatoriæ professionis dictatores, rudibus ad instructionem provectis ad memoriam tradere destinamus.

CAP. I. *De divisione dictaminum.*

Dictaminum aliud metricum, aliud prosaicum, de quo specialiter tractare intendimus, etc. [*Tractatum hunc, ex operibus Bernardi et al. confectum, nec quidquam novi in se habentem, omitto.*]

PETRI BLESENSIS POEMATA.

I. — CANTILENA DE LUCTA CARNIS ET SPIRITUS.

1. Olim militaveram
Pompis hujus sæculi,
Quibus flores obtuli
Meæ juventutis.
Pedem tamen retuli
Circa vitæ vesperam,
Nunc daturus operam
Militiæ virtutis.

2. Carnis insolentia
Pugnat contra spiritum
Nec metitur exitum
Vitæ temporalis:
Sed si juxta meritum
Referuntur præmia,
Miseræ stipendia
Mors erit immortalis.

3. Diu carnem studui
Subdere spiritui,
Fame, siti, verbere subjicere:
Nec potuit domari.
Nam addicta voluptati,
Servitutis jugum pati
Detrectat misera; tunc demum libera,
Si sciret ancillari.

4. Felix illa servitus,
Quæ gehennales gemitus
Adimit, et redimit
De manu tribulantis.
Spondet mundus libertatem,
Dans peccandi facultatem
Cujus delicias fugaces fugias,
Et dolos adulantis.

5. Mundus et dæmonium
Fidem sanxere mutuam,

Fraudis ad consortium,
Carnem trahentes fatuam :
Sic per proditorias blanditias
Insidias procurant :
Et in mortem animæ miserrimæ
Nequissime conjurant.
6. In fenestris capitis
Occultant retiacula,
Sed vibrant in absconditis
Tentationum jacula.
Servat hostis aditus, sollicitus,
Et exitus explorat,
Trahens hanc in publicum,
Quæ lubricum sophisticum ignorat.
7. Me deterret Dinæ raptus [77],
Cujus forma Sichem captus
Dum affectat temere
Violati capere
Primitias pudoris.
Non est qui vim reprimat,
Vel oppressæ redimat
Opprobrium sororis.
8. Cessa, caro, lascivire,
Quia dies instat iræ.
Non te mundus rapiat,
Non te circumveniat
Fraus spiritus immundi.
Nos hæc vita deserit,
Et ut umbra præterit,
Hujus figura mundi [78].
9. Nodos abrumpe veteres,
Ut superes
Hostis tentamenta
Ne templum Dei polluat [79],
Aut destruat
Christi fundamenta.

II. — CONTRA CLERICOS VOLUPTATI DEDITOS, SIVE DE VITA CLERICORUM IN PLURIMIS REPROBATA.

1. Qui habet aures audiat [80],
Sub quanta mole criminum
Clerus laboret hodie,
Dum in Christo luxuriat [81],
Nec vult placare Dominum
Per fructus pœnitentiæ.
Sed differt et induciat,
Falseque sibi somniat,
Sortis in casu dubiæ
Longum vivendi terminum.
2. Ob nimiam mollitiem,
Sordesque vitæ varias
Nulli defertur ordini.
Trahuntur in perniciem,
Per partes et minutias,
Ecclesiarum termini.
Nec habet arca requiem :
Malchus in Christi faciem [82],
Jason in vasa Domini,
Manus extendit impias [83].
3. Irreverenter confluunt
Omnes ad sacrum ordinem : sed hominem
Veterem nunquam exuunt.
Nec fœditatis diluunt
Antiquæ turpitudinem.
Hi calicis dulcedinem,
Dant in amaritudinem,
Et in venenum aspidis.
Jesumque magnum sordidis
Vestimentis induunt [84], et polluunt
Testamenti sanguinem.
4. Singultuosis vocibus
Verbum salutis prædicant, et explicant,
Monitis salutaribus,
Quid agendum sit omnibus,
Sed Esau sunt in manibus,
Et voce Jacob indicant [85].
Qui dum se passim implicant
Flagitiosis actibus,
Et exemplis enormibus
Animas mortificant, ædificant
Sion in sanguinibus [86].
5. Qui pro laude verba vendis,
Cultoris utens sarculo,
Dum phaleras in populo,
Sanctitatem quam prætendis
Non possides in sacculo,
Gaudes inani titulo :
Verbis utens reverendis,
In te trabem non attendis [87],
Quæ toti patet sæculo :
Et festucam reprehendis,
In tui fratris oculo.
6. Plebs pro Christo bellicosa
Fugit a mundi pretio,
Cœlum petit martyrio.
Sed in nullo fructuosa
Clericorum conditio
Enormi torpet otio.
O mors Christi pretiosa,
Semper fuit copiosa
Apud te redemptio [88].

[77] Gen: 34. [78] I Cor. 7. [79] I Cor. 3. [80] Matth. 13. [81] I Tim. 5. [82] Joan. 18. [83] II Mach. 4. [84] Zach. 3. [85] Gen. 27. [86] Mich. 3. [87] Matth. 7. [88] Psal. 129.

Sed in istis otiosa
Fit Redemptoris passio.
7. Quare non accipiunt
Salutaris calicem,
Et pro Christo verticem
Gladiis objiciunt?
Sed terrena sapiunt [89],
Nec timent iram vindicem,
Terribilemque Judicem
Miseri despiciunt:
Colant enim culicem
Et camelum glutiunt [90].
8. Qui lethargum pateris,
Surgens expergiscere:
Hora est jam surgere.
Vulnus, unde moreris,
Medico non aperis.
In tui cordis ulcere
Scis fistulam obrepere:
Nec medicinis uteris,
Erubescens temere
Ligaturam vulneris.
9. In nova fert animus,
Ructare querimoniam,
Horrenda quæ committimus:
Supernæ Sion filiam
Ad quæstum prostituimus.
Joseph ennucho vendimus [91], erigimus
Dagon in arcæ gloriam [92]
Aurique color optimus
Versus est in scoriam.
10. Ascensurus in ardua
Crucem in dolo bajulat,
Erecta demum statua:
Nepotum turba pullulat.
Quos variis
Ecclesiis intitulat:
His influens superflua,
Dissimulat,
Quod vir honestus exsulat,
Non implet vasa vacua,
Sed plena supercumulat.
11. Professus Evangelium
Abit in viam gentium.
Qui sanctæ pacis otium elegerat,
Redit ad ollas carnium.
Regale sacerdotium
Ad carnis improperium degenerat.
Damnabile commercium!
Fit membrum meretricium,
Qui membrum Christi fuerat [93].
12. Quid hic agis, anima miserrima?
Pulsat mors ad ostium,
Carnis ut divortium
Celebrent novissima:

A Hora est undecima.
Nec finem habet ignium,
Aut vermium, vel cinerum
Mors peccatorum pessima [94].
13. Mente quæso cogita sollicita,
Quod incautos rapere sit solita,
Mortis hora subita.
Noli tempus perdere:
Præpropere
Nemo se morti præparat.
Dum te mundus exhilarat,
Dum promittit vivere
Jucundius et longius,
Tunc mors amara separat [94*].
14. Quis aquam tuo capiti,
B Quis dabit tibi lacrymas?
Ut laudes regis inclyti [95],
Fraudesque ducis [96] exprimas?
In regiones ultimas
Planctu discurrat anxio proditis
Nostrique regis captio [97],
Quæ tot affligit animas.
15. Fœda rubigo mentium,
Te pestis avaritiæ
Dux duxit in flagitium
Damnabilis memoriæ,
Hostis Herodes impie,
Invasor Christi gloriæ. Nam regiæ
Non noces innocentiæ,
Sed Christo, sed Ecclesiæ.
16. Flos regum, ducum, procerum
C Iter quod erat liberum,
Sensit inextricabile.
Dum incidit in Cerberum,
Qui facile
Detexit cor ignobile,
Vas Deo detestabile,
Vas scelerum,
Dum crucifigit iterum
Christum in Christi pugile
17. Judas Christum distraxerat.
Dux regem vendit Angliæ
Sed crimen hoc exaggerat
Idolatra pecuniæ.
Nam impie
Pacem cum rege finxerat,
D Dum ei ex improperat, quod fugera,
Relicta crucis acie
Cedens in partes Syriæ.
18. Christi miles in hostiles
Irruebat cuneos.
Dux cum pravis et ignavis
Fabricabat laqueos
In regis captionem:
Sic sævit in leonem

[89] Phil. 3. [90] Matth. 2. [91] Gen. 39. [92] I Reg. 5. [93] I Cor. 6. [94] Psal. 33. [94*] I Reg. 15. [95] R
chardi Anglorum regis. [96] Austriæ Leopoldi. [97] Vide epist. 143.

Vulpeculæ versutos.
Bibe nunc avaritia
Dum puteos argenteos
Larga diffundit Anglia.
Tua tecum pecunia
Sit in perditionem [98].
19. Infidelis et crudelis,
Triumphalem titulum
Crucis Christi polluisti,
Vendidisti populum
Terræ promissionis,
Fili perditionis,
20. Rex revertendi studio,
Firmaverat triennio
Discordiam in gratiam :
Sed tua machinatio
Confirmat in David solio
Tyrannum Babylonis.
21. Quod amicus suggerit,
Fer cum patientia.
Desere palatia ;
Nam curia
Curis, imo crucibus
Et mortibus
Semper est obnoxia.
Figura mundi præterit [99],
Homo cum interierit,
Non sumet secum omnia [100].
Dies nunc peremptoria
Comprehendet, nec descendet
Ejus cum eo gloria.
22. Quidquid dicas hodie : Curiæ
Me juvant deliciæ ;
Quarum præbent copiæ
Quod in votis sim perplexus.
Quo me vertam nescio, præ gaudio,
Dum ad usum gloriæ
Mihi cedit omnis sexus,
Ætas et conditio.
Totus feror ib amplexus
Voluptatis obviæ.
23. Tenent nos in curia,
Cultus delicatior,
Cibus exquisitior, et lautior,
Quod timeor, nec timeo,
Quod augeo
Parentum patrimonia.
Quod intono magnalia.
Me divitum consilia,
Me tenent accidentia
Dignitatum, quas magnatum
Largitur amicitia.
24. Nexus abrumpe curiæ.
Deo te totum immola.
Tempus indulget veniæ

A Ficulneæ parabola [1].
Rachel abscondit idola [2]
Sub fimo pœnitentiæ.
Sumptus perdis et operas,
Si differas oblatam tibi gratiam.
Vincis, regnas et imperas,
Si tangis Christi fimbriam [3],
Et hydriam Samaritanæ deseras [4].
25. Stulti sunt, qui miseri
Volunt sponte fieri :
Non est impatiens Christi clementia,
Sera sufficiens est pœnitentia.
Tu verba garriens Davi, non Œdipi,
Præsagis pessima mihi novissima.
Sed sic intercipi non potest anima,
B Nec est laus ultima
Placere principi.
26. Quid te juvat vivere,
Si vis vitam perdere?
In animæ dispendio,
Nulla est æstimatio.
Si vis, ut te perennibus
Absorbeant suppliciis,
Mors et inferna palus ;
Confidas in principibus [5]
Et in eorum filiis,
In quibus non est salus.
27. Grata est in senio religio,
Juveni non congruit.
Carnis desiderio consentio ;
C Nullus enim odio
Carnem suam habuit [6].
28. Neminem ab inferis
Revertentem vidimus,
Certa non relinquimus
Ob dubia ;
Somniator animus
Respuens præsentia,
Gaudeat inanibus.
Quibus si credideris,
Exspectare poteris
Arcturum cum Britonibus.
29. Divitiæ, tam anxie
Quas acquiris cum tormento,
Ut somnium surgentium
Evanescent in momento ;
D Sine fine tanquam spinæ
Pungunt, angunt, laceram
Scis quid tibi conferant?
Quod servus es servorum,
Dum in his te crucias,
Ut servias
Clientum libidinibus,
Et ventribus equorum.
30. Cur arguor, si perfruor

[98] Act. 8. [99] I Cor. 7. [100] Psal. 48. [1] Luc. 13. [2] Gen. 31. [3] Matth. 9. [4] Joan. 4. [5] Psal. 145.
phes. 5.

Bonis, quæ manus Domini
Dedit ad usum homini ?
Quoties voluero,
Miser esse potero ;
Si mihi soli vixero,
Toti sum mundo perditus.
Benignus Dei spiritus,
Non dedit ista cœlitus,
Ut in dolo nos eludat,
Et per ista nos detrudat,
In puteum interitus.

A 31. O vanitatum vanitas [7],
Quæ est hæc securitas !
Inter hastas hostium
Frendentium ?
Astat mors in januis, et defluis
In omne desiderium :
Sed irruet calamitas
Repente super impium
Voluptatumque brevium
Mutabitur jucunditas,
Æternum in supplicium.

III. — TRACTBTUS DE SACROSANCTIS VENERABILIS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ MYSTERIIS (21).

PROLOGUS.

Invocat auctor Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, ut de SS. Eucharistiæ mysteriis digne scribere possit.

Omnibus in factis, inceptis atque peractis,
Debet præponi Deus humanæ rationi ;
A quo ditatur ratio, res cuncta creatur,
Ut nostris fautor sit principiis, sit et auctor.
Principium verum Deus est, et clausula rerum,
Quo sine quod cœptum fuerit, finitur ineptum.
Debet adorari primus, primusque vocari.
Auctor adoratus primum, primusque vocatus
B Non elongabit se, cultoremque juvabit.
Ergo Deum fateamur eum, sed cunctipotentem
Supplicibus nostris precibus votisque faventem.

Invocatio Patris.

O Pater æterne, qui cuncta regendo superne.
Omnia disponis virtute sacræ rationis !
Carminis esto mei dux et via materiei.
Materiam, metrum, mendacia, prospera, Petrum,
Præsigna, forma, remove, concede, renorma.
Materiam primam da te, Deus, addeque limam,
Qua rem sublimem cœlesti dogmate limem.
Tu faber es prudens, prudenter singula cudens,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(21) De hoc tractatu Joannes Budæus, qui primus edidit : Cum hujus Operis editio, candide Lector ! pene ad calcem decurrisset, allatus est ad me ex Alsatia præsens Tractatus ex vetustissimo ms. codice Bibliothecæ Tabernensis serenissimi et illustrissimi principis Caroli cardinalis Lotharingi, ac Metensium, Argentinensiumque episcopi descriptus, dignusque tum ob antiquitatem, tum ob Anselmi Cantuariensis archiepiscopi nomen, quod præferebat, visus, qui ad hujus operis calcem, ne prorsus excideret, adjungeretur. Verum, dum sedulo totum tractatum excutio, in suspicionem magnam venio, non Anselmum Cantuariensem archiepiscopum, sed Petrum nostrum Blesensem, Cantuariensis archiepiscopi cancellarium (facile enim ob similitudinem cognominum alter pro altero, notior pro ignoto substitui potuit) illius esse auctorem et parentem. Quatuor enim conjecturis adducor, ut ita sentiam. Prima est, quod auctor carminis in Prologo semel atque iterum nomen suum diserte prodat, et appellet se Petrum. Altera, quod consentiat tempus ; nam codex ille ms. cui nomen *Hortulus deliciarum*, attribuitur Heradi a Lansperg nobilissimæ abbatissæ cœnobii Hohemburgensis, quod apud Alsatios exstat in monte S. Otiliæ ; at illam Heradim ante annos quadringentos, ipsique adeo Blesensi æqualem vixisse inde manifeste liquet, quod in S. Otiliæ Vita nuper Friburgi Brisgogiæ Germanice impressa scribatur dictam Heradim anno a Christi ortu 1182, monasterium Trutenhusanum in Alsatia ædificavisse. Quo certe anno Blesensis maxime a scriptis editis florebat, et Cantuariensis archiepiscopi cancellarium agebat. Tertia, quia constat Blesensem non solum poetices gnarum fuisse, ut in præfatione altera hujus Operis te monuimus, sed multa etiam carmina condidisse. Epistola enim 12 a quodam nepote suo postulat sibi mitti versus olim Turonis a se confectos. Et epistola 75 rhythmicum quoddam carmen longissimum C (quo genere et hic Tractatus conscriptus est) ad amicum quemdam transmittit. Quarta, et postrema est, quia stylus et phrasis non dissentit, ac si ex ungue leo, ex vestigio statura Herculis, ex voce homo agnoscitur, liceat mihi et ex gemina phrasi conjicere Blesensem. Primo enim, propria quædam ejus phrasis est, ut dum de præparatione ad S. Eucharistiam agit, *incorporare sibi Christum*, accipiat pro *sumere Christum*, ut epist. 86 : *Tua vero*, inquit ibidem ad Carthusianum quemdam, *sententia est, ut tibi Christum incorpores singulis diebus, non dijudicans corpus Domini*. Et epist. 123 : *Filius*, ait, *plorationis æternæ manu sacrilega, et ore polluto sacramentum, in quo vita æterna est, recipit, ipsumque sibi damnabiliter incorporare præsumit*. In sermone quoque 25 eamdem vocem eodem significatu usurpat. At eadem phrasi utitur primo hujus Tractatus capite, disticho ultimo.

D *Non igitur* inquit, *satis est nasci de Virgine Christum.*
Si suus esuriens homo non incorporet istum.

Deinde de eadem præparatione agens, allegat illam sententiam Sapientis : Cum sederis ad mensam divitis, diligenter vide quæ apposita sunt ante faciem tuam, et appone cultrum gutturi tuo (*Prov.* XXIII ; *Eccli.* XXXI). Eamdem allegat et in hoc Tractatu, cap. 20 his versibus :

Additur huic Salomon sacrum formans paradigma,
In quo mysterium sacri præfulget enigma.
Quando sedes, inquit, ad prandia celsa potentis,
Quos comedas, attende cibos, discrimine mentis.

Neque me ab hac sententia absterrent grammatica carminis vitia ; cum illa, ut pleraque vocabula barbara in omnibus Blesensis opusculis, non ipsi, sed sæculi vitio attribuenda sint. A me autem huic Tractatui nihil accessit, nisi distinctio capitum, et pauculæ censuræ.

Enormes normas, res informesque reformas.
Tu nostræ mentis fabricam sacris documentis
Comple, fecunda, substenta, dirige, munda,
Ut divinorum videat sacra mysteriorum,
Pressa fame verbi, mea mens in tempore Verbi
Vult refocillari, vult verbi pane juvari.
Nam Verbum panis Deus est, Verbum caro panis
Quo nos intus alis, cibus es quia spiritualis :
Hoc ex te natum, non factum, sive creatum
Verbum cuncta regit, hoc tecum cuncta peregit.
Hoc super astra tonat, et in aris pro populo dat.
Rector ibi cœli, cibus hic potusque fideli.
Hunc panem verum, quo vivit machina rerum,
Pande meæ menti, Deus, hunc gustare volenti;
Nutriat unde fidem Christus crucis hostia pridem,
Rursus in altari vult hostia sacrificari.
Vult et in altari nos pane Deo satiari.
Hunc ego, scripturus laudesque novas caniturus
Rex immense, peto, fer opem cœptisque faveto.

Invocatio Filii.

Christe, Patris verbum, sis os mihi, sis mihi verbum.
Nos verbum fictum, quod pertransit cito dictum :
Sed quod ab æthre datum semper manet ex Patre [natum.
In verbo tali, verbo tam perpetuali
Pane salutari possit mens nostra cibari.
Subtrahe te, panem mundo, dimittis inanem ;
Da, mox impletur, vivit, viget atque fovetur.
Christe, ciba mentem te jugiter esurientem ;
Deficit ex toto, te vivo pane remoto.
Tu petra, tu panis, tu janua clausa profanis,
Janua tu cœli populo reserata fideli.
Tu via, pande viam, qua pergitur ad theoriam :
Nemo te certe reperire valet nisi per te.
Duritiam frange Petri, petra, duraque tange
Corda, supernorum dulcedine mysteriorum.
Ut videam clare quis sacræ sit cibus aræ,
Quis fons, quis sanguis, quo vita redit, perit an- [guis.
Janua tu vitæ, pulsanti nunc aperi te.
Hactenus ut clausam reseres quam postulo causam
Res est sub velamine, sed mihi tecta revela,
Lux, Deus, æterna lucens de sede superna,
Cui par majestas est cum Patre, parque potestas.
Huic operi præsto sis, Christe, vocatus adesto,
Rex in præclara dextra Patris, agnus in ara,
Pande tuum numen mihi, funde tuum mihi lumen,
Ut, duce te, tutus scribam tua signa secutus,
Non mea lux ardet, accendere et tua tardet,
Quæ, te luce caret, mens nullo lumine claret.
Spiritus alme Dei par lux utriusque diei :
A Patre procedens natoque, nec inde recedens
Nostris aspira cœptis charismata mira,
Quæ super athletas Domini sanctosque prophetas
Quondam fudisti, canerent ut prælia Christi ;
Tu fons vitalis, sed et unctio spiritualis
Chrismate fecundas sacri baptismatis undas,
Hisque viam pandis animabus vivificandis
Tu male torpentes peccati frigore mentes
A Cœlitus ignitas virtutum dogmate ditas.

Invocatio Spiritus sancti.

Spiritus alme, veni, veniens mea pectora leni,
Quæ peccatorum suffocat spina meorum.
Impedit internam mundi mala cura lucernam,
Ut non sincere valeam tua celsa videre.
Pelle malas curas virtute tua ruituras :
Perque tuum rorem Christi mihi confer amorem.
Esurio Christum, panem mihi deprecor istum :
Hoc homo pane satur, in Christo perpetuatur.
Non reticere quidem volo, quod verbum caro pridem
Rursus in altari caro vult in pane sacrari.
Spiritus ergo bone, cujus summa ratione
Hæc habet effectum res, de sensum mihi rectum,
Ut non de pane Christo loquar hic, nisi sane.
B In quo nil vanum, nil sentitur nisi sanum.
Res est obscura, sed tu dissolvere cura
Hoc sacramentum mihi per fidei documentum.
Tu potes omnimodos Scripturæ solvere nodos,
Quasque prius celas res, cum vis, ipse revelas.
Tu sacer, impinguas mutas a famine linguas,
Et facis exertas, facis ad sacra bella disertas,
Nil sine te scitur, sine te mihi nil aperitur.
Mystica sacrorum resera mihi dona tuorum,
Ignis tu lucens, directaque semita ducens.
Carmen perfectum per collem dirige rectum.
Dirigat ad cœlum mea mens re præduce velum ;
Velum cum navi rege, dirige siderea vi.

CAPUT PRIMUM.

Quod vere una eademque caro sit, quæ nunc in altari de pane consecratur, et illa, quæ de Virgine nata, et in cruce passa creditur fuisse.

C Panis in altari verbi virtute sacratus
Fit divina caro, nostri medicina reatus.
Fit caro non alia, quam Christi nos redimentis,
Plena sacramento, cibus et vegetatio mentis.
Hæc caro quotidie, quamvis caro non videatur,
Panis habens speciem, pro mundo sacrificatur.
Horret natura, rerum stupet ordo, sacratum
De modico panis quondam de virgine natum.
Horret quod Verbum caro factum, fit caro rursum,
Quod naturalem mutat res condita cursum,
Et tamen est eadem caro tunc de Virgine nata,
Et caro nunc verbo vitæ de pane sacrata.
Propter nos homines dignatus tunc homo nasci,
Nunc pius ille suo nos optat corpore pasci.
D Est Deus et vitæ panis datus ut satiaret,
Est effectus homo Deus, ut lapsos relevaret.
Quid datus a cœlo vitæ panis valuisset,
Si redimendus homo patiendo famem periisset ?
Non igitur satis est nasci de Virgine Christum,
Si suus esuriens homo non incorporet istum.

CAPUT II.

Quod mundo fame verbi periclitanti Christus panis homo factus subvenerit.

Verbi dira fames homines aliquando premebat·
Esuriens nec homo, quod manducaret, habebat,
Angelicus panis de cœlis venit ad ima.
Cum jamjam mundum succideret ultima lima.

Qui nostræ carnis palea sua numina velans,
Innotuit mundo Deitatis signa revelans.
Noluit ergo suum pius auctor plasma perire
Descendens, ut homo sua posset ad astra redire.
Totus corruerat, homo, totus erat labefactus,
Occurrit Dominus pereunti victima factus.
Victima sed sancta, sed viva, sed immaculata.
Victima, quæ maculus fugat, ex se sanctificata.
Victima, qua major offerri nulla valebat :
Quæque satisfacere pro nobis sufficiebat.

CAPUT III.

Quod non alius præter Christum pro peccatis Adæ satisfacere poterat, cumque secundum utrumque naturam immortalis esset, sponte tamen pro nobis est mortuus.

Hostia nulla valens, aut sufficiens satis esset
Quæ deleret Adæ culpam, sit Christus abesset,
Nam debebat Adam pro se, nec pauper habebat
Unde satisfaceret, quem culpa gravis prohibebat,
Ipse Deus potuit, nec debuit, ergo necesse
Est ut homo Deus hoc faciat, sine quo nequit esse.
Huic quia cuncta potest Deus, huic et homo quia [debet,
Materiam tali facto res utraque præbet,
Fit de naturis eadem persona duabus
Corporibusque medens nostris, nec non animabus,
Hic Deus, hic et homo, duo sunt, unus vero Chri- [stus.
Alter in alterius personam non male mistus (22).
Qui cum natura foret immortalis utraque (23),
Majestate sua servata justitiaque
Sponte crucem subiit, nisi vellet, non moriturus,
Morte sua vitam nobis sine fine daturus.
Quodque Deus verus non debuit ex deitate,
Hicque beatus homo pro justitiæ gravitate.
Sustinuit tandem fieri divina voluntas,
Quæ res perpetuo disponit numine cunctas.
Cæditur in ligno Christus crucis hostia viva,
Per quem mortalis fieret substantia diva,
Hostia quam felix ! qua mundus et astra replen- [tur,
De qua qui comedent, æternum non morientur.
Hic verus cibus est : hic vera refectio panis.
Quo qui non vivit, fiet spes ejus inanis.
A Hæc est vera caro veri quo pascimur agni,
Per quem sulphurei tepuit violentia stagni.

CAPUT IV.

Quod agnus in lege immolatus et assus, et a populo Israelitico comestus typum Christi gesserit, et succedente vera gratia peroque sacrificio, id est Christo apparente, legales cæremoniæ cessaverint.

Jam non per Moysen agnus populo datur assus,
Agnus Christus adest pro nobis in cruce passus.
Hujus venturi prior exstitit ille figura.
Umbra recessit, adest lux : fit Deus hostia pura,
Hostia solemnis Christus modo sacrificatur.
Mors tamen huic passo semel, ultro non domina- [tur.
Gratia successit, disparuit illa vetus lex.
B Et mundo nova lex; nova lux; novus emicuit rex.
Nil modo placat ovis, nil sanguis agit vitulorum,
Nil holocausta bonum, periit vetus ordo sacrorum.
Jamjam desistit pecudes mactare minister,
Ex quo mactandus venit pius ille magister,
Ergo legem lex; agnum Deus agnus abegit,
Quodque figurabat vetus, hoc novus iste peregit.
Quem velut igne sacro, dum passio coxit amara,
Hostia viva Patri crucis est oblatus in ara.
Cujus utrumque domus signamus sanguine postem,
Et procul a nostris arcemus finibus hostem,
Dum labiis et corde crucis sacra commemoramus,
Corpus et ipsius cum sanguine participamus.

CAPUT V.

C *Quod integer diversis licet in locis immolatus perseverat agnus, totusque a fidelibus in escam vitæ sumitur.*

Qui quamvis totum per mundum sacrificetur
Integer in regno manet : unus semper habetur.
Et cum distribui per particulas videatur.
Sumitur hic totus, cœlo totus veneratur.
Astra solumque replens manet unus Christus ubi- [que,
Nunquam deficiens, ac omnis ad omnia cuique.
Istum namque cibum cibus olim significavit,
Quod Deus Isarel deserta per avia pavit.
Manna fuit populis cibus omnibus omnis in ore,
Pro variis animis vario existente sapore.
De quo qui modicum tanquam qui plus capiebat,

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(22) Impropria locutio; vera tamen si verbis sana subjiciatur intelligentia, quam non obscure auctor carminis indicat, dum ait : *Unum esse* Christum, nempe in persona, quare *hunc Deum, et hunc hominem* non voluit esse *duo*, nisi secundum naturas; nam paulo ante dixerat : *Fit de naturis eadem persona duabus*, Simili loquendi formula jam olim usus est Sophronius in epistola actione 11 VI synodi recitata, dum ait : *Confitemur Christum et unum esse, et duo unum propter personam, duo propter naturas*. Eodem sensu exponendum est, quod mox adjungit : *Alter in alterius personam non male mistus* : neque enim persona hominis, in personam Verbi divini mista est; duæ enim tunc forent personæ in Christo, sed natura humana in *personam Verbi mista est*, id est in divini Verbi subsistentiam assumpta.

D (23) Et hæc impropria locutio est, constat enim Christum naturam humanam a primo conceptionis suæ momento usque ad resurrectionem habuisse mortalem et passibilem, ut definitum est in VI synodo, ut B. Leo epist. 10 docet, ac Damascenus lib. III, c. 28, et lib. *De hæres. contra Aphtardocitas*. Vocat autem auctor carminis immortalem, quia quod mortalis fuerit ex sola Dei voluntate profectum est; cum alioquin jure potuerit esse immortalis, tum propter dignitatem personæ, ad quam assumpta est, tum quia concepta fuerat a Spiritu sancto sine ullo peccato, quod in nobis causa est mortalitatis. Quo sensu B. Damascenus lib. III, cap. 15, ait : *Corpus Christi permissum esse a divinitate agere et pati, quæ propria.*

batur, quia cunctis sufficiebat.
a magnum nostro sub tempore tandem
ausamque parit rex mystica grandem.
iidem Dominus de Virgine matre creatur,
altari corpus de pane sacratur.
dissimiles sunt hic cibus et cibus ille?
s hic Deus est : cibus alter. ut umbra fa-
[villæ.
periit, et edentes hunc perierunt,
n vitæ Christum non esurierunt.
acer et fidei laudabile munus!
omnis adest et sufficit omnibus unus.

CAPUT VI.

is et caro Christi non in merito efficitur ntis, sed in verbo et in virtute Creatoris. a bono nil majus, nec a malo minus perfi-

iunc panem sitit, esurit, hoc recreatur.
vivit adhuc peregrinus homo, vegetatur.
x panis, caro felix, hostia dives!
iomines, qui pascit in æthere cives.
hinc justus magis, aut minus hinc homo
[nequam,
amque sui partem facit omnibus æquam.
umentem trahit ad mortem sua noxa,
n digne sublimat in æthere doxa.
dum presbyteri benedicitur ore,
pravo minus aut magis in meliore.
mundus qui sacræ præsidet aræ,
en nulla valet hoc sacrum maculare.
est virtus, licet impar vita sacrantis,
illud opus homo, sed vis cuncta creantis.

CAPUT VII.

sbyter in consecratione sacrificium comns, et imitans cum lacrymis passionem sit Christus et crucifixus, et sacrificans et tus.

aræ pro sacris presbyter orat
œlestem Deus implet, gratia rorat.
a auperis divina potentia totum,
presbyteri sacrat admirabile votum.
sacrifex est quam Christi simulacrum,
at corpus Christi cum sanguine sacrum.
uos oculos in cœlum cordaque figit,
lo manus et brachia, se crucifigit.
aæ fuerit mors Christi flendo retractat,
carnis Domino velut in cruce mactat.
um Christus offert homo victima factus,
uoem patitur, dum commemorat crucis
[actus.
Qui recto Christus quomodo crucifixus et unctus,
Per fidei membrum cum Christi corpore junctus.

CAPUT VIII.

Quod solus Deus sanctificator et administrator sit sacrificii, presbyter vero tantum minister; quodque eodem verbo caro fiat in altari, quo creata est in utero virginali.

Non alius celebrat, quamvis alius videatur,
Mysterium sacrum verbum Deus hoc operatur.
Verbum namque caro factum sacra verba magi-
[strat,
Et per sacrificem carnem de pane ministrat.
Hic opus, hic opifex Deus est : sacrat atque sacra-
[tur,
Fitque creatura, per quem res cuncta creatur.
Nam res quæ panis pridem substantia mansit,
In Christi carnem Deitatis munere transit.
Nescit homo, nescit, stupet angelus hoc ita factum,
Arcanique sacri pavet inscrutabile pactum.
Nescit quo modulo, quo virtutis documento,
Rex elementa creans, prodit Deus ex elemento,
Sed dextræ Excelsi talis mutatio cedit,
Quo viget omne quod est, cui mundus et æther
[obedit.

CAPUT IX.

Quod cælestium vasorum figulus potest in altari modicam panis portionem in melius, hoc est in carnis suæ gloriam permutare, qui humanitatis nostræ testam assumptam et igne passionis suæ excoctam, de morte potuit ad vitam reformare.

Possibile est illi, qui novit cuncta creare,
Ex alio rursus aliud quiddam renovare.
Molle lutum figulus, cum vult, et quomodo tornat,
Qui nova vasa creans, ea cambit, et aptius ornat.
Paret opus Domino, cui præminet illa potestas
Ut reparare queat, quas vult dissolvere, testas.
Filius ergo Dei virtusque Patris manifesta
Ad nos descendit, quem texit carnea testa.
Attamen hæc testa crucis in clibano bene cocta,
Arte fuit figuli de morte resurgere docta.
Sed sane cocta, quam non aqua noxia mollit,
Quæ mundi maculas, et nostra superflua tollit.
Dura nimis testa, quæ Tartara fortia fregit,
Et redimens hominem cruce, mortem morte sub-
[egit.
Manat ab hac testa summæ bonitatis olivum.
Quod fugat in lavacro, baptismatis omne nocivum.
Testa quidem felix, quæ vitæ fonte repleta,
Corpora nostra fovet, animas, quoque pace quieta.
Hac simili testa divina lucerna resplendet,
Unde sacræ mensæ dapibus benedictio pendet.
Et quia nostra fides abscessit, prorsus inanem (24)

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

ıdosus locus. Quod ad sententiam attinet, or in hoc capite agi de consecratione corınguinis Domini in sacrificio missæ; nam le proxime antegresso, et in sequenti mait de sacrificio. Multorum enim doctorum ma sententia est, utriusque speciei conım essentialiter requiri ad rationem veri eo quod de essentia hujus sacrificii sit nortis et passionis Christi repræsentatio. Unde sequitur sacrificium missæ inane esse, hoc est proprium suum effectum non ante consequi, quam utriusque speciei consecratio perfecta fuerit. Vide Franciscum Suarez., tom. III Disput. in part. III; S. Thom. Disput. 75, q. 83, a. 1, sect. 6. Quod si contendas locum etiam intelligi de iis, qui participes sunt sacrificii, hoc est, de laicis communicantibus; respondeo, ut intelligatur: non tamen aliud hoc carmine effici, quam ritum communicandi sub utra-

In sacra cœna sine vino sumere panem :
A Domino vinum percepto pane petamus ;
Quid sacramenti sit in illo perspiciamus.
Nil edisse prius prodest, si, quando sitimus,
Nulla parte sitim nostram compescere quimus.
Sint desiderii post escas pocula magni,
Præsertim quia carnes assas sumpsimus agni.
Assa caro nobis facit ora magis sitibunda,
Quam teneræ carnes, quas mollis decoquit unda.
Ergo, favente Deo, de mentis fonte propino,
Quidquid mysterii de sacro sentio vino.

CAPUT X.

Quod nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne recte communicatur. Sicut in Melchisedech præsignatum est, qui in typo Salvatoris nostri, panem et vinum simul libasse legitur.

Fertur ad altare vinum cum pane, litatur
B Munus utrumque Deo, cum pascha novum cele- [bratur.
Gaudet utraque Deus. laudans acceptat utrumque.
Per quod mortalem Christum liquet esse, Deumque :
Esse Deum, quia se Christus sub utroque reformat;
Mortalem, quoniam mortem crucis inde renormat.
Illa duo de se tellus et vinea profert,
Presbyterique manu genitori Filius offert.
Quod per Melchisedech fuit olim significatum [8],
Libantem Domino panem vinumque sacratum.
Hujus in historiis patrem reperire nequimus :
Hujus nec matrem, nec avorum nomina scimus.
Quis signatur eo, nisi Christus homo sine patre?
Natus ab æterno de Patre Deo sine matre.
Hunc ego pontificem summum probo, jureque re- [gem,
C Qui penetrat cœlum, qui donat ab æthere legem.
Panis confirmans, hic est, et vitis abundans,
Lætificans animas, et eas a crimine mundans.
Hunc panem, vitem sacram, flos virginitatis
Edidit huic mundo fructum plenum Deitatis.
Hoc de pane caro, de vite cruor sacer exit,
Quæ male ne videant homines sapientia texit.

CAPUT XI.

Profunda cœlestium secretorum ideo Dominus occultari voluit, et perfidis celarentur, et fidelibus meritum de virtute fidei cresceret.

Arcanum cœli Dominus pro tempore celat,
Et poscente fide, cui vult, et quando, revelat,
A nostris oculis ideo sunt ista remota,
Nec penitus nobis, nisi mentis lumine, nota.
Ut sic nostra fides ad justitiam doceatur,
Et fidei major merces exinde sequatur.
Aut ideo voluit Deus hæc arcana latere ;
Ex hoc ne risum posset Judæa movere.
Si cæsi carnes hominis crudas ederemus,
Sanguinis et calicem crudi crudum biberemus,
Ergo cibi potusque sacri ratione fruamur.
Perque fidem non per speciem sursum gradiamur,
Quæ quia corporeo visu, gustuque nequimus
Qualia sint jure discernere, mente velimus.
Mens sacrata Deo gustu probet interiori,
Quod lux, quod lingua sensu nequit exteriori.
Nec modus aut species panis sunt inspicienda,
Imo sacramenti virtus est corde tenenda.
Sed neque de vino quisquam, nisi prospera speret!
Nam menti sanguis, vinum conspectibus hæret.
Sed quamvis vini videatur habere liquorem
Subveniente fide, sacrum liquet esse cruorem.
Hic est ille cruor, qui Christi vulnere fusus,
Ore sacerdotis animarum transit in usus.
Utque sacramento res possit nulla deesse,
Debet in altari vino fons vivus inesse.

CAPUT XII.

Aqua pariter vino admiscetur, quia utrumque simul in cruce de latere Salvatoris emanavit, sanguis videlicet redemptionis, et aqua baptismatis per quod Ecclesia signatur.

Admiscetur aqua vino, qua significamur,
Nos qui salvificis alimentis vivificamur.
Significantur aqua populi, quos gratia munit,
Quos quasi membra suo capiti Christi cruor unit.
Porro, si Domino vinum sine fonte litatur (25),

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

que specie id temporis, licet non ubique, usitatum rationi consentaneum fuisse, eo quod ad expressam refectionis, vel convivii rationem, non cibus solum ad depellendam famem, sed potus quoque ad restinguendam sitim requiri videatur. Non tamen evertit hæc similitudo usum sub una specie communicandi in tota Ecclesia Latina ab annis pene ducentis receptum ; nam et sub una specie, integra, si essentiam spectes, et perfecta refectio continetur; valet enim, qui sub ea exhibetur, Christus non ad famem tantum, sed etiam ad sitim spiritualem depellendam. *Potus* enim *et esus*, inquit B. Cyprianus in serm. *De cœna Domini, ad eamdem rationem pertinent* in spiritualibus, et idcirco ipsa sancta Scriptura spiritualem animæ refectionem, quæ fit per gratiam aliquando declarat similitudine *panis. Eccle*, XV ; aliquando *aquæ. Joan.* IV ; aliquando *potus. I Cor.* XII, et *cibi. Joan* IV.

(25) Auctor carminis in ea opinione videtur fuisse mistionem aquæ in consecratione calicis, non modo esse necessariam, ut schola loquitur, necessitate D præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, ita ut si merum vinum quis tentet consecrare, nihil efficiat. Sic olim docuit quidam apud B. Bernardum epist. 69, atque etiam Armachanus libro IX de quæstion. Armenorum, cap. 9. Huic opinioni causam videtur dedisse B. Cyprianus, dum lib. II, epist. 3, ait *contra divinum mandatum et institutionem fieri, si aqua vino non misceatur*, et infra subdit, *ita non posse consecrari vinum solum, sicut nec aquam solum.* Verbum communis et ab omnibus recepta jam sententia est, mistionem aquæ necessariam quidem esse necessitate præcepti, non tamen sacramenti. Non tamen convenit inter omnes, sitne præcepto divino, an ecclesiastico tantum necessaria. Licet probabilius sit postremum, nec dissentit hujus carminis auctor, ut liquet ex sequenti capite. Vide Francisc, Suarez. tom. cit. disputat. 45, quæst. 74, art. 8, sect. 11.

[8] Gen. 14 ; Hebr. 7.

Passio quod Christi fuerit pro gente negatur.
Nam si, quod redimi deberet, plasma deesset.
Tanta tulisse Deum sine causa non opus esset.
Econtra, si fons vini fuerit sine misto.
Monstratur quomodo gens sola manet sine Christo.
Nil fons salvificus sine sanguine propitiatur,
Et sine fonte sacro sanguis nihil hic operatur.
Sic utrumque simul decet in libamine sisti,
Sicut utrumque simul fluxit de vulnere Christi.
Vitis vera Deus, fons vitæ Christus habetur :
Fons de fonte, cruor de vite venire videtur.
Quare non aliud alio sine sacrificatur,
Deum sic ad plenum sacra passio commemoratur.

CAPUT XIII.

In conseratione Dominici sanguinis prius, videlicet in cœna, aquam vino mistam non legimus, sed ut huic sacramento nihil deesset ad commemorationem Dominicæ passionis, apostoli eorumque successores hoc fieri decreverunt.

Hoc in natali calicis non est celebratum (26)
Quando Pascha Novum Vetus est post Pascha di-[catum;
Nam panem tantum Dominus vinique liquorem
In propriam mutans carnem, sacrumque cruorem
Discipulis legitur cœnantibus attribuisse,
Utque sui memores faciamus idem docuisse.
Mira Dei virtus, qui cœnat, cœna fit idem
Cœnans quotidie nobiscum, sicut ibidem.
Et quoniam lateris de vulnere sanguis et unda
Effluxere simul, ablutio nostra secunda:
Decrevit Patrum veterum censura modesta,
Ut sint illa duo simul ad Paschalia festa.
Ut quod in altari factum crucis esse videtur,
Hoc in honore crucis nunc a nobis iteretur.
Implent mysterium sacrum tria, fons, caro, san-[guis.
Quæ tria nos redimunt, et ab his tribus interit an-[guis.
Unum de tribus his, sacræ qui subtrahit aræ,
Non digne poterit sine causa sacrificare.

CAPUT XIV

Licet vinum et aqua ante consecrationem in altari typice misceantur, post nonnisi sanguis bibitur, quia in sanguinem demutatur aqua, ut populus, qui per illam figuratur in melius se transmutatum, dum ista digne percipit, indicetur.

(27) Sed licet in mensa Domini tria constituantur
Munera : sunt tantum duo postquam sacrificantur.
Est aqua mista prius, sed vino quando sacratur
Non nisi sanguis erit, quo spiritus intus alatur.
A Mystica res dat aquam. Christi cruor ebibit illam,
Nam transfert nostram Deus in sua membra favil-[lam.
Transfert quando suum per corpus ei sociamur.
Perque fidem tanto capiti nova membra creamur.
Transfert et pridem cum chrismatis unctio sacri
Nos populos facit esse novos in fonte lavacri.
Sed lavacri fontem fons vulneris iste figurat.
Et per utrumque Deus animarum vulnera curat.
Quorum corda prius facit in baptismate munda,
Post lavacrum lapsos emundat sanguinis unda.
Ergo duo tantum cruor et caro percipiuntur,
Tertia res types est populorum, qui redimuntur.
Altera res saturat, sed inebriat altera mentem,
Catholicamque Deo confœderat utraque gentem.
B His gemmis gemina substantia nostra resultat,
Quam per Adam veterem mortis sententia multat.
Sanguine vita calet, gaudet caro carne refecta.
Gaudet utroque bono refici mundata senecta.
His renovatur homo peccatis inveteratus
Hisque reviviscit fidei virtute renatus;
His humana suum natura resumpsit honorem.
His serpentinum gaudet superasse furorem.

CAPUT XV.

Quod ante legem et in lege sanctis Patribus regni cælorum janua clausa fuerit; post datam vero gratiam, latroni omnibusque pie pœnitentibus reserata sit.

Jam paradisiacam primus petit incola sedem,
Jamque redemptus homo cœlum sibi vindicat ædem.
C Crux facit hoc, cujus rutilans super omnia splendor
Hostes humani generis prosternit in Endor.
Crux Domini thronus est cœli, barathrique catena.
Crux cœli clavis, via vitæ, mortis habena.
Crux penetrat cœlum, replet orbem, scindit abys-[sum.
Frontibus in nostris crux impressit crucifixum.
Jam thau inscriptum nullius fronte videmus ;
Ex quo signa crucis nobis impressa tenemus.
Mystica signa crucis sacer ille character habebat.
Qui gladium mortis pestemque malam prohibebat.
Nunc quia nos redimit vitalis gratia ligni,
Deletur typici sub signo littera signi.
Crux patefecit iter tendentibus ad paradisum :
Namque quod obstabat jus est fatale recisum.
Ensifer ille Dei cherubim aditu patefacto.
D Christicolas intrare modo sinit ense retracto.
Flammivomus gladius versatilis ille quiescit,
Lætaque Christicolis paradisi porta patescit.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(26) Christum tantum in puro vino consecrasse docuit quoque paulo ante auctoris sæculum Paschasius libro *De corpore et sanguine Christi* cap. 11, et Rabanus lib. *De corp. et sanguine Christi* cap. 28. Et Thom. Walden, tom. III, *De sacramental.* cap. 32. Sed probabilior eorum sententia est, qui existimant Christum in vino aqua misto consecrasse. Sic enim multi veteres asserunt, ut B. Jacobus in *Liturgia:* Clemens lib. VIII *Constitut*, cap. 12: Irenæus libro II, cap. 2. Cyprianus lib. II, epist. 3; Hieronymus in cap. XIV *Marci*; Theodoretus dial. 1; Augustinus, lib. IV *De Trinit*, cap. 24.

(27) *Vide* Ambros. *lib.* IV *De sacrament. cap.* 4, Paschasius *De corp. et sang. Dom. cap.* 11 ; Alger. lib. I, cap. 16.

Intrat quisquis amat, a tempore namque Joannis
Baptistæ, patet hæc sacra janua clausa tot annis.
Cœlum vim patitur, rapiunt illud violenti [9],
Ex quo successit post legem gratia genti.
Gaudet cœlorum rex prædari super astra,
Armaque prædoni dat, ut his adeat sua castra.
Nec jam pro regno certanti damna minatur,
Imo vincenti dat præmia cum superatur.
Utile certamen, felix violentia talis,
Cum sua prædoni prædatio sit venialis.
Et cum jam victus victori præstat honorem,
Cum victor victo se clamitat inferiorem.

CAPUT XVI.

Quod hujus sacramenti perceptione et salutiferæ crucis virtute paradisus homini reseretur, et diabolus superetur.

Primitus obstrusa patriarchis atque prophetis,
Nunc est facta patens latroni porta quietis.
Cui clypeum virtus, mors vitam, spes bona zelum
Contulit, arma fides, Christi confessio cœlum.
Portavere patres pondusque æstusque diei.
Pervolat iste latro prior ad sedem requiei,
Illos ad cœlum non induxere priora.
Prima, secunda sed hunc introduxit brevis hora,
Vexavit Moysen in lege labor diuturnus,
Non huc : denarius tamen æquat utrumque diurnus.
Quodque prophetarum patres prius et genitrices
Non poterant, intrant modo fures et meretrices.
Ecce latro pede post Christi vestigia fixo,
Introit ad regnum crucifixus cum crucifixo [10].
Illa vocata canis credens intrat Chananæa [11].
Vinea dicta Dei gens retro cedit Hebræa.
Perfida! cur refugis intrare, latransque retrorsum,
Non cessas operi pietatis figere dorsum?
Cumque Dei pietas hos suscipiat venientes
Exacuis dentes in eum pietate carentes?
Pone tuam rabiem, quia præteriere priora
Tempora, per Christum succedunt prosperiora.
Quos tua lex lapidare solet, ferroque necare,
Gratia nunc Christi studet ad vitam revocare.
Gratia nunc melior, quam littera, quæ perimebat,
Sub qua justitiæ sol ceu sub nube latebat.
Gratia Messiam jamjam venisse prophetat,
Aspera quæ legis removet juga nosque quietat.
Et tamen exspectas alium, sed disce, require,
Scripta prophetarum, Christum potes hic reperire.
Quem præmonstrarunt lex, angelus, atque pro- [pheta
Christus adest, Christi sunt omnia laude repleta.
Nunc venisse Deum simul acclamant elementa :
Non tamen attendis elementorum documenta;
Nam cœli Regem natum perhibet nova stella [12].
Huncque Deum perhibet præbens aqua vina novella,
Vita defunctos, ægrosque salute beavit.
Sub pedibus cujus mare se calcabile stravit [13].

A Denique cum moritur, sol, lunaque sunt tenebrati,
Terra pavens tremuit, surrexerunt tumulati [14].
Hos quoque quos dudum male captivarat avernus,
Reddidit ad superos, cum rex redit ille supernus.
Et velum templi, lapides, crucis hostia scindit.
Sed nondum saxum quod habes in pectore findit.
Visis tot signis nondum Judæa moveris?
Perfidiæ sed adhuc tenebris male cæca teneris?
Ecce quid exspectas, sed mystica quæque retracta.
Verum Messiam vel per miracula specta
Et quia nuda patent velaminis interiora,
Intra nobiscum, crucifixi numen adora.
Pone tui Moysis densum velamen ab ore.
Cultus disce novos, cultu cessante priore.

CAPUT XVII.

B *Quod Christus nostræ legis lator sit, et noster Moyses, qui nobis de diabolica potestate erietis, agnus paschalis immolatus est, quique per hujus mundi desertum ad regnum nobis promissum nos introducit.*

Si Moysen quæris, Moysen jam perspice Christum.
Nil Pharaonis onus oberit tibi, si colis istum.
Ille fuit typicus, verus nos iste redemit.
Et Pharaoniticam gentem crucis ense peremit.
Hic verus Moyses nos duxit per mare Rubrum,
In fidei lavacro veterem perimendo colubrum.
Hic paschale sacrum statuit melius celebrari,
Agnum pro nobis se passus sacrificari.
Pascha tuum quondam fuit umbra, figuraque veri,
Sol Deus effulsit, tenebrasque monet removeri,
Qui nos mundani deserti per regionem
C Pascit, et ad lactis mellisque trahit stationem,
Pascit in Ecclesia, quoties evangeliorum
Verba recensentur nobis, virtusque sacrorum.
Pascit in altari dum vivificis alimentis,
Esurientis cum reficit pia viscera mentis.
Pascit nemque domi, quando post spirituales
Donat abundanter nobis escas cereales.
Pascit et in cœlo, dum mens super æthera rapta,
Hæret tota Deo, superum dulcedine capta.
Sic panis vitæ Christus non pascit ubique.
Civibus angelicis escam præbens hominique,
Perfida gens igitur patrum caligine fusca,
Ut sis uva ferax desistas esse labrusca.
Molliat imbre suo te Christi gratia demum,
Ut pinguem facias in vitæ vite racemum.

CAPUT XVIII.

D *Quod Dominus noster ipse granum frumenti dictus sit, quod cadens in terram mortuum, resurgensque in semine vitæ multiplicatum sit, de cujus grano multa fidelium grana oria sunt, quæ cum ipso unum in Ecclesia quotidie efficiuntur.*

Me quia detinuit paulum digressio facta.
Propter Judæam mea penna priora retracta.
Quod valet in petra frumenti spargere granum,
Sic, quod Judææ Christum sero, judico vanum.

[9] Matth. 11. [10] Luc. 23. [11] Marc. 15. [12] Joan. 2. [13] Matth. 14. [14] Matth. 27.

men Christum, Judæam petra figurat
litate carens, quæ semper saxea durat.
est frumenti granum, quod terra fidelis
ıinat assidue, reddens sua semina cœlis.
grano cœli sunt horrea multiplicata.
sacra Hierusalem pinguescit eo satiata.
ɔst frumenti granum [15], quod ab æthere venit:
s adeps animas nostras et corpora lenit,
sponte cadens in terram mortificatum
ırius, atque per hoc surrexit multiplicatum.
no multis affluxit corpa garnis,
uibus efficitur nunc vivus in æthere panis.
quoties Christo crescente fide generamur
no grano, quasi plurima grana creamur.
s cum sapimus carnes vel sanguinis haustum,
fit panis unumque fit hoc holocaustum.
sic in carne duo simul esse leguntur [16],
ıtus et Ecclesia sic unum constituuntur.
eus in nobis, et in illo nos habitamus,
caput hic nobis, illi nos umbra paramus.
ınto capiti membrum quodcunque cohæret,
ıristi semper se corpore vivere speret.
semel hinc labens turpi se labe recidat.
Christi membrum meretricis falce recidat,
valet hoc membrum Christi de corpore dici,
l servit Satanæ, quod subditur et meretrici.
aculatus amat sponsus sponsam immaculatam,
ere virgineo sibi cœlitus associatam.

CAPUT XIX.

uisquam membrum diaboli factus ad corpus Do-nicum more Judæ accedere præsumat, quem n tantum prioris culpæ conscientia damnavit, am quod adhuc peccator et immundus ad sa-ım mensam præsumptuose accedere non formi-vit.

propter quisquis non es de corpore Christi,
ı sordescis adhuc, et nondum pœnituisti,
Domini mensam non est tunc accelerare.
i præsumas, Judæ similis videare.
ıs omnimodis se deliquisse sciebat,
ımen a sacris epulis se non retrahebat,
liciter reus hic tam crimine proditionis,
m de contemptu violatæ religionis.
:e judicio Domini mala tanta sequente,
ɔiit Satanas in eum cum pane repente [17]:
ɔ punit eum sententia, pœnaque duplex,
d non ante sacrum fuerit pro crimine supplex,
bet in Ecclesia Judas exempla futuris.
corpus Christi manibus tractent nisi puris.
ı qui cum Juda male percipit, excipietur.
bene cum Petro, caput ad Christum referetur.

CAPUT XX.

l nulli fidelium ignorare liceat Dominici corporis sanguinis sacramentum, quod in Ecclesia cele-atur, ne forte ex eo quod ignorat, ad illum per-piendum censeatur indignus.

ipiunt multi sacra; sed quid percipiatur
A Ignorant penitus, quibus ultio dira minatur.
Ominis id ignorans ignoratur, quia nescit
Unde salus oritur, veniæ fons unde patescit.
Ignoranter homo comedens de sanctificatis
Sicut ait Moyses [18], pœnam feret inscietatis.
Additur huic Salomon [19] sacrum formans paradigma,
In quo mysterium sacri præfulget ænigma,
Quando sedes, inquit, ad prandia celsa potentis
Quos comedas, attende, cibos discrimine mentis;
Nam quid proficiat menti caro vivificatrix,
Scire prius debet ratio virtutis amatrix.
Nos monet hinc psalmus [20] regis simul atque Pro-[phetæ,
Est quoniam suavis Dominus, gustate, videte.
Unde patet quomodo nonnulli presbyterorum
B Ignorant penitus virtus sit quanta sacrorum.
Si bene quæ virtus viget in sacris homo sciret,
Mensam cœlestem nunquam nisi mundus adiret.
Nunc quia non didicit sacra, percipit irreverenter,
Judiciumque sibi sumit, mortemque patenter,
Sicque fit ut Christi caro, quæ datur ad medicinam,
Protinus hic mortis laqueum paret atque ruinam.
Nam, quamvis aliquis sit vitæ religiosæ,
Dum nescit quid agit, vivit sibi perniciose.
Quomodo mysterii sacri defendit honorem
Ejus, qui nondum gustavit mente saporem?
Ut nequit absque fide perfectio stare sacrorum,
Sic sine doctrina non stabit cultus eorum.
Ergo qui nescit, hic discat et hic veneretur,
Ne contemptoris mulcta quandoque gravetur.

C

CAPUT XXI.

Quod presbyterum quemque sacramenta Dominica scire oporteat, quibus subjectum sibi populum eru-diat, et ad veram fidem instruat, sine quibus fungi sacerdotio digne non poterit.

Scire velit primum quid victima sit generalis,
Quid lignum vitæ, quid pastus spiritualis,
Quidve sit ara, calix, quid in hoc aqua fusa, me-[rumque,
Quæ duo sunt unum, postquam sacratur utrumque,
Denique cur calicem crux signet, crux aret aram
Agni pro nobis occisi sangine claram.
Scire velit quid diluvium tulit, abstulit unda,
Unda profunda quidem, sed et ipsa figura profunda
Cur baptismatis insit chrismatis unctio fonti:
D Quidve renatorum crux conferat illita fronti.
Sed quid sacrorum Domini penetramus abyssum?
Omnia scire velit sacrifex, quibus itur ad ipsum.
Talia qui nescit; quid culpa est, quidque gravamen.
Nec sibi nec populo conferre valet medicamen.
Hinc etiam cæcus cæcorum dux male cedit,
Quem sua cum reliquis gravis ignorantia lædit.
Qui vero didicit, quæ scire per omnia debet,
Recte presbyter est, et lucis iter bene præbet.

Joan. 12. [16] I Cor. 10; Gen. 2. [17] Joan. 13. [18] Lev. 22. [19] Prov. 29. [20] Psal. 33.

Quod sacerdos post Christi vestigia gradiens verbumque vitæ populis annuntians, Christus Domini, ipsiusque angelus dicitur, dumque proximum ad agnitionem Dei et amorem cœlestium inflammat seraphinam sortitur dignitatem.

Presbyter est vitæ recte cuivis sacra norma,
Subjecto populo fit vivendi bene forma,
Cujus vita calens veræ virtutis amore;
Dum recte Christum factis imitatur et ore :
Angelus est Domini, sed et ejus Christus habetur,
Qui portare crucem, Christumque referre videtur.
Hic cum sit Christus, sicut pater ex Isaia,
Angelus est summus natus ex matre Maria
Angelus ille quidem per se bonus exstat abunde,
Angelus hic ab eo factus bonus est aliunde.
Nuntius hic debet mandata fidelia cœli,
A cœli Domino populo deferre fideli.
Unde preces populi flentisque gravamina terræ
Ad Dominum remeans quasi noster præco referre.
Qui stans in templo, speculum, fideique lucerna
Contemplando Deum meditandoque sula superna
Frigida corda gregis culpæ fuligine nigra
Quæ pridem fuerant ad vitæ gaudia pigra,
Ad superos revocans fidei facit igne calere,
Et succensa Deo vitæ candore nitere.
Hic talis merito specie splendet seraphina
Proximus unde calet culpæ fugiente pruina.

CAPUT XXIII.

Quod idem sit carbo lucens, qui et seraphim. Nam dum in Ecclesia sancti rectores populum Dei peccatorum tenebris exstinctum, verbo salutis, et exemplo bonæ actionis ad amorem cœlestium reaccendunt, profecto carbones vivi alios succendentes perhibentur.

Sic populus fidei sua post vestigia ducens,
Carbones vivos facit illos carbo relucens.
Sed quid in Ecclesia carbonibus est faciendum?
Thus operum, thymiama precum reor his adolendum
Thuribulum carnis mentisque cremenus utrumque,
Victima quæ placet duplex hominemque Deumque
Nunc de multorum carbonum divite massa
Saltem lingua duos mea dic; ad cætera lassa
Ardens carbo fuit Laurentius, ignis in igne.
Cui crates palmam, mors contulit æthera, digne.
Carbo fuit Domini Nicolaus præsul honestus,
Virtutum cujus splendor procul est manifestus.
Ille cruore rubens carbo carbonibus assus :
Hic meritis ardens olei pinguedine crassus.
Quos dudum genitos nigros errore paterno
Succendi voluit Deus ignis ab igne superno.
Quem non alterius succendat pugna virilis?
Alterius moveat bonitas etiam puerilis?
Illius exemplo mereamur sanguine laurum,
Hujus purgatæ vitæ Domino damus aurum.
Miles uterque Dei dispensatorque fidelis
Ore, manu studit thesauros condere cœlis.
Hos exemplares fidei propono magistros;
Ut doceam per eos altaris quosque ministros
Esse pios, largos, fortes, castos, sapientes.
Rebus in adversis pro justitia patientes.
Tales sunt digni de libro sumere vitæ,
Quos non excludit sententia mortis avitæ.
Tales digna Deo libamina ferre merentur,
Et Domini sacris assistere non prohibentur.

CAPUT XXIV.

Quod valde periculosum sit ad sacramentum corporis et sanguinis Domini accedere, ubi inter angelorum omniumque sanctorum frequentiam ipse summus pontifex Christus se ipsum in escam vitæ vel mortis porrigit singulorum merita subtiliter discernens.

Ergo sacramenta vitæ prudens homo disce,
Judiciumque Dei, dum percipis illa, tremisce.
Terribilis res est et quam multum verearis,
Corpore qui Christi Christo præsente cibaris.
Nam si forte fidem scripturis vis adhibere,
Quæ nos sæpe solent de Christo vera docere;
Tempore quo Christus genitori victima chara
Presbyteri manibus sublimi fertur in ara (28),
Sanctorum polus omnis adest, polus hic reseratur,
Præsentemque Deum grex angelicus comitatur.
Hic vere Christus præsens auctorque sacrorum,
Justorum mentes dijudicat atque malorum.
Novit enim planeque videt, quis debeat uti
Pane salutari, seu damno, sive saluti.
Et licet assistat carnalis presbyter aræ
Summus pontificum sacra dicitur hic celebrare,
Hic panem frangit, hic porrigit, hic benedicit,
Corpus adesse suum quod dat cum sanguine, dicit.
Eia præsumes peccator homo nisi dignus,
Ad Domini mensam vitæque accedere pignus.
Discito quamprimum quid sis, et quid caro Christi,
Et quo vase velis divina stipendia sisti.
Vas nisi sincerum fuerit, quod suscipiuntur,
Illi perditio male qui capit efficiuntur.
Unde monet Paulus se primum quemque probare [21],
Et sic ad panem calicemque sacrum properare.
Quisquis enim Domini corpus dijudicat, ante
Quid sit quod recipit, quantumve Deo reserante
Illud secure comedat tamen ante probatus,
Quem non accusat capitalis causa reatus.
Sed quamvis aliquem culpent peccata minora,
Cum sine peccato nec in una vivitur hora,
Non tamen a sanctis epulis reor hunc removendum,
Imo quod assidue nocet, illud erit redimendum.
Et quia quotidie peccati mole gravamur.
Talibus assidue medicamentis relevamur.
Dispensativa sapientia cunctipotentis
Prævidet, unde queant curari vulnera mentis.

PETRI DE GUSSANVILLA NOTÆ.

(28) Chrys. lib. VI *De sacerdot.*; Gregor. lib. IV *Dial.* cap. 58.

[21] I Cor. 11.

CAPUT XXV.

Quod pro diversitate meritorum Christus in Ecclesia agnus et hædus, ut in lege præfiguratum est, immoletur, ut, sicut beatus Hieronymus dicit, carnibus agni perfectioris, peccatores autem et pænitentiam agentes hædo pascantur.

Præparet ergo Deo suo pectora quisque fidelis,
Fiat ut illius in mundis mensio cœli.
Corda fugit Dominus torpentia plenaque sorde,
Cujus semper inest in mundo gratia corde;
Et quem pauper adhuc virtus compellit egere,
Esuriemque bonam nequit agni carne replere.
Saltem manducet sacri de carnibus hædi,
Qui pro peccato populi solet hostia cædi.
Non homines docet esse pares vetus ordo sacrorum,
Nec mentis ratio, nec disparitas meritorum.
Hinc hædum Moyses jubet agni morte litari [22].
Ac ab utroques typo, vult Christum significari.
Hædus non tamen est hædos qui damnat et odit [23].
Sed quis sit tibi quisque sacri discrimine prodit.
Agnum mactamus, cum justitiam retinemus;
Hædum cum veniam poscentes crimina flemus.
Nec reor absurdum quod in hædo significatur
Christus, qui caper aut hircus plerumque litatur.
Quod lex hunc eremo, lex hunc ultro vetus offert,
Hoc quia sit gemina Christo substantia profert;
Pro foribus templi plebs unum sacrificabat,
In caput alterius sua crimina multiplicabat.
Hunc vivum populique sui peccata ferentem,
A Sic emittebat eremi deserta petentem.
Christus utrique caper [24], nam cæditur in cruce [pendens
Desertumque petens; cum surgit ad æthera tendens.
Qui mala nostra tulit ligno suspensus, ovemque
Inventam retulit ad nonaginta [25], novemque
In dextris pollens Patris Deitatis honore.
Regnat, et in mundo replet aras carne, cruore.
Qui semel occisus licet ultra non moriatur,
Mors tamen ad vitam nobis ejus renovatur.
Christum quotidie devotio presbyterorum
Mactat in altari, mactator et ipse sacrorum.
Panis fomentum vitæ, vinumque sacratur,
In cruce suspensus Salvator commemoratur.
Ara crucis lignum, signatque calix monumentum.
B Hic obit, hic dormit Christus, dat utrumque mo- [mentum.
Agnus in hac, leo fortis in hoc surrexit et ales
Astra petens, aquilas trahit ad se spirituales.

CAPUT XXVI.

Quod sacerdos et quisque fidelium capiti suo, quod est Christus, conformari, eumque ad cælos quotidie spiritualiter sequi debeat.

Ergo bonus sacrifex quoties hæc sacra recenset,
Ut se conformet Christo carnis cruce penset;
Cum vitiis crucifixa caro prius emoriatur.
Vivificata Deo mens surgat, eumque sequatur.
Sic bene commoritur; consurgit, ei quoque vivit.
Sicque redemptus abit homo, quo suus auctor abivit.

IV. — DE PŒNITENTIA.

Pœniteas cito, peccator, cum sit miserator
 Judex; et sunt hæc quinque notanda tibi.
Spes veniæ, cor contritum, confessio culpæ,
 Pœna satisfaciens, et fuga nequitiæ.
Ut dimittaris, aliis peccata remittas,
Hisque satisfacias quos te læsisse fateris.
Sperne voluptates, lusus, spectacula mundi;
Desere consortem pravum populique tumultum:
Secretasque preces et opus pietatis amato.
Omnia peccata plungat contritio vera,
Servans ætates, sensus, loca, tempora, membra.
Deplores acta, noli committere flenda.
Plangas admissa cum commissis et omissis:
Offensasque Dei quod fratrem damnificasti.
Vera sit, integra sit, et sit confessio munda,
Sit cita, firma, frequens, humilis, spontanea, [nuda.
Propria, discreta, lacrymosa, morosa, fidelis.
Pœniteas plene, si vere pœniteat te.
Non per legatum, non per breve, sed refer [ipse:
Compatienti dic, sapienti, dic meliori;
Presbyteris multis prodest si confitearis.
Copia presbyteri si desit, pande sodali.
Corporis ut maculas, animæ sic crimina pandas.
Carne sunt crapula, perjuria, furta, libido:
Mente latet livor, odium, tumor, ira, libido.
C Præcipue pestes septem memores capitales,
Non solum fontes, sed rivos in de fluentes.
Fonte suo rivus magis est quandoque nocivus.
Unde Lot incestus pejor fuit ebrietate,
Atque Cain gravior cædes fraterna furore,
Culparum fontes, sunt fastus, livor et ira.
Accidiæ nævus et avaritiæ, gula, luxus.
Cum singillatim mortalia dixeris uni,
Cuncta simul quæcunque gravant comitantia cul- [pas,
Dic citra factum committere quæ voluisti.
Dic venalia, dic quæ sunt a mente repulsa;
Dic tua delicta, generaliter ista revela
Nam reus in multis quando peccata fatetur,
Vel quævis dicat vel nil dixisse videtur.
D Postremum crimen si pure quis fateatur,
Ille tacere potest quidquid redit et comitatur.
Aggravat ordo, locus, peccata, scientia, tempus,
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Et modus in culpa, status altus, lucta pusilla.
Æger pœniteat et crimina confiteatur.
Non imponatur huic pœna sed insinuetur.
Hanc tamen explebit, si firma salus reparetur.
Si migret absolvat contritum presbyter ægrum,
Huncque preces relevant, jejunia dona suorum:
Ut sit pœna rubor, tibi vilis ut efficiaris,
Doctior ut fias, injungitur ut fatearis,

[22] Exod. 12. [23] Matth. 25. [24] Lev. 16. [25] Luc. 15.

Judicio teget extremo confessio culpas,
Ne videat Deus aut dæmon vel qui facit illas,
Confessor mitis, affabilis atque benignus
Sit sapiens, justus, sit dulcis compatiensque,
Ut crimen proprium celet peccata reorum,
Sit piger ad pœnas, sit velox ad miserandum,
Et doleat quoties facit illum culpa ferocem,
Infundat mulcens oleum vinumque flagellans.
Hunc virgam patris non exserat ubera matris,
Sibilet et cantet, stimulet cum cogit oportet.
In primis quærat contritus quomodo credat,
Si credat corde sane fateatur et ore
Post hæc rimetur peccanis vulnera caute
Contra naturam culpam non exprimat ullam,
Ne super enormi si simplex conveniatur,
De quo nil scivit ad agendum sic moveatur,
Uxor adulterii rea, confessore perito,
Sic luat admissum ne sit suspecta marito,
Sæpe sibi moneat confessor ne recidivet,
Sive relabantur confestim confiteantur
Vitenti causas ad lapsus allicientes
Solliciti pœnam complere satisfacientem,
Observent caute sensus cum pectore renes,
Utque fori judex pro persona prohibetur
Flectere judicium, medicus variare medelas.
Sic animæ judex odio caveat vel amore,
Confessos pœnis onerare vel alleviare,
Ecclesiæ morem vel Patrum scripta sequatur,
A Sitque modus pœnæ juxta moderamina culpæ,
Et tanto levior, quanto est contritio major.
Ut medici curant vario medicamine corpus,
Ut sanant febrem, vulnus quoque sive tumorem,
Sic animæ varias ægre poscunt medicinas.
Opponas igitur animæ contraria morbis.
Propria det cupidus, se castret luxuriosus ;
Invide, livorem depone; superbe, tumorem,
Sobrietasque gulam, patientia comprimat iram ;
Amoveat læsus rancorem, tædia mœstus ;
Potus aquæ redimat excessus ebrietatis ;
Carnis delicias castigat virga flagellans.
Ut bene pœniteat ablatum prædo reponat.
Vestio, poto, cibo, tectum do, visito, solvo,
Commodo, compatior, converto, dono, remitto.
B Flecto genu, vigilo, jejuno, laboro, flagellor,
Vestio dura, pedes nudor, tero cor, peregrinor,
Pœnites, lego, ploro, precor, caro sic maceratur,
Hæc quæ confessis sunt injungenda notabis.
Publica sit pœna, fuerit si publica noxa.
Si lateat licet enormis, lateat quoque pœna.
Hoc est : qui peccat occulte pœniteat clam,
Singula confessor prudentius ut moderetur,
Effectus causæ, vitium, persona notetur.
Ad Dominum sunt hæ festinandi tibi causæ :
Ignis purificans, mors, ægritudo ruborque,
Et cruæ gravitas, et consuetudo ruina.

—

V. — VERSUS DE COMMENDATIONE VINI.

Felix ille locus quem vitis amœnat amœna ;
Illa beata domus, quæ Bacchi munere plena,
Vina dat hospitibus de vitis divite vena ;
Sed domus infelix ubi cervisiatur avena.
Mensurata nimis modo mensuranda lagena.
Infirmata seges non vino imo venena.
Ejus enim potum sequitur dirissima pœna;
Pes titubans, cerebri turbatio, mens aliena,
Turbida mens nescit vitiis imponere frena.
C Dum furit ebrietas in aquis Venerisque catena.
Fervida fermento trahitur caro mentis egena.
Illiciti motus nulla cohibentur habena,
Dum bibitur Lethæa palus, iterumque serena
Mingitur, in lapidem renum concrescit arena ;
Quam nisi cum ferro nec ejicit ars galiena.
Plus valet ergo mihi vinum cum paupere cœna.
Quam tibi cum potu de furfure fercula dena

—

VI. — RESPONSIO AD QUEMDAM, CONTRA CERVISIAM.

Scribo sed invitus, invitat enim grave vitis
  Me probum gravius improbiusque loqui.
Improbe, quid reprobas, quod pagina sacra, quod [usus
  Quod probat utilitas ipsa, quod ipse Deus.
Per verbi verbum de vitis munere munus
  Conficitur vitæ sanctificante manu.
Hinc ubi conficitur Christi cruor hinc procul [absit,
  Potus furfureus sulfureusque liquor.
In vinum convertit aquas prece matris aquarum
  Conditor, at nunquam cervisiavit eas.
Cur igitur vino præfertur simia vini,
  Horrendumque genus degenerantis aquæ ?
D Mutuat a vino quod inebriat et quod acescit.
  In solis vinum sic imitata malis.
O labor infelix damnataque sollicitudo.
  Quæ studuit quod aquis ebrius esset homo !
Objicis incestum Lot vino ? non ibi vini
  Culpa, sed in vino non habuisse modum.
Peccavit potor, non potus, ut in patre primo
  Non citus in culpa sed gula sola fuit.
Quidquid agis, peccas, nisi sis moderatus et ipsam
  Justitiam librat, justificatque modus.
Magna quidem cercebri est turbatio, quod cere- [brose
  Cervisiam laudat cervisialis homo.
Cognata urinæ, fæcis germana videtur,

Non hominis potus sed cibus esse suis.
Ut breviter signes quid et unde sit aspice signum
Corvisiæ factum stramine, fæce litum.
A Dum sine felle locor, quia te cognosco jocosum.
Jucunde admittas et sine felle jocum.

VII. — CARMEN ACEPHALUM.

Qui mea scripta leges, poteris perpendere, reges
Quando venerunt qui mystica dona tulerunt.
Per stellam ducti veniunt aliterque reducti
Cursu festino properant dantes tria trino.
Regibus expletæ sunt tresque decemque diætæ,
Si bene perpendo mora parva fuit veniendo
Rege fero spreto rediere magi pede læto.
Rex est seque regit recte, quisquis bene degit,
Quidem de telis regitur plebs quæque fidelis.
Sic recte credit jussisque regentis obedit,
Gratia præcedit et adest nunquamque recedit :
Stella quisque duce vera fruitur modo luce.
Gratia si qua datur quæ prævenit ipsa sequatur
Fortes athletas facit has copulare diætas.
Absque fide pura nulli sit vivere cura,
Per quam completa sit semper prima diæta
Mente sequens munda spes nam diæta secunda,
Tertia subsequitur, aliis major reperitur.
Cordaque sincera facti hæc dilectio vera,
Sit mens contrita quod sit tibi cœlica vita :
Cordeque contrito devote vivere scito.
Præmia sunt certa si mens contrita reperta.
Lingua loquax orix dissolvat claustra pudoris,
Te manifestante quid peccasti reus ante.
Ut cito purgetur quidquid tua culpa moretur.
Si vis mundari, nunquam cesses operari,
Quidquid præcipitur ad fidem taliter itur,
Ut tibi sit præsto quod sæpe rogas ; vigil esto
Carnis jumento sic frena tenere memento,
Ne lascivire liceat vel longius ire.
Hoc jejunando facies carnemque domando.
Protinus absque mors solito devotius ora,
Nec claudas ora nec cesses qualibet hora ;
Sit labor hic motus sit decorus tibi motus.
Ut caro sit macra studeas loca visere sacra.
Spernere se, sperni scio muneris esse superni,
Quæ superexcellit patientia noxia pellit,
Mitis pacifica tolerando vincit iniqua;
Ultima virtutem retinet conferique salutem.
B Hoc est præceptum, cito perfice jam bene cœptum ;
Laus tibi multa datur, si cœptum perficiatur,
Talia sunt pacta, semper probat exitus acta ;
Taliter expletis stella ducere diætis
Expedit oblata Christo sint munera grata,
Quodque Deum norant pronum reverenter adorant.
Tres tira dant Christo vivo parvo prius esto
Aurum cum thure . . . myrrham moriture
Hoc summum sapere signat Dominumque timere
Si dederis thura mens offertur tibi dura.
Ut bluos ascendit, sic sursum mens bona dendit,
Myrrha licet rara mortis designat amara.
Te sic impropera quod mors si cordis in ara.
Sic vivas æque memorando novissima quæque,
Quod semper fili caveas a crimine vili.
Si vir Catholicus, humilis, pius atque pudicus,
C Offerat hæc dona, dabitur tibi digna corona.
Lætantur vere qui talia dona tulere,
In quorum numero gaudens ego vivere spero.
Detersi sordes mundato denique corde
Christo devoto rex offerat hæc tria vota
Hoc trinum munus acceptet trinus et unus,
Christo præstante, qui rex est et fuit ante.

AD OPERA PETRI BLESENSIS
APPENDIX

Continens chartas quorumdam episcoporum et regum quæ conferunt ad elucidationem epistolarum ejus et notarum.

(Opp. Petri Blesensis curante Petro de Gussanvilla.)

I.

Ad epist. 44. — Litteræ Henrici Bajocensis episcopi de donatione facta capitulo Bajocensi de domo Conani thesaurarii.

(Ex archivis capituli Bajocensis, dono V. Cl. Philippi Taron, subdecani et canonici Bajocensis.)

Universis S. Matris Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, ad quos præsens scriptum pervenerit, Henricus Dei miseratione Bajocensis Ecclesiæ minister humilis salutem, in eo in quo est omnium salus.

D Cum deceat pii patris affectionem circa filiorum profectum sedulam esse et sollicitam, eorum præsertim, qui in Ecclesia Dei divinis laudibus propensiori cura insistunt; nos attendentes, quanta devotione et vigilantia dilecti in Christo filii nostri canonici Bajocenses diu, noctuque divinis insudent officiis; decrevimus eos ad præsens de nostra largitione aliquantula remuneratione ad uberiorem in

Dei laudibus vigilantiam excitare. Eapropter divina A duntaxat consideratione permoti, dedimus in perpetuam eleemosynam præscriptis filiis nostris S. decano et capitulo Bajocensi domos Conani quondam thesaurarii nostri cum omnibus suis adjacentiis perpetuo possidendas, quas et Wilellmum de Herecort quondam thesaurarium Bajocensem de largis tione piæ recordationis viri Philippi episcopi prædecessoris nostri constat assecutum; et post ejudecessum eodem episcopo largiente Simon de Scicavilla canonicus noster adeptus est. Idem itaque capitulum recte considerans S. ejus decanum habitationem habere in urbe Bajocensi, sibi et familiæ suæ minus sufficientem, dedit ei easdem domos, et decanis in Ecclesia nostra sibi canonice substituendis perpetuo jure possidendas, reddituras eis domorum earumdem nomine annuatim sex libras Andegav. unanimi fratrum assensu; statuens, ut post memorati S. decani eadem pecunia capitulo disponente distribuatur clericis de choro, qui die anniversario obitus sui celebrationi interesint; viginti B tamen solidi de summa illius pecuniæ sumpti de eadem in pane pauperibus distribuentur; ipsum enim justa ratione permoti ab ejusdem pecuniæ præstatione liberum in vita sua esse volumus et immunem. Volentes igitur quod solemniter actum est, imposterum perpetua gaudeat firmitate, id præsenti charta sigillo nostro munita dignum duximus confirmare.

II.

Confirmatio ejusdem donationis facta a Richardo Anglorum rege.

(Ex eodem.)

Richardus, Dei gratia rex Angeliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ comes Andegavens, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiæ seneschal. Vicecomiti præpositis et omnibus, baillivis et fidelibus suis, salutem.

Sciatis nos concessisse et præsenti charta nostra C confirmasse Henrico Bajocensi episcopo domum lapideam quæ fuit Conani thesaurarii cum toto mænagio, et virgultum ejusdem Conani, quod est extra murum Bajocensem, juxta præfatum mænagium, cum omnibus pertinentiis suis. Quare volumus et firmiter præcipimus, quod præfatus episcopus, vel cui dedit, habeat et teneat præfatam domum et virgultum cum omnibus pertinentiis suis secundum continentiam chartæ Patris nostri bene et in pace, integre et honorifice. Testibus Wal. Rothomagensi archiepiscopo, II Corinthio episcopo, com. Willelmo de Mandeville, W. filio Rad. seneschallo Normanniæ, Roberto de Harecorit.

Datum per manum Willelmi de Longo Campo cancellarii nostri, XVI die Septembris, apud Wintori, anno I regni nostri.

III.

Litteræ ejusdem episcopi de donatione facta capitulo Bajoc. de decima Forestæ de Nuilleio et de D *Racineto.*

(Ex eodem.)

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, Henricus Dei gratia Bajocensis episcopus, salutem in Domino.

Notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris, quod nos attendentes fratres et canonicos nostros non sine multo labore et impensis posse facere assiduitatem juxta servitium Ecclesiæ nostræ, dedimus eis in augmentum communionis suæ perpetuam decimam Forestæ de Nuillcio et decimam nemoris de Racineto, et duas partes molendinorum de Maisnil Bajoc. Ut autem eorum quies in suo statu sine omni sollicitudine conservetur, hanc donationem in scripturam redegimus, ipsam sigilli nostri attestatione munientes.

Actum est hoc anno Verbi incarnati 1181' II Non. Novemb.

IV.

Litteræ Urbani papæ III pro annualibus præbendarum decedentium cononicorum Bajocensium.

(Ex eodem.)

Justis petentium desideriis, etc. *Vide in Urbano, Patrologiæ t.* CCII.

V.

Litteræ Lucii papæ III pro sepultura episcopi et canonicorum Bajocensis in eccesia cathedrali.

(Ex eodem.)

Referente dilecto filio magistro Radulfo, etc. *Vide in Lucio III, Patrologiæ*, t. CCI.

VI.

Ad epist. 66. — *Charta Henrici II Anglorum regis pro abbatia de Voto in Normannia.*

(Ex veteribus membranis, CI. V, D. d'Herouval.)

Henricus, Dei gratia rex Angliæ, et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ justitiariis et baillivis Normanniæ, salutem.

Sciatis me concessisse pro amore Dei, et petitione dominæ meæ Mathildis imperatricis, abbatiæ Sanctæ Mariæ de Voto juxta Cæsaris-Burgum, et canonicis ibidem Deo servientibus, quidquid juste datum vel venditum eis fuit de meo dominio in burgo, vel in villa. Quare volo, et firmiter præcipio, ut præfata abbatia bene, et in pace, libere, et quiete, cum omnibus consuetudinibus et libertatibus suis omnia tenementa sua tenet in bosco, et in plano, et teloneo, et tallagio, rovagio, et feria et foro; et prohibeo ne quis eis vel hominibus vel rebus suis super hoc aliquam injuriam vel gravamen faciat. T. Man. Bisech. dapllero regis apud Rothomagum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum fecimus sigillum apponi.

Actum apud Cæsaris-Burgum, anno Domini 1278, mense Septembri.

VII.

Alia donatio ejusdem regis eidem abbatiæ de Voto.

(Ex eodem.)

Henricus, Dei gratia rex Angliæ, et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegavensis, archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus et omnibus ministris ac fidelibus Normanniæ, salutem.

Sciatis me pro Dei amore concessisse, et sigilli mei munimine confirmasse abbatiæ Sanctæ Mariæ de Voto, quam domina Mathildis imperatrix mater mea proprio censu fundavit, et canonicis ibidem Deo servientibus Ecclesiam Sanctæ Margaretæ de Tilia cum omnibus pertinentiis suis, eremum Sancti Richardi cum omnibus pertinentiis suis, eremum Sancti Mardini de prato. Similiter et quidquid Rogerius de Magnevilla tenuit, in manerio Othevillæ, Sicut charta ejusdem Rogerii testatur, et tres partes molendini Tiolphi de Accato dominæ matris meæ, et marram, quam tenuit Robertus capellanus juxta Hogam, et terram de venditione Willelmi de Cartigneio, apud Jorboch, et terram apud Prædrevillum de concessione Willelmi de Braiosa. Et præterea quascunque terras, vel mansuras jam dicta abbatia et canonici in Cæsaris-Burgo justis donationibus et acquisitionibus adepti sunt. Quare volo et firmiter præcipio, quatenus prædicta abbatia, quæ ratione fundationis ad meam specialiter dominationem nullo mediante pertinet, et canonici mei omnia tenementa sua, omnes justas possessiones suas tam ecclesiasticas quam sæculares, cum omnibus libertatibus suis per totam terram meam, scilicet in burgo, in villa, in bosco, et plano, in viis et semitis, in aquis et piscariis, in feriis et foris, teneant et possideant

libere et quiete, et pacifice, et absque omni exactione telonei, foagii, gablagii, stellagii, taillagii, pasnagii, et omnis servilis consuetudinis ad me pertinentis. Testibus Waltero Rothomagensi archiepiscopo, comite Willelmo de Magnevilla, et Willelmo de Mera, et pluribus aliis apud Cadomum.

VIII.

Alia donatio ejusdem regis eidem abbatiæ.

(Ex eodem.)

Henricus, Dei gratia rex Angliæ et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, baronibus, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis Francis, et Anglis, et Normannis, salutem.

Sciatis me dominæ matri meæ Mathildi imperatrici concessisse capellaniam de Valonges, cum omnibus appendiciis suis, ita bene, integre et plenarie, sicut unquam melius fuit tempore Henrici avi mei regis. Propter hoc etiam quoddam membrum marrerii de Sanctæ Mariæ ecclesia, scilicet novam villetam ad dandum in perpetuam eleemosynam abbatiæ Sanctæ Mariæ de Voto, quæ est juxta Cæsaris-Burgum, ab ipsa domina fundata. Similiter et locum me concessisse sciatis, scilicet insulam Willelmi in qua ipsam abbatiam sitam esse constat, pro animabus Henrici avi mei et domini patris mei G. ducis Normannorum et Andegavensis comitis, omniumque antecessorum nostrorum, pro salute nostra et statu regni nostri. Volo itaque et præcipio, quod præfata abbatia ita honorifice et quiete, et libere cum omnibus consuetudinibus et libertatibus suis suprascripta teneat. sicut ulta abbatia totius Normanniæ melius, et quietius, et liberius tenet. Testibus Herb. Abrincensi episcopo. Thoma cancellario regio, Man. Bileiht dapifero regis, Rogerio de Calleyo apud Rothomagum.

IX.

Charta Henrici II, Anglorum regis pro abbatia de Baugeseio, vulgo de Baugerais, *ordinis Cisterciensis.*

Henricus, rex Angliæ, dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, et archiepiscopo Turonensi et justitiariis, et omnibus ministri et fidelibus suis Turoniæ et Normanniæ, salutem.

Sciatis me concessisse, et præsenti charta confirmasse fratribus de Baugeseio locum de Baugeseio, in quo habitant, et quidquid eis datum est, vel dabitur rationabiliter. Præterea concedo, quod prædicti fratres sucipiant Ordinem et imitationem de ecclesia S. Barbaræ in Normannia (*Sainte-Barbe en Ange*). Quare volo et firmiter præcipio quod prædicti frates prædictum locum suum habeant, et teneant, et quidquid eis datum est, vel datum fuerit rationabiliter, in pace, et quiete, et integre, et honorifice, et prohibeo, ne inde aliquam faciatis injus riam vel contumeliam fieri permittatis. Testibu- Hugone abbbate de Landesio (*Abbaye Landais*). Richardo de Hum connest. Richardo de Camilla. Roberto de Briet. Stephano de Turon. Gaufrido Forest. apud Castillionem in Bituria (*Châtillon sur l'Indre*).

IX *bis.*

Alia charta ejusdem regis pro abbatia de Oratorio vulgo de Louroux *Andegavensis diœcesis.*

(Ex eodem.)

Henricus, Dei gratia rex Anglorum et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, seneschallis, præpositis, et omnibus baillivis, et fidelibus suis totius terræ suæ, salutem.

Sciatis me dedisse in liberam et perpetuam eleemosynam, et præsenti charta mea confirmasse Deo, et abbatiæ de Oratorio locum de Baugeseio, cum pertinentiis suis, ad construendum ibi abbatiam or-

A dinis Cisterciensis, et omnes alias donationes, quæ rationabiliter factæ sunt, vel fient ipsi loco de Baugeseio. Quare volo et firmiter præcipio, quod prædicta abbatia de Oratirio, et eadem abbatia de Baugeseio locum prædictum cum omnibus pertinentiis suis, et omnes alias donationes, quæ vel eis rationabiliter factæ sunt vel fient, et omnes rationabiles perquisitiones suas habeant, et teneant bene, et in pace, libere et quiete, integre et plenarie, et honorifice, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in agris et molendinis, in vivariis et stagnis et piscariis, in viis et in semitis, et in omnibus aliis rebus ad eas pertinentibus, et cum monibus libertatibus, et liberis consuetudinibus suis. Concedo etiam, ut monachi Deo servientes in abbatia de Baugeseio, quieti sint, et firmam pacem habeant per totam terram meam de teloneo et passagio, et omni consuetudine ad me pertinente, de omnibus suis, et de pannagio propriorum pecorum suorum
B in boscis et forestis meis. Testibus Gaufrido Dure priore de Lochis. Willelmo abbate de Daurat, fratre Rogero eleemosynario meo, Stephano de Tyron seneschallo Andegavensis, Willelmo de Hostili, Henrico de Muntbasun præposito de Lochis. Apud Bellum-locum, juxta Lochas.

X.

Littera per quam apparet Hervæum abbatem Villælupensem dedisse fratribus ordinis Carthusiensi, locum Ligeti, Henrico, II, rege Anglorum, comite Andegavensi postulante circa annum Domini 1173.

(Ex chartulario abbatiæ S. Salvatoris Villelupensis pag. 125, ex dono D. abbatis de Villeloin.)

Firma rerum gestarum memoria scripto conservatur, atque contentionis occasione e medio removetur. Hanc itaque duplicem considerantes utilitatem litteris notificare curavimus tam posteris quam præsentibus, quod dominus Henricus abbas S. Salvatoris Willælupensis concessit cum assensu to-
C tius capituli sui fratribus Carthusiæ locum illum, qui vulgo Ligetum appellaur, cum pertinentiis suis, intuitu charitatis, et precibus domini Henrici regis Angliæ, ducis Normanniæ, comitis Andegaviæ et prece domini Stephani seneschalli, jure perpetuo possidentum. Ita tamen quod dominus rex gravedinem Villælupensis domus diligenti animo considerans dedit Villælupensibus fratribus centum libras, et quitare fecit duos Halietos, quos ipsi de Chepdone debebant. Hoc autem factum est in manu Guillelmi prioris, et fratrum, qui cum eo tunc temporis manebant, fratris Herberti, et fratris Guillelmi, et fratris Martini, et in præsentia plurimarum personarum, Mauricii Belli-loci abbatis, et domini Gaufredi abbatis S. Julian Turonensis, præsentibus etiam legatis ipius regis Stephano seneschallo, Guillelmo Cloet, Archembaudo de Vindocino, Hervæo præposito de Lochis, Goffrido Besogner, atque ingenti multitudine monachorum; Dionysio scilicet,
D Arnulfo, Rodulfo. Haimerico, aliisque clericorum et laicorum quamplurimis, scilicet Raginaudo de Sinapariis, Joanne Normanno, Thoma Raier, Gaudrico, Odulrico et pluribus aliis.

XI.

Donatio ejusdem regis ecclesiæ Fontis Ebraldi de Ponte-Sacii.

(Ex veteri membrana D. d'Herouval.)

Henricus, Dei gratia rex Angliæ, et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis, salutem.

Sciatis me concessisse et dedisse, et præsenti charta mea confirmasse Deo, et ecclesiæ Beatæ Dei genitricis Mariæ de Fonte Ebraldi et monialibus ibidem Deo servientibus, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum Pontem Sacii ita libere et

quiete, sicut aliquis antecessorum meorum eumdem Pontem ipsi Ecclesiæ melius et liberius concessit habere; vicariam etiam ejusdem Pontis cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus ad comitem Andegavensem pertinentibus concedo eis et confirmo. De furto autem, et sanguine, et raptu, et de aliis omnibus fore factis concedo eis justitiam et omnem quæstum; retenta mihi per Ballivos exsecutione justitiæ de vita et membris. Cujus quæstum omnimodum dono eisdem et concedo; et id mihi non retinui, nisi quia non est religiosarum personarum et vita vel judicare; sunt autem hæ consuetudines ejusdem Pontis etc. Quare volo et firmiter præcipio quod ipsa ecclesia Fontis-Ebraldi et sanctimoniales in ea Deo servientes, omnia prædicta habeant et teneant bene, et in pace, libere, et quiete, integre, et plenarie, et honorifice, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut ea ipsis concessi, et charta mea confirmavi. Testibus Guillelmo Cœnomanensi episcopo, Gaufrido Andegavensi episcopo, Roberto Nannetensi episcopo, Stephano Redonensi episcopo, Richardo et Gaufrido filiis meis comite Willelmo de Mandemst. Falcone de Monstach, seneschallo Pictaviensi, Stephano de Turonis seneschallo Andegavensi, Mauricio de Creon. Vegis, Gaufrido Perticensi, Petro filio Guidonis, Willelmo de Hostilli, Durando Pincer, Guilleberto Gardarobb. Apud. Andeg.

XII.

Copia fundationis abbatiæ Savigniaci in Normannia.

(Ex veteribus membranis D. d'Herouval.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod ego Radulfus Silgeriarum dominus, pro amore Dei ac salute animæ meæ, et antecessorum ac successorum meo, rum, cum uxore mea Amicia et filiis mei Matthæo-Francisco, Galone, Henrico et Roberto, dono et concedo Deo et domino Vitali Eremitæ in possessionem et cœnobiale domicilium Monachorum Forestam de Savigneio, sicut cingitur tribus aquis Chamba, Chamberna et Nigra aqua. Præterea do concedo, et præsenti charta constituo in dotem et hæreditatem cœnobialis domicilii præter ea, quæ monachi inhabitantes ibi possunt acquirere, mille libratas terræ annui redditus in terra mea Silgeriaci, ubicunque et a quibuscunque voluerint, tam ex dono quam ex emptione, quas extune eisdem con firmo, sicut jam eas possiderent, volens et concedens quod prædicti monachi habeant in cæteris prædictis et hominibus in illis manentibus tantum jus, tantam justitiam aliam et bassam, tantam dignitatem, tantam franchisiam, tantam potestatem cum omni jure et dominio, quæ ego et antecessore mei et successores habere possemus in terra nostra dominica; et quod ipsi monachi et eorum homines habeant in tota terra mea, cum meis hominibus communionem generalem. Et hæc omnia prædicta ego et uxor mea et filii mei prædicti Deo reddidimus et ejus servitio dedicavimus, sic ad tenendum de ipso Deo ipsis monachis confirmavimus libera et quieta cum omni justitia alta et bassa ab omni consuetudinie, et servitio, et exactione, et curia, et homagio, et corvea, et contradicto, et resorto, et omnimodo quæstu penitus absolvimus; nihil nobis vel successoribus nostri in omnibus prædictis, prout dictum est, ratihabitionem omnino retinentes. Ita quod nec nos, nec successores nostri in prædictis omnibus aliquam justitiam de cætero, nec in hominibus de dictis monachis dictas terras tenentibus poterimus exercere quo modo et si aliquem hominum ipsorum a nobis pro fores-facto præsenti seu successoribus nostris arrestari contigerit, eum in statu in quo fuerit tenemur reddere sine dilatione dictis monachis, quoties ab eisdem fuerimus requisiti; et inde justitiam facient secundum quod viderint expedire. Hæc donatio confirmata est, et sigilli mei Radulfi impressione munita, anno ab Incarnatione Domini 1112, indictione v, epacta XXVIII, Kalendas Februarii.

XIII.

Confirmatio fundationis abbatiæ Savigniani facta ab Henrico II, Anglorum rege.

(Ex eodem D. d'Herouval).

Henricus Dei gratia rex Angliæ, et dux Normanniæ, et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis abbatibus comitibus baronibus, justitiariis, baillivis, vicecomitibus, et omnibus ministris, et fidelibus suis, salutem.

Sciatis me concessisse et præsenti charta mea confirmasse, ecclesiæ, sanctæ Trinitatis de Savigniaco, et monachis ibidem Deo servientibus, omnes subscriptas donationes, quæ eis factæ sunt, scilicet ex dono Radulfi Silgeriarium domini, Forestam Savigniaci, sicut cingitur tribus acquis, Chamba, Chamberna, et Nigra aqua, etc. Omnes has terras, omnesque eleemosynas, quæ hic enumeratæ sunt, et omnes alias, quas possident, et quas Deo propitio tam ex dono quam ex emptione poterunt acquirere, concessi, ut dictum est, ecclesiæ et monachis Savigniaci, liberas et quietas, cum omni justitia alta et bassa, et jure, et dominio ab omni servitio et consuetudine absolutas, et ipsam abbatiam et omnes possessiones ab eam pertinentes, et omnes homines eorum ubicunque sint, et de cujuscunque dono sint, in tota terra mea assumpsi in manu, et custodia, ac protectione mea, sicut dominicas et proprias eleemosynas meas: et ideo volo, et præcipio, et firmiter constituo, ut eadem abbatia et monachi, et fratres, et famuli eorum, et homines et omnes res ad ipsos pertinentes, per totam terram meam acquisitam et acquirendam a me et a successoribus meis, habeant firmam pacem, et perfectam libertatem, et omnem quietantiam in mari, et in terra, in bosco, et in plano, ab omni consuetudine, et servitio, et exactione, sicut eleemosynæ Deo dedicatæ, pro remissione peccatorum nostrorum, et redemptione animarum nostrarum. Quare volo, et firmiter præcipio, quod abbatia prædicta de Savigniaco, et monachi in ea Deo servientes, hæc ista et omnia alia quæ nunc possident tam ex dono quam ex emptione a quibuscunque, et ea quæ in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poterunt acquirere, habeant, et in perpetuam eleemosynam retineant, cum omni justitia alta et bassa et omni jure et dominio, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus, et quietantiis suis, ita quod omnia prædictis monachis et eorum hominibus pertinentia, et quieta de omni teloneo et passagio, et pontagio, pasnagio. cohuagio, pallagio, servitio, hominagio, hostico, taillia, et omni auxilio tam assueto quam non assueto, et omnimodo quæstu et querela, et omni alia consuetudine et servitio, et exactione per totam terram meam, in ecclesiis, et decimis, et terris et hominibus in bosco, et in plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendino, in vivariis, et stagnis et garennis, et piscariis, et mariscis in bricheminis, et semitis, et omnibus aliis locis, et aliis rebus, cum omnibus libertatibus, et liberis consuetudinibus suis, et in villis, castris, ita bene et in pace, libere, et quiete, et honirifice, sicut propria dominica mea, et sicut eleemosyna Deo dedicata, pro remissione peccatorum meorum, et omnium antecessorum ac successorum nostrorum; et nihil nobis vel successoribus nostris in omnibus præter divinam retributionem retinentes, et quod ad nostram et successorum nostrorum pertinebunt successionem. Et est sciendum quod ego concessi ex dono meo proprio prædictis monachis de Savigniaco quod possint tradere suas terras ad qualescunque consuetudines voluerint. Et poterunt suos homines se ubicunque voluerint, et in quamcunque partem terræ suæ convenire, quotie cunque sibi viderint expedire, nonobstanti-

bus patriarum consuetudinibus quibuscunque. Hæc autem mea confirmatio atque concessio facta est anno ab Incarnatione Domini 1157, anno scilicet regni mei Angliæ tertio, ducatus vero Normanniæ octavo testibus his magistro Valtero de Const. Oxenef. archid. Rad. Herefordensi archidiacono, magistro Jocelino Cestriensi archidiaconis, Wuillelmo filio seneschalli Normanniæ Radulf. de fil. Seherio de Quincy, Bertrando de Verduo, Willelmo de Solatiis, Reginaldo de Paveillie, Uting. de Mornist, et multis, aliis apud dom. Frontem.

XIV.

Alia confirmatio ejusdem regis pro fundatione Savigniaci.

(Ex eodem D. d'Herouval.)

Henricus, Dei gratia rex angliæ, et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, justitiariis, baillivis, vicecomitibus, præpositis, ministris et omnibus fidelibus suis totius terræ suæ, salutem in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Notum sit vobis præsentibus atque futuris, quod ego pro amore Dei et salute animæ, meæ et ad animæ patris ac matris meæ, et uxoris meæ, et liberorum ac filiorum, meorum et omnium antecessorum, atque successorum meorum, atque omnium fidelium Christianorum concessi ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Savigneio, et Richardo abbati et monachis ibidem Deo servientibus in perpetuam eleemosynam omnes terras omnesque eleemosynas, atque quietantias, quas antecessores mei et homines eorum donaverant eidem ecclesiæ atque concesserant, et eamdem ecclesiam, cum omnibus rebus ad ipsam pertinentibus assumpsi in manu et custodia, ac defensione mea, sicut propria abbatiam, et dominicam eleemosynam meam, et ut omnes posteriores ad eamdem ecclesiam pertinentes firmiter ac stabiliter, et absque omni dubitatione, in perpetuum confirmarentur, et in præsenti tempore atque futuro libere et quiete, ac secure, et ad eadem ecclesia tenerentur ac possiderentur volui, ut in hac præsenti charta nominatim ascriberentur atque confirmarentur, et sic ad notitiam successorum nostrorum, et ad utilitatem possidentium, salvæ et integræ in perpetuum conservarentur. Concessi itaque forestam Savigniensem, sicut cingitur tribus aquis Chamba scilicet et Chamberna, ac Nigra aqua cum omnibus pertinentiis suis, quæ foresta est prima possessio ejusdem Ecclesiæ; unde, et ipse locus nomen acepit, ut Savignelum vocaretur, quam forestam possidet eadem ecclesia ex dono Radulfi de Fulgeriis, et Henrici filii ejus, et ex concessione Stephani comitis Moritonii, et Henrici regis Angliæ, etc., omnes has terras, omnesque eleemosynas, quæ hic enumeratæ sunt, et omnes aelias, quas omnibus justis modis poterunt acquirere, concessi, ut dictum est, ecclesiæ et monachis Savignei, liberas et quietas, et ab omni servitio et consuetudine absolutas ad ipsam abbatiam, et omnes possessiones, ad eam pertinentes ubicunque sint et de cujuscunque dono sint, in tota terra mea, assumpsi in manu, et custodia, ac protectione mea, sicut dominicas et proprias eleemosynas meas, etc. Hæc autem nostra constitutio atque confirmatio facta est anno ab Incarnatione Domini 1157, anno scilicet regni mei Angliæ tertio, ducatus vero Normanniæ octavo.

XV.

Charta fundationis abbatiæ de Blanca Landa.

(Ex membranis D. d'Herouval.)

Richardus de Haya et Mathildis uxor ejus, omnibus suis, et amicis Normanniæ et Angliæ, salutem et dilectionem.

Notum sit vestræ dilectioni, et omnium tam præsentiam quam futurorum universitati, quod nos in

A propria hæreditate nostra in loco, qui Blanca-Landa vocatur. unum monasterium fundamus, in honore Domini nostri Jesu Christi et beatæ Genitricis ejus, et sanctissimi confessoris Nicolai, ibique conventum canonicorum ad servendum Deo, in ordine Præmonstratensi constituimus, quibus ad nutritum et vestitutum pro redemptione animarum nostrarum, successorum et omnium antecessorum nostrorum de parvitate nostra, hæc subscripta concedentes in perpetuam eleemosynam per manum domini Richardi Constantini episcopi Domino consecramus, Willelmo de Guono, et Richardo filio ejus, Nicolao de Haya meo nepote concedentibus et super altare præfati monasterii manibus propriis nobiscum offerentibus, ipsum videlicet locum, in quo fundatum est monasterium cum omnibus adjacentibus suis, etc. Hæc itaque præscripta, præsente clero, et populo et approbante, donavimus huic nostro monasterio Sancti Michaelis de Blanca-Landa nihil omnino in omnibus litteris retinentes, sed ab

B omni jure, et dominio, et sæcularium consuetudinibus, querela et exactione ad nos pertinentibus libera et absoluta, super altare offerentes per manum episcopi Richardi Constantini, excepto opere excluso in terra Paraner, de Bossevilla et in terra Ugonis Camri de Chatouilla, quæ mazura et costumas suas quietas habet in foresta, et excepta molta hominum de terra Richardi clerici apud Austremensuram et opere excluso, testibus Richardo Constantino episcopo. Willelmo abbate Montisburgi Roberto de Perdot, Renaldo de Maisvel, Richardo Avenel, et multis aliis. Anno ab Incarnatione Domini 1154.

XVI.

Confirmatio ejusdem fundationis per Henricum II, regem Anglorum.

(Ex eodem D. d'Herouval.)

Henricus, rex Angliæ et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegavensis, archiepiscopis, epi-

C scopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus et ministris omnibus suis, et omnibus fidelibus suis, salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse in perpetuam eleemosynam Deo, et ecclesiæ Sancti Nicolai de Blanca-Landa, et canonicis ibidem servientibus abbatiæ, in ordine Præmonstratensi Deo servientibus, quidquid eis rationabiliter et juste collatum est, videlicet has subscriptas eleemosynas quas Richardus de Haya, et Mathildis uxor ejus supradictæ ecclesiæ fundatores et Radulfus de Haya Richardi nepos, Willelmus de Varna, et Richardus filius ejus eidem ecclesiæ contulerunt, ipsum videlicet locum qui Blanca-Landa dicitur, ubi fundata est ecclesia cum omnibus adjacentibus suis, etc. Ut hæc omnia subscripta: et quidquid in futurum, et quibuscunque rationabiliter præfatæ ecclesiæ fuerint collata, firma, et illibata permaneant, regia auctoritate confirmo, et confirmata in regnum

D post me continue protegenda et confirmanda commendo. Teste Rothrodo episcopo Ebroicensi, et Arnulfo episcopo Lexoviorum, et Philippo episcopo Bajocensi, et Richardo episcopo Constantiæ, et Roberto de Novoburgo. Anno ab Incarnatione Domini 1157.

XVII.

Ad epist. 124. — Littera Walteri Rothomagensis archiepiscopi, qua decimam de Diepa et Botellis, dat capitulo Rothomagensi.

(Ex veteri scheda D. d'Herouval.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Walterius Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus; salutem in Domino.

Justum est, ut prospera communicent, qui adversa communiter sunt perpessi. Qui enim passionis fuere consortes, consolationis esse non debent ali-

quatenus inexpertes. Quoniam igitur charissimi filii nostri Ecclesiæ nostræ Rethomagensis canonici, dum pro tuendo Ecclesiæ nostræ patrimonio contra......... et præsides magnis expensis, gravissimis sudoribus et periculis certaremus, nobiscum in tentationibus nostris viriliter et fideliter permanserunt, dignum et justum est, ut quod de laborum nostrorum proventibus, auxiliante Domino, nostris utilitatibus in perpetuum accrevit, non sit eis penitus alienum ; sed qui in parturiendo nobis condoluerunt, partus nostri fructu pariter et lætilia jucundentur. Inde est quod de omni redditu et proventu, quem de Dieppa et Botellis, et earum pertinentiis singulis annis vel nos vel successores nostri, futuris temporibus ad usus proprios consequemur, concessimus eisdem canonicis nostris anno ab Incarnatione Domini 1198, in puram et perpetuam eleemosynam, et donavimus decimam partem integre recipiendam singulis annis in festo B. Romani confessoris patroni nostri, dividendam fratribus, qui ad diem obitus nostri officium pro nobis anniversaria consuetudine celebrarent. Interim autem dum viventes essemus, ipsi canonici qui ad solemnitatem prædicti confessoris convenirent, eamdem decimam reciperent æquis portionibus inter se more communi dividendam. Verum quia difficile esset præfatam decimam integre persolvi uno termino, maxime circa anni principium, statuimus de communi eorumdem canonicorum consensu, ut eadem decima quator terminis persolvatur, videlicet quarta pars in Natali Domini; alia quarta pars in Nativitate beati Joannis Baptistæ et alia quarta pars in festo Sancti Michaelis archangeli, quandiu vixerimus in festo jam dicti confessoris; sicut præassignatum est, dictis canonicis dividenda. Postquam vero nos in fata concedere contigerit, statuerunt iidem canonici se quater in anno diem obitus nostri anniversarium celebraturos, et in unoquoque illorum quartam partem decimæ canonicis qui intererunt, æquis partibus divisuros. Si itaque prædictæ villæ tradantur ad firmam decrevimus ut firmarii præassignatis terminis decimam reddant canonicis memoratis, et si in aliquo terminorum eamdem decimam ad plenum non solverint, ipsi pœnam decem librarum usualis monetæ incurrant dictis canonicis persolvendam, sed per nos vel per successores nostros justitiandam. Si vero easdem villas in manu nostra tenuerimus, et ita liquido non potuerint proventus et redditus æstimari, eorum æstimatio quatuor legalium virorum earumdem villarum arbitrio relinquetur, qui jurati bona fide summam totius redditus et proventuum declarabunt, et sic æstimata eisdem canonicis statutis sine contraditione reddetur sub pœna decem librarum, sicut prædictum est, interveniente nostro, vel successorum nostrorum seneschallo, vel aliquo ballivo ad prædictorum reddituum et proventuum susceptionem deputato, si in aliquo prædictorum terminorum in solutione cessaverint, vel in toto, vel in parte. Quia vero post tempus donationis prædictæ, novi proventus tam in molendinis quam in rebus aliis prædictarum villarum redditibus accreverunt ne quis sub tali verborum scrupulositate suggerat exinde decimam præfatis canonicis non deberi, nos eam dubitationem, licet supervacuam absolventes, decrevimus tam eorumdem proventuum quam aliorum, quæ in posterum eisdem villis, Deo dante, accrescent, decimam eisdem canonicis esse integre conferendam ; cum non incongruum sit unam et eamdem substantiam duplici quodam modo jure censeri. Ut autem hæc nostra donatio firma et stabilis in perpetuum perseveret, nec aliquorum possit machinatione convelli, eam præsentis scripti et sigilli nostri patrocinio dignum duximus communire. Nos autem de misericordia Dei, et Beatæ Mariæ genitricis meritis, et B, patroni nostri Romani confisi, omnes illos anathematizamus, et maledicimus; utinam et indignationem omnipotentis Dei, et beatæ Mariæ, et beati Romani, et omnium sanctorum incurrant, quicunque prædictam donationem nostram et confirmationem attentaverint violare. Nihil hic de novo statuentes, sed prolatam tempore donationis factæ sententiam renoventes.

Datum Rothomagi per manum Roberti de Sancto Nicolao capellani nostri et canonici Rothomagensis, VI Kalend. Octobris. Testibus, venerabilibus fratribus nostris episcopis Normanniæ, Roberto Bajocensi, Willelmo Abrincatensi, Luca Ebroicensi. Silvestro Sagiensi, Jordano Luxoviensi, Viviano Constantiensi, qui ad petitionem nostram præsenti chartæ sigilla sua apposuerunt : Richardo Rothomagensis Ecclesiæ decano, Rogerio cantore, magistro Simone cancellario, Richardo Haynim, magistro Gisleberto de Marleis, canonicis Rothomagens., et multis aliis testibus.

XVIII.

Ad epist. 126. — Littera Odonis episcopi Parisiensis, pro abolendo festo Fatuorum, et restituenda solemnitate Circumcisionis Domini.

(Ex Chartulario illustrissimi domini Joannis Baptistæ de Contes, decani Ecclesiæ Parisiensis. Charta 156.)

Cum Dominus Petrus, etc. *Vide in Odone Parisiensi, ad an.* 1208.

XIX.

Alia littera ejusdem Odonis Parisiensis episcopi, pro solemnitate Circumcisionis Domini et Sancti Stephani.

(Ex magno Pastorali Parisiensi.)

Ad hoc nos licet immeritos, etc. *Vide ibid.*

XX.

Littera Petri Cambii Dei gratia Parisiensis episcopi pro solemnitate Circumcisionis Domini et Sancti Stephani.

(Ex eodem Pastorali.)

PETRUS, Dei gratia Pariensis episcopus, dilectis filiis HUGONI decano et capitulo Pariensi, in pertuum.

Quod pro utilitatis ecclesiasticæ et divini cultus statuitur incremento, perpetuo dignum est robore communiri, ne processu temporis malitia cujuslibet valeat enervari. Ad universorum itaque notitiam volumus pervenire, quod felicis memoriæ dominus Odo quondam Parisiensis episcopus prædecessor noster enormitates quasdam climinare desiderans quæ sub prætextu pravæ consuetudinis in Parisiensi, Ecclesia pullularant festum Dominicæ Circumcisionis, et Natale S. Stephani protomartyris ad statum decrevit reducere regularem, et solemniter instituit celebrari ; singulis autem canonicis et clericis majori altari servientibus, qui in Natali B. Stephani Matutinis intererunt, sex denarios Paris., singulis vero clericis chori non canonicis quatuor denarios, singulis etiam pueris chori duos denarios, et singulis clericis, qui in missa responsorium vel Alleluia, in organo triplo, seu quadruplo decantabunt. sex denarios benigne contulit et concessit, in præpositura nostra Parisiensi annuatim quiete et libere percipiendos. In festivitate autem Circumcisionis singulis clericis chori non canonicis tres denarios Parisienses, et singulis pueris duos denarios in redditibus capitii perpetuo percipiendos liberaliter assignavit. Dedit etiam in perpetuam eleemosynam capitulo Parisiensis Ecclesiæ stationem de pane et vino et carnibus porcinis annualim in festo Pentecostes a Parisiensi episcopo, qui pro tempore fuerit, persolvendam ; et statuit ut quilibet canonicorum S. Dionysii de passu eadem die dimidiam percipiat stationem. Concedit insuper et concessit capitulo

Paris. sexaginta solidos Paris. in censu de Brunello singulis annis percipiendos in die anniversarii sui, prout ordinavit, distribuendos. Ad hæc præbendam et vicariam quam ecclesia Sanctæ Genovefæ, in ecclesia Parisiensi habere solebat, quam idem episcopus acquisivit capitulo Parisiensi, concessit pariter et quittavit, ut tam de præbenda quam de vicaria pro sua disponerent voluntate. Præterea octo matricularios de assensus voluntate capituli in Ecclesia Parisiensi instituit, et ad eorum sustentationem tam ipse quam capitulum certa et perpetua deputavit. Decimas etiam omnium Novalium faciendorum, seu jam factorum quæ nondum aliis erant assignatæ, in omnibus locis Parisiensis diœcesis, in quibus Ecclesia Parisiensis decimationem habebat, vel habitura erat, capitulo et Ecclesiæ in perpetuum, quiete et libere possidendas concessit, et liberaliter erogavit, salvo jure alterius Ecclesiæ, quæ in eodem territorio partem decimationis haberet. Præterea quam emerat apud Buc in jus et proprietatem capituli pia donatione transfudit ad denarios matutinales in festo B. Bernardi distribuendos. Cæterum assignavit Ecclesiæ et succentori Parisiensi, et contulit ad Mandatum faciendum in Cœna Domini unum modium bladii ad mensuram Paris, medietatem hibernagii et medietatem mareschiæ, apud Herebleium in blado ita quod acquisierat et habuerat a monachis B. Dionysii; quod si abbas et monachi B. Dionysii bladum illud episcopo Parisiensi alibi assignarent, succentor prædictum modium bladi ibi perciperet, ubi bladus episcopi assignaretur. Donavit insuper clericis matutinalibus partem illam, quam percipiebat in oblationibus crucis quæ proveniunt in sexta feria, in Passione Domini, videlicet medietatem omnium oblationum. Nos itaque præscriptas donationes, et concessiones, et institutiones approbantes et ratas habentes, ipsas per præsentis scripti paginam confirmamus et sigilli nostri munimine roboramus, easque perpetuo manere decernimus et præcipimus inconcussas.

Datum Parisiis, anno Incarnationis Dominicæ 1208, pontificatus nostri ann. 1.

XXI.

Copia cujusdam Epistolæ a venerabili Facultate theologiæ studii Parisiensis, prælatis et capitulis ecclesiarum regni Franciæ transmissæ, ad detestandum, condemnandum, et omnino abolendum quemdam superstitiosum et scandalosum ritum, quem quidam festum Fatuorum vocant, qui a ritu paganorum et infidelium et idololatrarum initium et originem sumpsit.

(Ex cod. ms. abbatiæ Cisterciensis a domino Jacobo de Lannoy, ejusdem abbatiæ novitiorum magistro. ad D. Lucam d'Achery Benedictinum transmisso, qui mihi illum communicavit.)

Universis ecclesiarum prælatis, et earum venerabilibus capitulis ubilibet constitutis, humilis sacræ theologiæ facultas studii almæ universitatis Parisiensis, honorem et debitum Christianæ pietatis obsequium. Zelus cultus divini atque multorum fidelium clamor, necnon quorumdam episcoporum querulosa requisitio nos inducunt et impellunt sub brevi epistola describere quantum abhorreamus, quantumque detestemur illum cujusdam festivitatis ritum, quem sui compositores festum Fatuorum vocant. Et quanquam ex sacræ Scripturæ testimoniis, tam Veteris quam Novi Testamenti, quibus Deus ab omni spurcitia templum suum ac ministros mundos esse et sanctificatos districtissime mandavit, tale festivitatis gurgustium, quo sacerdotes et clerici interiori et exteriori spurcitia se polluunt, templumque Dei et ecclesias fœdant, facillimum sit reprobare; tamen quia hujus rei patratores se con-

A suetudinis lege protegere conantur, ad inde pertinaciter suis superioribus resistunt, majori acriorique opus est reprehensione, et tanta, quod correptionis acerbitas contumaciam talium pertinacium frangat et superet. Quocirca quid in hac re sentimus breviter et succincte declaravimus, quatenus prælati studiosius et audentius a suis subditis, etiam per cauterium duræ punitionis, si sit opus, hunc pestiferum ritum depellant.

Et primo quid de ejus origine censemus. Porro a gentilibus venit hæc spurcitia, atque de reliquiis gentilitatis est hæc festivitas, licet festum Fatuorum a suis fautoribus intituletur. Certum est enim, ut annales tradunt historiæ, quod nationes gentium, quæ verum Deum ignorabant, multis dæmonum fraudibus ludificatæ, atque variis passionum desideriis agitatæ, in superfluas et superstitiosas culturas vanitatum trahebantur. Nec mirum, cum nullam fidei circumcisionem haberent. Hinc statuas dæmo-
B nibus dicatas coluerunt: hinc principes se deificare existimantes in hominum memoria diabolica fraude delusi, idola sibi similia, quibus ut dii repræsentarentur populis, colenda statuerunt; et insuper ut stolidus populus ad cultum sui idoli magis alliceretur, nomenque eorum diutius maneret, certis in mensibus et diebus solemnitates festivitatum sibi per ludos secundum desideria carnis dicatarum juvenibus populis imposuerunt, in quibus nulla deformitas, nullum vitium, nullumque flagitium reprehendebatur; sed ut occurrebat phantasiæ, unicuique licebat agere. Inde vero stupra et prostibula, et alia inenarrabilia scelerum monstra palam et impune fiebant. Quinimo in illis festis sacerdotes idolorum, ut abundantius populum ad idolum erectum excitarent majori furia, monstruositates præ aliis debacchabantur, sicut factum in festo Bacchi narrant poetæ, sic in principio Maii festum Veneris et Daphnis, sic in Februario festum Plutonis et
C Proserpinæ, sic in Kalendis Januarii festum spurcissimi Jani, sic in quamplurimis festis arborum Dianæ dicatarum et plantatarum: et de multis aliis in quibus enormitates permaximæ committebantur.

Procul dubio, inde venit origo hujus ritus nefarii, hæc est nascentia illius corruptelæ, quam consuetudinem vocant, hæc est amaritudinis radix venenata, quæ sursum germinans frondes nemorosas expandit, sub quibus juventus luxui dedita enormitates carnis obnixe prosecuta est, et continuavit; quas enormitates culter fidei, et veri Dei cultus a Christianis indubie circumcidere debet; quoniam non est vere fidelis Christi qui talibus inhæret. Sic enim beatus apostolus Paulus quosdam Corinthios notat a fide lapsos, eo quod post susceptum baptisma hujusmodi festivitates observabant: *Timeo* inquit, *ne frustra laboraverim in vobis, quia observatis dies* (*Galat.* IV). Glossa, id est superstitiones et solemnitates gentilium. Et beatus Augustinus in
D sermone de Circumcisione (29), tales ritus gentilium et eorum sequelas in Christiano populo exprobans, ita loquitur: « Qui de paganorum consuetudine aliquid observare voluerint, timendum est ne nomen Christianum eis prodesse non possit; qui etiam stultis hominibus sic ludentibus aliquam humanitatem impenderit, peccati eorum participem se esse non dubitet; vobis autem, fratres, non sufficiat quod malum hoc non facitis; sed ubicunque fieri videritis, arguite, corripite et castigate. » Hæc Augustinus. Eapropter quamplures episcopi sanctissimi contra hæc festa sicut contra exsecrationes Christianorum processerunt, et a finibus Christianitatis ea repellere toto posse conati sunt. Unde factum est per labores eorum cum Dei auxilio, quod a regionibus Christianorum pro majori parte tales spurcitiæ, talesque paganorum reliquiæ cessarunt; vel si in occulto fieri deprehen-

(29) Serm. *in Kal. Jan.* sub. med.; serm. 40, a Sirmondo edit.

duntur, non sine grandi punitione actores abeunt. Sola vero spurcissimi Jani nefaria traditio in Kalendis Januarii huc usque perseverat, quam diabolica instructio sub umbra Nativitatis Domini, et jucunditatis dierum natalitiorum ejusdem sacerdotibus clericisque in multis hujus regni ecclesiis observandam tradidit; et eo deterius, quo devotioni tantæ festivitatis Salvatoris, et diebus illis dicatis, in quibus omni sanctimoniæ studere deberent, se ad spurca et immunditias conferunt et applicant: atque Janum spurcissimum initando, cultum Dei irrident et commaculant, dum ludibria Jani divino servitio permiscent; ludibria, inquam, talia qualia sacerdotes fanatici suis in templis et idolis fieri non permitterent; nempe festa gentilium supradicta lenociniis luxuriæ servientia non in templis, sed in nemoribus, aut in campis, aut in theatris villarum, et a personis profanis agebantur. Hoc autem exsecreationis coagulum, quod vocatur Festum stultorum in ecclesiis, in locis sanctificatis, et a personis Deo consecratis fit, et se exsecraudo, ac loca sacra profanando Jani ritum concelebrant. O quam recte vocatum est hoc flagitiosum coagulum Festum fatuorum. Nam in sacra Scriptura pro eodem habetur dicere quempiam fatuum, et dicere eum malorum hominum comitem exsultantium in rebus pessimis.

Quis, quæso, Christianorum sensatus non diceret malos illos sacerdotes et clericos, quos divini officii tempore videret larvatos, monstruosos vultibus, aut in vestibus mulierum, aut lenonum, vel histriorum choreas ducere in choro, cantilenas inhonestas cantare, offas pingues supra cornu altaris juxta celebrantem missam comedere, ludum taxiliorum ibidem exarare, thurificare de fumo fetido ex corio veterum sotularium, et per totam ecclesiam currere, saltare, turpitudinem suam non erubescere, ac deinde per villam et theatra in curribus et vehiculis sordidis duci ad infamia spectacula, pro risu astantium et concurrentium turpes gesticulationes sui corporis faciendo, et verba impudicissima ac scurrilia proferendo? Et sic de multis aliis abominationibus, quarum pudet reminisci et recitare horret animus, quæ tamen, ut fidei relatione accepimus; hoc in anno in multis locis factæ sunt. Quis, quæso, fidelis, intelligens hos ecclesiasticos impios et crudeles in Dei honorem, in Ecclesiæ honestatem, et in famam propriam non Judicaret? Certe ad dijudicandum eos non magna requiritur scientia, neque ad detestandum hujusmodi festum opus est magnis Scripturæ sacræ allegationibus. Quippe contra principia morum et fidei, contra adorationem Dei insaniunt, et obstinate perseverant.

Sed, inquiunt, nos ita joco et non serio facimus, sicut consuetum est ab antiquo, ut fatuitas nobis innata semel in anno effluat et evaporetur. Nonne utres et dolia vini sæpius rumperentur, si spiraculum ipsorum interdum non laxaretur? Nos quidem utres veteres sumus et dolia semirupta, quare sapientiæ vinum nimis fervens, quod per totum annum in Dei servitio nos comprimentes vi retineremus, effluerent inaniter, si non interdum ludis et fatuitatibus vacaremus. Jocis igitur aliquando vacandum est, ut fortiores postea ad retinendam sapientiam redeamus. Hæc et similia dicunt, nec non inveterati senes dierum malorum complices eorum, excusationem in peccatis quærentes. Præterea juvenes novitatum ludorumque semper avidi, talibus monstris risum provocantibus applaudunt.

Sed homines de sua salute solliciti aliter longe ab istis sentiunt: sentiunt, inquam, et mente tenent quod non patiuntur ludum fama, fides et oculus; nempe sicut quivis hominum nollet ex joco suum oculum cuspide pungi; sic nec ludo fidem facerari, aut famam Dei permittendum est. Quamobrem vana est hæc excusatio super joco. Similiter de consuetudine in hac re non est facienda ratio; jam enim superius ostensum est, quod a radice venenata prodiit hic ritus, puta a corruptione naturæ cum illusione dæmonum, et initium sumpsit a spurcitiis paganorum et infidelium; quare non potest trahere vim consuetudinis, cum tendat contra Deum, et in perditionem animarum. O, proh nefas! allegandane est consuetudo contra jus divinum, contra naturale dictamen, contra innatum pudorem, contra ecclesiæ sacrarium? Rursus similitudo quam proponunt de utribus et doliis, hic non habet locum; quoniam sapientia non gravat animam, sicut vinum bulliens ex fervore suum vas, imo vires animæ sapientia confortat et solidat, et per contrarium operationes fatuæ et malæ vires enervant et lædunt, præter malos habitus malasque reliquias quas contrahunt. Inde vero videmus homines fatuitatibus assuetos in fine dierum suorum communiter hebetes fieri, et sine intellectu ab hoc sæculo decedere. Igitur dictum illud, quod interdum respirando ad fatuitates fortiores redimus ad tenendam sapientiam, est falsum et vafre prolatum. Peccata namque et fatuitates sunt contra naturam rationabilem et eam offendunt. Fatemur autem quod ad actus sapientiæ diutius tendendo, animales vires quæ corpus concernunt, fatigant; quare bonum est interdum ludis modestis et honestis vacare, ut recreentur, et fortificentur, sicut beatissimus Evangelista Joannes ludens cum perdice in sua manu, cuidam propter hoc ipsum irridenti dedit exemplum de ipsius arcu diu et nimium protenso, qui si non relaxatur, vires perdit ad fortiter impellendum sagittam. Sed hæc recreatio virtuosa est, cui nullatenus conveniunt prædictæ insaniæ, quamvis plebs imperita eas ludos appellet, atque cum ipsis plures stolidi homines etiam in auctoritates constitui. Sed nihilominus si a quibusdam vestris prædecessoribus hæ insaniæ pro ludis habitæ sunt, sicut isti allegant, certe in hoc socordiam illorum et negligentiam accusant, qui tanta flagitia in ecclesiis tolerarunt. Itaque non est ad id aspiciendum quod dissimulant et tolerant homines, ubi lex omnia notorie clamat in oppositum; lex enim Dei sequenda est non homines, nisi in quantum ipsi legi subserviunt.

Quapropter, o reverendi Patres, et honorati prælati, attendite legi Dei, et sanctis, quos Deus mirificavit in terris, ut essent nobis in exemplum, et testimonium suæ voluntatis. Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud festum permiserunt, sufficiat nobis vivere ut ipsi. Procul dubio istud argumentum diabolicum est, et infernalis hæc persuasio; nam illorum exitum ignoratis an bonus vel malus fuerit. Sequamini ergo illos, quos Deus sectandos miraculis declaravit; sequamini sanctos, utpote apostolum Paulum, et Augustinum superius allegatos, qui observatores hujus ritus damnant tanquam lapsos a fide. Sequamini gloriosos episcopos quamplurimos, puta Martinum, Hilarium, Chrysostomum, Nicolaum, Germanum Antissiodorensem, et universos alios usque ad propinqua tempora, qui acerrime contra hujusmodi exsecrationes insurrexerunt. Quid, quæso, fecissent, si solum clerum sicut hodie his observantiis vacantem vidissent? Sequamini canones sacros summorum pontificum, ac generalium conciliorum, hæc ludibria condemnantes veluti pestes animarum. Sequamini insuper graves et devotas personas, quæ hæc nefanda spectacula sine mœrore non possunt aspicere.

Istud, o Patres celeberrimi! precamur attendite, et ad dissipandam destruendamque hanc impietatis colligationem nervos omnes vestræ potestatis extendite. Neque vos retardet aut dimoveat cujuscunque exemptio vel privilegium; nam, cum in his casibus sit vehemens hæreticæ pravitatis suspicio, nulli suffragari debet exemptio. Asseremus namque vobis, quod hæc observantia festum Fatuorum cum spurcitiis prætactis et solitis, necnon circumstan-

tiis personarum ac locorum, est sacrilega profanatio honestatis ac reverentiæ cultus divini, et exsecratio abominabilis omnibus Christianis : unde contra sacerdotes et clericos talia pertinaciter perpetrantes est procedendum, sicut contra suspectos in fide, et male sentientes de honorificentia Dei et sacramentorum. Satagite igitur, Patres celeberrimi, ut hoc sacrilegium de medio tollatur. Agite taliter, ne in animas vestras redundet hæc noxa tam gravis et abominanda. Mementote Heli summi sacerdotis, qui probus alias tenebatur ; tum quia filios suos, quorum nequitia populus ab adoratione Dei et oblationibus distrahebatur, non satis rigide corripiebat, divina ultione de sella cecidit aversus, fractoque capite interiit in exemplum omnium præpositorum. Consideretis etiam quanto fervore Moyses, qui erat mitissimus hominum, quantave severitate sæviebat in eos qui cultum Dei scandalizabant, quando una triginta die tria millia de idololatris interfecit. Certe hæc crimina nefaria non multum distant ab idololatria, si recte pensetur, quamvis pro nunc in lege spirituali et amoris tales pœnæ non sunt exercendæ, tamen ex illis ostenditur quantum Deo illud peccatum displicet, et quam severe præpositi seu rectores animarum debent illud abolere.

Itaque finem nostræ epistolæ imponendo concludimus, quod a vobis prælatis pendet continuatio vel abolitio hujus pestiferi ritus ; nam ipsos ecclesiasticos ita dementes esse et obstinatos in hac furia non est verisimile, quod si faciem prælati reperirent rigidam et nullatenus flexibilem a punitione cum assistentia inquisitorum fidei, et auxilio brachii sæcularis, quam illico cederent aut frangerent. Timerent namque carceres, timerent perdere beneficia, perdere famam et ab altaribus sacris repelli.

Oramus ergo Deum Patrem clementissimum, ut det vobis Spiritum fortitudinis adversus has diabolicas furias et omnes pestilentes homines. Amen.

Sequuntur quædam conclusiones a supradicta venerabili Facultate theologiæ examinatæ, approbatæ, et qualificatæ ad detestationem et totalem destructionem, seu abolitionem supradicti damnabilis et paganici festi Fatuorum.

Prima conclusio. — Consuetudo introducta ab antiquo, secundum quam in quibusdam ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, vel aliis, annis singulis in festo Innocentium, aut S. Stephani, vel Circumcisionis Domini, aut alio, ab ecclesiasticis viris fit quoddam festum, quod Festum stultorum vocant, in quo solent per eosdem fieri mille derisiones et fatuitates, etiam contra reverentiam Dei, et in vituperium magnum cleri et totius status ecclesiastici, est a sanctis Patribus et generabilibus conciliis reprobata, et magis est dicenda corruptela quam consuetudo, nec prætextu cujuscunque statuti observanda.

Secunda conclusio. — Non licet in aliqua ecclesia sub prætextu præfatæ malæ et damnatæ consuetudinis eligere episcopum vel archiepiscopum fatuorum, vel etiam sic electum derisorie et cum ludibrio confirmare, cum episcopalis dignitas fuit a Christo primitus in Novo Testamento instituta et ordinata ad regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, et salutem animarum ; et propterea illi qui de tanta dignitate illudunt, et derisoria ac ludibriosa faciunt, videntur male sentire de auctoritate et præeminentia pontificalis dignitatis, quæ tamen est prima in Ecclesiæ hierarchia. Tales quoque sunt graviter puniendi.

Tertia conclusio. — Non licet hujusmodi episcopis vel archiepiscopis fatuorum uti quovis modo insigniis pontificum, videlicet, mitra et baculo pastorali aut cæteris hujusmodi : nec etiam decet eisdem archiepiscopis ante se facere portari crucem cum baculo, sicut facere solet archiepiscopus ambulando vel equitando per suam provinciam, cum talia sint in magnum derisum et vituperium episcopalis vel archiepiscopalis dignitatis.

Quarta conclusio. — Non licet insuper præfatis episcopis vel archiepiscopis fatuorum facere divinum officium in ecclesia cum supradictis insigniis, nec dare benedictiones legentibus lectiones matutinales, nec etiam benedicere populum ; cum talia sint in magnum contemptum et irreverentiam Dei et ejus servitii, et in vituperium magnum episcopalis dignitatis, quam non solum instituit Christus, sed sicut sanctus et verus pontifex primus ea usus fuit, et eam suis apostolis communicavit, et eorum successoribus.

Qualificatio primæ, secundæ, tertiæ et quartæ propositionum.

Prætensa festi Fatuorum consuetudo in ecclesiis, et ecclesiasticis officiis cum insolentiis et turpitudinibus, quas in perturbationem divini cultus, et dignitatis ecclesiasticæ vilipendium observare solent, non est consuetudo dicenda, sed corruptela damnabilis atque perniciosa : et sicubi pro damnabili continuatione ejus descripta inveniatur, præsertim in libris ecclesiasticis, omnimode est abradenda et abolenda tanquam pestifera malorum et deformitatum occasio.

Observatores contumaces prædictorum paganizant, sunt sacramentorum et dignitatum Ecclesiæ sacrilegi profanatores, ac rerum sacramentalium detestabiles irrisores.

Pertinaciter asserentes quod prætextu præfatæ corruptelæ, quam consuetudinem vocant, sit licitum insolentias et turpitudines circa Kalendas Januarii, aut alio quocumque tempore exercere vel observare, sunt vehementer in fide suspecti, et de hæresi judicialiter arguendi.

Quinta conclusio. — Cum supradicta sint districte prohibita, tam per summorum pontificum decretales, quam per generalium conciliorum decreta, si aliqui, maxime post eorumdem decretorum recensitam publicationem et declarationem per prælatum loci aut ejus auctoritate facta animo pertinaci et indurato supradicta fecerint, aut facientibus auxilium vel auctoritatem dederint, tales poterunt et debebunt puniri sicut contemptores et violatores sacrorum decretorum ; et cum hujusmodi violatores decretorum secundum jus canonicum hæretici aut in fide suspecti censeantur, cum male videantur sentire de auctoritate Ecclesiæ, poterit contra eos procedi per inquisitorem hæreticæ pravitatis.

Qualificatio quintæ conclusionis.

Sic facientes sunt contumaces, clavium Ecclesiæ contemptores, suspecti vehementer in fide, judicialiter corrigendi, *ut supra.*

Sexta conclusio. — Si non licet juxta præmissa in prædicto festo Stultorum facere episcopos aut archiepiscopos fatuorum, qui utantur insigniis pontificum, et faciant divinum officium in ecclesiis, et benedictionem populo impendant ; a fortiori ratione non est licitum etiam prætextu cujuscunque antiquæ consuetudinis, aut verius corruptelæ, in aliqua ecclesia exempta, et immediate sedi apostolicæ subdita facere unum papam Fatuorum, qui similiter cum asigniis papalibus faciat divinum servitium, aut benedicat populum, aut alias quovis modo officium papæ exerceat, cum talia sint in magnum contemptum et irreverentiam papalis dignitatis.

Qualificatio sextæ conclusionis.

Tales exsecratores dignitatum pontificalium sacrilegi sunt, profanatores ecclesiasticæ dignitatis et ordinis hierarchici, contumeliosi derisores arguendi judicialiter, *ut supra in primis articulis.*

Septima conclusio. — Non licet, nec decet viris ecclesiasticis et maxime in sacris ordinibus constitutis, in quibus magis devotio, sanctimonia et gravitas morum elucere debent, quod sub prætextu aut colore dicti festi Fatuorum faciant officium divinum, aut illi intersint sine habitibus et vestimentis ecclesiasticis, sicut in quibusdam ecclesiis pridem fuit observatum ; et qui contrarium fecerint, utendo videlicet in divinis officiis vestimentis sæcularium, aut stultorum, vel aliis porfanis, cum talia sint in vituperium et derisum officii divini, peccant mortaliter, et sunt graviter puniendi.

Octava conclusio. — Non licet ducere choreas in ecclesia, quando fit divinum servitium, aut comedere seu bibere circa altare, quando missa celebratur, aut alias similes derisiones et fatuitates facere, cum talia sint contra reverentiam Dei et honorem, in contemptum et derisum divini servitii. Et qui talia fecerint, sunt merito secundum qualitatem excessuum puniendi, et si fuerint rebelles et incorrigibiles, contra tales poterit invocari brachium sæculare, et adversus eos procedi tanquam suspectos de fide.

Qualificatio septimæ et octavæ conclusionum.

Sacerdotes et clerici, præsertim in sacris ordinibus constituti prædicta facientes, apostatant ab honestate sacerdotii et cultus divini, abominabiliter templum ac Dei sacrarium polluunt, et sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum damnabiliter et exsecrabiliter contemnunt, et sunt vehementer de infidelitate et irreverentia sacramentorum suspecti, judicialiter arguendi, etc., ut prius.

Nona conclusio. — Non licet ecclesiasticis sub prætextu et colore festi Fatuorum dimittere et deponere vestimenta sua clericalia seu ecclesiastica, et uti vestimentis sæcularium virorum, aut stultorum, et extra ecclesiam, cum talia plurimum derogent clericorum honestati, et suorum morum gravitati ; et adhuc minus licet eis larvatas accipere facies aut depictas, vel assumere vestimenta muliebria ; ac facere ludos theatrales, vel ludibria aut spectaculum suorum corporum, et alios personagiorum ludos, et maxime in locis publicis, vel coram magna popularium multitudine ; et qui contrarium fecerint, etiam prætextu aut sub colore supradicti festi, maxime post supradictorum decretorum publicationem, peccant mortaliter, imo tanquam contemptores et violatores sacrorum decretorum sunt puniendi.

Decima conclusio. — Non licet viris ecclesiasticis et maxime presbyteris aut aliis in sacris ordinibus constitutis, in conspectu populi ludere aliqua personagia ludorum, qui nec ad devotionem movent, nec ad mores, sed magis ad risum et ludibrium ; cum talia facere nullo modo spectet honestati vel gravitati clericorum.

Undecima conclusio. — Sæculares homines faciendo tales ludos, qui sunt duntaxat ad risum vel ad ludibrium, non debent uti habitibus vel vestimentis monachorum, vel monialium, aut aliorum ecclesiasticorum, cum illud sit etiam a civili jure prohibitum.

Qualificatio nonæ, decimæ et undecimæ conclusionum.

Sacerdotes et clerici præsertim in sacris ordinibus constituti, hujusmodi spectacula turpia exercentes apostatant a regula et honestate sacerdotii, statum ecclesiasticum scandalizant et deturpant, et veniunt a suis superioribus corripiendi, tanquam suspecti, deformatores Ecclesiæ et ordinis ecclesiastici, ut in primis.

Duodecima conclusio. — Dicere, et pertinaciter asserere, quod illi, qui impediunt ne de cætero fiat festum Stultorum supradictum peccant et sunt excommunicati, hæresim sentit et errorem in fide ; cum ecclesiastica censura sit Ecclesiæ a Christo ...ssa contra rebelles et contumaces, et non contra bene agentes. Dicere enim quod pro actu virtutis sit aliquis excommunicandus, et extra ecclesiam projiciendus, male sapit in fide.

Qualificatio duodecimæ conclusionis.

Asserentes pertinaciter contenta in articulo sunt vehementer suspecti in fide, et de hæresi judicialiter arguendi, ut prius in primis articulis.

Tertia decima conclusio. — Cum secundum beatum Augustinum festum Fatuorum supradictum initium et originem sumpserit a paganis et gentilibus, qui similia ludibria in capite Januarii faciebant ad honorem Jani, quem Deum esse credebant, et cui idolum fabricaverant, in cujus conspectu et quasi illi sacrificando faciebant ludos supradictos, Christiani debent maxime talia ludibria evitare et fugere, ne ea faciendo aut assistendo videantur paganizare, et idolo Jani velle reverentiam et honorem facere, et maxime quando talia fuerint in principio Januarii, qui ab ipso Jano nomen accepit.

Quarta decima conclusio. — Si illi, qui supradictum festum consueverunt facere, fuerint de præmissa beati Augustini auctoritate sufficienter, et præcipue per suum prælatum certificati, advisati, imo admoniti ne prædicta ludibria de cætero faciant, et maxime in principio Januarii, ne paganizare, aut idololatrare videantur, et deinde indurato et pertinaci animo contrarium fecerint ; contra illos tanquam in fide suspectos, et paganicorum rituum insectatores est procedendum, et per inquisitorem hæreticæ pravitatis, et cum invocatione brachii sæcularis, si opus fuerit.

Qualificatio tertiæ decimæ et quartæ decimæ conclusionum.

Veritatem continet, et ita dicendum est de assertoribus et induratis observatoribus, sicut in primis articulis.

Acta fuerunt hæc supradicta, et conclusa epistola quæ præmittitur, et qualificationes in fine congregationis venerandæ Facultatis theologiæ in Universitate Parisiensi, in sancto Mathurino celebrata anno Domini 1444, die XII mensis Martii, per organum venerandæ circumspectionis et scientiæ viri magistri Eustachii de Mesnillo, in sacra theologia professoris et decani ejusdem facultatis, post maturam deliberationem, præsentibus venerabilibus, et circumspectis viris, magistris Joanne de Vernone, Joanne Berondi, Guillelmo Errardi, Roberto Cybole, Joanne Vineti, Petro de Vaucello, et Joanne Oliva in theologia magistris, cum pluribus aliis ibidem præsentibus.

XXII.

Littera Odonis Parisiensis episcopi, pro institutione festi S. Bernardi in Ecclesia Parisiensi.

(Ex eodem pastorali.)

Notum facimus, etc. *Vide in Odone Parisiensi ad an.* 1208.

XXIII.

Littera ejusdem Odonis de decima de Espiers *quam Adam de Monsterolio dedit quatuor matriculariis presbyteris.*

(Ex chartulario Parisiensi.)

Notum facimus, etc. *Vide ibid.*

XXIV.

Littera ejusdem pro institutione quatuor matriculariorum sacerdotum in Ecclesia Parisiensi.

(Ex chartulario D. decani Parisiensis, Charta 161.)

Quod pro divini cultus augmento statuitur, etc. *Vide ibid.*

XXV.

Fundatio ejusdem episcopi pro mandato faciendo in cœna Domini.

(Ex parvo pastorali.)

Ad universorum, etc. *Vide ibid.*

XXVI.

Littera ejusdem Odonis qua donat Novalia capitulo Parisiensi.

(Ex magno pastorali.)

Et vestræ conversationis honestas, etc. *Vide ibid.*

XXVII.

Institutio anniversarii Odonis facta a capitulo Parisiensi.

(Ex eodem.)

Notum facimus, etc. *Vide ibid.*

XXVIII.

Institutio duorum sacerdotum facta ab eodem Odone in ecclesia Sancti Symphoriani Parisiensis.

(Ex chartophylacio regio asservato in sancta capella Parisiensi.)

Notum facimus, etc. *Vide ibid.*

XXIX.

Charta ejusdem Odonis, qua concessit ecclesiæ Sancti Victoris Parisiensis annualia semipræbendarum Ecclesiæ Parisiensis.

(Ex annalibus mss. Sancti Victoris, ad ann. 1197.)

Quanto venerabilis Ecclesia Sancti Victoris, etc. *Vide ibid.*

XXX.

Stephani Parisiensis episcopi concessio annualium seu vacantium præbendarum in Ecclesia Parisiensi, et aliis facta canonicis Sancti Victoris Parisiensis.

(Ex Annalibus mss. ejusdem abbatiæ.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Divinarum auctoritate Scripturarum informamur ut, dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, et peccata nostra eleemosynis redimentes, amicos et receptores in æterna tabernacula ex his, quæ ad tempus possidemus, nobis faciamus. Qui ergo in multis deliquimus, in multis charitative operari studeamus, et illis præcipue prodesse et auxiliari, quorum merita nobis credimus in ipso districto examine C suffragari. Hac igitur auctoritate instructi, hac spe animati, ego Stephanus Dei gratia Parisiensis episcopus, petitione et precibus Bernerii decani, cæterorumque canonicorum Beatæ Mariæ assensu etiam presbyterorum Sancti Joannis, Guillelmi videlicet et Hugonis, ecclesiæ Beati Victoris et canonicis regularibus inibi Deo servientibus, ut prænominatorum canonicorum deinceps anniversaria habeant concedimus; ita ut per annum redditus præbendarum canonicorum Beatæ Mariæ ex integro habeant, et nullum ex debito super hoc, aut ecclesiæ, aut defuncto, sive processionis, sive visitationis, sive sepeliendi, præter anniversarium exsolvant officium. Nolumus enim eos inquietare, et contra eorum voluntatem aut propositum ad publicum prodire. Hoc etiam adjungimus, quod si canonicus Beatæ Mariæ, aut cremitarum, aut canonicorum Regularium, aut monachorum, aut quorumlibet aliorum vitam eligens præbendam D reliquerit, præfata ecclesia Sancti Victoris, ejus præbendæ per annum redditus possidebit. Et ut omnia ad liquidum determinentur, et prava intelligentium ora obstruantur, hoc solum excipimus: (30). Quod si canonicus Beatæ Mariæ præbendam suam in manu episcopi reddiderit, et pro aliquo oraverit, et eum episcopus super hoc exaudierit, in præbenda sic reddita canonici Sancti Victoris nihil habeant. Nec illud silere volumus, quoniam quidquid in præbenda canonicorum Beatæ Mariæ, prout superius determinatum est, canonicis Regularibus Sancti Victoris concessimus, hoc idem et in A præbendis Sancti Marcelli, Sancti Germani Antisiodorensis, Sancti Clodoaldi, nec non etiam Sancti Martini de Campellis, communi decanorum et canonicorum earumdem assensu præfatis canonicis Sancti Victoris jure perpetuo habendum et possidendum concedimus. Ut autem hoc ratum et firmum sit ac permaneat in sempiternum, præsentem chartam sigilli nostri auctoritate interfirmavimus, et signis canonicorum nostrorum corroboravimus.

Actum Parisius publice in capitulo Beatæ Mariæ, anno incarnati Verbi 1124, regnante Ludovico rege, anno XVI, Stephano episcopo ann. I S. Stephani episcopi, S. Bernerii decani, S. Adæ præcentoris, S. Stephani archidiaconi, S. Theobaldi archidiac., S. Landonis presbyteri, S. Theodorici presbyteri, S. Odonis presbyteri, S. Daimberti diaconi, S. Guillelmi diaconi, S. Gummeranni diaconi, S. Hugonis subdiaconi, S. Petri subdiac., S. Henrici subdiac., S. Theobaldi pueri, Manasse B pueri, Urbani pueri. Si quis autem contra nostram hanc dispositionem agere præsumpserit, anathema sit.

XXXI.

Litteræ super compositione limitum episcopatuum Belvacensis et Parisiensis.

(Ex chartulario Parisiensi.)

Philippus, Dei gratia Belvacensis, et Odo Parisiensis episcopi omnibus præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem.

Notum facimus quod cum inter nos contentio verteretur super limitibus Belvacensis et Parisiensis episcopatuum in loco de Moynel, a parte orientali prope caput ecclesiæ: tandem ad locum personaliter accessimus, et in præsentia nostra, et abbatum Vallis Beatæ Mariæ, et Sancti Justi, et de Hermeriis, et multorum aliorum bonorum virorum facta inquisitione diligenti a vicinis utriusque episcopatus, pari voluntate et consensu limites distinximus, et metas in hunc medum posuimus. Ad originem Fontis de Moynel, qui est in stagno fratrum, primam metam lapideam, secundam ex directo in Calceya, tertiam in Campo subtiliori, quartam et ultimam sub quercu ex directo, quæ est juxta murum, qui claudit hortos fratrum, et juxta quemdam rivulum, qui emanat a fonte prædicto; ita quod id quod est a parte ecclesiæ, est in episcopatu Belvacensi: id quod est ex alia parte, est in episcopatu Parisiensi; cæteris terminis et limitibus episcopatum prædictorum in eo statu manentibus, in quo erant. Quod ut ratum permaneat, et inconcussum, præsentem chartam sigillorum nostrorum munimine roboravimus.

Actum anno incarnati Verbi 1202, mense Novembri in crastino Sancti Martini.

XXXII.

(31) *Litteræ Innocentii papæ pro legitimatione prolis domini regis, datæ Anagniæ* IV *Non. Novemb., pontificatus an.* IV, *Christi* 1201.

(Ex veteribus Chartis D. d'Herouval.)

Apostolica sedes, etc. *Vide inter Regesta Innocentii III, ad diem et annum supra notatum.*

XXXIII.

Littera Odonis episcopi Parisiensis, super legitimatione liberorum domini regis susceptorum de filia ducis Meraniæ tempore papæ Innocentii.

(Ex chartophylacio regio Sanctæ Capellæ Parisiensis.)

Noverit universitas vestra, etc. *Vide in Odone Parisiensi ad an.* 1208.

(30) Hæc clausula revocata fuit postea ab eodem Stephano cujus diploma ibidem habetur consequenter.

(31) Ad cujus epistolæ elucidationem multum facit caput *Per venerabilem*, Decretal. lib. IV, tit. 17, *Qui filii sint legitimi.*

XXXIV.

Littera Cœlestini papæ; super interdicto contra cives Rothomagenses publicato.

(Ex veteribus Schedis V. Cl. Emerici Bigot.)

Cum hmanum affectum, etc. *Vide in Cœlestino* papa III.

XXXV.

Confirmatio sententiarum excommunicationis, et interdicti latarum auctoritate Walteri archiepiscopi contra cives Rothomagenses.

(Ex eodem.)

Cum universæ Dei Ecclesiæ, etc. *Vide ibid.*

XXXVI.

Littera ejusdem Cœlestini papæ episcopis Normanniæ de eadem re.

(Ex eodem.)

Ex conquestione dilectorum filiorum etc. *Vide ibid.*

XXXVII.

Littera ejusdem de eadem re.

(Ex eodem.)

Quod vobis salutationis alloquium non impendimus, etc. *Vide ibid.*

XXXVIII.

Littera Walteri Rothomag. archiep. de quibusdam distributionibus capitulo Rothomag. faciendis.

(Ex eodem.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, WALTERUS, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino.

Ad iter salutis rationis oculum dirigentes subtilius, recordati sumus, quod aliquando substraximus dilectis filiis nostris, capitulo videlicet Rotho- C magensi, quasdam procurationes et subsidia panis et vini temporalis, quæ a prædecessore nostro bonæ memoriæ R. Rothomagensi archiepiscopo debita consuetudine præfato capitulo certis diebus et solemnitatibus solvebantur. Ad cor igitur et propositum salutis animæ nostræ propensius rati, Deo aspirante prædictis rationes et panis et vini consolationes eidem capitulo restituendas duximus plene et integre bono prædecessore nostro morem gerere cupientes, ut videlicet præfati fratres et canonici nostri in eadem integritate, quo tempore prædecessoris nostri fruebantur, plenius restituti nobis congaudeant et divinis instent obsequiis, debitis stipendiis non fraudati. In subscriptis igitur solemnitatibus præfato capitulo nos et successores nostros teneri protestamur ad eadem stipendia persolvenda procur. videlicet aut censum solid. usualis monetæ in die Nativitatis Dominicæ similiter in Epiphania, similiter in Purificatione Beatæ Mariæ, D in Nativitate ejusdem, in Dedicatione, in Natali Beati Romani, in festo Omnium Sanctorum. Oblationes vero panis et vini reddere tenemur in Annuntiatione Dominica, in Octavis Paschæ, in Octavis Pentecostes, in festo Translationis Beati Romani, in festo apostolorum Petri et Pauli, in Transfiguratione Domini, in Conceptione Beatæ Mariæ, in die Circumcisionis. Ut autem hæc restitutio præfati capituli nulla possit in posterum malignitate convelli, hoc nostræ confirmationis testimonium scripsimus nostri sigilli munimine roboratum. Testibus his magistro Columbo canonico Rothomagensi, Rogerio decano, Willel. archidiacono, Henrico cantore; Philippo archidiacono, Radulfo archidiacono, Roberto de Sancto Nicolao, magistro Evrardo, et pluribus aliis.

Datum per manum magistri I. Britonis clerici nostri ad Grandem-montem juxta Rothomagum, anno Dominicæ Incarnationis 1207.

A

XXXIX.

Concilium Rothomagense sub Waltero archiepiscopo. Anno ab Incarnatione Domini 1189, III *Idus Februarii, residente beatissimo papa Clemente III, regnante gloriosissimo rege Francorum Philippo, regente Normanniam invictissimo rege Anglorum Richardo, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis celebratum est provinciale concilium in metropolitana sede Rothomagensi, presidente venerabili Patre nostro Waltero Rothomagensi archiepiscopo, præsentibus omnibus suffraganeis, abbatibus quoque quamplurimis, multis etiam viris discretis et prudentibus, in quo statuta sunt hæc capitula subscripta.*

(Ex eodem.)

I. Antiquorum venerabilium virorum vestigiis adhærentes, inprimis decrevimus, ut omnes suffraganeæ Ecclesiæ nostræ in legendo et psallendo usum hujus sacrosanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ B imitentur.

II. Item placuit ut singulæ ecclesiæ libris et indumentis sacerdotalibus ornentur; et ut Eucharistia nonnisi in vase aureo vel argenteo consecretur; et ne ab aliquo episcoporum aliquid vas stanneum consecretur, nisi judicio episcopi evidens apparuerit necessitas.

III. Placuit etiam ne corpus Dominicum, sine luminari, cruce et aqua benedicta, sive de die, sive de nocte deferatur, nec sine sacerdotis præsentia nisi summa necessitas sacerdotum excusaverit.

IV. Placuit etiam ut nullus clericorum cujuscunque ordinis fociaram in domo sua habere præsumat.

V. Sacerdotes et clerici coronas habeant patulas, et decentem crinium circumferentiam. Istius constitutionis transgressores ab ecclesiasticis beneficiis suspendantur; qui vero beneficia non habuerint, et ita comam nutrierint, privilegio careant clericali.

VI. Nihil de novo statuentes, sed antiquorum canonum statuta ad memoriam reducentes, districte prohibemus, ne filii sacerdotum in ecclesiis ubi patres eorum ministrasse noscuntur, de cætero personæ instituantur, nec eas aliqua occasione media non interveniente persona obstineant.

VII. De clericis qui propter imperitiam suam, vel nativitatis conditionem, vel forte vitæ immunditiam, vel propter inobedientiæ contumaciam, examen episcopi declinantes, et ab extraprovincialibus, vel transmarinis episcopis ordinem consequuntur, licet sigilla eorum in testimonium ordinationis suæ deferant, statuimus ut ab episcopis suis in administratione ordinis sui ita adepti nulla ratione recipiantur.

VIII. Nulla persona ecclesiastica, vel vicarius perpetuus extra provinciam causa studiorum, vel peregrinationis, sine proprii episcopi licentia vel officialium suorum iter arripiat.

IX. Statuimus etiam ne monachi vel clerici negotiationem aliquam causa lucri exerceant, et ne monachi et clerici, vel laici ecclesias vel villas ad firmam teneant.

X. Prohibemus etiam ne aliquis sacerdos vicecomitis, vel sæcularis, præpositatus officium assumat: quod si facere præsumpserit, ob officio suspendatur, et omni beneficio ecclesiastico privetur.

XI. Consuetudo, quæ scripto juri et approbato opponitur, nulla sui generalitate, vel temporis prolixitate defendatur. Cum igitur secundum rerum naturam negantes factum nulla sit probatio non probante actore, reus, et si nihil præstiterit absolvendus est, præsertim si pars actoris nulla probabili præsumptione juvetur: statuimus ut de cætero liceat actori tam in civili quam in criminali causa ad confirmationem partis suæ, et testium fide et instrumentorum uti auctoritate, quibus deficientibus

tunc tandem reo se purgandi, vel probandi onus imponitur, cum pari actoris contentiosi fama, vel alias probabili aliqua præsumptione roboratur.

XII. Sicut in Lateranensi concilio cautum est, statuimus et firmiter observari præcepimus, ne archidiaconi per archidiaconatum suum incedentes subditis onerosi existant, et ut sex vel septem equorum numerum non excedant, nec ab aliquo clerico procurationem recipiant, nisi competentes reditus habuerit; statuimus etiam ut a nullo clericorum penes quos honeste et sine magno gravamine hospitare non valent, non nisi très solidos usualis monetæ in recompensationem hospitii sui recipiant. Si vero apud pauperes clericos hospitari decreverint, vel forsan propter loci amodietatem, vel propter negotiorum quæ tractant commoditatem, statuimus ut quinque vel quatuor ad minus de vicinioribus clericis beneficia habentibus onera ipsius hospitii communiter supportent.

XIII. Satuimus etiam, ut episcopi vel eorum officiales in sua die appellationibus difficiles se non exhibeant; sed propter quorumdam simplicitatem, et non petentibus offerant.

XIV. Sanctorum Patrum vestigia sequentes statuimus et firmiter observandum decrevimus, ut nullius consuetudinis obtentu, quisquam deinceps ab ingressu ecclesiæ, vel alio quocunque ecclesiastico sacramento arceatur, donec legitime vocatus ad causam liberam respondendi habeat facultatem, ut ita demum convictus aut viva voce, vel saltem juris interpretatione confessus, pro qualitate excessus, æqualem ut oportet a suo judice sustineat sententiam.

XV. Statuimus etiam, ut testamentum clericorum inviolabiliter observetur, et ut bona clericorum, qui intestati decedunt, per manus episcoporum in bonos usus distribuantur.

XVI. De clericis etiam post Pascha decedentibus, statuimus, ut de fructibus subsequentis autumni in testamento suo disponendis liberam habeant facultatem.

XVII. De uxoribus et familiis, et bonis omnibus cruce signatorum, quod a felicis recordationis Patribus noseris Urbano et Gregorio, nec non et beatissimo Patre nostro Clemente notatum est, observari præcipimus.

XVIII. Cum oppressi et rei ad ecclesiam Dei confugientes omnimoda debeant securitate gaudere, absurdum nimis videtur et omni rationi contrarium, ut in eis vel in earum cœmeteriis sæculares causæ in quibus de sanguinis effusione vel de pœna agitur corporali, tractetur, et ideo ne hoc de cætero fiat, sub interminatione anathematis prohibemus.

XIX. Prohibemus etiam sub anathemate, ne a clericis, vel monachis, vel a quibuslibet ecclesiasticis personis Ecclesiæ, vel decimæ, vel quælibet ecclesiastica beneficia laicis in firmam tradantur.

XX. Nemo privatas pensiones, et adulterinas seu portiones, de ecclesiis vel ecclesiasticis beneficiis deinceps solvere vel accipere præsumat: quod qui fecerit, omni beneficio ecclesiastico privatus excommunicationi subjaceat.

XXI. Ecclesiastica persona cujuscunque professionis, quæ personas ecclesiasticas super aliquo ecclesiastico negotio ad judicem sæcularem trahere præsumpserint, a causa prorsus cadant; excommunicationi subjaceant, et sine competenti satisfactione ab episcopis suis non absolvantur.

XXII. Prohibemus etiam sub anathemate ne quas donationes, vel prædia ecclesiastica alicui oppignerare præter conscientiam episcopi sui, vel officialium suorum, aut quolibet modo alienare præsumat,

XXIII. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de fructibus, Dei sunt, et illi sanctificantur. Sed quia inveniuntur multi decimas dare nolentes, statuimus ut, juxta præceptum Domini, admoneantur semel, secundo et tertio, ut de grano et vino, fructibus arborum, fetibus animalium, feno, lino, lana, canabo, caseis et de omnibus, quæ per annum renovantur, decimas integre persolvant, et si commoniti non emendaverint, ad episcopi mandatum excommunicentur.

XXIV. Nullus occasione confessionis sibi factæ super aliqua jura ecclesiastica vivente eadem persona, eamdem personam viventem litibus vexare præsumat, ut sic pensionem ab eo extorqueat : quod si fecerit, anathemate percellatur.

XXV. Sunt quidam tam clerici quam laici hujusmodi societatem ineuntes, ut de cætero in quibuslibet causis, vel negotiis mutuum sibi præstent auxilium, certam in eos pœnam statuentes, qui contra hujusmodi venerint constitutionem ; et quoniam hujusmodi societates, seu fratreias circa personas utriusque ordinis canonica detestatur scriptura, eo quod earum observantia quosdam etiam usque ad crimen perjurii perducat, ne amodo fiant, aut si factæ fuerint ne observentur, sub interminatione anathematis prohibemus.

XXVI. Ad reprimendam eorum malitiam qui postposito Dei timore, Dei Ecclesiam per falsos juratores in foro civili, vel ecclesiastico minuere, nec non et proximos suos exhæredare conantur; statuimus ut singulis diebus Dominicis tam in cathedrali quam in singulis parochialibus ecclesiis omnes illi accensis candelis excommunicentur, qui scienter in foro ecclesiastico, vel sæculari falsum præstiterint juramentum in sacrosanctæ Ecclesiæ læsionem, vel cujuslibet personæ exhæredationem. Nihilominus etiam excommunicentur omnes illi, qui ut hujusmodi falsa sacramenta præstentur, sive prece, sive pretio qualibet unquam occasione procuraverint ; hujus autem constitutionis reos nullus sacerdotum absolvere vel eis pœnitentiam dare præsumat, nisi fuerint in articulo mortis constituti, sed hujusmodi perjuri et excommunicati ad proprios episcopos remittantur absolvendi, et de tanto excessu graviter puniendi, et ad eorum majorem confusionem ad sedem apostolicam transmittantur.

XXVII. Excommunicandi etiam sunt qui, se in ecclesiasticis benficiis, sine auctoritate episcopi vel officialium suorum, ad quos pertinet, propria temeritate, vel laica potestate intruserint.

XXVIII. Falsarii quoque sigillorum excommunicantur, et qui scienter falsis utuntur instrumentis.

XXIX. Incendiarii quoque, venefici et sortiarii, et qui scienter nominatim excommunicatis participant.

XXX. Excommunicandi etiam sunt contumaces tam clerici quam presbyteri rebelles, qui contra prohibitionem episcopi, vel officialium suorum divina celebrare præsumpserint.

XXXI. Præterea excommunicandi sunt tam clerici quam laici, qui redditus domini archiepiscopi Rothomagensis, a tempore, quo archiepiscopatus dignitatem adeptus fuit, fraudulenter ei subtraxerunt, vel modo subtrahunt, vel jura et dignitates suas minuerunt vel minuunt, vel in absentia sua minuent, nisi inde antequam iter peregrinationis arripiant, satisfecerint.

XXXII. Placuit ut quicunque sacerdos suspensus scienter celebraverit, cesset per annum a divino officio ; si excommunicatus scienter celebraverit, mittatur Romam.

INDEX INITIALIS

EPISTOLARUM PETRI BLESENSIS.

SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM.

—

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

—

FINIS TOMI DUCENTESIMI SEPTIMI.

Sancti Amandi. — Ex typis BUSSIÈRE.